This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

c 3698
23
Ar1t

Digitized by Google

FRATRIS

FRANCISCI DE ARAVIO.

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRI

Ex Ordine Prædicatorum.

ET IN SALMANTINA ACADEMIA

Primariæ Cathedræ moderatoris.

IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE

Commentarij.

Libreria

Tomus Secundus.



SALMANTICÆ

Apud Sanctum Stephanum Ordinis Prædicatorum,
Anno Dñi M.DC.XXXVI.

De la Casa Professa de la Compª de Jesus de Madrid

REVERENDISSIMO

PATRI FRATRI NICOLAO RODULPHIO QUONDAM SACRI PALATIJ, NUNC AUTEM TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM GENERALI MAGISTRO.

SI grati theſeram animi (Reuerendiſsime Pater) cui facrem, fluctuarem anceps, cũ te munera tot effuſſe largitum mihi fuiſſe non immemor, abſonarem Antidoræ retributioni, ingratitudinis accerſerer inuiſſæ. Maximis ex titulis te mihi arrogo Mæcenatem alijs quidem ad deuinctæ voluntatis flagrantiam amoris: alijs vero ad operis huius pulchritorem expectantibus adoream. Principaliorum altero quippe in hoc opere dicando non eligo Patronũ, non auſpicem eligo: nam feliciori Patrono reddo, & auſpici ſecundo ſoluo debitũ. vnde debito potius quã electioni indulxi dicando, & cum in præſentiarum ſoſpitantis munuſculum exoro ſapientiæ tuæ iubar magis ac magis, adhuc debitor in ſpicior: *cum neceſſe ſit plus debere, qui viſus eſt maiora recipere*, apud

Caſiodorum Theodoricus Rex Albino reſcripſit. Altero quia ob ſplendida mihi largè collata beneficia illa non elingui mente reſpoſta officioſſo pectore non excident. Et ſic arte cultiora, eruditione ditiora certatim voluntas, & intellectus offeret: illa quidem ob venerationis obſequium: hic verò, quia præcipientem audio de Theodoſio Claudianum, *indue mente Patrem.* Ex qua titulos plurimos agnoui: cui, niſi ſapienti fructus ſapientiæ: cui, niſi docto Doctrinæ ſolertiam: cui, niſi litteris prædito, & Palladis cuſtodi Palladium munus: & cui, niſi ſcientiarum pelago flumina ſacramentorum eſſem oblaturus. hæc enim ſuo impetu Eccleſiam Dei letificant, & ſalutaribus irrigant vndis. Quare nec mirum, quod opus hoc de Sacramentis, natiuo veluti põdere ad te (Reuerendiſsime Pater) currat virtutũ omniũ & ſciẽtiarum pelagum: in quo tanquam in profundiſsimo mari illæ omnes mirabiliter adunãtur: & licet omnibus modis munuſculum iſtud tibi ſacrare verear: tum quia maiori & lucidiori tuo patrocinij indignum eſt numine, egenũ eſt nomine: tũ quia grãdiora reuerẽtiæ, & cultus promereris obſequia. Verumtamen enchiridium hoc de Sacramentis, horum Theoſophiæ, principalioribus enodatis, examuſsim inſtituo: à prolixioribus voluminibus abſtinens, vt Theologiam ab iniuriæ & arduitatis moleſtia vindicẽ, priſtinæquè Angelici Doctoris facilitati, ac felicitati reſtituerẽ laconica ſuccingar breuitate, nã argumentorum & rationum efficatia longitudine laxatur, diſſoluitur, & ſoluta compage eneruatur. Hac in tempeſtate facilior eſſet librorum oneroſſa moles cõgeſtu procera, ſed nõ omnes integerrimè nodare ſapiunt, qui enodare tendunt, prꝛter quam quod, ne inter tuas ſacras occupationes, ac laborioſſas, alteras addam, non longe diſtrahar, ſed enixim contrahar: quia Horatium in Cæſſarem audio.

Cum tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus,
Res italas armis tuteris, moribus ornes.
Legibus emendes, in Publica commoda peccem,
Si longo ſermone moror tua tempora, Caſar.

Sed quoniam te Mæcenatem vt Solem luminibus haurio Doctrinæ radios explicantem, reciprocis fulgoris hoc opus potitur reflexibus, cuius ardenti lucerna, auguſta tam nobiliſsimo

Stema-

Digitized by Google

Stemate ac maiorum heroico quam eruditionis fecunda Theumate: nõ marceſcens, ſed irradiãs, protectioni tuæ cedit, clipeo tuo ſubiacet: *Det præſidium & dulce decus meum*; Soſpita foue opuſculum hoc pro tua exiguum excellentia, pro mea inte obſeruantia non ſpretu dignum, licet parua demus, fateor, grandia dictat animus, maiora voluntas, altiora conatus. Tutelam ſub vmbra alarum tuarum ſitiens hic liber anhelat, qui ex irriguo cælitus ſapientiæ tuæ flumine Thomiſtico hauſtus, mihi nectar erit, & demum hoc imperij tributum & amoris huius quidem, quia gratus, quia debeo, quia amore proſequor: illius vero quia aliter me exequentem incuſſaret Authentica *imperatore*, vice verſa te Generaliſsimo. En igitur, quod habeo, voueo, quod debeo, libo gratitudinis ergo. Vale & viue felix.

Magiſter Fr. Franciſcus de Araujo Dominicani inſtituti, & Salmaticæ Publicus Theologiæ profeſſor: vtriuſquè profeſsionis minimus.

Digitized by Google

TASSA.

YO Franciſco de Arrieta Eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad, y vno de los que en el ſu Conſejo reſiden, certifico y doy fee, que auiendo ſe viſto por los Señores del Real Conſejo vn libro intitulado el Tomo ſobre la tercera parte de Sancto Thomas y Doctor de la Igleſia, deſde la Queſtion ſeſenta haſta la nouenta, cōpueſto por el P. M. F. Franciſco de Araujo de la Orden de Sancto Domingo Cathedratico de Prima de la Vniuerſidad de Salamanca, que con licencia de los Señores fue impreſo. Taſſaron cada pliego â cinco marauedis, y â eſte precio y no á mas mandaron ſe vendieſſe el dicho Libro, y que eſta Taſſa ſe ponga al principio de cada Libro de los que ſe imprimieren. Y para que dello conſte di el preſente en Madrid à nueue de Setiembre de mil y ſeiſcientos y treinta y ſeis años.

Franciſco de Arrieta.

Errata ſic corrige.

PAgina, 35. colun. 1. ſamentis le. *Sacramentis*, pag. 69. col. 1. poſtale. *poſtea*, pag. 73. col. 1. Encharistia, leg. *Euchariſtia*, pag. 113. col. 1. oſtendam, leg *oſtendendã* pag. 127. col. 1. habeat, leg *habeant*, pag. 497. col. 1, ergo ergo leg. *ergo*, pag. 544 col. 1. comiſſa leg. *comiſsis* & tenetur leg. *tenentur*, pag. 525. col 1. illis leg. *illius*, pag. 574. col. 2. obcinetur leg. *obtinetur*, pag. 518. col. 1. quo ſſe leg. *poſſe*, pag. 579. col. 2. docubimus leg *docebimus*, pag. 762. col. 1. vt iuſtè, leg. *& iuſte*, pag. 775. col. 1. collata, leg. *collatam*.

His erratis correctis concordat hic liber cum originali, pro fidei robore. Salmanticæ vltima Auguſti, Anno Domini 1636.

Antonio Rincon.

Digitized by Google

PROLOGVS
Ad Lectorem.

ACCIPE Chriſtiane lector ſecundum tomum noſtræ tertiæ partis, in quo tibi Doctrinam de Sacramentis ex Angelico Doctore diuinæ ſapientiæ archiloquo, tãquã de limpidiſsimo fonte potandam propinamus: breuiori, & clariori, quo potuimus ſtylo. Ita tamẽ vt de neceſſarijs nihil omittamus, nequê de minus vtilibus quæſtionibus plura inculcemus. Hic Archiloquus noſter, qui profunda fluviorum cum Iob cap. 28. ſcrutatur, profunda quoque fluuiorum Eccleſiæ, id eſt, Sacramentorum, quibus Eccleſia veluti fluvijs irrigatur de Chriſti latere vt de fonte dimanantibus, accuratê adeo ſcrutatus eſt, vt nihil ſcrutandum reliquerit, quod deſideres, fluminibus autem Sacramenta pluribus de cauſis comparantur. Tum ob profunditatem: Sacramẽtum enim idem eſt, atque miſterium: nam quod Græcus miſteriũ, hoc Latinus Sacramentum appellat: miſterium verô profunditatem pre ſe fert, quia rem arcanã, & reconditam; atquê captu difficilem ſignificat, quam ob huiuſmodi difficultatem vulgus vocat profundã. Vnde dicitur Ezechielis 2. *eſt Deus in Cœlo reuelans miſteria*: quo denotaret diuinus vates miſteria diuina, de quorum numero ſunt ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, non niſi per diuinam reuelationem in notitiam mortalium potuiſſe peruenire. Tũ etiam ob aquarum fluxum, & claritatem, ad inſtar enim fluentium, & ſalutatium aquarum Sacramenta gratiam ſalutarem, qua animæ recreantur tanquam nouæ creaturæ in Eccleſiam effundunt, iuxta illud eiuſdem Ezechielis 36. *& effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Hinc etiam factum puto, vt primum Sacramentum, ſcilicêt baptiſma, quod eſt aliorum ianua & per quod introitus in Eccleſiam patenit, in aquis fuerit inſtitutum, cum quibus proinde cætera affinitatem quandam analogam contraxere. Tum denique quoniam pro communi omnium hominum ſalute ita fuere inſtituta, vt eis per illa Chriſti fontalis redemptio, & ſalubris applicetur vnda: propterea enim aquas multas, populos multos eſſe, teſtatur Angelus in Apocalipſi, ſubindicans ſalubrem vndam Sacramentorum, pro omnium populorum ſalute per totam Eccleſiam fluere, ac manare. De his igitur

flumini,

luminibus Doctrinam in hac tertia parte, inchoauit D. Thom. quam & conſũmare á quæſt 60. vſquê ad vltimam ſibi animo prefixam intendebat. Nec tamen in vida morte præuentus conſũmauit, factum tamen eſt Deo diſponẽte, vt triginta, & vnam quęſtiones, id eſt á ſexageſima vſque ad nonageſimam incluſiue, de hoc argumento perficeret. Quarum commentarium in hoc opere proſequimur, eundem ordinem noſtri, ac communis Doctoris ſeruantes, ſicut & eius ſententias ſenſu ſemper; ſæpe autem ſenſu, & verbis, defendentes: fuitque noſter animus hãc Sacramentorum ſalubrem aquam in ſuo fonte claram, in decurſu vero, tum ob ſectoriorum ab Eccleſia recedentium verſutias: tum propter nouiorum Theologorum argumenta nouum aliquid ſemper inueniendi capidorum â Thomiſtica Doctrina diſsidentium, plurimum obſcuratam: ab hac duplici obſcuritate vindicatã, & præſtinæ luci, ac claritati reſtitutam. Theologiæ profeſſoribus propinare. Cuius tractatus vtilitatẽ, neceſsitatem, & iucunditatem ſequens præfatio tibi indicabit, quam proinde ſi legeris experimento diſces. Quemadmodum autem noſtrũ eſt, menſam tibi apponere, potum fundere, porrigere, & miniſtrare: ita tuum eſt manducare, bibere, & guſtare. Vtinam cum vtilitate manduces aut bibas, & cum ſapore guſtes. Memineris autẽ, quod potus dulcis, palato non ſano redditur amarus, ſicut ægris oculis odioſa fit lux, quæ puris eſt amabilis. Palatum igitur diſpone, vt huius ſpiritualis cibi, ac potus dulcedinem percipias. Comedere, & bibere: vtrumque ad ſobrietatem: neutrũ ad ſatietatem debet eſſe. Satiatus namque faſtidies: ſobrius, eſuries, & ſities iterum: concupiſceſque nouam haurire aquam de puteo Thomiſticæ Doctrinæ, quam iam tibi paramus; neque ſine ſpe, quod illam ſis cum vtilitate percepturus; niſi morte preueniamur. Interim vale & ora pro me.

AD TRACTATVM

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS.

Præfatio.

ORDO, neceſsitas, grauitas, & iucunditas tractatus de Sacramentis Theologiæ auſcultatoribus in hac prefactione proponũtur, vt auidius illũ legant. Nec non Sacramenti nomen ipſum explicatur, quod reuerentiam lectoribus imprimit ipſius rei ſignificatæ, eiuſque obſcuritatem, & archanum myſterium commẽdat: ordoque doctrinæ expoſcit, vt à nominis ætymologia in vnoquoque ſcientiarum tractatu incipiamus.

Igitur quantum ad ordinem attinet doctrinæ: merito poſt diſputationem de Verbo incarnato, humanitate aſſumpta, & perfectionibus coaſſumptis ab illo, quam Angelicus Doctor proſequutus fuit per quinquaginta nouem quæſtiones huius tertiæ partis præcedentes, à ſexageſima vſque ad finem eiuſdem partis diſputationem de Sacramentis interſerit: eo quod ſunt inſtrumenta Dei particularia, & ſeparata noſtræ humanæ ſalutis, & ſanctificationis, quæ participant virtutem à Verbo incarnato, & ab eius humanitate aſſũpta, vt ab inſtrumento coniuncto deriuantur: in cuius ſignum de eius latere in cruce perforato continuo exiuit ſanguis, & aqua: vt ſic emanationẽ Sacramentorum à latere Chriſti præmonſtraret. In hac autem diſputatione iuxta præceptum Philoſophi in .1. Phiſicorum ab vniuerſalioribus ad particularia docentis progreſſum faciendum fore in doctrinis, Angelicus Doctor prius de Sacramẽtis in genere exordiũ ſumit: indeq; ad ſpeciale cõſiderationẽ de vnoquoq; Sacramẽto deſcendit. Et ſi deſcẽſum hũc morte preuentus non conſumauit. In huiuſmodi vero communi, ac generali ſpeculatione de Sacramentis in genere mirifico ordine, de his quinque nimirum de natura, & eſſencia Sacramentorum, de eorum neceſsitate, de effectib⁹ videlicet gratia, & charactere, de ipſorum cauſa, ac tandem de eorundem numero, per ſex quæſtiones tradidit cognitionem. Cuius veſtigijs, & nos adhærentes lege commentatoris, & interpretis ad id cogente, eundem ſeruabimus ordinem, vt potè ad claritatem, & breuitatem doctrinæ nobis conſuetam, apprimè neceſſarium. Sed neceſsitatem, & grauitatem materiæ de Sacramentis nobis commendant Concilia, & Patres: pro quibus ſufficiant duo teſtimonia. Alterum Concilij Tridentini, quod ſeſsione 7. in decreto de Sacramẽtis

ſic eandem materiam exorditur. Ad conſummationem ſalutaris de iuſtificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima ſeſſione vno omnium Patrum conſenſu promulgata fuit, conſentaneum viſum eſt de ſanctiſsimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quē omnis vera iuſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur: propterea ſacroſancta æcumenica, & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſsima ipſa ſacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à Patribus noſtris hæreſibus ſuſcitatæ, & cætera quæ proſequitur in eandem ſententiam.

Alterum eſt Auguſtini lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. vbi ſacramenta nouæ legis comparans cum ſacramentis veteris, in laudem illorum ſic ait: *Proinde prima ſacramenta, quæ obſeruabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiatiua erant Chriſti venturi, quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt, & ideò ablata, quia impleta: non enim venit ſoluere legem, ſed adimplere: & alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filijs fidei, iugo ſeruitutis ablato, quod duro, & carni dedito populo congruebat.*

2 Ex quibus liquido conſtat quam vtilis, grauis, & neceſſaria ſit materia ſacramentorum, atque eius notitia. Necnon hinc colligitur eius iucunditas: vtpotè in quibus benignitas, & miſericordia magis relucet diuini Patris, atque ab eo in mundū miſsi redemptoris. Cum quo, & per quem vltra ipſam redemptoris gratiam nobis impenſam, ſingularia humanæ infirmitatis adminicula pro ſalute conſequenda contulit, atque viſibilia quædam ſignacula, & ſacræ ceremoniæ quæ ſacramenta nuncupamus, ad id inſtituta, vt genus humanum quaſi ex conſortio eorundem ſignorum ſacrorū copulari videretur in eandem profeſsionē fidei, & religionis.

Tum etiam vt in illis quæreretur medicamentum morbi, & peccatorum remiſſio, quaſi per media acomodata naturæ ipſius hominis, qui ex rebus corporis conſueuit ad ſpiritualia manuduci. Sed hoc diſcrimen inter antiqua, & noua inuenies Sacramenta, quod in illis quærebant ſibi homines ſanitatem, non quaſi illa eſſent efficacia vt ipſam conferrent: ſed quia in eis propitium ſe exhibebat Dominus ex illa iuſsionis ſuæ, qua filium promiſſerat, in cuius fide ac nomine omnis iuſtitia conferebatur. Iſta vero vtpote in ſanguine teſtamenti confirmata pollēt virtute inſigni ad culpam auferendam, & gratiam conferendam: ita vt licet vtrobique intendatur veluti in ſerpentem æneum, & finis idem ſit Patrum, & noſter: ſed ſignorum, nec virtus, nec efficacia eſt eadem, ſed longe diuerſa. Igitur iucundus eſt ſermo de Sacramentis nouæ legis, vtpote quia dum de illis fit ſermo, pariter inſeritur eloquium de ipſo miſericordiarum Patre, & Filio Redēptore.

Tum etiam, quia beneficia ſunt amicabilia hominibus gratis collata virtutem, & efficaciam a ſanguine redemptoris trahentia humanæ ſalutis operatiuam: per quæ, & Deo offenſo homines reconciliantur. Propterea enim Canticorum 4. dicitur de labijs ſponſæ: *Sicut vita concinea labia tua, & eloquium tuum dulce*: quia ſecundum Iuſtū Orgelitanum Epiſcopum, quando Eccleſia per ſuos prædicatores paſsionem Chriſti anuntiat, & prædicat, eloquium effundit dulce: *Qua propter* (ait ille) *illorum labia decora, qui paſsionem iugiter prædicant, & per eius ſanguinem datam redemptionem anuntiāt: nihilque dulcius quod loquantur, ſe inueniſſe cō gaudēt: ſicut & Apoſtolus ait: nihil me arbitror inter vos ſcire, niſi Chriſtum Ieſum, & hūc crucifixum.* Aut ſi mauis cum Aponio propterea eloquium prædicatorum eſſe dulce, quando ſermonem faciunt de martyribus ſponſi amicis, nam per vitam coccineam, (ait Aponius) *Proculdubio cruor martyrum intelligitur in Eccleſiæ labijs rutilare*: & ideò eloquium eius eſt dulce: vtpote quia de amicis, & benefactoribus laudes effundit: non tamen ea ratione dumtaxat quam tetigit Nazianzenus in apologetico dicens, quod nihil hominibus tam ſuaue eſt at iucundum, vt de rebus alienis ſermonem habere: idque præſertim ſi vel beneuolentia quadam, vel odio trahantur, à quibus veritas plerumque ſurripi ſolet: nec enim ſacramenta hæc extranea, & aliena à nobis ſunt, ſed valde propria ex benignitate, & liberalitate diuini largitoris. Quod ſi de rebus alienis ſermonem habere, teſte Nazianzeno ſuaue, ac iucundum eſt, ſi affectu beneuolentiæ ad illas trahamur: quanto magis ſuaue ac iucundum erit de tam proprijs, ac ſublimibus beneficijs habere ſermonem: quæ Deus nobis contulit ad ſalutem: ad

quæ

quæ proinde affectu ſpecialis beneuolentiæ trahi debemus, & eo maiori, quò eis magis indigemus: quis enim infirmus opus habens medicina efficaci ad ſanitatem illi conferendam, eam non deſideret, & affectu beneuolentiæ non proſequatur?

3 Iam vero quod attinet ad nominis etymologiam, opere pretium eſt ſcire myſterium pro quo, ex codicibus Græcis Latinus interpres vertit ſacramentum, apud Græcos tam ſacros, quam profanos Auctores ſignificare rem quamlibet incognitam, ideſt ſecretam, archanam, reconditam, & à ſenſu atque intelligentia vulgi remotam: vt etiam teſtatur Ariſtoteles lib. 2. Rethoricorum cap. 24. vbi ait, inter res ſacratas, myſteria eſſe omnium ſanctiſsima, & digniſsima, cuiuſmodi ſunt omnia quæ diuinitus nobis reuelantur. Quemadmodum etiam colligitur ex multis locis ſacræ Scripturæ, vt Prouerbiorum cap. 20. & Eccleſiaſtes cap. 22. & 27. & Danielis 2. vbi dicitur: *Deus eſt in cœlo reuelans myſteria*: & Matth. 13. vbi Chriſtus electis dicipulis dixiſſe refertur: *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, &c* in quibus nomen myſterij aliquod ſecretum, & archanum ſignificat, & licet Græcum ſit, ab ipſo Latino vulgato retinetur in eiſdem locis. Et in eadem ſignificatione Paulus primę ad Corinthios 15. diſputans de vniuerſali corporũ humanorum reſurrectione tanquam de re valde ignota, & oculta, imò quæ hominib⁹ gentilibus impoſsibilis ne dicã ridicula videbatur, ſic ait: *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, &c.* & ad Coloſenſes primo loquẽs de incartionis diuini verbi dogmate, ipſam, myſterium etiam appellat, non ſine magno verborum apparatu, & amplificatione, dum ita inquit: *Vt impleam Verbum Dei, quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus: nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus.*

In alijs autem locis vulgatus Latinus pro myſterio quod habetur in Græco, vertit *Sacramentum*: vt planè videre eſt apud eundem Apoſtolum ad Epheſios 5. vbi referens verba illa Adami ad vxorem Geneſeos ſecundo: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & hærebit vxori ſuæ*, in ſenſu prophetico de nuptijs Chriſti, & Eccleſiæ, ideſt de vnione, ſeu coniunctione illa indiſolubili Chriſti cum Eccleſia, interpratatur dicens: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Et 1. ad Timoth. 3. verba faciens de diuini Verbi apparitione, & manifeſtatione in carne, & corpore noſtro mortali, myſterium hoc appellat ſacramentum pietatis: *Et manifeſtum magnum eſt, pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, &c.* Vnde & Auguſtinus lib. 7. confeſsionum cap. 19. oſtẽdens quid olim ſenſerat, dum eſſet Manicheus, quid etiam poſtea iam factus catholicus de hoc magno verbi incarnati myſterio cenſeat; ita confitetur dicens: *Quid autem ſacramenti haberet: Et Verbum caro factũ eſt: nec ſuſpicari quidem poterat, &c.* Eademque voce ſacramenti ad ſignificandum incarnationis myſterium vtuntur Caſianus lib. 5. de incarnatione Domini cap. 11. & duobus ſequentibus, & lib. 7. cap. 17. & Fulgentius in lib. de incarnatione, & gratia Chriſti cap. 11.

4 Hoc autem nomen ſacramenti licet in tota ſuæ ſignificatione, quodcumque arcanum, & ocultum, ſiue myſterium, diuinũque, ac ſupernaturale, & mirabile factum ſignificet: verumtamen à Concilijs, Patribus Eccleſiæ, & Theologis ad ſignificandum quædam ſpecialia ſigna ſenſibilia ſpiritualem gratiam continentia, & ſignificantia, hoc eſt ſeptem nouæ legis ſacramenta fuit adaptatum, & acomodatum. In qua ſignificatione ſic appropriata, & ad aptata vtuntur voce ſacramenti Concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio, Conſtancienſe, Florent. & Trident. Ex Patribus autem Atanaſius in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 8. Nicolaus primus in ſuis reſcriptis tit. 11. cap. 5. Auguſtinus epiſtola 318. cap. 1. & lib. 3. doctrinæ Chriſtianæ cap. 19. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, & ſuper Ezechielem cap, 44. Iſidorus lib. 6. Ethymol. cap. 18. & Ciprianus ſermone de baptiſmo, & ſermone de ablutione pedum. Ex Grecis autem in eadem ſignificatione pro voce *Sacramentum*, vtuntur hac voce *Myſterium*, Concilium Nicenum cap. 14. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, c. 25. & in exortatione de baptiſmo, Origenes homilia 5. in numeros, & Cirylus Hieroſolymitanus in catecheſsi miſta Gogicis, & Dionyſi⁹ in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia: & hæc de voce ſacramenti, & eius tum analoga, & ampla, tum etiam ſpeciali, & adaptata ſignificatione dicta ſufficiant.

5 Reliquum eſt vt Auctores præcipuos qui de hac materia ſpeciales tractatus ædi-

derunt referamus. Inter quos Principem locum tenent Ambroſius, qui ſolus ex Patribus de ſacramẽtis in genere duos libros confecit: alterum quidem de ſacramentis inſcripſit, & alterum de myſterijs. Hugo Victorinus, qui latum opuſculum ædidit de ſacramẽtis, licet in illo de omnibus alijs myſterijs noſtræ fidei ſimul tractet. Quæ autem attinent ad materiam de noſtris ſacramentis repetit in ſumma ſententiarum tractatu 4. à quo multa deſumpſit Magiſter ſententiarum, qui de hac materia diſputat in lib. 4. à principio, vbi omnes Scholaſtici eandem proſequuntur, & D. Thomas ab hac quęſtione ſexageſima vſque ad ſaxageſimam quintam excluſiuè de eadem re exactam tradit cognitionem, cuius doctrinam ſuis commentarijs Theologi Neothericí illuſtrant, vt Cabrera to. 3. in 3. p. Suarius to. itidem 3. & 4. Vazquius to. 2. Nuño to. 1. Ex controuertiſtis autem aduerſus ſectarios de eodem argumento diſſerunt luculenter Vualdenſis tom. 2. de ſacramentis, Belarminius 2. to. à principio, Roſenſis de refutatione articulorũ Luteri art. 1. Ruardus in articulis Louanienſibus art. 1. Oſius in confeſsione cap. 37. Lindanus lib. 4. panopliæ, Alanus lib. de ſacramentis in genere, Echius homilia de ſacramentis, Clitoueus in defenſione Concilij Toloſ. contra Keniſium, & Canus in relectione de ſacramentis. Ac tandem eandẽ materiam illuſtrant iuris Canonici profeſſores 1. q. 1. cap. *multi*, & ſuper diſt. 2. de conſecratione cap. *Sacrificium*, & cap. *Signum*, & in decretalibus tit. de ſacram.

QVAESTIO LX.

De Sacramentis, in octo Articulos diuiſa.

POST conſiderationem eorum quæ pertinent ad myſteria Verbi incarnati, conſiderandum eſt de Eccleſiæ ſacramentis, quæ ab ipſo verbo incarnato efficaciam habent. Et prima conſideratio erit de ſacramentis in communi. Secunda de vnoquoque ſacramentorum in ſpeciali.

Circa primum quinque conſideranda ſunt.

Primo, quod ſit ſacramentum?

Secundo, de neceſsitate ſacramentorum.

Tertio, de effectibus ſacramentorũ.

Quarto, de cauſa eorum.

Quinto, de numero.

Circa primum quæruntur octo.

Primo, vtrum ſacramentum ſit in genere ſigni?

Secundo, vtrum omne ſignum rei ſacræ, ſit ſacramentum?

Tertio, vtrum ſacramentum ſit ſignum vnius rei tantum, vel plurium?

Quarto, vtrum ſacramentum ſit ſignum quod eſt res ſenſibilis?

Quinto, vtrum ad ſacramentum requiratur determinata res ſenſibilis?

Sexto, vtrum ad ſacramentum requiratur ſignificatio, quæ eſt per verba?

Septimo, vtrum requirantur determinata verba?

Octauo, vtrum illis verbis poſsit aliquid addi, vel ſubtrahi.

ART.

Digitized by Google

ART. I.

Vtrum Sacramentum ſit in genere ſigni?

4. di. 1. q. 1. art. 1. q. 1. & ar. 3. ad 1. & a. 4. q. 1. ad 1.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramentũ non ſit in genere ſigni. Videtur enim ſacramentum dici â ſacrãdo, ſicut medicamentum â medicando. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem cauſæ, quam ad rationem ſigni. Ergo ſacramentum magis eſt in genere cauſæ, quam in genere ſigni.

2 Præterea, Sacramentum videtur aliquid occultum ſignificare: ſecundum illud Tob 12. Sacramẽtum Regis abſcondere bonum eſt. Et Epheſ. 3. Quæ ſit diſpenſatio Sacramẽti abſconditi â ſæculis in Deo. Sed illud quod eſt abſconditum, videtur eſſe contra rationem ſigni. Nam ſignum eſt quod præter † ſpeciem quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire; vt patet per Auguſt. * in 2. de Doctr. Chriſt. Ergo videtur, quod ſacramentum nõ ſit in genere ſigni.

† Aliâs, per.

** c. 1. circa prin. to. 3.*

3 Præterea, Iuramentum quandoque ſacramentum nominatur: dicitur enim in * Decr. 22. q. 5. Paruuli qui ſine ætate rationali ſunt, non cogantur iurare: & qui ſemel periuratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hoc, nec ad ſacramentum (ideſt, iuramentum) accedat. Sed iuramentum non pertinet ad rationem ſigni. Ergo videtur, quod ſacramentum non ſit in genere ſigni.

** Paruuli qui ſine ætate.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. * dicit in 10 de ciuitate Dei, Sacrificiũ viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, ideſt ſacrum ſignum eſt.

** c. 5. non procul âpr. to. 5.*

Reſpondeo dicendum, quod omnia quę habent ordinem ad vnum aliquid (licet diuerſimode) ab illo denominari poſſunt: ſicut â ſanitate, quæ eſt in animali, denominatur ſanum, non ſolum animal, quod eſt ſanitatis ſubiectum, ſed dicitur medicina ſana, in quantum eſt ſanitatis effectiua: diæta vero, in quantum eſt cõſeruatiua eiuſdem, & vrina, in quantum eſt ſignificatiua ipſius. Sic igitur ſacramentum poteſt aliquid dici, vel quia in ſe habet aliquam ſanctitatem occultam (& ſecundum hoc, ſacramentum idem eſt quod ſacrum ſecretum) vel quia habet aliquem ordinem ad hanc ſanctitatem, vel cauſæ vel ſigni, vel ſecundum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de ſacramẽtis, ſecundum quod important habitudinem ſigni: & ſecundum hoc ſacramentum ponitur in genere ſigni.

Ad primum ergo dicendum, quod quia medicina ſe habet vt cauſa effectiua ſanitatis, inde eſt quod omnia denominata â medicina, dicũtur per ordinem ad vnum primum agens: & propter hoc medicamentum importat cauſalitatem quandam. Sed ſanctitas, â qua denominatur ſacramẽtum, nõ ſignificatur per modum cauſę efficientis, ſed magis per modum cauſę formalis, vel finalis: & ideô nõ oportet, quod ſacramentum ſemper importet cauſalitatem.

Ad ſecundum dicendũ, quod ratio illa procedit, ſecundum quod ſacramentum idem eſt quod ſacrum ſecretum. Dicitur autem non ſolũ Dei ſecretum, ſed etiam Regis eſſe ſacrum, & ſacramentum: quia ſecundum antiquos ſancta, vel ſacroſancta dicebantur, quæcumque violari non lice-

licebat: ſicut etiam muri ciuitatis, & perſonæ in dignitatibus conſtitutæ. Et ideo illa ſecreta ſiue diuina, ſiue humana, quę non licet violari, quibuſlibet publicando. dicuntur ſacra, vel ſacramenta.

Ad tertium dicendum, quod etiam iuramentum habet quamdam habitudinem ad res ſacras: in quantũ ſcilicet eſt quædam conteſtatio facta per aliquid ſacrum. Et ſecundum hoc dicitur iuramentum eſſe ſacramentum, non eadem ratione, quã nunc loquimur de ſacramentis: non tamen æquiuocè ſumpto nomine Sacramenti, ſed analogicè, ſcilicet ſecũdum diuerſam habitudinem ad aliquid vnum, quod eſt res ſacra.

CONCLVSIO eſt affirmatiua.

ART. II.

Vtrum omne ſignum rei ſacræ ſit Sacramentum?

Inf. q. 64. a. 2. & 1. 2. q. 101. ar. 4. cor. & q. 102. ar. 5. cor. & 4. d. 1. q. 1. ar. 1. q. 1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod non omne ſignum rei ſacræ ſit ſacramentum. Omnes enim creaturæ ſenſibiles ſunt ſigna rerum ſacrarum, ſecundum illud Roman. primo, Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur. Nec tamen omnes res ſenſibiles poſſunt dici ſacramenta. Non ergo omne ſignum rei ſacræ, eſt ſacramentum.

2 Præterea, Omnia quæ in veteri lege fiebant, Chriſtum figurabant, qui eſt ſanctus ſanctorum: ſecundum illud primæ ad Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis. Et Coloſſ. 2. Quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Nec tamen omnia geſta Patrum veteris Teſtamenti, vel etiam omnes cæremoniæ legis ſunt ſacramenta: ſed quædam ſpecialiter, ſicut in ſecunda parte habitum eſt *. Ergo videtur, quod non omne ſignum rei ſacræ ſit Sacramentum. 1. 2. q. 101. ar. 4.

3 Præterea, Etiam in nouo Teſtamento multa geruntur in ſignum alicuius rei ſacræ, quæ tamen non dicuntur ſacramenta: ſicut aſperſio aquæ benedictæ, conſecratio altaris, & ſimilia. Non ergo omne ſignum rei ſacræ, eſt ſacramentum.

Sed contra eſt, quod definitio conuertitur cum definito. Sed quidam definiunt ſacramentum per hoc quod eſt ſacræ rei ſignum, & hoc etiam videtur ex auctoritate Auguſtini * ſupra inducta. Ergo videtur, quod omne ſignum rei ſacræ, ſit ſacramentum. In art. præc. Sed contra

Reſpondeo dicendum, quod ſigna propriè dantur hominibus, quorum eſt, per nota ad ignota peruenire. Et ideo propriè dicitur ſacramentum, quod eſt ſignum alicuius rei ſacræ ad homines pertinentis: vt ſcilicet propriè dicatur Sacramentum ſecundum quod nunc de ſacramentis loquimur, quod eſt ſignum rei ſacrę, in quantum eſt ſanctificans homines.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturę ſenſibiles ſignificant aliquid ſacrum, ſcilicet ſapientiam & bonitatem diuinam, in quantum ſunt in ſeipſis ſacra: non autem in quantum nos per ea ſanctificamur. Et ideo non poſſunt dici ſacramenta, ſecundum quod nunc loquimur de ſacramentis.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum dicendum, quod quædam ad vetus Teſtamentum pertinentia, ſignificabant ſanctitatem Chriſti, ſecundum quod in ſe ſanctus eſt. Quædam vero ſignificabant ſanctitatem eius, in quantum per ea nos ſanctificamur: ſicut immolatio agni Paſchalis ſignificabat immolationem Chriſti, qua ſanctificati ſumus. Et talia dicuntur propriê veteris legis ſacramenta.

Ad tertium dicendum, quod res denominatur â fine, & complemento: diſpoſitio autem non eſt finis, neque perfectio. Et ideo quæ ſignificant diſpoſitionem ad ſanctitatem, non dicuntur ſacramenta (de quibus procedit obiectio) ſed ſolum ea quæ ſignificant perfectionem ſanctitatis humanæ.

6 CONcluſio eſt; quod ſacramentum eſt ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines.

In his duobus articulis debito ordine doctrinæ incipit Diuus Thomas diffinitionem, & eſſentiam ſacramenti inueſtigaturus ab eius genere, & diferentia, ex quibus vnius cuiuſque rei diffinitio conſtare debet. Conſtituitque ſacramentum in genere ſigni ad placitum, hoc eſt instituti à Deo ad ſignificandum aliud à ſe, quod ſit ignotum. Ad cuius proinde notitiam per ſenſibile ſignum poſsimus, & debeamus peruenire. Et cum ratio ſigni ſit reſpectiua, quæ ſpeciem accipit à termino. Propterea ex parte rei ſignificatæ per ſacramentum ſumit Diuus Thomas eius diferentiam, dicens in ſecundo articulo, illam eſſe rem ſacram non qualemcumque, ſed ſanctificantem homines. Ex qua proinde complet ſacramenti diffinitionem ſub hac forma: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines*, & licet ly *in quantum*, poſsit reduplicare ſupra ipſum ſacramentum, ita vt ſenſus ſit: ſacramentum in quantum ſanctificat hominem, eſt ſignum rei ſacræ: qui ſenſus aliquatenus eſt verus, vt ex dicendis conſtabit: tamen de mente Angelici Doctoris, particula reduplicatiua cadit non ſupra ſacramentum, ſed ſupra rem ſacram, ita vt ſenſus ſit: ſacramentum debet eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis hominem, & quatenus illum ſanctificat, in quo ſenſu dicta diffinitio eſt exacta, & ſufficiens, vtpotè genus, ac diferentiam ſacramenti notificans. Quæ duo proinde, vt ſufficientia huius diffinitionis declaretur, duobus dubijs ſunt à nobis examinanda.

Dubium primum eſt. An Sacramenta nouæ legis per rationem ſigni tanquam per rationem genericam formaliter cōſtituantur?

7 IN Hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima affirmans ſacramenta nouæ legis formaliter conſtitui per rationem cauſæ: eſſeque pariter in genere cauſæ, atque in genere ſigni practici, eſt Magiſtri in 4. d. 1. D. Thomæ ibidem quæſt. 1. artic. 1. & Hugonis Victorini in ſumma ſent. tract. 4. c. 1 & lib. 1. de ſacramentis part. 9. cap. 1. Quā ſuadent dupliciter. *Proponitur opinione gās ſacramenta eſſe in genere ſigni formaliter.*

Primo, quia de ratione ſacramenti nouæ legis eſt, quod conferat, & cauſet gratiam illam, atque ſanctitatem, quam ſignificat vt ſignum practicum, & cauſatiuum illius internæ ſanctificationis, cuius eſt ſignū: neque enim aliter poteſt congruenter diſtingui à ſacramentis veteris legis, & aſsignis pure ſpeculatiuis, quæ ſpeculatiue dūtaxat eandem ſanctitatem ſignificāt: ergo in eis rationem eſſentialem genericā ingreditur cauſalitas, ſeu virtus cauſatiua.

Confirmatur hæc ratio amplius ex diffinitionibus, quæ ſacramentis nouæ legis à Patribus Eccleſiæ, & Theologis aſsignari ſolent. Diffinitio namque aſsignata ab Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 1. & Hugone vbi ſupra ſic habet: *Sacramentū eſt viſibilis forma inuiſibilis gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtiſtens.* Quam etiā tradidit Magiſter in quarto diſtinctione 1. & coincidit cum alia eiuſdem Hugonis in ſecundo loco citato, nimirū lib. 1. de ſacramētis. p. 9. c. 1.

dicentis: *Sacramentum eſt materiale elementum ſenſibile propoſitum ſimilitudine repreſentans, & ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem, & ſpiritualem gratiam.* Cuius diffinitionis omnes particulæ adeo claræ ſunt, vt expoſitione non indigeant: nomine enim elementi nō denotatur aliquod corpus ſimplex, ſed quodcumque corpus ſenſibile, in cuius vſu, vel conſecratione ſacramentum conficitur, quod tanquam materia ſubſternitur verbis, quæ ſunt forma ſacramenti. Et propterea elementum dicitur: *Similitudine repreſentans, & ex inſtitutione ſignificans:* quia eſt ex beneplacito Dei inſtitutum ad ſignificandum, cuius ſignificatio in aliquali ipſius ſacramenti ſimilitudine fundatur: & tandem dicitur: *Continens aliquam inuiſibilē gratiam:* eoquod debet ex intrinſeca ſua ratione aliquam ſanctitatem in virtute continere, & eam conferre, ac cauſare.

Huc pertinet alia diffinitio eiuſdem Auguſtini lib. 10. de ciuitate Dei cap 5. repetita à Bernardo ſermone de cœna Domini, & à Diuo Thoma in hoc articulo, nimirum, *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ:* cui addit Diuus Thomas hanc particulam: *quatenus ſanctificat homines.* Et Suarius eādem ad hanc formam reducendam fore dicit diſp. 1. ſectione 4. *Sacramentum eſt ſacra, ac ſenſibilis cæremonia, homines aliquo modo ſanctificans, & veram animæ ſanctitatem ex inſtitutione ſignificans.* Eoquod hoc ſignum ait ille, tale eſſe debet, vt aliquam homini ſanctificationem conferat: quoniam hoc eſt de ratione ſacramenti nouæ legis. Idque non leuiter inſinuauit Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum, vbi ſupra, dicens, virtutem ſacramentorum inenarrabiliter valere plurimum. Nec multum ab his diffinitionibus differt ea, quę habetur in cathechiſmo Pij Quinti: *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ, viſibile ſignum ad noſtram iuſtificationem inſtitutum*, vtpote qua diffinitur ſacramentum nouæ legis, non ſolum vt ſignum, ſed etiam vt cauſa gratiæ.

Vltima diffinitio eſt, quæ ex Gregorio refertur in cap. *multi*, prima quæſtione prima, & habetur apud Iſidorum lib. 6. ethimolog. cap. 14. & Rabbanum lib. 1. de inſtitutione clericorum cap. 24. nimirum, quod ſacramenta dicuntur, *quia ſub tegumento corporalium rerum diuina virtus ſecretius ſalutem operatur.* Quaſi à ſecreta virtute intus inuiſibiliter operante, ſacramentum dicatur.

Cum ergo in his omnibus diffinitionibus, nedum ſignificatio, ſed etiam virtus cauſatiua gratiæ explicetur tanquam propria, & eſſentialis ſacramentis nouæ legis: conſequens eſt vtramque eſſe de ratione ipſorum.

Nec valet dicere in his locis deſcribi per quandam proprietatem ſibi anexam: nam vnumquodque conſtituitur per id quod in illo precipuè conſideratur: quo pacto nec hominis, nec Leonis conſtitutiuum in paſsionibus conſiſtit, ſed in eſſentia, quæ in illis præcipua eſt, ac prior paſſionibus ad ipſam conſequutis. Sed ex his duabus rationibus, videlicet ſigni, & cauſæ. Hæc eſt principalior quam illa, eoquod hæc eſt realis: illa vero quid rationis: ergo.

Secundo arguitur, nam alias ſacramentum eſſet ſpecies quædam entis rationis: ac proinde verum eſſet de illo affirmare, ens rationis, ſicut de homine affirmatur quod ſit animal: conſequens autem eſt falſum: ergo. Sequela patet, nam ſignum ad placitum conſiſtit in quadam relatione rationis, quæ eſt ſpecies entis rationis: de omni autem ſpecie licet prædicare genus ad ipſam ſuperius: ergo.

Minor vero probatur, tum quia baptiſmus, Confirmatio, & Extremaunctio ſunt quædam actiones reales, de quibus nequit affirmari, quod ſint entia rationis: affirmaretur autem, ſi ſacramentum eſſet, quid rationis, vt per hunc ſilogiſmum in darapti, omnis baptiſmus eſt ablutio, & omnis baptiſmus eſt ens rationis: ergo ablutio eſt ens rationis: ergo cum conſequens ſit falſum: etiam vna præmiſſarum debet eſſe falſa; non maior: ergo minor.

Tum etiam, quia virtus cauſatiua, vt dictum eſt, per ſe conuenit ſacramentis, vel vt eſſentia, vel vt propria paſsio, ſi vt eſſentia, nequit ſacramentum eſſe ens rationis, quia entis rationis eſſentia nequit eſſe entitas realis, qualis eſt virtus cauſandi gratiā: ſi vt propria paſsio, etiā præexigit eſſentiam realem a qua dimanet, quando quidem ab eſſentia entis rationis, non poteſt virtus realis dimanare.

9 Secunda opinio eſt ſectariorum huius temporis aſſerentium ſacramenta, neque per rationem ſigni ad placitum, ne-

que per rationem cauſæ conſtitui; ſed per rationem cæremoniæ, & ritus ad cultum pertinentis, cui addita eſt promiſsio gratiæ. Hanc tuetur Philippus Melanton in apologia confeſsionis Auguſtanæ articulo 13. ſequutus, Lutherum, & Caluinum lib. 4. inſtitutionum cap. 14.

In hanc autem oppinationem induxit eos, quod viderent ex vna parte, non omnia ſigna ſacra ſanctificationem hominis ſignificantia eſſe ſacramenta; neque è conuerſo omnia ſacramenta ſignificare ſanctificationem. Eo quod tranſitus maris rubri ſignificauit ſanctitatem per baptiſmum conferendam: & Mannà ſimiliter ſignificauit gratiam ſanctificantem dandam per Euchariſtiam: vt colligitur ex pri primæ ad Corinthios 10. & Ioannis. 6. Et tandem neutrum illorum fuit ſacramentum in veteri lege.

Deinde ſacrificium in quantum tale, non eſt ſacramentum; teſte Diuuo Thoma prima ſecundæ quæſtione 101. articulo quarto: & tamen ſignificat quid ſacrum ſiue ſanctificationem: propterea enim diffinitur ab Auguſtino lib. 10. de ciuitate cap. 5. ſacrificium viſibile eſſe inuiſibilis ſacrificij ſignum. Vnde de noſtro Miſſæ, & altaris ſacrificio certum eſt repreſentare cruentum Chriſti ſacrificium, dicente Domino: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod etiam de veteribus ſacrificijs docet Diuus Thomas in loco nuper citato. Rurſus eſus agni Paſchalis fuit ſacramentum, & nullam hominis ſanctificationem ſignificabat.

Ex alia verò parte videbant, neque de ratione ſacramenti vt ſic, eſſe virtutem cauſatiuam gratiæ, quia vetera quæ fuerunt verè ſacramenta, neque continebant, neque conferebant gratiã ſanctificantem. Hinc itaque ſibi perſuadebant; neque rationem ſigni, neque rationem cauſæ pertinere ad eſſentiam ſacramenti, niſi tantum rationem cuiuſdam ſacræ ceremoniæ, & ritus in cultum, & obſequium Dei exhibiti, cum adiuncta promiſsione gratiæ conferendæ à Deo ad præſentiam ipſius ſacramenti.

Ex hoc autem principio duo pro hac ſententia à ſuis authoribus elliciuntur fundamenta. Primum eſt, quia ſacramenta nihil aliud ſunt quam quædam cæremoniæ ſacræ, quibus Deum colimus, & fidem proteſtamur: neque in illis ratio ſigni, neque ratio cauſæ inuenitur, non ratio ſigni, quia nullam habent ſimilitudinem cum gratia animæ infuſa: non ratio cauſæ, quia nullum phiſicum influxum habent in gratiam; ſed Deus hanc ad illorum præſentiam infundit: maxime cum gratia hæc non ſit niſi quidam extrinſecus fauor (ait Caluinus) quo Deus hominibus per ſacramenta iuſtificator, fauet ob merita Chriſti: ergo ſolum ſacramenta per rationem ritus, & cæremoniæ conſtituuntur.

Secundum, quia de ratione ſacramenti eſt, quod ſit ſacrificium ad expianda peccata, ſacrificium autem eſt actus religionis, teſte Diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione 81. articul. 4. ad primum, & quæſtione 85. articulo tertio.

Tertia & vera ſententia eſt Diui Thomæ hic articulo primo aſſerentis ſacramenta conſtitui per rationem ſigni ad placitum, tanquam per genus ad ipſa ſuperius eſſentialiter. Cui ſubſcribunt Cano in relectione de ſacramentis; Capreolus in quarto diſtinctione prima quæſtione prima, Soto, Ochamus, Gabriel, Scotus; & Ricardus ibidem quæſtione ſecunda articulo primo, Suarez tomo tertio in tertiam partem à ſectione prima; Cabrera ibidem articulo primo diſputatione prima, & Vazquez diſputatione 228. cap. 4. tom. 3.

10 Pro cuius declaratione dico primo. Sacramentum eſſentialiter, & formaliter conſideratum, non eſt in genere cauſæ. *Sacramenta non eſſe in genere cauſæ ſed ſigni defenditur cũ D. Tho.*

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ. Et probatur primo prænotando, ſacramentum eſſe quodam concretum, ſiue compoſitum artificiale; ex materia, & forma, non ſolum quatenus componitur ex rebus, & verbis, ſed quatenus ex rebus, & verbis ex vna parte, & ſignificatione ex alia fit vnum concretum, ex rebus, & verbis tanquam ex ſubtracto, & ex ſignificatione tanquam ex forma, ad eum modum, quo cathedra ex ligno tanquam ex materia, & ex figura tanquam ex forma componitur: & ſicut cathedra poteſt accipi pro ligno, & ſic accipitur materialiter, & eſt in genere ſubſtantiæ, & poteſt accipi formaliter

pro

pro figurã tali in ligno, & ſic accipitur formaliter, & eſſentialiter, & eſt in genere qualis, ſiue qualitatis: ita ſacramentum verbi gratia baptiſmus poteſt accipi pro materiali, nimirum pro ablutione, & verbis, & ſic accipitur materialiter, & eſt non in genere ſigni, ſed actionis, vel qualitatis. Poteſt etiam accipi pro ſignificatione, qua ipſa ablutio, & verba ſignificant internam animæ ablutionem: & ſic accipitur formaliter, & eſſentialiter, quia forma quæ eſt de ſacramenti eſſentia, eſt ſignificatio.

Hoc ſuppoſito probatur ſic noſtra concluſio, ſacramentum eſſentialiter, & formaliter ſumptum eſt ipſa forma ſacramenti in concreto, quæ vt ſic non eſt ratio cauſæ, nam hæc eſt realis virtus tenens ſe ex parte materialis, & ſubſtracti ratione cuius materiale ſacramenti realiter, & phiſice influit in effectum gratiæ: forma autem ſacramenti eſt ens rationis, vt ſtatim dicemus, neque tenet ſe ex parte ſubſtracti: ergo.

Secundo, nam ratio ſacramenti vniuoce de ſacramentis nouæ ac veteris legis affirmatur tanquam genus de ſuis ſpeciebus: eo quod teſte Diuo Thoma in quarto diſtinctione 1. quæſtione 1. articul. 3. communis ratio omnium ſacramentorum eſt ſignificare inuiſibilem gratiam: ſi autem ſacramenta nouæ legis eſſent in genere cauſæ, non conueniret vniuoce cum ſacramentis veteris, ſed ab illis different genere, ſiquidem illa nullatenus erant in genere cauſæ: non enim cauſabant gratiam quam ſignificabant, ſed Deus ad illorum præſentiam illam infundebat: ergo dicendum eſt neque ſacramenta nouæ legis eſſe in genere cauſæ, formaliter, & eſſentialiter conſiderata.

Neque eſſe formaliter in genere ritus, ſtatuitur contra ſectarios.

11 Dico ſecundo. Neque ſunt in genere ritus, aut cæremoniæ, ſi pro formali conſiderentur.

Hæc ſtatuitur aduerſus ſectarios ſecundæ ſententiæ. Et probatur, nam ſacramenta eatenus ſunt ritus, & cæremoniæ quatenus ſunt actus religionis externi, affectus interni religionis proteſtatiui: ſed hoc habent pro materiali, & non pro formali, verbi gratia Baptiſmus eſt cæremonia religioſa, & ſimiliter confirmatio, in quantum ſunt actiones quædam in diuinum cultum ordinatæ, & internæ fidei ac religionis proteſtatiuæ, ſed ratio actionis, ſiue in eſſe naturæ, ſiue in eſſe moris conuenit eis pro ſubſtracto, & materiali: ergo.

Secundo, ratio eſſentialis ſacramentorum, conuenit eis per ordinem ad id ad quod diffiniuntur: nimirum ad gratiam, in ordine ad quam diffiniuntur: ſed ratio ritus, & cæremoniæ conuenit eis per ordinem ad diuinum cultum Deo impenſum, & per ordinem ad internam fidem, & religionem, quam proteſtantur: ergo alia eſt ratio ſacramenti à ratione ritus, & cæremoniæ. Conſequentia patet, nam in reſpectiuis, vbi eſt diuerſa habitudo obterninorum diuerſitatem, eſt diuerſa ratio conſtitutiua.

Maior vero probatur, nam in diffinitionibus ſacramenti à varijs Authoribus aſsignatis: non explicatur ordo ad cultum, ſed ad gratiam ſanctificantem, quam cauſat, & ſignificat: ſic enim diffinitur à Magiſtro, quod eſt imaginem gerens gratiæ, & cauſa exiſtens: & in Concilio Florentino decreto de vnione, atque in Cathechiſmo Romano in doctrina de ſacramentis, diffinitur ſacramentum eſſe ſignum rei ſactæ, ideſt gratiæ, id ipſum innuit Concilium Tridentinum ſeſ. 7. can. 6. dum ſacramentorum nouæ legis propriam rationem explicans, ait, quod habent cauſare gratiam, quam ſignificanr. Sed eſto ita ſit quod alia ſit in Baptiſmo, in Euchariſtia, & alijs ſacramentis nouæ legis ratio ſacramenti, & ratio ſacrificij. Adhuc tamen reſtat videre per quid ambæ rationes diſcriminentur.

In cuius explicatione triplex eſt modus dicẽdi. Primus eſt Säderi lib. 1. de viſibili Monarchia, aſſerentis nullã verſari, niſi nomine tenus inter ſacramentum nouæ legis, & ſacrificium diſtinctionem.

Secundus eſt Cani relectione de ſacramentis parte prima ad ſecundum, aſſerentis diſtionem in eo conſiſtere, quod habent ſe ſicut ſuperius, & inferius: non enim omne ſacrificium eſt ſacramentum: bene autem omne ſacramentum eſt ſacrificium, nam ſacramentum eſt ſacrificium tale, nimirum illud quod non in Dei cultum tantũ, ſed etiam in expiationem peccati ordinatur, cui fauet Diuus Thomas prima ſecundæ quæſtione 101. articul. 4. ad ſecundum, dicens, ſacrificium, quod eſt in Euchariſtia, quia continet Chriſtum ſanctificationis Authorem, ſimul eſſe ſacramentum.

Tertius

Tertius eſt quem ſequitur Suarez tomo 3. in tertiam partem diſputatione prima ſectione 4. dicēs has duas rationes diſtingui etiam in Euchariſtia per hoc, quod ratio ſacrificij reſpicit cultum Dei, ratio vero ſacramenti reſpicit cultores, & gratiam illos ſanctificantem, quem dicendi modum deſumpſit ex Diuo Thoma prima ſecundæ artic. proximè citato, vbi in corpore articuli dicit ſanctus Doctor, diſtingui ſacrificia à ſacramentis, per hoc, quod illa ad Dei cultum, & diuinam reuerentiam: hæc vero ad ipſos cultores conſecrandos, ſiue ſanctificandos ordinantur.

Vnde hic dicendi modus eſt verus & à nobis tenendus: probaturque primo, quia ſacrificium vt ſic eſt actus religionis, cuius eſt tribuere cultum Deo ob eius reuerentiam: vnde & teſte Diuo Thoma in hac tertia parte quæſt. 82. artic. 4. omne ſacrificium exterius eſt ſignū interioris quo quis ſe ofert Deo: ſacramentum vero eſt ſignum rei ſacræ quæ eſt gratia: ergo diferunt.

Secundo, nam etiam in Euchariſtia ratio ſacrificij eſt ſeparabilis à ratione ſacramenti, vnde in die ſancto Paraſcebes, offertur Miſſæ ſacrificium à Sacerdote conſumente hoſtiam: non autem conficitur Euchariſtiæ ſacramentum. Neque Diuus Thomas aliud voluit in loco prææallegato, quam quod materialiter coinciderent in Euchariſtia ratio ſacrificij, & ratio ſacramenti.

Et tandem quia teſte eodem Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 102. artic. 3. neque omne ſacrificium ex lege veteri erat ſacramētum, ſiquidem ibi ad octauum numerat tria genera ſacrificiorum, nimirum holocaſtum pro diuina excellentia, ſacrificium pro peccato, & hoſtiam pacificam pro gratiarum actione oblatum, quorum nullum eſſe ſacramentum, teſtatur D. Tho. quæſt. 101. artic. 4. ad ſecundum: ſimiliter artic. 5. quæſtionis 102. numerat inter ſacramenta circunciſionem, eſum agni Paſchalis, & panū propoſitionis, quæ formaliter non erant ſacrificia.

13 Dico tertio. Sacramentum formaliter eſt in genere ſigni ad placitum. Hæc ſtatuitur pro Auctoribus tertiæ ſententiæ, tanquam certa certitudine concluſionis Theologicæ, ita vt eius oppoſitum abſque erroris nota, nequeat ſuſtineri.

Et pro prima parte probatur primo, nā in ſacra Scriptura appellatur ſacramentum nominibus pertinentibus ad rationem ſigni. Propterea enim dicitur ſacramentum circunciſionis Geneſ. 17. *Signum fœderis*. Et ad Roman. 4. *Signaculum iuſtitiæ fidei*. Sacramentum quoque altaris Lucæ 22. dicitur memoriale, *Hæc quotieſcumque feceritis, in meā memoriam facietis*: Et primæ ad Corinth. 11. *Quotieſcūque enim manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annunciabitis donec veniat*, quaſi ſit ſignum mortis Chriſti recordatiuum. De baptiſmo etiam dicitur ad Roman. 6. quod eſt ſignum mortis Chriſti: eundem modum loquendi ſeruant concilia, & Patres: in Florentino enim decreto vnionis, decernitur quod ſacramēta nouæ legis ſignificant gratiam, quæ datur per Chriſtum, idem repetitur in Concilio Tridentino ſeſsione 7. cano. 6. & in capit. *Sacrificium*, de conſecratione diſtinctione 2. ſacramentum diffinitur eſſe ſacrū ſignum.

Ex Patribus quoque Auguſtinus epiſtola 23. ad Bonifacium, dicit ſacramentum eſſe imaginem quandam gratiæ, quæ infunditur animæ, vt Euchariſtia eſt imago ſpiritualis cibationis, & baptiſmus in externa ablutione conſiſtens eſt imago ablutionis internæ per gratiam regeneratiuam factæ: imago autem eſt quodam ſignum: Dionyſius lib. de cœleſti Hierarch. cap. 3. vocat ſacramenta ſimbola, ſiue ſigna; eodemque nomine vtuntur Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 10. & Ambroſ. lib. 4. de ſacramentis.

Ex quibus tale deducimus argumentum: cui quadrat nomen propriè vſurpatum, quadrat, & ratio per nomen ſignificata: ſed ſacramentis quadrat nomen ſigni, ex Scripturæ, Conciliorum, & ſanctorum Patrum more loquendi, qui in ſignificatione propria, & non metaphorica debet accipi: ergo quadrat eis ratio ſigni, per tale nomen ſignificata: ac proinde hæc eſt genus ad ſacramenta.

Secundo probatur à ſufficienti partium enumeratione, ſacramentum non eſt in genere cauſæ, neque in genere ſacrificij, aut ritus formaliter: ergo eſt in genere ſigni, quando quidem nullum præter hæc tria, eſt aſsignabile, ſub quo poſsit ſacramētum collocari tanquam ſpecies ſub genere. Quod amplius declaratur. Nam hæc prædicatio eſt formalis ſacramentū eſt ſignū, & nō æqualis de æquali, neq; ſpeciei de indiuiduo, neq; accidētis de ſubiecto: ergo erit

prædica-

Digitized by Google

prædicatio generis de ſpecie, aqua reijciuntur merito iſtæ, ſacramentum eſt cauſa, & ſacramentum eſt ſacrificium, quia non formales, ſed identicæ, & materiales, vel accidentales ſunt dumtaxat.

Deinde ſecunda pars probatur, ſupponendo diſcrimen hoc verſari inter ſignũ ad placitum, & naturale, quod illud habet repreſentare aliud à ſe, non ex natura ſua, ſed ex hominum beneplacito, & inſtitutione, quo pacto voces ſunt ſigna rerum, cum quibus non habebant naturalem proportionem, & conexionem, vt illa ſignificarẽt, ſed ex hominum inſtitutione adaptata ſũt ſingula nomina, ſingulis rebus, iuxta illud Geneſis. 2. *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* In quo denotatur nomina rerum inſtituta fuiſſe ex Adami voluntate, ad eum modum quo valor determinatus monetæ non conuenit æri ex natura ipſius, ſed ex Regis beneplacito, & ſtatuto: a qua ſignificatione propterea poſſunt deponi voces, ex eorũdem hominum beneplacito, ſicut & moneta ſuum valorem amittere ex principis voluntate: hoc verò nimirum naturale ſignum, ex ſua natura habet connexionem, & proportionem cum re quam ſignificat, quo pacto filius eſt naturalis imago parentis, & fumus eſt naturalis effectus ignis, ac proinde naturaliter ſuas cauſas repreſentant, ex quo tale deducimus argumentum. Signum ad placitum eſt illud, quod non ex natura rei, ſed ex humano beneplacito habet ſignificationem, quam etiam amittere poteſt, ſed huiuſmodi eſt ratio ſigni conueniens ſacramentis nouæ legis: ergo.

Minor probatur, nam quod aqua v. g. ſignificet gratiam regeneratiuam, non habet ex natura ſua, ſiquidem de ſe nullam habet cum ſpirituali gratia, res corporea connexionem, aut proportionem, ſed ex inſtitutione Chriſti, qui ſicut potuit inſtituere, quod alia res corporea gratiam baptiſmalẽ conferret, ita voluit per ſolam aquam, huiuſmodi gratiam conferri, & repreſentari, & ſi Chriſtus modo vellet retractare legẽ, qua hoc ordinauit, ablutio amitteret gratiæ baptiſmalis ſignificationem, & cauſalitatem, & nullatenus eſſet ſacramentum, ſicut de facto contigit in circunciſione, quæ durauit in eſſe ſacramenti durante lege veteri, & illa abolita per Chriſti mortem, ceſſauit: ergo.

Dices cum Auguſtino epiſtola citata: res iſtas corporeas, quas Chriſtus aſſumpſit ad materiam ſacramentorum ſuapte natura habere cum gratia proportionem: ac proinde earum ſignificationem eſſe naturalem: nam propterea ablutionem aquæ aſſumpſit pro baptiſmo, & pro Euchariſtia accidentia panis, & vini, magis quam alias materias, quia cum effectu baptiſmi, qui eſt ablutio ſpiritualis, & cum effectu Euchariſtię, qui eſt cibatio animæ, habent proportionem, & ſimilitudinem ſuapte natura aqua, & accidentia alimenti corporei, quã aliæ res non habent.

Sed huic obiectioni ſatisfacit Diuus Thomas in quarto diſtinctione 1. artic. 1. queſtiuncula 5. ad quartum, dicens, quod proportio & ſimilitudo, quã huiusce materiæ ſacramentorum de ſe habent cum illorum effectu ſpirituali, non eſt completa & perfecta, ita vt ratione illius abſque Chriſti inſtitutione poſſent talem effectum ſignificare, ſiquidem ad ſignificandum ſupernaturalem gratiam requiritur ſacra, & ſupernaturalis ſignificatio, quæ rebus corporeis nequit ſuapte natura conuenire, ſed tãtum eſt inchoata, & imperfecta, ſiue fundamentalis: ſicut enim Princeps ſupponit in metallis aliquem naturalem valorem, quibus applicat determinatum ex ſuo ſtatuto valorem vſualem, & iſte in illo fundatur: ita Chriſtus vt res materiales ad affectus gratiæ ſpirituales determinatos inſtitueret, & eleuaret, ſuppoſuit in illis aliqualem, nimirum radicalem & inchoatam proportionem: qualem habent cum gratia baptiſmali aqua, & cum gratia cibante, ſpecies panis, vt in illa ſignificatio cõpleta, & actualis horum effectuum fundaretur.

15 Ad primum fundamentum primæ ſententiæ nego antecedens: ratio enim cauſæ in ſacramentis nouæ legis non ſe habet, vt eſſentiale conſtitutiuum, ſed vt proprietas per quam deſcribi ſolet, & à ſacramentis veteris legis, veluti à poſteriori diſcriminari. Quemadmodum hominem, & leonem per paſsionem riſibilis, & rugibilis, deſcribere, & diſcriminare ſolemus. *Occurritur argumentis aduerſariorum.*

Ad confirmationem reſpondetur, iuxta ſolutionem ibi aſsignatam. Ad cuius improbationem nego minorem: nam licet virtus cauſatiua cum ſit realis, ſit nobilior, & perfectior, quam ſignificatio, quæ eſt relatio rationis, ſi fiat comparatio illarum abſolutè, & in genere entis: tamen ſi comparentur ad rationem ſacramenti, quod eſt ſignum ad placitum, præcipua eſt ſigni-

ficatio,

ficatio quia habet ſe ad illud vt eſſentiale conſtitutiuum: virtus autem cauſatiua, tãtum vt modus accidentalis, quo pacto licet Chriſtus ſecundum ſe ſit nobilior Leone, tamen reſpectu huius nominis *Leo*, nobilior eſt Leo propriè dictus, quam Chriſtus, qui impropriè & per quandam ſimilitudinem dicitur Leo, & in demonſtratione formaliter conſiderata, præcipuum locum habet intẽtio rationis in diſpoſitione logicali conſiſtens, & minus principalem habet virtus realis per quam demonſtratio generat ſcientiam, quia illa vt forma conſtitutiua: & hæc vt modus anexus, ad demonſtrationem comparatur, licet abſolutè hæc illam excedat.

Cum igitur vnumquodque conſtituitur per id quod præcipuum eſt in illo, non abſolutè, ſed in ordine ad eius conſtitutionem: & ſic præcipua ſit ſignificatio in ſacramentis, merito admiſſa maiori, negamus minorem argumenti, vel poteſt diſtingui iuxta aſsignatam diſtinctionem.

Ad primum circa eius maiorem, quamuis omnes Scholaſtici vnanimiter affirmẽt ſacramentum eſſe pro formali ens rationis: in modo vero loquẽdi nimirũ, in explicando, vtrum debeat ſimpliciter, & ſine addito appellari tale? eſt inter ipſos triplex mod⁹ dicendi.

16 Primus eſt Suarez vbi ſupra ſect. 3. aſſerentis ſacramentum, neque eſſe ſimpliciter ens reale, neque ens rationis, ſed quandam denominationem extrinſecã ab actiua Chriſti inſtitutione prouenientem, eoquod putat in huiuſmodi entibus moralibus cuiuſmodi ſunt tituli dignitatum, & officiorum, vt magiſtratus, prætoratus, & magiſterij, non relationem rationis, ſed ſolam extrinſecam denominationẽ ab extrinſeca actione interuenire.

Secundus eſt Scoti vbi ſupra quæſt. 2. §. *De ſecundo*, Soti art. 1. aſſerentium abſolutè eſſe ens rationis, quibus ſubſcribit Vazquez diſp. citata cap. 4. propter argumentum factum.

Sed tertius & verus modus dicendi eſt, quem ſequitur Cabrera Hieronymianus vbi ſupra in ſolutione ad ſecundum, & ad tertium, dicens abſolutè eſſe ens reale. Quod probatur. Tum impugnando duos priores modos dicendi.

Primus enim defficit, quia baptiſmum v. g. eſſe ſacramentum aliquid intrinſecum eſt in illo, licet non ſit intrinſecum à forma reali, ſed à forma rationis, ſicut hominem eſſe ſpeciẽ, & animal eſſe genus, eſt denominatio intrinſeca à forma intrinſece ſuo modo afficiente prouenien*s*, nimirum à relatione rationis: ergo etiam ablutionem eſſe ſignum ſacrum, ſiue ſacramentum, non eſt denominatio purè extrinſeca, ſed potius intrinſeca à forma, videlicet à relatione rationis ſigni, ſuo modo intrinſecè afficiente actionem abluendi, prouenien*s*. Neque valet dicere cum Suarez hanc denominationem fieri non à relatione rationis, ſed ab actione Chriſti practica, qua ablutionẽ ad ſignificandum inſtituit. Nam hæc denominatio fit per opus rationis: etenim à parte rei, & ecluſa operatione intellectus, nequit ablutio denominari ſacramentum: eſt ergo talis denominatio effectus rationis, ex opere intellectus, denominantis reſultans. Deindè quia actio Chriſti non denominãs ſacramentum, niſi quatenus intelligitur communicari ablutioni, & in illa habere aliquod eſſe: nihil ponit in illa reale, ergo tantum ponit aliquod eſſe rationis, quod nullum eſt aliud niſi relatio rationis, qua ſignum refertur ad rem ſignificatam.

17 Secundus vero defficit, quia ex communi regula Dialecticorum, concreta accidentalia ſupponunt pro materiali, & non pro formali, vt albũ, pro corpore, & currens pro animali.

Verior mõdus loquẽdi eſt, quod ſacramentum dicitur ens reale.

Sicut ergo eſt verum dicere quod albũ eſt ſubſtantia, & quod currens eſt animal, quia prædicatum, & ſubiectum ſupponunt pro eodem: ita verum erit dicere abſolutè, quod ſacramentum eſt ens reale, quia licet formale illius ſit ens rationis, materiale tamen pro quo ſupponit eſt ens reale. Tum etiam hoc ipſum conuincit prima probatio minoris, argumenti facti.

Quare iuxta hunc dicendi modum neganda eſt ſequela. Si autem ſermo fiat de ſacramento, non abſolutè pro eo pro quo ſupponit, ſed cum addito, ſumpto pro formali, tunc admittenda eſt ſequela, nimirum quod ſacramentum pro formali eſt ens rationis, ſicut admittimus, quod album pro formali eſt accidens: de quo tamen abſolute ſumpto, non accidens, ſed ſubſtantia verificatur, vt dictum eſt, & neganda eſt minor.

Ad cuius primam probationem reſpondetur, tantum conuincere quod in primo ſenſu ſacramentum ſit ens reale: non vero in ſecundo, nimirum quando accipitur cum hoc addito pro formali.

Ad

Ad ſecundam fateor virtutem cauſatiuam eſſe proprietatem quandam ſacramẽti, non quidem ab eius eſſentia dimanantẽ: hoc enim probat ratio facta ibi eſſe impoſſibile; ſed anexam inſeparabiliter ab extrinſeca Chriſti inſtitutione, qua non ſolũ materiam ſacramentorum in eſſe ſigni ſacri inſtituit, ſed etiam ei virtutem gratiæ cauſatiuam communicauit, & in hoc ſenſu interpretandus eſt Soto quando in loco præallegato aſſerit virtutem cauſandi eſſe propriam paſsionem ſacramentorum nouę legis: non enim de propria paſsione in rigore, quæ ab eſſentia dimanat, ſed tantum de illa quę per annexionem inſeparabiliter eſſentiam committatur, ſermonem facit: hoc autem modo poſſe formam rationis habere anexam proprietatem realem, patet in exemplo allato de demonſtratione: cuius eſſentialis forma, eſt diſpoſitio logicalis, quæ eſt intentio rationis, & modus inſeparabiliter anexus eſt virtus realis generatiua ſcientiæ.

Ad vtrumque fundamentum ſecundæ ſententiæ. Reſpondetur ſolum conuinci ex illo, ſacramenta ſumpta pro materiali, nimirum pro actionibus illis ſacris, quatenus in diuinum cultum, atque ad reuerẽtiam Deo debitam ordinantur, eſſe actus religionis, rituſque ac ceremoniæ ſacræ rationem ſubinduere. Cum quo tamen ſtat, quod ratio formalis ipſorum, ſit relatio ſigni ad placitum, ſicut in vocibus, & orationibus in Dei laudem effuſis patet, quæ vt ad cultum Dei referuntur, ſunt act⁹ religionis: quantum vero ad ſignificationẽ ſunt quid rationis.

Dubitatur ſecundo. In quo cõſiſtat vltima diferentia Sacramenti?

18 EXplicata iam ratione generica ſacramenti, quam conſtituimus in ratione ſigni, conſequenter, & rationem diferentialem in tali ratione ſigni debemus collocare, quia rationẽ diferentialẽ intra latitudinẽ ſui generis contineri neceſſe eſt, ſicut intra latitudinem animalis, continentur rationale, & irrationale, quæ ſunt illius diferentiæ: & cum in reſpectiuis ratio diferentialis ſummatur ex termino extrinſeco ad quem habitudo entis reſpectiui terminatur: terminus autem habitudinis ſigni ſit ſignatum, & in ſignis ſacris, ſit res ſacra quã ſignificant, hinc eſt quod diferentialis ratio ſacramenti, in ordine ſignificationis ad talem rem ſacram conſiſtere debeat. Et hæc eſt communis ſententia omnium Auctorum, quos dubio præcedenti, pro tertia ſententia retulimus: in explicando autem quæ ſit huiuſmodi res ſacra a qua ſpecifica ratio ſacramenti deſumitur: & per quam diffinitur in tres modos dicendi diuiduntur. Alij enim de quorum numero eſt Cano part. 1. de ſacramentis dicunt de ratione ſacramenti, non eſſe ſignificare immediate gratiam ſanctificantem animam: ſed aliquid ſacrum abſtrahens à gratia perfecte ſanctificante, & à ſanctitate legali imperfectè, & ſecundũ quid ſanctificante.

Huius fundamenta ſunt tria. Primo quia de ratione ſacramenti ſolum eſt ſignificare gratiam, ſiue ſanctitatem, quam cauſat, ſed non omnia poſſunt cauſare ſanctitatem perfectam, quæ fit per gratiam, vt patet in ſacramentis veteris legis, quæ ſolam exteriorem munditiem cauſabant: ergo.

Secundo, nam Euchariſtia eſt vere ſacramentum, & tamen non ſignificat immediate gratiam, ſed corpus Chriſti: ergo non eſt de ratione ſacramenti immediate gratiã ſignificare. Minor probatur dupliciter, Tũ quia ſpecies ſacramentales ſignificant immediate quod continent, ſed continẽt Chriſtum per modum cibi: ergo. Tum etiam, quia verba conſecrationis, quæ ſunt forma huius ſacramenti directè terminantur ad ſubſtantiam panis in corpus Chriſti conuertendã, ſignificantq; id ad quod terminãtur: quid enim aliud ſignificat *Hoc eſt corpus meum*, quam corpus ipſum Chriſti ſubſtantiæ panis ſuccedere?

Tertio, nam teſte D. Tho. in hoc artic. 2. ad tertium, ad rationem ſacramenti ſat eſt ſignificare ſanctitatem per modum cauſæ finalis: & non requiritur quod ſignificet ſacramentũ illam vt proximum, & immediatum effectum. Quod in ſolutione ad ſecundum exemplificat in agni Paſchalis immolatione, quæ erat ſacramentum veteris legis, quia immolationẽ Chriſti futuram deſignabat: ergo ad rationem ſacramẽti nõ requiritur quod ſit ſignum gratiæ per quã formaliter ſanctificamur.

Digitized by Google

19 Secundus modus dicendi eſt, quem ſequitur Soto quæſtione citata art. 2. & Suarez vbiſupra, dicens eſſe quidem de ratione Sacramenti ſignificare gratiam; non tamen requiri, quod hæc gratia, ſignificetur,, vt cōferēda in actuali ipſorum vſu: ſed ſatis eſſe, quod ſignificetur vt conferēda tunc in vſu Sacramenti, vel poſtea. Fundamentum eius eſt, quod Sacramenta veteris legis non ſignificabant gratiam vt collatam in actuali eorum vſu: ſed ſolum vt per Chriſti paſsionem conferendam: erantque vere, & vniuoce cum noſtris, ſacramēta: ergo.

Maiorē probat Soto: tum ex teſtimonio allegato Diui Thomæ hic in ſolutione ad ſecundum, & ad tertium: tum etiam ex Concilio Florentino in decreto vnionis aſſerente, ſacramenta veteris legis non cauſare gratiam: ſed ſolum illam per Chriſti paſſionem dandam, figurare.

Diferentialis ratio ſacramēti eſt ſignificatio gratiæ ſanctificantis, vt actu conferendæ.

Sed verus modus dicendi eſt D. Tho. & Caietani hic aſſerentium de ratione Sacramenti eſſe, ſignificare gratiam vt in actu exercito nos ſanctificat. Vnde concluſio ſit, de ratione ſpecifica ſacramenti in tota ſua latitudine, prout abſtrahit à veteris & nouæ legis Sacramentis eſt ſignificare gratiam proxime, & formaliter ſanctificantem, prout in actuali illius vſu conferendam.

Probatur prima pars aduerſus auctores primę ſententiæ, quia Sacramentum eſſentialiter ſumptum, eſt ſignū rei ſacrę ſanctificantis nos: vt diffiniunt Auguſtinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 5. Thomas Valdenſis lib. 2. de ſacramentis cap. 10. Diuus Thomas in hoc art. dum explicat ſacramentis non cuiuſcumque rei ſacræ ſufficere ſignificationem, ſed tantum illius per quam homines ſanctificantur, quæ ſcilicet eſt gratia iuſtificans. Sed ſignum ſpecificatur ex ordine ad immediatum ſignificatum: vt inductione probari poteſt ex imaginibus, & alijs ſignis, quæ à ſuis prototypis, à quibus exemplantur immediatè, & ex nominibus vocalibus, quæ ex immediatis ſignificatis ſpecificantur: ergo immediatum ſignificatum, à quo ſacramentum ſpecificatur, eſt forma ſanctificās, videlicet gratia.

Confirmatur, nam etiam ſunt alia ſigna ſacra, de quorum numero eſt aqua benedicta, imagines Chriſti, & ſanctorum, & figuræ quæ in veteri teſtamento Chriſtum præſignabant: à quibus nequeunt ſacramēta diſtingui, niſi per hoc quod illa minimè directè gratiam ſanctificantem ſignificant: ſed vel auctorem gratiæ, vel diuinum cultum, aut internum affectum: hæc autem non aliud, immediatius ſignificant, quam gratiam iuſtificantem: ergo hoc eſt illorū diſtinctiuum.

Secunda pars probatur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ: nam in actuali vſu quorumcumque ſacramentorum confertur gratia ſanctificans per ſe loquendo, niſi apponatur ex parte ſuſcipientis impedimentum, cum hoc tamē diſcrimine, quod ſacramenta nouæ legis conferūt illam phiſicè, & ex opere operato: quam tamen ſacramenta veteris dumtaxat ex opere operantis conferebant, quatenus Deus ad præſentiam illorum gratiam ſuſcipienti, infundebat: ſed cōmune eſt omnibus ſacramētis ſignificare id, quod in illorum actuali vſu confertur: ergo & ſignificare gratiam in actuali vſu collatam.

Minor probatur, nam de ratione ſacramenti eſt, quod ſit ſignum demonſtratiuum, & practicum: & ratione primi habet ſignificare, non id quod eſt dandum in futuro, ſed id quod actu cōfertur: ratione autem ſecundi habet ordinari ad conferendā gratiā aliquomodo in actuali ſui ſuſceptione: ergo.

20 Ad primum in contrarium pro prima ſententia admiſſa maiore in ſenſu à nobis explicato neganda eſt minor: eo quod ſacramenta veteris legis gratiā ſuo modo dabant, non quidem effectiuè in illam influendo: ſed moraliter diſponendo, nimirum apponendo conditionem ex pacto Dei requiſitam: ad cuius poſitionem Deus ſtatim gratiam conferebat.

Ad ſecundum nego minorem: Euchariſtiæ enim ſacramentum licet immediatè cōtineat Chriſtum, & illum ſignificet, hoc non obſtat, quominus etiam immediatè ſignificet gratiam: quia continet, & ſignificat Chriſtum vt iuſtificantem per gratiā: ex quo ſit vt vtrumque ſignificet immediatè, licet diuerſimode: Chriſtum quidem in recto: gratiam vero in obliquo. Neque licet inferre ex hac ſolutione, quod præcipuè Chriſtum, & minus principaliter gratiam ſignificet: nam ſicut iſte terminus *album* more connotatiuorum duo habet ſignificata, corpus in recto, & albedinem in obliquo: quorum hoc eſt principalius illo, vtpotè cum ſit formale, & illud materiale: ita reſpectu ſacramēti Euchariſtiæ habētis

duo

duo ſignificata, alterum in recto, quod eſt Chriſtus, & alterum in obliquo, quod eſt gratiã, hoc vtpotè de formali importatum, eſt in ratione ſignificati principale, licet in eſſe rei ſit minus principale.

Ex quo patet ad primam probationẽ minoris. Ad ſecundam reſpondetur verba conſecrationis, neque eſſe Sacramentũ Euchariſtiæ, neque formam illius in facto eſſe, ſed tantum in fieri, quia per illa efficitur ſacramentum: ad hoc autem munus formæ in fieri, ſatis eſt quod ſignificent corpus Chriſti, quod eſt aliquid ſacrum per modum ſanctificantis effectiuè: dummodo in facto eſſe, ſignificetur gratia ipſa ſanctificans formaliter.

Ad tertium reſpondetur, quod Diuus Thomas ſolum vult requiri ad ſacramenti rationem, quod ſignificet gratiã prout eſt forma vltimatè ſanctificãs, quatenus diſtinguitur ab imperfecta ſanctitate qualis eſt diſpoſitio ad formam ſanctificantem, licet hæc gratia ſanctificans detur ex meritis Chriſti venturi, & propter ipſum vt futurum.

Quorum primum ſignificant illa verba ſolutionis ad tertium: *Res denominantur à fine, & complemento: diſpoſitio autem non eſt finis*, ideſt non eſt forma vltimata: *& ideo quæ ſignificant diſpoſitionem ad ſanctitatem, non dicuntur ſacramenta.* Cuiuſmodi ſunt aſperſio aquæ benedictæ, ablutio altaris, & aliæ ſimiles ceremoniæ, quibus diſponimur ad ſanctitatem gratiæ habendam.

Secundũ vero ſignificatur in illis verbis ſolutionis ad ſecundum, quæ in veteri teſtamento ſignificabant ſanctitatem Chriſti, ſecundum quod in ſe ſanctus eſt, non erant ſacramenta: *Quæ vero ſignificabant ſanctitatem eius, in quantum per eam nos ſanctificamur, ſicut immolatio agni Paſchalis ſignificabat immolationem Chriſti, qua ſanctificati ſumus, & talia dicuntur propriè veteris legis Sacramenta*: quorum verborum ſenſus eſt, immolationem agni, & ſimilia, eſſe ſacramenta veteris legis, quia ſignificabant Chriſtũ vt ſanctificatorem. & ſimul ſignificabant gratiam ſanctificantem datam per ordinem ad Chriſtum venturum.

21 Ad fundamentum ſecundæ ſentẽtiæ nego maiorem. Ad primam probationem patet ex dictis. Ad ſecundam reſpondetur, Concilium Florentinum non excludere à ſacramẽtis veteris legis ſignificationem gratiæ in actuali vſu collatæ: ſed verũ influxum, & cauſalitatem, vnde ſenſus illius excluſiuæ talis eſt: ſacramenta veteris legis ſolum habent gratiam dandam per Chriſtum figurare, ideſt ſic ſignificabant gratiam datam propter Chriſtum futurum, quod illam non cauſabant, ad diſtinctionem ſacramentorum nouæ legis, quæ ſimul cauſant gratiam, quam ſignificant.

Ex his colligitur, quod legitima diffinitio ſacramenti, eſt aſsignata à Diuo Thoma, nimirum: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos*: quia per illam explicatur ratio generica ſacramenti, videlicet ſignificatio, & ratio diferentialis, quæ in ordine ad gratiam ſanctificantem conſiſtit. Quæ approbatur in Cathechiſmo Romano tractatu de ſacramentis, & in Concilio Tridentino ſeſs. 13. cap. 3. vbi diffinitur ſacramentum eſſe ſimbolum rei ſacræ, & inuiſsibilis gratiæ viſsibilis forma: cũ qua diffinitione coincidit noſtra, ſi per ly *forma* accipiatur ſignum, vel imago, vt reuera accipi debet. *Statuitur legitima diffinitio ſacramẽti.*

Colligitur etiam in ſufficientia diffinitionis à Magiſtro vbi ſupra, ab Hugone Victorino lib. 1. parte 9 cap. 1. & ab alijs aſsignatæ, quia cũ explice virtutem cauſatiuam, quæ nullo modo in ſacramentis veteris legis, & in ſacramentis nouę tantum tanquam accidentalis modus reperitur, neque comprehendit omnia ſacramenta, ac proinde nec conuertitur cum diffinito, neque ſacramentorum nouæ legis eſt quidditatiua diffinitio, ſed tantum deſcriptiua.

22 Colligitur tertio, ſenſus teſtimonij Diui Thomæ in 4. diſt. 2. quæſt. 2 articul. 1. quæſt. 2. aſſerentis, quod in ſacramentis nouæ legis ſignificatio ſe habet ex parte materiæ, & efficacia ex parte formæ, quod non exacte explicat, auctor tabulæ dub. 1094. dicens ſenſum eſſe, quod à materia habẽt ſimpliciter ſignificationem, & ſecundum quid cauſalitatem: vtrumque vero habent à forma ſimpliciter, quia Diuus Thomas ibidem diſt. 3. art. 1. queſtiũcula 1. ad 3. teſtatur vtrumque à forma cõuenire ſacramentis. Sed cum ſignificatio ſit formalis ratio in ſacramentis, non videtur congruum aſſerere, quod ſimpliciter ſacramenta habeant illam à materia.

Quare dicendum eſt, quod Diuus Thomas in primo teſtimonio conſiderat totum ſacramentum in ordine ad motionem cauſatiuam, tanquam materiale, & ſubſtractum, quod illi virtuti ſubſternitur: & ſic ſignificatio eſt ex parte materiæ

cauſa

cauſalitas verò ex parte formæ.

In ſecundo verò, conſiderauit materiam ſacramentorum, prout ſubſternitur ſignificationi vt formæ eſſentiali; & cauſalitati vt formæ accidentali; & ſic vtraque conuenit ſacramentis ex parte formalis: quia ad materiam ſacramenti, tanquã quid formale comparatur.

ART. III.

Vtrùm ſacramentum ſit ſignum vnius rei tantum?

4. d. 1. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4. & art. 3. cor.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod ſacramentum non ſit ſignum niſi vnius rei. Id enim quo multa ſignificatur, eſt ſignum ambiguum, & per conſequens fallendi occaſio: ſicut patet de nominibus æquiuocis. Sed omnis fallacia debet remoueri à Chriſtiana Religione: ſecundum illud Coloſ. 2. Videte, ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam. Ergo videtur, quod ſacramentum non ſit ſignum plurium rerum.

Art. præc. 2 Præterea, ſicut dictum eſt†, ſacramentum ſignificat rem ſacram, in quantum eſt humanæ ſanctificationis cauſa. Sed vna ſola eſt cauſa humanæ ſanctificationis, ſcilicet ſanguis Chriſti, ſecundum illud Hebr. vltim. Iesvs vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populũ, extra portam paſſus eſt. Ergo videtur, quod ſacramentum non ſignificet plura.

3 Præterea: Dictum eſt,* quod Sacramentum proprie ſignificat ipſum finem ſanctificationis. Sed finis ſanctificationis eſt vita æterna: ſecundum illud Roman. 6. Habetis fructum veſtrum in ſanctificatione, finem vero vitam æternam. Ergo videtur, quôd ſacramentum non ſignificet niſi vnam rem, ſcilicet vitam æternam. *Ar. præ. ad 3.*

Sed contra eſt, quod in ſacramento altaris eſt duplex res ſignificata, ſcilicet corpus Chriſti verum, & myſticum, vt* Aug. dicit in lib. ſent. Proſperi. *De conſe. d. 2. ca. hoc eſt quod dicimus.*

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt†) ſacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad ſignificandam noſtram ſanctificationem. *Art. præc.* In qua tria poſſunt conſiderari, videlicet ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſsio Chriſti: & forma noſtræ ſanctificationis, quæ conſiſtit in gratia & virtutibus: & vltimus finis ſanctificationis noſtræ, qui eſt vita æterna. Et hæc omnia per ſacramenta ſignificantur. Vnde ſacramentum eſt, & ſignum rememoratiuum eius quod præceſsit, ſcilicet paſsionis Chriſti; & demonſtratiuum eius quod in nobis efficitur per Chriſti paſsionem, ſcilicet gratiæ; & prognoſticum, id eſt, prænuntiatiuum futuræ gloriæ.

Ad primum ergo dicẽdum, quod tunc eſt ſignum ambiguum, prębens occaſionem fallendi, quando ſignificat multa, quorũ vnum non ordinatur ad aliud. Sed quando ſignificat multa, ſecundũ quod ex eis quodam ordine efficitur vnum, tunc non eſt ſignũ ambiguũ, ſed certũ: ſicut hoc nomẽ homo, ſignificat animã, & corpus, prout ex eis cõſtituitur humana natura. Et hoc modo ſacramentum ſignificat tria prædicta,* ſecundum quod quodam ordine ſunt vnum. *In corp. art.*

Ad ſecundum dicendum, quod ſacramentum in hoc quod ſignificat rem ſanctificantem, opportet quod ſignificet effectum, qui intelligitur in ipſa cauſa ſanctificante, prout eſt ſanctificans.

Ad tertium dicendum, quod ſufficit ad rationem ſacramenti, quod ſignificet perfectionem quæ eſt forma: nec oportet quod ſolum ſignificet perfectionem, quæ eſt finis.

Conclusio eſt: ſacramentum tria ſignificat, eſt enim ſignum rememoratiuum illius quod præceſsit, ideſt paſsionis Chriſti, & demonſtratiuum eius quod in nobis efficitur per Chriſti paſsionem, ſcilicet gratiæ: & prognoſticum, ideſt, prænuntiatiuum futuræ gloriæ.

ART. IIII.

Vtrùm ſacramentum ſit ſemper aliqua rès ſenſibilis?

d. 1. q. 1. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. et a. 3. co. & 4. cō. c. 56 et Ioan. 3. ver. 4.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramentum non ſemper ſit aliqua res ſenſibilis. Quia ſecundum Philoſoph. in lib. Priorum, omnis effectus, ſuæ cauſę ſignum eſt. Sed ſicut ſunt quidam effectus ſenſibiles, ita etiam ſunt quidam effectus demonſtrationis. Ergo non omne ſignum eſt ſenſibile. Sufficit autem ad rationem ſacramenti, quod ſit ſignum alicuius rei ſacrę, in quantum per eam homo ſanctificatur: vt dictū eſt *. Non ergo requiritur ad ſacramentum, quod ſit aliqua res ſenſibilis.

[illegible] q.

2 Pręterea, ſacramenta pertinēt ad cultum vel regnnm Dei. Sed res ſenſibiles non videatur pertinere ad cultum Dei: dicitur enim Ioa. 4. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eū, in Spiritu & veritate oportet adorāre. Et Rom. 14. Non eſt regnum Dei, eſca & potus. Ergo res ſenſibiles non requiruntur ad ſacramentum.

3 Pręterea, Aug. * dicit in lib. de Libero arbitrio, quod res ſenſibiles ſunt minima bona, ſine quibus homo recte viuere poteſt. Sed ſacramēta ſunt de neceſsitate ſalutis humanę (vt infra patebit *) & ita ſine eis homo recte viuere non poteſt. Non ergo res ſenſibiles requiruntur ad ſacramenta.

l. 2. c. 19. tom. 2. — *q. 61.*

Sed contra eſt, quod Aug. * dicit ſuper Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Et loquitur ibi de elemēto ſenſibili, quod eſt aqua. Ergo res ſenſibiles requiruntur ad ſacramenta.

trac. 80. in euā. Ioan. poſt me. t. 9.

Reſpondeo dicendum, quod ſapiētia diuina vnicuique rei prouidet ſecundum ſuum modum: & propter hoc dicitur Sapient. 8. quod ſuauiter diſponit omnia. Vnde, & Matth. 25. dicitur, quod dedit vnicuique ſecundum propriam virtutem. Eſt autem homini connaturale, vt per ſenſibilia perueniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem eſt, per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Vnde cum res ſacræ, quæ per ſacramenta ſignificantur, ſint quædam ſpiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur: conſequens eſt, vt per aliquas res ſenſibiles ſignificatio ſacramenti impleatur: ſicut etiam per ſimilitudinem ſenſibilium rerum in diuina Scriptura res ſpirituales nobis deſcribuntur. Et inde eſt, quod ad ſacramenta requiruntur res ſenſibiles: vt etiam Dionyſ. * probat in 1. capit. cœleſt. hierarch.

ca. 1. inter me. & fin.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quôd vnumquodque præcipuê denominatur, & diffinitur ſecundum id quôd conuenit ei primo & per ſe, non autem ſecundum idquod conuenit ei per aliud. Effectus autem ſenſibilis, per ſe habet, quod ducat in cognitionem alterius, quaſi primo, & per ſe homini innoteſcens: quia omnis noſtra cognitio â ſenſu oritur. Effectus autem intelligibiles nõ habent, quod poſsint ducere in cognitionem alterius, niſi in quantum ſunt per aliud manifeſtati, ideſt, per aliqua ſenſibilia. Et inde eſt, quod primo & principaliter dicuntur ſigna, quæ ſenſibus offeruntur: ſicut Auguſtin. * dicit in 2. de Doctrina Chriſtiana: vbi dicit, quod: ſignũ eſt, quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionẽ venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem ſigni, niſi ſecũdum quod ſunt manifeſtati per aliqua ſigna. Et per hunc etiam modũ, quædam quæ non ſunt ſenſibilia, dicuntur quodammodo ſacramenta, in quantum ſunt ſignificata per aliqua ſẽſibilia, de quibus infra agetur *

Li. 2. de doctr. Chr. cir pr. l. t. 3.

q. 63. a. 1. ad 2.

Ad ſecundum dicendum, quod res ſenſibiles, vt in ſua natura conſiderantur, non pertinent ad cultũ, vel ad regnum Dei: ſed ſolum ſecundũ quod ſunt ſigna ſpiritualium rerum, in quibus regnum Dei conſiſtit.

Ad tertium dicẽdum, quod Auguſt. ibi * loquitur de rebus ſenſibilibus, ſecundum quod ſunt in ſua natura: non autem ſecundum quod aſſumuntur ad ſignificandum ſpiritualia, quæ ſunt maxima bona.

Loc. cit. in ar gu. 3.

COnclusio eſt affirmatiua, nimirũ quod ad ſacramenta requiruntur ex parte materiæ aliquæ res ſenſibiles. In his duobus articulis examina D. Tho. alias duas conditiones circa formam & materiam ſacramentorum: nimirum an ſignificet tria videlicet gratiam, Chriſti paſsionẽ & gloriam, & debeat eſſe ſignum ſenſibile, quæ à nobis ſingulis dubijs ſunt examinandæ.

Dubium primum eſt. An ſit de eſſentia ſacramenti ſignificare gratiam, gloriam & Chriſti paſsionem: hoc eſt an ſignificatio ſacramenti ex propria, & intrinſeca ſui ratione ad hæc tria extendatur?

23 IN hoc dubio omnes Theologi cõueniunt, primo in eoquod de facto ſignificatio ſacramẽtorũ, tam veteris quã nouæ legis extenditur ad hæc tria, nimirùm ad gratiam, gloriam, & Chriſti paſsionem ſignificandam excepto vnico Suario qui in expoſitione litteræ huius articuli 3. ait neque de facto omnia ſacramenta veteris legis ſignificaſſe ſemper aut præſentem gratiam, aut futuram gloriam. Conueniunt ſecundo in hoc quod neque æqualiter, aut ex æquo neque diſtinctè, & expræſe habent omnia ſacramenta, hæc tria ſignificare. Sed in explicando an ſit de intrinſeca ratione omnium ſacramentorum, quod ad hæc tria ſignificanda eorum ſignificatio extendatur in duas ſententias diuiduntur, alij enim negant, de quorum numero ſunt Valent. hic punt. 3. & Suar. in expoſitione litterali ar. 3. & diſp. 1. ſect. 2.

Propoſitio ſtatus quæſtionis, et in quo conueniãt Theologi.

Quorum fundamenta ad hæc tria reduci poſſunt. Primo, quia quod eſt de eſsẽtia ſacramenti, vt ſic in omnibus debet reperiri, etiam poſsibilibus; ſicut quod eſt de eſſentia hominis in omnibus hominibus, tã productis, quã producibilibus inuenitur: ſed hæc extenſio, non ſaluatur in omnibus ſacramentis; ergo non eſt de illorũ intrinſeca ratione. Minor patet, nã ex inſtitutis neque ſacramentum Euchariſtiæ; neque ordinis; neque confirmationis ſacramentum habet ſignificare hæc tria: illud quidem; quia tantum ſignificat corpus Chriſti vt patet ex ipſius formæ verbis. *Hoc eſt corpus meum*; iſta verò non ſignificant gratiam neque gloriam, quod ex ipſorum formis colligitur; formæ enim ſacramenti ordinis tantum ſignificat tradi ordinato poteſtatem offerendi Chriſti corpus pro viuis & defunctis in ſacrificio Miſſæ. Verba autem formæ ſacramenti confirmationis, ſunt: *ſigno te ſigno crucis,*

& confirmo te chriſmate ſalutis, quæ nulla tenus de gratia aut gloria mentione faciunt: ergo. Ex poſsibilibus autem ſi Deus instituerer de nouo aliud ſacramentum, quod tantũ ſignificaret gratiam abſque ordine ad Chriſti paſsionẽ & gloriam; reuera eſſet ſacramentum, cui diffinitio ſuperius aſsignata conueniret, vtpotè quia eſſet ſignum ad placitum rei ſacræ ſanctificantis nos: & tamen non ſignificaret hæc tria: ergo non eſt de intrinſeca ratione ſacramenti vt ſic. Quod ſi dicas huiuſmodi ſacramentum de nouo ſic inſtitutum non fore eiuſdem rationis cum his quæ de facto ſunt inſtituta, ſed diuerſi ordinis ab illis.

Contra hoc eſt ſecundum argumentum. Nam ex nullo capite diuerſificaretur ab illis; non quidem ex parte inſtituentis, vtrobique enim eſt Deus, neque ex parte obiecti ſignificati: quod ſic probatur: ſigni ratio ſolum ex obiecto primario poteſt diuerſificari, vt ſupra oſtendimus; ſed primarium obiectum ſignificationis ſacramẽtorum eſt gratia ſanctificans formaliter nos, vt conſtat ex diffinitione ſacramenti aſsignata; quę ſolum traditur per ordinem ad formam ſanctificantem. Propterea enim diffinitur, quod eſt inuiſibilis gratiæ, viſibilis forma, & ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos: ergo cum huiuſmodi ſacramẽtum de nouo à Deo inſtitutum ad ſignificandum ſolam gratiam conueniret in ſignificato primario cum ſacramentis de facto inſtitutis, proculdubio eſſet eiuſdem ordinis cum illis.

Tertio, arguit Valent. quod ſignificatio paſsionis Chriſti, & gloriæ ſi eſſet eſsẽtialis ſacramentis; vbicũquè reperiretur; conſtitueret rationẽ ſacramẽti, ſed conuenit alijs rebus, quę tamẽ non ſunt ſacramẽta: ergo ſignũ eſt illã nõ eſſe de intrinſeca ratione ſacramẽti. Mai. patet inductione: nã vbicunq; inuenitur rationale cõſtituit hominẽ, & vbicũq; inuenitur diſgregatiuũ viſus conſtituit albedinẽ, quia iſtæ rationes ſunt partes eſſentiæ hominis: & albedinis, quæ ſine tota eſſentia nequeũt reperiri. Min. autẽ probatur, quia manducatio manna ſignificabat gloriã in lege veteri; & trãſitus maris rubri ſignificabat Chriſti paſsionẽ, & tamẽ neutrũ fuit ſacramẽtũ: ergo. Secunda tamen ſententia, quæ affirmat ad intrinſecã ſacramenti rationem pertinere, quod ad hæc tria ſignificãda, eorũ ſignificatio extẽdatur, ſicut diſcipulis D. Th. cõmunior, ita & verior eſt.

Pro cuius declaratione dico primo: de facto omnia ſacramẽta nouę legis ſignificant hæc tria; quæ etiã ſacramẽta veteris legis ſignificarũt. Hæc cõcluſio ab omnibus Scholaſticis admiſſa, probatur primo: nã de aliquibus ſacramentis nouæ legis eſt certũ ſecũdũ fidẽ, quod ſignificẽt Chriſti paſsionẽ: de baptiſmo enim dicitur ad Roman. 6. & ad Epheſ. 5: quod per ipſum cõfiguramur Chriſti paſsioni ac morti: de Euchariſtia verò dicitur Ioan. 6. *Qui mãducat me, viuet propter me*, & 1. ad Corin. 11. *Quoties manducabitis panẽ hũc, mortẽ Dñi annunciabitis donec veniat*, & Lucæ. 22 *Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriã facietis.* Rurſus, quod Euchariſtia ſignificet vitam æternam innuitur Ioan. 6. ſub illis verbis: *Qui manducat hũc panẽ, viuet in æternum*, & proteſtatur Eccleſia in officio ſolẽni corporis Chriſti dũ canit: *O ſacrũ conuiuium in quo Xps ſummitur, recolitur memoria paſsionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*: ſed eadẽ ratio eſt de alijs ſacramẽtis, ſiquidẽ à Chriſto inſtituta ſũt & ab eius paſsione habent virtutẽ, & efficaciã: igitur omnia ſignificant præteritam Chriſti paſsionẽ, & futurã gloriã: & ex alia parte omnibus cõuenit vniuoce ſignificare gratiã, vt conſtat ex aſsignata diffinitione, quæ omnibus cõmunis eſt: ergo omnia ſacramenta nouæ legis ad ſignificandum hæc tria extenduntur.

Deinde id ipſum probatur de ſacramẽtis veteris legis: nã omnia ſignificabãt ſanctitatẽ, ſiue gratiã ſanctificãtẽ: vt ſuperius dictũ eſt: & hanc ſignificabant cũ ordine ad Chriſti paſsionẽ, & gloriã: erant enim vmbræ, & figuræ Chriſti venturi, & ſacramentorũ per ipſum inſtituendorum, & propterea ait Paul. ad Hebr. 1. quod lex illa erat vmbra futurorũ bonorũ; ergo: nam omnia ſacramẽta habent ſignificare gratiã redẽptiuã; eo quod ſint media à Deo ordinata ad hominũ reparationẽ: ſed gratia redẽptiua; dicit ordinem ad redẽptorẽ vt effectus illius; & ad glòriã vt illius ſemen, & pignus: ergo dum ſacramenta ſignificant gratiã: cõſequẽter habent Chriſtũ, & gloriã ſignificare: Chriſtũ quidẽ vt auctorẽ ipſius gratiæ, & causã ipſorũ ſacramẽtorũ: gloriã verò vt finẽ vtriuſq; Sed cũ hoc diſcrimine ſacramenta veteris legis, ac nouæ hęc tria ſignificant, quod illa reſpectu gratiæ erãt ſigna oſtẽſiua; reſpectu verò Chriſti & gloriæ, erãt ſigna prognoſtica: at hęc reſpectu Chriſti, qui iã venit, ſunt commemoratiua, reſpectu gratiæ oſtenſiua, & reſpectu ſoliꝰ glorię ſunt prognoſtica, vt D. Th. in ar. 3. docet.

25 Dic.

25 Dico ſecundo. Vniuoce, & eſſentialiter conuenit omnibus, ſignificare hęc tria; licèt non ex æquo; ſed principalius, gratiam, & minus principaliter Chriſti paſsionem, atque gloriam habent ſignificare. Hæc concluſio ſtatuitur pro ſecunda parte aduerſus auctores primę ſententiæ; & quia habet tres partes: probatur ſigillatim quoad ſingulas.

Quoad primam quidem: quia omnibus ſacramentis dė facto inſtitutis vniuoce conuenit eſſe ſignum gratię redemptiuæ: vt oſtendimus dub. 1. circa articulum primum. Sed eo modo eis conuenit ſignificare Chriſti paſsionem, & gloriam quo ſignificare gratiam redemptiuam; eo quod gratia hæc dicit ordinem ad Chriſti paſsionem, & ad gloriã vt dictũ eſt, & quia vt ſtatim dicemus eadem ſignificatio eſſentialis eſt, qua ſacramenta gratiam; & quà Chriſti paſsionem atque gloriam ſignificant: ergo ſicut prima; ita & ſecunda ſignificatio dicitur de illis vniuoce, cum ſecunda à prima minime diſtinguatur.

Deinde quoad ſecundam partem probatur, quia de eſſentia ſacramentorũ quæ de facto ſunt inſtituta, eſt ſignificare gratiam prout eſt ſanatiua, & medicinalis. ad hunc enim effectum, ſunt à Deo inſtituta, ſed gratia ſanatiua, vt ſic dicit ordinem ad Chriſti paſsionem, & gloriam; vt dictum eſt; ergo etiam ad has extenditur ſignificatio ſacramentorum eſſentialis.

Dices hanc conſequentiam non valere; quia licet gratia ſanatiua in ſe dicat ordinem ad Chriſti paſsionem, vt ad cauſam & ad gloriam, vt ad finem: tamen quia poteſt cognoſci ſine hoc ordine; ita & ſignificari, ſiquidem modus ſignificandi, ſequitur modum concipiendi, potius quam modum eſſendi. Quemadmodum licet homo à parte rei, ſit viſibilis; nihilominus poteſt concipi, & ſignificari ſubſtantia hominis ſine viſibilitate.

Sed contra hoc argumentor ſecundo, nõ ſolum à parte rei; ſed etiã quatenus ſignificatur gratia ſanctificans per ſacramenta, inuoluit ordinem ad Chriſti paſsionem, & gloriam; eodem enim modo quo datur gratia in ſacramentis; voluit Chriſtus illam ſignificari, ſed datur vt medicina, media qua virtus paſsionis Chriſti homines in gloriam perducit: ergo ſignificatur cum hoc ordine per ſacramenta; ita vt quemadmodum non quælibet confeſsio peccatorum, ſit pars ſacramenti pœnitentiæ, ſed confeſsio cum ordine ad contritionem, & ſatisfactionem; ita non quomodolibet gratia eſt ſignificatum ſacramentorum: ſed quatenus dicit ordinem ad Chriſti paſsionem, & gloriam.

Confirmatur: nã diſtinctio eſſentialis, & ſpecifica in ſacramentis ſumitur ex eo, quod pertinet ad eorum eſſentialem ſignificationem; per quam ſicut conſtituuntur; ita & eſſentialiter diſtinguntur: ſed ſacramenta veteris legis à ſacramentis nouæ diſtinguntur eſſentialiter; per hoc, quod illa ſignificabant gratiam conferendam ex meritis Chriſti venturi; hæc ſignificant gratiam conferendam ex meritis Chriſti præſentis: ingreditur ergo Chriſtus vt venturus, vel vt præſens eorum ſignificatum eſſentiale.

Denique quoad tertiam partem probatur concluſio; quia primarium ſignificatum ſacramentorum eſt gratia ſanctificãs; propterea enim in ordine ad illa diffiniuntur, dùm in diffinitione dicitur, quod ſacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma: non autem diffiniuntur expreſſe per ordinem ad paſsionem Chriſti, neque per ordinem ad gloriam: igitur ſignum eſt, quod ſacramentum habet ſignificare hæc tria nõ ex ęquo; ſed ordine quodã: gratiam quidem primario: paſsionẽ verò Chriſti, & gloriam ſecundario.

Confirmatur: nam ſacramenta primario ſignificant id ad quod primario inſtituta ſunt; & reſpectu cuius ſunt ſigna oſtenſiua: cum hic ſit principalior modus ſignificandi: at ſacramenta per ſe primo inſtituta ſunt ad ſignificandum formam ſanctificantem, quæ conſiſtit formaliter in gratia: reſpectu cuius ſolius, ſunt ſigna oſtenſiua: ergo illam ſignificant principalius.

26 Ad primum in contrarium reſpondetur, quod de ratione ſacramenti in tota ſua latitudine, & abſolute non eſt ſignificare hæc tria; ſed tantum de ratione ſacramenti quod de facto fuit à Deo inſtitutum: vnde ſi Deus vellet inſtituere ſacramentum quod non ſignificaret paſsionem Chriſti, eſſet quidem ſacramentum: ſed eſſet alterius rationis à noſtris de facto inſtitutis: ſicut etiam quod eſt de ratione animalis in quantũ bipes non opportet in omni animali reperiri; bene autem quod eſt de ratione animalis abſolute: & ex hoc negãda eſt maior argumenti: ſed quatenus infedit, quod neque omnia ſacramenta de facto inſtituta ſignificent hæc tria.

Reſpondetur ſecundo admiſa maiori, negando min. ad cuius primam probationem dicendum eſt, quod ſacramentum Euchariſtiæ etiam principalius ſignificat gratiam, quia gratia in illo eſt res tantum, corpus autem Chriſti tenet ſe ex parte illius quod eſt res & ſacramentum ſimul: id autẽ quod eſt res tantum in ſacramentis eſt vltimatum, ac proinde principalius ſignificatum: ſimiliter in ſacramento Ordinis, & Confirmationis principalius ſignificatur gratia requiſita ad poteſtatis Ordinis executionem debitam, & robur in confitenda fide præſtandum: huiuſmodiquè gratiam ſignificant illa verba: *Accipe poteſtatem*: & *conſignate*, &c. Non quidem grammaticali, ſed ſacramentali ſignificatione. Ad ſecundam, patet ex dictis non procedere contra nos.

Ad ſecundum, nego antecedens, pro vtraque parte: ſacramentum enim illud; quod à Deo de nouo ad ſignandam ſolam gratiam inſtitueretur: diſcriminaretur à noſtris: tum ex parte diuinæ inſtitutionis, quæ eſſet alia ſecũdum modum, ab ea, qua noſtra de facto inſtituit ſacramenta: tum etiam ex parte gratiæ in eſſe ſignificati, quia in noſtris ſacramentis ſignificatur cũ ordine ad paſsionem Chriſti, & vt ſanatiua: in illo verò, abſque tali ordine, & duntaxat in eſſe gratiæ conſtituentis hominẽ participem diuinæ naturæ, ſignificaretur; quæ diuerſitas licèt nõ quoad ſubſtãtiã, bene tamen, modaliter, & in ratione ſignificati gratiam diuerſificaret.

Ad tertium nego maio. non enim quolibet modo pertinet ad eſſentiam ſacramenti paſsionem Chriſti, & gloriam ſignificare; ſed ſignificare hæc ſimul cum gratia ſanatiua, vnde vbicunquè hic modus ſignificandi reperiatur; vera ſacramenti ratio ſaluabitur: ſecus autem ſi aliter inueniatur: & quia in comeſtione manna, & tranſitu maris rubri; ſignificabatur non gratia, ſed ſola gloria, vel ſola Chriſti paſsio: ideò non habuerunt veram rationem ſacramenti, & ratio huius eſt, quia ſacramẽtũ debet habere ſignificationem, non tantum ſpeculatiuã, ſed practicam, ad ſanctificationem ſuſcipiẽtis ordinatam: tranſitus autem maris rubri & comeſtio manna non ordinabantur ad animarũ ſanctificationem; ac proinde ſicut à practica ſignificatione; ita à vera ratione ſacramenti defecerunt.

Dubium ſecundum eſt. An omne ſacramentum debeat eſſe res ſenſibilis ex parte materiæ?

27 In hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima negat eſſe de ratione ſacramenti eſſe ſenſibile: & ratio dubitandi à parte negatiua ſumitur ex tribus.

Primo, quia ſi Deus inſtitueret aliquod ſacramentum in re ſpirituali, qualis eſt actus intellectus, vel voluntatis, & ordinare: huiuſmodi ſignum ad ſignificandam, & cauſandam gratiam, verum eſſet ſacramentum, eiuſdemquè rationis cum noſtris: ergo non eſt de ratione ſacramenti conſtare ex rebus ſenſibilibus.

Antecedens patet, quia verificaretur de tali ſacramento diffinitio à nobus aſſignata; nimirùm eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos, & cum hæc ſignificatio pẽdeat ex ſola voluntate Dei; poteſt Deus illam cuicunquè creaturæ, ſiue corporali, ſiue ſpirituali communicare: ergo poſſet Deus ordinare rem ſpiritualem ad ſignificandum gratiam eandem quam noſtra ſacramenta ſignificant: ac proindè tale ſacramẽtum eſſet eiuſdem rationis cum noſtris, vtpotè quia eſſet ſignum eiuſdem gratiæ, & eodem modo, ideſt ad placitum ex diuina inſtitutione ſicut noſtra.

Secundo, quia incongruum videtur eſſe, inſtituere ſacramentum in re ſenſibili; ſed quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, teſte Paulo ad Roman, 13. ideſt congruenti ordine inſtituta: ergo dicendum eſt ſacramẽta ex rebus ſenſibilibus compoſita non eſſe à Deo.

Maior patet, quia propoſitio, & ſimilitudo, ſiue conuenientia debet inter cauſam, & effectum, & inter ſignum, & ſignatum reperiri: ſed ſacramenta nouæ legis comparantur ad gratiam ſicut cauſæ ad effectum, & ſicut ſigna ad ſignatum: ergo debent cum illa habere conuenientiam & proportionem: tunc vltra, ſed gratia eſt res ſpiritualis, cũ qua non habẽt conueniẽtiam,

tiam, & proportionem res ſenſibiles, ac materiales: vel ſaltem maiorem cum illa habent proportionem res ſpirituales, quam materiales, & ſenſibiles: ergo in illis, & non in iſtis conueniens fuit inſtitui à Deo ſacramenta.

Tertio: nam ſi ſacramenta ſecundum ſe eſſent ſenſibilia; quoad omnes partes conſtarent ex rebus, ſiue verbis ſenſibilibus: ſed plura ſunt ſacramenta quorum ſpecies non ſint ſenſibiles: ergo. Maior patet, quia quod alicui conuenit ſecundum ſe; ſemper & ſub omni ratione conuenit illi: quo pacto homini conuenit eſſe ſubſtantiam: nulla pars eſt in homine; quæ non ſit de genere ſubſtantiæ. Minor verò probatur: nam ad ſacramentum pœnitentiæ pertinet dolor internus vt pars, qui tamen non eſt res ſenſibilis. Et ad Sacramentum Euchariſtiæ pertinet eſſentialiter corpus Chriſti vt contentum ſub ſpeciebus panis, & vini, quod tamen vt ſic nullatenus ſenſibus percipi poteſt: quia eſt ibi modo quodam ſpirituali: denique ſacramentum matrimonij conficitur ex conſenſibus internis contrahentium; vt habetur in capit. *ſufficit* 27. quæſtione 2. & in cap. *cum locum*, de ſponſalibus: qui tamen conſenſus non ſunt res materiales: ergo. His argumentis fulcitur prima ſententia Ochami, Petri de Aliaco in quarto ſententiarum diſtinctione 1. q. 1. & Gabriel ibid. art. 1. Aſſerentium non eſſe de intrinſeca ratione ſacramenti conſtare ex rebus ſenſibilibus; licet de facto omnia ſacramenta à Deo inſtituta ſint res ſenſibiles.

Secunda huic ediametro oppoſita aſſerit adeo intrinſecum eſſe ſacramenti rationi, eſſe quid ſenſibile; vt nec de potentia abſoluta poſsit Deus inſtituere ſacramentum in re ſpirituali, ita Suarez vbi ſupra ſection. 3. & Cabrera tom. 3. in tertiam partem quæſtion. 60. art. 4.

Quorum fundamentum eſt, quia teſte Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſtiana de intrinſeca ratione ſigni eſt quod ſit ſenſibile: ſed de ratione ſacramenti eſt, quod ſit ſignum; vt dictum eſt: ergo de primo ad vltimum, hoc eſt de ratione ſacramenti.

Tertia, nihilominus ſententia aſſerit de ſacramentis nos poſſe loqui dupliciter: vel ſecundum rationem communem, & analogam ſignificandi gratiam: vel ſecundum rationem vniuocã, & propriam, qua ſacramenta de facto inſtituta à Deo habent ſignificare gratiam ſanctificantem homines modo illis proportionato: & quod primo modo non eſt de ratione ſacramenti eſſe quid ſenſibile: bene autem ſecundo modo. Ita Diu. Thom. hic art. 4. in 4. diſtinct. 1. quæſtion. 1. art. 2. quæſtiũcula 1. cum Magiſtro ibidem, & in 4. contra gent. capit. 56. Caietan. hic; Soto in 4. diſtinction. citata art. 4. Valentia punt. 4. & Vazquez diſputat. 128. cap. 4. Sed pro veritatis declaratione.

28 Dico primo: congruenter Deus de facto inſtituit ſacramenta in rebus ſenſibilibus. Hæc concluſio eſt certa ſecundum fidem, illamque probant multis rationibus, Sayrus lib. 1. capit. 2. art. 7. Alanus Capus, lib. de ſacramentis in genere capit. 42. & Suarez vbi ſupra, quæ tamen ad has duas reducuntur.

Prima, ex communiter accepta diffinitione in c. *ſacrificium*, & cap. *multi* 1. quæſtione 1. vbi diffinitur ſacramentum; quod ſit, *inuiſibilis gratiæ, viſibilis forma*, id eſt, ſenſibilis figura; denominatur enim a principaliori ſenſu, quod eſt viſus, quam approbãt Gregorius Magnus relatus ibidem Auguſtinus quæſt. 33. in Numeros; lib. 19. contra Fauſtum capit. 11. libr. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 99. & tractatu 80, in Ioannem. Chryſoſtomus, homil. 83. ſuper Matthæi. Hugo de ſancto Victore lib. 1. de ſacramentis parte 4. cap. 3. & Conciliũ Florent. tract. de ſacram. Catechiſmus Romanus, & Dionyſius Areopagyta lib. de Eccleſiaſtica Hyerarchia cap. 1. dicens quod patres noſtri viſibilibus ſignis cœleſtia ſacramenta texerunt.

Ex quibus tale deducimus argumentum: in his locis Conciliorum, ac Sanctorum Patrum adductis decernitur ſacramenta eſſe ſenſibilia: ſed conſtat ex Paulo ad Roman. 13. quod ea quæ à Deo ſunt inſtituta, ordinate, & congruenter inſtituuntur: ergo ſecundum fidem tenendum eſt ſacramenta de facto inſtituta à Deo, cõuenienter eſſe ſenſibilia.

Secundo probatur: nam ſacramenta vt dictum eſt, ſunt ſigna ad placitum, pro ſalute hominum inſtituta: ſed ſigna humana ſunt ſenſibilia; vt conſtat ex diffinitione ſigni traddita ab Auguſtino libr. 2. de doctrina Chriſtiana, capit. 1. quæ ſic habet: ſignum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cogni-

tionem venire : ergo. Tertio probatur, ratione non quidem demonſtrante: de his enim quæ à ſola Dei voluntate pendent; nulla ratio demonſtratiua aſſignari poteſt : de horum autem numero eſt, quod Sacramenta ſint inſtituta in rebus ſenſibilibus. Poſſumus tamen congruentias adducere ob quas conueniens fuit Deum potius voluiſſe in rebus corporeis ; quam in alijs Sacramenta inſtituere.

Vndè quia quatuor ſunt huiuſmodi congruentiæ ; ex illis ſumimus rationem pro concluſione; in hunc modum. Conueniens fuit Deum inſtituere Sacramenta in rebus ſenſibilibus ex parte diuinæ prouidentiæ erga homines. Tum etiam ex parte diuinæ omnipotentiæ, tum ex parte diuinæ iuſtitiæ: tum denique ex parte Chriſti, & Eccleſiæ : ergo cùm Deus vellit id quod conueniens eſt, dicendum eſt illum omnia Sacramenta in rebus corporeis inſtituiſſe.

Antecedens probatur, quod fuerit cõueniens ex parte diuinæ prouidẽtiæ: quia cum homines ſuapte natura ex ſenſibilibus manuducantur ad intelligibilium, & ſpiritualium cognitionem ; debuit Deus qui ſuauiter omnia diſponit, vt dicitur Sapientiæ 8. perducere homines ad dona ſpiritualia quibus ſanctificantur per ſacramẽta, quę ſint ſigna ſenſibilia : ex parte verò omnipotentiæ Dei; quia ad illam pertinet ſe manifeſtare conuertendo ea quæ fuerãt homini occaſio peccandi in medicamenta humanæ ſalutis: ex parte etiam iuſtitiæ diuinæ, quia hæc maximè relucet: dum hominem qui ſuperbiendo noluerat ſe Deo ſummo ſpiritui ſubijcere: per ſacramẽta ſe rebus infimis quales ſunt corporea elemẽta, ſubijciat.

Denique ex parte Chriſti, & Eccleſię; quia cum hæc ſit viſibilis, & capite viſibili conſtans; nimirum Chriſto ex diuina & humana natura compoſito, congruebat ei habere viſibiles ceremonias; ac viſibilia medicamenta ad ſuorum fidelium ſanctificationem: ergo.

29 Dico ſecundo : de ratione ſacramẽti intrinſeca eſt, cõſtare ex rebus ſenſibilibus: tantum in ſecundo ſenſu explicato ab auctoribus tertiæ ſententiæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ, & ſecundæ ſententiæ: & probatur: nã de intrinſeca ratione ſacramẽti inſtituti à Deo; eſt quod ſit ſignum humanum, ideſt, proportionatum, & accommodatum naturæ humanæ; illam modo proportionato ducens in cognitionem ſpiritualium, & donis ſpiritualibus ſanctificans: modus autẽ proportionatus hominibus eſt, vt per ſenſibilia ſigna, & media ad ſpiritualia perueniant : ergo ſpirituales res nequeunt eſſe ſigna hominibus proportionata: ac proinde neque ſacramenta humana. Min. probatur, quia quod homines pro hoc ſtatu cognoſcunt, & attingunt, eſt medijs ſenſibus, qui tantum ſunt rerum ſenſibilium perceptiui ; igitur quidquid ſenſus excedit improportionatum eſt hominibus pro hoc ſtatu . Quod autem ſi Deus de potentia abſoluta inſtitueret aliquod Sacramentum in re ſpirituali , eſſet quidem ſacramentum: ſed non eiuſdem generis cum his quæ Deus de facto inſtituit : probatur. Quia illud vere eſſet ſignum gratiæ practicum; in quo ſaluatur eſſentia ſacramenti, non tamen eſſet eiuſdem rationis cum his quæ habemus de facto, quia hæc ſunt ſigna humana, ideſt, hominibus proportionata: illud verò non eſſet ſic proportionatũ hominibus ; neque enim illos modo connaturali ſuę naturæ pro hoc ſtatu duceret in ſpiritualium cognitionem.

Ex quibus patet ad primum argumentum in contrarium.

Ad ſecundum nego maior. ad probationem reſpondetur concedendo primam conſequentiam : & nego antecedens ſubſumptum, nam licet gratia per quam ſanctificamur ſecundum ſe ſit ſpiritualis: & ideò cum illa ſecundum ſe non habeant proportionem ſigna ſenſibilia: tamẽ quatenus habet adiunctum cultum Dei externum, ad quem tanquam ad finem ordinantur ſacramenta; & quantum ad ſubiectum cui communicatur quod eſt homo conſtat ex anima, & corpore, & tandem quantum ad modum quo cõmunicatur, ſcilicet per inſtrumenta ſenſibilia; iam gratia ſit aliquo modo ſenſibilis; non ſecundum ſe; ſed ſecundum ſibi concomitantia: ac proinde ſacramenta debuerunt eſſe ſenſibilia, vt ſic proportionarentur non gratiæ ſecundum ſe: ſed gratiæ quoad concomitantes conditiones; ſcilicet finis qui eſt cultus, ſubiecti, quod eſt homo, & modi illam adquirendi, qui debet homini proportionari.

Ad tertium nego minor. Ad probationem reſpondetur quod omnes partes cuiuslibet ſacramenti debent eſſe aliquo modo ſenſibiles, vel per ſe, vel per aliud.

ſacra-

ſacramentum enim Penitentiæ conſtat ex confeſsione vocali, & abſolutione, quæ per ſe ſunt ſenſibiles: & ex dolore qui eſt ſenſibilis per aliud, quantum per confeſsionem vocalem manifeſtatur: ſimiliter in ſacramento Euchariſtiæ, ſpecies panis, & vini ſunt per ſe ſenſibiles: in quibus ſaluatur id quod eſt ſacramentum tantum, corpus autem Chriſti, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, eſt ſenſibile non per ſe; ſed per aliud nimirum ratione ſpecierum ſub quibus continetur.

Denique ſacramentum matrimonij nõ conſtat ex ſolis conſenſibus internis ſine expreſsione illorum: (neque dictio excluſiua in allegatis iuris textibus, a concomitantibus excludit) ſed ex conſenſibus, vt expreſsis per nutus aut verba: vt ſic autem ſunt verè ſenſibiles.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, quod Auguſt. ibi, tantum diffiniuit ſigna humana; cum quo ſtat dari poſſe aliquod ſignum non humanũ; quod ſpirituale ſit.

ART. V.

Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta?

AD quintũ ſic proceditur. Videtur, quôd non requirantur determinatæ res ad ſacramenta. Res enim ſenſibiles aſſumuntur in ſacramentis ad ſignificandum, vt dictum eſt. † Sed nihil prohibet diuerſis rebus ſenſibilibus idem ſignificari: ſicut in ſacra Scriptura Deus aliquando metaphorice ſignificatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per ſolem, aut aliquid aliud huiuſmodi. Ergo videtur, quôd diuerſæ res poſsint congruere eidem ſacramento. Non ergo determinatæ res in ſacramentis requiruntur.

a. 3. huius q.

2 Præterea, Magis eſt neceſſaria ſalus animæ, quâm ſalus corporis. Sed in medicinis corporalibus, quæ ad ſalutem corporis ordinantur, poteſt vna res pro alia poni in eius defectu. Ergo multò magis in ſacramentis, quæ ſunt medicinæ ſpirituales ad ſalutem animæ ordinatæ, poterit vna res aſſumi pro alia, quando illa defuerit.

3 Prçterea, Non eſt conueniens vt hominis ſalus arctetur per legem diuinam; & præcipuè per legem Chriſti, qui venit omnes ſaluare. Sed in ſtatu legis naturæ non requirebantur in ſacramentis aliquæ res determinatę, ſed ex voto aſſumebantur: vt patet Geneſ. 28. vbi Iacob vouit ſe Deo decimas, & hoſtias pacificas oblaturum. Ergo videtur, quod non debuerit arctari homo, & præcipue in noua lege, ad alicuius rei determinatę vſum in ſacramentis

Sed contra eſt, quod Dominus dicit Ioann. 2. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Reſpondeo dicendum, quod in vſu ſacramentorum duo poſſunt cõſiderari, ſcilicet cultus diuinus, & ſanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per cõparationem ad Deum, ſecundum autem ê conuerſo pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod eſt in poteſtate alterius, ſed ſolum id quod eſt in ſua poteſtate. Quia ergo ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis, non pertinet ad hominem ſuo iudicio aſſumere res, quibus ſanctificetur: ſed hoc debet eſſe ex diuina inſtitutione determinatum. Et ideo in ſacramentis nouæ Legis quibus homines ſanctificantur (ſecundum

Digitized by Google

dum illud 1. ad Corinth. 6. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis) oportet vti rebus ex diuina inſtitutione determinatis.

Ad primum ergo dicēdum, quod etſi idem poteſt per diuerſa ſigna ſignificari: determinare tamen quo ſigno ſit vtendum ad ſignificandum, † pertinet ad ſignificantem. Deus autem eſt qui nobis ſignificat ſpiritualia per res ſenſibiles in ſacramentis, & per verba ſimilitudinaria in Scripturis. Et ideo ſicut iudicio Spiritus ſancti determinatum eſt, quibus ſimilitudinibus in certis Scripturę locis res ſpirituales ſignificentur: ita etiam debet eſſe diuina inſtitutione determinatum, quæ res ad ſignificandum aſſumantur in hoc vel in illo ſacramento.

† al. ſanctificandum.

Ad ſecundum dicendum, quod res ſenſibiles habent naturaliter ſibi inditas virtutes conferentes ad corporalem ſalutem: & ideo nō refert, ſi duæ earum eamdem virtutem habeant, qua quis vtatur. Sed ad ſanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute ſibi naturaliter indita, ſed ſolum ex inſtitutione diuina: & ideo oportuit diuinitus determinari, quibus rebus ſenſibilibus ſit in ſacramentis vtendum.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Auguſtin. * dicit 19. contra Fauſtum, diuerſa ſacramenta diuerſis temporibus congruunt: ſic etiam diuerſis verbis ſignificantur diuerſa tempora, ſcilicet præſens, præteritum, & futurum. Et ideo ſicut in ſtatu Legis naturæ homines nulla Lege exterius data, ſed ſolo interiori inſtinctu mouebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum vterentur. Poſtmodum vero neceſſe fuit etiam exterius legem dari: tum propter obſcurationem legis naturæ, ex peccatis hominum: tum etiā ad expreſsiorē ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur. Et ideo etiam neceſſe fuit res determinari, quibus hōmines vterentur in ſacramentis. Nec propter hoc arctatur via ſalutis: quia res quarum vſus eſt neceſſarius in ſacramentis, vel communiter habentur, vel paruo ſtudio adhibito haberi poſſunt.

* l. 19. c. 16. & 17. to. 6.

ART. VI.

Vtrùm in ſignificatione ſacramentorum requirantur verba?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quòd in ſignificatione ſacramentorum non requirantur verba. Dicit enim Aug. contra Fauſtum * lib. 19. Quid ſunt aliud quæque corporalia ſacramenta, niſi quaſi quædam verba viſibilia? Et ſic videtur, quòd addere verba rebus ſenſibilibus in ſacramentis, ſit addere verba verbis. Sed hoc eſt ſuperfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus ſenſibilibus in ſacramentis.

4. d. 1. q. 1. a. 3. & d. 13 q. 1. a. 2. q. 6. ad 2. & ve. q. 27. art. 4. ad 10.

* l. 19. c. 16. circa me. to. 6.

2 Præterea, ſacramentum eſt aliquid vnum. Ex his autem quę ſunt diuerſorum generum, non videtur poſſe aliquid vnum fieri. Cum igitur res ſenſibiles, & verba ſint diuerſorum generum, (quia res ſenſibiles ſunt à natura, verba autem à ratione) videtur, quod in ſacramentis non requirantur verba cum rebus ſenſibilibus.

3 Paæterea, ſacramenta nouæ Legis ſucceſſerunt ſacramentis veteris

teris Legis; quia illis ablatis illa ſunt inſtituta, vt Auguſt. dicit 19. contra Fauſtum. * Sed in ſacramentis veteris Legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in ſacramentis nouæ Legis.

l. 19. c. 16 & 17. in fi. to. 6.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit Epheſ. 5. Chriſtus dilexit Eccleſiã, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et Auguſtin. dicit ſuper Ioann. * Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.

tra. 80. in Ioan post me. to. 9. a. 2. ad 3.

Reſpondeo dicendum, quod ſacramenta (ſicut dictum eſt *) adhibentur ad hominum ſanctificationem ſicut quædam ſigna. Tripliciter ergo conſiderari poſſunt: & quolibet modo congruit eis, quod verba rebus ſenſibilibus adiungantur. Primo enim poſſunt conſiderari ex parte cauſæ ſanctificantis, quæ eſt Verbum incarnatum, cui ſacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei ſenſibili Verbum adhibetur, ſicut in myſterio Incarnationis carni ſenſibili eſt Verbum Dei vnitum. Secundo poſſunt conſiderari ſacramenta ex parte hominis, qui ſanctificatur, qui componitur ex anima, & corpore, cui proportionatur ſacramentalis medicina, quæ per rem viſibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Vnde Auguſtin. * dicit ſuper illud Ioan. 15. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, &c. Vnde eſt iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? Tertio poſſunt conſiderari ex parte ipſius ſignificationis ſacramentalis. Dicit autem Auguſtin. * in 2. de Doctrina Chriſtiana, quod verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi: quia verba diuerſimode formari poſſunt ad ſignificandos diuerſos conceptus mentis: & propter hoc per verba, magis diſtincte poſſumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem ſignificationis ſacramentalis, neceſſe fuit, vt ſignificatio rerum ſenſibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim ſignificare poteſt, & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem. Sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifeſtatur, quòd aqua vtimur in baptiſmo, ad ſignificandam emundationem ſpiritualem.

tract. 80. in Io. poſt me. to. 9

lib. 2. c. 3. circ. med. to. 3.

Ad primum ergo dicẽdum, quod res viſibiles ſacramentorum dicuntur verba per quamdam ſimilitudinem, in quãtum ſcilicet participant quãdam vim ſignificandi, quæ principaliter eſt in ipſis verbis, vt dictũ eſt. * Et ideò non eſt ſuperflua ingeminatio verborum, cum in ſacramentis, rebus viſibilibus verba adduntur: quia vnum eorum determinatur per aliud, vt dictum eſt. *

in corp. art.

in corp. art.

Ad ſecundum dicendum, quòd quamuis verba, & aliæ res ſenſibiles ſint in diuerſo genere, quantum pertinet ad naturam rei: conueniunt tamen in ratione ſignificandi, quæ perfectius eſt in verbis, quam in alijs rebus. Et ideo ex verbis, & rebus fit quodammodo vnum in ſacramentis, ſicut ex forma, & materia, in quãtum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum, vt dictum eſt. * Sub rebus autem comprehenduntur etiã ipſi actus ſenſibiles: puta ablutio, inunctio, & alia huiuſmodi: quia in his eſt eadem ratio ſignificandi, & in rebus.

a. 3. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut Auguſtinus * dicit libro decimonono, contra Fauſtum) alia debent eſſe ſacramenta rei præſentis, & alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis, prænuntia erant Chri-

li. 19. c. 16. to. 6.

ſti

ſti venturi: & ideo non ita expreſſe ſignificabant Chriſtum, ſicut ſacramenta nouæ legis, quæ ab ipſo Chriſto effluunt, & quamdam ſimilitudinem ipſius in ſe habent; vt dictum eſt.* Vtebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis, in his quæ ad cultum Dei pertinent, tam ſacerdotes qui erant ſacramentorum illorum miniſtri (ſecundum illud Numer. ſexto, Sic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus, &c.) quam etiam illi qui illis ſacramentis vtebantur: ſecundũ illud Deuteron 26. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, &c.

in corp. a.

ART. VII.

Vtrùm requirantur determinata verba in ſacramentis?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinata verba in ſacramentis. Vt enim Philoſophus* dicit, Voces non ſunt eędem apud omnes. Sed ſalus quæ per ſacramenta quęritur, eſt eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in ſacramentis.

1. Peri herm. parũ à prin.

2 Pręterea, Verba requiruntur in ſacramẽtis in quantum ſunt principaliter ſignificatiua; ſicut dictum eſt.* Sed contingit per diuerſa verba idem ſignificari. Ergo non requiruntur determinata verba in ſacramentis.

art. prae.

3 Præterea, Corruptio cuiuslibet rei variat eius ſpeciem. Sed quidam corruptè verba proferunt, nec tamen propter hoc creditur ſacramentorum effectus impediri: alioquin illiterati, & balbi qui iſta ſacramenta conferunt, frequenter defectum in ſacramentis inducerent. Ergo videtur, quod non requirantur in ſacramentis determinata verba.

Sed contra eſt, quod Dominus determinata verba protulit in conſecratione ſacramenti Euchariſtiæ, dicens Matth. 26. Hoc eſt corpus meũ. Similiter etiam mandauit diſcipulis, vt ſub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt*) in ſacramentis verba ſe habent per modum formæ; res autem ſenſibiles per modum materiæ. In omnibus autem compoſitis ex materia, & forma, principium determinationis eſt ex parte formę, quę eſt quodammodo finis, & terminus materiæ: & ideo principalius requiritur ad eſſe rei, determinata forma, quam determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt ſit proportionata determinatę formæ. Cum igitur in ſacramentis requirantur determinatæ res ſenſibiles quę ſe habent in ſacramentis ſicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

art. prae. ad 2.

Ad primum ergo dicendũ, quod ſicut Auguſtin. dicit* ſuper Ioann. Verbum operatur in ſacramentis, non quia dicitur; ideſt, non ſecundũ exteriorem ſonum vocis: ſed quia creditur, ideſt ſecũdum ſenſum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem ſenſus eſt idem apud omnes, licet non eædem voces ſint quantum ad ſonum. Et ideo cuiuſcumque linguæ verbis proferatur talis ſenſus,

tract. 80. à medio. to. 9.

per-

perficitur ſacramentum.

Ad ſecundum dicendum, quod licet in qualibet lingua contingat diuerſis vocibus idem ſignificari, ſemper tamē aliqua illarum vocum eſt, qua principalius, & communius homines illius linguæ vtuntur ad hoc ſignificandum: & talis vox aſſumi debet in ſignificatione ſacramenti. Sicut etiam inter res ſenſibiles illa aſſumitur ad ſignificationem ſacramenti, cuius vſus eſt communior ad actum, per quem ſacramenti effectus ſignificatur: ſicut aqua communius vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam ſpiritualis ablutio ſignificatur; & ideo aqua aſſumitur, vt materia in baptiſmo.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui corrupte profert verba ſacramētalia, ſi hoc ex induſtria facit, non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia: & ita non videtur perfici ſacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapſu linguæ, ſi ſit tanta corruptio, quæ omninó auferat ſenſum locutionis, non videtur perfici ſacramentum. Et hoc præcipuê contingit, quando fit corruptio ex parte principij dictionis; puta, ſi loco eius quod eſt, In nomine patris, dicat, In nomine matris. Si veró non totaliter auferatur ſenſus locutionis per huiuſmodi corruptelam, nihilominus perficitur ſacramentum. Et hoc præcipuê contingit, quando fit corruptio ex parte finis; puta, ſi aliquis dicat, In nomine patrias, & filias. Quamuis enim huiuſmodi verba corrupte prolata, nihil ſignificent ex virtute impoſitionis; accipiuntur tamen vt ſignificantia ex accommodatione vſus. Et ideo licet mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idē ſenſus. Quod autem dictum eſt * de differentia corruptionis circa principium, vel finem dictionis, rationē habet; quia apud nos variatio dictionis ex parte principij, mutat ſignificationem; variatió autem ex parte finis dictionis, vt plurimum non mutat ſignificationem; quæ tamē apud Græcos variatur etiam ſecundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis; quia ex vtraque parte poteſt eſſe tam parua, quod non aufert ſenſum verborum; & tam magna, quod aufert; ſed vnum horum facilius accipit ex parte principij, & aliud ex parte finis.

* In iſta met fol.

ART. VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis, in quibus conſiſtit forma ſacramentorum?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod nihil liceat addere verbis, in quibus cōſiſtit forma ſacramentorum. Non enim minoris ſunt neceſsitatis huiuſmodi verba ſacramentalia, quâm verba ſacræ Scripturæ. Sed verbis ſacræ Scripturæ nihil licet addere vel minuere. Dicitur enim Deuteron. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Et Apoc. vlt. Conteſtor omni audienti verba propheriæ libri huius; ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet ſuper eum Deus plagas ſcriptas in libro iſto; & ſi quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitę. Ergo videtur, quod neque in formis ſacramentorum liceat aliquid addere, vel minuere.

4. d. 3. a. 2. q. 2. 3. & 4.

2 Præ-

2 Præterea, Verba ſe habent in ſacramentis per modum formæ, vt dictum eſt. * Sed in formis quęlibet additio vel ſubtractio variat ſpeciē, ſicut & innumeris, vt dicitur 8. Metaph. * Ergo videtur quôd ſi aliquid addatur, vel ſubtrahatur â forma ſacramenti, non erit idem ſacramentum.

art. præc.

text. 8. tomo 3.

3 Pręterea, Sicut ad formam ſacramenti requiritur determinatus numerus dictionum; ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, & etiam orationis continuitas. Si ergo additio, vel ſubtractio non aufert ſacramenti veritatem, videtur quod pari ratione nec tranſpoſitio verborum, aut etiam interpellatio pronunciationis.

Sed contra eſt, quod in formis ſacramentorum quædam apponuntur â quibuſdam, quæ ab alijs non apponuntur: ſicut Latini baptizant ſub hac forma. Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Græci autem ſub iſta, Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris, &c. Et tamen vtriquê verum conferunt ſacramentum. Ergo in formis ſacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

Reſpondeo dicendum, quod circa omnes iſtas mutationes quæ poſſunt in formis ſacramentorum contingere, duo videntur eſſe conſideranda. Vnum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad ſacramentum, vt infra dicetur. * Et ideô ſi intendat per huiuſmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici ſacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Eccleſia. Aliud autem eſt conſiderandum ex parte ſignificationis verborum. Cum enim verba operentur in ſacramentis, quātum ad ſenſum, quem faciunt (vt ſupra dictū eſt, *) oportet conſiderare vtrum per talē mutationem tollatur debitus ſenſus verborum: quia ſic manifeſtum eſt, quod tollitur veritas ſacramenti. Manifeſtum eſt autem, quod ſi diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum: & ideo non perficitur ſacramentum. Vnde Dydim. * dicit in libro de Spirituſancto. Si quis ita baptizare conetur, vt vnum de * prædictis nominibus prætermittat (ſcilicet Patris, & Filij, & Spiritus ſancti) ſine perfectione baptizabit. Si autem ſubtrahatur aliquid quod non ſit de ſubſtantia formæ; talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborum, & per conſequens nec ſacramenti perfectionem. Sicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt, Hoc eſt enim corpus meum: ly enim, ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum; & ideô non impedit perfectionem ſacramenti: quamuis poſſit contingere, quod ille qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod eſt corruptiuum debiti ſenſus: puta, ſi aliquis dicat, Ego te baptizo, In nomine Patris maioris, & filij minoris, ſicut Ariani baptizabant. Et ideo talis additio tollit veritatem ſacramenti. Si vero ſit talis additio, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur ſacramenti veritas. Nec refert, vtrum talis additio fiat in principio, medio, vel fine: vt ſi aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & filij eius vnigeniti, & Spiritus ſancti paracliti: erit verum baptiſma. Et ſimiliter ſi quis dicat, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & beata virgo te adiuuet: erit verum baptiſma. Forte autem ſi diceret, Ego te baptizo, In

q. 64. a. 8

art. præc. ad 1. & ad 3.

lib. 2. parū lo a princ. habetur hic lib. in fin. operū S. Hier.

** Dydim. habet præceptis.*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & beatæ Virginis Mariæ, non eſſet baptiſmus; quia dicitur 1. ad Corinthios 1. Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Sed hoc verum eſt, ſi ſic intelligatur, in nomine beatæ Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis, quo baptiſmus conſecratur; talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ fidei, & per conſequens tolleret veritatem ſacramenti. Si vero ſic intelligatur quod additur (& in nomine beatæ Virginis) non quaſi nomen beatæ Virginis aliquid operetur in baptiſmo, ſed vt eius intercesſio proſit baptizato ad conſeruandam gratiam baptiſmalem; non tollitur perfectio ſacramenti.

Ad primum ergo dicēdum, quod ad verba ſacræ Scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad ſenſum; ſed quantum ad expoſitionem ſacræ Scripturæ, multa eis verba à doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba ſacræ Scripturæ apponere, itaquod dicantur eſſe de integritare ſacræ Scripturę: quia hoc eſſet vitium falſitatis. Et ſimiliter ſi quis diceret aliquid eſſe de neceſsitate formæ, quod non eſt.

Ad ſecundum dicendum, quod verba pertinent ad formam ſacramenti, ratione ſenſus ſignificati. Et ideo quæcumque fiat additio, vel ſubtractio verborum, quæ non addat aliquid, aut ſubtrahat debito ſenſui; non tollitur ſpecies ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod ſi ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur ſenſus ſacramenti, & per conſequens veritas eius: non autem tollitur, quando eſt parua interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert. Et idem eſt etiam dicēdum de tranſpoſitione verborum; quia ſi tollit ſenſum locutionis, non perſicitur ſacramentum, ſicut pater de negatione prępoſitā, vel poſtpoſita ſigno. Si autem ſit talis tranſpoſitio, quæ ſenſum locutionis non variet, non tollitur veritas ſacramenti; quia ſecundum quod Philoſophus dicit, * nomina, & verba tranſpoſita idem ſignificant. * *li. 2. Perher. c. 1. pi rĕ an. ſim to. 1.*

IN his articulis Angelicus Doctor reſoluit quatuor: nimirum, quod ſacramenta non ſolum ex rebus, verū etiā ex verbis determinatis debent conſtare, & quod huiuſmodi determinatio rerum, & verborum fuerit facta per diuinam voluntatem, & Chriſti inſtitutionem: ac proinde quod a nullo alio inmutari queant. Quæ ſingula ſingulis dubijs examinanda ſunt.

Dubium primum eſt: An ſacramenta nouæ legis conſtent ex rebus determinatis?

30 IN hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima aſſerit non omnia ſacramenta conſtare ex rebus determinatis; ſed aliqua ex ſolis verbis conficit: ita Ferianus, quæſtion. 2. de Baptiſmo, Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. & Argentina ibidem, quæſt. 2. art. 3. Fundamenta huius ſentētiæ ſunt tria.

Primò, quia ſi de intrinſeca ratione Sacramentorum eſſet conſtare ex rebus determinatis; in omnibus eſſet æqualis determinatio, & eiuſdem rationis; ſicut & ratio ſacramenti in omnibus eſt eadem ſecūdum genus: ſed non eſt in omnibus eadē determinatio: ergo. Minor patet, quia in aliquibus eſt determinatio ſecundum ſpeciem athomam, vt in baptiſmo requiritur determinate aqua elementalis: in alijs vero ſufficit determinata materia ſecundum

dum

Digitized by Google

dum genus; vt in ſacramento Pœnitentiæ ad materiam ſufficit dolor internus, ſiue ſit contritio, ſiue attritio: & in Euchariſtia ſpecies panis triticei, ſecundum totam ſuam latitudinem in qua habet multas ſpecies tritici: ergo.

Secundo: nam non omnia ſacramenta, conſtant ex rebus determinatis, aliqua enim ſolis verbis perficiuntur: ergo. Antecedens patet in ſacramento Pœnitentiæ, & matrimonij, quorum illud conſtat ex confeſsione, & abſolutione vocali; quæ in verbis dumtaxat conſiſtunt: iſtud verò ex ſolis conſenſibus expreſsis; quæ non ſenſibiles res; ſed verba ſunt: ergo. Quod ſi dicas, in matrimonio ipſos cōſenſus eſſe res ſenſibiles, prout verbis exprimuntur, contra hoc arguitur.

Tertio: nam licet hoc admittamus: tamen adhuc non ſequitur matrimonium habere materiam determinatam: quia materia illius ſunt perſonæ contrahentes: iſtæ autem non ſunt à Chriſto determinatæ: aliàs Eccleſia illam mutare non poſſet: quam tamen mutauit Concilium Tridentin. Seſsion. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, vbi perſonas quę ante huiuſmodi decretum erant habiles ad verum cōtrahendum matrimonium, inhabiles deinceps fore decreuit: ergo.

31 Secūda nihilominus, & vera ſententia eſt D. Thom. art. 5. aſſerentis omnia ſacramenta, tam veteris, quam nouæ Legis; conſtare ex rebus ſenſibilibus determinatis; eorumque determinationem eis conuenire ex ſola Dei inſtitutione, hanc ſententiam, vt certam ſecundum fidem defendunt Caietan. hic, Valencia, pũto 2. concluſione 4. Cabrera ſuper eodē art. 5. Suarez diſp. 2. ſect. 1. & Vazquez diſp. 129. cap. 1. & quia hæc eſt vera ſententia ſtatuitur à nobis pro tenenda concluſione, & probatur primo. Nam de aliquibus ſacramentis conſtat ex Scriptura, quod habent materiam à Chriſto determinatam, vt Ioann. 3. de baptiſmo dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto.* De Euchariſtiæ etiam materia conſtat eſſe panem, & vinum, iuxta illud Matth. 26. *Accepit Ieſus panem, & gratias agens, &c.* & infra. *non bibam de hoc genimine vitis, &c.* Et de Extremæ vnctionis materia conſtat debere eſſe Oleum, ex illo Iacob 5. *Vngentes eum Oleo in nomine Domini:* in Lege etiam veteri determinata erat à Deo materia ceremoniarum, & ſacramentorum, vt ex lib. Exodi, & Leuitici oſtendit Diu. Thom. 1. 2. quęſt. 102. art. 4. & 5. ſed eadem ratio eſt de alijs, quę de facto Chriſtus inſtituit in rebus determinatis, quarum determinatio, licet non expreſſa ſit in Scriptura, conſtat tamen ex Eccleſiæ traditione: ergo de omnibus tenendum eſt ſecundum fidem, quod conſtant ex rebus determinatis per diuinam inſtitutionem.

Secundo probatur: nam huiuſmodi determinatio congruit perfectioni ipſorum ſacramentorum, & maximè Legis gratiæ Religionis Chriſtianæ, & Eccleſiæ vnitati: ergo Deus qui ea, quæ rebus magis congruunt diſponit; debuit materias omnium ſacramentorum determinare. Antecedens declaratur: nam cum Deus vt auctor naturæ, & gratiæ procedat ab imperfecto ad perfectum, ſicut à lege naturæ omnium imperfectiori incepit, & per legem ſcriptam ad legem gratiæ proceſsit omniũ perfectiſsimam: ita debuit perfectiora ſacramenta in lege ſcripta quā in lege naturę & omnium perfectiſsima in Lege gratiæ inſtituere: ſed in lege naturę ob ſui imperfectionem, & obſcuritatem non erat ſacramentorum materia determinata; ſed vnicuiquè ex voto licebat hoſtiam Deo offerre: vt hic habet D. Tho. in ſolutione ad tertium: in lege autem ſcripta ob ſui maiorem perfectionem, & claritatem iam ſacramentorum materia fuit à Deo determinata: ergo in Lege gratiæ ob ſui maximam perfectionem, & claritatem debuerunt eſſe ſacramenta, quoad materiam maximè determinata, quam determinationem exigit etiam vnitas religionis, & Eccleſiæ; nequit enim hæc ſine determinatis, ac certis ſacrificijs, & ſacramentis recte conſeruari.

Tertiò probatur ratione, qua vtitur D. Th. ad hanc formā redacta: quod eſt in ſolius Dei poteſtate ad ipſum ſolũ determināre pertinet: nullus enim poteſt, quod eſt in alterius, ſed tantum quod eſt in ſua poteſtate determinare: ſed inſtitutio ſacramentorum eſt in ſolius Dei poteſtate: ergo, & à ſolo illo debet eſſe eorum determinatio. Minor probatur, quia ſacramenta ſunt media non ſolum ad diuinum cultum, ſed etiam ad noſtram ſanctificationem ordinata: vt ſupra docuimus; ſed noſtra ſanctificatio in ſolius Dei eſt

poteſta-

poteſtate: ergo, & ſacramentorum determinatio, quæ ad illam ordinantur.

Ad ſecundum in contrarium nego ſequelam: nam ſicut ratio ſacramenti diuerſimodè in ſingulis diuerſitate ſpecifica inuenitur: ita & determinatio diuerſimodè in eis inuenitur: in alijs quidem determinatur materia in ſpecie atoma: in alijs vero ſecundum genus, vt inter arguendum probatur, in omnibus tamen eſt illa determinatio, quæ ſufficit ad ſaluandum vnius cuiuſque ſignificationem, & effectum: eo quod cum vnumquodquè ſacrametum ſit inſtitutum à Deo in ratione ſigni, & inſtrumenti talis gratiæ: etiam debet habere ex vi ſuæ inſtitutionis illam materiam determinatam, quæ ad talem gratiam ſignificandam, & cauſandam ſufficiat.

Ad ſecundum, nego antecedens, ad probationem patet, quod vltra verba in ſacramento Pœnitentiæ datur dolor, & in matrimonio dantur conſenſus interni; qui ſunt res à verbis diſtinctæ.

32 Ad tertium duplex eſt modus dicendi. Primus Durandi in 4. diſt. 1. quæſt. 3. aſſerentis matrimonium non habere proprie rationem ſacramenti nouæ legis, ſed tantum habere rationem contractus naturalis: mouetúrquè tum argumento facto: tum ex præallegato cap. *ſufficit*, 27, quæſt. 2. vbi dicitur matrimoniũ ſolis conſenſibus perfici: quæ dictio excluſiua excludit verba à ratione matrimonij, quæ tamen ſunt de intrinſeca ratione ſacramenti nouæ legis, vt dub. ſequenti oſtendemus.

Secundus & verus eſt, quem contra Durandum defendunt Soto vbiſupra queſtion. 1. art. 4. & Valencia, quæſt. 1. puncto quarto aſſerentes matrimonium eſſe verum nouæ legis ſacramentum conſtans ex rebus determinantis, & verbis ſicut cætera: hocque eſſe adeo certum, vt ſententia Durandi ſit error in fide, oppoſitumque iam eſt diffinitum in Concilio Tridentin. Seſſ. 7. canon. 1. vbi ſub anathemate diffinitur matrimonium eſſe verè vnum de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, neque obſtat huic veritati prædictum capitulum, *ſufficit*, quia dictio excluſiua in illo, non excludit à concomitantibus: ac proinde non excludit verba, vel nutus, quibus exprimuntur interni conſenſus contrahentium matrimonium.

Vnde ad argumentum reſpondetur negando maiorem, materia enim matrimonij non ſunt perſonæ, ſed conſenſus inter legitimas perſonas, & hanc nequè mutauit, neque mutare potuit Concilium: eo quod non poteſt Eccleſia facere, vt conſenſus inter legitimas perſonas non ſit ſufficiens materia matrimonij, potuit tamen perſonas contrahentes clandeſtine, ſcilicèt ſine parrocho, & teſtibus inhabiles, & non legitimas declarare: huiuſmodiquè declarationem continet illud Cocilij Decretum, illeſam ſacramenti matrimonij materiam relinquens.

Secundum Dubium eſt: An omnia ſacramenta nouæ legis conſtent ex verbis determinatis, tanquam ex forma?

IN hoc dubio duo inquirimus; alterum, an omnia ſacramenta nouæ legis, ſicut ex rebus determinatis, ita ex determinatis verbis cõſtent? Alterum verò: an verba determinata ex quibus cõſtant teneant ſe ex parte formæ?

33 Circa primum tres verſantur ſententiæ, duæ extreme oppoſitæ, & alia media. Illarum prima aſſerit ſacramenta nouæ legis ſolis rebus, & non verbis conſtare, ita Lutherus libro de captiuitate Babilonica, capite de baptiſmo. Brentius in cathechiſmo, & Caluinus libro quarto inſtitutionum, capite dezimo quarto, §. tertio, & quarto, & Kenitius in examine Concilij Tridentini, Seſsione 13. capite primo.

Quorum fundamenta ſunt tria; primum eſt, quia ſacramenta veteris legis, vere, & vniuoce erant ſacramenta cum noſtris, & tamen illa determinatis verbis non conſtabant; vt patet in ſacramentis circuncisſionis, & eſus agni Paſchalis, quæ abſ-

què verbis fiebant: ergo dicendum eſt de ſacramentis nouæ legis: ſiquidem eadem eſt de omnibus ratio.

Secundum, quia verba, quæ in Scriptura aſsignantur ad vſum ſacramentorum, non ſunt conſecratoria, & neceſſaria ad conſtitutionem illorum: ſed tãtum ſunt inſtructoria, & neceſſaria dumtaxat, vt rite conficiãtur: ſed non vt ſimpliciter fiant: ac proinde ſine illis ſacramentum factum erit ratum: ergo non conſtat intrinſece ex verbis.

Tertio, quia matrimonium quod eſt verè nouæ legis ſacramentum; non ſemper conſtat ex verbis; aliquando enim fit ſolis nutibus, qui verba non ſunt: vnde, & Concilium Florentinum in decreto vnionis, poſtquam determinauerat ſex alia ſacramenta perfici ex tribus: nimirum ex rebus, ex verbis, & intentione miniſtri: de ſeptimo ſcilicet matrimonio ſubdit hæc verba: *Cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expræſſus*, in quibus ſentit matrimonium non ſemper, ſed regulariter conſtare verbis: tunc ſic arguitur: de eſſentia matrimonij non ſunt verba, ſiquidem ſine illis aliquando poteſt celebrari: ſed ratio ſacramenti vniuoce de illo, & de alijs prædicatur: ergo nequè de aliorum eſſentia ſunt verba: alioquim nequè in ratione ſigni cum illis vniuoce cõueniret; quia deficeret potiſsima ratio ſignificandi, quæ in verbis inuenitur.

34 Secunda ſententia eſt Durandi vbiſupra quæſtione ſecunda aſſerentis ſacramenta nouæ legis ſolis verbis conſtare.

Cuius fundamentum eſt illud, quod dubio præcedenti adduximus: nimirum, quod ſolum matrimonij ſacramentum conficitur ex rebus in lege noua: hoc autem non tam ſacramenti nouæ legis, quam naturalis contractus rationem habet: Cætera autem ex ſolis verbis conſtant: eo quod ſolum conſtant ex ſubiecto ſignificationis; ſubiectum autem ſignificationis ſola verba ſunt: ergo.

Tertia ſententia aſſerit omnia nouæ legis ſacramenta ex rebus, & verbis conſtare determinatis: hæc eſt communiter à Theologis recepta; illamquè docent Diu. Thom. hic articulo ſexto, & in quarto diſtinctione prima, quæſtione prima articulo tertio, & Soto ibidem, articulo ſecundo, Alanus Copus vbiſupra, Bellarminius libro primo de ſacramentis in genere capite decimo octauo, & ſequentibus, Valencia punto ſecundo, concluſione tertia. Cabrera, diſputatione prima, Suarez diſputatione ſecunda, ſectione prima, & Vazquez diſputatione 129. capite primo.

Pro cuius declaratione, dico primo, nullum ſacramentum veteris legis conſtabat intrinſece ex verbis. Hæc concluſio admititur ab omnibus auctoribus preallegatis, excepto Durando; qui putat inter omnia ſacramenta veteris, ſolum ſacrificium zelotypiæ petere neceſſario verba, eo quod Numerorũ 5. præſcribuntur quædam verba maledictionis proferenda à ſacerdote, ad mulierem acuſatam ex zelotypia viri. Sed noſtra concluſio eſt Diu. Thomæ in locis citatis, & probatur, quia quod proprium eſt ſacramentorum nouæ legis; non debet alijs conuenire: ſed proprium illorum eſt conſtare intrinſece ex verbis; & tamquam aliquod ſpeciale affirmat Concilium Florentinum vbiſupra de ſacramentis nouæ legis perfici ex rebus, & verbis: ergo in hoc à ſacramentis veteris legis diſcriminantur; quod hæc licet rebus determinatis non tamen verbis conſtant: illa verò, & rebus, & verbis ſimul perficiuntur.

Confirmatur: nam perfectiſsimus modus ſignificandi perfectiſsimis ſacramentis dumtaxat debet conuenire: ſiquidem ratio ſacramenti, ratio ſigni eſt; vnde quo illa creſcit in gradu dignitatis; eo hæc perfectior debet eſſe: ſed perfectiſsima ſacramenta ſunt legis nouæ: ergo eis debet conuenire perfectiſsimus modus ſignificandi, quod teſte Auguſtino ſecundo de doctrina Chriſtiana, capite tertio eſt in verbis. Minor probatur, quia ſacramenta legis gratiæ ſunt oſtenſiua rei præſentis, ac proinde magis clara, & perfecta, quoad munus ſignificandi: ſacramenta vero legis veteris erant obſcura, implicita, & vmbratica, vtpotè ſub velamento figurarum myſteria futura repreſentantia: ergo illa ſunt iſtis perfectiora: ac proinde illis, & non iſtis conuenit modus ſignificandi explicitus, quem habent verba.

35 Neque oppoſitum colligitur ex his quæ de ſacrificio zelotypiæ dicuntur Numer. quinto, quia illa verba nõ, vt neceſſaria ſimpliciter, ſed vt rite, & melius offerretur hoſtia proferri præcipiebantur: erantque ad ſummum de neceſsitate præcepti, ſed non de neceſsitate ſacramenti, vt explicat Diu. Thom. hic ad tertium, ex Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum, cap. 6.

Dico ſecundo, omnia ſacramenta nouę legis intrinſece conſtant ex verbis determinatis, vel aliquo ſuplente vicem verborum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſectarios primæ ſententiæ tamquam certa ſecundum fidem, & probatur primo: nam pro aliquibus ſacramentis ponũtur determinata verba in Scriptura, vt pro baptiſmo dicitur Matth. vltimo *baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, & ad Epheſios 5. *Mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, &c.* pro Euchariſtia, Matth. 26. ponuntur illa verba dicta à Chriſto: *Hoc eſt corpus meum*, quæ verba pro his ſacramentis, & pro alijs requiri nõ vt inſtructoria, ſed vt conſecratoria conſtat ex Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum traditione: ergo. Minor patet ex Auguſtino tractatu 80. in Ioannem aſſerente: accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, quaſi verbum neceſſium ſit ſimpliciter ad conſtitutionem ſacramenti, & propterea Concilium Florentinum in decreto ſepius allegato determinat ſacramenta nouæ legis tribus perfici: nimirum rebus, verbis, & intentione miniſtri, id ipſum habetur, in cap. *ad abolendam*, de hæreticis, & eadem doctrina diſinitur ſub anathemate in Tridentino Seſſ. 7. canon. 3. & canon. 13. ergo.

Secundo probatur rationibus congruentiæ; quas adducit D. Thom. in art. 6. quæ ſunt tres: prima deſummitur ex parte cauſæ noſtræ ſanctificationis, cui ſacramenta debent conformari: ergo quemadmodum illa eſt Verbum Dei carni ſenſibili vnitum: ita, & in iſtis debet vniri vocale verbum rebus ſenſibilibus. Secunda ſummitur ex parte hominis ſanctificati, qui componitur ex anima, & corpore, & illi debet proportionari ſacramentalis medicina: ac per conſequens debet conſtare ex re ſenſibili tangente corpus, & verbo ab anima credito. Tertia deſummitur ex parte ipſius rationis ſacramentalis, quæ ſicut in ſacramẽtis nouæ legis eſt perfectior: ita petit fieri per verba, quæ teſte Auguſtino vbiſupra habent principatum in genere ſignificandi, ac proinde ſine illis imperfecta, & obſcura eſſet ſignificatio rerum, aqua enim v. g. ſignificare poteſt ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem, ſed ſi determinetur per illa verba, *Ego te baptizo, &c.* manifeſtatur, quod aqua vtimur in baptiſmo ad emundationem ſpiritualem ſignificandam: ergo.

36 Dixi in concluſione, vel aliquo ſuplente vicem verborum; quia in matrimonio cuius forma eſt expreſsio conſenſus à contrahentibus exhibita, ſufficit quod fiat per nutus, qui vicem verborum habent, quando hæc propter aliquod impedimentum proferre non poſſunt, ſicque intelligendum eſſe præallegatum decretum Concilij Florentinij, quo decernit omnia ſacramenta nouę legis perfici rebus, & verbis egregiè docet Soto vbiſupra quæſtione prima articulo ſexto. Quæ explicatio congruentior eſt, quam adducta ab Vazquez vbiſupra aſſerente ſolum ſacramentum matrimonij aliquando nullis verbis conſtare, licet regulariter illis conſtet, cætera autem ſemper expreſsis verbis conſtare, in cuius ſignum (inquit ipſe) poſtquam Eugenius 4. in illo decreto vnionis dixerat de ſex ſacramentis, perfici verbis, & rebus, ſtatim in §. ſequenti de 7. ſcilicet matrimonio, ſic ait: cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus, ac ſi diceret regulariter quidem matrimonium verbis, aliquando tamen ſolis nutibus, ſine verbis conſtare. quod (inquam) ſit minus congrua hęc explicatio, quam adducta à Soto patet ex duobus. Primò, quia aliquod ex ſex ſacramentis: nimirum Euchariſtia in facto eſſe non conſtat ex verbis formaliter, ſed ex ſignificatione, quæ vicem, & virtutem habet verborum, & tamen hoc ſufficit, vt abſolutè dicatur ſemper conſtare verbis: ergo.

Secundò, quia de ſacramento Pœnitentiæ abſolute affirmamus conſtare ex confeſsione vocali, quæ tamen aliquando fit per nutus habentes vicem verborum: ergo idem ſufficiet, vt abſolute verificetur matrimonium ex verbis ſemper conſtare, licet non ſemper, ſed regulariter verba habeat expreſſa, vt notat prædicta Concilij propoſitio.

Ad primum in contrarium, nego conſequentiam: nam ſub vniuoca, & generica ratione ſigni, & ſacramenti, optime poſſunt contineri, quædam ex ſolis rebus, & quædam ex rebus, & verbis adſignandum inſtituta.

Ad ſecundũ nego antecedens, quia oppoſitum conſtat ex Cōciliorũ decretis, & Eccleſiæ ac Sāctorũ Patrũ tradditione.

Ad tertium patet, ex dictis in ſecunda concluſione.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, nego minorem: ſubiectum enim ſignificationis ſacramentalis in omnibus ſacramentis nouæ legis non tantum verba ſunt, ſed res determinatæ per verba.

Dubitatur tertio: An verba habeant rationem formæ eſſentialis, & res ſenſibiles rationem materiæ?

37 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit quod verba, ſiue forma ſacramentorum nouæ legis, non ſunt de eſſentia illorum, ſed tātum de perfectione & complemento, ita Cabrera hic artic. 6. diſp. 2. & Ledeſma in tractatu de matrimonio, q. 44. art. 3. dub. 2. ſequuti Sotum in 4. d. 1. q. 1. art. 1. qui ſuam ſententiam probant tripliciter. Primo, quia propterea Cōcilium Florētinũ in decreto præallegato, dicit quod ſacramēta nouæ legis tribus perficiuntur, ſcilicet rebus, verbis, & intētione miniſtri, ſi autē hęc omnia eſſent partes ingrediētes, diceret quod tribus cōſtāt, & nō quod tribus perficiũtur: ergo ſicut intentio non eſt de eſſentia ſacramenti, ſed tantum requiritur ad eius complementum, ita & verba nō ad eſſentiam, ſed ad complementum pertinent. Secundò, nam D. Th. infra q. 84. art. 1. ad ſecundũ ait; quod miniſter exhibet complementũ ſacramenti Penitentiæ dum penitentem abſoluit: ergo ſentit abſolutionem non eſſe partem eſſentialem, ſed tantum complementum ſacramenti Penitentiæ; de quo, & de alijs, eadem eſt ratio.

Tertio, quia ſacramenta ſunt quædam artificiata moralia, & nō phiſica: ergo nequit forma in illis eſſe de eſſentia. Antecedens eſt notũ, & probatur, cōſeq. dupliciter. Primò, quia in artificiatis tota ſubſtātia eſt materia, & propterea domus ponitur abſolutè in prædicamento ſubſtantię, & non qualitatis, quia eſt artificiatum, cuius materia eſt corpus de prædicamento ſubſtantiæ. Secundò, quia vbi materia, & forma ſunt partes eſſentiales debent vniri coniũcto, & coniungi media aliqua vnione, ſed hanc non habent materia, & forma in ſacramentis: tranſacta enim ablutione aquæ v. g. poſſunt proferri verba à conficiente baptiſmum, & idem cōtingit in alijs ſacramētis, in quibus nō requiritur ſimultas inter materiam, & prolationem verborum, in quibus conſiſtit forma: ergo.

Secunda ſententia eſt Scoti in 4. d. 3. q. 1. & d. 8. q. 1. & d. 14. q. 4. aſſerentis in aliquibus ſacramentis formam non eſſe de eſſentia, & in aliquibus ſolam formā eſſe de eſſentia, in alijs verò tam formam, quā materiam eſſe de eſſentia, cuius fundamentum hoc eſt: quia in Euchariſtia in facto eſſe conſtituitur ex rebus ſine verbis, ac proinde in illo ſola materia eſt tota illius eſſentia, in ſacramento verò Pœnitentiæ ſola forma, ſcilicet abſolutio eſt tota eſſentia, in alijs autem vtraquè pars ingreditur eſſentiam: ergo ita dicendum eſt, quod forma in illis non ſe habet pariformiter.

Tertia ſententia aſſerit res, & verba eſſe partes ſacramentorum eſſentiales, hæc eſt communiter recepta, quā tuentur Suarez art. 8. diſp. 2. ſect. 2. Nuño art. 6. dub. 2. Valencia, punto 2. § *ſed obyciet*, & Vazquez diſp. citata, cap. 2. & 3. ſequuti Caietanũ, hic ar. 6. qui auctores in duos modos dicēdi diuiduntur. Suar. enim, & Vazq. docent formam ipſam eſſentialem ſacramēti eſſe verba, & non ſignificationem, Caietanus vero, & Soto volunt verba non eſſe vltimam formam, ſed ſolam ſignificationem, & quia horum ſententia eſt vera.

38 Pro eius declaratione. Dico primo, forma ſacramentorum nouę legis quęcumquè ſit illa, non tantum eſt conditio, aut complementum, ſed eſt pars eſſentialis: Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, & probatur: nam ad eſſentiā rei artificiatæ, & cōpoſiti accidentalis nō ſolũ pertinet materia, ſed etiā forma; vt inductione probari poteſt in domo, ſtatua, albo, & alijs artificiatis rebus, & cōpoſitis accidētalibus, de quorũ eſſentia eſt forma, ſiue figura: ſed ſacramētũ eſt

arti-

Digitized by Google

artificiatum quodam vt dictum eſt: ergo de eius eſſentia eſt forma.

Dico ſecundo, verba ſunt forma eſſentialis in omnibus ſacramentis nouæ legis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authorem ſecundæ ſententiæ, & probatur: nam omnia ſacramenta nouæ legis, vt dictum eſt. conſtant ex rebus, & verbis determinatis; ſed verba reſpectu rerum habent rationem formæ: ergo omnia eſſentialiter conſtãt ex materia, & forma. Confirmatur: nam propterea de omnibus affirmauit Concilium Florentinum perfici ex rebus, & verbis: ergo omnia componuntur ex rebus, & verbis ad ſenſum ſuperius explicatum, & merito, quia omnia ſunt artificiata, & compoſita accidentalia; igitur cum ad eſſentiam artificiati, & compoſiti accidentalis pertineat vtraquè pars; etiam ad eſſentiam cuiuſcumque ſacramenti pertinet vtraquè pars.

Dico tertio, ſignificatio comparatur ad res, & ad verba, vt vltima forma ad ſuum adæquatum materiale. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primi modi defendendi tertiam ſententiam, & pro authoribus ſecundi, & probatur ex proportione ad compoſita naturalia: nam in his dantur duæ formæ, altera proxima, & partialis; altera vero vltima, & totalis, v.g. in homine forma partialis eſt anima rationalis, totalis vero eſt humanitas, & reſpectu primæ ſubiectum eſt materia prima ſiue corpus, ſed reſpectu ſecundæ ſubiectum eſt corpus ipſum cum anima: ergo cum ſacramenta ſint inſtituta ad imitationem compoſitorum naturalium: etiam in illis duas formas debemus aſsignare, & duo ſubiecta illarum: partialis quidem, & proxima ſunt verba, vltima vero, & totalis eſt ſignificatio: illius ſubiectum ſunt res ſenſibiles; huius vero ſunt res ſimul cum verbis; & ſicut anima quæ reſpectu corporis eſt forma, reſpectu formæ vlterioris, & totalis eſt ſubiectum; ita verba licet reſpectu rerum forma ſint, tamen reſpectu ſignificationis habent rationem ſubiecti, & materialis.

Confirmatur: nã ſacramẽtũ eſſentialiter eſt ſignũ, vt ſupra oſtendimus: ſed forma ſignificationis vt ſic, eſt ſignificatio ſicut forma albi eſt albedo, & forma lucidi, eſt lux: ergo etiam forma ſacramenti præcipua, & vltimata eſt ſignificatio; quia nedum verba, ſed etiam res informantur.

39 Ad primum fundamentum primæ ſententiæ; nego minorem: nam propter duo Concilium Florentinum dixit potius quod ſacramenta tribus perficiuntur, quam tribus componuntur. Tum quia intentio miniſtri, eſt quidem conditio, & veluti aplicatio neceſſario ad perfectionem ſacramenti requiſita; non tamen ingreditur eius eſſentiam; ſicut materia, & forma, quæ dum componunt, perficiunt ſacramentum. Cõprehendit ergo Concilium ſub illo verbo *perficiuntur*, munia materiæ, formæ, & intentionis; quia omnia hæc concurrunt ad perficiendum ſacramentum: quæ tamen non comprehenderet ſub illo verbo *componuntur*; quia non omnibus illis conuenit componere ſacramentum. Tum etiam, quia per hoc intimauit formam ſacramentorum eſſe modalem; ſicut in alijs artificiatis, in quibus tota ſubſtantia eſt materiale, pro quo ſupponũt nomina quibus illa ſignificatur.

Ad ſecundum reſpondetur quod D. Thom. nomine complementi, intellexit complementum eſſentiale ingrediens cõpoſitionem eſſentię ipſius ſacramenti, qualis eſt forma in artificiatis; quæ quia modalis, congruenter nomine complementi ſignificatur.

Ad tertium nego conſequentiam, ad cuius primam probationem reſpondetur in artificiatis dici totam ſubſtantiam eſſe materiam, non quia ſola materia pertineat ad eorum eſſentiam, ſed quia vt dictum eſt ſupponunt pro ſola materia, v. g. nomen domus ſolum ſupponit pro materia, & nomen cathedræ pro ligno; ſicut nomen albi non pro albedine, ſed pro corpore ſuponit connotando albedinem: in quo deceptus eſt Vazquez, cap. 3. allegato dicens ſacramenta ſupponere pro compoſito ex materia, & forma, ſicut ſtatua imago, & omnia artificiata: nam hæc eſt regula dialecticorum, quam tradunt Petrus Hiſpanus, & Soto lib. 1. dialecticę, cap. 7. quod nomina concreta, qualia ſunt ſtatua, imago, ſacramentum, & ſimilia conotant formam, & ſupponunt pro ſubiecto formæ: vnde hæc eſt vera propoſitio, *Baptiſmus eſt ablucio*: & iſta; *ſacramentum Extremæ vnctionis eſt Extrema vnctio*, quæ tamen eſſent falſæ: ſi ſupponerent illa nomina pro compoſitis ipſis ex materia, & forma: nam falſum eſt dicere compoſitum ex ablutione, & verbis eſſe ablutionem, & compoſitum ex vnctione, & verbis eſſe vnctionem: ergo.

Ad ſecundam probationem eſt triplex ſolutio. Prima eſt gloſſæ in cap. *detrahe*, 1. quæſt. 1. aſſerentis requiri quod perficiatur tota forma, ante quam finiatur actio materialis, v. g. vt ſacramentum baptiſmi ſit validum, requiritur quod antequam finiatur ablutio, forma perficiatur: Secunda eſt Scoti in 4. diſt. 6. quæſt. 3. & Caietan. tom. 1. opuſculorum, tract. 26. aſſerentium debere adminus incipi formam ſiue prolationem verborum, ante quam finiatur actio materialis, vt ſacramentum teneat: ſed vera ſolutio eſt, quam ſequuntur Richardus in 4. diſt. 3. art. 4. quæſt. 3. Soto ibidem, art. 8. Suarez, & alij Iuniores Theologi ſupra citati, & cōſiſtit in duobus. Primū eſt, aliquam vnionem, & ſimultatem debere interuenire inter res, & verba ad ſacramentorum conſtitutionem, hoc probatur. quia res, & verba comparantur, vt materia, & forma, quarum illa determinatur per iſtam: nequit autem aliquid determinari, ſiue actuari per aliud, tanquam per formam, niſi aliquo modo vniatur cum illo: ergo aliqua vnio inter res, & verba debet interuenire: & hanc intimauit Auguſtinus ſub nomine acceſſus, tractatu 80. in Ioannem, quando dixit: *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*: ergo.

Secundum eſt, hanc vnionem, & ſimultatem non debere eſſe phyſicam, ſed ſatis eſſe moralem: hoc probatur: nam inter partes entis moralis, & ſucceſiui, & quod cōſiſtit in actuali vſu, non requiritur ſimultas phyſica, ſed ſatis eſt moralis, vel quod moraliter loquendo cenſeantur partes eſſe præſentes quantum ſufficit, vt vna alteram determinet.

Nequè enim aliam petunt maiorem huiuſmodi entia, & humani contractus; ſed ſacramenta ſunt quædam actiones ſucceſsiuæ, conſiſtentes in actuali vſu; atquè quidam diuini contractus: ergo non maiorem, quā moralem exigunt ſuarū partiū ſimultatem. Confirmatur: nam ſimul perfici materiam, & formam in ſacramentis moraliter eſt impoſsibile, nequè magis intereſt, quod aliquanto prius finiatur materia quam forma, aut ècontra: ſed non petunt ſimultatem moraliter impoſsibilem, ſed illam quæ humano modo poteſt eſſe; quæ aliquando eſt cum parua præcedentia formæ, aliquandó ècontra cum parua præcedentia materiæ: ergo hæc ſufficit, & iuxta hanc ſolutionem reſpondetur ad argumentum negando minorem, patet etiam ſolutio ad fundamentum ſecundæ ſententiæ.

Dubitatur quarto: An liceat formas ſacramētorum aliquo modo immutare, aut pro eis æquiualentia verba apponendo, aut ab eis aliquid adimendo, aut eis aliquid addendo?

40 IN hoc dubio tria à nobis examinanda ſunt, ſecundum quod tribus modis poteſt contingere fieri circa ſacramentorum formas mutationem. Nimirum vel illas in æquiualentes permutando, vel per diminutionem, quando ab eis aliquod verbum adimitur, vel per additionem, quando ſcilicet eis aliquod verbum additur vltra illa, quæ conſueta, & recepta ſunt. De ſingulisque ſuo ordine eſt dicendum à nobis.

Circa primum igitur omnes Scholaſtici conueniunt cum Diu. Thom. hic articul. 7. in duobus, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem tum in eo quod determinatio verborū in ſacramentis nouæ legis habita à Chriſto, non eſt in ſono vocum, nequè in gramaticali ſignificatione, ſed in ſignificatione formali, & practica, ſiue ſacramentali: ac proinde in vna quaque lingua debent miniſtri ſacramentorum vti illis vocibus, quibus communiter, & regulariter ſolent homines vti ad ſignificandum, id de quo in ſacramentis agitur.

Tum etiam conueniunt in eo quod ſi miniſtri in vſu ſacramentorum loco verborum magis vſitatorum, apponant alia eiuſdem omnino ſignificationis practicæ, & ſpeculatiuæ, & quæ abſque dubio

ſint

ſint æquiualentia cum illis, nullum eſt periculum non conficiendi ſacramentum, v. g. ſi miniſtrans baptiſmum, pro illo verbo, *baptizo*, vtatur verbo, *abluo*, re vera conficit ſacramentum, quia eſt eiuſdem ſignificationis cum primo, & ſolum mutatio hæc eſt materialis, inuariatam relinquens ſacramentalem ſignificationem: nihilominus tamen non excuſabitur à peccato miniſter, qui recedit in vſu ſacramentorum à verbis in Eccleſia communiter receptis, & vſitatis: quod peccatum eſt ſacrilegium, quia eſt mutatio rei ſacræ, & conſequenter, violatio ſacri, & ex genere ſuo peccatum mortale: de facto tamen tunc erit mortale, quando variatio fuerit materia grauis: quando autem variatio non fuerit notabilis, ſed parua, tunc erit veniale dumtaxat. Hucuſque conueniunt vniuerſi Doctores, & Interpretes D. Thom. cum ſuo Auctore: diſcriminantur autem, quando non eſt certum verbum illud, quod apponit miniſter loco vſitati, eſſe eiuſdem ſignificationis cum vſitato, ſed verſatur in dubio, aut ſub opinione probabili. In quo in tres modos dicendi diuiduntur. Alij enim exiſtimant licitum eſſe miniſtris ſacramentorum in vſu illorum vti forma probabili, vel quæ ſecundum probabilem ſententiam ſit æquiualens cum forma certa, & communi.

41 Quod probant tripliciter, primo: nam abſolute licitũ eſt ſequi opinionem probabilem, vt tenet vulgus interpretum D. Thom. 1. 2. ſuper quęſtion. 18. ſed probabiliter exiſtimatur, quod hæc ſit ſufficiens forma baptiſmi, v. g. *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque*: ergo poterit vti miniſter baptiſmi hac forma: ſiquidem vtendo illa, ſequitur opinionem probabilem.

Secundo probatur; nam licitum eſt aliquando in ſacramentorum formis vti opinione probabili; ergo licite poterit apponere formam probabiliter ſufficiẽtem. Antecedens patet in tribus caſibus. Primus eſt, quando miniſter non ſcit aliam formam: ſed illam quæ probabiliter eſt ſufficiens. Secundus eſt, quando quis virtute alicuius priuilegij abſoluit pœnitentem, innixus dumtaxat opinioni, quæ probabiliter docet, virtute talis priuilegij poſſe pęnitentem abſolui à reſeruatis.

Tertius eſt quando vtendo tali forma ſequitur opinionem probabiliorem, relicta minus probabili: in his caſibus licite miniſter ſacramenti vtitur forma probabili: ergo.

Tertio ab inconuenienti: nam alias, neque eſſet licitum apponere materiã probabilem: quod tamen eſt falſum: ergo Minor patet, nam poteſt pœnitens cum ſola attritione, quæ eſt materia probabilis, accedere ad ſacramentum pœnitentiæ: cuius materia certa, eſt contritio: ſequela verò probatur nam tota ratio, ob quam nequit exhiberi forma probabilis, eſt quod ſe exponat miniſter periculo nõ conficiendi verum ſacramentum: ſed etiam ſe exponit eidem periculo, cum materia probabil, & hoc non obſtante vſus iſtius materiæ eſt licitus: ergo.

42 Alij verò, de quorum numero ſunt Scot. in 4. diſtinct. 3. quæſt. 2. art. 3. docent abſolute nunquam eſſe licitum ſequi in materijs, aut formis ſacramentorum opinionem probabilem.

Quorum fundamẽtum eſt; quia quod eſt intrinſece malum, ſemper eſt malum, nullaque neceſsitate excuſari poteſt: ſed vti materia, aut forma probabili eſt intrinſece malum, & ſacrilegium, eoquod ſacrilegium eſt recedere à Chriſti certa institutione, & exponere ſe periculo non conficiendi verum ſacramentum: ergo nunquam licet.

Sed tertius & verus modus dicendi, qui à nobis ſtatuitur pro prima concluſione aſſerit duo. Primum eſt, peccatum eſſe mortale vti forma probabili, abſque vrgenti neceſsitate, aut euidenti vtilitate.

Secundum eſt, quando adeſt, aut vrgens neceſsitas, aut euidens vtilitas nullum eſſe peccatum. Hæc concluſsio eſt Medinæ 1. 2. quæſt. 19. articul. 6. Suarez hic, quæſtione 65. articulo 4. ſect. 2.

Et probatur prima pars, aduerſus Auctores primæ ſententiæ. Nam qui ſine neceſsitate, aut maxima vtilitate vtitur forma probabili, relinquendo certam, exponit ſe periculo non conficiendi ſacramentum, & aliàs recedit à communi vſu Eccleſiæ in materia graui: ſed ex vtroque capite peccat mortaliter: ergo. Maior patet, quia ea parte qua forma tantũ eſt probabilis, poteſt non eſſe vera, & ſufficiens forma, cum opinioni poſsit falſum ſubeſſe: ac proinde, qui vtitur illa, exponit ſe periculo non apponẽdi verã formã, & conſequẽter nõ cõficiẽdi verũ ſacramẽtũ, ea vero parte qua relinquit certã quæ cõmuniter

eſt in Eccleſia recepta: recedit à communi vſu Eccleſię in materia graui, qualis eſt exhibitio formæ in ſacramentis: ergo. Minor vero probatur, quia exponere ſe periculo non conficiendi ſacramentum, fit cum iniuria ipſius ſacramenti, ac proinde eſt ſacrilegium. Rurſus communis vſus Eccleſiæ habet vim legis: ac proinde recedere ab illo in materia graui, qualis eſt ſacramentorum formas exhibere, eſt peccatum: ergo.

Deinde ſecunda pars probatur aduerſus Auctores ſecundæ ſentētiæ, quia quãdo adeſt vrgens neceſsitas, aut euidens vtilitas; miniſter, vtens forma probabili, non ſe exponit periculo quærendo illud: ſed potius patitur periculum, quaſi ab extrinſeco; minus autem malum eſt pati huiuſmodi periculum non conficiendi verũ ſacramentũ quam omnino carere ſacramẽto: ergò in tali caſu licitum erit vti forma, vel materia probabili. Mai. patet nã quod fit ex inſtãtia neceſsitatis, aut euidẽtis vtilitatis à miniſtro, potius fit ab ipſo patiente neceſsitatem, quam quærente periculũ: Minor vero probatur: nam in conſpectu maioris mali, eligibile eſt minus malum non quidem per ſe; ſed per accidens ad fugam maioris mali, quãdo alterum illorũ neceſſario euenire debet; ſed in caſu quo neceſſe ſit miniſtrare alicui ſacramentũ Baptiſmi, vel Pœnitentiæ, & miniſter tantum ſciat formam probabilem, vel tantum ei apponatur materia probabilis, duo mala ocurrunt: carere, ſcilicet indigentem ſacramento, aut ſuſcipere ſacramentum probabiliter validum, ex quibus iſtud eſt minus: ergo hoc eſt ſequendum, & illud omitendum.

43 Ad primum in contrarium pro prima ſentētia reſpõdetur, quod eſt licitũ ſequi opinionem in eo ſenſu tantum, in quo eſt probabilis; vnde admiſſo antecedenti: nego conſequentiam: nam quando quis baptizat ſub illa forma, *in nomine genitoris, &c.* ſequitur ex vna parte opinionẽ probabilem, & falſam ex alia: nam licet probabile ſit, quod ſacramentum illud ſit validum: non tamen eſt probabile, quod non ſit ſacrilegium recedere à forma communiter recepta: bene enim ſtat cum probabilitate circa valorem formę, certitudo, quod ſit illicitum illam miniſtrare, imò cũ certitudine illius ſtat certitudo huius: nã certum eſt baptiſmum ſub hac forma eſſe validum, *baptizetur ſeruus Chriſti*; & ſimul eſt certum peccatum eſſe illa vti in Eccleſia Latina.

Ad ſecũdũ nego antecedẽs, ſi procedat extra caſũ neceſsitatis, vel euidẽtis vtilitatis. Ad probationẽ reſpõdetur, quod in primo caſu inſtat neceſsitas vtendi forma probabili: in ſecundo verò inſtat vtilitas euidens: ſi enim opinio probabilis ſit, quod poteſt Pœnitens abſolui à reſeruatis virtute talis priuilegij, in eius commodum cedit, quod miniſter ſequatur opinionem probabilem vtendo priuilegio.

In tertiò deniquè licet opinio probabilior ſit, quod talis forma ſit valida; adhuc non licet illa vti, relinquendo certam; niſi adſit neceſsitas, vel vtilitas; ac proinde duo tantum ſunt caſus in quibus licet vti forma probabili, alter quidem neceſsitatis; alter verò euidẽtis vtilitatis, & primus caſus, ſcilicet neceſsitatis, regulariter contingere poteſt in ſacramentis ad ſalutem ſimpliciter neceſſarijs: ſecundus verò, nimirum euidẽtis vtilitatis, in ſacramentis non ſimpliciter neceſſarijs.

Ad tertium reſpondetur, quod eodẽ modo licet vti materia probabili in caſibꝰ, in quibꝰ etiã vti licet forma probabili, & non extra illos. Vnde quatenus argumentum probare intẽdit, etiam extra hos caſus licitum eſſe apponere in ſacramentis materiam probabilem admiſſa ſequela, neganda eſt minor argumenti.

Ad cuius probationem Suarez vbi ſupra reſpondet: atritionem cognitam tantum eſſe materiam probabilem, ac proinde peccare illum, qui cum ſola atritione cognita accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ, maximè quando abſquè magna difficultate poterat habere contritionem, ſed hæc ſolutio deficit à veritate. Primò, quia ſufficiens, & certa materia ad ſacramentum Pœnitentiæ, non eſt ſola contritio; ſed exiſtimata atritio; eo quod cum ſit ſacramentum mortuorum, non petit neceſſario ſubiectum eſſe in gratia, ſed ſatis eſt, quod ſit atritum, vt ex atrito per effectum ſacramenti fiat contritum: ergo.

Secundo: nam admiſſo, quod atritio tantum eſſet materia probabilis; adhuc ob euidentem vtilitatem, quam habet Pœnitens accedendo cum illa ad ſacramentũ, & ob difficultatem conſequendi perfectã contritionem; quæ in omni caſu eſt difficilis: ideò in quocumquè caſu licite poterit Pœnitens cum ſola atritione ad ſacramentum Pœnitentiæ accedere.

44 Circa ſecundum, communis ſententia Scholaſticorum tenet cum D. Th. hic, art. 7. ad 3. & art. 8. quæ reducitur ad has quatuor concluſiones. Prima eſt, qui corrupte profert verba formę, ſi corruptio tāta ſit, vt tollat ſenſum loquutionis, ſiue miniſter habeat intentionem conficiēdi verum ſacramentum, ſiue illam non habeat, non conficit verum ſacramentum: ratio eſt; quia ablato ſenſu ſignificationis, non manet ſacramentalis forma à Chriſto inſtituta: ergo non fit verum ſacramentum.

Secunda concluſio eſt, ſi corruptio non ſit tanta, quod tollat ſenſum verborum; & alias habet miniſter debitam intentionem; validum erit ſacramentum: peccabit nihilominus mortaliter ſi talis corruptio fuerit grauis, & ex induſtria facta: ſi autem leuis fuerit corruptio verborum, erit veniale; & ſi ex errore, vel lapſu linguæ nullum erit peccatum. Probantur ſingulæ partes huius aſſertionis: prima quidem, quia ita habetur in cap. *Zacharias*, & cap. *retulerunt*, de conſecratione diſtinct. 3. vbi decernit ſummus Pontifex, verum confici baptiſmum, cum illa forma: *ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, & Spiritu ſanctas*: quia licet iſtæ voces corruptæ ſeorſum ſumptæ non retineant eundem ſenſum, nō enim *Patrias* v. g. ſignificat, idem quod *Pater*, tamen ſimul ſumptę vt partes integrantes illam orationem corruptam, ex communi vſu, & acceptatione retinent eundē ſenſum, ac proinde validum conficitur cum illis ſacramentum: ſicut ſi confeſor abſoluens Regem, dicat, *ego abſoluo vos*, vel ego abſoluo maieſtatem veſtram, verū conficeret ſacramentum, quia ex communi vſu loquendi maximè apud Sapientes, id etiam per has voces quod per pro nomen *te*; ſignificatur: ergo.

Secunda pars probatur, nam talis corruptio eſt iniurioſa ſacramento, ac proinde ſacrilegium: ergo ſi eſſet notabilis, eſſet in materia graui, ac proinde peccatū mortale.

Deniq; tertia pars patet, quia ſi leuis eſſet corruptio, propter paruitatem materiæ eſſet veniale; & quia ſi ex inuincibili ignorantia, aut inaduertencia, vel lapſu linguæ in euitabili, iſta corruptio leuis procederet, non libere fieret à miniſtro, ideò nullum eſſet peccatum in illo; quia vbi non eſt libertas, neque peccatum inueniri poteſt.

Neque ex hac concluſione licet inferre illum qui notabi linguæ impedimento laborat, ita vt abſque graui corruptione verborum, formas ſacramentorum proferre non poteſt; licite poſſe ab Epiſcopo ordinari; & ordinatum licite poſſe ſacramenta miniſtrare; nam cum iſte non poſsit eſſe debitus miniſter ſacramentorum, neque Epiſcopus eum ordinando, neque ipſe poſtea miniſtrando ſacramenta, abſque vrgēti neceſsitate, excuſatur à peccato mortali.

Tertia concluſio ſit; quando quis notabili corruptione profert formam ſacramenti, & non conſtat de eius legitima intētione, rationabiliter præſumitur, quod nō conficit verum ſacramentum: cuius ratio eſt: quia tunc rationabiliter præſumitur, quod ex induſtria profert corrupte verba, ac per conſequens, quod non habet intentionem conficiendi verum ſacramentum: ergo.

45 Quarta concluſio ſit; etiam ſi peccatum ſacrilegij ſit diminuere formam ſacramenti adimendo ab eis aliquam particulam ex receptis communiter ab Eccleſia: tamen non redditur ſacramentum inualidum niſi in duobus caſibus, nimirum quādo deeſt miniſtro debita intentio faciendi quod facit Eccleſia; & quando diminutio eſt tanta, quod tollit legitimum verborum ſenſum: hæc eſt Diu. Thomæ in art. 8, ac omnium eius interpretum.

Et probatur quoad primam partem: quia omnia uerba communiter recepta ab Eccleſia in formis ſacramentorum, licet non ſint de eſſentia; ſunt tamen de integritate formarum, & neceſsitate præcepti: ergo tollere aliquod illorum, eſt contra formæ integritatem, & conſtituitur cum iniuria illius: & alias contra diuinū, & Eccleſiaſticum præceptum: ergo.

Deinde quoad ſecundam partem probatur. Nam intētio miniſtri debita, & legitimus ſenſus verborum, requiruntur ſimpliciter ad ſaluandam veram eſſentiam ſacramenti: ergo defectu cuiuſcunque, deeſt eſſentia ſacramenti.

Circa tertium punctum huius diſputationis, videndum eſt, an additio ad formas ſacramentorum facta ex induſtria, & cum intentione introducendi nouum ritū in Eccleſiam; reddat inualida ſacramenta? In quo tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit per huiuſmodi additionem reddi ſa-

cramentum inualidum. Propter tria: primo quia in prædicto cap. *retulerunt*, Põtifex determinat verum confici baptiſmũ ab illo, qui ignorantia linguæ Latinę baptizet ſub hac forma, *in nomine Patrias*, &c. ſecus autem ſi ex induſtria, & intentione introducendi nouum ritum id faciat; cui determinationi fauet D. Th. art. 8. dicens, quod ſi per diminutionem, vel additionẽ verborum miniſter intendit nouum ritum in Eccleſiam introducere non videtur conficere verum ſacramentum: ergo.

Secundo, quia ad verum ſacramentũ requiritur legitima miniſtri intẽtio qua intendat facere, quod facit Eccleſia, vt dictũ eſt; ſed hanc nequit habere, qui intendit nouum ritum inducere, non receptum, aut contrarium recepto in Eccleſia: huiuſmodi enim intentio eſt intentioni Eccleſiæ contraria: ergo defectu legitimæ intentionis, non conficiet verum ſacramentum.

Tertio, qui conſecraret panem, vel calicem exiſtimans quod illa particula *enim*, eſt de eſſentia formæ, aut quod illa particula, *qui pro vobis efundetur*, reuera non conſecraret, quia non vtitur forma à Chriſto inſtituta; quæ non includit has particulas: & non alia ratione, niſi quia nouum ritum vult inducere; vel quod iſtæ particulę ſint de eſſentia formæ: neque enim eſt alia ratio aſsignabilis: ergo talis intẽtio deſtruit valorem ſacramenti.

46 Secunda, & veluti media eſt quam ſequitur Soto in 4. diſtinct. 1. queſt. 1. art. 8. dicens, quod ſi ritus, quem miniſter intendit inducere, toleratur ab Eccleſia, verum conficit ſacramentum: ſecus verò ſi talis ritus ab Eccleſia non ſit toleratus.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam quando miniſter habet intentionem, introducendi ritum ab Eccleſia non toleratum, nequit habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia; vtpote cum iſtę intentiones ſibi contrarientur: ergo.

Tertia eſt Paludani in eodem 4. diſtinction. 3. quæſt. 1. aſſerentis; quod in huiuſmodi additione, ſeu diminutione formæ, verum conficit miniſter ſacramentũ; ſi habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia, quamuis alias velit nouum, ac non toleratum ritum in Eccleſia introducere.

Fundamenta huius ſentẽtiæ ſint duo. Primum quia poſitis omnibus requiſitis ad vſum ſacramenti: verum conficitur ſacramentum: ſed ſtante tali intentione faciendi quod facit Eccleſia, etiam cum intẽtione noui ritus, poteſt poni debita forma, & debita materia ſacramenti, cum debita intentione miniſtri: quæ ſunt requiſitæ, & ſufficientes conditiones ad poſitionem ſacramenti: ergo.

Secundum eſt, quod multoties contingit verum confici ſacramentum à miniſtro intendente, nouum, in Eccleſiam ritum introducere: ergo hoc non eſt denegandum.

Antecedens patet, in tribus caſibus. Primus eſt quãdo Sacerdos Eccleſiæ Grecæ, baptizat ſub illa forma, *baptizetur ſeruus Chriſti*, &c. verum conficit baptiſmum: & tamen nouum ritum introducere intendit: quia intendit quod miniſtri ſacramentorum non concurrunt effectiuè ad gratiæ productionem, & animæ ablutionem: quod eſt contra communem Eccleſiæ doctrinam, & exiſtimationem.

Secundus eſt, quando Sacerdos, ſimiliter Græcus conſecrat in pane fermentato, verum conficit Euchariſtiæ ſacramẽtum; & habet ſimul intentionem nouum ritum introducendi non toleratum ab Eccleſia: etenim vult introducere doctrinam, quam Græci proteſtantur nimirum; quod Chriſtus in pane fermentato conſecrauit, & quod hic panis dumtaxat, ſit debita Euchariſtiæ materia: quæ doctrina communi vſui Eccleſiæ Romanæ contradicit.

Tertius eſt quando heretici miniſtrãt ſacramenta cum debita forma, ac materia; valida conficiunt ſacramenta, vt habetur in decreto de conſecratione diſtinct. 4. per multa capita in quibus teſtimonia Auguſtini, & Gregorij hoc aſſerentium referũtur: & tamen non eſt dubium quin hæretici ſemper nouum ritum, & in illo ſuos errores Eccleſiæ contrarios vellint introducere: ergo.

Sed pro veritatis declaratione: dico primo: quando additio non tollit ſenſum verborum, & alias miniſter habet intentionem faciendi quod facit Eccleſia, etiam ſi nouum ritum vellit introducere, verum conficit ſacramentum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, & probatur, quia cum hac intentione introducendi nouum ritum, maxime ſi nõ ſit Eccleſiæ contrarius, ſaluantur verè debita materia, & debita forma, quæ quoad

ſenſum

ſenſum manet invariata, & debita intentio quæ talis eſt, vt miniſter per illam vellit facere, quod vera Eccleſia, ideſt, Romana facit in tali ſacramento : ſed ex his tribus perficitur verum ſacramentum, iuxta decretum præallegatum Concilij Florentini: ergo.

Dico ſecundo: etiam ſi intendat miniſter introducere ritum non toleratum ab Eccleſia per huiuſmodi additionem; dummodo adſint cœtera requiſita; verum conficit ſacramentum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ, & pro auctoribus tertiæ ſententiæ.

Et probatur argumentis adductis pro tertia ſententia : quæ amplius confirmantur ex eo; quod poſitis omnibus requiſitis ad ſacramentum, verum conficitur ſacramentum: ed etiam cum illa intentione introducendi nouum ritum ab Eccleſia non toleratũ: poſſunt poni tria illa, ex quibus docet Concilium Florentinum perfici ſacramẽta nouæ legis videlicet vera materia vera forma, & intentio faciendi, quod facit Eccleſia: ergo.

Dico tertio : ſi miniſter explicet nouum ritum, vel errorem in forma ſacramenti quam apponit; ita vt deſtruatur ſenſus verborum, etiam ſi habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia; non conficit verum ſacramentum. Hæc concluſio eſt explicatiua præcedentis.

Et probatur primo, quia deſtructo formali ſenſu verborum, deſtruitur veritas formæ; ſed deficiente vera forma, quãuis cætera adſint, deeſt uera ratio ſacramenti: ergo & in caſu noſtræ concluſionis non ſaluatur verum ſacramentum.

Secundo probatur, nam propterea ille qui baptizaret ſub hac forma: *ego te baptizo in nomine Patris maioris*, &c. vel ſub hac: *ego te baptizo in nomine Patris*, &c. *& beata Virginis*: exiſtimans ex errore particulari, quod beata Virgo, nõ minus concurrit ad effectum ſacramenti, quam perſonæ diuinæ, non conficeret verum baptiſmum: & non ob aliam rationem; niſi quia variat eſſentialiter formam; neque vtitur eadem forma, quã Chriſtus inſtituit : ex eo quod in illa apponit errorem explicite, deſtruentẽ ſenſum formæ à Chriſto inſtitutæ: hæc enim tãtũ facit ſenſum, quod baptiſmus cõfertur in virtute Patris, Filij, & Spiritus ſancti, prout sũt Trinitatis perſonę, æquales inter ſe, & eiuſdem naturæ : qui ſenſus cum præfata additione deſtruitur : ergo.

Dices: ex hoc ſequi: quod ille qui baptizaret ſub illa forma: in nomine Patris & beatæ Virginis: proferendo deprecatorie hanc vltimam particulam; cum illa falſa exiſtimatione quod ſit de eſsẽtia formę baptiſmi, non conficere verum baptiſmum: ſi quidem etiam in hoc caſu exprimit in ipſa forma ſuum errorem : conſequens tamen eſſe falſum ex eo patet, quod ſumendo illam particulam, & beatæ Virginis deprecatorie; non mutatur ſenſus formalis verborum per ſe ad formam pertinentium: ergo.

Reſpondetur nihilominus in hoc caſu verum confici ſacramentum: quia dũ particula illa ſumitur deprecatorie, non vtitur miniſter illa, vt pertinente ad eſſentiam formæ, & propterea licet exprimat ſuum errorem, non inſtitutam formã à Chriſto immutat; ac proinde ſi aliàs habeat legitimam intentionem verum conficiet ſacramentum; ſecus autem contingit in caſu noſtræ concluſionis.

48 Dico vltimo: quando miniſter exiſtimans aliquam particulam eſſe de eſſentia formæ, quæ reuera non eſt, vel non eſſe quæ reuera eſt de eſſentia illius; & cũ hac exiſtimatione falſa huiuſmodi particulam addit, vel omittit, verum conficit ſacramentum; ſi cætera adſint requiſita ex parte materiæ, & intentionis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Scotum qui in 4. diſtinct. 3. quæſt. 2. ſentit in caſu noſtrę concluſionis non confici verum ſacramentum.

Et probatur primo : nam per huiuſmodi additionem, vel omiſſionem, ex errore particulari miniſtri prouenientem, non tollitur aliquod ex tribus requiſitis ad ſaluandum eſſentiam ſacramenti: ergo ſaluatur.

Antecedens patet, quia cum huiuſmodi additione, vel diminutione ſaluatur legitima materia, & legitima forma quoad eſſentialia verba: ſaluatur etiam debita intentio faciendi quod facit Eccleſia: ſed ex his tribus conficitur verum ſacramentum: ergo.

Dices: per intentionem, quam in hoc caſu habet miniſter ortam ex illo errore particulari; deſtrui legitimam intentionẽ apponendi veram formam à Chriſto inſtitutam; ac proinde ex defectu debitæ intentionis non confici verum ſacramẽtum: ſed contra hoc eſt, nam illa intentio orta ex errore particulari, eſt intentio particularis

mi-

miniſtri, vt priuata perſona eſt: illa autem intentio quam habet vt miniſter faciendi, quod facit Eccleſia eſt vniuerſalis ex parte obiecti; cum igitur particularis intentio nō ſit incompatibilis cum vniuerſali, hinc eſt quod optime cum illa intentione priuata ex errore priuato orta, nimirum apponendi illam particulam vt eſſentialem formæ; compatiatur altera intentio vniuerſalis, faciendi quod facit Eccleſia; quæ eſt ſufficiens ad poſitionem veri ſacramenti.

Secundo probatur: nam ſi miniſter ſacramenti Euchariſtiæ, exiſtimans eſſe de eſſentia formæ illius particulam *enim*, vel *qui pro vobis effundetur*, proferat illam, aut etiam omittat, veram ſacramenti Euchariſtiæ formam apponet; quia ſine huiuſmodi particula, ſaluantur in reliquis verba eſſentialia formæ à Chriſto inſtitutæ: ſimiliter ſi baptizans, illam particulam primam, in nomine Patris non eſſe de eſſentia; & nihilominus illam profert; cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, veram apponit formam baptiſmi; quia de facto omnia verba pertinentia ad eſſentiam foamæ apponit: ergo in vtroque caſu verum conficit ſacramentum; quod eſt intentum noſtræ concluſionis.

49 Ex dictis placet inferre cum Soto in loco præallegato, quod quoties fuerit rationabile dubium de veritate formæ, poterit miniſter ſuper eandem materiam formam repetere ſub conditione, vel expreſſa, vel ſubintellecta: tàm in ſacramentis iterabilibus, quam in his, quę dicuntur non iterabilia: hæc enim non dicuntur nō iterabilia, quia non poſſint cum rationabili dubio iterari: ſed quia quando ſunt certa, ideſt quando ſemel certo recipiuntur, iterum recipi non poſſunt. Vtrum autem ad huiuſmodi formæ dubiæ repetitionem faciendam ſuper eandem materiam, requiratur maius dubium in iterabilibus, quam in ſacramentis non iterabilibus? Reſpondet Soto maius debere eſſe dubium de veritate formæ, in baptiſmo, confirmatione, & ordine; quia iterabilia non ſunt ex natura ſua, & cum minori dubio poſſe in alijs, quæ de ſe iterabilia ſunt, formas repetere ſub conditione.

50 Alij verò probabiliorem ſolutionem adhibent, dicentes ſacramenta nō iterabilia, & eorum formas poſſe cum minori dubio iterari; tum quia aliquod illorum, nimirum baptiſmū, eſt maximè neceſſariū; ex cuius incertitudine ſequitur incertitudo omnium aliorum, ad quę eſt ianua, & fundamentum, & ſi certus non ſit baptiſmus, magnum imminet ſalutis periculum: ergo cum minori dubio eſt iterandus. Tū etiā quia ſicut hæc tria, ſcilicet baptiſmus, ordo, & confirmatio, ſint abſolute non iterabilia: ita cætera ſacramenta ſint non iterabilia quantum ad formæ repetitionem ſupra eandem materiam: propterea quod indigent maxima certitudine; ergo minus ad illorum repetitionem ſufficit dubium.

Ad primum pro prima ſententia, reſpondetur quod in caſu illo deſumpto ex c. *retulerunt*, verum conficitur ſacramentū baptiſmi; cū illa forma *in nomine Patrias*, ſi tamen non ſit ex induſtria prolata cū intentione introducendi nouum ritum, in ipſa forma prolatum; iuxta tenorem noſtræ tertiæ concluſionis, & ad eundem ſenſum explicandum eſt teſtimonium D. Thomę.

Ad ſecundum reſpondetur, negando minorem; cùm illa enim intentione particulari, compatitur vniuerſalis intentio faciendi quod facit vera Chriſti Eccleſia, ſcilicet Romana.

Ad tertium patet ex vltima concluſione.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ patet ex ſolutione ad ſecundum.

Ad fundamenta tertiæ ſententiæ, reſpondetur quod conuincunt ſecundam concluſionem.

(†)

QVAE-

QVAESTIO LXI.

De neceſsitate ſacramentorum, in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ſacramenta ſint neceſſaria ad humanam ſalutem?

4.d.1.q.1. a.2.q.2.et 3.cõ.c.lio etl.4.c.55 ſi.& c.56.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalutem. Dicit enim Apoſtol. 1. ad Timoth. 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. Sed vſus ſacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem: eo quod ſacramenta perficiuntur in ſignificatione ſenſibilium rerum & verborum, vt dictum eſt *. Ergo ſacramenta non ſunt neceſſaria ad humanam ſalutem.

q.præc.a.6 ad 2.

2 Præterea, 2. ad Corinth. 12. Apoſtolo dicitur, ſufficit tibi gratia mea. Non autem ſufficeret ſi ſacramenta eſſent neceſſaria ad ſalutem. Non ſunt ergo ſacramenta ſaluti humanæ neceſſaria.

3 Præterea, poſita cauſa ſufficienti nihil aliud videtur eſſe neceſſarium ad effectum. Sed paſsio Chriſti eſt ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis. Dicit enim Apoſtol. ad Roman. 5. Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius. Non ergo requiruntur ſacramenta ad ſalutem humanam.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus * dicit libro decimonono contra Fauſtum. In nullum nomen religionis ſeu verum ſeu falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, ſeu ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur. Sed neceſſarium eſt ad humanam ſalutem homines adunari in vnum veræ religionis nomen. Ergo ſacramenta ſunt neceſſaria ad humanam ſalutem.

c.11.in ſi. tom.6.

Reſpondeo dicendum, quod ſacramenta ſunt neceſſaria ad humanam ſalutem, triplici ratione. Quarum prima ſumenda eſt ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium eſt, vt per corporalia, & ſenſibilia, in ſpiritualia & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam prouidentiam, vt vnicuique rei prouideat ſecundum modum ſuæ conditio

ditio

ditionis. Et ideò conuenienter diuina ſapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus & ſenſibilibus ſignis, quæ ſacramenta dicuntur. Secunda ratio ſumenda eſt ex ſtatu hominis, qui peccando ſe ſubdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, vbi patitur morbum. Et ideo conueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia ſigna, homini ſpiritualem medicinam adhiberet: nam ſi ſpiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non poſſet, corporalibus deditus. Tertia autem ratio ſumenda eſt ex ſtudio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia verſatur. Ne ergo eſſet homini durum, ſi totaliter à corporalibus actibus abſtraheretur, propoſita ſunt ei corporalia exercitia ſacramentis, quibus ſalubriter exerceatur ad euitanda ſuperſticioſa exercitia, quę cōſiſtunt in cultu dæmonum; vel qualitercumque noxia, quę conſiſtunt in actibus peccatorum. Sic igitur per ſacramentorum inſtitutionem, homo conuenienter ſuæ naturę eruditur per ſenſibilia: humiliatur, ſe corporalibus ſubiectum cognoſcēs, dum ſibi per corporalia ſubuenitur: prę ſeruatur etiam à noxijs actionibus per ſalubria exercitia ſacramentorum.

Ad primum ergo dicendum, quod corporalis exercitatio, in quantum eſt corporalis, non multum vtilis eſt. Sed exercitatio per vſum ſacramentorum, non eſt purè corporalis, ſed quodāmodo eſt ſpiritualis, ſcilicet per ſignificationem, & cauſalitatem.

Ad ſecundum dicendum, quod gratia Dei eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis. Sed Deus dat hominibus gratiam ſecundum modum eis conuenientem: & ideò neceſſaria ſunt hominibus ſacramenta ad gratiam conſequendam.

Ad tertium dicendum, quod paſsio Chriſti eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis. Nec propter hoc ſequitur, quod ſacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalutem: quia operantur in virtute paſsionis Chriſti, & paſsio Chriſti quodammodo applicatur hominibus per ſacramenta, ſecundum illud Roman. 6. Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Iesv, in morte ipſius baptiſati ſumus.

1 Concluſio eſt affirmatiua, quę non eſt intelligenda de neceſsitate præcepti, aut medij ſuppoſita iam ſemel facta ſacramentorum inſtitutione: in hoc enim ſenſu diſputatio de neceſsitate ſacramentorum potius ſpectat ad articulum quartum quæſtionis 65. ſequentis: ſed de neceſsitate ipſius inſtitutionis: nimirùm neceſſariū fuiſſe ad humanam ſalutem, quod Deus, inſtitueret aliqua ſenſibilia ſacramenta: & in hoc ſenſu pertinet ad præſentem locum diſputatio de neceſsitate ſacramentorum.

In eodemque intelligenda eſt concluſio Angelici præceptoris, dum ait in hoc articulo neceſſaria eſſe ſacramenta ad humanam ſalutem. In qua verbum iſtud *neceſſarium*, non denotat abſolutam neceſſitatem: quia certum eſt Deum potuiſſe de potentia abſoluta abſque nullis ſacramentis ſalutem hominibus conferre: ſed conditionata dumtaxat vel, congruentiæ ita vt neceſſarium vſurpetur, pro eo quod eſt conueniens ſiue congruum: aut etiam pro neceſſario ſecundum quid & ex ſuppoſitione cuius neceſsitas dicitur conditionata, quia citra dubium eſt ſacramenta fuiſſe neceſſaria ad ſalutem hominum poſt peccatum originale, & ex ſuppoſitione diuini decreti ſic diſponentis humanam ſalutem. Ad idque fuiſſe media congruentia, & conuenientia.

2 In quo ſenſu probat Angelicus Doctor ſuam concluſionem in præſenti articulo, & quarto contra gentes capite, 56. tribus congruentijs.

Quæ

Digitized by Google

Quarum prima ſumitur, ex conditione humanæ naturę, quę ex ſenſibilibus manu ducitur ad ſpiritualia: ergo conuenienter diuina prouidentia hominibus diſpoſuit ſalutem ſpiritualem cōferre ſub quibuſdam ſenſibilibus ſignis, quæ dicuntur ſacramenta.

Secunda ſumitur ex ſtatu hominis lapſi, qui per peccatum rebus corporalibus manſit ſubiectus: vt igitur eius animus corporalibus deditus, paulatim & ſuauiter ab eis ad ſpiritualia moueretur, conueniens fuit ei ſpiritualem medicinam in rebus ſenſibilibus adhibere.

Tertia ſumitur ex ſtudio actionis humanæ, quæ præcipue circa corporalia verſatur: vt ergo abſtraheretur homo à noxijs & ſuperſticioſis exercitijs, quæ in cultu dæmonum, & quibuſcunque corporis actibus peccaminoſis conſiſtunt, congruēter & ſalubriter propoſita ſunt ei corporalia exercitia in ſacramentis: vt ſic homo per ſenſibilia conuenienter ſuæ naturæ erudiatur, humilietur ſe corporalibus ſubiectum agnoſcens, dum per corporalia ſubuenitur; & à noxijs actionibus præſeruetur per ſalubria exercitia ſacramentorum.

ART. II.

Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini neceſſaria ſacramenta?

4. d. 1. q. 1 a. 2. q. 3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod etiam ante peccatum fuerint homini neceſſaria ſacramenta. Quia, ſicut dictum eſt*. Sacramenta ſunt neceſſaria homini ad gratiam conſequendam. Sed etiam in ſtatu innocentiæ homo indigebat gratia; ſicut in prima parte hābitūm eſt*. Ergo etiam in ſtatu illo erant neceſſaria ſacramenta.

a. præc. ad 2. — p. p. q. 95 a. 4. ad 1. — a. præc.

2 Præterea, Sacramenta ſunt neceſſaria homini ſecundum conditionem humanæ naturæ, ſicut dictū eſt. Sed eadem eſt natura hominis ante peccatum, & poſt peccatum. Ergo videtur, quod etiam ante peccatum homo indiguerit ſacramentis.

3 Præterea, Matrimonium eſt quodam ſacramentum, ſecundū illud Epheſ. 5. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Sed matrimonium fuit inſtitutum ante peccatum, vt dicitur Geneſ. 2. Ergo ſacramenta erant neceſſaria homini ante peccatum.

Sed contra eſt, quod medicina non eſt neceſſaria niſi ægroto, ſecundum illud Matthæi nono. Non eſt opus ſanis medicus. Sed ſacramenta ſunt quædam ſpirituales medicinæ, quæ adhibētur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt neceſſaria ante peccatum.

Reſpondeo dicendum, quod in ſtatu innocentiæ ante peccatum ſacramenta neceſſaria non fuerunt. Cuius ratio accipi poteſt ex rectitudine ſtatus illius, in quo ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens ſuberat Deo, ita menti ſuberant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem eſſet, ſi anima perficeretur, vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in ſacramentis. Et ideo in ſtatu innocentiæ homo ſacramentis non indigebat, non ſolum in quantum ſacramenta ordinantur ad remedium peccati, ſed etiam in quantum ipſa ordinantur ad animæ perfectionem.

Digitized by Google

Ad primum ergo dicendum, quod homo in ſtatu innocentię gratia indigebat: non tamen vt eam cõſequeretur per aliqua ſenſibilia ſigna, ſed ſpiritualiter, & inuiſibiliter,

Ad ſecundum dicendum, quod eadem eſt natura hominis ante peccatum & poſt peceatum: non tamen eſt idem naturę ſtatus. Nam poſt peccatum, anima etiam quantum ad ſuperiorem partem, indiget accipere aliquid â corporalibus rebus ad ſui perfectionem, quod in illo ſtatu homini neceſſe non erat.

Ad tertium dicendum, quod matrimonium fuit inſtitutum in ſtatu innocentiæ, non ſecundum quod eſt ſacramentum, ſed ſecundũ quod eſt in officium naturæ. Ex conſequẽti tamen aliquid ſignificabat futurũ circa Chriſtum & Eccleſiam: ſicut & omnia alia, quæ in figura Chriſti pręceſſerunt.

3 Concluſio eſt negatiua, nimirum quod in ſtatu innocentiæ quem habuit natura humana ante peccatum, non fuerunt homini neceſſaria ſacramenta.

Cuius ratio eſt, quia neceſsitas ſacramentorum eſt, quia vel propter remedium peccati, vel gratiæ augmentum requiruntur: ſed in illo ſtatu ad nullum ex his ſimibus requirebantur ſacramenta: ergo.

Minor quod non ad primum patet, quia in illo ſtatu ſi Adamus non peccaret: nullus homo pateretur morbum peccati: ergo neque indigeret medicina ſacramentorum.

Quod non eſt ad ſecundum patet, quia tunc homo erat recte ordinatus, & diſpoſitus in ordine ad Deum: ita vt animam haberet ſoli Deo ſubiectam, & omnino omnia corporalia habebat ſibi ſubiecta: ergo incongruũ eſſet illam ad ſui perfectionem ſubdi corporalibus ſacramentis. Quod ſi dicas tunc conuenientia fuiſſe ſacramenta, non quidem ſanatiua peccati iam comiſsi, ſed præſeruatiua peccati futuri: contra hoc eſt; nam ſi hæc medicina præſeruatiua homini in illo ſtatu exhiberetur eſſet præſcius ſui caſus, ex qua præſcientia triſtaretur, hæc autem triſtitia rectitudini, perfectioni, ac naturali beatitudini illius ſtatus derogabat.

4 Hinc ſoluenda venit triplex difficultas.

Prima eſt. An in ſtatu innocentiæ non ſolum qui de facto fuit, ſed etiam, qui fuiſſet ſi primus parens non peccaſſet, futurus eſſet in hominibus cultus Dei non ſolum internus, ſed etiam externus, tam priuatus, quam publicus?

Secunda eſt. An futurus eſſet tunc ſacrificiorum, & oblationum cultus?

Tertia eſt. An tunc fuerint vel futura eſſent ſacramenta, peccato non exiſtente?

5 Ad primam reſpondetur, cum communi ſententia Theologorum affirmatiua, pro qua videndus eſt Soto in quarto diſtinctione 1. quæſt. 2. art. 2. vbi *In ſtatu innocẽtiæ eſſet internus, & externus cultus Dei.*

ſic

ſic habet: proteſtari fidem contingit tripliter, aut per interiores actus quibus Deum confitemur eſſe vnum, & trinum, ac perinde ſeruatorem, glorificatoremque noſtrũ: eumque ſubinde laudamus.

Secundo, per virtutum officia, & exteriores etiã laudes, atqui duo hęc proteſtationum genera, religioniſque munia nõ negamus quin in illo fuiſſent ſtatu. Nã fides ſine operibus, vt ait Iacobus mortua eſt. Fuiſſet namque cum primis contemplatio: deinde prolium generatio, & educatio, & obedientia filiorum erga parentes, & omnium erga Deum in abſtinentia ab eſſu ligni ſcientiæ boni, & mali. Hæc autẽ non appellantur niſi largiſsimo modo ſacrificia, ſed fuiſſent merita apud Deum. Tertio modo proteſtamur fidem per ſacrificia & oblationes, &c.

6 Idem etiam ſuadet ratio naturalis: quia cultus per actus internos fidei & charitatis, ſuppoſita elleuatione hominis per gratiam eſt de lege naturæ. Quibus proinde actibus iubemur colere Deum in primo decalogi præcepto. Cultus autem per actus externos religionis non eſt per occaſſionem peccati introductus, ſed per ſe debitus Deo quatenus eſt auctor humanæ naturæ, quæ ſicut ſpiritu & corpore conſtat, ita vtriuſque actibus proprijs debet colere Deum ſuum auctorem.

De qua ratione videndus eſt Suarius hic diſputat. 3. ſectione 1. Quod verò iſte cultus externus non ſolum deberet tunc pro illo ſtatu eſſe priuatus, ſed etiam publicus, & ſolemnis probatur alia ratione deſumpta ex ipſa hominis natura qui eſt animal politicum, cui proinde naturale eſt viuere in conſortio & ſocietate aliorum hominum, hæc autem vita politica & ſocialis etiam eſſet in ſtatu innocentiæ. Nã per ſe eſt bona, & humanæ naturæ conueniẽs, & non ſolum occaſione peccati: igitur homines ſic congregati in vnum corpus politicum, deberent etiam in vnum religionis cultũ congregari, & adunari. Nam in omni Rep. bene inſtituta primum, ac præcipuũ eſſe debet religionis negotium. Ad cuius debitã inſtitutionẽ, ordinem, conſeruationem, & augmentum, reliqua omnia, ſi neceſſe fuerit referri debent. Non enim poſſet honeſtas morum recte in humana Rep. inſtitui, & conſeruari niſi ratio diuini cultus principẽ locum haberet: non poſſũt autẽ homines cõgregari in vnũ nomẽ religionis, niſi medio aliquo cultu Dei externo, & ſenſibili, ac toti Reip. cõmuni; vt docet Auguſt. 19. contra Fauſtum, c. 11.

7 Id etiam probatur alia ratione proxima huic, quam proſequitur D. Th. in opuſc. de regimine Principũ c. 16. hæc tria nimirum diuinum cultum, prudentiam in gubernando, & ſæcularem potentiã ſemper fuiſſe ita ſibi inuicem connexa; vt quãto affectus diuini cultus, ac religionis in Principe ſiue Republica vigeret, aut minueretur: tanto prudentia, & ſæcularis potentiã creſcerent, aut minuerentur. Quod exẽplo Salomonis fit perſpicuum, qui dum zelum diuini cultus retinuit, ſimul prudentiã, ſapientiam atque diuitias, & magnificũ dominium retinuit: quæ illico amiſit quando zelum, & affectum perdidit religionis qua propter excellentiſsimum fuiſſe conſtat conſilium quod Cæſari Otauiano dediſſe fertur eius conſiliarius Mezenas relatum à Dionyſio Caſio lib. 52. de Roma. Hiſt. in hæc verba: *Itaq; ſi reuera in mortalis fieri cupis ita vt dixi agendũ tibi eſt: Deos quoque ſemper, & vbique cole, vt moribus Patriæ receptum eſt: ad eundemque cultum alios compelle: peregrinarum verò religionum auctorem odio, & ſupplicijs proſequere, non Deorum modo gratia, quos qui contempſit haud dubio nihil aliud magni faciet, ſed propterea etiã quod qui noua numina introducunt multos ad peregrinis legibus vtendum peliciunt, inde coniurationes, toitiones, & conciliabula exiſtunt, res minime vnius princip uni commodæ.* Ex quibus liquido conſtat cultum externum nedum priuatum ſed etiam publicum in vnaquaque bene inſtituta Republica, ſiue communitate, qualis foret inter homines non exiſtente peccato, eſſe valde neceſſarium, & veluti de lege naturæ præſcriptum.

8 AD ſecundam difficultatem reſpõdet Soto vbi ſupra negatiue dicens: quod cultus Dei tertio modo acceptus nimirum per ſacrificia, & oblationes non fuiſſet peccato non exiſtente; eo quod tunc huiuſmodi ſacrificia, neque neceſſaria, neque conuenientia fuiſſent: quam ſententiam quatuor, aut quinque de cauſis ſibi perſuadet. Primo quidem quia neceſsitas ſacrificiorum prouenit ex quatuor capitibus, nimirum vt pro peccatis noſtris ſatisfaciamus. Secundo, vt per ea diſcriminetur Catholica religio ab exteris ſectis.

Digitized by Google

Deinde vt nobis mutuo conſtet eandem religionem profiteri. Et quarto vt per illam ſeruemus memoriam beneficiorum Dei: ſicut per ſacrificium Miſſæ memoriam recolimus, ac retinemus paſsionis Chriſti. Hæc autem omnia in ſtatu innocẽtiæ deficerent : vtpote quia in illo nulla fuiſſent peccata: & quia tunc omnes homines in eadem religione & cultu vnius Dei perpetuo manerent: quibus proinde conſtaret natos ſe eſſe in gratia Dei, in eiuſque cultu & obedientia veluti in cœleſti patria viuere, ac tandem neque opus eſſet illis erudiri deſupernaturalibus: nam ſimul cum gratia imbuerentur donis neceſſarijs: ergo.

Secundo, idipſum probat, quia parentes facili negotio erudirent natos : ac proinde non egerent huiuſmodi exteris ſacrificijs: ſed ſicut Angeli Dei in paradiſo ſemper Deum laudibus colerent.

Dices huiuſmodi ſacrificiorum vſum neceſſarium tunc fore hominibus ad redendum gratias Deo pro acceptis beneficijs iuxta illud prim. Paralipomen. 29. *Tua ſunt omnia, & de ijs quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

Sed contra, hoc eſt, tertio quod ſacrificiorum vſus eatenus eſt neceſſarius hominibus, quatenus ad miniſtrorum, & templorũ vtilitatem cedunt ea, quæ Deo offeruntur: tunc autem neque miniſtri ſacra facientes, neque templa eſſent: quia neque aeris inclementia tectis egeret: ſed ſimplices laudes ore, & corde homines Deo ſuaderent. Futilis quoque, & innanis ferret tunc libatio pecudum, & animalium mactatio ratione ſignificationis vt in lege Moiſis, quę non eſſet, peccato non exiſtẽte, ſiquidem neque redemptor veniret figurarum, & ſignorum ſcopus : ergo.

Quarto, id ſuadet, quod in dicto ſtatu omnia fuiſſent communia : ac proinde nullus poſſet de proprijs bonis quidquam Deo offerre. Neque etiam de bonis alienis ſibi commodatis, quia nullus indigeret vt ab alio mutuum, vel commodatum acciperet : ergo neutiquam poſſet homo huiuſmodi oblationes, ſiue ſacrificia offerre. Immo neque talis oblatio eſſet vllius emolumenti, meriti, vel laudis apud Deum.

9 Sed his non obſtantibus præferenda eſt tanquam veritati : acque Angelico Doctori conformior contraria ſententia quæ aſſerit in eo ſtatu futura fuiſſe ſacrificia, & oblationes. Quam vt probabiliorem ſequitur Suarius diſputatione citata ſeſsione ſecunda.

Et ſuadetur primo : quia teſtè Diuo Thoma ſecunda ſecundæ, quæſtione 85. articul. 3. & 4. offerre ſacrificium Deo eſt de lege naturæ, vtpotè, quia naturalis ratio dictat vt homines quibuſdam rebus ſenſibilibus vtantur, in quarum oblatione ſubiectionem ſui erga Deum ſignificent, & ſupremum in Deo dominium recognoſcant, ac proteſtentur. Hoc autem naturalis rationis dictamen non oritur ex occaſione aliqua orta ex peccato, ſed ex ipſa ſubiectione hominis erga Deum, & ex illius recognitione propter ſupremum eius dominium : ergo tale dictamen adhuc in ſtatu innocentiæ, & non exiſtente peccato reperiretur.

Secundo, quia homo accepit à Deo non ſolum corpus, & animum, ſed etiam bona externa quibus ad corporis conſeruationem, & animi exercitium, & profectum vtitur, ac proinde non ſolum eſt debitor corporis, & animæ, ſed etiam bonorum externorum eſt debitor : ergo tenetur non ſolum corpore, & animo, ſed etiam bonis externis Deum colere : in quorum oblatione, conſumptione aut alio ſimili vſu Deum tanquam omnium Dominum proteſtetur : cui proinde pro beneficijs acceptis gratias rependat.

Tertio, quia huiuſmodi oblatio, & vſus bonorum externorum, ac ſenſibilium nullam includit imperfectionem ſtatui innocentiæ repugnantem, vtpote quia neque eſt malum penæ, neque malum culpæ; ſed potius eſt per ſe bonus, & honeſtus, ergo non minus deceret ſtatum innocentiæ, quam alius quicunque cultus Dei internus, & externus, neque oppoſitum conuincunt argumenta Soti.

10 Ad primum enim reſpondetur falſo inniti fundamento : non falſum enim exiſtimo quod Adamo non peccante, adhuc eius poſteri in peccata laberentur, licet non ita frequenter ſicut in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Hæc enim eſt expræſſa ſententia Angelici

Docto-

Doctoris: prima parte quæſtion. 110. art. 2. vbi ait pueros in ſtatu innocentiæ natos non futuros fuiſſe in iuſtitia confirmatos, ſed liberos manſuros ad peccandum: Cuius manifeſtam rationē aſsignat quod pueri in ſua natiuitate non habuiſſet plus perfectionis, quam primi parentes in ſtatu innocentię ſuæ de facto habuerunt. Igitur ſicut primi parentes in ſuo ſtatu non fuerunt impeccabiles: ita neque eius poſteri impeccabiles naſcerentur: neque primus parens qui de facto peccauit tranſmiſsiſſet ad poſteros neceſsitatem nō peccandi ita vt omnino peccare non poſſent: hæc enim perfectio eſt propria dumtaxat beatorum.

11 Sed adhuc admiſſo pro eo ſtatu homines non fore peccaturos, ac proinde neque indigere ſacrificijs ad finem expiandi peccata: eſſent nihilominus ſacrificia conuenientia, & vtilia ad alios fines honeſtos, nimirum propter gratiarum actionem, & propter finem exhibendi Deo cultum externum, nedum in actionibus externis, ſed etiam in rerum ſenſibilium oblatione: atque propter finem impetrandi aliquod beneficium à Deo: vt ſic omnimodo homines animi gratitudinem, & ſubiectionem erga Deum, ſuamque humilitatem & Dei excelentiam proſiterentur.

12 Ad ſecundum ſubſtinenda eſt ſolutio inter arguendum aſsignata. Ad cuius improbationem quæ eſt tertium argumentum in ordine reſpondetur negando maiorem. Neque enim de ratione intrinſeca ſacrificij, & oblationis eſt quod cedat in vſum, & vtilitatem templorum, ac miniſtrorum: Hoc enim eſt per accidens: nam per ſe ſolum petit quod cedat in honorem Dei, & ſit eius excelentiæ & ſupremi dominij proteſtatiuum: quod ſi hoc haberet in quacumque lege, & ſtatu ſine prima conditione, quæ eſt ei accidentaria, verū, & honeſtum eſſet ſacrificium, poſſetque primum ſine ſecundo retinere, ſi Deus ordinaret ſua lege, vt res ſenſibiles quæ in ſacrificio offeruntur in nullius miniſtri, aut templi cederent vtilitatem: ac proinde ex hoc non eſt cur negemus in ſtatu innocentiæ fore congruentem & honeſtum vſum ſacrificiorum propter fines aſsignatos: quos per ſe reſpicit & a quibus ſpecificatur.

Quoad ſecundam vero partem eiuſdem argumenti reſpondetur, neque de ratione intrinſeca ei⁹ eſſe quod fiat cū ſignificatione mixtica, hoc eſt, alicuius diuini effectus, ſiue myſterij. Sed ſatis eſt, quod fiat cum ſignificatione morali, hoc eſt interni affectus: hanc enim, & non illā petit intrinſeca ratio ſacrificij.

Ad quartum reſpondetur, non eſſe de eſſētia ſacrificij, quod fiat de rebus proprijs: aut quod offerens amittat aliquam rem ſenſibilem, aut eam conſumat: ſed tantum petit per ſe quod fiat de rebus ſenſibilibus externis, ſiue proprijs, ſiue communibus (æque enim de illis, atque de iſtis poteſt fieri, & cum æquali honeſtate) ſiue faciendo iacturam alicuius rei temporalis, ſiue nullam iacturam faciendo, vt videre eſt in ſacrificio Miſſæ quod cum parua iactura rei temporalis offertur Deo, & ſic alia quoque ſacrificia poſſent offerri ex diuina inſtitutione, ſine vlla iactura, aut conſumptione rei temporalis: ac per conſequēs ex eo quod omnia bona fuiſſent communia in ſtatu innocentię, non rectè colligitur non eſſe futurum in illo vſum ſacrificiorum qui de bonis cōmunibus ęque honeſte & congruenter poteſt fieri, atque de bonis proprijs. Hinc colligitur probabilius eſſe quod tunc homines de facto ſacrificia offerrent, vtpote quorum vſus licet ſub pręcepto n caderet: eſſet tamen naturæ rationali valde conſentaneus, & præceptus quantum ad communem rationem cultus externi: & probabile ſit Adamum in ſtatu innocentiæ ſacrificium aliquod obtuliſſe ſecundum illius temporis & ſtatus congruentiam. Quod non obſcure indicat D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1. ad ſecundum dicens, quod Adam, & Iſaac ſicut & alij iuſti, Deo ſacrificium obtulerunt ſecundum ſui temporis congruētiam, & ſubdit ob eā rationē non legi Adamum ſacrificiū obtuliſſe, ne ſicut in ipſo notatur origo peccati ita ſimul etiā in illo ſanctificationis origo ſignaretur. Deinde cōſentaneū rationi videtur Abelē, & Caimū edoctos à ſuo parēte ſacrificia obtuliſe, alterū de gregib⁹ ſuis & alterum de frugibus terræ, vt refertur Geneſis 4,

Ad tertiā dificultatē diuiſi ſunt Theologi in duas ſentencias. Alij enim de quorū numero ſunt Alex. 4. p. q. 1. memb. 2. art. 1. Durand. in 4. d. 1. q. 2, & Scot. q. 3. affirmant quod licet in ſtatu innocentiæ nō fuiſſet tanta neceſsitas ſacramentorū ſicut modo eſt; non tamen omnino eſſe de futuram ſufficientem, & congruentē rationē

Digitized by Google

ac cauſam ob quā poſſent inſtutui ſacramēta; & de facto forte inſtituerentur, vel vt ſigna tantum gratiæ, vel vt ſigna, & cauſe ſimul gratiæ.

Alij verò, de quorum numero ſunt Hugo Victor. lib. 1. de ſacramentis p. 9. c. 3. & in ſumma ſent. tract, 9. c. 1. D. Th. in 4. d. 1. art. 2. q. 2. Bonauent, art. 2. q. 1, Richard. art. 1. q. 1. Palud. q. 5. Soto vbi ſupra, Caiet. in h. ar. 2. cū ſuo authore, & Nominales cōmuniter cum Maiore in d. d. 4. q. 4. & Gabriele q. 2. quibus ſubſcribunt Suarius vbi ſupr. ſect. 3. & fere omnes neotherici, negatiuam partem ſequntur dicētes in ſtatu innocentiæ, aut non exiſtente peccato nec fuiſſe neceſſaria, nec congruētia ſacramenta: ac per conſequens illa in eo ſtatu non fuiſſe futura: eo quod Deus ſingulis ſtatibus ſuauiter prouidet, ac diſponit quod illis eſt conſentaneum.

In quam ſententiam adducuntur hoc vnico fundamēto: nā ſacramenta inſtituūtur propter ſupernaturalem perſectionem vel cognitionis, vel gratiæ: ſunt enim ſacramenta, vel propter ſignificationem quæ ordinatur ad cognitionem, vel propter cauſalitatem, & efficientiam per quam gratia confertur. Neutro autem modo congruebat hominem perfici per ſacramenta in ſtatu innocentiæ: ergo nulla eſſet tunc cauſa ob quam inſtituerentur. Minor patet quia quod nobiliora perficiantur ab inferioribus, aut prouenit ex neceſsitate naturę, vt cum homo cognitionem naturalem accipit à ſenſibilibus, aut prouenit propter aliquam rationem ortam occaſione peccati: vtraque vero cauſa ex his deficit in ſtatu innocentiæ quantum ad inſtitutionem ſacramentorum: ergo. Pręterea id ipſum ſuadet ratio qua vtitur D. Th. in hoc articul. nimirum, quia ordo, & rectitudo illius ſtatus erat, vt homo ſecundum partem ſuperiorem dominaretur omnibus rebus inferioribus, eiſque nullatenus ſubijceretur, quandiu illius mens eſſet ſubiecta Deo: ſed contra hunc ordinem, & rectitudinem eſſet ſi durante ſubiectione perfecta hominis erga Deum perficeretur, vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiā per aliquam rem ſenſibilem, & corporalem: ergo neque poterat perfici congruenter per aliquod ſacramentum durante tali ſubiectione mentis erga Deum, vnde infertur probabilius eſſe, vtpotè magis rationi, & rectitudini illius ſtatus conſentaneum; neque de facto tunc futura eſſe aliqua ſacramenta.

ART. III.

Vtrùm poſt peccatum ante Chriſtum ſacramenta debuerint eſſe?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod poſt peccatum ante Chriſtum ſacramenta non debuerint eſſe. Dictum* eſt enim, quod per ſacramenta paſsio Chriſti hominibus applicatur: & ſic paſsio Chriſti cōparatur ad ſacramēta, ſicut cauſa ad effectum. Sed effectus non præcedit cauſam. Ergo ſacramenta non debuerunt eſſe ante Chriſti aduentum. *4. d. 1. q. 1. ar. 2. q. 4* *a. 1. hui. q. ad 3.*

2 Præterea, ſacramenta debent eſſe conuenientia ſtatui humani generis: vt patet per Auguſt. 19. contra Fauſtum. Sed ſtatus humani generis non fuit mutatus poſt peccatū, vſque ad reparationem factā per Chriſtum. Ergo neque ſacramenta debuerunt immutari, vt pręter ſacramenta legis naturæ, alia ſtatuerentur in lege Moyſi. *c. 16. et 17 tom. 6.*

3 Præterea, quanto aliquid eſt magis propinquum perfecto, tanto magis debet ei aſsimilari. Sed perfectio ſalutis humanæ per Chriſtum facta eſt, cui propinquiora fuerunt ſacramenta veteris legis, quam ea quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt eſſe ſimiliora ſacramentis Chriſti. Cuius tamē cōtrariū apparet, ex eo, quod ſacerdotiū Chriſti pędicitur eſſe futurū, ſecundū ordinē Melchidech, & non ſecūdū ordinē Aaron: vt habetur Hebr. 7, Nō ergo cōueniēter fuerūt diſpoſita ante Chriſtum ſacramenta.

Sed

Sed contrà eſt, quod* Auguſt. dicit 19. contra Fauſtum, quod prima ſacramenta, quæ celebrabantur, & obſeruabantur ex lege, prænuntia erant Chriſti venturi. Sed neceſſariũ erat ad humanam ſalutem, vt aduentus Chriſti prænuntiaretur. Ergo neceſſarium erat ante Chriſtum ſacramenta quædam diſponi.

c. 13. in pr. tom. 6.

Reſpondeo dicendum, quod ſacramenta neceſſaria ſunt ad humanam ſalutem, in quantum ſunt quædam ſenſibilia ſigna inuiſibilium rerum, quibus homo ſanctificatur. Nullus autem ſanctificari poteſt poſt peccatum, niſi per Chriſtum, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidẽ in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſv Chriſti. Et ideo opportebat ante Chriſti aduentum eſſe quædam ſigna viſibilia, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur de futuro Saluatoris aduentu. Et huiuſmodi ſigna dicũtur ſacramenta. Et ſic patet, quod ante Chriſti aduẽtum, neceſſe fuit quædam ſacramenta inſtitui.

Ad primum ergo dicendum, quod paſsio Chriſti eſt cauſa finalis veterum ſacramentorum: quæ ſcilicet ad ipſam ſignificandam ſunt inſtituta. Cauſa autem finalis non præcedit tempore, ſed ſolum in intentione agentis. Et ideo non eſt inconueniẽs aliqua ſacramenta ante Chriſti paſsionem fuiſſe.

Ad ſecundum dicẽdum, quod ſtatus humani generis poſt peccatũ, & ante Chriſtum, dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundum fidei rationem: & ſic ſemper vnus, & idem permanſit, quia ſcilicet iuſtificabantur homines per fidem futuri Chriſti aduentus. Alio modo poteſt conſiderari ſecundũ intenſionem, & remiſsionẽ peccati, & expreſſæ cognitionis de Chriſto. Nam per incrementa temporum & peccatum cœpit in homine magis dominari: in tãtum quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non ſufficerent homini ad rectê viuendum pręcepta legis naturæ, ſed neceſſe fuit determinari præcepta in lege ſcripta, & cum his quædam fidei ſacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa tẽporum magis explicaretur cognitio fidei: quia, vt Gregorius* dicit: per incrementa temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum. Et ideô etiam neceſſe fuit quod in veteri lege quædam ſacramenta fidei, quam habebant de Chriſto venturo, determinarentur. Quę quidem comparantur ad ſacramenta, quæ fuerunt ante legem, ſicut determinatum ad indeterminatum: quia ſcilicet ante legẽ non fuit determinatê pręfixum homini, quibus ſacramentis vteretur, ſicut fuit per legem: quod erat neceſſarium, & propter obtenebrationem legis naturalis, & vt eſſet determinatior fidei ſignificatio.

ho. 16. in Ezech. in m[...]

Ad tertium dicendum, quod ſacramentum Melchiſedech, quod fuit ante legem, magis aſsimilatur ſacramento nouę legis in materia, in quantum ſcilicet obtulit panem & vinum (vt habetur Geneſ. 14.) ſicut etiã ſacrificium nouæ legis oblatione panis & vini perficitur. Sacramenta tamen legis Moſaicæ magis aſsimilatur rei ſignificatæ per ſacramentum, ſcilicet paſsioni Chriſti, vt patet de agno paſchali, & alijs huiuſmodi. Et hoc ideo, ne propter continuitatem temporis, ſi permaneret eadem ſacramentorum ſpecies, videretur ſacramenti eiuſdem eſſe continuatio.

16 CONcluſio eſt, ante Chriſti aduentum poſt peccatū, neceſſe fuit inſtitui: quædam ſacramenta. Tum vt prænuncia eſſent Chriſti venturi, teſtè Aug. lib. 19. contra Fauſtum c. 13, Tum etiam, quia Sacramenta ſunt neceſſaria ad humanam ſalutem; tanquam ſigna ſenſibilia rerum, ac donorum inuiſibilium quibus homo poſt peccatum ſanctificatur.

Igitur ante Chriſti aduētum poſt peccatum opportuit eſſe quædam ſigna ſenſibilia quibus homines fidem ſuam de Chriſto venturo proteſtarentur : tunc vltra ſed hæc ſigna dicuntur ſacramenta: ergo. Prima conſequentia fit nota, quia nullus poſt peccatum ſanctificatur, niſi per Chriſtum, & fidem ipſius.

ART. IIII.

Vtrùm poſt Chriſtum debuerint eſſe aliqua ſacramenta?

4. d. 1. q. 1 a. 2, q. 5 et d 2. a 4 q. 1. & 4. cō. ca. 57. AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod poſt Chriſtum non debuerint eſſe aliqua ſacramenta. Veniente enim veritate, debet ceſſare figura. Sed gratia, & veritas per Iesvm Chriſtum facta eſt, vt dicitur Ioannis primo. Cum igitur ſacramenta ſint veritatis ſigna ſiue figuræ, videtur quod poſt Chriſti paſsionem, ſacramenta eſſe non debuerint.

2 Præterea, ſacramenta in quibuſdam elementis conſiſtunt, vt ex ſupradictis patet*. Sed Apoſtolus dicit ad Galata 4. Cum eſſemus paruuli, ſub elemētis mūdi eramus ſeruientes: nunc autem temporis plenitudine veniente, iam non ſumus paruuli. Ergo videtur, quod non debeamus Deo ſeruire, ſub elementis huius mundi, corporalibus ſacramētis vtendo. q. præc. a. 4 & 5.

3 Præterea, apud Deum non eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obumbratio, vt dicitur Iacobi primo. Sed hoc videtur ad quandam mutationem diuinæ voluntatis pertinere, quod alia ſacramenta nunc hominibus exhibeat ad ſanctificationē tempore gratię, & alia ante Chriſtum. Ergo videtur, quod poſt Chriſtū non debuerint alia ſacramenta inſtitui.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit contra Fauſtum decimonono*, quod ſacramenta veteris legis ſunt ablata, quia impleta: & alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. c. 13. to. 6.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut antiqui patres ſaluati ſunt per fidem Chriſti venturi, ita & nos ſaluamur per fidem Chriſti iam nati & paſſi. Sunt autem ſacramenta quædam ſigna proteſtantia fidem, qua homo iuſtificatur. Opportet autem alijs ſignis ſignificari futura, præterita, & præſentia. Vt enim Auguſtinus* dicit decimonono, contra Fauſtum, eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta: ſicut ipſa verba, paſſurus, & paſſus, non ſimiliter ſonāt. Et ideô oportet quædā alia ſacramenta eſſe in noua lege, quibus ſignificentur ea quæ præceſſerunt in Chriſto, præter ſacramenta veteris legis, quibus prænuntiabantur futura. c. 16. to. 6.

Ad primū ergo dicēdum, quod ſicut Dion.* dicit in 5. c. Eccleſ. hier. Status nouæ legis, medius eſt inter ſtatū veteris legis, cuius figurę implētur in noua lege; & inter ſtatū glorię, in qua omnis nude & perfectê manifeſtabitur veritas. Et ideo tunc nul- p. 1. tit. 1. à medio.

la

la erunt ſacramenta. Nunc autem quamdiu per ſpeculum & in ænigmate cognoſcimus (vt dicitur primæ ad Corinthios decimotertio) opportet nos per aliqua ſenſibilia ſigna, in ſpiritualia deuenire. Quod pertinet ad rationem ſacramentorum.

Ad ſecundum dicendum, quod ſacramenta veteris legis Apoſtolus vocat egena & infirma elemẽta: quia gratiam non continebant, nec cauſabant. Et ideô vtentes illis ſacramentis, dicit Apoſtolus ſub elementis mundi Deo ſeruiſſe: quia ſcilicet nihil aliud erant, quam elementa huius mundi. Noſtra autem ſacramenta gratiam continent & cauſant: & ideo non eſt de eis ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quod ſicut paterfamilias non ex hoc habere monſtratur mutabilem voluntatem, quod diuerſa pręcepta familiæ ſuæ proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme, & ęſtate: ita nõ oſtenditur aliqua mutatio eſſe circa Deum, ex hoc quod alia ſacramenta inſtituit poſt Chriſti aduẽtum, & alia tempore legis: quia illa fuerunt congrua gratiæ pręfiguranda: hęc autem ſunt congrua gratiæ præſentialiter demonſtrandę.

In lege noua ſunt neceſſaria ſacramenta.

17 Concluſio affirmans eſt, nimirum opportere in lege noua eſſe quædam alia ſacramenta ad humanam ſalutem conſequendam: eo quod ſacramenta, vt dictum eſt ſunt ſigna proteſtantia fidẽ: qua homo iuſtificatur: ſed opportet alijs ſignis proteſtari, ſiue ſignificari fidẽ Chriſti venturi, & præſentis, opportet enim alijs ſignis ſignificari futura, præterita, ſeu præſentia, quia teſte Auguſtin. lib. 19. cõtra Fauſtum cap. 19. eadem res aliter annũciatur facienda, aliter facta: ergo opportet quædam alia ſacramanta eſſe in noua lege quibus ſignificentur ea quæ præceſſerunt in Chriſto pręter ſacramenta veteris legis quibus futura prænunciabantur.

18 Circa doctrinam horum articulorum nonnullæ expendendæ ſunt difficultates quæ à Theologis diſcutiuntur.

Quatuor dubia.

Prima eſt. Vtrùm in lege natæ fuerint aliqua inſtituta ſacramenta, tum ad tollendum originale peccatum paruulis, tum etiam ad remiſſionem actualium in adultis?

Secunda eſt. Vtrùm in lege ſcripta fuerint etiam alia ſacramenta pro remiſſione actualium peccatorum vltra circuncisſionem? De qua etiam inquiritur, an fuerit verum ſacramentum inſtitutum in remedium originalis peccati?

Tertia eſt. Vtrùm ſint in lege Gratiæ inſtituta aliqua ſigna neceſſaria ad ſalutem humanam quæ ſint verè, & propriè ſacramenta?

Vltima difficultas eſt. An huiuſmodi nouæ legis ſacramenta cæteris antecellant?

19 AD primam difficultatem reſpondetur concluſione affirmatiua quæ duas continet partes, nimirùm in lege naturę fuiſſe à Deo inſtitutum aliquod remedium ad remiſsionem originalis peccati in infantibus, illudquè fuiſſe verum ſacramentum. Et fuiſſe ſimiliter alia ſigna inſtituta pro remiſsione peccatorum actualium: aut etiam ad debitum cultum Deo ſignis externis exhibendum.

In prima parte huius aſſertionis conueniunt fere omnes Theologi: de quorum numero ſunt Scotus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 6. & 7. Alenſis, 4. part, quæſt. 1. membr. 3. art. 3. & quęſt. 5. membr. 1. Mai. in eodem 4. quæſt. 4. Gabr. quæſt. 2. art. 3 & Paludan. in eadem diſtinct. 1. 4. quæſt. 5. art. 5. Soto quæſt. 2. art. 3. & Suar. hic diſputat. 4. ſection. 3. cum alijs neothericis aſſerẽtibus in lege naturæ fuiſſe inſtitutum quodam ſignum ſenſibile ad iuſtificationem paruulorum, & remedium peccati originalis illudque fuiſſe verè, & propriè ſacramentum.

Idemque docet Cano in relectione de ſacramentis in genere part. 3. contra Durand. qui in 4. diſtinct. 1. quæſtion. 8. licet admittat huiuſmodi remedium paruulorum in lege naturæ conſtitutum in aliqua actione ſenſibili & externa, negat tamen illud fuiſſe verum ſacramentum; quãuis inter pręfatos auctores nonnullum ſit diſidium in explicando ſuam ſententiam: Scotus enim & ſequaces volunt huiuſmodi ſignum ſenſibile ad remiſsionem originalis pecati à Deo inſtituti in lege naturæ, fuiſſe ſub certa, & determinata ceremonia ſenſibili pręſcriptum, ac diffinitum.

20 Sed quia hęc poſitio nullum habet fundamẽtũ in ſacra Scriptura, in Patrib', aut Hiſtorijs. Eo quod nullibi reuelatur aut refertur determinatum, & præſcriptũ tale ſignum ſenſibile, neque de illo vlla fit mentio, imò neque ad certitudinem, vel ad effectum iuſtificationis erat neceſſaria talis determinatio: propterea reiecta opinatione Scoti tanquam nullo probabili fulcita fundamento , cæteri Scholaſtici, & Theologi docent huiuſmodi ſenſibile ſignum, & ſacramentum fuiſſe quidem à Deo inſtitutum, & in genere præſcriptum: quãuis ex diuina inſtitutione non fuerit determinata, & præſcripta ceremonia ſenſibilis in ſpecie: ſed hoc relictum fuit hominis arbitrio, ita vt ex hominum beneplacito, & arbitrio diffiniretur tale remedium ſenſibile peccati originalis ad certam, ac determinatam ceremoniam, ſeu actionem externam.

2 Neque enim hoc eſt contra veram ſacramenti rationem: quæ ſententia à nobis, probatur primo: ſupponendo neceſsitatem ſacramentorum ex peccato proceſsiſſe, & ex diuina miſericordia quæ non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat: ex peccato quidem, quia vt ait Concil. Cartaginenſe epiſt. ad Innocentium, & Innocentius ad Concil. & Celeſtinus, in ſuis decretis, *Humanum genus poſt peccatum in omni ſtatu habebat quidem magiſtrum iuſtitiæ, legẽ ſcilicet demonſtratoriã peccati: ſed vires ſibi deeſſe lugebat, quibus illam perpetuo exequi poſſet, hoc autem deuitare, erat qui monſtraret viam, qui & errorem oſtenderet; ſed non qui ſemita rectitudinem tenere perficeret, & erroneos greſſus ad viam reduceret, agnoſcebat morbum, ſed medicum requirebat.* Ex diuina autem miſericordia, quia Pater miſericordiarum ſolicitus ſalutis orbis terrarum, & qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, pariter voluit plura, & multiplicia hominibus conferre remedia diuinæ propitiationis aſſequendæ. Vnde pro culpa originali expianda in omni ſtatu contulit humano generi auxilia ſuficientia in oblationibus & ſacramentis per quæ humanæ naturæ macula poſſet abſtergi: quo ſuppoſito tale deducitur argumentum: Deus etiã vt auctor ſupernaturalis nunquam deficit in neceſſarijs, neque hominem deſtituit auxilijs ſufficientibus ad ſalutẽ, alioquin neque verificaretur de Deo quod nõ vult mortem peccatoris, neque quod voluntate antecedenti vult omnes homines ſaluos fieri: ſed in omni ſtatu naturę lapſę homo indiguit expiatione peccati originalis ad ſalutem: ergo ad id debuit inſtitui, & præſtari à Deo aliquod medium naturæ humanæ proportionatum, ac proinde ſenſibile.

Digitized by Google

ſibile, quod proinde haberet rationẽ ſacramenti.

Secundo probatur, quia expræſſa ſententia eſt Auguſtini in dicto loco cõtra Fauſtum & lib. 5. cõtra Iulianũ c. 9. Cypriani ſermon. de circuncisſione Chriſti, & Gregor. lib. 4. mor. cap 2. & refertur de conſecrat. diſtinct. 4. cap. *quod apud*, vbi ſic habet: *quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro his qui ex Abraha ſtirpe prodierunt, miſterium circumciſionis.* In quibus verbis, dum Gregorius inquit, pro paruulis in lege naturæ ſolam fidem ſuffeciſſe, ſub fide, includit etiam fidei externam profeſsionẽ & applicationem humano more factam, in eoquod conſtituit differentiam inter paruulos, & adultos pro illo ſtatu, quod paruuli quia non habebant niſi originale peccatum, ſolo ſacramento fidei ad ſalutẽ indigebant, adulti verò propter actualia peccata etiam alijs ſacrificijs externis indigebant vt Deo pro illa ſatisfacerent ſaltem ex opere operantis, vt notat Diu. Thom. in 4, diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 6. quæſtiunla 3. qui tum ibi, tum etiam in art. 3. huius quæſtionis, & art. 5. quæſt. præcedent. & infra quæſt. 70. art 4. ad 2, conſtans & perpetuus eſt in hac ſententia, quod remedium paruulorum pro peccato originali in lege naturæ non fuit in ſolo actu fidei interno parentum conſtitutum, ſed etiam in aliquo ſigno ſenſibili, & externo internæ fidei proteſtatiuo, quamuis aliquando ſolius fidei internæ mentionem fecerit, nõ tamen intelligitur excludere a concomitãti externa fidei proteſtatione, vtpotè cum hæc ſit expræſſa ſententia Auguſtini, lib. 5. contr. Iulianum capit. 9. à qua non eſt credendum Diu. Thom. alicubi receſsiſſe: ergo.

22 Tertio probatur, hac ratione hoc remedium peccati originalis fuit inſtitutum à Deo in aliqua ceremonia, ſeu actione externa, & ſenſibili, vtpotè naturæ humanę proportionata vt dictum eſt: per quam delebatur ipſum originale peccatum, & anima paruuli ſanctificabatur: & alias huiuſmodi ſanctificatio per tale ſignũ ſenſibile ſignificabatur, vtpotè quia ad hoc inſtitutum erat vt homines cognoſcerent paruulum ſanctificari interius à Deo adhibita tali ceremonia externa: ergo erat verum ſacramentum: Conſequentia patet, quia iſtæ ſunt conditiones veri ſacramenti, nimirum quod ſit ſignum ſenſibile, & externa quædam ceremonia gratiam ſanctificantem ſignificans, in fide mediatoris venturi ſaltim implicite conferendam: & ex inſtitutione diuina dependens ſaltim in genere, quod ſufficit ad veram rationem ſacramenti: quod enim determinatio materiæ in hac ſpecie, & hic, & nunc ex arbitrio humano dependeat, hoc non mutat intrinſecam rationem ſacramenti quia mutatio hæc ſolum ſe tenet ex parte cauſæ efficiẽtis, & extrinſecæ, ſi enim Chriſtus inſtituiſſet baptiſmum in aqua genericè prout abſtrahit à naturali, & artificiali quamuis determinatio aquæ in particulari ex humano arbitrio fieret hoc non tolleret vnitatem ſpecificam baptiſmi, neque naturam eius in ratione ſacramenti mutaret. Aliud exemplum appoſitiſsimum habemus in matrimonij ſacramento, quod licèt inſtitutum fuerit à Chriſto Domino inter perſonas habiles in genere, determinationem verò huiuſmodi habilitatis in ſpecie iudicio, & arbitrio humano reliquit. Vnde Eccleſia in Tridentina ſynodo ſeſsion. 25. decreto de reformatione matrimonij decreuit perſonas habiles eſſe dumtaxat illas, quę contrahunt coram parrocho, & duobus ſaltem teſtibus, irritum declarans matrimonium clandeſtine contractum, quod tamen ante illud decretum erat validum nedum in ratione contractus, ſed etiam in ratione ſacramenti; vtpote inter perſonas habiles pro tunc contractum.

23 Deinde pro ſecunda parte probatur. Tum quia per traditionem ex ſacra Scriptura deſumptam, & in illa fundatam conſtat ſemper fuiſſe in Eccleſia pro omni ſtatu etiam legis naturæ cultum Dei veri externis ſignis, & ceremonijs proteſtatũ: nam de Caino, & Abele legimus Geneſis 4. Deum coluiſſe rebus externis, & ſacrificijs: alterum quidem de frugibus terræ: alterum verò de gregibus obtuliſſe: idemque de aliquibus viris ſanctis legimus ab Adam, vſque ad Noe, & a Noe vſque ad Abrahamum.

Tum etiam, quia cultus iſte eſt debitus Deo ex naturali lege, eoquod oritur huiuſmodi obligatio exhibendi Deo talem cultum externũ ex ipſa naturali hominis compoſitione ex anima, & corpore: necnon ex origine, quam habet à Deo ſecundũ vtramque partẽ: atque ex modo viuendi quẽ ſuapte natura poſtulat homo in ſocietate, & congregatione aliorum homi

num

num tamquam animal ſociabile: ſed ſemper, & in quouis ſtatu fuerunt homines qui huic debito naturali, ſatisfacerent, vtpotè in quibus ſemper Eccleſia durauit: necnon Catholica Fides, ac religio permanſit. Cum hoc tamen diſcrimine ab Hugo Victorino, lib. 1. de ſacramentis, part. 11. cap. 3. aſsignato inter ſacramenta legis naturæ, & veteris, ſeu ſcriptæ: quod illa fuerunt voluntatis, ſeu ex voto: hæc vero neceſsitatis, & ex præcepto, quam differentiam etiam agnouit Anacletus Papa epiſtol. 2. cap. cap. 2. dicens quod Abraham, & antiqui Patres ante Aaron ſacrificium obtulerunt ſpõtanea volũtate, quod intelligendum eſt, non quidem quantum ad ſubſtantiam, vel rationem communem cultus externi, qui per illam actionem exhibeatur, ſic enim iam diximus fuiſſe neceſſarium, ac debitum neceſsitate præcepti naturalis, vt etiam probat Diu. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 84. & 85. ſed quantum ad determinationem materiæ, & modum cultus ſic enim fuit voluntarius, teſte Diu. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 103. art. 2. ad 2. quod nequè ex natura rei, nequè ex ſpeciali Dei inſtitutione fuit determinatus: ſed potius eius determinatio fuit voluntaria, vtpotè hominum voluntati, ac beneplacito relicta: Cuius euidens ſignum eſt iuxta diuerſarum Prouintiarum, ac gentium mores, diuerſos quoquè fuiſſe modos exterius collendi Deum, nedum apud Catholicos, verumetiam apud idolatras: hoc inquam ſignum euidens eſt, tum naturalis inclinationis naturæ humanæ circa cultum externum Dei, vtpotè, quia nedum fideles, ſed etiam gentiles, hoc ſemper obſeruarunt, vt quos deos colerent, eos aliquo cultu externo venerarentur: adidquè ſuos haberent ſacerdotes, vnde Geneſis 41. & 47. fit mentio ſacerdotum Egypti, & terræ ſacerdotalis, necnon Exodi 2. & 3. dicitur de Ietro, quod erat Sacerdos Madiam, eſt etiam ſignum voluntarij cultus huiuſmodi varietas, ac diuerſitas: cum enim pronum ſit humanum ingenium ad diſſentiẽdum: diuerſorum enim hominum mores, ingenia, & opinio inter ſe diſcordant, teſte Boecio de conſultatione lib. 2. proſa 7. & ideò teſte Lupertio, *nec voto viuitur vno, & quot capita tot ſententiæ*, & lege 2. ff de origine iuris dicitur: *Diſſentit hominum turba*, ex hac pronitate humani intellectus ad diſſentiẽdum, ſequta fuit pariformiter pronitas in voluntate ad diſcordandum in modo exterius collendi Deum: quouſque Deus ſpecialibus ſacrificijs, & ceremonijs Iſraeliticum populum aligauit, vt eum à tanta varietate, & voluntaria diuerſitate auerteret, & ſimul ab externo cultu idolorum abſtraheret.

In particulari ſacramenta legis naturæ erãt ex voto, ſcriptæ vero ex præcepto.

23 Sed has ceremonias non habuiſſe in lege naturæ veram rationem ſacramenti præter illam quæ fuerat in remedium originalis adhibita patet, quia cum triplex ſit neceſsitas ſacramentorum: nimirum, aut propter ſanctificationẽ aliquã hominis, aut propter collẽdũ Deũ, aut tãdẽ propter profeſsionẽ ſidei, & propter primam neceſsitatem, ſolum potuit in lege naturæ eſſe conueniens, & neceſſarium ſacramentum inſtitutum in remedium peccati originalis: actualia enim peccata ſicut à ſolis adultis per proprios actus commituntur: ita per propriam diſpoſitionem liberi arbitrij remiti poterant: & licet in hoc poſſent homines multum iubari per ſacramenta in quibus gratia conferatur, & maximè per quæ fiat ex atrito contritus, tamen hæc perfectio omnino excedit illius temporis, & ſtatus imperfectionem.

Sacramenta legis naturæ in remedium actualis peccati non erant propriè ſacramenta.

Deinde, nequè propter ſecundam neceſsitatem erant neceſſaria tunc aliqua ſacramenta, quia ſi fiat ſermo de ſanctificatione interna per gratiam, hæc eſt ſupra conditionem illius legis, & ſtatus, nequè illam vt præſentem ſignificabat externa ceremonia, nequè illi erat promiſſa à Deo: ſi autem fiat ſermo de ſola ſanctificatione externa, & legali: hæc nequè erat neceſſaria, niſi ſolis ſacerdotibus ad diuinum cultum ſpecialiter deſtinatis: nequè ad illam obtinendam aliquam ſpecialis ceremonia requirebatur.

Deniquè, nequè propter tertiam, quia licet ex illa, colligat D. Thom. in hoc artic. 3. generaliter debuiſſe eſſe ſacramenta ante Chriſti aduentum: quia homines ſemper, & pro omni ſtatu poſt peccatum fuerunt iuſtificati in fide Chriſti; quam opportuit ſignis viſibilibus proteſtari, tamen ex hoc ſolo capite non poteſt colligi fuiſſe propria, ac perfecta ſacramenta in lege naturæ, quia ſine ſacramentis propriè dictis poſſent homines multis alijs modis, vt per verba, per ſacrificia, & oblationes fidem profiteri, quemadmodum nunc in lege gratiæ præter ſacramenta pluribus alijs exterioribus actibus fidem Chriſti profitemur, vnde ex hac ratione ſolum poteſt colligi fuiſſe ante aduentum Chriſti, in lege ſcripta vera ſacramenta, ad melius

proſitendam, & conſeruandam fidem in lege autem naturæ fuiſſe aliqua ſigna, & ſacrificia externa, quæ cum ſacramentis analogentur: aut ſi probat hæc ratio aliquem vſum ſacramentorum in lege naturæ debuiſſe reperiri: ſufficit ille qui in prima fidei profeſsione, ideſt in illo ſacramento quod in remedium originalis peccatum fuit inſtitutum exercebatur.

24 Huic tamen doctrinæ duo videntur obſtare: nimirum id quod de matrimonio inter Adamum, & Euam contracto, dicit Paulus ad Epheſios 5. ſcilicèt *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*: denotans illud fuiſſe verum ſacramentum; Chriſti cum Eccleſia coniugium ſignificans, nec non illud, quod de ſacrificio Melchiſedech, Paulus ad Hæbreos 7. prædicat. dicens fuiſſe repræſentatiuum ſacerdotij Chriſti perfectius, quam ſacrificium Aaron: illudquè propterea Sancti patres ſacramentum appellant, vt pote typum Euchariſtiæ gerens, vt Auguſtin. epiſtol. 95. ad Innocentium, & Ambroſius lib. 4. de ſacramentis, cap. vltimo, & Clemens Alexandrinus libro 4. Stromatum, & D. Thom. idem indica hic ad 3 & ſupra quæſt. 22. art. 6. ad ſecundum, dum ait in vno loco ſacramentum Melchiſedech, quod fuit ante legem magis aſsimilari ſacramento nouę legis in materia, ſcilicet Euchariſtiæ, quæ in oblatione panis, & vini perficitur. In altero vero inquit, quod Sacerdotium Chriſti quantum ad participationem, & effectum expreſsius præfigurabatur per Sacerdotium Melchiſedech, qui offerebat panem, & vinum ſignificãtia Eccleſiaſticam vnitatem, quam conſtituit participatio ſacrificij Chriſti. Vnde etiam in noua lege verum Chriſti ſacrificium communicatur fidelibus ſub ſpecie panis, & vini.

Oſtẽditur coiugium Adami nõ fuiſſe ſacramentũ.

25 Sed ad priorem obiectionem de matrimonio primorum parentum dicendum eſt illud nedum in lege naturæ, ſed in ſtatu innocentiæ fuiſſe, in quo nulla fuit neceſsitas ſacramentorum, ac proinde neutiquam fuiſſe ſacramentum verè, & propriè propter duo; tum quia nequè fuit ordinatum à Deo ad aliquam hominis ſanctificationem cauſandam: nequè enim Deus illam cauſauit ad præſentiam illius, nequè illud eam cauſauit ex opere operato: quarum prima fuit conditio ſacramentorum legis veteris. ſecunda verò, eſt excellentia ſacramentorum legis gratiæ.

Tum etiam, quia teſte Diu. Thom. in 4. diſtinction. 1. articulo ſecundo, quæſtion. 2. nequè à Deo fuit opus illud inſtitutum ad ſignificandum coniũctionẽ Verbi diuini cum natura humana, aut Chriſti cum Eccleſia: ſed Adamus qui prius per diuinam reuelationem agnouerat futurũ Incarnationis myſterium, poſtea quaſi ex bonitate intelligentis per ſapientiam infuſam in illo opere proportionem, & ſimilitudinem eius cum futuro Incarnationis miſterio agnouit, & ideò in illa verba prophetice prorrupit, *hoc nunc os ex oſſibus meis.* Quare Paulus conſultò dixit, non quidem, *ſacramentum magnum fuit, ſed magnum eſt*; quo denotaret tunc illud coniugium in ratione naturalis contractus inchoatum fuiſſe, & poſtea in lege noua in ratione ſacramenti eleuatum.

Vndè minus benè Hugo Victorin. lib. 1. de ſacramentis, part. 8. cap. 12. & 13. adſtruxit illud coniugium, etiam pro tunc fuiſſe ſacramentum inſtitutum à Deo, ſaltem quoad rationem ſigni, hoc eſt quoad ſignificationem alicuius rei ſacræ, ſeu futuri ſupernaturalis miſterij: cuius ſententiam in hoc non probamus obrationes adductas, niſi nomine ſacramenti, latius vſurpet quoduis ſignum rei ſacræ, ſiue à Deo ad id inſtitutum: ſiue ab hominibus accõmodatum.

26 Ad ſecundam Soto in dicta diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. circa finem, & Suarius, diſp. 4. ſection. 4. concluſion. 3. aſſerunt probabiliter ſacrificium Melchiſedech, quantum ad rem oblatam fuiſſe verum ſacramentum, eo quod id inſinuant prædicti Patres, & Diu. Thom. in locis citatis.

Oſtẽditur ſacrificiũ Melchiſedech non fuiſſe ſacramẽtum.

Tum etiam, quia non eſt inconueniens vſum vnius, aut alterius ſacramenti in ſtatu legis naturæ poſt peccatum in vna, aut altera natione, aut familia, aut gente ex ſpeciali Dei indulto, ac priuilegio.

Tum deniquè, quia ex huiuſmodi ſpeciali Dei beneficio, ac priuilegio ſatis conueniens, & probabile eſt Melchiſedech in ea oblatione panis, & vini ex lumine ſupernaturali, & affectu religionis, hoc eſt exhibendi cultum Deo auctori ſupernaturali ceremoniam illam exercuiſſe: quæ etiam ex ordinatione Dei erat ſignum alicuius miſterij ſuper naturalis, & rei ſacræ, vt dictum eſt: quæ ſunt duæ conditiones ad veram rationem ſacramenti ſufficientes

ac requiſitæ: ergo cùm in ea oblatione conuenerint, & ceremonia ſacra, & ſignum rei ſacræ: non eſt cur non fuerit verum ſacramentum, ſed Soto illico ab hac opinione recedens, in oppoſitam reuertitur dicens non valere conſequētiam hanc nimirum: Melchiſedech in ea oblatione panis, & vini recognouit in miſterio ſacerdotium Aaron ſubditum ſacerdotio Chriſti, eamque exhibuit tanquam ſacerdos Dei altiſſimi in cultum Dei: ergo fuit ſacramentũ: nã ſicut Caim naturaliter obtulit fruges, & Abel naturali affectu, & lumine ductus obtulit Deo ſacrificium de ouibus abſquè ſacramenti alicuius vſu: ita & Melchiſedech inſtinctu naturæ, & forte fidei offerebat panem, & vinum: erant enim in lege naturę proprij ſacerdotes, qui vbi verus colebatur Deus, ei pro populo offerebant ſacrificia, & pręces fundebant, quibus ſuo ordine, & gradu, illud etiam Pauli ad Hæbreos 5. congruebat: omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis: ſed ſtãdum eſt in priori opinione, vtpote D. Thom. magis conformi.

27 AD ſecundam difficultatem reſpondeo concluſione affirmãte vtramquè partem quæſiti: nimirum fuiſſe plura alia ſacramenta in lege ſcripta in remiſsionem peccatorum actualium inſtituta à Deo, vltra circuncisſionem, quæ & verum ſacramentũ fuit in remedium peccati originalis datũ: prima pars huius aſſertionis probatur.

Tum quia conformior eſt modo loquendi Concilij Florentini, & Eugenij Quarti, in Decret. de Sacramentis: & Tridentini Seſsione 7. canon. 2. vbi ſub anathematę diffinit ſacramenta nouæ legis à ſacramentis antiquæ nedum in ratione ceremoniæ, & ritus, ſed etiam in ratione ſacramenti differre, ac diſcriminari.

Tum etiam, quia eſt doctrina tradita à Sanctis Patribus: nimirum à Dioniſio, cap. 5. de Eccleſiaſtica Hierarchia, Ambroſio lib. 1. de ſacramentis, cap. 4. & lib. de ijs, qui iniciantur miſterijs, cap. 8. Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum, cap. 13. & lib. 10. de ciuitate cap. 20. Sandero lib. 1. de viſibili Monarchia, cap. 5. & Diu. Thomę 1. 2. quæſt. 102. art. 5. vbi ait quatuor in genere fuiſſe ſacramenta veteris legis: nimirum circunciſionem, quæ fuit inſtituta in remedium originalis peccati. Alia verò fuerunt inſtituta ad conſecrandos ſacerdotes: alia ad quendam vſum, & participationem rerum ſacrarum, necnon ad recognitionem beneficiorum Dei, vt agnus Paſchalis: & tandem alia ad expiationem, & purificationem peccatorum, vel legalium irregularitatum, ſub quibus plures ſacramentorum ſpecies continebantur. Et quoniam teſte Paulo 1. ad Corinthios 10. *Omnia in figura contingebant illis*: ideò fuerunt inter hæc ſacramenta quædam figurantia quatuor ex noſtris ſacramentis: nã circunciſio præfigurauit baptiſmum: agnus Paſchalis Euchariſtiam: conſecratio ſacerdotum ſacramentum ordinis, & expiationes omnes ſacramentum Pœnitentiæ præfigurarunt. At noſtrum ſacramentum matrimonij tunc ſpecialem figuram non habuit, quia nondum tunc contractus matrimonij fuit eleuatus ad rationem ſacramenti, quia nondum facta fuerat coniunctio diuini Verbi cum humanitate, nec data fuerat gratia quæ concupiſcentiam fręnat, & aliàs per ipſum matrimonij cuntractum ſufficienter fuit ſemper noſtrum ſacramentum aliquatenus adumbratum.

Rurſus, nequè ſacramentum confirmationis habuit figuram in veteri teſtamento, quia teſte Diu. Thoma infra quæſtion. 72. artic. 1. ad 2. huiuſmodi ſacramentum confert plenitudinem gratię, quę eſt perfectio ſuperans ſtatum illius legis, quæ nihil ad perfectum adduxit, vt dicitur ad Hebræos 7. ſimiliter nequè Extrema vnctio habuit in veteri lege aliquam figuram, quia teſte Diu. Thom. in 4. diſtinction. 23. quæſtion. 1, art. 1. quæſt. 1. hoc ſacramentum immediate hominem diſponit, ac preparat ad gloriam, cum exeuntibus à corpore detur: & in veteri lege nondum erat tempus introeũdi gloriam, quia neminem ad perfectum adduxit lex: propterea non debuit præfigurari ibi, per aliquod ſacramentum ſibi reſpondens, ſicut per figuram eiuſdem generis: licet per figuras remotas aliquatenus figuratum fuerit in omnibus curationibus, quæ leguntur in veteri teſtamento.

Tum deniquè ratione ſuadetur: quia illæ ceremonię recenſitę fuerunt à Deo inſtitutę ad profitendam fidem, & excitandam ſpem Chriſti venturi, atquè ad ſanctificationem hominum, quam, & ſignificabant; & Deus ad pręſentiam illorum con-

fe-

ferebatur. Iſtæ autem ſunt conditiones ſufficientes, & requiſitæ ad veram rationem ſacramenti: ergo verè fuerunt ſacramenta: imò & vniuocè cum noſtris quoad rationem ſigni ſacri, in qua eſſentia ſacramenti formaliter conſiſtit, vt ſupra oſtendimus. Eadem quoquè fuiſſe populo Iſraelitico neceſſaria ad ſalutem ſuppoſita eorum inſtitutione conſtans eſt Theologorum ſententia, neceſſaria in quam, non neceſsitate medij, quia nullum effectum habebant neceſſarium ad ſalutem, ſed neceſsitate præcepti, quo fideles illius populo tenebantur talibus vti ſacris ceremonijs pro loco, & tempore ad profitendam fidem: ad cultum Deo exhibẽdum, & ſanctificationem, ac remiſsionem peccatorũ obtinendam.

Deinde ſecunda pars aſſertionis: nimirum quod circunciſio fuerit in veteri lege ſacramentum, remiſsionem peccati originalis cauſans, & de facto mundans ab illo, eſt communiter recepta à patribus, & Theologis: licet enim inter patres ſit diſidium in aſsignanda præcipua, & primaria ratione motiua inſtituendi huiuſmodi ceremoniam circunciſionis: in cuius aſsignatione diuiſi fuere in duas ſentẽtias. Patres enim Græci ex maiori parte aſsignarunt pro ratione primaria motiua inſtituendi circunciſionem, non quidem remedium originalis maculæ; ſed conſignationem populi Dei ad diuinum cultum: ita vt Deus inſtitueret circunciſionem in Abrahamo, & eius poſteris ad diſtinguendum illum populum à cæteris nationibus, ad mancipandum illum cultui diuino, & dedicandum eum obedientiæ legum Dei, & ceremonijs legis, & ad proteſtandam fidem de Chriſto venturo: quæ dedicatio, & proteſtatio, quædam ſanctificatio moralis, & extrinſeca eſt, ac proinde ſufficiens, vt circunciſio eſſet verum ſacramentum: vtpote ceremonia ſacra, & ſignificatiua alicuius ſanctificationis.

Huius ſententiæ fuere Iuſtinus martir, Iræneus, Cyrilus, Chryſoſtomus, Origenes, Theophylatus, & AEchumenius: quorum teſtimonia plena manu congeſſit Suarius diſputatione quinta ſectione prima. Patres autem Latini ex maiori parte volunt circuncſionem non ſolum de facto mundare ab originali peccato, ſed etiam hoc munus fuiſſe primarum motiuum eius inſtitutionis: ita vt Deus inſtigueret circumciſionem, & illam daret populo Iſraelitico: primario quidem, vt viros à peccato originali mundaret: ſecundario vero propter alios fines recenſitos: nimirum, vt illum populum à cæteris diſtingueret, & cultui diuino manciparet.

Huius ſententiæ princeps ideſt, primus, præcipuus, & indubitatus author fuit parens Auguſtinus multis in locis ſuę doctrinę: præſertim libro tertio contra Iulianum, capite decimo octauo, dicens: *Reſponde ſi potes, cur ipſe Iſaac, niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus octauo die fuiſſet, periſſet anima eius de populo ſuo. Explica ſi potes cur merito tanta pœna plecteretur, niſi ab hac, tanto ſacramento liberaretur?* & libro quarto de baptiſmo, capite 14. ſubdit: *Ex circunciſione carnis, quam prior populus accepit conijcere nos poſſe, quid valeat in paruulis baptiſmi ſacramentum;* Et eandem doctrinam repetit lib. 2. de gratia Chriſti, & peccato originali, capit. 30. & 32. & lib. 2. de nuptijs, capit 11. & ſequenti, & lib. 5. contra Iulianum, capit. 9. & lib. 15. de ciuitate cap. 16. & tractatu 20. in Ioannem, & alibi ſæpe.

Vnde hanc ſententiam communiter Scholaſtici amplexi fuerunt cum Magiſtro in quarto diſtinctione prima, de quorum numero ſunt præſertim, Diu. Thom. Scotus, Durandus, Bonauentura, Paludanus, Gabriel, & Ricardus, & Alenſis, 4. part. quæſtion. 7. membro 7. articul. 2. & idem Diu. Thom. in hac 3. part. queſtion. 62. articul. 6. ad 3. & quæſtion. 70. artic. 4. vbi eidem communi calculo Neotherici adſtipulantur.

29 Omiſſa autem hac patrum diuerſitate. Circa motiuum, & rationem primariam inſtituendi circumciſionem ex parte Dei, omnium tamen concors ſententiæ eſt noſtra concluſio: nimirum, quod circunciſio ex primeua ſua inſtitutione fuerit ſacramentum inſtitutum à Deo ad aliquam ſanctitatem ſignificandam, ſiue illam extrinſecam, quam adſtruebant ſectatores primæ ſentẽtiæ: ſiue etiã gratiam ſanctificantem, & mundantem à peccato originali, quam adſtruunt ſectatores ſecundæ ſententiæ.

Nec non pro certo ſtatuimus, quod de facto circunciſio fuerit data in remedium originalis peccati, ſaltem tamquam propter finem ſecundarium: quamuis verius ſit illam fuiſſe datam, etiam ex primaria intentione Dei in remedium peccati originalis, ita vt remedium legis naturæ da

tum

tum pro mundanda originali culpa, quod de ſe erat indiferens quãtum ad materiam, & externam ceremoniam, determinatum fuerit à Deo ad hunc ſpecialem ritum circuncisionis pro filijs, & poſteris Abrahami. Et in hoc ſenſu, quem totum & ex omni parte complectitur noſtra aſſertio, ſuadetur primo ex decreto Innocentij tertij in cap. *maiores* de baptiſmo, vbi poſtquam comparauerat baptiſmum cum circuncisione tamquam cum ſua figura cõcludit plus nunc conferre baptiſmum, quam olim circuncisionem ijs verbis. *Quoniam, & ſi originalis culpa remitebatur per circuncisionis miſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen peruenebatur ad regnum cœlorum, quouſquè ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum; ſed per ſacramentum baptiſmi culpa remititur, & ad regnum cœlorum peruenitur.* fuit ergo circuncisio figura baptiſmi, & mundans ab originali peccato. Et quidem illam fuiſſe baptiſmi figuram adſtruit Paulus ad Coloſenſus ſecundo dicens: *Circuncisi eſtis circuncisione non manu facta, in ſpoliatione corporis carnis. ſed circuncisione Chriſti conſepulti ei in baptiſmo.* In quo autem fuerit figuratiua illius explicat Diu. Thomas infra quæſtion. 70. articulo primo dicens: quod circuncisio erat quædam proteſtatio fidei; nam illam teſte Paulo ad Roman. 4. accepit Abraham, tamquam ſignaculum fidei.

Rurſus, per illam antiqui agregabantur collegio fidelium, & fiebant idonei ad ſacramentorum receptionem: quapropter in hoc præfigurauit baptiſmum, qui eſt quædam fidei profeſsio, & per quem homines agregantur congregationi fidelium, & fiunt idonei recipiendi alia ſacramenta: eſt enim ianua Eccleſiæ, ac ſacramentorum: ſic etiam proportionabiliter circuncisio quædam ianua erat illius antiquæ Eccleſiæ. Inſuper addit Auguſtinus vbiſupra: circuncisionem fuiſſe figuratiuam baptiſmi, quia illum repræſentauit etiam quoad neceſsitatem: nam fuit inſtituta in remedium neceſſarium paruulis, vt liberarentur ab originali peccato: ſiquidem ex carentia illius ſequebatur damnatio infantis: vt colligitur ex illo Geneſis 17. *Maſculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit delebitur anima illius de populo ſuo*; ſicut ex illis verbis Euangelij, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. colligunt Theologi baptiſmum eſſe medium ad ſalutem neceſſarium.

Ex quibus tale deducimus argumentum; circuncisio fuit figuratiua baptiſmi: & data ſiue inſtituta in remedium originalis peccati: imo in remedium pro infantibus neceſſarium ex ſententia Auguſtini, & Innocentij vbiſupra: atquè erat quædam fidei proteſtatio, & ſignaculum: & aliàs ceremonia ſacra, in cuius vſu cultus ſpecialis Deo exhibebatur: quæ ſunt conditiones ſufficientes, & requiſitæ ad rationem ſacramenti: ergo.

Secundo probatur, quia ex illo ad Roman. 4. ſcilicet, & ſignum accepit circuncisionis *ſignaculum iuſtitiæ fidei*, conſtat attribui circuncisioni genus ſacramenti, videlicet eſſe ſignum: quod autem ei debeat attribui differentia, ſcilicet eſſe ſignum ſacrum, & rei ſacræ conſtat ex illo vltimo verbo, *ſignaculum iuſtitiæ*, nec enim poterat eſſe ſigillum iuſtitiæ, & ſanctitatis, niſi illam ſignificaret: & quia fuit etiam ſignum ſpiritualis circuncisionis, atquè gratiæ dandæ per Chriſtum ſatis aperte indicat Paulus in dicto loco ad Coloſſenſes ſecundo, & ex dicto capite Geneſis decimo ſeptimo, etiam colligitur illam fuiſſe ſacram, & religioſam ceremoniam.

Ac proinde ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ in ſenſu proprio intellectis deducitur ei conuenire genus, ac diferentiam ſacramenti: & conſequenter noſtram aſſertionem in hac parte eſſe certam de fide: nimirum quod circumcisio fuerit verum ſacramentum, quod propterea dicitur ſacramentum veteris legis, quia teſte Diu. Thoma prima ſecundæ quæſtion. 102. articulo quinto, licet ante legem fuerit inſtituta in Abrahamo, tamen manſit in lege veteri, & erat quaſi ianua ad cætera ſacramenta illius legis: nullus enim ſine illa ad legales ceremonias admittebatur: fuit etiam ſignum demonſtratium gratiæ præſentis, ſiquidem iuxta ſententiam Auguſtini gratiam mundantem à peccato originali ſignificabat, & cauſabat.

31 Ex quo tertium pro noſtra conclusionis deducimus argumẽtũ; nã circuncisio ſignificabat, & cauſabat gratiam iuſtificantem: cauſabat inquam gratiam non ex opere operato ſicut baptiſmus: ſed ex opere operantis, & in virtute fidei paſſionis Chriſti: hanc enim differentiam aſſignat Diu. Thom. in dict. quæſtione 70. *Circũciſio non cauſabat gratiã ex opere operato.*

arti-

articulo quarto, inter baptiſmum, & circuncisionem, quod quamuis vtrobiquè detur gratia iuſtificans, & remiſsiua peccati originalis dicente Auguſtino in libro ſecundo de nuptijs, & concupi. capite vndecimo ad Valerium contra Iulianum: ex quo inſtituta eſt circũciſio in populo Dei ad ſanctificationem purgationis valebat paruulis originalis veteriſquè peccati: ſicut & baptiſmus ex illo cepit valere tempore ad innouationem hominis, *ex quo inſtitutus eſt* ly, *ſicut* denotante non omnimodam ſimilitudinem, ſed aliqualem, nimirum iam dictam, & aſsignatam ibi ab Angelico Doctore, ſcilicèt, quod tam in circunciſione, quam in baptiſmo conferebatur gratia iuſtificans quantum ad omnes eius effectus: cum hoc tamen diſcrimine, quod in baptiſmo confertur gratia ex opere operato, hoc eſt ex virtute ipſius baptiſmi, quam habet in quantum eſt inſtrumentum paſsionis Chriſti iam perfectæ: in circunciſione autem conferebatur gratia ex opere operantis hoc eſt, non ex virtute ipſius circunciſionis, ſed ex virtute fidei paſsionis Chriſti cuius ſignum erat: ita ſcilicet quod homo qui accipiebat circunciſionem profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro paruulo: huiuſmodi autem ratio ſignificandi, & conferendi gratiam præſentem eſt ſufficienter conſtitutiua veri ſacramenti: ergo.

32 Quarto probatur ratione deſumpta ex eodem Diu. Thom. in dict. articulo quinto quæſtionis 102. ex prima ſecundæ in ſolutione ad primum aſſerente quod duplex fuit ratio circunciſionis, prima quidem, & principalis, ac literalis fuit ad proteſtationem fidei vnius Dei: ſecunda verò, & figuralis fuit, quia in illa figurabatur ablatio corruptionis fienda per Chriſtum, quæ perfecte complebitur in octaua ætate, quæ eſt ætas reſurgentium, & quia omnis corruptio culpæ, & pœnæ prouenit in nobis per carnalem originem ex peccato primi parentis: ideo talis circunciſio fiebat in membro generationis, accipiebaturque in die octauo: vnde primam rationem tetigit Paulus in dict. loco ad Roman. 4 Secundam vero ad Coloſſenſes ſecundo: ergo illa fuit ſignum proteſtatiuum fidei, & præfiguratiuum ſanctificationis conferendæ per Chriſtum: quod ſufficit ad illam conſtituendam in ratione ſacramenti: ergo.

33 Vltimo probatur ſatisfaciendo tribus obiectionibus, quæ pro contraria ſententia adduci ſolent. Prima eſt, quia ſi aliqua ſanctitas daretur paruulis in lege veteri per circunciſionem, vltra illã quæ dabatur in lege naturæ, & ſi ad hoc fuiſſet medium neceſſarium, non debuiſſent ab illo fœminæ excludi: ſicut nec excludũtur propter hãc rationẽ à baptiſmo.

Secunda eſt, quod aliàs, nec tanto tempore debuiſſet circunciſio in deſerto prætermitti. Cur enim debuiſſet gratia ad remediũ originalis peccati neceſſaria per quadraginta annos hominibus denegari?

Tertia deſumitur ex alia coniectura non minus probabili: quia nimirum ſi circunciſio fuiſſet remedium neceſſarium peccati originalis: non debuiſſet ei præfigi octauus dies: ita vt non poſſent Hebræi illam præuenire, aut differre: alioquim carerent ſeptem prioribus diebus, & toto tempore, quo illam poſt octauum diem differrent, beneficio, & medio ad ſalutem neceſſario: quod tamen alienum eſt à diuina miſericordia quæ vult omnes homines ſaluos fieri, & omnibus pro omni ſtatu confert auxilia ſufficientia ad ſalutem: ergo.

Sed iſtæ obiectiones tantum ſunt probabiles quædam coniecturę ſuadentes circunciſionem non fuiſſe Hebræis remedium neceſſarium abſolutè, & ſimpliciter neceſsitate medij ad ſalutem, niſi tantum neceſsitate præcepti. Neutiquam autem ſuadent illam non fuiſſe verum ſacramentum remiſsiuum originalis peccati, ſiue ex primaria, ſiue ex ſecundaria intentione Dei: & hoc ſecundum eſt intentum noſtræ aſſertionis. Primum autem non inficiuntur admittere plures Theologi, de quorum numero eſt Suarius in dict. ſectione prima. Pro qua ſententia citat Angelicum præceptorem in dict. quæſt. 70. huius partis, artic. 4. in ſolutione ad tertium. Sed quia licet ibi illam inſinuet, dum ait: quod populus in deſerto prętermittens circunciſionem, excuſabatur à peccato. Tũ quia neſciebant quando caſtra mouenda erant. Tum etiam, quia tunc non indigebant aliquo ſigno diſtinctiuo: ſiquidem ſeparati ab alijs nationibus habitabant: inobedentiam tamen incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant mãdatum circunciſionis. Nihilominus videtur probabilius, quod nulli incircunciſiſsi mortui fuerint in deſerto; quoniam non erat in tribubus eorum infirmus; vt dicitur Pſalmo 104. ſed illi ſoli videntur

mor-

mortui in deſerto, qui fuerant in Egypto circuncisi. Si tamen aliqui in circuncisi mortui ſunt, eadem ratio eſt de his, & de illis, qui moriebantur ante circuncisionis inſtitutionem: necnon de illis pueris, qui tempore legis ante octauum diē decedebant. Ac ſi diceret ſanctus Doctor, quod iſti nō decedebāt abſque remedio ſalutis, quia per remedium legis naturæ eis originale peccatum remittebatur. Nihilominus tamen, quia iuxta ſententiam Auguſtini vbi ſupra, & Innocentij Tertij in dicto cap. *maiores* circuncisio fuit ex diuina inſtitutione ſacramentum ſalutis nedum neceſsitate præcepti, ſed etiam neceſsitate medij. Nec huic obſtant adducta verba Angelici Doctoris, quæ facile ad ſententiam eandem reduci poſſunt.

Propterea dicendum eſt circuncisionem fuiſſe ſacramentum ſalutis populo Iſraelitico neceſſarium reſpectu quidem adultorum neceſsitate præcepti: reſpectu vero paruulorum neceſsitate medij cum hoc addito, ſcilicet quando ſine graui ſalutis corporalis detrimento, & vitæ periculo applicari poterat. In hoc enim ſenſu interpretanda, & limitanda eſt Auguſtini, & Innocentij ſententia: cui plane conſonat Diuus Thomas: & ex qua facili negotio ſoluūtur obiectiones factę in cōtrariū.

Ad primam enim reſpondetur cum eodem ſancto Doctore in dicta quæſtione 70. artic. 2. ad quartum. Quod circuncisio conuenienter ſolis maſculis competebat, vtpotè ſignum fidei Abrahæ, qui credidit ſe forè patrem Chriſti ſibi re promiſſi: & quia non erat tunc ita vniuerſale remedium ſalutis, cuius ianua, nec omnibus generaliter erat tunc apperta: baptiſmus autem vtrique ſexui applicatur, quia continet virtutem Chriſti, qui eſt vniuerſalis cauſa ſalutis omnium hominum, & remiſſionis omnium peccatorum. Nec tamen fœminis præcludebatur tunc ianua ſalutis nec à remedio illius erant excluſæ, quia per oblationem in templo conferebatur eis remiſsio originalis peccati.

Ad ſecundam reſpondetur, ſatis ex adductis verbis Angelici præceptoris: etenim propter periculum, & incomodum quod itenerantes in deſerto paterentur ex vulnere inflicto per circuncisionem illatā omiſſerunt: non tamen abſque remedio ſalutis remanſerunt.

Ad tertiam reſpondetur, octauum diem fuiſſe præfixum ex præcepto diuino, ita vt nec præueniri, nec differri potuerit circuncisio, ſed non de neceſsitate ſacramenti, vt ex ſententia Hugonis Victor. in dicta quæſt. 70. artic. 3. ad tertium, probat Diuus Thomas. Ex hac tamen neceſsitate præcepti, non licet colligere paruulis non potuiſſe applicari aliud remedium in remiſsionem originalis peccati ſi ante octauum diem inciderent in mortis periculum: & ſimiliter eis qui poſt octauum diem incircuncisi morti appropinquarent. Qui etiam tunc ceſſante incommodo poſſent, ac tenerentur præceptum circuncisionis implere. Sicut contigit populo ambulanti per deſertum, qui ceſſante incommodo itineris in Galgala à Ioſue iubente Domino, vel antiquum circuncisionis præceptum ſuſcitante, ac de nouo intimante circuncisus eſt.

Sed adhuc obijci poteſt authoritas Philonis Iudæi cæremoniarum legis diſcertiſsimi, qui in lib. de circuncisione tomo 2. recenſens omnes cauſas huius cæremoniæ, tam literales, quam allegoricas, nō meminit huius virtutis ſanctificandi, & emundandi à peccato originali, nec alicuius ſacræ ſignificationis, quod eſt manifeſtum ſignum circuncisionem non fuiſſe ſacramentum in remedium originalis peccati inſtitutum à Deo: nec enim credendum eſt hoc myſterium latuiſſe peritos, & maiores illius legis, nedum Philonem omnium peritiſsimum, qui in allegato libro inquit, ſe tantum inueniſſe quatuor præcipuas cauſas literales ritus circuncisionis in populo Hebræo.

Quarum vna fuit, vt morbus curatu difficilis, quem vocant carbunculum, ſic appellatum ab vrendo inflamatione, qui præputiatis facilius in naſcitur, præ caueretur.

Secunda eſt vt totum corpus eſſet mundum, ne ab officio Sacerdotalis ordinis impedirentur, quam ob rē etiam Egiptij ſacrifici radunt corpora, nequid ſordiū vel ſub pilis, vel ſub præputijs hæreat, quod poſsit obeſſe puritati ſacris debitæ.

Tertia fuit vt pars circuncisa quandam ſimilitudinem cum corde retineret: vtraque enim ſeruit generationi, nam ab altera ſpiritus animales, ab altera genituræ proficiſcuntur.

Quarta & valde neceſſaria fuit cura fœcunditatis, & numeroſæ ſobolis: nimirum vt populus ille numerioſiorem ſobolem

ſobolem procrearet, experientia namque conſtat gentes circuncilas fœcunditate pollere, eſſeque populoſiſsimas, eoquod ſemen recto iaculant tramite integrum, nec diſſluens per ſinus præputij: & ſtatim ſubdit Philo: *Hæc ſunt quæ ad aures meas peruenerunt, tradita per manus à diuinis viris noſtris maioribus. Qui Moiſis placita diligenter explicauerunt ſuis interpretationibus.* Quibus addit alias duas cauſas allegoricas: nimirum quia per circuncisionem ſignificatur excisio voluptatum, quæ mentē faſcinant: nam inter omnes voluptates principatum tenet carnalis congreſſus, cuius proinde inſtrumentum Legislatores mutilari iuſſerunt. Innuendo reſecandas fore voluptates ſuperfluas, non vnius tantum huius generis, ſed omnes in hac vna ſubindicatas. Necnon vt homines illius populi monerentur abijcere arrogantiam grauem morbum animæ: dum huiuſmodi inciſione membri generationi deſeruientis proteſtarentur Deum eſſe primum Authorem generationis. Quod plures gentes idolatriæ deſeruientes negabant, adſcribentes ſibi ipſis prolis generationem.

In his autem cauſis recenſitis nequiquam fit mentio de ſacra aliqua ſignificatione, aut virtute ſacramentali: ergo hæc latuit Philonem.

Satisfit obiectionibꝰ deſumptis ex Philone

35 Sed nihilominus dicendum puto minimè hanc latuiſſe Philonem, aut peritos illius legis, qui paruulos ſuos circuncidebant ex fide Chriſti venturi, & in remedium originalis culpæ, in qua ſe natos credebant, & profitebantur. Nec hanc cauſam tacuit Philo, ſed potius adſtruxit in duabus poſterioribus cauſis allegoricis ab ipſo commemoratis, dum ait inſtitutam fuiſſe cæremoniam circunciſionis, & populo Hebræo datam ad ſignificādam, tum exciſionem voluptatum: tum etiam ad proteſtandam fidem vnius veri Dei, & primi Authoris humanæ generationis.

Ad tertiam difficultatem, ſimulque ad quartam reſpondeo etiam in noua lege eſſe inſtitua aliqua ſacra ſigna, & ſacramenta ad humanam ſalutem neceſſaria: diſtincta quidem à ſacramentis veteris legis propter rationem aſsignatam à Diuo Thoma in hoc art. 4. & ſeptenario numero concluſam, vt exacte probat Angelicus Doctor infra quæſt. 65. art. 1. Quæ duo diffiniuit Tridentina ſynodus ſeſs. 7. canone 1. & 2. in primo enim ſub anathemate diffiniuit ſacramenta nouæ legis fuiſſe omnia à Chriſto Domino inſtituta, nec eſſe plura, aut pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiā, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. In ſecundo autē ſubdit: hæc ipſa nouæ legis ſacramenta differre à ſacramentis antiquæ legis, non ſolū in ratione ceremoniæ & ritus, ſed etiam in ratione ſigni, & ſacramenti.

Deinde hęc eadem ſacramenta nouę legis conſtat ex Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum. c. 13. iam citato in prologo huius operis, eſſe virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora, quam data duro, & carnali illi populo antiquo.

E QVAEST.

QVAESTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia, in ſex Articulos diuiſa.

SVppoſita iam in duabus quæſtionibus præcedentibus diffinitione Sacramenti, in qua vniuoce conueniunt, tam nouæ legis, quam veteris ſacramenta. Et ſuppoſito vtriuſque legis fuiſſe aliqua ſacramenta: factaque comparatione inter illa: in qua dictum eſt noua præſtare veteribus in dignitate, vtilitate, facilitate, & virtute operatiua gratiæ ſanctificantis: continuo in hac quæſtione proſequitur Angelicus præceptor eandem comparationem quantum ad efficatiam, & virtutem cauſandi, & continendi gratiam; vt ſic exactè declaret diferentiam, ac diſcrimen quod Concilium Florentinum conſtituit inter veteris, ac nouæ legis ſacramenta penes hoc, quod iſta verè cauſant, & continent gratiam quam ſignificant ex vi diuinæ inſtitutionis: ſecus autem illa. Idque præſtat Angelicus præceptor per ſex articulos in quos hanc quæſtionem diuiſit: quorum primus ordine doctrinę procedēs incipit à quæſtione an eſt? de cauſalitate, & influxu ſacramentorum nouæ legis circa gratiam ſanctificantem ſub hoc titulo.

ARTIC. I.

Vtrum ſacramenta ſint cauſa gratiæ?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramenta non ſint cauſa gratiæ. Nō enim idem videtur eſſe ſignum, & cauſa, eoquod ratio ſigni videtur magis effectui competere. Sed ſacramentum eſt ſignum gratię, non igitur eſt cauſa ejus.

inf, a.6. & q.64.a.1. & 3.d 40. a.3. & 4. d.1.q.1.et a.4.q.1.et a.5.q.1.et 4.con.cap. 57.& 74. prin.& col. 2.in princ. & ver. q. 72.a.4.et quoli. 12. a.15.

2 Præterea, Nullum corporale agere poteſt in rē ſpiritualē, eoquod agens honorabilius eſt patiente: vt Auguſt. dicit * 12. ſuper Geneſ. ad literam. Sed ſubiectum gratiæ eſt mēs hominis, quæ eſt res ſpiritualis. Non ergo ſacramenta poſſunt gratiā cauſare.

** li.12.e. 15.in me. to.3. ira 80. à med. to.9.*

3 Præterea, illud quod eſt proprium Dei, non debet alicui creaturæ attribui. Sed cauſare gratiam eſt proprium Dei, ſecundum illud Pſalm 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Cum ergo ſacramenta conſiſtant in quibuſdam verbis, & rebus creatis, non videtur quod poſſint gratiam cauſare.

Sed

Digitized by Google

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit ſuper Ioan. quod aqua baptiſmalis corpus tāgit, & cor abluit. Sed cor non abluitur niſi per gratiam. Ergo cauſat gratiam, & pari ratione alia Eccleſiæ ſacramenta.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere ſacramenta nouæ legis, per aliquem modum gratiam cauſare. Manifeſtum eſt enim, quod per ſacramenta nouæ legis, homo Chriſto incorporatur, ſicut de baptiſmo dicit Apoſt. ad Galat. 3. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induſtis. Non autem efficitur homo membrum Chriſti, niſi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quod non ſunt cauſa gratiæ aliquid operando, ſed quia Deus ſacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione: non quod denarius ille aliquid operetur ad habendum prædictæ pecuniæ quantitatem, ſed hoc operatur ſola voluntas Regis. Vnde & Bernardus * dicit in quodā ſermone de cœna Domini, Sicut inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum: ſic diuiſiones gratiarum diuerſę, ſunt traditæ ſacramentis.

in ſerm. de cœna, ante me. illius.

Sed ſi quis rectê conſideret, iſte modus non tranſcendit rationem ſigni. Nam denarius plumbeus non eſt niſi quoddam ſignum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab iſto. Similiter liber eſt quoddam ſignum, quo deſignatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur ſacramenta nouæ legis nihil plus eſſent, quam ſigna gratiæ: cū tamen ex multis ſanctorum auctoritatibus habeatur, quod ſacramēta nouæ legis non ſolum ſignificant, ſed cauſant gratiam.

Et ideô aliter dicendum, quod duplex eſt cauſa agens, principalis & inſtrumentalis. Principalis quidē operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſsimilatur effectus: ſicut ignis ſuo calore calefacit. Et hoc modo nihil poteſt cauſare gratiam niſi De⁹: quia gratia nihil eſt aliud, quam quædam participata ſimilitudo diuinæ naturę, ſecundum illud 2. Petr. 1. Magna nobis, & pretioſa promiſſa donauit, vt diuinę ſimus conſortes naturę. Cauſa vero inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo mouetur â principali agente. Vnde effectus non aſsimilatur inſtrumento, ſed principali agenti: ſicut lectus nō aſsimilatur ſecuri, ſed arti quæ eſt in mente artificis. Et hoc modo ſacramenta nouę legis gratiam cauſāt. Adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis cauſandam. Vnde Auguſt. * dicit 19. contra Fauſtum, Hæc omnia, ſcilicet ſacramentalia, fiunt & tranſeūt: virtus tamen, ſcilicet Dei, quæ per iſta operatur, iugiter manet. Hoc autem proprie dicitur inſtrumentū per quod aliquis operatur. Vnde & Tit. 3. dicitur, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

c. 19. in pr. to. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod cauſa principalis non proprie poteſt dici ſignum effectus, licet occulti, etiam ſi ipſa ſit ſenſibilis & mâniſeſta. Sed cauſa inſtrumentalis ſi ſit manifeſta, poteſt dici ſignum effectus occulti: eoquod non ſolum eſt cauſa, ſed etiam quodammodo effectus, in quantum mouetur â principali agente. Et ſecundū hoc ſacramenta nouæ legis, ſimul ſunt cauſæ, & ſigna: & inde eſt quod ſicut cōmuniter dicitur, efficiunt quod figurant. Ex quo etiam patet quod habēt perfectē rationē ſacramēti, in quātū ordinantur ad aliquid ſacrū, nō ſolū per modū ſigni, ſed etiā per modū cauſæ.

Ad ſecundum dicēdum, quod inſtrumentum habet duas actiones. Vnam inſtrumentalem, ſecundum quam operatur non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundum propriam formam. ſicut ſecuri competit ſcindere ratione ſuæ acuitatis: facere autem lectum, in quantum eſt inſtrumentum artis. Non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam: ſcindendo enim facit lectū. Et ſimiliter ſacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangūt: efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute diuina circa animam: ſicut aqua baptiſmi abluendo corpus ſecundum propriam virtutem, abluit animam, in quantum eſt inſtrumentum virtutis diuinæ: nam ex anima, & corpore vnum fit. Et hoc eſt quod Aug. * dicit, quod corpus tangit, & cor abluit.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de eo, quod eſt cauſa gratiæ per modum principalis agentis. Hoc enim eſt proprium Dei, vt dictum eſt *.

PRIMA Concluſio: neceſſe eſt dicere ſacramenta nouę legis per aliquem modum gratiam cauſare.

Secunda concluſio, ſacramenta nouæ legis non ſunt cauſæ principales gratiæ, ſed tantum inſtrumentales Dei, qui ſolus poteſt vt cauſa principalis gratiam cauſare.

Tertia concluſio in ſolutione ad primum, ſacramenta nouæ legis ſimul ſunt cauſæ, & ſigna gratiæ: & efficiunt quod ſignificant: eo quod ſunt cauſæ inſtrumentales illius: alioquin cauſa principalis nequit eſſe ſignum ſui effectus, licet oculti, etiam ſi ipſa ſit ſenſibilis, & manifeſta.

In quibus concluſionibus Angelicus Præceptor determinauit titulum articuli indefinitè poſitum de ſacramentis, ſine limitatione, aut reſtrictione, ad ſacramenta nouæ legis, vt ſic denotaret ſe inſtituere ſermonem iam in hac quæſtione, non de ſacramentis in genere, & in tota eorum latitudine vt fecerat in præcedētibus quęſtionibus, ſed determinatè iam de ſacramentis nouæ legis, quorum cauſalitatem, virtutē, & continentiam gratiæ inueſtigat: vt ſic eorum exceſſum ſupra vetera ſacramenta exacte declaret: denotanſque titulum articuli licet indefinite poſitum, eſſe determinate iuxta ſubiectam materiam de ſacramētis nouæ legis intelligendum.

Ad eiuſque concluſionum prædictarum exactam intelligentiam quinque ſunt, quæ potiſsimè ab Scholaſticis in 4. d. 1. & à Theologis iunioribus in huius articuli commentario in controuerſiam vocari ſolent.

Primum eſt. Vtrum ſacramēta nouæ legis cauſent gratiam ſanctificantem, per virtutem ipſis communicatam à Deo & à Chriſto, ex opere operato?

Secundum eſt, quæ ſit iſta virtus, & efficiētia: phiſica ne, aut moralis, principalis, aut inſtrumentalis: & quo pacto per illā eleuentur in ratione inſtrumenti phiſici?

Tertium eſt, quam diſpoſitionē poſtulent ex parte ſuſcipientis?

Quar-

Quartum eſt, quando vel pro quo inſtanti, aut tempore exerceant ſuam effectiuam cauſalitatem circa gratiam: & quãdo ſit verum dicere, quod ſacramentum cauſat gratiã?

Quintum eſt. Vtrum ſemel impedita à ſuo effectu, poſtea illum operentur?

QVæ proinde à nobis eodem ordine ſingulis dubijs examinanda.

Dubium primum eſt. An ſacramenta nouæ legis cauſent gratiam verè, & propriè, & ex opere, quod vocant, operato, tanquam diuinæ virtutis inſtrumẽta?

Recenſentur diuerſi errores.

1 IN Hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima fuit Maſilianorũ, qui vt referunt Damaſc. lib. de hæreſibus, Epiphanius hæreſi. 80. & Aug. lib. de hæreſ. hæreſ. 37. admittebãt ſacramenta inſtituta fuiſſe à Chriſto, negabant tamen illa gratiam cauſare: eundẽ errorem ſuſcitarunt Lutherus lib. de captiuitate Babylonica, c. de baptiſ. P. Kenìſius in 2. p. examinis pag. 111. & Caluinus lib. 4. inſtitutionum c. 13. §. 17. quatenus aſſerunt per ſacramenta nõ dari gratiam, ſed tantum excitari fidem tanquam per ſigna, & pactum quodam, ad cuius poſitionem Deus dat fidem, per quã iuſtificatur, qui ſucipit ſacramentum: hoc tamen diſcrimen verſabatur inter illos antiquiores, & iſtos nouiores ſectarios, quod illi productionem gratiæ, non virtuti ſacramentorum: ſed precibus, & merito ſuſcipientium: iſti vero fidei ſoli tribuebant.

2 Quorum fundamenta ſunt tria. Primũ deſumitur ex locis Scripturæ, in quibus ſanctificatio non ſacramentis, ſed merito, vel fidei ſuſcipiẽtis tribuitur: nam propterea Abac. 2. & ad Rom. 1. dicitur: *iuſtus meus ex fide viuit*, & Marci vltimo *Qui crediderit, & baptizatus fuit ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*: & 1. Petri 3. *Quod nunc vos ſimilis formæ ſaluos fecit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſciẽtiæ bonæ interrogatio, &c.* quibus cõſonat Auguſt. tract. 8. in Ioan. de baptiſmo, ſic dicens: *Vnde tãta hæc virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, nõ quia dicitur, ſed quia creditur*: vbi fidei, & nõ efficaciæ baptiſmi tribuit productionem gratiæ baptiſmalis: ergo.

Secundo, nam ſacramentum nullatenus poteſt ex vi ſua cauſare gratiã, & hoc eſt cauſare illa ex opere operato: ergo nõ dat illam ex opere operato. Mai. probatur dupliciter. Primo, quia nec cauſant illam ratione materiæ, nec ratione formæ: non ratione materiæ, quia alias ſola materia in ſacramentis cauſaret gratiam, & conſequenter totum ſacramentum non cauſaret illam, quod tamen non eſt dicendum, nec ratione formæ, quia cum forma ſit ſignificatio ad placitum, quæ eſt relatio rationis, nequit eſſe operatiua gratiæ: ergo.

Secundo, quia aliàs cauſalitas ſacramentorum (ſicut & ſignificatio) non ſolũ ad gratiam, ſed etiam ad paſsionem Chriſti, & ad gloriam extẽderetur, ſed non cauſant paſsionem Chriſti, quæ iam præceſsit, nec gloriam, quæ poſt hanc vitam futura eſt: ergo nec cauſant gratiam.

Tertio, quia aliàs vt ſacramentũ cauſaret gratiam, non indigeret aliqua diſpoſitione ex parte recipientis. Conſequens eſt falſum: ergo. Sequela patet, quia cauſare gratiam ex opere operato eſt cauſare illam ex propria virtute ipſius ſacramẽti independenter à diſpoſitione ſubiecti.

Minor vero probatur, quia ſi Euchariſtia porrigatur paruulo ante vſum rationis, non conferet illi gratiam, quia ſolũ illam confert manducanti, & bibenti ſpiri-

tualiter, vt dicitur Ioan. 6. ideſt cũ fide, & attẽtione illi⁹, quod bibit, vel mãducat, & hoc quia paruulus hanc non habet, ideo nec recipit effectum Euchariſtiæ.

Secunda ſentẽtia, vel ſecundus error fuit Armenorum, qui non negabant ſacramenta cauſare remiſſionem peccatorũ: ſed quia exiſtimabant hanc fieri ſine gratia intrinſecè recepta in iuſtificato, ideo dicebant ſacramenta nouæ legis dare remiſſionem peccatorum, non tamen conferre gratiam, vt refert Guido lib. de hæreſibus cap. 16. & 18.

4 Tertia ſententia communiter à Theologis recepta aſſerit ſacramenta nouæ legis vere gratiam cauſare non ponentibus obicem, ex opere operato ita Diuus Thomas in hoc art. & ſequentibus, Diuus Bonauentura in 3. diſt. vltima, Durand. ibidem quæſt. 4. Ricardus, Gabriel, & Ochamus ibidem quæſt. 1. Henricus quolib. 4. quæſt. 37. & Altiſiodorenſis lib. 4. ſummæ cap. de ſacramentis. Capreolus in 4. diſt. 1. Paludanus, & Soto ibidem quæſtione 3. Ferrara 4. contra gentes cap. 57. Canus in relectione de ſacramentis in genere part. 4 Martinus de Ledeſma part. etiam 4 quæſt. 4. art. 1. Vazquez hic diſputatione 131. cap. 2. & 4. & diſputatione ſequenti cap. 4. art. 5. & Suarez diſputatione 7. & ſequenti per totam, qui tamẽ auctores in explicanda huiuſmodi ſacramẽtorum cauſalitate in quatuor modos dicendi diuiduntur.

Alij enim de quorum numero ſunt Henricus, Altiſiodorenſis, & Durand. dicunt huiuſmodi cauſalitatem eſſe per accidens quatenus ſacramenta ex pacto requiruntur, vt Deus gratiam producat, ita vt ſine illis eam non produceret. Quorum fundamentum eſt duplex.

5 Primum, quia ſacramenta nouæ legis comparantur ad ſacramenta veteris legis ſicut noua lex ad veterem, ſed Deus per ſe ipſum implet veterem legem in noua: ergo etiam per ſe ipſum implet ſacramenta vetera in nouis, ita vt non ipſorum, ſed ſolius Dei cauſalitate tribuenda ſit gratia producta in illis: vnde eodem modo dicitur de circunciſione, quod remittebat peccatum originale, ſicut dicitur de Baptiſmo, vt patet in cap. *Moiſes*, de baptiſmo.

Secundum, quia non eſt aſſignabilis cauſalitas effectiua, ſiue influxus iſte ſacramẽtorũ in gratiã: ergo ſolũ eſt cauſalitas illorum cauſæ per accidens, ſiue cõditionis ſine qua non. Antecedens patet, quia cum gratia ſpiritualis ſit, & ſacramenta corporea nullam actionem in illam poſſunt habere: maxime per modum inſtrumenti, quod præuia actione debet tangere ſuſceptiuum effectus producendi: ſubiectum autem ſuſceptiuum gratiæ eſt anima, quæ à corporeo inſtrumento tangi nequit; ergo.

6 Alij vero de quorum numero eſt D. Bonauentur. vbi ſupra admittunt ſacramenta nouæ legis habere influxum, & effectiuam cauſalitatem, reſpectu gratiæ propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & merita paſſionis Chriſti, & deuotionem ſuſcipientis, & tandem propter diuinam ordinationem qua Deus efficaciter ordinauit, vt ad illorum præſentiam gratiam daret.

Cuius fundamentum non eſt aliud, niſi quia iſte modus cauſalitatis eſt ſufficiens ad ſaluandum omnia teſtimonia Scripturæ, in quibus dicitur ſacramenta nouæ legis cauſare noſtram iuſtificationem.

7 Ab hoc modo dicendi parum diſcrepat tertius Scoti vbi ſupra, Cani in relectione de ſacramentis part. 4. & Martini de Ledeſma part. 4. quæſt. 3. art. 1. aſſerentium hanc cauſalitatem non eſſe phiſicam, ſed moralem ad eum modum quo meritum reuera per moralem cauſalitatem eſt cauſa præmij, qui illam à Franciſco Victoria didicerunt, quibus nouiſsime ſubſcribit Gabriel Vazquez diſp. 132. à cap. 4.

Quorum fundamenta ſunt eadem, quæ pro primo & ſecundo modo dicendi retulimus; quæ dupliciter confirmat Vazquius. Primo, quia eodem modo loquũtur Scriptura, & Patres de cauſalitate ſacramentorum, atque de cauſalitate paſſionis, & ſanguinis Chriſti, ſed paſſio, & ſanguis Chriſti non phiſicè, ſed moraliter dũtaxat ſunt cauſa noſtræ iuſtificationis: ergo, & ſacramenta ſimili gaudent cauſalitate.

Secundo ex teſtimonio D. Bernard. ſerm. de cœna Dni, & D. Tho. in hac q. art. 4. ad 1. Quorũ alter ad explicandã ſacramẽtorũ cauſalitatẽ vtitur exẽplo libri, & baculi, per quorum tradditionẽ ſimul tradditur dignitas magiſterij, & paſtoralis, quę traditio non effectiuè phiſicè, ſed tantum moraliter à libri, & baculi traditione dependet.

Alter vero nempè D. Thom. vtitur exemplo vocis, quæ intellectum excitat

audientis

audientis ad formandum conceptum obiecti per vocem expræſsi: vox autem non phiſica, ſed morali dumtaxat cauſalitate habet intellectum mouere: ergo.

Alij denique in ea ſunt ſententia vt exiſtiment, quod ſacramenta nouæ legis, non ſolum propriè, ſed etiam phiſicè effectiuè per modum inſtrumenti habeãt cauſare gratiam, ita communiter docent Scholaſtici doctrinæ D. Thomæ profeſſores, de quorum numero ſunt Capreolus in 4. diſt. 1. Soto ibidem quæſt. 3. art. 1. Ferra. 4. contra gentes cap. 57. & Fran. Suarez diſp. 7. c. 8. per totum. Pro cuius ſententiæ declaratione.

Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam ex opere operato.

8 Dico primo. Sacramenta nouæ legis verè, & propriè ſunt cauſa noſtræ iuſtificationis, & gratiæ ex opere operato.

Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus ſectarios primæ, & ſecundæ ſententiæ, tãquam certa ſecundũ fidem. Et probatur primò ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus tribuitur ſacramentis nouæ legis huiuſmodi gratiæ cauſulitas: nam propterea Ioannis 1. Lucæ 8. & Math. 3. dicit Ioannes Baptiſta: Ego baptizo in aqua, hic eſt, qui vos baptizabit in Spiritu ſancto, &c. & Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* idem habetur Actorum 19. in his teſtimonijs denotatur, baptiſmũ verè cauſare gratiã, & eadem ratio eſt de alijs ſacramentis: ergo cum verba Scripturæ in ſenſu literali debent intelligi, niſi abſurdũ ex illo ſequatur iuxta regulã Diui Auguſtini lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. dicendum eſt, ſacramenta nouæ legis verè cauſare gratiam.

9 Secundo probatur, ex Conciliorum decretis, in quibus hæc veritas ſub anathemate diffinitur, nimirum in Concilio Mileuitano cap. 2. Arauſi. 2. cap. 25. Trident. ſeſs. 6. cap. 7. & ſeſs. 7. canon. 6. & Senonenſi cap. 10. & in Symbolo Nizeno, vbi dicitur: *Cõfiteor vnum baptiſmum in remiſsionem peccatorum*, quibus accedunt alia teſtimonia Patrum, quæ congerunt Suarez diſp. 7. ſect. 1. & Vazquez diſp. 131. cap. 4.

Vltimo probatur ratione deſumptã ex diuina ordinatione: in his enim quæ à ſola Dei voluntate dependerit, nulla aliã ratio efficax deſumi poteſt, niſi ſecundum id, quod conſtat ex diuina ordinatione: cõſtat autem ex prædictis teſtimonijs Deum ſacramenta nouæ legis ordinaſſe tanquam cauſas ad noſtram iuſtificationem, quæ ordinatio conueniens fuit: tum propter noſtram vtilitatem: tum etiam propter excellentiam legis gratiæ, ad quam ſpectat habere ſacramenta gratiæ cauſatiua, vt in hoc veterem legem exſuperaret, cuius ſacrificia, & ſacramenta inania, & egena elementa erant: ergo.

10 Deinde quod cauſent gratiam ex opere operato. Probatur primò ex teſtimonijs Scripturæ præællegatis, quæ omnia confirmantur ex illo Ioan. 6. vbi dicitur de ſacramento Euchariſtiæ: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo, &c.* & cap. 20. de ſacramento pœnitentiæ dicitur: *Quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* & ad Titum. 3. dicitur de Baptiſmo: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c.* in quibus denotatur huiuſmodi ſacramenta cauſare gratiam ex virtute ſua, quod eſt cauſare illam ex opere operato: ergo.

11 Secundo probatur ex Concilio Tridentino ſeſsione 7. can. 8. vbi hæc veritas diffinitur ſub his verbis: *Si quis dixerit nouæ legis ſacramenta ex opere operato gratiam non conferre anathema ſit.* Quæ diffinitio eſt conformis illi, qua prius Concilium Florentinum vbi ſupra diffinierat ſacramenta nouæ legis in hoc diſtingui à ſacramentis veteris legis, quod illa ex vi ſua cauſant gratiam: ſecus autem iſta: ergo.

Vltimo probatur, nam ſacramẽta cauſare gratiam ex opere operato, nihil aliud eſt quàm illam cauſare ex opere ipſius ſacramenti, hoc eſt non merito ipſius miniſtri, nec merito ſuſcipientis; ita vt ſiue à bono, ſiue à malo miniſtro exhibeantur, nihilominus gratiam cauſent: ſed hoc modo illam cauſant ſacramenta nouæ legis: ergo.

Minor patet, quia nec dependent à merito miniſtri, vt perſpicuum eſt in Baptiſmo, qui etiam ſi ab hæretico miniſtretur, ſuum effectum ſortitur, nec dependẽt à merito ſuſcipientis: nam etiam ſi ſacramẽta viuorum petant ſubiectum exiſtere in gratia, non tamẽ petunt, quod ſit in actuali exercitio meriti, vel deuotionis: ſacramenta vero mortuorum, & ſi petant aliquam diſpoſitionem ex parte ſubiecti, nõ tamen meritum, quinimo Baptiſmus abſque vlla diſpoſitione cõmunicat gratiam paruulis, qui ſunt expertes vſus rationis: ergo.

Non ſolum concurrunt per accidēs ad cauſandam gratiā. Contra primum modū.

12 Dico ſecundo. Sacramenta nouæ legis verè, & propriè influūt in gratiam, & non ſolum concurrunt per accidēs & vt conditiones, ſine quibus non darétur gratia à Deo.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primi modi defendendi tertiam ſententiam in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſit temerarium, & periculoſum in fide. Et probatur primo, nam ad excellentiam legis gratiæ pertinet, quod habeat ſacramenta, quæ verè & propriè, atque ex opere operato cauſent gratiam, vt dictum eſt. Propterea enim dicitur lex gratiæ ad Roman. 3. & 8. ſed hoc non ſaluaretur, niſi eius ſacramenta per verum influxum gratiam cauſarent: eo quod etiam ſacramenta veteris legis erant conditiones ex pacto Dei requiſitæ, ſine quibus Deus gratiam non conferebat: ergo.

Secundo probatur, nam alias non ſaluaretur diſcrimen aſsignatum à Concilio Florentino, & Tridentino vbi ſupra inter veteris, & nouæ legis ſacramenta, niſi hęc per verum influxum gratiam conferrent, ſiquidem tam illis quam iſtis commune eſt concurrere ad conferendam gratiam per modum conditionis requiſitæ: quod tamen derogat prædictis Conciliorum diffinitionibus: ergo.

Tertio, nam ſacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta humanitatis Chriſti illā quę imitantur in modo conferendi gratiā, licet cum hoc diſcrimine quod humanitas Chriſti confert illam per modū inſtrumēti cōiuncti diuinitatis: ſacramēta vero per modum inſtrumenti ſeparati: ſed humanitas Chriſti cauſat gratiam per verum, & proprium influxum, & non ſolum per modum conditionis, ſine qua non: ergo ſimili modo cauſalitatis gaudent ſacramenta nouæ legis.

Nec etiam ſolum ex pacto Dei. Cōtra ſecundū modum.

13 Dico tertio. Sacramenta nouæ legis non cauſant gratiam ex ſolo pacto Dei, & propter ſolam diuinam ordinationem.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores explicandi tertiam ſententiam. Et probatur primo, nam iuxta illum modum dicendi, nec ſacramenta nouæ legis diuerſimode cauſarent gratiam, vel continerent illam à ſacramentis veteris legis, nec aliquam excellentiam particularem haberet lex gratiæ, quantum ad modum conferendi gratiam ſupra legē antiquā, ſiquidē etiā ſacramēta antiquæ legis, ex pacto, & ſub ordinatione diuina dabant gratiam adhūc ſenſum. quod ad eorum poſsitionem Deus illam conferebant: quod tamen eſt contra prædictum diſcrimen inter vtraque ſacramenta à Concilio, & Patribus aſsignatū: ergo.

Secundo, quia ſecundum iſtum modum dicendi ſacramenta nouæ legis verū influxum habent, reſpectu gratiæ iuſtificantis, & tamen illum non poſſunt habere niſi prius conſtituantur in actu primo ad huiuſmodi influxum habendum: ergo per aliquam virtutem debent conſtitui in actu primo, vt media illa iſte influxus ab eis emanet, tunc vltra, ſed non poſsūt cōſtitui in actu primo per pactum Dei, vel diuinā ordinationem, cum pactum, & ordinatio ſint quid extrinſecū, nihil ponens in ipſis ſacramētis, ſicut nec lex, nec præceptū à iure, vel ab homine impoſitum aliquid intrinſecum in ſubdictis ponit.

Non ſunt ſolum inſtrumenta moralia, Cōtra Vazquez, & alios tertij modi.

14 Dico quarto. Nec ſacramenta nouæ legis cauſant gratiam per modū inſtrumenti moralis dumtaxat.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores tertij modi defendendi tertiam ſententiam. Et probatur primo, nam cauſa moralis eſt illa, quæ cauſat moraliter, hoc eſt mouendo moraliter per intentionem per conſilium, vel præceptum, vel per preces, & orationes: vt cum quis alteri tribuit conſilium, vel imponit præceptum, vt aliquem hominem occidat, ille qui occidit eſt cauſa phiſica: ille vero qui conſulit, vel præcipit eſt cauſa moralis occiſsionis, ſimiliter ille, qui preces effundendo apud Deū conſequitur aliquod beneficium ab illo dicitur cauſa impetratoria, & moralis talis beneficij, cuius Deus eſt cauſa principalis, & phiſica: ſed ſacramenta nouæ legis hoc modo, non cauſant gratiam: ergo. Minor patet, quia cum ſint quædam res mortuæ, & ſenſibiles, nec conſilium, nec præceptum, nec præces poſſunt adhibere ad cauſadam gratiam: ergo.

Dices, ſacramenta nouæ legis eſſe cauſas morales gratiæ in genere cauſæ motiuæ, quatenus ſunt quædam ſigna excitantia, ac mouētia diuinam voluntatem, vt ſic mota, & excitata producat gratiam in ſuſcipientibus, ad eum modum, quo ſanctus, qui mouet Deum ad patrandum aliquod miraculum: dicitur cauſa moralis illius.

Sed contra hoc eſt, nam cauſa motiua quę ſolum mouet, & allicit voluntatem alterius

Digitized by Google

terius ad productionem alicuius effectus, non dicitur propriè cauſa illius, qua ratione virtus, quæ eſt in Petro, v. g. non eſt cauſa efficiens amoris, quo alter diligit Petrum: licet ſit obiectum motiuum talis amoris: ergo.

15 Secundo probatur, nam ſacramenta nouæ legis etiam cauſant gratiam per modum inſtrumenti phiſici: ergo non ſolum per modum inſtrumenti moralis.

Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia cum ſola cauſalitate morali, non ſaluantur ita conuenienter teſtimonia ſacræ Scripturæ, modus loquendi Conciliorum, & diſcrimen aſsignatum à Concilio Florentino inter nouæ, ac veteris legis ſacramenta quoad efficientiam, & continentiam gratiæ: quoad efficientiam quidẽ quia ſola cauſalitas phiſica riguroſe eſt efficientia: quoad continentiam vero, quia nullo alio modo poſſunt gratiam continere, niſi in virtute cauſatiua phiſica, ſiquidem illam in actu, & formaliter continere non poſſunt.

Secundo, quia ſunt inſtrumenta Chriſti in quantum homo, qui vt ſic eſt reſpectu Dei inſtrumentum coniunctum, & phiſicum gratiæ, teſte Diuo Thoma ſupra quæſt. 13. art. 2. ergo, & iſta ſũt inſtrumenta ſeparata phiſica ad cauſandam gratiam.

16 Tertio probatur concluſio; nam aliqua ſunt ſacramenta, quæ phiſice cauſant gratiam: ſed eadem ratio eſt de alijs: ergo. Maior probatur in Euchariſtia, & Extrema vnctione: Euchariſtia enim cauſat gratiam per modum cibi, & alimenti, ac proinde phiſicè, quia cibus, & alimentum phiſicè cauſant nutritionem. Similiter Extrema vnctio ſicut phiſicè cauſat ſalutem corporis, ita phiſicè cauſat ſalutem animæ, quia eodem genere, & modo cauſandi, vtranque ſalutem confert: ergo.

17 Dico vltimo. Sacramenta nouæ legis ſimul vt inſtrumenta phiſica, & moralia cauſant gratiam. Hæc concluſio latè oſtenditur à Cabrera in diſput. 3. citata, & quod phiſicè illam cauſent, probatum eſt argumentis hucuſque adductis: quod vero illam etiam cauſent moraliter probant argumẽta facta pro ſecũdo, & tertio modo defendi tertiam ſententiam. Quæ omnia confirmantur ex eo, quod ſacramenta præter phiſicum influxum quẽ habent: ſimul mouent tanquam ſigna, & excitant Deum ad conferendam gratiam, & ſunt inſtrumenta Chriſti non ſolum vt eius humanitas eſt phiſicum inſtrumentũ, ſed etiam quatenus eſt cauſa moralis, meritoria, ſcilicet per ſuam paſsionem, & mortem noſtræ gratiæ: ergo ſimul habent moralem cauſalitatem.

18 Ad primum pro prima ſententia reſpondetur ex illis teſtimonijs ſolum colligi nos per fidem tanquam per radicẽ, & initium ſanctificationis iuſtificari, cum quo tamen ſtat, quod etiam per ſacramenta, in alio genere cauſæ iuſtificemur, nimirum quatenus ad iuſtificationem concurrunt inſtrumentaliter. Ad illud vero teſtimonium Auguſt. Reſpondet D. Thom. ſupra quæſt. 60. Art. 7. ad primum, Baptiſmũ habere vim iuſtificandi à verbo, ideſt à forma, & virtute, quam participat à Chriſto, & non quia dicitur, ſed quia creditur, ideſt quia continet in ſe virtutem, & profeſsionem fidei Chriſti: alioquim in paruulis baptiſmus ſortitur ſuum effectum; & tamen ab illis non creditur; nec talis actus credẽdi in illis requiritur defectu vſus rationis.

Ad ſecundum nego maiorem. Ad primam probationem reſpondetur, quod ſacramentum cauſat gratiam per virtutem phiſicam, quam habet receptam, non ſolũ in materia: ſed etiam in forma, quæ ſunt verba: ſignificatio autem quæ relatio rationis eſt non participat huiuſmodi virtutem, & phiſicam cauſalitatem, ſed concomitanter ſe habet ad illam.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, latius patere ſignificationem, quam cauſalitatẽ ſacramẽtorũ: ſignficatio enim extendit ſe ad paſsionẽ Chriſti, ad gratiam & gloriam, quia hæc omnia ſignantur: cauſalitas vero ſolũ extenditur immediatè ad id quod efficitur per ſacramentũ, quod eſt gratia reſpectu cuius verificatur, quod ſacramẽta nouæ legis faciũt quod ſignificãt: non tamen requiritur quod faciant omnia illa, quæ ſignificant.

Ad tertium nego ſequelam. Ad probationem reſpondetur, quod cauſare gratiam ex opere operato non eſt cauſare illã independenter à diſpoſitione ſuſcipientis, ſed ſolum eſt cauſare illam ex vi ſua independenter à diſpoſitione, & merito miniſtri: cũ quo tamẽ ſtat, quod omnia ſacramẽta tã viuorum, quàm mortuorum indigeãt aliqua diſpoſitione ex parte ſuſcipientis, quantum ad duo, ſcilicet quantum ad ſuſ-

ceptionem veri ſacramenti, & quantum ad eius effectum, qui eſt gratia. Quæ diſpoſitio diuerſimode in viuorum, ac mortuorum ſacramentis requiritur, vt in proprijs materijs dicendum eſt.

19 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, falſam eſſe ſuppoſitionem illam, nimirum quod noſtra iuſtificatio poſsit fieri abſque gratia intrinſecè in nobis recepta per ſolam iuſtitiæ Chriſti imputationem.

20 Ad primum argumentum pro primo modo defendendi tertiam ſententiam reſpondetur negando conſequentiā, quamuis enim Deus per ſe ipſum, & immediatè impleuerit vetera ſacramenta inſtituendo noua, non tamen immediatè, & per ſe ipſum ſine aliquo inſtrumento producit gratiam, quam confert per noua ſacramenta.

Ad ſecundum nego antecedens. Ad probationem reſpondetur, quod licet ſacramenta virtute propria, & naturali non poſsint atingere effectum ſpiritualem, qui eſt gratia: bene tamē virtute ſupernaturali participata à Deo, quæ etiam ſpiritualis eſt: vt autem hujus effectum in anima inſtrumentaliter producant ſatis eſt, quod circa totum hominem, ideſt circa aliquam eius partem qualis eſt corpus exerceant aliquam operationem ex virtute propria, qualem exercet baptiſmus abluendo, extrema vnctio vngendo, & Euchariſtia reficiendo corpus.

21 Ad primum eorum, quæ adducunt authores ſecundi, & tertij modi dicendi, patet ex quarta conc.

Ad ſecundum, quod adducit Vazquez, nego minorē: paſsio enim Chriſti, prout eius humanitas per illam affecta eſt, phiſicè, & non ſolum moraliter eſt cauſa noſtræ iuſtificationis.

Ad tertium reſpondetur illa exempla Bernardi probare noſtrā quintam conclusionem, eo quod explicāt cauſalitatem moralē, quā habēt ſacramēta reſpectu gratiæ, non enim excludunt phiſicam, & idē dicendum eſt de exemplo vocis aducto à Diuo Thoma, præterquam quod etiam de viua voce poſſumus dicere, quod ab intellectu imprimitur illi virtus quædam ſpiritualis ad phiſicè excitandum intellectū audientis, vt docuimus 1. tom. Methap. lib. 1. q. 2. art. 3.

Dubium ſecundum eſt. An ſacramenta nouæ legis habeant inſtrumentariam virtutem phiſicam efficiendi, ſiue producendi gratiam?

22 IN Hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo quod ſacramenta nouæ legis aliquomodo cauſant, & continent gratiam quam ſignificant, in non ponentibus obicem. Quæ ſuppoſitio probatur ab ipſis tanquam certa ſecundum fidem aduerſus plures ſectarios, tum antiquos, vt fuerunt Maſiliani relati dubio præcedenti, & Armenij relati à Guido Carmelita, & Prateolo in elencho hæreſum, verbo, *Armenij*. Tum etiam Neothericos, de quorum numero ſunt Lutherus, & Caluinus relati dubio præcedenti.

Sacramenta nouæ legis aliquo modo cauſare gratiā probatur tanquā certum ex fide & commune omnibus Catholicis.

Suadeturque primo ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ, in quibus huiuſmodi cauſalitas gratiæ tribuitur ſacramentis nouæ legis, vt ad Epheſios 5. dicitur de Baptiſmo, quod mundat Eccleſiam, & ſanctificat eam, & ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum generationis, & renouationis.* De Euchariſtia autem dicitur Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*: & de ſacramento pœnitentiæ dicitur Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* in quibus locis planè ſignificatur, quod huiuſmodi tria ſacramenta habent virtutem regenerandi animam, & viuificandi illam, & remittendi peccata, quod non fit niſi mediante gratia: ergo cum eadem ſit ratio de alijs ſacramentis nouæ legis, idem de illis eſt ſecundum fidem aſeuerandum.

Secundo ſuadetur eadem ſuppoſitio ex diffinitionibus Eccleſiæ, nimirum ex capite *Sacrificium*, de cōſecratione diſt. 2. vbi ſtatuitur, & approbatur illa diffinitio ſacramenti nouæ legis, quod ſit inuiſibilis gratiæ, viſibilis forma, vt ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Et in Concilio Florentino in decreto de vnione Armenorum

Monorũ conſtituitur hæc celebris diferentia inter noua, ac vetera ſacramenta, quod illa habent virtutem conferendi gratiam, & non iſta: Et in Tridentino ſeſsione 6. capit. 7. dum recenſentur omnes cauſæ noſtræ iuſtificationis, dicitur cauſam inſtrumentalem illius eſſe ſacramentum, & cap. 9. ſubditur, nemini dubitandum eſſe de ſacramentorum virtute, & efficacia. Et ſeſsione 7. in decreto de ſacramentis dicitur, quod his ſacramentis omnis vera iuſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa recuperatur. Et canone 6. diffinitur eadẽ veritas, ſub his verbis: *Si quis dixerit ſacramenta noua legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam, non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel iuſtitiæ; & notæ quadam Chriſtianæ profeſsionis, quibus apud omnes diſcernuntur fideles ab infidelibus: anathema ſit.* Et in canone 7. ſubditur: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper, & omnibus quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus: anathema ſit.* Et tandem in canone octauo, ſi habetur: *Si quis dixerit, per ipſa nouæ legis ſacramenta ex opere operato, non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſsionis ad gratiam conſequendam ſufficere: anathema ſit.* Quibus decretis directè Tridentina Synodus Lutheranum, & Caluinianum errorem extirpat, qui totam noſtram iuſtificationem in fidem ſolam referebat, ſacramentaque dumtaxat eſſe ſigna gratiæ acceptæ per fidem Redemptoris: & quaſdam notas fidelium ab infidelibus diſtinctiuas.

Tertio ſuadetur ex teſtimonijs ſanctorum Patrum, qui in eadem conſpirarunt ſententiam: de quorum numero ſunt Ambroſius lib. 2. de ſacramentis capit. 4. & 5. Baſilius lib. de Spiritu ſancto capit. 15. Auguſtinus ſuper Pſalmum 73. & lib. 19. contra Fauſtum per totum, Gregorius Magnus lib. 7. epiſtol. epiſtola 57. Leo papa in ſermone quarto de Natiuitate, Bernardus ſermone de cœna Domini. Et alij quorum teſtimonia referuntur à Suario, & Vazquio in locis dubio præcedenti citatis.

Vltimo probatur ratione Theologica, non quidem oſtenſiua à priori, quia nulla poteſt eſſe talis ad probandum ea quæ ex ſolo Dei beneplacito dependent, ſed à poſteriori, deſumpta ex ipſa diuina inſtitutione, qua ſuppoſita, apparet conuenientiſsimum fuiſſe quod Deus ſic inſtitueret ſacramenta cum virtute conferendi gratiam. Tum ad noſtram vtilitatem, & faciliorem ſalutis conſequutionem. Tum etiam ad perfectionem Euangelicæ legis. Tum denique ad oſtendendam efficaciam, virtutem, & potentiam Verbi incarnati, & paſsionis ipſius, cuius ſunt inſtrumenta, & ex qua ad ſacramenta virtus cauſatiua gratię deriuatur.

24 Diſcriminantur autem Theologi in explicando quæ & qualis ſit huiuſmodi virtus, & cauſalitas gratiæ quam contra hæreticos admittimus in ſacramentis nouæ legis, in quatuor ſententias præcipuas, & cardinales.

Quarum prima tantum adſtruit in huiuſmodi ſacramentis cauſalitatem gratiæ per modum cauſæ materialis, vel conditionis ſine qua non. Quam tuentur in primo ſenſu Altiſiodorenſis lib. 4. ſummæ tractatu 5. Illamque probat exemplo vaſis continentis medicinam: quod quidem concurrit ad conferendum ſanitatem infirmo, non efficiendo illam, ſed ſuſtinendo materialiter, & continendo medicinam effectricem ſanitatis: at qui de ſacramentis nouæ legis dicitur in Concilio Florentino in decreto fidei, quod continent gratiam: ergo denotatur huiuſmodi ſacramenta ſolum concurre ad gratiam per modum ſubiecti continentis virtutem eius effetricem.

In ſecundo autem ſenſu illam defendunt Durandus in quarto diſtinctione prima quæſtione quinta, Gabriel articulo ſecundo, concluſione 7. Ochamus quæſtione prima circa primum principale, & Aliacenſis quæſtione prima articulo primo concluſione tertia: non aliunde ſumentes fundamentum pro ſua ſententia, niſi quia nulla ſententia ipſis placuit ex illis, quæ tũc temporis in ſcholis verſabantur, & adſtruebant in ſacramentis aliquam phiſicam cauſalitatem circa gratiam. Nec hanc exiſtimabant neceſſariam ad ſaluanda dicta Sanctorum Patrum, qui prædicant ſacramenta nouæ legis eſſe cauſas gratiæ, & eis tribuũt efficacitatem circa ipſam gratiam.

25 Secunda eſt eorum, qui ſacramentis nouæ legis tribuũt virtutem inſtrumentariam effectiuam aliquo modo gratiæ, non tamen phiſicam, ſed moralem dumtaxat, aut quaſi moralem. Hanc

ſuſtinent

Digitized by Google

ſuſtinent omnes illi, qui dicunt efficientiam, quam habent ſacramenta nouæ legis circa gratiam non eſſe phiſicam, ſed tantum moralem: vt ſunt Victoria, Canus, Martinus de Ledeſma, & Vazquius in locis citatis dubio præcedenti. Qui etiam putat & merito in hanc eandem ſententiam reducendam fore ſententiam Scoti in 4. diſtinctione quinta quæſtione quinta, & Henrici quodlibeto 4. quæſtione 47. & Ricardi in eodem quarto diſtinctione prima articulo quarto quæſtione ſecunda.

Quorum ille, ſcilicet Scotus cum Ricardo explicant virtutem inſtrumentariam ſacramentorum circa gratiam eſſe quidem, non phiſicam, ſed per modum cuiuſdam diſpoſitionis præparantis ad formam.

Quod explicant duobus exemplis, ſcilicet meritorum, & motus: merita namque vocantur inſtrumenta ad gloriam, non quia ipſam phiſica actione producant, ſed quia ſunt diſpoſitiones morales ad illam: motus vero etiam vocatur inſtrumentum ad producendum terminum, ea tantum ratione quia diſponit ad illum: ſic etiam (inquiunt illi) ſacramentum, ſeu eius ſuſceptio, quia eſt proxima diſpoſitio ad gratiam, poteſt vocari inſtrumentũ concurrens ad illam producendam; non quidem per aliquam formam, vel virtutem intrinſecè ipſi ſacramento inhærentem, nec per aliam actionem phiſicam, ſed per ſolam extrinſecã Dei producentis gratiam: per extrinſecã inquam adiuncta promiſsione, & pacto, quo Deus pepigit, & promiſit, vt vbicumque ritè applicetur ſacramentum nouæ legis, conferat gratiam neceſſario, neceſsitate quidem non abſoluta, ſed conditionata, & ex ſuppoſitione pacti, & promiſionis voluntariæ proueniente.

Iſte vero, ſcilicet Henricus explicat huiuſmodi virtutem inſtrumentariam ſacramentorum circa gratiam conſiſtere in eo, quod cauſent quidem non immediatè ipſam gratiam, aut per aliquam virtutem ſupernaturalem ipſis intrinſecè inhærentem, quia putat gratiam fieri per creationem, ad quam proinde nullum inſtrumentum virtute, aut actione phiſica attingere poteſt, ſed per aſsiſtentiam ipſius Dei, qui ſpirituali modo eſt præſens ſacramentis nouæ legis, ſicut omne agens principale dicitur eſſe in ſuo inſtrumento. Et ſic Deitas erat ſpecialiter in Chriſti humanitate, ita vt per tactum manus, verbi gratia, eiuſdem humanitatis mundaret leproſos, infirmos curaret, & cæcis lumen oculorum reſtitueret: qua de cauſa dicebatur Deitas hæc miracula efficere, non ſolum vt Deitas, ſed etiam vt exiſtens in manu, ſeu humanitate Chriſti. Sic pariter ſacramenta concurrunt ad producendam gratiam, quia Deus vt in illis tanquam inſtrumentis peculiariter exiſtens, & ad eorum contactum gratiam in ritè ſuſcipientibus creat.

Qui concurſus ſic explicatus, ſiue ab Scoto, & Ricardo, ſiue ab Henrico neutiquam eſt phiſicus, ſed tantum moralis: licet nec proprie ſit effectiuus, & immediatè attingens productionem gratiæ, quem tamen authores prius citati adſtruunt, & attribuunt ſacramentis nouæ legis.

In quo ſenſu Vazquius vbi ſupra hanc ſententiam defendit cum Victoria, & Cano, illamque ait fuiſſe communem omnibus antiquis Scholaſticis, qui negarunt ſacramenta attingere vt cauſas efficientes, ſiue vt inſtrumenta phiſicè ipſam gratiam. Ex quibus inquit fuiſſe Bonauenturam in quarto diſtinctione prima articulo ſecundo quæſtione quarta, Alexandrum quarta parte quæſtione quinta membro tertio articulo quinto, Marſilium in eodem quarto quæſtione ſecũda articulo tertio, Ricardum, & Scotum in locis ſuperius allegatis.

Sed quidquid ſit de vera mente horum ſcholaſticorum, quam iam pro aliquibus ſufficienter explicuimus, ſuam ſententiam de virtute, & cauſalitate effectiua morali ſacramentorum circa gratiam, probat Vazquius in dicto capite quinto, & capite quarto præcedenti tripliciter.

26 Primo, quia ſi aliqua de cauſa tribuenda eſſet ſacramentis nouæ legis virtus inſtrumentaria, & efficientia phiſica, nec ſufficeret impetratoria, & moralis, ea eſſet, vt ſaluarentur teſtimonia Scripturæ, & Patrum, in quibus dicitur ſacramenta eſſe cauſas gratiæ. At qui hæc optimè ſaluantur cum ſola efficientia impetratoria, & morali: ergo.

Minor patet, quia Scriptura, & Patres eodem modo loquuntur de ſacramentis, atque de ſanguine, & paſsione

Chriſti

Chriſti: de quibus dicitur primæ Ioannis primo: *Et ſanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato* Apocalipſis primo: *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et ad Romanos tertio: *quem* (ſcilicet Chriſtum) *propoſuit Deus propitiatorem, &c.* Quibus in locis ſanguini Chriſti, prout in paſsione effuſſo tribuitur virtus, & efficacia mundandi à peccatis, non minus quam ſacramentis, quæ ab ipſa Chriſti paſsione, & ſanguine ſuam virtutem, & efficaciam accipiunt: & tamen huiuſmodi virtus, & efficatia ſanguinis, & paſsionis Chriſti circa gratiam, non eſt phiſica, ſed moralis, hoc eſt per modum meriti, quia nimirum Chriſtus ſuum ſanguinem effudit ex charitate, & per actionem meritoriam, qua proinde nobis gratiam promeruit, & ex opere operantis illam cauſauit: igitur ſimilis virtus, & efficacia tribuenda eſt ſacramentis, non tamen per modum meriti ex opere operantis, ſed per modum impetrationis ex opere operato.

Secundo, quia ſi ad ſatisfaciendum ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonijs neceſſe eſſet tribuere ſacramentis hoc genus phiſici inſtrumenti, in omni caſu deberent ſacramenta operari gratiam: at qui datur caſus, in quo neceſſe eſt fateri ſacramenta ſolo influxu morali, & nullatenus phiſico gratiam conferre. Caſus eſt quando ſacramentum præteritum recedente fictione ſuum effectum ſortitur: tunc enim impoſsibile eſt ſacramentum eſſe inſtrumentum phiſicum gratiæ: quod enim actu non exiſtit, non poteſt phiſicè aliquid operari etiam inſtrumentaliter: ergo in nullo caſu requiritur hoc genus phiſicæ cauſalitatis in ſacramentis. Conſequentia patet, quia eadem eſt ratio in quouis caſu, & neceſsitas ſaluandi virtutem, & cauſalitatem quam Scriptura, & Patres attribunt ſacramentis, vtpotè quia pariformem modum operandi gratiam, & remittendi peccata in quouis caſu, & ſine vllo diſcrimine eis attribunt.

Tertio probatur à Vazquio alia ſpeciali ratione, nimirum quia ſi ſacramenta eſſent phiſica inſtrumenta Dei, neceſſe eſſet vnum ex duobus fateri, nempè aut gratiam per illa nobis conferri in temporè, aut illam phiſicè operari, quando non ſunt: vtrumque autem videtur abſurdum: ergo.

Maior patet, nam vel ſacramenta operãtur, dum ſunt, & ita cùm ſint in tempore, & incipiant in inſtanti extrinſeco, quod eſt vltimum ſui non eſſe, ſiquidem incipiunt ad modum motus: conſequẽs eſt, quod in tempore gratiam producant: quod tamen eſſe falſum patet dupliciter.

Tum, quia gratia cum ſit forma permanens, & ſupernaturalis petit produci in inſtanti per primum ſui eſſe.

Tum etiam, quia ſacramenta eatenus operantur, quatenus habent perfectam ſignificationem. Hanc autem non habent in toto tempore, quo durat eorum vſus, ſed cum primo finitur, & conſummatur. Aut operantur, quando eſt perfecta, & conſummata ſignificatio, & finitus vſus illorum: quod quidem contingit in inſtanti extrinſeco, quod eſt primum non eſſe illorum, in quo iam non ſunt: & ſic ſequitur illa operari vt inſtrumenta, quando non ſunt: quod repugnat cauſæ efficienti phiſicæ, vt dictum eſt.

27 Inter illos autem Authores, qui adſtruunt in ſacramentis huiuſmodi virtutem phiſicam inſtrumentariam, ſunt aliæ duæ ſententiæ: nimirum tertia, & quarta in ordine. Ex quibus altera, ſcilicet tertia in ordine fuit communis antiquorum Thomiſtarum, vſque ad tempora Caietani, vt Paludani in quarto diſtinctione prima quæſtione prima, Capreoli ibidem articulo primo. Deza Hiſpalenſis quæſtione tertia articulo tertio, Ferrarienſis quarto contra gentes capit. 57. §. *ad euidentiam primi dubij*, qui ſequuti Alexandrum Alenſem quem ferunt fuiſſe huius opinionis inuentorem tertia parte quæſtione quinta membro tertio articulo quinto, & quæſtione octaua membro octauo articulo primo, dicunt ſacramenta eſſe inſtrumenta phiſica gratiæ, non quidem quia immediatè, & proximè producunt ipſam gratiam: ſed quia producunt quandam qualitatem præuiam diſponentem ad gratiam, quam vocant ornatum: ſiue hic ornatus diſtinguatur à charactere in ſacramentis imprimentibus characterem, ſiue ab illo non diſtinguatur: etenim exiſtimant iſti Authores etiam per ſacramenta non imprimentia characterem, produci in anima aliquem ornatum diſtinctum à gratiâ, qui ſit diſpoſitio ad illam. *Diſsidium inter Thomiſtas.*

Huic affinis eſt ſententia Dominici de Soto in eodem quarto diſtinctione prima quæſt.

quæſtione tertia articulo primo, aſſerentis eatenus ſacramenta eſſe inſtrumenta phiſica gratiæ, quatenus immediatè producunt vnionem hominis cum gratia, vel quatenus efficiunt hominem gratum Deo: non autem quatenus attingunt immediatè productionem ipſius gratiæ.

Quam etiam probabilem reputat Ledeſma prima parte 4. quæſtione tertia articulo primo: fundamentum horum Authores quantum ad id, in quo conueniunt, ex eodem principio procedit: nimirum quia ſacramenta debent eſſe cauſæ efficientes inſtrumentales gratiæ, & non tantum cauſæ ſine quibus non: ſed non poſſunt habere immediate efficientiam phiſicam circa ipſam gratiam, quam putant omnes non educi de potentia ſubiecti, ſed creari à Deo: ad creationem autem nullum inſtrumentum phiſicum cooperari poteſt: ergo debent habere efficientiam immediate circa aliquam diſpoſitionem ad gratiam, vel circa vnionem gratiæ cum ſubiecto.

Tunc vltra, ſed hoc ſufficit vt abſolutè dicamus ſacramenta eſſe cauſas phiſicas effectiuas gratiæ: nam etiam in naturalibus agens, quod producit vltimam diſpoſitionem ad aliquam formam, dicitur producere, vel ponere ipſam formam (aiũt illi.) Iſte vero, ſcilicet Scotus, ait; quod in naturalibus agens efficiens vnionem formæ cum ſubiecto, dicitur efficere totum compoſitum, & ponere eius formã. Quod patet exemplo hominis generantis, qui nec creat animam, nec efficit materiam hominis geniti: eſt tamen cauſa hominis geniti, quia producit coniunctionem animę cum materia.

28 Quarta opinio, quæ à temporibus Caïetani increuit, & ab illo initium ſumpſit, aſſerit ſacramenta eſſe inſtrumenta phiſica Dei ad producendum immediate non ornatum preuium, non ſolam vnionem gratiæ cum anima, ſed ipſam gratiam, quam putat educi de potentia ſubiecti. Qualis autem ſit virtus iſta phiſica inſtrumentaria conſtituens ſacramenta in actu primo ad efficiendam gratiam in anima ſuſcipientis: diuerſimode explicant Authores huius ſententiæ. Nam Suarius hic diſputatione nona ſectione ſecunda, & alij Neotherici, quos retulimus ſupra quæſtione 13. articulo ſecundo, dicunt in ſacramentis ſicut, & in qualibet alia creatura vniuerſi eſſe potentiam quandam natiuam, & congenitam ad productionem cuiuſque effectus ſupernaturalis; quam vocant obedientialem actiuam: non quidem abſolutam, completam, & perfectam qualis eſt in cauſis ſecundis, ad ſuos effectus conaturales: ſed inchoatam, & incompletam, quę concurſu Dei completur ad talem effectum: & ratione huius potentiæ obedientialis actiuæ, ſacramenta aſſumuntur à Deo tanquam inſtrumenta phiſica ad producendam gratiam, quæ potentia completur, & eleuatur à Deo per huiuſmodi diuinum concurſum, quo Deus ſimul concurrit cum ſacramentis ad producendã gratiam.

Caietanus vero ſupra in dicta quæſtione 13. articulo ſecundo, §. *ad euidentiam*, & in articulo ſecũdo, & quarto huius quæſtionis, inquit, ſacramenta conſtitui in actu ſecundo, & eleuari à Deo in ratione inſtrumenti phiſici ad producendam gratiam per hoc quod mouentur ab ipſo Deo recipiendo ab illo quendam motum intentionalem, fluidum, & ſpiritualem diſtinctum à motu naturali ipſarum rerum, quæ aſſumuntur vt inſtrumenta.

Alij vero vt vidimus in dicto articulo ſecundo quæſtionis 13. huiuſmodi virtutem inſtrumentariam ad productionem gratiæ, vel cuiuſque alterius effectus ſupernaturalis, aut miraculoſi: nec in potentia obedientiali congenita, nec in concurſu Dei illi aſociato, nec in ſolo motu ſupernaturali, aut ſpirituali, ſed in quadam qualitate fluida operatiua, pertinẽte ad primam ſpeciem qualitatis cõſtituunt, & quia hæc eſt veritati, Angelico Doctori, & noſtris principijs conformior. Pro eius declaratione.

29 Dico primo. Sacramentis nouæ legis non eſt attribuenda illa cauſalitas ſola per modum vaſis continentis, aut per modum conditionis, ſine qua non, ſiue cauſæ per accidens, quam eis attribuunt Authores prioris ſententiæ. *Cauſalitas ſacramentorum non eſt per modum cauſæ ſine qua non.*

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Nominales, & alios Authores primæ ſententiæ, tanquam certa; in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſit temerarium, & periculoſum in fide. Et ſuadetur primo, quia huiuſmodi cauſalitas non eſt ſufficiens ad ſaluandum modum loquendi ſacræ Scripturæ, & Patrum: quo ſacramentis nouæ legis attribuunt veram cauſalitatem, & efficientiam circa gratiam, & remiſionem peccatorum. Hæc autem cauſalitas à prædictis Authoribus attributa, nec eſt vera, &

propria

Digitized by Google

propria efficientia, nec verus, & proprius influxus: ergo.

Secundo, quia per huiuſmodi cauſalitatem ſacramēta nouæ legis, nec ſunt virtute maiora, & efficatiora, nec præſtantiora in genere cauſæ, quam ſacramenta veteris legis: ſiquidem hæc etiam cauſabāt gratiam per modum conditionis ſine qua nō, vtpotè quia Deus ex pacto, & promiſsione ad præſentiam illorum etiam cōferebat gratiam ſuſcipiētibus ea rite, & ſine aliquo obice: quod tamen eſt contra communem ſententiam Theologorum: & Auguſtini in ſuperius allegato lib. 19. contra Fauſtū: ergo.

Tertio, quia concedere ſacramentis nouæ legis ſolum huiuſmodi genus cauſæ ſine qua non, idem eſt ac dicere ſolum eſſe cauſas per accidens, quæ remoueant impedimentum: nam aliud duplex genus cauſæ per accidens aſsignatum ab Ariſtotele lib. 2. phiſicorum cap. 5. & lib. 5. cap. 1. & lib. 11. Metaphiſ. cap. 7. nimirum quale eſt illud quo muſicum dicitur ſanare: aut quale eſt illud quo foſsio terræ eſt cauſa per accidens inueniendi theſaurum: qui dicitur caſus, vel fortuna: eoquod in primo accidentarium fuit ex parte cauſę, medicū eſſe muſicum: in ſecundo vero accidentarium fuit ex parte affectus theſaurum eſſe ſub terra: hoc inquam duplex genus cauſæ per accidens nequit habere locum in ſacramentis: ac per conſequens tertium genus dumtaxat poſſet habere locum in illis ſecundum quod cauſa remouens impedimentum dicitur per accidens cauſare effectum impeditum, remouendo tale impedimentum.

Sed nec hoc genus cauſæ ſufficit in ſacramentis, ad hoc vt dicamus, & verificemus illa agere & operari: nec ad hoc ſufficit etiam concurſus per modum ſubiecti, vel vaſis continentis, quia vas nihil agit, nec aliquo modo vere influit in effectum licoris contenti, vt perſpicuum eſt: quæ tamen propoſitiones verificari debent de ſacramentis nouæ legis, vt ſatisfaciamus Scripturæ, & Patribus.

Nec ſufficit virtus inſtrumentalis moralis, contra Vazquez.

30 Dico ſecundo. Nec ſufficit cōcedere ſacramentis nouæ legis illam virtutem inſtrumentariam moralem, quam eis attribuunt Authores ſecundæ ſententiæ.

Hæc concluſio probatur aduerſus dictos Authores. Tum, quia virtus cauſatiua debet proportionari concurſui eiuſdem cauſæ: ſed concurſus ſacramentorum circa gratiam non eſt ſolum moralis, aut ex diuina ordinatione, vt oſtendimus dubio præcedente concluſione 3. & 4. ergo.

Tum etiā, quia huiuſmodi genus cauſæ moralis non poteſt extrahere ſacramenta à ratione cauſæ cauſantis ex opere operantis: nec ſufficit vt eis tribuamus virtutem cauſandi ex opera operato: quam tamen virtutem, debemus eis attribuere ſecundum fidem: ergo & aliam virtutem præter moralem tenemur attribuere ſacramentis nouæ legis. Minor cum conſequentia eſt nota.

Maior autem probatur. quia genus cauſæ moralis, aut eſt per modum meriti, ſiue ſatisfactionis: aut per modum impetrationis: nec enim eſt aliud genus cauſę moralis excogitabile. Primum quidem tribuitur paſsioni Chriſti, & ſanguini in illa effuſa. Secundū vero tribuitur orationibus alicuius ſancti, qui impetrat pro ſe, vel pro alio aliquod beneficium à Deo.

Vtrumque autem genus cauſæ moralis cauſat ex opere operantis: quod perſpiciens Vazquius in dicto cap. 5. numero 80. inquit, quod aliud genus impetrationis tribuere debemus ſacramētis, quod non ſit ex opere operantis, ſed ex opere operato: alioquin ſi ſacramenta efficerent gratiam moraliter impetrando eam à Deo per modum retributionis ex opere operantis, nunquam conferrent gratiam quoties à malo miniſtro, hoc eſt à malo fine adminiſtrantur: quod eſt abſurdum. Nullibi autem explicat hic Author, quod aut quale ſit huiuſmodi genus impetrationis ex opere operato. Imò videtur eſſe implicatio in adiecto, quod ſacramentum cauſat gratiam dumtaxat moraliter, & per modum impetrationis, & quod illam cauſet ex opere operato, ideſt ex propria virtute ipſorum, & independenter à merito, aut ab oratione ac diſpoſitione miniſtri. Vnde hanc ſententiam gladio ſuimet Authoris iugulamus.

Virtus inſtrumentalis phiſica ſacramentorum attingit gratiam.

31 Dico tertio. Virtus inſtrumentaria attribuenda ſacramentis nouæ legis, eſt nedum moralis, ſed etiam phiſica, habens influxum in ipſam gratiam, & non tantum in diſpoſitionem prçuiam, aut in coniunctionem gratiæ cum ſubiecto recipiente illam.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores tertiæ ſententiæ. Et ſuadetur

tur primo euertendo eorum commune, ac vnicum fundamentum, ſcilicet aduerſariorum, quo nituntur ſibi perſuadere cauſalitatem effectiuam ſacramentorum non attingere immediate ipſam productionem gratiæ, ſed aliquam præuiam qualitatem diſpoſitiuam, aut vnionem gratiæ ſolam cum ſubiecto. Quia nimirum exiſtimant gratiam creari à Deo: ad cuius proinde creationem nullum phiſicum inſtrumentum immediate concurrere poteſt: quam tamen exiſtimationem eſſe falſam patet ex his quæ docuimus prima ſecundæ quæſtione 112. articulo primo dubio ſecundo, vbi oſtendimus gratiam educi de potentia ſubiecti, hoc eſt de potentia obediētiali animæ per quandam ſupernaturalem generationem: & hanc eſſe ſententiam cōformiorem menti Angelici Doctoris in illo articulo primo, & in pluribus alijs: ac proinde ex hoc capite non repugnat dari inſtrumenta phiſica attingentia ſuo influxu immediate gratiæ productionem in ſe ipſa. Præter quam quod iſte immediatus influxus phiſicus in gratiam ipſam magis decet virtutem operatiuam ſacramentorum nouæ legis, & eorum excellentiam ſupra ſacramenta veteris.

Secundo, quia ex illo ornatu præuio, quem aduerſarij dicunt immediate produci à ſacramentis plura ſequuntur inconuenientia, quæ ad hanc formam reduci poſſunt. Nimirum, quod cum huiuſmodi ornatus ſit diſpoſitio neceſſario ad gratiam requiſita, debet eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalis cum illa: ac proinde nec eſſet educibilis de potentia animæ, ſed creabilis ſicut gratia. Et conſequenter eadem impotentia, quæ eſt in ſacramentis ad producendam gratiam immediate, eſſet quoque ad producendū talē ornatū.

Rurſus cum huiuſmodi ornatus ſit qualitas inhærens immediate animæ, & permanens in illa, habenſque neceſſariam connexionem cum gratia, eſſet diſtincta ab actibus contritionis, ac dilectionis, & cæteris requiſitis in adulto ad ipſius iuſtificationem, quos plures Theologi morales dumtaxat diſpoſitiones vocant ad gratiam iuſtificantem: fieret conſequens huiuſmodi ornatum nedum moralem, ſed phiſicam diſpoſitionem, & ex natura rei neceſſariam foret ad gratiam in omni ſententia Theologorum, qui neceſſario tenerentur admittere hoc genus diſpoſitionis in tali ornatu reperiri: & ſic requiri etiam ex natura rei aliam diſpoſitionem ad gratiam præter illas, quas Concilia, & Patres in operationibus adulti numerant, & commendant: vt videre eſt in Concilio Tridētino ſeſſ. 6. cap. 5. vbi in ſolis quibuſdam operationibus adulti agnoſcit diſpoſitiones ad gratiam neceſſarias, nulla facta mentione huius ornatus.

Rurſus darentur in illis ſacramentis quæ imprimunt characterem duæ diſpoſitiones neceſſariæ, ſcilicet ornatus, & character: aut dicendum eſſet in huiuſmodi ſacramentis ſolum characterem eſſe ornatum præuium diſpoſitiuum ad gratiam: in alijs vero ſacramentis produci ornatum realiter, & eſſentialiter diſtinctum à charactere.

Quorum neutrum poteſt, aut debet admitti: non quidem primum, quia multiplicat ſine cauſa qualitates præuias ad gratiam. Nec ſecundum, propter duo.

Tum, quia admittit vnam ſpeciē qualitatis, ſeu diſpoſitionis in tali ſubiecto coincidere, & confluere in alteram, quod in naturalibus nunquam contingit.

Tum etiam, quia character non eſt præuia diſpoſitio ad gratiam, vtpotè cum qua non habet neceſſariam connexionē, & ſine qua poteſt infundi, & conſeruari, vt patet in adulto ſuſcipiente ſacramentum baptiſmi, ſiue Ordinis ſine attritione: aut peccantem mortaliter poſt ſuſceptam gratiam vtriuſque ſacramenti: igitur nec poteſt gerere vices ornatus, & ſuplere munus illius.

32 Dico quarto. Sacramenta nouæ legis nedum moraliter, ſed etiam phiſice attingunt immediate ipſam gratiæ ſacramentalis productionem, per virtutem phiſicam inſtrumentariam ipſis à Deo communicatam: quæ virtus in illis, nec in ſola motione, nec in potentia aliqua obedientiali actiua, aſociata extrinſecus concurſui diuino conſiſtit, ſed in quadam fluida qualitate ſupernaturali operatiua ad primam ſpeciem generis qualitatis, quę dicitur diſpoſitio pertinente. Hæc concluſio tres habet partes probandas: & quidem prima ſufficienter relinquitur ex aliarum opinionum impugnatione comprobata.

Virtus inſtrumentalis, & qualitas fluida non extrinſeca aſſiſtētia, nec potentia obedientialis actiua, contra Suarez.

33 Deinde ſecunda pars probatur eiſdē rationib9 quibus 1. 2. q. 111. oſtēdimus auxilia diuina, & ſupernaturalia data ad operādū ſupernaturales act9. Necnō gratias gratis datas operatiuas ſupernaturaliū effectuū nō cōſiſtere in ſola motione

quæ

quæ cùm pertineat ad genus, ſiue ad poſt prædicamentum motus nequit eſſe forma operatiua, ac proinde nec valet conſtituere ſubiectum potens in actu primo ad operandum, quia iſtud concretum eſt effectus formalis alicuius formæ de genere qualitatis. Ac proinde in hac parte ſententia Caietani non eſt ſuſtinenda; niſi nomine motionis inſtrumentariæ intelligat motionẽ quæ grammaticaliter dicatur talis, in re autem ſit qualitas: quæ tamen habeat modũ motionis, ſeu motus eo quod eſt forma tranſiens, & fluida: in quo etiam ſenſu appellat eam intentionalem, quaſi habentem eſſe intentionale: & non ſolum ea ratione à Vazquio inuenta: nimirũ, quia eſt ſecũdũ intentionem principalis agentis: ſic enim etiam virtus, & potentia operatiua cuiuſcumquè cauſæ ſecundæ principalis, & principaliter operantis poſſet appellari intentionalis, eo quod ſit ſecundùm intentionem primæ cauſæ.

34 Tertia vero pars contra authores potentiam obedientialem actiuam adſtruẽtes, tam in ſacramentis ad cauſandam gratiam, quam in omnibus alijs creaturis ad inſtrumentaliter operandos quoſcumquè effectus, quos Deus voluerit mediãtibus illis efficere iam ſufficienter manet probata ex his, quæ docuimus ſupra q. 13. ar. 2. & pluribus eandem actiuam potentiam, & modum eleuationis extrinſecæ, aduerſus Suarium impugnat Vazquius, 1. p. diſp. 176. c. 3. & 4. Quorum omnium ſumma ad hæc inconueniẽtia, quæ ſequuntur ex tali obedientiali potentia actiua, & extrinſeca eleuatione per ſubordinationẽ ad imperium Dei, ſiue per aſſociationem ad diuinum concurſum ſimultaneum, nihil intrinſecum ponentem in ipſa cauſa, niſi tantum in effectu, reducuntur.

Primũ eſt, quia alioquim poſſet Deus pro ſola ſua voluntate aſſumere quamcumquè rem, vt inſtrumentum phyſicũ ad quẽlibet effectum producendum, ratione huiuſmodi potentiæ obedientialis, & inchoatæ virtutis, quæ ſit in ipſa creatura, ſine impreſsione alicuius alterius virtutis ipſi ſuper additæ: hoc autem eſſe falſum patet, & conuincitur, non quidem ea ratione quã ſibi perſuadet Vazquius ex profeſſo in d. diſp. 176. 1. p. & eam hic, c. 3. & 4. diſput. 132. iterũ cõmẽdat, & cõmemorat: dicens ſolũ eas res deſeruire poſſe Deo, vt inſtrumenta phiſica ad aliquẽ effectũ, quæ ſuapte natura ad illũ habent aliquã aptitudinẽ. Quamuis enim hæc ratio habeat vim ad probandũ nullã creaturã poſſe aſſumi, vt inſtrumentum phiſicum ad effectũ creationis, qui fit ex nihilo: eo quod ens cum non ente nullam habet aptitudinem, & proportionem: tamen non habet vim ad probandum creaturas non poſſe aſſumi à Deo vt inſtrumenta phiſica ad cæteros effectus, quamtumuis miraculoſos, & ſupernaturales, qui educuntur de potẽtia ſubiecti, etiã ſi nullam naturalem aptitudinem habeant ad illos: nam reſpectu horum creaturæ nõ redduntur aptæ, & proportionatæ in actu primo proximo per naturalem aliquã aptitudinem: (ſi enim hoc vellet Vazquius volens nollens incideret in ſententiã Suarij, quam refutare conatur, ſolũquè ab illo differret nomine tenus: nimirum, quia quã ille appellat potentiam obedientialẽ actiuam, & inchoatam virtutem, ipſe vocaret aptitudinem naturalem.) Sed ratione virtutis ſupernaturalis, quã Deus imprimit, & communicat rebus quibus vtitur, vt inſtrumentis phiſicis ad operandos effectus ſupernaturales, ſicut, & ſacramentis, quãdo eis vtitur, vt phiſicis inſtrumentis ad efficiendam gratiam.

35 Secundum eſt, quod per ſolam extrinſecam ſubordinationem fieret creatura de non potente potens in actu primo: qui tamẽ trãſitus, nequit fieri ſine mutatione aliqua intrinſeca in ſubiecto per receptionem alicuius formæ abſolutæ, ac de genere qualitatis: quia eſſe potens operari, eſt effectus formalis qualitatis operatiuæ.

Tertium eſt, quod Deus, & creatura ratione huius potentiæ obedientialis actiuæ concurrerent ad ſupernaturalem effectum concurſibus partialibus: qui tamẽ modus concurrendi alienus eſt à Deo: nec non à cauſis ſecundis, quando cõcurrunt, vt eleuatæ ab ipſo per virtutẽ intrinſece eas eleuãtẽ, & perficientẽ: tunc enim talẽ virtutẽ eleuantem eſſe totã rationẽ agendi, & non partialẽ, ſeu mediã virtutẽ in ipſis cauſis, ſiue inſtrumẽtarijs, ſiue principalibus, oſtendimus in dicto tractu de auxilijs diuinæ gratiæ, 1. 2 q. 111 & 1. p. q. 23. art. 2. dum de effectibus prædeſtinationis ageremus.

Quartum eſt, quod huiuſmodi potentia obedientialis, aut eſſet naturalis entitatiue, & ſubiectiue: & ſic non poſſet præſtare proximum influxum in effectum, aut in actum vitalem, qui ſe toto eſt ſupernaturalis, nec illum in ſe præha-

beret: ſiquidem, nec ratione ſui, nec ratione conſortij extrinſeci concurſus ſit fortior, aut potentior in effectum ſuper naturam: aut eſſet ſuper naturalis ſubiectiue, & ſic cum ſit congenita naturæ rerum, eſſet ab authore naturali, quod eſt impoſsibile: aut ſi eſſet ab authore ſupernaturali: nihil poſſet producere author naturalis: quin ſimul cõproduceret huiuſmodi potentiã in rebus creatis ordinis naturæ, idem Deus vt author ordinis ſuper naturalis; quod eſt abſurdum.

Ex quibus proinde colligitur virtutem hanc inſtrumentariam phyſicam ſacramentorum nouæ legis eſſe in ipſis quãdo operantur, qualitatem quandam fluidam, & tranſeuntem ſupernaturalis ordinis, per quam intrinſece conſtituuntur potentia in actu primo proximo ad inſtrumentaliter producendam gratiam quam Deus ſolus, vt author principalis efficit in anima rite ſuſcipientis ſacramentum.

36 Ex his facile eſt ſatisfacere argumentis in contrarium adductis. Ad fundamentum namquè pro prima ſententia ſatis ſuperquè conſtat ex dictis.

Ad fundamentum verò pro ſecunda reſpondetur illam cauſalitatem, nec eſſe propriam, nec ſufficientem ad ſaluanda Scripturæ, & Patrũ teſtimonia: nec ſufficienter diſtinguere cauſalitatem ſacramentorum nouæ legis à cauſalitate ſacramentorum veteris.

Ad primum autẽ ex adductis à Vazquio de cauſalitate morali reſpondetur ad miſſa maiori negando minorem. Nec eſt eadem ratio de ſacramentis nouæ legis atquè de ſanguine, & paſsione Chriſti: nã illa ſunt inſtrumenta effectiua, & operantia gratiam ex opere operato: iſta verò tantum cauſant gratiam ex opere operantis, hoc eſt ex affectu, & merito Chriſti, ac proinde tantum meritoriè, & ſatisfactoriè gratiam cauſant. Nec maior cauſalitas in adductis teſtimonijs eis attribuitur, vtpotè quæ debent intelligi ſeruatis ſeruandis, & iuxta ſubiectam materiam.

Ad ſecundum nego maiorem: nam ad ſaluandã virtutem & cauſalitatem phyſicam, & excellentiam ſacramentorum nouæ legis ſatis eſt, quod phyſicè cauſent gratiam quando actu miniſtrantur, & efficiuntur, licet poſtquam tranſacta fuerint cauſent gratiam tantum moraliter: vt dicemus dubio 5.

Ad tertium neganda eſt maior: nam datur medium: nimirum, quod ſacramenta ſortiantur ſuum effectum in vltimo inſtanti in quo complentur, & conſumantur, quod licet ſit primum non eſſe illorum in ratione motus, quia mutatum eſſe non eſt pars motus: verumtamen pertinet ad eſſentiam ipſius ſacramenti tanquam complementum illius; ſicut mutatum eſſe pertinet ad eſſentiam motus, tanquam eius complementum, & ideo tunc cauſant, quando adhuc ſunt quantum ad aliquod ipſorum complementum: vt amplius explicabimus dubio ſequenti.

37 Ad fundamentum, deniquè tertiæ ſententiæ neganda eſt minor, quia iam diximus cauſalitatem ſacramentorum immediatè, & proxime attingere ipſam productionem gratiæ: vtpote quæ producitur non per creationem, ſed per eductionem de potentia ſubiecti.

Dubium tertium eſt: An ad recipiendam gratiam ſacramentalem requiratur aliqua diſpoſitio ex parte ſuſcipientis, & qua ſit illa?

38 IN hoc dubio omnes Theologi cõueniunt in duobus, & diſcriminãtur in alijs duobus. Cõueniunt quidem primo, in hoc quod ſacramenta nouæ legis, ſemper atq; infalibiliter conferunt gratiam non ponẽtibus obicem. Quæ ſuppoſitio eſt certa ſecundum fidem, vtpote expreſſe diffinita à Cõcil. Trid. Seſſ. 7. can 7. ſub his verbis. *Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus, quantũ eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus anathema ſit.* Probatur etiam ex triplici cap. Tum ex ipſa ſignificatione illorum, eo quod ſunt ſigna gratiæ non prognoſtica, ſed demonſtratiua: hoc eſt, quia ſignificant gratiam præſentem, quæ confertur in eorum ſuſceptione.

Sacramẽta noua legis infalibiliter cõferũt gratiã non ponentibus obicem.

Tum

Tum etiam ex promiſsione Chriſti, quã habent adiũctã, nõ quidẽ abſolutã, ſed conditionatam hoc eſt ſub cõditione diſpoſitionis ex parte ſuſcipientis, vel miniſtrantis, iuxta illud Euangelij: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum: & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; certum autem eſt promiſsionem Chriſti eſſe infallibilem, & ſemper debere ſortiri effectum, vel abſolute, ſi ſit abſoluta, vel ſub conditione ſi ſit conditionata: conditio autem requiſita, & petita ex parte ſuſcipientis nulla alia eſt; imò nec potuit conuenitior poni, quam quod ſuſcipiens non habeat obicem, nec ſit indignus gratiæ recipiendę: ergo poſita hac conditione neceſſe eſt ſacramenta inducere effectum gratiæ.

Tum deniquè, ex ipſa virtute, quam habent ex ſua inſtitutione, quæ cum ſit immutabilis ſemper perſeuerat: ac proinde ex vi illius ſacramenta ſemper habent eandem virtutem conferendi gratiam ex opere operato, ideſt, ex huiuſmodi propria virtute: quæ ſuppoſita inſtitutione eis deeſſe non poteſt. Vnde quia infantes non ſunt capaces apponendi aliquem obicem, ſacramenta quæ eis miniſtrantur, ſemper & infalibiliter conferunt illis ſuũ effectum tam characteris, quam gratiæ.

Actualis diſpoſitio exigitur, vt conferatur prima gratia.

39 Conueniunt ſecundo, in eo quod requiratur aliqua actualis diſpoſitio in adultis ad hoc, vt ſacramentum conferat illis primam gratiam. Quæ ſupoſitio etiam eſt manifeſta, de qua videndi ſunt Gabriel in 4. diſtinction. 14. quæſtion. 2. artic. 1. & Petrus de Soto, lectione 9. de ſacramentis in genere, & lectione 7. de cõfeſsione. & Suarius hic diſputation. 7. ſectione 4. & probatur, quia obex impedit ſuſcepionem primæ gratiæ conferendæ per ſacramentum, vt conſtat ex prima ſupoſitione: ergo ad impediendum huiuſmodi obicẽ requiritur ex parte ſuſcipientis aliqua actualis diſpoſitio ne inſurgat obex in ſuſcipiente, & maximè reſpectu primę gratię, quia hęc non poteſt conferri homini exiſtenti in peccato mortali: ergo vt ſacramentum poſsit huiuſmodi primam gratiam conferre, neceſſaria eſt in ſubiecto aliqua diſpoſitio actualis, quæ nec conſiſtit in ſola ceſſatione à peccato actuali, nec in ſola voluntaria ſuceptione ſacramenti; ſed amplius requiritur ex parte intellectus fides, ſine qua teſte Paulo ad Hebræos 11. impoſsibile eſt placere Deo: & ex parte voluntatis requiritur aliquis affectus deteſtatiuus peccati. Cuius ratio à priori eſt, quia ſicut homo peccando voluntariè auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam: ita quocumquè modo ſit iuſtificandus, ſiue per ſacramentum, ſiue extra illud, conuenienter exigitur ab illo tanquam neceſſaria diſpoſitio, quod voluntarie deſſerat peccatum, & aliquo modo conuertatur in Deum: hoc autem non fit, niſi mediante aliquo motu voluntario in Deum, vel in peccatum, vel ſimul in vtrũquè. Et hæc ratio ſufficiens eſt, quotieſcumque infunditur homini adulto prima gratia ad remittendum peccatum mortale perſonale: ſi autem contingeret hominem adultum habere dumtaxat peccatum originale, tunc ad ſuſceptionem primæ gratiæ, non requireretur motus deſtatiuus peccati, quia huiuſmodi peccatum non fuit propria voluntate perſonali contractum: ſed requireretur nihilominus aliquis actus quo aliquo modo talis homo conuerteretur in Deum, voluntarie appetendo iuſtificationem, & reconciliationem cum Deo, ſaltem implicitè: quæ ſufficienter ſaluaretur in illo actu, quo voluntarie ſuſciperet baptiſmum, credens illum dari in remiſsionem peccatorum: in paruulis enim neutra ex his diſpoſitionibus requiretur ad recipiendam primam gratiam, & remiſsionem peccati originalis; quia non ſunt capaces vti propria voluntate.

Sed hic caſus in ſententia Angelici Doctoris eſt omnino impoſsibilis, quia nullus homo poſt primum inſtans vſus rationis poteſt reperiri cum ſolo peccato originali, nec cum originali, & ſolo veniali. In ſententia vero aliorum eſt moraliter impoſsibilis, quia nequit contingere, quod homo adultus poſt primum inſtans vſus rationis multo tempore perſeueret in peccato originali, quin incidat in aliquod mortale peccatum.

Diſcriminantur autem Theologi primo in explicando, quæ, & qualis debeat eſſe diſpoſitio in vno quoquè ſacramento ad gratiam conferendam: & quamuis plura ſint Theologorum placita, congruentius tamen confutabuntur per ſequẽtes concluſiones.

Ad gratiam Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſolum exigitur attritio.

40 Dico primò, in duobus ſacramentis mortuorum: nimirum Baptiſmo, & Pœnitentia, quæ conferunt primam

gratiam; requiritur in ſuſcipiente adulto motus voluntarius deteſtatiuus peccati, non quidem qui ſit contritio, ſed attritio.

In hac concluſione omnes Theologi conueniunt: eo quod ſi præcederet contritio iam tunc homo conſequeretur gratiam ex opere operantis, ac per conſequens ſacramentum non conferret primam gratiam, ſed ſecundam, hoc eſt augmentum gratiæ præexiſtentis: ſufficit ergo attritio ſola ob rationem factam: nimirum, vt homo voluntariè recedat à peccato mortali, quod propria voluntate commiſsit.

Similiter ad gratiā primā cæterorū contra Scotū.

41 Dico ſecundo, in reliquis quinquè ſacramentis, quæ dicuntur viuorum, vt conferant primam gratiam homini exiſtenti in peccato mortali, requiritur, & ſufficit ſola attritio cum bona fide, & ignorantia inuincibili peccati mortalis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam quorundam Theologorum aſſerentium in hoc caſu non requiri attritionem, ſed ſufficere dictam bonam fidem, & ignorantiam inuincibilem peccati mortalis. In quam ſententia inclinat Scotus in 4. diſtinction. 14. quæſtion 4. articul. 3. Quorum fundamentum eſt, quia vel habituale peccatum mortale eſt ſufficiens impedimentum ad primam gratiam ſuſcipiendam, vel non: ſi primum, ergo etiam poſsita attritione manebit obex, quia adhuc manet habituale peccatum, & ſic recipiens ſacramentum non iuſtificabitur: ſi ſecundum: ergo, qui accedit ad ſacramentum bona fide cum habituali peccato, ſine alia diſpoſitione, non ponet obicem ſacramento: ac proinde iuſtificabitur: nam ſacramenta ſemper conferunt gratiam non ponentibus obicem.

Sed noſtra concluſio communiter recipitur à Theologis, & probatur, quia obex impediens effectum ſacramenti, non ſolum eſt peccatum mortale actuale, ſed etiam habituale non retractatum, aut deteſtatum: nam quamdiù ſic non eſt retractatum, cenſetur homo moraliter permanere voluntarie in illo; vnde vt tollatur obex ad gratiam ſuſcipiendam, opportet, vt voluntas ſuſcipientis deſerat affectum ad tale peccatum; quod non poteſt effici, niſi vel per contritionem, vel ſaltem per attritionem, quæ eſt deteſtatio peccati ſufficiens ad remouendum talem affectum à voluntate. Ex quo manes ſolutum argumentum adductum in contrarium.

Vt ſacramenta viuorum conferant proprium effectum non requiritur diſpoſitio actualis.

42 Dico tertio, vt hæc ſacramenta quæ dicuntur viuorum conferant ſuum proprium effectum gratiæ, hoc eſt augmentum gratiæ, ſiue gratiam ſacramentalem vnicuiquè propriam, non requiritur aliqua actualis diſpoſitio, ſed ſufficit habitualis: nimirū, quod ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, quantumbis venialibus peccatis infectus.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam Caietani; infra quæſtione 79. articulo primo; & Petri de Soto, lectione nona de ſacramentis in genere, & lectione octaua de confeſsione. Quorum ille aſſerit, ſpecialiter loquens de Euchariſtia, requiri ad recipiendam gratiam propriam huius ſacramenti, aliquam diſpoſitionem actualem: nimirum deuotionis, ſiue atencionis: eo quod huiuſmodi ſacramentum propter ſui maximam dignitatem impeditur non ſolum per veniale peccatum, ſed etiam per actualem diſtractionem. Iſte verò ampliauit ad cætera ſacramenta viuorum eandem doctrinam. Cuius fundamentum poteſt eſſe; quia abſurdum videtur, quod homo dum actu peccat, & offendit Deum, fiat ſanctior, ac Deo gratior.

Sed noſtra concluſio eſt communiter recepta à Theologis, & expreſſa Diui Thomæ infra quæſtione 77. artic. 8. loquens ſpecialiter de Euchariſtia, idemque à fortiori ſentit de reliquis ſacramentis, vtpotè, quę minorem dignitatem habent, & Scoti in 4. diſtinct. 4. quæſt. 7. & ſuadetur.

Tum, quia cum hoc dependeat ex ſola Dei voluntate, & Chriſti inſtitutione: potius pie credendum eſt, ſeſe in huiuſmodi negotio ſacramentorum humanæ fragilitati acommodaſſe: cōtra quam eſt, quod homo debeat habere actualem deuotionem, ſeu atētionem, quoties recipit huiuſmodi ſacramenta ad eorum effectum gratiæ ſuſcipiendum.

Tum etiam, quia oppoſita ſententia nullo firmo fulcitur fundamento. Nec enim pro inconuenienti reputatur, quod ſimul, & pro eodem tempore diuerſis titulis, ſeu actibus idem homo recipiat augmentum gratiæ, & charitatis, & exerceat aliquam leuem offenſam

Dei

Dei, vtpote quæ non ſunt incompatibilia. Imò cum gratia habitualis tantę ſit dignitatis apud Deum, vt vincere, ac ſuperare poſsit omnes leues deffectus, ac negligencias, ipſa ſola erit ſufficiens diſpoſitio ad huiuſmodi ſacramenti effectum recipiendum, & quia gratia ſacramentalis in quantum talis ſupra gratiam habitualem ſolum addit, vt infra dicemus, quandam Dei motionem, ſiue auxilium, quod aſſociatur, & concomitatur ipſam gratiam habitualem neceſſario neceſsitate ex ſuppoſitione diuinę ordinationis, & inſtitutionis provt per tale ſacramentum confertur: propterea eadem diſpoſitio ſufficiens, & requiſita ad augmentum gratiæ conferendum per tale ſacramentum, eſt pariter ſufficiens, & requiſita ad recipiendum talem motionem ſiue auxilium, quia acceſſorium ſemper ſequitur naturam ſui principalis, ac proinde iſtud non petit maiorem diſpoſitionem quam illud: vnde ſicut ſola gratia habitualis eſt ſufficiens diſpoſitio ad augmentum, ita & ad tale auxilium recipiendum, vtpote ipſi annexum.

Expenditur, an cũ æquali diſpoſitione duo ſacramenta eiuſdẽ ſpeciei conferant æqualem gratiam.

43 Diſcriminantur ſecundo, circa effectum ſacramentorum, quando eſt æqualis diſpoſitio ex parte ſuſcipientis: an tunc duo ſacramenta eiuſdem ſpeciei, v.g. duo ſacramenta baptiſmi, vel confirmationis cum æquali diſpoſitione conferant ex opere operato æqualem gratiam? (De ſacramentis, namque diuerſæ ſpeciei ſupponimus ex infra dicendis conferre inæqualem gratiam ex Chriſti inſtitutione) diſcriminantur inquam in duas ſententias.

Quarum prima eſt Paludani in 4. diſtinctione quarta quæſtione prima, Scoti ibidem, quæſtione octaua, & Gabrielis, quæſtione ſecunda concluſione ſeptima, & Caietani infrà quęſtione 64. articulo primo aſſerentium duo ſacramenta eiuſdem rationis in ſubiecto æquè diſpoſito ſecundum legem ordinariam poſſe conferre inæqualem effectum gratiæ ex ſola Dei voluntate, vel ex decretò prædeſtinationis, vel ex ſolo merito, & oratione miniſtri, aut alterius.

In primo ſenſu defendit illam Paludanus aſſerens duos paruulos, qui cum ſolo baptiſmo morituri ſunt, recipere inæqualem gratiam, propterea quod ſunt ad inæqualem gloriam præordinati; & prædeſtinati, eo quod ſupponit homines futuros eſſe æquales in multitudine Angelis beatis, & occupaturos ſedes in beatitudine, quas Angeli reprobi reliquerunt: & cum aliàs Angeli inter ſe non ſint æquales in donis gratiæ, & gloriæ, ſicut nec in natura: ideò neceſſe eſt omnes homines prædeſtinatos inæquales futuros eſſe in gratia, & gloria.

In ſecundo autem ſenſu illam tenent tanquam probabilem Scotus, & Gabriel, licet non omnino certã, dicẽtes rem eſſe dubiam, vtrùm ſacramentum conferat vni maiorem gratiam quam alteri, vel propter ſolam Dei voluntatem, aut prædeſtinationem, vel propter merita parentum, aut miniſtrorum; qui impetrant vni homini maiorem effectum ſacramenti, cæteris paribus quam alteri, & in eodem ſenſu illam amplectitur, vt probabilem Caietanus in loco citato, adnotans cum Scoto, illum gradum gratiæ, qui additur ex merito, vel impetratione miniſtri, non eſſe propriè effectum ſacramenti ex opere operato, ſed concomitanter dari cum effectu ſacramenti: vt ſic ſaluet formaliter non augeri effectum ſacramenti manente æquali diſpoſitione ex parte ſuſcipientis.

Quorum fundamentum, quoad primam partem poteſt eſſe, quia diuina virtus, ac voluntas; non eſt alligata ſacramento. Igitur quamuis Deus promiſſerit in talis ſacramenti vſu certum, ac determinatum gradum gratiæ, poterit pro ſua bona voluntate dare maiorem ad conſummationem prędeſtinationis, iuxta illud Matthęi 20. *An non licet mihi, quod volo facere?*

Pro ſecunda vero parte fundamentum eſt, quia vnus homo iuſtus poteſt alteri impetrare, ſeu mereri de congruo primam gratiam, & eius augmentum: ergo poteſt etiam impetrare, & mereri de congruo augmentum effectus ſacramenti, exiſtente ęquali diſpoſitione ſubiecti.

Secunda ſententia, & communiter recepta à Theologis aſſerit ſacramentum, quodcumquè ſemper cauſare ęqualem effectum in ſubiecto ęqualiter diſpoſito, inęqualem vero in ſubiecto inęqualiter diſpoſito. Quam ſequuntur Diuus Thomas infrà quæſtione 69 articulo octauo, Alenſis 4. parte, quęſtion. 21. membro 3.

Digitized by Google

Ricardus in 4. diſtinction. 4. artic. 3. quæſtion. 3. Bonauentura, & Maior ibidem, Soto diſtinction. 6. quæſtion. 1. artic. 6. Ledeſma 1. part. 4. quæſtion. 22. artic. 4. & Suarius diſputation. 7. ſectione 5. cum alijs neothericis.

Iuxta mēſuram diſpoſitionis datur gratias in ſacramētis.

44 Et quia hæc eſt vera ſententia ſtatuitur à nobis pro concluſione, & quidem pro prima parte ſuadetur primo authoritate Cipriani, epiſtola 59. & lib. 4. epiſtolarum, epiſtola 76. & Chryſoſtomi homilia 24. in acta Apoſtolorum, Auguſtin. lib. 4. de baptiſmo, cap. 20. & tractatu 5. ſuper Ioannem, & Damaſceni libro 4. de fide, cap. 10. aſſerentium baptiſmum æqualem gratiam conferre hominibus æque diſpoſitis: & cum eadem ratio ſit de alijs ſacramentis: id ipſum de omnibus videntur ſentire.

Secundo probatur ex Concilio Tridentino, Seſsione 6. can. 7. diffiniente ſacramentum conferre gratiam ex certa, & ſtatuta lege à Deo, qui ſua lege prouiſione, & promiſsione definiuit effectum ſacramenti: ergo ex parte Dei hic effectus ſemper eſt æqualis. Ac proinde ſi ex parte ſuſcipientis, ſit etiam æqualis diſpoſitio: effectus ſimpliciter, & omnibus modis erit æqualis. Hæc cōſequentia patet, quia gratia quæ eſt effectus ſacramenti poteſt comparari in ordine ad triplex extremum: nimirum, aut in ordine ad diuinam promiſsionem: aut in ordine ad voluntatem Dei: aut in ordine ad ſuſcipientem: ſed ex parte nullius extremi poteſt in noſtro caſu augeri, aut conferri maior effectus gratiæ ſacramentalis. Non quidem ex parte promiſsionis Dei qui promiſsit, & definiuit certum effectum gratiæ in vnoquoquè ſacramento nedum quo ad ſubſtantiam; ſed etiam quoad quantitatem, tam verſus minimum, quam verſus maximum terminum. Huiuſmodi enim determinationem continet præfatum Concilij Tridentini decretum.

Nec ex parte voluntatis Dei, quia licet voluntas Dei, vt abſoluta ab omni promiſsione, & decreto poſſet maiorem gratiam conferre per vnum baptiſmum, verbi gratia, quàm per alium in ſubiecto æquè diſpoſito: verumtamen hoc faceret de potentia abſoluta, & miraculoſe præter, vel ſupra ordinariam legem in Eccleſia ſtatutam; non ſic autem loquimur in præſentiarum de voluntate diuina, ſed tantum prout eſt iam de facto alligata promiſsioni, & pacto, atquè legi ordinariæ qua Deus ſtatuit talem, ac tantum effectum per vnumquodquè ſacramentum conferre: ex cuius ſuppoſitione manſit diuina voluntas, veluti neceſsitata ad conferendum nec maiorem, nec minorem effectum, vltra vel infra definitum, quantum eſt ex parte ſua. Nec tandem ex parte ſubiecti, quia ſupponimus in ſubiecto dari æqualem diſpoſitionem: ergo.

45 Secundo probatur, quia licet ex diuina prædeſtinatione, & electione vnus ſit ad maiorem gratiam, & gloriam præordinatus: hoc tamen executioni debet mandari per media conuenientia, accommodata, & præordinata ad talem effectum conſequendum, quia prædeſtinatio eſt preſciētia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsime ſaluantur quicumquè ſaluantur, teſte Auguſtino libro de prædeſtinatione ſanctorum: media autem præparata, & præordinata à Deo per quæ vnus homo debet conſequi maiorem gratiam, & gloriam quam alius, non eſt ſuſceptio baptiſmi, verbi gratia, aut alterius ſacramenti eiuſdem ſpeciei, cum æquali diſpoſitione: ſed ſunt auxilia, & actus meritorij, vel diſpoſitiui, quibus vnus, vel mereatur augmentum gratiæ, & gloriæ, vel quibus ad maiorem gratiam diſponatur: ergo non poteſt per ſolam ſuſceptionem ſacramenti eiuſdem rationis cum æquali diſpoſitione ad maiorem gratiam. vel gloriam peruenire ſecundum ſuauem Dei prouidentiam, & ſtatutam legem ordinariam ſecluſo miraculo.

Nec valet ſolutio Caietani vbi ſupra dicentis huiuſmodi exceſſum gratię, aut gloriæ poſſe prouenire, vel ex merito, vel impetratione miniſtri, aut alterius: propter duo.

Tum, quia effectus ſacramenti non datur propter meritum, vel orationem miniſtri, ſed ſolius Chriſti, iuxta illud 1. ad Corinthios 1. *Nunquid Paulus Crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?*

46 Tum etiam, quia meritum, & impetratio miniſtri non extenditur inmediatè ad promerendam gratiam ſanctificantē, vel aliquem eius gradum abſquè proprio actu, vel merito ſuſcipiētis: eo quod æqua eſt ratio, & efficatia reſpectu huiuſmodi meriti, vel impetrationis in miniſtro ſacramēti, atquè in quolibet alio homine æquè iuſto orante, aut bene operāte pro altero,

vtpote,

vtpote, quia miniſter in hoc merito, vel in oratione tantum ſe habet, vt perſona priuata, ſolumquè adiungit concommitanter orationem ſuam miniſterio ſacramenti, nec enim habet aliquam ſpecialem promiſsionem, aut valorem in ſuo opere, & oratione: nullus autem homo præter Chriſtum poteſt mereri, vel impetrare alteri gratiam ſanctificantem, ſine actu, vel diſpoſitione ipſius ſuſcipientis, ſicut nullus de facto purus homo eſt caput Eccleſiæ (quidquid ſit de potentia abſoluta) vt oſtendimus ſupra, quæſtione prima articulo ſecundo, quod ſic declaro, poteſt quidem vnus homo iuſtus ſuo merito, vel oratione mereri alteri de congruo primam gratiam, vel gratiæ augmentum, merendo illi aliquod auxilium, & motionem, qua aplicetur ad eliciendum aliquem actum contritionis, verbi gratia, vel atritionis: quo ſe diſponat ad recipiendam primam gratiam extra ſacramentum, vel etiam cum ſacramento: aut etiam ad eliciendum aliquem actum meritorium ſupoſita in illo iam prima gratia, quo augmentum illius promereatur de condigno. Huiuſmodi autem prima gratia, vel augmentum reſpectu merentis auxilium, & motionem, alteri, eſt quidem præmium mediatum, & accidentarium; quod tamen eſt immediatum reſpectu ipſius ſuſcipientis, nam reſpectu huius talis motio, vel auxilium eſt principium quo vel ſe diſponat ad gratiam, vel promereatur eius augmentum: reſpectu autem alterius habet ſe, vt terminus, vel vt præmium veluti accidentale, vt dictum eſt.

Vnde fit tale meritum congrui ſolum habere locum reſpectu adultorum, qui ſunt capaces recipiendi diuinas motiones, & auxilia ad operandum: ſecus autem reſpectu paruulorum, qui talium auxiliorũ, & motionum ſunt incapaces. Abſurdum enim eſt, quod ex duobus paruulis baptizatis vnus accipiat maiorem gratiam quam alter, etiam concommitanter ſecluſo miraculo, & ſecundum ordinariam legem, propterea quod pro vno, & non pro altero miniſter, aut alius homo iuſtus oret, vel aliud bonum opus applicet: ſicut & abſurdum eſt dicere, quod ſecundum ordinariam legem adultus dormiens, & nihil de ſua ſalute cogitans accipiat gratiam, propter alterius meritum, vel impetrationem. Et huius ratio à priori eſt, quia eſſentiale præmium gratiæ, & meritorum vnius cuiuſquè hominis eſt gloria propria, quæ gratiæ correſpondet: vnde nec gratia augetur, niſi vel per propria opera, vel per merita Chriſti ſufficienter aplicata per ſacramentum: ac proinde quando vnus homo iuſtus orat pro altero, aut ei de congruo meretur, per illam met orationem, vel meritum, ſibi ipſi meretur de condigno præmium gratiæ, & gloriæ proportionatum, & adæquatum: ita vt poſsit dicere cum pſalmiſta: *Oratio mea in ſinu meo conuertetur*: quia ad ipſum reuertitur: etiam ſi pro alio fundatur: cui proinde non poteſt mereri inmediatè tale præmium gratiæ, vel gloriæ: licet poſsit ei de congruo promereri auxilium, quo ſe præparet ad gratiam ſuſcipiendam, vel ad promerendum eius augmentum, vt dictum eſt.

45 Deinde ſecunda pars noſtræ conclusionis, nimirum, quod ſacramentum eiuſdem rationis conferat inæqualem gratiam ex opere operato ſubiectis inæqualiter diſpoſitis. *Subiectis inæqualiter diſpoſitis inæqualem cõfert gratiam Sacramentũ.*

Probatur primo, quia id colligitur ex Concilio Tridentino, Seſsione ſexta, capite ſeptimo definiente: *Non iuſtificari, iuſtitiam in nobis recipientes, ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam vnius cuiuſquè diſpoſitionem, & cooperationem.* Vbi Concilium loquitur de iuſtificatione quę fit per ſacramentum, vt patet ex contextu, cui conſonat Damaſcenus in loco citato: dicens: *Quamuis peccatorum remiſsio omnibus æque per baptiſmum detur: Spiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur.* Id eſt, adquiritur.

Secundo probatur ratione à priori deſumpta ex Chriſti inſtitutione, qui ita inſtituit ſacramenta, & promiſsit vnicuiquè ſacramento gratiam per ipſum conferendam proportionatam, & accommodatam vniuſcuiuſquè ſuſcipientis diſpoſitioni. Huiuſmodi autem inſtitutionis plures fuerunt congruentię.

Prima eſt, quia ita ſuaui Dei prouidentię: & iuſtiſsimæ diſtributioni congruebat, vt melius diſpoſito maior quoq; gratia, nedũ ex opere operãtis, iſte enim

 ex-

exceſſus operi operantis correſpondens, concomitanter dumtaxat, & accidentarie ſe habet ad proprium effectum ſacramenti; ſed etiam ex opere operato.

Secunda eſt, vt ſic cauſæ ordinis gratiæ haberent proportionem cum cauſis naturalibus, quæ melius operantur circa paſſum melius diſpoſitum.

Tertia eſt, quia ita expediebat, vt homines adulti propter ſpem ſaltem maioris fructus ad recipiendum ſacramenta cũ feruentiori deuotione, & maiori reuerentia, excitarentur.

Colligitur expoſitio duplicis teſtimonij, D. Thom.

48 Hinc colligo primo, veram intelligentiam duplicis teſtimonij Angelici Doctoris: nimirum infra quæſt. 64. art. 1. ad 2. & quæſt. 81. art. 6. In quorum priori inquit: *quod effectus ſacramenti non datur melior per meliorem miniſtrum, aliquid tamen annexum impetrari poteſt recipienti ſacramentum per deuotionem miniſtri.* In poſteriori autem ſubdit; *quod miſſa melioris ſacerdotis magis fructuoſa eſt ex deuotione ſacerdotis, orantis eis, pro quibus offertur.* Nam ſenſus prioris teſtimonij eſt, quod ex bonitate, vel merito miniſtri non creſcit effectus proprius ſacramenti: & hoc teſtatur Angelicus Doctor in prioribus verbis: in ſubſequentibus autem dum ſubdit poſſe ex merito, vel deuotione miniſtri aliquid annexum acreſcere recipienti ſacramentum, tantum noſtram conclusionem confirmat. Manifeſtè enim loquitur de gratia illa actuali auxiliante ſiue mouente, quam miniſter de congruo mereri, vel impetrare poteſt recipienti ſacramentum vltra gratiam ſanctificantem, quæ eſt effectus proprius, & adæquate reſpondens cauſalitati ipſius ſacramenti. Senſus verò poſterioris teſtimonij eſt conformis eidem ſententiæ atquè eam confirmans: nimirum, quod fructus miſſæ oblatæ à meliori ſacerdote poteſt creſcere ex offerentis, & orantis deuotione: fructus inquam non ille, qui reſpondet ſacrificio miſſæ ex opere operato; ſed ille qui reſpondet operi operantis, hic autem fructus in ſacerdote offerente miſſam poteſt eſſe augmentum gratiæ ſanctificantis. In alio autem pro quo offertur, non poteſt eſſe, niſi aliqua motio gratuita, qua ſe diſponat ad eliciendum aliquem bonum actum, ſiue meritum maioris gratiæ, ſiue gloriæ, vel etiam ad primam gratiam recipiendam: & reſurgendum à peccato.

49 Colligo ſecundo, quæ & qualis debeat eſſe hæc maior diſpoſitio in recipiente ſacramentum cum qua recipit maiorem effectum gratiæ ex opere operato ipſius ſacramenti. Et in primis ſtatuo pro certo huiuſmodi maiorem diſpoſitionem non conſiſtere in gratia habituali: hæc enim potius pertinet ad dignitatem perſonæ, ex qua etiam opera bona elicita à tali perſona maiorem, quamdam dignificationem accipiunt in ratione meriti ſatisfactionis, vel impetrationis, quam non habent opera elicita à peccatore. Non tamen propriè gratia habitualis præexiſtens diſponit recipientem ſacramentum, ad hoc, vt per illud maiorem effectum gratiæ recipiat.

Inæqualitas diſpoſitionum non deſumitur ex ſola gratia habituali, ſed ex maiori perfectione actuali.

Vndè talis diſpoſitio actualis debet eſſe, ac proinde in aliquo actu honeſto, ſiue virtutis conſiſtens: & quia actus honeſtos, & bonos contingit eſſe inæquales dupliciter: nimirum, vel in ſpecie, vel in aliqua circunſtantia intenſionis, verbi gratia, vel durationis: propterea, pariter & huiuſmodi diſpoſitio poteſt eſſe maior, vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundum circunſtantiam intenſionis, ſiue durationis, & quocumquè modo ex his fuerit maior, ſacramentum maiorem effectum gratiæ confert ſubiecto magis diſpoſito, hoc eſt per meliorem actualem diſpoſitionem. Nam ſi diſponatur quis ad ſacramentum baptiſmi, vel pœnitentiæ per actum contritionis, melius diſponitur primo modo, quam alter qui diſponitur per attritionem quia contritio differt ſpecie ab attritione, & ideò maiorem gratiam recipiet ex opere operato talis ſacramenti contritus, quã atritus. vltra illam portionem gratiæ quæ correſpondet contritioni ex opere operantis. Et ſimiliter ſi ex duobus attritis accedentibus ad vnum ex prædictis ſacramentis, vnus accedat cum intenſiori attritione, quam alter, quia accedit cum meliori diſpoſitione ſecundo modo, hoc eſt quã tũ ad intēſionē, recipiet quoquè maiorem effectũ gratiæ correſpondētē adæquate cauſalitati ipſius ſacramēti: nã in hoc caſu nulla portio gratię ſanctificantis correſpondet attritioni vt operi operantis, niſi tantum vt diſpoſitioni ad debitam ſuſceptionem ſacramenti: eo quod attritio ſe ſola non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam; nec vt informata gratia ſuperueniente eſt meritoria alicuius augmenti gratiæ, niſi tã tum primæ glorię ad ſummum: ſicut tenet communis ſententia Theologorum de pri

ma contritione per quam quis recepit, ſiue cum ſacramento, ſiue extra illud primam gratiam ſanctificantem. Iſta enim gratia, quæ in illo inſtanti datur eſt prima ſecundum ſe totam; & tota datur per modũ primæ in inſtãti ſuſceptionis ſacramenti, quã obrem illa contritio nullius augmenti gratię eſt meritoria, etiam prout per gratiam informata; niſi tantum primæ gloriæ, neque amplius attritioni tribuere poſſumus, aut debemus.

Dubium quartum eſt. In quo tempore, vel inſtanti ſacramenta conſe- rant ſuum effe- ctum?

1. ſententia aliquorum 50 IN hoc dubio diſcriminantur Theologi in quatuor ſententias. Quarum prima aſſerit ſacramenta conferre gratiam ſiue characterem, ſiue vtrumque ſimul, in illis ſacramentis, quæ vltra gratiam habent imprimere characterem, non in inſtanti, ſed in tempore indeterminato: nimirum in illo vltimo tempore, quod immediate antecedit vltimum inſtans terminatiuum extrinſece ſacramentum, quod eſt primum nõ eſſe illius.

Cuius ſententiæ fundamentum eſt quia ſacramentum debet efficere ſuum effectum dum exiſtit, & eſt iam conſummatũ: ſed in inſtanti terminatiuo extrinſeco, iã non exiſtit; in tempore autem antecedente ad illud vltimum tempus nondum eſt conſumatum: ergo non poteſt cauſare effectum gratiæ niſi in toto illo vltimo tempore, in quo & exiſtit & conſumatur. Nec repugnat ex parte gratiæ dari & produci per totum illud tempus indeterminatum: nam gratia poteſt deſinere eſſe intrinſece in tempore immediate ante inſtans: ergo eadem ratione poteſt in eadem menſura incipere.

Hoc antecedens aſſumptum patet in caſu quo homo iuſtus habens præceptum amandi Deum ante primum inſtãs mortis, & non amet toto illo tempore immediate antecedente: tunc per totum illud tempus peccat mortaliter, & amittit gratiã & non in ipſo inſtanti mortis, quod eſt primum non eſſe hominis: eo quod immediate ante illud inſtans iam transgreſſus fuerat præceptum, quod ipſum obligabat. Tum etiam quia non poteſt contingere, quod ille qui eſt toto tempore vitæ in gratia, illam amittat in primo non eſſe vitæ, ſicut nec tunc poteſt peccare quando non eſt: ergo.

51 Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium ſacramenta efficere gratiam in aliquo certo, ac determinato tempore, in quo vltima quædam particula ipſius ſacramenti conficitur, & conſumatur, quia quamuis ſucceſſiua ſit & partes habeat: veruntamen per totam illius durationem producitur gratia, vtpote quia per illam particulam, & eius durationem conſumatur ſacramentum. *2. ſententia aliorum.*

52 Tertia ſententia eſt Suarij hic diſputat. 8. ſectione 2. aſſerentis ſacramentum conferre gratiam in inſtanti intrinſeco, in quo vltimo perficitur ac conſumatur. Cuius fundamentum eſt, quod ſacramentum debet efficere gratiam quando vere exiſtit, & eſt conſummatum: vtique omnes Theologi in hoc conueniunt, & hoc principium ſupponunt tanquam fundamẽtum ſuæ opinionis: vltimum autem inſtãs terminatiuum ſacramenti eſt intrinſecum: eo quod licet ſacramentum incipiat extrinſece per vltimum non eſſe ablutionis, verbi gratia, vel prolationis verborum: tamen deſinit eſſe per vltimum ſui eſſe, & conſumatur per inſtans intrinſecum: ergo in hoc efficit gratiam. Minorem ſibi perſuadet Suarius tripliciter. *3. ſententia Suarez cũ ſuo fundamento.*

Primo, ex authoritate D. Thomæ qui infra q. 75. art. 7. ad primum ait tranſubſtãciationem perfici in vltimo inſtanti prolationis verborũ: cui doctrinæ adſtipulatur Capræolus (inquit Suarius) in quarto d. 2. q. 1. art. 3. ad 3 Scoti contra tertiã concluſionem. Vbi hæc, & alia refert loca Angelici Doctoris: ergo.

Secundo probatur, quia neceſſe eſt ſignare aliquod inſtans in quo ſit verum dicere ſacramentum eſſe: nam inconueniẽs videtur rem aliquam realiter fieri, & nunquam de illa affirmari poſſe quod exiſtat: ſacramẽtum autem realiter fit: ergo de illo

debet

debet affirmari quod aliquando exiſtit: tunc vitra, ſed hoc non poteſt affirmari de illo in inſtanti terminatiuo, extrinſece, quod eſt primum non eſſe illius, quia in illo iam nō exiſtit: nec in toto tempore pro quo ſuſcipitur, quia pro tunc nondum tota eius entitas facta eſt eo quod reſtat aliquid illius faciendum: in quo ſacramentū differt a motu & tempore, & alijs huiuſmodi entibus ſucceſsiuis, quæ tunc exiſtere dicuntur, quando fiunt, & aliquid eorum iam factum eſt, licet aliquid ſuperſit faciendum: ergo neceſſe eſt quod ſacramentum efficiat gratiam in illo inſtanti vltimo in quo perficitur & conſumatur, ac proinde quod tale inſtans ſit aliquid intrinſecum ſacramenti, in quo verificetur quod ſacramētum exiſtit.

Quæ ratio amplius confirmatur, & declaratur a Suario ex communi doctrina philoſophiæ docentis dari in omni motu ſucceſsiuo quando peruenitur ad terminum eius, aliquam mutationem inſtantaneam, per quam conſumatur terminus illius motus: eo quod per illam acquiritur illo inſtanti aliquid indiuiſibile quod in toto anteriori tempore non erat adquiſitum & licet illud inſtans dicatur primum non eſſe motus quatenus eſt ens ſucceſsiuum: tamen eſt primum eſſe termini conſumati, & perfecti: quod propterea vocatur vltimum mutatum eſſe motus: ergo pariter admittendum eſt in forma, & materia ſacramentorum quæ ſucceſsiue fiunt huiuſmodi vltimum mutatum eſſe quod ſit primum eſſe ſacramenti conſumati & perfecti: in quo proinde realiter exiſtat forma, ſiue materia illius, nam forma ſacramenti; v.g. baptiſmi eſt hæc oratio: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quatenus reddit integrum, & perfectum ſenſum: hic autem ſenſus in aliquo inſtanti intrinſeco realiter conſumatur per aliquem ſonum, qui in eo inſtanti additur, & realiter exiſtit, tanquam realis terminus totius ſoni præcedentis: ergo ſacramentum producit ſuum effectum in tali inſtanti intrinſeco ſui eſſe.

Tertio, arguit Suarius ab inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia: nimirum quod ſacramentum conferat gratiam homini morienti in illo inſtanti vltimo completino in quo dicitur perfici, & conſumari ſacramentum: quod tamen videtur inconueniens propter tria.

Tum quia ſi homo toto tempore vitæ ſuæ fuiſſet in peccato mortali, vel originali; in termino eius inciperet eſſe in gratia, vel etiam in gloria ratione baptiſmi.

Tum etiam, quia ſaluaretur ille, qui nec fidem actualem, nec habitualem in hac vita conſequutus eſſet: quod eſt cōtra ordinariam legem qua Deus ſtatuit neminem ſaluari ſine fide: ſine qua impoſsibile eſt placere Deo.

Tum denique, quia homo ſuſciperet gratiam quando non exiſtit: quia in illo inſtanti in quo deſinit eſſe iam non eſt deſinit enim per primum ſui nō eſſe. Quæ tamen inconuenientia facile vitantur (ait Suarius) in noſtra ſententia, quæ dicit hominem illum in iſto caſu non accepiſſe ſacramentum, eo quod deficit illi aliquid neceſſarium ad eſſentiam, & perfectionem ſacramenti, & quia cum in eo inſtanti perficiatur ſignificatio: & tunc deficiat ſubiectum quod per verba ſignificatur, non poſſunt tunc reddere verum ſenſum. Vndè conſequenter fit vt nec tunc detur effectus ſacramenti, quia ſine ſacramento non comparatur eius effectus.

53 Quarta ſententia quæ eſt Thomiſtarum aſſerit ſacramentum in vltimo inſtanti terminatiuo, & non antea conferre gratiam: quod quidem inſtans eſt primum non eſſe ſui ſacramenti. Quam docet Soto in quarto diſtinct. 9. quæſtione 2. art. 7. dum ait quod licet ſacramentum toto tempore prolationis verborum ſit inſtrumentum diuinæ virtutis & ideò poſsit dici conferre gratiam, ſeu facere hominem gratum: tamen cum effectu gratia non datur niſi in inſtanti illo terminatiuo: eo quod inſtanti & non in tempore producitur à Deo: eandem etiam ſequuntur illi Auctores, qui attribuerūt ſacramentis cauſalitatē dūtaxat moralem reſpectu gratiæ: eo quod huiuſmodi moralem cauſalitatem bene poſſunt habere ſacramenta in illo inſtanti, in quo primo deſinunt eſſe, etiam ſi nihil reale illorum maneret. Vt etiam videre eſt in Vazquio diſputat. 132. cap. 4. num. 58. Sed quia nedum hanc moralem ſed etiam phiſicē efficientiam reſpectu gratiæ attribuendam eſſe docuimus ſacramentis nouæ legis, ob eorum maiorem excellentiam commendandam. Ideò dicendum eſt, quod in illo inſtanti in quo primo deſinunt eſſe, ſiue quantum ad formam, hoc eſt verba, ſiue quantum ad materiam, hoc eſt motum ablutionis; verbi gratia, ſiue vnctionis, &c, habere ſacramenta, quæ in re

ficem

ri conſiſtunt; (nam de Euchariſtia quæ in facto eſſe conſiſtit, alia eſt ratio, quam propterea præſens non comprehendit diſputatio) ſuam cauſalitatem, & efficientiam nedum moralem, ſed etiam phiſicam circa gratiã: quã proinde ſtatuimus pro cõcluſione.

Impugnatur 1. ſent.

54 Et ſuadetur primo, impugnando cœteras ſententias, & quidem quod prima, cuiuſcunque authoris ſit, ſuſtineri non poſsit probatur, quia cum omnis modus, quo res incipiunt, aut ſit per primum eſſe, ſiue per inſtans intrinſecum: aut per vltimum non eſſe, quod eſt inſtans extrinſecum: & hoc modo dicatur rem eſſe in tẽpore; conſequenter non poteſt dici, quod ſi gratia incipit in tempore eſſe in anima; incipiat in minori, & minori tempore indeterminato; ſed neceſſe eſſet dicere gratiam produci in toto illo tẽpore poſt vltimũ nõ eſſe: quod quidẽ indeterminatũ eſt: nõ autem in minori & minori, ante primũ nõ eſſe ſacramẽti; ſed in maiori & maiori tẽpore: hoc eſt magis & magis diſtante a primo nõ eſſe ſacramenti: quod eſſet proxime poſt vltimum aliquod inſtans, quod eſſet vltimum non eſſe ipſius gratiæ: ergo.

Impugnatur 2. ſent.

55 Deinde ſecunda ſententia deficit, quia gratia incipit eſſe in anima tota ſimul ac proinde in inſtanti, & per primum ſui eſſe: vt oſtendimus prima ſecundæ quæſtione 112. & quæſt. 113. de iuſtificatione ar. 7 ergo non poteſt produci in aliquo tempore determinato pro quo durat, & perficitur ſacramentum. Tum etiam, quia ſi in tempore produceretur & ſucceſsiue iuxta ſucceſsionem ipſius ſacramenti, quod in motu conſiſtit: ſequeretur vnum ex duobus inconuenientibus, vel quod actio illa productiua gratiæ ſucceſsiue, & paulatim produceret gratiam ſecundum varios gradus intenſionis, ex quibus coaleſceret ipſa gratia: & ſic intenſio fieret per additionem gradus ad gradum: quod eſt omnino falſum: vt oſtendimus in materia de charitate quæſt. 24. articulo 5. aut quod gratia produceretur, quando non eſt, quia ſi datur in inſtanti, toto illo tempore ante tale inſtans, non eſſet, & tamen cauſatur: vt volunt Auctores huius ſententiæ: quæ plane ſunt abſurda: ergo.

impugnatur Suarez.

56 Deinde tertia ſententia Suarij ſufficienter confutatur à Vazquio in loco ſuper allegato vbi pluribus inconuenientibus in philoſophia oſtendit falſam eſſe: eo quod huiuſmodi extremum indiuiſibile, & intrinſecum pertinens ad eſſentiã qualitatum, aut etiam entium ſucceſsiuorum, neutiquam agnoſcit philoſophia præter illa indiuiſibilia continuatiua, ſeu terminatiua, quæ admittit in ſpeciebus quantitatis, hoc eſt in linea, ſuperficie, & corpore.

Deinde rationibus Theologicis probatur falſitas huius ſententiæ: primo quidem, quia ſi illud indiuiſibile ſoni verborum, vel motus ablutionis; v. g. produceret gratiam, ſolum illud aſſumeretur, vt inſtrumentum à Deo: & non totum ſacramentum quod conſiſtit in actione, & motu: quod tamen eſt omnino falſum: ergo. Sequela patet, nam ſacramentum baptiſmi, v. g. non conſiſtit in abluto eſſe ex parte materiæ, nec in prolato eſſe ex parte formæ: atque proinde non conſiſtit in aliquo mutato eſſe: ſed in ipſo motu & actione: ergo.

Secundo, quia falſum eſt dicere motum conſiſtere in mutato eſſe quia mutatum eſſe non eſt pars motus: ergo falſum eſt etiam dicere quod tunc in illo vltimo mutato eſſe ſit ſacramentum & conſequenter quod efficiat tunc ſecundum aliquam ſui partem.

Solut. Suarez.

His rationibus reſpondet Suarius vbi ſupra quod licet ſacramentum ſolum eficiat per illum vltimum terminum ſuum tamen ſimpliciter totum ſacramentum confert effectum quia ille vltimus terminus non efficit niſi in virtute totius formæ precedentis. Sed contra hoc eſt: quia illud vltimum indiuiſibile ſoni verborum; nec eſt phiſica virtus præcedentium verborum, eo modo quo calor eſt virtus ignis: nec agit in virtute illorum ſicut inſtrumentum agit in virtute agentis principalis: vt potè quia non eſt inſtrumentum ipſorum verborum, ſed ſolius Dei & Chriſti: ergo rationes factæ manent inconcuſſæ.

Quibus addere poſſumus & tertiã, quæ eſt veluti argumẽtũ ad hominẽ: nã poteſt cõtingere quod finiatur prolatio & ſonus verborum in baptiſmo; verbi gratia; antequam incipiat, vel ſaltem antequam finiatur ablutio: quod non poteſt negare Suarius, cum huiuſmodi moralis coniunctio, ſiue præſentia formæ ad materiam ſacramentorum ſufficiat ad eorum conſtitutionem. Sed tunc vltimum indiuiſibile ſoni nõ poteſt efficere gratiam, quia non eſt conſummatum & perfectum ſacramentum ob defectum materiæ proximæ quæ eſt ipſa ablutio: ergo tunc vnum

ex tria

ex tribus tenetur prædictus author admittere, nimirum, vel quod ipſa actio ablutionis, antequam finiatur operetur effectum ſacramenti: idemque poſſet dicere de prolatione verborum: vel quod vltimum mutatum eſſe ablutionis quod eſt ipſum ablutum eſſe operetur effectum: & hoc negat dictus author, quia in tali mutato eſſe nõ eſt verum dicere, quod ſit ſacramentum, ſicut in vltimo indiuiſibili ſoni, eſſe qualitatem ſoni: ac proinde (putat ipſe) pariter eſt verum dicere tunc eſſe formam ſacramenti, & ipſum ſacramentum: vel aquam ipſam permanentem & in eſſe quieto applicatam corpori baptizati ſine motu operari tanquam inſtrumentum diuinæ virtutis effectum talis ſacramenti: ſed tunc iam non ipſum ſacramentum, ſed eius materia remota eſſet inſtrumentum diuinæ virtutis cauſans effectum ſacramenti: quod plane eſt abſurdum: ergo.

Igitur à ſufficienti aliarum ſententiarum impugnatione reſtat vt dicamus ſacramenta quæ in motu & actione ſucceſsiua conſiſtunt in vltimo inſtanti, ſiue formæ, ſiue materiæ proximæ, ſiue vtriuſque quando ſimul finiuntur, quod eſt primum non eſſe illorum, nedum moraliter, ſed etiam phiſice operari ſuum effectum. Et quod non ſolum moralem habeant influxum in illo inſtanti, vt contendit Vazquius eoquod exiſtimauit ſacramenta in primo non eſſe ipſorum eſſe incapacia phiſici influxus, patet ex dictis dubio præcedenti, vbi pluribus oſtendimus ſacramenta noue legis, ob eorum excellentiam nedum morali, ſed etiam phiſico influxu gratiam cauſare, vt inſtrumenta phiſica diuinæ virtutis: quem influxum ante tale inſtans completiuum habere non poſſunt.

57 Secundo probatur hæc noſtra ſententia: quia ſacramentum non poteſt phiſice, aut moraliter efficere ſuum effectum, niſi quando eſt perfectum, & conſumatum, vt ipſe Vazquius fatetur: ſed nõ eſt perfectum, & conſummatum niſi in illo inſtanti terminatiuo, extrinſece, quod eſt primũ nõ eſſe illius, quia iſte eſt modus definendi motus, & cuiuſcunque entis ſucceſſiui continui. Nec non hæc eſt conditio illorum vt non habeant eſſe completum, & conſumatum niſi in primo non eſſe, & vltimo inſtanti extrinſeco terminatiuo.

Igitur tunc habet influxum moralem vt fatetur Vazquius, Tunc vltra, ſed etiam tunc ſacramentum eſt capax recipiẽdi diuinam motionem, & habendi influxũ phiſicum inſtrumẽtalẽ, eoquod illud mutatum eſſe, licet non ſit pars motus ſiue ſacramenti, tamen eſt aliquid illius, tanquam terminus, & complementum: ſicut pũctus vltimus lineæ licet non ſit pars lineæ eſt tamen aliquid reale illius pertinẽs ad eius intrinſecam perfectionem: tanquam terminus complens illam: & inſtans noſtri temporis, licet non ſit pars temporis, tamen eſt aliquid reale illius pertinens ad eius intrinſecam conſtitutionem, ſcilicet tanquam eius cõplemẽtum vel terminatiuum: vel cõtinuatiuum prioris, & poſterioris partis, hoc eſt præteritæ & futuræ: ergo non eſt cur talis influxus phyſicus ſit denegandus ſacramento in eo mutato eſſe, in quo ei attribuitur influxus moralis: ſiquidem non minus illius, quam iſtius protunc eſt capax.

58 Vltimo probatur, ſatisfaciendo duabus obiectionibus, quæ huic modo dicendi ſpecialiter obſtare poſſunt. *Occurritur duabus obiectionibus.* Prima eſt, quia in cauſis efficientibus phiſicis, inſtans efficientiæ pariter debet eſſe, & inſtans exiſtẽtiæ ipſius cauſæ: eo quod huiuſmodi cauſalitas effectiua ſupponit per ſe exiſtentiam: nam vnumquodque agit in quantum eſt in actu: ſed illud inſtãs menſurans vltimum mutatum eſſe ſacramenti non eſt inſtans exiſtentiæ ipſius ſacramenti: quia ſupponimus ex dictis contra Suarium in illo non eſſe verum dicere quod ſit ſacramentum, ſed potius quod nõ ſit quia eſt primum non eſſe illius: ergo nec poteſt eſſe inſtans efficientiæ phiſicæ: ac proinde non erit verum dicere, quod ſacramentum illud efficit phiſice. Quo enim pacto poteſt phiſice efficere, quod iam actu non eſt?

Secunda eſt eadem, quam obijciebamus aduerſus ſententiam Suarij, quæ pariter videtur, & noſtræ obſtare: nimirum quia alias ſolũ illud mutatũ eſſe, & non totum ſacramentum conferret phiſice gratiam; quod plane eſt inconueniens: ergo. Sed ab his obiectionibus facile vindicatur noſtra ſententia.

Primæ enim fit ſatis, ſi dicamus, quod illud inſtans etiam eſt exiſtentiæ totius ſacramenti vt conſumati, & perfecti, licet ſit primum non eſſe illius in ratione motus, ſiue actionis ſucceſsiuæ, aut quod eſt inſtans exiſtentiæ alicuius non partis, ſed termini & complementi ipſius ſacramẽ-

ti, &

Digitized by Google

ti, & iuxta hanc diſtinctionem minor eſt diſtinguenda : & neganda conſequentia.

Secundæ verò occurritur, ſi dicamus, quod ſimpliciter dicitur fieri ab aliquo toto, quod fit per eius partem, vel per terminum eius intrinſecum, & complementum. Sicut totus homo dicitur videre, quamuis videat tantùm per oculos: & totus globus dicitur tangere planum, licet ſolum tangat per indiuiſibile. Vnde totum ſacramentum, totum inquam cathegorematicum, dicitur efficere gratiam, quamuis illam per ſolum vltimum mutatum eſſe efficiat. Eandemque obiectionem tenetur ſoluere Vazquius: ſiquidem in inſtanti extrinſece terminatiuo attribuit efficientiam moralem toti ſacramento, quod nec illam habet vſque dum ſit perfectum, & conſummatum : perficitur autem, & conſumatur in tali inſtanti. Ac proinde perperam hoc argumento ſententiam noſtram impugnare conatur: cum ipſe illud ſoluere etiam teneatur.

De ſenſu autem illius propoſitionis, quam admittit Soto, & nos admittere etiam non inficimur: nimirum quod ſacramentum toto tempore quo durat, cauſat gratiam: & nihilominus gratia non producitur niſi in inſtanti determinato: dicendũ eſt huiuſmodi propoſition in ad bonum ſenſum eſſe reducendam: non enim ſignificat quod ſacramentum toto eo tempore quo durat, proximè, & cum effectu producat gratiam, quia iſte ſenſus eſt implicatorius, quemadmodum implicat ſacramentũ producere gratiam, & gratiam ſimul non produci: aut aliquam cauſam cauſare ſuum effectum, pro eo tempore pro quo effectꝰ non cauſatur. Sed ſenſus eſt quod ſacramẽtũ pro eo tẽpore vſq; ad inſtans terminatiuum ſui efficiat gratiam veluti remotè, & diſpoſitiuè parando viam ad eius productionem, quæ exercenda eſt in vltimo inſtanti terminatiuo: ſicut dum agens naturale alterat ſubiectum præparando illud ad introductionem formæ ſubſtantialis, dicitur (verbi gratia ignis), iam producere ignem, aut eius formam introducere in ſubiectum: cum tamen introductio talis formæ & generatio ſubſtantialis non fiat reuera niſi in inſtanti vltimo terminatiuo alterationis, quod eſt primum non eſſe alterationis, & primum eſſe formæ ſubſtantialis in ſubiecto, quando enim fiunt diſpoſitiones, & præparationes ad aliquem effectum, infalibiliter ex vi illarũ inferendum, dicitur abſolute talem effectum fieri; & in hoc ſenſu intelligenda eſt dicta propoſitio. nimirùm quod eo tempore ſacramentum cauſat gratiam quia præparat ad cauſalitatem gratiæ efficiendæ in vltimo inſtanti terminatiuo.

59 Ex his patet ſolutio ad fundamenta primæ, & ſecundæ ſententiæ.

Ad fundamenta Suarez.

Ad fundamentum autem tertiæ reſpondetur negando minorem.

Ad cuius primam probationem reſpondetur quod Diu. Thom. dum dicit verba conſecrationis operari tranſubſtantiationem in vltimo inſtanti prolationis, non intellexit per vltimum inſtans, vltimum eſſe prolationis, aut ſoni verborum, ſed primum non eſſe illius, quia tam prolatio, quam ſonus fiunt ſucceſsiuè : ac proinde non deſinunt per inſtans intrinſecum, aut vltimum eſſe. ſed per inſtans extrinſecum, & primum non eſſe quia iſte eſt modus proprius deſinendi entium ſucceſsiuorum.

Ad ſecundam negandum eſt antecedens ob eandem rationem.

Ad confirmationem pariter dicendum eſt quod mutatio illa inſtantanea, quę terminat motum fit in primo non eſſe ipſius motus.

Ad tertiam probationem eiuſdem minoris deſumptam ab inconuenienti neganda eſt ſequela: nam cum dicimus ſacramentum conferre gratiam in vltimo inſtãti extrinſece terminatiuo: intelligitur ſi adſit ſubiectum capax recipiendi gratiam: ſi autem ſubiectum deficiat, tunc ſacramentum non conferet gratiam per accidens ob defectum ſubiecti recipientis, quemadmodum nec illam confert ſubiecto indiſpoſito: quia ob defectum debitæ diſpoſitionis impeditur effectus ſacramenti. Commune namque hoc eſt omnibus cauſis etiam naturalibus operantibus ſuos effectus per ſe & indefectibiliter, vt ob defectum, vel ſubiecti, vel debitæ diſpoſitionis in ſubiecto à ſuis effectibus per accidens impediantur.

Du-

Dubium quintum eſt. An ſacramentum ſemel tranſactum ſine ſuo effectu, poſtea recedente impedimento, ſiue fictione, eundem effectum gratiæ operetur?

1. ſententia 60 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima illarum vniuerſim negat quod ſacramentum quodcunque ſit, ſi ſemel fuit impeditum propter obicem, vel indiſpoſitionem ſubiecti quæ dicitur fictio, poſtea cõferat gratiam ſanctificantem, de qua potiſsimũ procedit præſens diſputatio. Cuius fundamẽtum eſt deſumptum ex Chriſti, inſtitutione, & promiſsione: nam Chriſtus ſolũ promiſsit gratiam ſacramentalem ſuſceptioni ipſius ſacramenti, nimirum ſub hac conditione, ſi homo non ponat obicem: ergo ſi homo ponit obicem, iam non implet conditionem, ac proinde promiſsio diuina nõ habet effectum: manetque Deus liber ab obligatione conferendi talem gratiam: vtpote quia contractus conditionatus, deficiente conditione non ſubſiſtit.

Quæ ratio poteſt amplius confirmari dupliciter: tum quia per ſacramẽtum catenus datur gratia quatenus per illud applicantur merita Chriſti: ſed per ſacramentum ſuſceptum cum obice non applicantur tunc merita Chriſti, quia homo eſt inimicus Dei, & incapax meritorum Chriſti; per ſacramentum autem iam tranſactũ quando remouetur obex, nec poſſunt applicari merita Chriſti, vtpote quia iam nõ eſt tale ſacramentum: ergo nullo pacto tale ſacramentum iam tranſactum poteſt gratiam conferre: ſiquidem ſine applicatione meritorum Chriſti neutiquam gratiam cõferre poteſt: hæc autem applicatio non fit niſi per ipſum ſacramentum quando actu ſuſcipitur,

Tum etiam quia eiuſdem ſacramenti idem eſt modus operandi, & efficiendi gratiam, hoc eſt ex opere operato, & phiſice inſtrumentaliter, vt ſuperius diximus: ſacramentum autem poſtquam eſt tranſactum, cũ non habeat eſſe reale, nec ex opere operato, nec influxu phiſico poteſt gratiam efficere: ergo nullo modo.

61 Secunda ſententia, & media eſt Soti in 4. diſtinct. 6. quæſt. 1, art. 8. Durandi diſtinct. 4. quæſtione 4. & diſtinct. 17, quæſtion. 1 3. & Diui Thomæ ibidem art. 2. quæſtiuncula 3. art. 3. ad tertium, Paludani quæſt. 5. Sylueſtri, verbo *baptiſmus* 4. circa finem Couarruu. in cap. *Alma mater*, 1. part. §. 4. num. 13 aſſerentium nõ omnia ſacramenta recedente fictione conferre ſuum effectum gratiæ, ſed aliqua dũtaxat, nimirum vel ſolum baptiſmum, vt vult Soto, vel baptiſmum, & pœnitentiam dumtaxat, vt ſentit Durandus, vel tantum illa quæ imprimunt characterem, vt ſentiunt cum Diu. Thom. cœteri Auctores allegati. *2. ſententia*

62 Tertia ſententia aſſerit omnia ſacramenta nouæ legis, ſi cum fictione ſuſcipiantur, poſtea illa ablata, conferre ſuum effectum gratiæ iuſtificantis. Quam communiter tuentur Theologi, vt Caietanus tom. 1. opuſculorum tractatu 5. quæſtione 5. de confeſsione informi Petrus de Soto lectione 4. de baptiſmo, Capreolus in 4. diſtinction. 17. quæſt. 2. Paludanus ibidem quæſt. 8. Suarius hic diſputat. 8. ſectione 3. & Vazquius diſputat. 132. cap. 4 & quia videtur eſſe conformior veritati, excellentiæ ſacramentorum nouæ legis. ac Angelico Doctori in eodem quarto. diſtinct. 17. quæſtion. 3. art. 4. quæſtiũcula 1. vbi poſtquam dixerat illum, qui ſine interiori pœnitentia abſoluitur, tunc non percipere fructum abſolutionis: conſequi tamen illum poſtea recedente fictione: ſubdit, ſicut etiam contingit in alijs ſacramentis, &c. *3. ſententia cõmunis omnia ſacramẽta recedente fictione cõferunt ſuũ effectum.*

Propterea à nobis ſtatuitur pro concluſione, & quantum attinet ad ſacramentum baptiſmi eſt adeo certa, vt oppoſitum ſine temeritatis nota non poteſt defendi, eo quod eſt expræſſa ſẽtẽtia Auguſtini lib, 1. de baptiſmo cap. 12. & lib. 3. cap. 13, quæ refertur, & approbatur in decreto de conſecratione diſtinction. 4. cap. *tunc valere incipit ad ſalutem* Cui omnes Theologi ſuffragantur.

Deinde ſuadetur ratione: cui innititur Auguſtinus, nimirum quia ſacramentum baptiſmi iterari non poteſt: & alias eius effectus, ſcilicet gratia regeneratiua, &

remiſsio

remiſsio peccati originalis eſt ſimpliciter, & neceſsitate medij neceſſarius ad ſalutẽ in lege Euangelica: ergo nè perpetuo careat effectu huius ſacramenti, ille qui ficte ſuſcepit illud: neceſſarium eſt vt recedente fictione talis effectus reddi e poſsit.

Conſequentia patet, quia alias homo ſemel ficte recipiens baptiſmum, perpetuo careret medio neceſſario ad ſalutem, ac proinde eſſet extra ſtatum ſalutis: quod tamen derogat diuinæ miſericordiæ, ac legi ſtatutæ à Deo in Eccleſia, & voluntati antecedenti, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & omnibus exhibet auxilia ſuffiſcientia, & media neceſſaria ad ſalutem.

Deinde quantum attinet ad alia ſacramenta, licèt non ſit noſtra concluſio ita certa, eſt tamen probabilior in Theologia & probatur primo: quia per quodcumque ſacramentum, quando actu ſuſcipitur applicantur merita & Paſsio Chriſti quantum eſt ex parte Dei & ipſius Chriſti: ergo poſtquam tale ſacramentum ficte ſuſceptum fuit, iam manent merita Chriſti applicata, & acceptata à Deo, vt quotieſcunque auferatur impedimentum, ſtatim ſortiantur ſuum effectum.

Secundo probatur, quia hoc eſt conforme legi ordinariæ, quam Deus ſtatuit in Eccleſia: nimirum quod gratia etiam ſacramentalis, ſemel amiſſa per peccatum mortale poſtea recuperetur per pœnitentiam: & ſimiliter quod merita ſemel mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam quantum ad effectum gratiæ, & iuris ad gloriam: eo quod manent in diuina acceptatione, eo pacto, & conditione vt reddantur, & reſtituantur homini per pœnitentiam remouenti obicem peccati mortalis: vt communiter docent Theologi cum Diu. Thom. infra quæſtione 89. artic. 5. ſed eadem eſt ratio de gratia conferenda per ſacramentum quodcunque, niſi obex apponatur ex parte ſuſcipientis: eo quod etiam pro hac applicata fuerunt merita Chriſti & manent in acceptatione diuina: ergo pariter lex diuinæ miſericordiæ & liberalitatis ad hunc effectum reſtituendum extenditur: quæ ad recuperationem gratiæ ſemel amiſſæ per peccatum mortale; & ad reuiuiſcẽtiam meritorum ſemel mortificatorum extẽditur. Nec enim ſemel hac lege admiſſa, quę promiſsionibus Dei in ſacra Scriptura factis, & merito paſsionis Chriſti innititur poteſt ſufficiens diſcrimen aſsignari ratione cuius ad vnum, & non ad alium effectum extendatur. Ex quibus patet etiam ſolutio ad fundamentum prioris ſententiæ: cũ eius prima confirmatione.

Sed huic doctrinæ duo nobis obijciunt aduerſarij quæ ingerunt non paruã difficultatem.

Primum eſt: in quo genere cauſalitatis, phiſicæ ne, aut moralis, ſacramentum ficte ſuſceptum poſtea recedente fictione operetur effectum gratiæ?

Secundum eſt: quænam gratia ſit prima, quando baptiſmus recedente fictione per pœnitentiam confert ſuum effectum?

64 AD primum dubium ſunt aliqui neotherici qui ita mordicus phiſicam cauſalitatem inſtrumẽtalem defendunt in ſacramentis, vt eam attribuant in hoc caſu etiam ſacramento præterito. Sed horum reſponſio neutiquam poteſt ſuſtineri, quia nullum inſtrumẽtum poteſt phiſice efficere quãdo nõ realiter exiſtit ſecũdum ſe, vel ſecundum aliquid ſui, quod enim non eſt in ſe, nec in ſua virtute, phiſice agere non poteſt, nec vt inſtrumẽtum phiſicum aſſumi à Deo. Propterea enim Deus nequit aſſumere, vt inſtrumentum phiſicum rem futuram quę nondum habet eſſe: igitur nec præteritam quæ nullum eſſe habet: ſacramentum autem ſemel tranſactum nihil reale ſui reliquit in homine ſuſcipiẽte illud ficte, vt notum eſt: ergo nec phiſice poteſt tunc operari ſuum effectum. Nec valet dicere manere characterem in aliqui-

Recedente fictione ſacramẽtum non cauſare phiſice gratiam probatur.

bus

bus ſacramentis? propter duo: tum quia character non imprimitur ab omnibus ſacramentis, ſed à tribus dumtaxat. Igitur in alijs non imprimentibus characterem nihil reale manet ratione cuius dicantur manere in virtute, & poſſe phiſice operari. Tum etiã, quia character, & ſi ſit operatiuus alicuius effectus extra ſubiectum: non tamen eſt operatiuus in eodem ſubiecto, ac proinde non poteſt gratiam efficere in eodem ſubiecto. Immo ſi illã efficeret iã nõ ſacramentum tranſactũ ſed ſolus character diceretur inſtrumentũ Dei ad gratiam producendam.

Reijcitur ſolu. Suarez.

65 Quare omiſſa & reiecta hac ſolutione, aliam adhibet Suarius vbi ſupra dicens: ſacramentum tranſactum non propriè efficere talem effectum, ſed Deum cõferre illum intuitũ ſacramenti prius ſuſcepti: nam cum ſacramentum iam non ſit, non poteſt proprie cauſare, vel efficere gratiã, quia cauſare, & efficere ſupponunt eſſe: ergo ſolum dicitur ille effectus dari ratione ſacramenti, quia intelligitur manere in diuina acceptatione. Sed nec hæc ſolutio ſuſtineri poteſt; quam ſufficienter confutat ratio Vazquij in loco nuper allegato: quia nimirum non ſaluat ſententiam quàm defendendam ſuſcepit, nimirùm quod ſacramenta recedente fictione conferant ſuũ effectum: nam qui à Deo impetrat pro alio ſanitatem, licet non ſit phiſicum inſtrumẽtum, verè & proprie dicitur ſanare illum, cui ſanitatem impetrat, non minus, quam medicus qui ſanat, etiam vt cauſa moralis; nimirùm conſulendo: ergo pariter miniſter ſacramenti dicetur conferre gratiam ei cui applicat ſacramentum, licet ipſum ſacramentum non ſit inſtrumentum phiſicum ad productionem illius.

Deinde quia abſurdum, & temerarium eſt negare quod ſacramentum baptiſmi recedente fictione conferat gratiam ſuam: vt ex ſententia Auguſtini oſtendimus: ergo pariter abſurdum & temerarium eſt negare effectum baptiſmi recedente fictione cõferri ab ipſo baptiſmo. Quod tamen negat Suarius.

Recedente fictione ſacramẽta ſolum moraliter cauſant gratiam.

66 Quare tertia & vera reſpõſio eſt tũc ſacramenta conferre ſuũ effectum gratiæ, tanquam inſtrumenta moralia Dei & Chriſti, nec enim quando eis attribuimus cauſalitatem phiſicã intẽdimus aſſerere quod illam habeant ſemper, & in omni caſu, ſed dumtaxat ſeruatis ſeruandis, & quando adſunt omnes conditiones requiſitæ ad phiſicam cuſalitatem; ſecus tamen quando de eſt aliqua ex cõditionibus requiſitis nimirùm, vel exiſtentia inſtrumenti ipſius ſacramenti, vel præſentia, vel approximatio ſubiecti. Vndè defectu exiſtentiæ realis ſacramentum ſemel tranſactum poſtea recedente fictione non phiſice ſed moraliter confert gratiam.

Defectu verò præſentiæ, & approximationis ſacramentum matrimonij contractum inter abſentes per procuratores, quod ne dum in ratione contractus, ſed etiam in ratione ſacramenti validum eſt, confert ſuam gratiam contrahentibus non phiſice, ſed moraliter dumtaxat: eo quod nullum inſtrumentum phiſicum poteſt agere de lege ordinaria in abſentem materiã: ſicut ergo caſus iſte ſingularis nõ obſtat ſententiæ communi de cauſalitate phiſica ſacramentorum, ita nec noſter caſus de ſacramento ficte ſuſcepto, & iam tranſacto. Ex qua doctrina manet ſecunda confirmatio facta pro prima opinione, exacte ſoluta.

Baptiſmus recedẽte per pœnitẽtiam fictione prius in genere cauſæ formalis cauſat gratiã licèt pœnitentia prius in genere cauſa, materialis, ſeu remouẽtis prohibẽs.

67 AD ſecundum dubium vera ſolutio petenda eſt ex materia de baptiſmo, & ex his quæ ibi peritiores Theologi docere ſolent; nimirùm quod dum quis per pœnitentiam remouet fictionem, quam baptiſmo appoſuerat, duplicem gratiam recipit nimirùm & illam quæ correſpondet ſacramento pœnitentiæ, ſiue contritioni, & dicitur ſanatiua, & aliam regeneratiuam quæ correſpondet baptiſmo. Ex quibus hæc, vtpotè regeneratiua eſt prima veluti in genere cauſæ formalis: illa verò eſt poſterior, vtpotè ſanatiua: licèt ſecundum quid ſiue in genere cauſæ materialis, ac diſpoſitiuæ, aut etiam in ratione remouentis prohibẽs ſit prior, quia remouet obicem vt conferatur gratia regeneratiua. Nec eſt inconueniens hanc mutuã prioritatẽ, & poſterioritatẽ admittere inter duas formas, in diuerſo genere cauſæ ad ſe inuicem comparatas: & ſic verificatur quod tunc baptiſmus recedente fictione confert ſuum effectum gratiæ, hoc eſt primam gratiàm & regeneratiuam, nedum per modum gratiæ ſanctificantis veluti in genere: verum etiam per modum taliter ſanctificantis in ſpecie, id eſt vt prima, & regeneratiua eſt.

ART. II.

Vtrum gratia ſacramentalis aliquid addat ſuper gratiã virtutum, & donorum?

infr. q. 72. ar. 7. ad 2. & 4 di. 7. q. 2. a. 2. q. 2. a. 1. q. 3. Et d. 17. q. 1. a. 4. q. 5. p. 2. q. 110. ar. 3. & 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod gratia ſacramentalis non addat aliquid ſuper gratiam virtutum, & donorum. Per gratiam enim virtutum, & donorum perficitur anima ſufficiẽter, & quãtũ ad eſsẽtiã animę & quantum ad potentias eius, vt patet ex his, quæ in ſecunda parte * dicta ſunt. Sed gratia ordinatur ad animæ perfectionem. Ergo gratia ſacramentalis non poteſt aliquid addere ſuper gratiam virtutum, & donorum.

2 Præterea, Defectus animæ ex peccatis cauſantur. Sed omnia peccata ſufficienter excluduntur per gratiam virtutum, & donorum: quia nullum eſt peccatum, quod non contrarietur alicui virtuti: Gratia ergo ſacramentalis, cum ordinetur ad defectus animæ tollendos, non poteſt aliquid addere ſuper gratiam virtutum, & donorum.

3 Præterea, Omnis additio, vel ſubtractio in formis, variat ſpeciem: vt dicitur 8. † Metaph. Si ergo gratia ſacramentalis addat aliquid ſuper gratiam virtutum, & donorum, ſequitur quod æquiuoce dicatur gratia. Et ſic nihil certum nobis oſtenditur ex hoc, quod ſacramenta dicuntur gratiam cauſare.

l. 8. te. 10. to 3.

Sed contra eſt, quod ſi gratia ſacramentalis non addit aliquid ſuper gratiam donorum, & virtutum, fruſtra ſacramenta, habentibus & dona, & virtutes conferrentur. In operibus autem Dei, nihil eſt fruſtra. Ergo videtur, quôd gratia ſacramentalis aliquid addat ſuper gratiam virtutum, & donorum.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut in ſecunda parte dictum eſt) * gratia ſecundum ſe conſiderata, perficit eſſentiam animæ, in quantum participat quamdam ſimilitudinem diuini eſſe. Et ſicut ab eſſentia animæ fluunt eius potentiæ, ita â gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona: quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus. Ordinantur autem ſacramenta ad quoſdam ſpeciales effectus neceſſarios in vita Chriſtiana, ſicut baptiſmus ordinatur ad quandam ſpiritualem regenerationem, qua homo moritur vitijs, & fit membrum Chriſti; qui quidem effectus eſt aliquid ſpeciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio eſt in alijs ſacramentis. Sicut igitur virtutes, & dona addunt ſuper gratiam communiter dictam quamdam perfectionem, determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum; ita gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes, & dona, quoddam diuinum auxilium ad conſequendum ſacramenti finem. Et per hunc modum gratia ſacramẽtalis addit ſuper gratiã virtutũ, & donorũ.

p. 2. q. 110. a. 3. & 4.

Ad primum ergo dicendum, quôd gratia virtutum, & donorum ſufficienter perficit eſſentiam, & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ. Sed quantum ad quoſdam effectus

ſpeciales; qui requiruntur in vita Chriſtiana, requiritur ſacramentalis gratia.

Ad ſecundum dicendum, quod per virtutes; & dona excluduntur ſufficienter vitia, & peccata, quantum ad præſens, & futurum, in quantum ſcilicet impeditur homo per virtutes, & dona â peccando. Sed quantum ad præterita peccata, quæ tranſeunt actu, & permanent reatu, adhibetur homini remedium ſpecialiter per ſacramenta.

Ad tertium dicendum, quod ratio ſacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus. Vnde ſicut non æquiuoce dicitur animal communiter dictum; & pro homine ſumptum; ita non æquiuoce dicitur gratia communiter ſumpta, & gratia ſacramentalis.

Conclusio eſt, gratia ſacramẽtalis addit ſupra gratiam cõmuniter dictam; & ſupra virtutes, & dona habitualia, quodam diuinum auxilium ad cõſequẽdum finem ſacramenti.

ART. III.

Vtrum ſacramenta nouæ legis contineant gratiam?

[*4 d. 2. a. 4. q. 4. & ver. q. 27. ar. 7.*] AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod ſacramenta nouæ legis non contineant gratiam. Contentum enim videtur eſſe in continente. Sed gratia non eſt in ſacramento, neque ſicut in ſubiecto (quia ſubiectum gratiæ non eſt corpus, ſed ſpiritus) neque ſicut in vaſe: quia vas eſt locus mobilis, vt dicitur in 4. Phyſic. [*lib. 4. tex. 41. to. 2.*] Eſſe autem in loco, non conuenit accidenti. Ergo videtur, quod ſacramenta nouæ legis non contineant gratiam.

2. Præterea, Sacramenta ordinantur ad hoc, quod homines per ea gratiam conſequantur. Sed gratia cum ſit accidens, non poteſt tranſire de ſubiecto in ſubiectum. Ergo pro nihilo eſſet gratia in ſacramentis.

3. Præterea, Spirituale non continetur â corporali, etiam ſi in eo ſit: non enim anima continetur â corpore, ſed potius continet corpus. Ergo videtur, quod gratia, cum ſit quiddam ſpirituale, non contineatur in ſacramento corporali.

Sed contra eſt, quod Hugo.* de [*l. de ſacr. p. 19. c. 1.*] ſancto victore dicit, quod ſacramentum ex ſanctificatione inuiſibilem gratiam continet.

Reſpondeo dicendum, quod multipliciter aliquid dicitur eſſe in alio: inter quos duplici modo gratia eſt in ſacramentis. Vno modo ſicut in ſigno: nam ſacramentum eſt ſignum gratiæ. Alio modo ſicut in cauſa: nam ſicut dictum eſt,* [*art. præc.*] Sacramentum nouæ legis eſt inſtrumentalis gratiæ cauſa. Vnde gratia eſt in ſacramento nouæ legis, nõ quidem ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ſicut effectus eſt in cauſa vniuoca: neque etiam ſecundum aliquam formam propriam, & permanentem proportionatam ad talem effectum, ſicut ſunt effectus in cauſis non vniuocis, puta, res generatæ in ſole: ſed ſecundum quamdam inſtrumentalem virtutem, quæ eſt fluens, & incõ

ple-

pleta in eſſe naturæ, vt infra dicetur. art. ſeq.

Ad primum ergo dicendum, quôd gratia non dicitur eſſe in ſacramento, ſicut in ſubiecto, neque ſicut in vaſe, prout vas eſt locus quidam; ſed prout vas dicitur inſtrumentum alicuius operis faciendi: ſecũdum quod dicitur Ezech. 9. Vnuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua.

Ad ſecundum dicendum, quod quamuis accidens non tranſeat â ſubiecto in ſubiectum, tranſit tamen â cauſa per inſtrumentum aliqualiter in ſubiectum: non vt eodem modo ſit in eis, ſed in vnoquê ſecundum propriam rationem.

Ad tertium dicendum, quod ſpirituale exiſtens perfecte in aliquo, continet ipſum, & non continetur ab eo. Sed gratia eſt in ſacramento ſecundum eſſe fluens, & incompletum. Et ideo non inconuenienter ſacramentum dicitur continere gratiam.

CONCLVSIO affirmans eſt: nimirum, quod ſacramenta eodem modo dicuntur gratiam continere, quo illam efficiunt: non formaliter, ſed in virtute, non principali, ſed inſtrumentali.

ART. IIII.

Vtrùm in ſacramentis ſit aliqua virtus, gratiæ cauſatiua?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod in ſacramentis non ſit aliqua virtus, gratiæ cauſatiua. Virtus enim gratiæ cauſatiua, eſt virtus ſpiritualis. Sed in corpore non poteſt eſſe virtus ſpiritualis; neque ita, quôd ſit propria ei (quia virtus fluit ab eſſentia rei, & ita non poteſt eam tranſcendere;) neque ita, quod recipiat eam ab alio: quia quod recipitur ab aliquo, eſt in eo per modum recipientis. Ergo in ſacramentis non poteſt eſſe aliqua virtus gratiæ cauſatiua. *inf. q. 78. art. 4. & d. 1. q. 1. a. 4. q. 2. & d. 8. q. 2. a. 3. & quol. 12. ar. 1.*

2 Præterea, Omne quod eſt, reducitur ad aliquod genus entis, & ad aliquem gradum boni. Sed non eſt dare in quo genere entis ſit talis virtus (vt patet diſcurrenti per ſingula,) nec etiam poteſt reduci ad aliquem gradum bonorum: neque enim eſt inter minima bona, quia ſacramenta ſunt de neceſsitate ſalutis: neque etiam inter media bona, cuiuſmodi ſunt potentiæ animæ, quæ ſunt quædam potentiæ naturales: neque etiam inter maxima bona, quia nec eſt gratia, nec virtus mentis. Ergo videtur, quod in ſacramentis nulla ſit virtus, gratiæ cauſatiua.

3 Præterea, Si talis virtus eſt in ſacramentis, non cauſatur in eis, niſi per creationẽ â Deo. Sed incon-

ueniens videtur, quod tam nobilis creatura, ſtatim eſſe deſinat ſacramēto perfecto. Ergo videtur quod nulla virtus ſit in ſacramentis ad gratiā cauſandam.

4 Præterea. Idem non poteſt eſſe in diuerſis. Sed ad ſacramenta concurrunt diuerſa, ſcilicet verba, & res. Vnius autem ſacramenti non poteſt eſſe niſi virtus vna. Ergo videtur quod in ſacramentis nulla ſit virtus.

Sed contra eſt, quod Auguſtin. * dicit ſuper Ioannem. Vnde tanta vis aquę, vt corpus tangat, & cor abluat? Et Veda * dicit, quod Dominus tactu ſuę mundiſsimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis.

tra. 80. in Ioan. poſt me. to. 9
* *in hom. Euangel. quód canit. in octau. Epi. id habetur. In homiliario totius anni inuenies.*

Reſpondeo dicendum, quod illi qui ponunt quod ſacramenta non cauſant gratiam, niſi per quamdam concomitantiam, ponunt quod in ſacramento non ſit aliqua virtus, quæ operetur ad ſacramenti effectum: eſt tamen virtus diuina ſacramento aſsiſtens, quę ſacramentalem effectum operatur. Sed ponendo, quod ſacramentum eſt inſtrumentalis cauſa gratiæ, neceſſe eſt ſimul ponere, quod in ſacramento ſit quædam virtus inſtrumentalis ad inducendum ſacramentalem effectum. Et hæc quidem virtus proportionatur inſtrumento. Vnde comparatur ad virtutem abſolutam, & perfectam alicuius rei, ſicut comparatur inſtru ſtrumētū ad agens principale. Inſtrumentum enim (vt dictum * eſt) nō operatur niſi in quantum eſt motū â principali agente, quod per ſe operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens, & complementum eſſe in natura: virtus autem inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex vno in aliud, & incompletum: ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ, ſicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutem ſpiritualem inſtrumentaliter, in quantum ſcilicet corpus poteſt moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali, ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum. Sicut & in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit â conceptione mentis. Et hoc modo vis ſpiritualis eſt in ſacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut motus, eo quód eſt actus imperfectus, non propriè eſt in aliquo genere, ſed reducitur ad genus actus perfecti (ſicut alteratio ad qualitatem) ita virtus inſtrumentalis, non eſt proprie loquendo, in aliquo genere, ſed reducitur ad genus, & ſpeciem virtutis perfectæ.

Ad tertium dicendum, quod ſicut virtus inſtrumentalis acquiritur inſtrumento ex hoc ipſo, quod mouetur ab agente principali; ita & ſacramentum conſequitur ſpiritualem virtutem ex benedictione Chriſti, & applicatione miniſtri ad vſum ſacramenti. Vnde Auguſtinus dicit in quodam ſermone de Epiphania: Nec mirum quôd aquam, hoc eſt, ſubſtantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire: peruenit plane, & penetrat conſcientiæ vniuerſa latibula: quamuis enim ipſa ſit ſubtilis, & tenuis, benedictione tamen Chriſti facta ſubtilior, occultans vitæ, cauſas ad ſecreta mentis ſubtili rore pertranſit.

Ad quartum dicendum, quod ſicut eadem vis principalis agentis inſtru-

inſtrumentaliter inuenitur in omnibus inſtrumentis ordinatis ad effectum, prout ſunt quodam ordine vnum: ita etiam eadem vis ſacramentalis inuenitur in verbis & rebus, prout ex verbis & rebus perficitur vnũ ſacramentum.

Concluſsio eſt, quod habent virtutem cauſatiuam gratię inſtrumentalem tranſeuntem, & incompletam.

ARTIC. V

Vtrum ſacramenta nouæ legis habeant virtutem ex paſsione Christi?

infr. q. 64. ar. 2. & 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 3. & d. 5. q. 2. a. 2. q. 1. AD quintum ſic proceditur. Videtur quod ſacramenta nouæ legis non habeant virtutem ex paſsione Chriſti. Virtus enim ſacramentorum eſt ad gratiam cauſandam in anima, per quam ſpiritualiter viuit. Sed ſicut * Auguſt. dicit ſuper Ioan. Verbum prout erat in principio apud Deum, viuificat animas; ſecundum autem quod eſt caro factum, viuificat corpora. Cum igitur paſsio Chriſti pertineat ad verbum, ſecundum quod eſt caro factũ: videtur, quod non poſsit cauſare virtutem ſacramentorum. *[* tra. 19. à me. & 23 ante me. to. 9.]*

2 Præterea. Virtus ſacramentorum videtur ex fide dependere: quia ſicut dicit Auguſtin. * ſuper Ioann. Verbum Dei perficit ſacramentum, non quia dicitur, ſed quia creditur. Sed fides noſtra non ſolum reſpicit paſsionem Chriſti, ſed etiam alia myſteria humanitatis ipſius, & principalius etiã diuinitatis eius. Ergo videtur, quod ſacramenta non habeant ſpecialiter virtutem à paſsione Chriſti. *[* tra. 80. in euãg. Ioan. poſt me, to. 9]*

3 Præterea, Sacramenta ordinantur ad hominum iuſtificationem, ſecundum illud 1. ad Corinth. 6. Abluti eſtis, & iuſtificati eſtis. Sed iuſtificatio attribuitur reſurrectioni: ſecundum illud Roman. 4. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Ergo videtur, quôd ſacramenta magis habeant virtutem â reſurrectione Chriſti, quam ab eius paſsione.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Roman. 5. in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, * &c. dicit gloſſ. Ex latere Chriſti dormientis in cruce, fluxerunt ſacramenta, per quæ ſaluata eſt Eccleſia. Sic ergo ſacramenta videntur habere virtutem ex paſsione Chriſti. *[gl. ord. ſup. per illud: Qui eſt factus forma futuri ſacramenti.]*

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) ſacramentum operatur ad gratiam cauſandam per modum inſtrumenti. Eſt autem duplex inſtrumentum: vnum quidem ſeparatum, vt baculus: aliud autem coniunctum, vt manus. Per inſtrumentum autem coniunctum mouetur inſtrumentum ſeparatum, ſicut baculus per manum. Principalis autem cauſa efficiens gratiæ eſt ipſe Deus, ad quem comparatur humanitas Chriſti, ſicut inſtrumentum coniunctum: ſacramentum autem ſicut inſtrumentum ſeparatum. Et ideô oportet, quod virtus ſalutifera, â diuinitate Chriſti, per eius humanitatem, in ipſa ſacramenta deriuetur. Gratia autem ſacramentalis ad duo præcipuê ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quantum tranſeunt actu, & remanent reatu; & iterum ad perficiendã *[* a. 1. huius q.]*

animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum religionem vitæ Chriſtianæ. Manifeſtum eſt autem ex his, quæ ſupra dicta ſunt*, quod Chriſtus liberauit nos a peccatis noſtris, præcipuê per ſuam paſsionem: non ſolum efficienter, & meritoriê, ſed etiam ſatisfactoriê. Similiter etiam per ſuam paſsionem initiauit ritum Chriſtianæ religionis, offerens ſeipſum oblationem & hoſtiã Deo, vt dicitur Epheſ. 5. Vnde manifeſtum eſt, quod ſacramenta Eccleſiæ ſpecialiter habent virtutem ex paſsione Chriſti, cuius virtus quodam modo nobis copulatur per ſuſceptionem ſacramentorum. In cuius ſignũ de latere Chriſti pendentis in cruce, fluxerunt aqua, & ſanguis, quorum vnum pertinet ad baptiſmum, aliud ad Euchariſtiam, quæ ſunt potiſsima ſacramenta.

q. 49. & 48.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum prout erat in principio apud Deum, viuificat animas ſicut agens principale: caro tamen eius, & myſteria in ea perpetrata, operantur inſtrumentaliter ad animæ vitam. Ad vitam autem corporis non ſolum inſtrumentaliter, ſed etiam per quandam exemplaritatem, vt ſupradictum eſt*.

q. 56. a. 1

Ad ſecundum dicendum, quod per fidem, Chriſtus habitat in nobis (vt dicitur Epheſ. 3.) Et ideô virtus Chriſti copulatur nobis per fidẽ. Virtus autem remiſsiua peccatorũ, ſpeciali quodam modo pertinet ad paſsionem ipſius Chriſti: & ideo per fidem paſsionis eius ſpecialiter homines liberantur â peccatis, ſecundũ illud Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Et ideô virtus ſacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipuê eſt ex fide paſsionis Chriſti.

Ad tertium dicendum, quod iuſtificatio attribuitur reſurrectioni ratione termini ad quem, qui eſt nouitas vitæ per gratiam. Attribuitur tamen paſsioni ratione termini â quo, ſcilicet quantum ad dimiſsionem culpæ.

RESPONDET Angelicus Doctor habere virtutem ex paſsione Chriſti: Cuius virtus quodam modo nobis cõmunicatur per ſuſceptionem ſacramentorum. In cuius ſignum de latere Chriſti pendentis in cruce fluxerunt aqua & ſanguis: in illa baptiſma, & in iſto Euchariſtia, quæ ſunt potiſſima ſacramenta, repræſentantur.

ART. VI.

Vtrum ſacramenta veteris legis gratiam cauſarent?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod etiam ſacramenta veteris legis, gratiã cauſarent. Quia (ſicut dictum eſt†) ſacramenta nouæ legis habent efficaciam ex fide paſsionis Chriſti. Sed fides paſsionis Chriſti fuit in veteri lege, ſicut & in noua: habemus enim eundem Spiritum fidei, vt habetur 2. ad Corinth. 4. Sicut ergo ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam, ita etiam ſacramenta veteris legis gratiã conferebant.

1. 2. q. 103 art. 2. et q. 107. a. 1. ad 3. & 4 d. 1. q. 1. a. 5. q. 1 *† â præc.*

2 Præterea. Sanctificatio non fit niſi per gratiam. Sed per ſacramenta veteris legis, homines ſanctificabantur: dicitur enim Leuitici octauo. Cumque ſanctifi-

ctificaſſet Moyſes Aaron, & filios eius in veſtitu ſuo, &c. Ergo videtur, quod ſacramenta veteris legis gratiã conferebant.

Inter prin. & m. illi⁹, in homil. totius anni eã inuenies. 3 Præterea. Sicut Beda † dicit in homilia circuncifionis. Idem ſalutiferæ curationis auxilium, circunciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptiſmus agere reuelatæ tempore gratiæ conſueuit. Sed baptiſmus nunc confert gratiam. Ergo circunciſio gratiam conferebat. Et pari ratione alia ſacramenta legalia: quia ſicut baptiſmus eſt ianua ſacramentorum nouæ legis, ita & circunciſio erat ianua ſacramentorum veteris legis. Propter quod & Apoſtolus dicit Galat. 5, Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniã debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.

Sed contra eſt, quod Galat. quarto dicitur. Conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, gloſſ. * *gloſ. ibi.* ideſt, ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfectè non iuſtificat. Sed gratia perfectè iuſtificat. Ergo ſacramenta veteris legis, gratiam non conferebant.

Reſpondeo dicendum, quod non poteſt dici, quod ſacramenta veteris legis conferrent gratiam iuſtificantem per ſeipſa, ideſt, propria virtute: quia ſic non fuiſſet neceſſaria paſſio Chriſti, ſecundum illud Galat. ſecundo. Si ex lege eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Sed nec poteſt dici, quod ex paſſione Chriſti virtutem haberent conferendi gratiam iuſtificandi. Sicut enim ex prædictis patet *, *Ar. præce.* virtus paſſionis Chriſti copulatur nobis per fidem & ſacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quæ eſt per fidem, fit per actum animæ: continuatio autem, quæ eſt per ſacramenta, fit per vſum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id quod eſt poſterius tempore, antequam ſit, mouere ſecundum quod præcedit in actu animæ: ſicut finis, qui eſt poſterior tempore, mouet agentem, ſecũdum quod eſt apprehenſus, & deſideratus ab ipſo. Sed illud quod nondum eſt in rerum natura, non mouet ſecundum vſum exteriorum rerum. Vnde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe, ordine durationis, ſicut cauſa finalis. Sic ergo manifeſtum eſt, quod à paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa humanæ iuſtificationis, conuenienter deriuatur virtus iuſtificatiua ad ſacramenta nouæ legis, non autem ad ſacramenta veteris legis: & tamen per fidem paſſionis Chriſti iuſtificabantur antiqui Patres, ſicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius fidei proteſtationes, in quantum ſignificabant paſſionem Chriſti, & effectus eius. Sic ergo patet, quod ſacramenta veteris legis, non habebant in ſe aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iuſtificantem, ſed ſolum ſignificabãt fidem per quã iuſtificabantur.

Ad primum ergo dicendum, quod antiqui patres habebant fidem de paſſione Chriſti futura, quæ ſecundum quod erat in apprehenſione animę, poterat iuſtificare. Sed nos habemus fidem de paſſione Chriſti pręcedenti, quæ poteſt iuſtificare etiam ſecundum realem vſum ſacramentalium rerum, vt dictum eſt*. *In cor. art.*

Ad ſecundum dicendum, quod illa ſanctificatio erat figuralis: per hoc enim ſanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui diuino ſecundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum paſſionem Chriſti.

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod de circunciſione multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod per circunciſionem non conferebatur gratia, ſed ſolum auferebatur peccatum. Sed hoc non poteſt eſſe quia homo non iuſtificatur â peccato, niſi per gratiam: ſecundum illud Rom. 3 Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Et ideô alij dixerunt, quod per circũciſionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotiuos culpę, ſed non quantum ad effectus poſitiuos gratiæ. Sed hoc etiam videtur eſſe falſum: quia per circunciſionem dabatur pueris facultas perueniendi ad gloriam, quæ eſt vltimus effectus poſitiuus gratię. Et prętereа, ſecundum ordinẽ cauſæ formalis, priores ſunt naturaliter effectus poſitiui, quam priuatiui, licet ſecundum ordinem cauſæ materialis ſit ê conuerſo: forma enim non excludit priuationem niſi informando ſubiectum. Et ideô alij dicunt, quod circunciſio conferebat gratiam, etiam quantũ ad aliquẽ effectum poſitiuũ, qui eſt facere dignum vita æterna: non tamen quãtum ad hoc, quod eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandũ. Quod & aliquando mihi viſum eſt: ſed diligentius conſideranti apparet hoc etiam non eſſe verum: quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet cõcupiſcentiæ, & mereri vitam æternam. Et ideo melius dicendum videtur, quod circunciſio ſicut & alia ſacramenta veteris legis, erat ſolũ ſignum fidei iuſtificantis. Vndê Apoſt. dicit Rom. 4. quod Abraham accepit ſignum circunciſionis, ſignaculũ iuſtitiæ fidei. Et ideo in circunciſione conferebatur gratia, in quantum erat ſignum paſsionis Chriſti futuræ, vt infra patebit*.

Reſpondet Angelicus Doctor vniuerſaliter de omnibus ſacramentis quæ fuere ante Chriſti aduentum, tam in lege naturæ, quam in ſcripta, quod gratiam nõ cõferebant per ſeipſa & ex propria virtute, quia nondum habebant illam ex paſsione Chriſti quæ non erat poſsita in executione, ac proinde nec vtebatur illis tanquam inſtrumentis ad gratiam conferendam: ſed ſolum erant ſigna fidei per quã homines tũc iuſtificabantur. Deus ergo ad præſentiam illorum ſacramentorum conferebat gratiã iuſtificantem in virtute fidei Chriſti venturi, quam illa ſacramenta ſignificabant.

Circa doctrinam harum concluſionum tria à nobis diſputanda ſunt, nimirũ quam gratiam habeant cauſare ſacramenta nouæ legis, primam, ne aut ſecundam quæ dicitur augmentum gratiæ præexiſtentis? Necnon quid addat gratia ſacramentalis ſupra gratiam communiter dictam? Atque quæ ſit virtus iſta cauſatiua gratiæ inhærens ſacramentis: quæ ſingulis dubijs diſcutientur.

Dubium primum eſt. An omnia ſacramenta nouæ legis ex propria ſui ratione, & inſtitutione habeant conferre primam gratiam, & facere de attrito contritum?

68 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eo quod omnia ſacramenta nouæ legis habent ex ſui inſtitutione conferre gratiam ſanctificantem, ſiue primam, ſiue ſecundam. *Fide cõſtat omnia ſacramẽta nouæ legis cauſare aliquam gratiam.*

Quæ ſupoſitio eſt certa ſecundum fidem, & colligitur ex Concilio Tridentino, & Florentino in locis ſuperius allega-

tis

tis definientibus ſacramenta nouæ legis conferre gratiam, quam continent, & ſignificant: ac proinde conferre debent, vel primam, vel ſecundam gratiam: quædam enim inſtituta ſunt in remiſsionem peccati mortalis, ſiue originalis, vt Baptiſmus: ſiue actualis, vt Pœnitētia: alia verò ſunt inſtituta ad veram, ſiue maiorem hominis ſanctificationem: & hæc per ſe loquendo, conferunt augmentum gratiæ ſubiecto nō ponenti obicem.

69 Et propterea, quia illa duo priora communiter à Theologis ſacramenta mortuorum, reliqua vero ſacramenta viuorum appellantur. Diſcriminantur vero in explicando an omnia ſacramenta nouæ legis habeant vim conferendi primam gratiam ſubiecto exiſtenti in peccato mortali, ſi accedat diſpoſitum per attritionem. In tres ſententias, quarum duæ ſunt extremæ, & alia eſt media. Prima illarum eſt Gabrielis in 4. diſtinct. 4. quæſt. 2. & diſtict. 14. quæſt. 2. & diſtinct. 18. quæſt. 1. Ochami, & Maioris in eodem 4. quæſt. 8. & 9. Medinæ Complutenſis, tract. 2. de Pœnitentia, quæſtione de effectu contritionis circa finem, & Petri de Soto lectione 9. de ſacramentis in genere, & lectione 7. de confeſsione negantiū aliquod ſacramentum nouæ legis conferre primam gratiam, aut facere de atrito contritum. Quam ſuadent tripliciter. Primo, quia adultus non eſt capax recipiendi primam gratiam, niſi mediante contritione: ſi autē habet contritionem iam habet primam gratiam ſanctificantem, vtpote quæ ſine gratia tali eſſe non poteſt: ergo ſaltem adultus numquam recipit primam gratiam per ſacramentum. Minor cum conſequentia eſt nota, & maior probatur, quia contritio in adultis eſt diſpoſitio neceſſaria ad gratiam ſanctificantem, tam in ſacramento, quam extra illud recipiendam: ergo nullus adultus eſt capax recipiendi gratiam, etiam ſacramentalem, niſi diſponatur per contritionem.

Secundo, quia ſacramenta nouæ legis, aut ſunt mortuorum: nimirum inſtituta in remiſsionem peccati mortalis, vt dictum eſt: & hæc indigent in adultis diſpoſitione neceſſaria, quæ eſt contritio, ac proinde iam ſupponunt primam gratiam in ſubiecto contrito: aut ſunt viuorum, & hæc inſtituta ſunt à Chriſto ad alios effectus particulares, v.g. ſacramentum confirmationis, ad confirmandum hominem in eſſe ſpirituali gratiæ: & Euchariſtia ad nutriendam animam, & augendum gratiā præexiſtentem: quæ proinde nec poſſunt conferre primam gratiam, nec facere ex attrito contritum, vtpotè, quia iam ſupponunt in ſuſcipiente ſpiritualem vitam gratiæ.

Tum etiam, quia huiuſmodi ſacramēta viuorum ex ſua particulari inſtitutione, & ratione requirunt in ſuſcipiente perfectiſsimam diſpoſitionem: nimirū, quod ſuſcipiens viuat vita gratiæ, & habeat actus vitales illius; vt patet in ſacramento Euchariſtiæ, ad cuius debitam ſuſceptionem requiritur, nedum corporalis, ſed etiā ſpiritualis manducatio, iuxta illud Ioann. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c.* ergo huiuſmodi ſacramenta non poſſunt primam gratiā cōferre, nec facere ex attrito contritum. Patet hæc cōſequentia, quia qui tantum eſt attritus, nōdum habet vitam gratiæ.

Tertio probatur, nam huiuſmodi ſacramenta viuorum, nec per ſe, & ex ſua inſtitutione poſſunt conferre primam gratiam, vt hucuſquè probatum eſt, nec per accidens: ergo nullo modo. Conſequentia eſt nota, & antecedens pro prima parte patet ex dictis. Pro ſecunda vero parte probatur, quia quando aliquid alicui per ſe cōuenit eius oppoſitū, nec per ſe, nec per aliud poteſt ſibi conuenire: ergo ſi huiuſmodi ſacramenta viuorum per ſe, & ex ſua inſtitutione habent conferre ſecundā gratiam, & ſupponere primam: nec per ſe, nec per accidens poſſunt conferre primam gratiam.

70 Secunda ſententia aſſerit ex ſacramentis nouę legis illa duo, quæ dicuntur mortuorum tantum habere vim ad cōferendam primam gratiam, & faciendum ex attrito contritum: reliqua vero, quæ dicuntur viuorum, ſemper conferre ſecundā gratiam ſubiecto diſpoſito; & numquam conferre primam, nec facere ex attrito cōtritum. Quam tuentur Scotus, & ſequaces in 4. diſtinct. 14. & diſtinct. 18. quæſtione vnica, in quam etiam inclinat Bonauentura ibidem, & ſuadent arg. 3. nuper adducto pro prima ſententia.

Tertia ſententia extremè oppoſita priori aſſerit nedum ſacramenta mortuorum habere vim conferendi gratiam, & faciendi ex attrito contritum: ſed etiam ſacramenta viuorum: quam communiter de-

ſen-

fendunt diſcipuli Diui Thomæ cum ſuo authore in artic. 1. huius quæſtionis; de quorum numero ſunt Paludanus, & Capreolus in 4. diſtinct. 9. & Soto, diſtinct. 11. quæſtion. 2. art. 1. & 3. & Suarius, hic diſputat. 7. ſection. 2. & communiter eidem ſubſcribunt Iuniores Theologi.

Omnia ſacramenta habẽt vim faciẽdi ex attrito contritum reÿcitur, vt improbabilis prima ſententia.

71 Et quia hæc eſt verior ſententia à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur primo impugnando duas priores ſententias, quarum prima eſt omnino falſa, & temeraria, ſi extendatur ad omnia ſacramenta nouæ legis, & in omni ſtatu recepta, quia certum eſt ſecundum fidem, quod Baptiſmus applicatus paruulis non habentibus vſum rationis confert primã gratiam, & remiſsionem peccati originalis, quod ſine prima remitti non poteſt. Si autem ſtricte loquatur de ſacramẽtis mortuorum receptis ab adulto, etiam eſt falſa, & omnino improbabilis, quia in Concilio Tridentino, Seſsione 14. cap. 4. decernitur, quod licet attritio, ſiue ſacramentum Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem nequeat perducere peccatorem, verumtamen illum diſponit ad impetrandam diuinam gratiam in ſacramento Pœnitentiæ: ex quo apte colligitur quod ſacramentum Pœnitentiæ facit ex attrito contritum, & cõfert primã gratiam. Idem ipſum colligitur ex eodem Concilio, Seſsione 7. can. 6. vbi dicitur, ſacramenta nouæ legis continere gratiam quam ſignificant: ſed Baptiſmus, & Pœnitentia ſignificant gratiam primam remiſsiuam peccati mortalis: ergo eandem continent, & conferunt. Idemque ſpecialiter de Baptiſmo diffinitur in Concilio Florentino, vbi poſtquam dictum fuerat noſtra ſacramenta continere gratiam, & illam digne ſuſcipientibus conferre, ſubditur in hæc verba: *per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: regenerati autem, & roborati, nutrimur diuinæ Euchariſtiæ alimonia*: ergo cum huiuſmodi regeneratio debeat fieri, per primam vitam ſpiritualem, quæ eſt prima gratia: conſequens eſt, quod hanc conferat Baptiſmus.

Secundo probatur, ratione deſumpta ex ipſa Chriſti inſtitutione, & in prædictis Concilijs inſinuata; nimirum, quia huiuſmodi duo ſacramenta inſtituta ſunt ad tollendum peccatum mortale, ſiue originale, ſiue mortale: vt Baptiſmus, & Pœnitentia: ſed lethale peccatum tolli non poteſt, niſi per gratiam: ergo neceſſarium eſt, quod hæc duo ſacramenta ſaltem habeant virtutem conferendi gratiam remiſsiuam peccati mortalis, quæ proinde debet eſſe prima.

Dices hanc primam gratiam conferri per contritionem antecedentem, quæ continet ſacramentum Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ in voto: per ſacramentum autem huiuſmodi in re ſuſceptum dari ſecundam gratiam, ſiue augmentum primæ. Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens propter duo:

Tum, quia non requiritur ſemper, quod diſpoſitio præuia ad huiuſmodi ſacramentum debite recipiendum ſit contritio, ideſt dolor perfectus propter Deum ſumme dilectum, ſed ſufficit attritio quæ eſt dolor imperfectus de peccatis, excludens tamen affectum ad peccatum: ergo tunc tale ſacramentum conferet primam gratiam.

Tum etiam, quia aliàs ſi neceſſaria eſſet contritio ad ſuſcipiendum debite hæc duo ſacramenta, ſemper daretur prima gratia ex opere operantis, hoc eſt in vi diſpoſitionis ipſius operantis: & ita numquam huiuſmodi duo ſacramenta cõferrent effectum, ad quem ſunt inſtituta per ſe primò, & ad quem præfata Concilia diffiniunt habere virtutem, & efficaciam: quod plane eſt inconueniens nullatenus admittendũ: ergo.

Deinde, quod ſecunda ſententia etiã deficit à veritate, & nullatenus poſsit ſuſtineri, ſuadetur tripliciter. Primo, quia eſt ſententia expreſſa Angelici Doctoris infra quæſtion. 72. artic. 7. ad ſecundum, vbi tribuit ſacramento confirmationis virtutem faciendi ex attrito contritum, & cõferendi primam gratiam, quando illam nõ inuenit in ſubiecto. Et eandem virtutem tribuit ſacramento Euchariſtiæ, quæſtione 79. art. 3. Sed eadem eſt ratio de alijs ſacramẽtis viuorum, atquè de iſtis duobus: Igitur eadem quoquè virtus proportionabiliter tribuenda eſt cæteris ſacramentis viuorum.

Secundo, quia omnia ſacramenta nouæ legis ex ſua inſtitutione habent conferre gratiam ſanctificantem ſecundum aliquem gradum ipſius: ergo habent virtutem conferendi primum gradum gratiæ in ſubiecto, quod nullum gradum gratiæ habebat, & aliàs nec habebat obicem repugnantem infuſioni gratiæ: vt contingit quoties aliquis homo exiſtens in peccato

mor-

Digitized by Google

mortali bona fide, aut quia exiſtimat ſe eſſe iuſtificatum, & nullius peccati mortalis recordatur: aut quia exiſtimat ſe eſſe contritum; cum tamen non ſit, niſi attritus: & ſic accedit ad ſacramentum Euchariſtiæ, vel ordinis, vel matrimonij, &c. Conſequentia patet ex proportione ad agens naturale: quod ſi habet virtutem producendi aliquam formam: & poteſt producere illam vbi non eſt, & etiam poteſt producere augmentum illius, quando inuenit illam productam in ſubiecto: ſicut ignis qui habet virtutem naturalem, & efficaciam producendi calorem, propterea poteſt illum vtroquè modo producere.

Tertiò, quia per quodcumquè ſacramentum viuorum rite ſuſceptum in ſenſu explicato aplicātur paſsio, & merita Chriſti, hæc autem habent vim faciendi ex attrito contritum, & conferendi primam gratiam: ergo pariter hanc virtutem habent & exercent, prout aplicantur per ſacramētum viuorum ritè ſuſceptum in caſu poſito. Hæc igitur virtus eis non eſt deneganda, vtpote, quia & conſequitur ad paſsionem, & merita Chriſti: & eſt propria efficaciæ ſacramentorum in conferendo gratiam ex opere operato. Ac proinde à ſuſicienti aliarum opinionum impugnatione dicendum ſtat.

Secundo probatur ſatisfaciendo obiectioni, quæ contra noſtram ſententiam fieri poteſt: nimirum, quia aliàs huiuſmodi ſacramenta viuorum per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis haberent conferre primam gratiam: ac proinde non diſcriminarentur ex vi inſtitutionis à ſacramentis mortuorum. Quod tamen non eſt admittendum, ergo. Huic obiectioni reſpondent aliqui Theologi in ſacramentis poſſe conſiderari, aut genericam rationem, aut ſpecificam vnius cuiuſque, qua ſuppoſita diſtinctione inquiunt: quod omnibus ſacramentis nouæ legis ſecundum rationem genericam conuenit per ſe conferre primam gratiam: ſecundum verò rationes ſpecificas ſolum ſacramentis mortuorum conuenit conferre primam gratiam.

Sed hæc ſolutio ſuſtineri non poteſt propter tria, tum quia hæc methaphiſica diſtinctio ſecundum genericam, vel ſpecificam rationem, non habet locum in præſentiarum, quia nullum ſacramentum habet virtutem conferendi gratiam, niſi ex Chriſti inſtitutione: Chriſtus autem nullā inſtitutionem fecit ſacramentorum ſecundum rationem genericam & communem omnibus: ſed tantùm in particulari inſtituit vnumquodque ad ſpecialem finem, & effectum: ergo nullum ſacramentum poteſt habere virtutem conferendi gradum ſecundum rationem genericam, quam non habeant ſecundum rationem ſpecificam.

Secundo, quia ex prædictis Concilijs colligitur quædam ſacramenta eſſe mortuorum, & per ſe inſtituta ad conferendam primam gratiam: quædam verò eſſe per ſe inſtituta ad conferendam gratiam prout abſtrahit à prima, & ſecunda, vel ſecundum aliquem gradum gratiæ, quod abſolute, & ſimpliciter etiam appellatur gratia ſanctificans, ſiue iuſtificans, iuxta illud Eccleſiaſtici 18. *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari*, Iacobi 2. *Ex operibus iuſtificatur homo*, & Apocalypſis vltim. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc*; quæ teſtimonia Patres Concilij Tridentin. ſeſsion. ſexta capite 10. de augmento gratiæ interprætantur.

74 Tertiò probatur ab inconuenientibus quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia, quæ ſunt tria: ſequitur namque primo quod omnia ſacramenta nouæ legis ſaltem ſecundum rationem genericam eſſent per ſe inſtituta ad delendum peccatū mortale: quod & ab antiqua Patrum traditione, & communi Theologorum doctrina alienum eſt.

Ab incōuenienti triplici reijcitur prima ſolutio.

Sequitur ſecundo, quod ſingula ſacramenta haberent per ſe duos effectus gratiæ, vnum quidem ex ratione generica ſcilicet primam gratiam: alterum verò ex ratione ſpecifica, ſcilicet augmentum gratiæ: & conſequenter vnumquodque ſacramentum ſemper conferret diuerſos gradus gratiæ, vnum ratione ſpeciei, & alterū ratione generis: nam cum ſacramentum per ſe inſtitutum ad conferendam primam gratiam, ſi inueniat ſubiectum gratum, nō priuet ſuo effectu, ſed conferat aliquod augmentum loco primæ gratiæ, hinc fiet vt tale ſacramentum receptum ab homine grato conferat illi portionem gratiæ correſpondentem gradui generico.

Sequitur tertio, quod vnumquodque ſacramentum poſſet per ſe, & ex intentione aſſumi ad hunc effectum remiſſionis peccati mortalis: ſaltem quando deeſt copia ſacramenti pœnitentiæ: ac proinde poſſet quis exiſtens in peccato mortali cum ſola attritione cognita recipere

pere quodcunque ſacramentum viuorum: vtpote quia per ſe & ex propria inſtitutione ſumitur ad conferendam primam gratiam: quod tamen abſurdum eſt: ergo dicēdum eſt ſacramenta viuorum de facto aliquando, vt in caſu poſito, conferre primā gratiam per accidens: vt tenet communis ſententia Angelici præceptoris, & eius diſcipulorum; quibus ſubſcribit Suarius vbi ſupra, vtpotè magis pia, magiſque decens tum efficaciam paſsionis Chriſti. Tū etiam ſacramentorum nouæ legis excellentiam, ac dignitatem.

Ad fundamenta primæ ſententiæ.

75 Ex his ad primum pro prima ſententia reſpondetur negando maiorem, nam licet adultus ad recipiendum gratiam extra ſacramentum indigeat per contritionem diſponi, quia tunc diſponitur nō ad ſacramentum recipiendum, ſed ad ſolam gratiam cuius debita, & veluti connaturalis diſpoſitio veluti ex lege naturali Dei eſt contritio: tamen ad recipiendam gratiam intra ſacramentum ſufficiens diſpoſitio eſt attritio quia ſacramenta nouæ legis ex ſua inſtitutione habent vim faciendi ex attrito contritum, ideſt, conferendi gratiam habitualem cum ſola attritione, ſiue per ſe vt contingit in ſacramentis mortuorum, ſiue per accidens vt contingit in ſacramentis viuorum. Huiuſmodique attritio eſt diſpoſitio non quidem immediata ad gratiam conferendam in ſacramento, ſed potius ad receptionem ipſius ſacramenti, quod efficit ſua virtute gratiam in ſubiecto diſpoſito per attritionem, quia hæc ſola remouet obicem à quo poſſet impediri effectus ſacramenti.

Ad ſecundum admiſſa maiori nego minorem pro prima parte ob rationem aſsignatam, necnon nego minorem pro ſecunda parte quatenus probat ſacramenta viuorum in aliquo caſu per accidens non poſſe conferre primam gratiam, & facere ex attrito contritum.

Deinde ad ſecundam probationem reſpondetur illam diſpoſitionem perfectiſſimam, quæ in actu vitali & ſupernaturali conſiſtit, aut non requiri abſolute, & ſimpliciter ad effectum ſacramentorum quæ dicuntur viuorum, ſed dumtaxat requiri per ſe loquendo, & ex propria eorum inſtitutione, quod ſubiectum ſit in gratia, & non apponat obicem effectui talis ſacramenti: aut talem diſpoſitionem requiri in ordine ad effectum proprium talium ſacramentorum qui eſt augmentum gratiæ. Cum quo tamen ſtat quod per accidens, & in aliquo caſu conferant primā gratiā, & tunc reſpectu huius effectus talem diſpoſitionem non requirunt ſed ſufficiens diſpoſitio eſt attritio.

Ad tertium nego antecedens pro ſecunda parte.

Ad cuius probationem reſpondetur, quod licet oppoſitum illius quod conuenit alicui per ſe, ideſt ex natura rei, & ab intrinſeco, nunquam, ideſt nec per ſe, nec per accidens poſſet illi conuenire: verumtamen quia cauſare ſecundam gratiam, ſiue augmentum ſecundæ non conuenit ſacramentis viuorum ex Chriſti inſtitutione, ex qua ſingula ſacramenta ad ſpecialem finem, & effectum ſunt ordinata: ideò licet ſacramenta viuorum ſint per ſe iſto modo, ideſt ex diuina inſtitutione, ordinata ad augmentum gratiæ producendum: cū hoc tamen ſtat quod propter indiſpoſitionem ſubiecti conferant illi primam gratiam: quam dicuntur conferre per accidens, quia hoc non habent ex primaria ſui inſtitutione, ſed ex accidentali ſubiecti ſtatu, & in diſpoſitione, quo pacto etiam ſacramenta mortuorum per accidens habent conferre augmentum gratiæ propter meliorem ſtatum, & diſpoſitionem ſubiecti recipientis, quod iam eſt in gratia, quæ quidem melior diſpoſitio accidentalis eſt primariæ inſtitutioni.

Exponitur S. D.

76 Hinc colligo primo, legitimam interpætationem teſtimonij Angelici Doctoris quæſtione 79. articul. 3. aſſerentis quod virtus ſacramenti Euchariſtiæ poteſt conſiderari ſecundum ſe: & ſic habet vim remittendi quæcunque peccata, etiam mortalia ex paſsione Chriſti, quæ eſt cauſa ſufficiens remiſsionis omnium peccatorum. Non enim ſenſus eſt quod ſacramentum Euchariſtiæ per ſe habeat cauſare primam gratiam: ſed ſenſus eſt, quod ſi virtus huius ſacramenti, quæ eſt ipſe Chriſtus, vel eius Paſsio conſideretur ſecundum ſe, ideſt ſolitarie non per ſe reduplicatiue, talis virtus eſt remiſsiua omnium peccatorum: cum quo tamen ſtat, quod illa eadem virtus, prout eſt alligata iam tali ſacramento in ordine ad proprium effectum non eſt virtus per ſe ordinata ad remittendum omnia peccata, ſed ad nutriendam, & augendam gratiam, & per accidens poteſt efficere primam gra-

tiam,

tiam & remiſsionem peccati mortalis, vt dicendum eſt.

Exponuntur Concilia.

77 Colligo ſecundò. Veram intelligentiam præallegatorum teſtimoniorum Concilij Florentini, & Tridentini in quibus dicitur ſacramenta nouæ legis per ſe, & ex diuina inſtitutione conferre gratiam ſanctificantem: quorum ſenſus eſt, quod habent per ſe, & ex inſtitutione diuina cauſare gratiam prout abſtrahit à prima & ſecunda, cum quo tamen ſtat, quod aliqua in particulari ad cauſandam primam gratiam: alia verò ad cauſandum eius augmentum ſint inſtituta.

Ex quo fit conſequens quod licèt agens naturale quod operatur per formam ex natura rei per ſe determinatam, & ordinatam ad producendum aliquem effectum, vbi non inuenit illum productum, per ſe quoque habet illum de nouo producere, aut etiam illum augere ſi iam inuenit productum: ſecus verò contingit in ſacramentis quæ non operantur per virtutem, aut formam ex virtute rei determinatam, ſed ex ſola diuina inſtitutione, ex qua habent ordinari, ac determinari ad pæculiares effectus: ac proinde vnicuique ſacramento conuenit per ſe hoc modo ordinari ad cauſandum illum effectum ad quem eſt inſtitutum: quem propterea ſi non producit, aut producit alium: id contingit per accidens, & ex conſequenti, vt dictum eſt.

Dubium ſecundum eſt. An gratia ſacramentalis ad quam conferendam ſacramenta nouæ legis ſunt inſtituta, addat aliquid ſupra gratiam communiter dictam, hoc eſt ſupra gratiam iuſtificantem, & habitualem?

Singula ſacramenta habent proprios effectus.

78 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in duobus, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem primo, in eo quod ſingula ſacramenta habent proprios effectus, hoc eſt proprias gratias ſacramentales, quas efficiunt.

Cuius ratio eſt, quia ſacramenta ordinantur ad diſtinctos fines; ad quos propterea neceſſe eſt, vt habeant diſtinctos effectus gratiæ ſignificatos, & cauſatos: alioquin nec ſacramenta ipſa differrēt ſpecie inter ſe in ratione ſacramenti, ſiue in ratione ſigni, & cauſæ: niſi ſolum materialiter, & ex parte vſus, ſiue ritus, aut ceremoniæ qua miniſtrarentur. Immo nec vnum eſſet magis neceſſarium ad ſalutem, quam alterum: nec vnum eſſet magis iterabile, quam alia, quæ iterari non poſſunt: ſuperflua quoque eſſet tot ſacramētorum multiplicatio ſi omnia ad eundem gratiæ effectum ordinarentur: quæ plane abſurda ſunt nullatenus admittenda: ergo.

Aliquid addit gratia ſacramētalis ſupra gratiam abſolute.

79 Conueniunt ſecundo in eo quod opus eſt gratiam ſacramentalem quę proprius effectus vniuſcuiuſque ſacramēti, aliquid addere ſupra habitualia dona gratiæ ſanctificantis: cuius ratio eſt manifeſta, & deducta ex priori ſuppoſitione: quia non poſſunt gratię ſacramentales inter ſe differre, niſi etiam diſtinguantur aliquo modo ab ipſo habituali dono gratiæ communiter dictæ: nam ſi identificarentur vni tertio, planè, & inter ſe identificarentur: ac proinde

Digitized by Google

de neceſſe eſt vt aliquid proprium, & ſpeciale addant ſuper gratiam communiter dictam, nec hoc ſuperadditum poteſt solũ conſiſtere in ſolis gradibus maioris, aut minoris intenſionis: ita vt gratiæ ſacramentales differant penes hoc præciſſe quod quod vna ſit prima & alia ſecunda, vel vna ſit intenſa in tali gradu, & alia remiſſa: hæc enim differentia ad huc non eſt ſufficiens ad diſtinguenda formaliter, & multiplicãda ſacramenta: eo quod eſt penes magis, aut minus intra eandem rationem gratiæ: & alias idem ſacramentum ſæpius repetitum poſſet omnes hos gradus conferre: ac proinde non opporteret tot ſacramenta multiplicare ad huiuſmodi gradus gratię conferẽdos: vnde neceſſe eſt dicere aliquam formalem diuerſitatem in ipſis donis gratiæ ſacramentalis reperiri.

1. ſentẽtia 80 In explicando autem quæ ſit hæc formalis diuerſitas diſcriminantur Theologi in quatuor ſentencias. Prima eſt Paludani in quarto diſtinction. 2. quæſtione 3. aſſerentis gratiam ſacramentalem ſupra gratiam communiter dictam includere aliquem peculiarem habitum, ſiue donum habituale: quam ipſe Paludanus ingenue fatetur eſſe opinionem peculiarem, & contrariam communi opinioni Scholaſticorum. Probat tamen illam ex Angelico præceptore qui in hac quæſtione 62. in art. 2. inquit gratiam ſacramẽtalem adddere aliquid ſupra gratiam communiter dictam: ſicut virtutes & dona addunt ſupra gratiam communiter dictam, quandam perfectionem ſuper eius ordinatam ad proprios actus potentiarum.

2. ſentẽtia 81 Secunda ſententia, & huic affinis eſt Capreoli in quarto diſtinction. 1. quæſtion. 1. artic. 3. ad quartum Durandi contra tertiam aſſerentis gratiam ſacramẽtalem addere quandam qualitatem habitualem ſiue permanentem diſtinctam à gratia gratum faciente; per hanc autem qualitatem intelligit ipſum characterem in illis ſacramentis quæ characterem imprimunt: in alijs verò intelligit eſſe quemdam ornatum qui eſt præparatio, ac diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem.

3. ſentẽtia 82 Tertia eſt Alexandri, 4. parte quæſtione quinta, membro quarto artic. 2. Bonauentura in quarto diſtinctione 1. articulo 1. quæſtione ſexta, & Ricardi in eadem diſtinctione articul. 4. quæſtion. 4. aſſerentium gratias ſacramentales ſolum addere ſupra gratiam ſanctificantem diuerſum modum participationis, ſiue diuerſam habitudinem, & ordinem ad effectus diſtinctos: ita vt gratia prout exiſtens in anima dicatur gratum faciens; & eadem prout datur, vel recuperatur per ſacramentum, vel quatenus augetur per illud, dicatur ſacramentalis: aut etiam quatenus ſanctificat ſimpliciter, dicatur gratum faciens: quatenus verò ſanctificat curando animam, & ſanando à morbo peccati, dicatur ſacramentalis. In eandem ſententiam inclinat Ferrarienſis libro 4. contra gentes cap. 57. §. *aduertendum*: dũ ait gratias ſacramentales eſſe diſpoſitiones quaſdam; quæ ſunt effectus gratiæ habitualis contra peculiares defectus.

Cuius ſententiæ fundamentum eſt quod ſacramenta inſtituta ſunt occaſſine peccati in remedium illius, & ad ſanandum animam, vel ad augendam ſanitatem illius: ergo ſufficit diſtinguere eorum effectus penes diſtinctos modos ſanandi, vel augendi ſanitatem animæ.

Quarta ſententia aſſerit gratias ſacramentales ſupra gratiam communiter dictam addere quædam ſpecialia auxilia actualia data ad ſpeciales actus, & operationes ad quas vnumquodque ſacramentum ordinatur. Hæc eſt ſentencia Angelici præceptoris in articulo ſecundo huius quæſtionis, quam amplectuntur Caietanus ibidem, Sotus in quarto diſtinctione 2. quæſtione 3. articul. 2. Ledeſma 1. part. 4. quæſtione 3. art. 2. Suarius hic, diſputatio. 7. ſectione 3. Vazquius diſputatio 131. cap. vltimo, & frequenter recentiores: quæ quia eſt expræſſa Angelici præceptoris, & iam in ſcholis communiter recepta: à nobis ſtatuitur pro concluſione.

83 Et probatur primo, ex impugnatione aliarum ſententiarum: primæ namque falſitas probatur ex eo quod abſque fundamento, & neceſsitate conſtituit duos habitus gratiæ in anima, vnum quidem gratiæ gratum facientis: & alterum gratiæ ſacramentalis: cum tamen vnus ſufficiat ad præſtandum effectum ſacramentalis gratiæ, & non ſint multiplicandi habitus ſine neceſsitate.

Secunda verò opinio Capreoli multo magis diſtat à veritate, quia præter duos habitus prædictos conſtituit ornatum in anima: qui ad nihil eſt neceſſarius: *reijcitur 1. ſentẽtia, ſimiliter 2.*

illa

Digitized by Google

illa enim præparatio, ac diſpoſitio, quam dicitur præſtare ille ornatus ad gratiam ſanctificantem præterquamquod fictitia eſt, tollit immediatam cauſalitatem, & influxum ſacramentorum circa gratiam; quod tamen ſuperius oſtendimus non eſſe admittendum: ergo.

Deinde tertia opinio in vtroque ſenſu oſtenditur falſa. In priori quidem, quia gratia extra ſacramentum etiam poteſt primo adquiri, augeri, & recuperari, non minus, quam per ſacramentum: ergo propter hoc non oportet diſtinguere gratiam ſacramentalem à gratia gratum faciente communiter dicta. In poſteriori verò quia non omnia ſacramenta inſtituta ſunt ad peccata delenda, nam ſacramenta confirmationis, ordinis, & matrimonij nõ ſunt per ſe inſtituta ad delenda aliqua peccata etiam venialia: quamuis illa de facto deleant, quando inueniunt ea in ſubiecto, & alias ſubiectum habet attritionem de illis: tamen per ſe loquendo ordinantur ad alios effectus ſpeciales, nimirùm ad roborandum animum in confitenda fide, ad amorem coniugum, & pacem ſeruandam: & ad miniſteria ſacra in Eccleſia exhibenda: quos effectus proculdubio ſortiuntur independenter à remiſſione alicuius peccati.

Nec ſufficit quod hæc, & quæcunque alia ſacramenta inſtituta fuerint occaſſione peccati: nam ille eſt reſpectus extrinſecus tenens ſe ex parte inſtituentis: qui proinde nihil intrinſecum refundit in effectus ipſorum ſacramentorum, per quod poſsint, aut debeant ſpecie inter ſe diſcriminari: & à gratia communiter diſtingui: ergo reſtat à ſufficienti diuiſione dicẽdum eſſe huiuſmodi gratias ſacramentales per auxilia actualia incluſa, ſiue aſſociata diſtingui, & diſcriminari.

84 Secundo probatur eadem concluſio ratione oſtenſiua: nam dona quæ ordinantur ad actuales operationes, aut ſunt habitus, aut ſunt auxilia actualia, vtpotè quia ordo principiorum operandi ſupernaturalium non inuenitur, niſi in habitibus, vel in auxilijs: ſed gratiæ ſacramentales quantum ad illud quod ſuperaddunt gratiæ gratum facienti, ſunt dona data immediate ad operandum: ergo cum non ſint habitus vt probatum eſt, neceſſe eſt quod ſint auxilia.

Conſequentia eſt nota & minor probatur inductione in vnoquoque ſacramento, nam Euchariſtia, verbi gratia, & eius effectus ordinatur ad reſiſtendum tẽtationibus, aut etiam ad refrenandas paſſiones iræ, inuidiæ, & luxuriæ.

Confirmatio verò, & eius gratia datur ad firmiter profitendam fidem: & matrimonium ordinatur ad mutuum amorem coniugum habendum, & conſeruandum, & ſic de alijs: ergo ſignum eſt huiuſmodi gratias ſacramentales includere principia proxima harum operationum: quæ proinde ſunt auxilia actualia.

Tertio probatur, à ſigno & à poſteriori quia aliquod donum confertur per ſacramentum in re ſuſceptum; quod non tribuitur per votum eiuſdem ſacramenti quod quidem votum, aut eſt explicitum deſiderium recipiendi tale ſacramẽtum; aut implicitum cuiuſmodi eſt contritio reſpectu ſacramenti baptiſmi, & pœnitentiæ, cum obligatione recipiendi in re baptiſmum, ſiue pœnitentiam quando adſit opportunitas, ſed per huiuſmodi votum ſacramentorum, licet detur gratia gratum faciens, non tamen conferuntur auxilia gratiæ præuenientis ad operandum ordinata; hęc enim auxilia talia alligata ſunt ſacramentis in re ſuſceptis, vt ſine illis non conferantur: ergo.

85 Dices; gratiæ ſacramentales non ſolum in fieri, & quando actu infunduntur per ſacramenta, ſed etiam in facto eſſe, & quandiu in anima conſeruantur, differunt ſpecie, & ſuis gaudent differentijs; ergo per aliquid permanens in illis diſtinguntur, & conſtituuntur. Tunc vltra, ſed hoc donum permanens non poteſt eſſe auxilium actuale quod tantum eſt fluidum, ac tranſiens; ergo debet eſſe habituale; ac proinde habitibus ſuperadditis diſtinguntur, ac conſtituuntur.

Huic obiectioni reſpondent aliqui iuniores diſcipuli Angelici Doctoris gratias ſacramentales præter auxilia actualia includere quoſdam modos permanenter aſſixos quibus connotant auxilia actualia ſuo tempore habenda; ſiue medijs quibus dicunt ordinem ad auxilia habenda pro eo tempore pro quo debent elicere proprias operationes in ordine ad proprios fines.

Sed hęc ſolutio ſuſtineri non poteſt, & eſt omnino aliena a mente Angelici Doctoris, qui vltra gratiam gratum faciẽ-

tem, & auxilia, nihil aliud agnoſcit in gratijs ſacramentalibus quę apud ipſum, vt conſtat ex contextu, dict. articuli 2. pręciſſe conflantur ex gratia gratum faciente & auxilio ſuperaddito.

Deinde, quia cum iſti modi ſint permanentes, & aliàs dati per ſe ad operandum non eſt cur non ſint dona habitualia, & ſic latenter iſti Auctores incidunt in opinionem Paludani, ſiue Capreoli iam diu ab ſcholis reiectam, quam refutare conantur.

Quare hac ſolutione reiecta, aliter dicendum eſt, nimirùm quod huiuſmodi auxilia actualia ex lege ſpeciali, & ordinatione diuina circa ſacramenta durant quamdiu durat ipſa gratia gratum faciens in anima, licet alias de ſe, & ſuapte natura fluida ſint, & ideò deficiunt à ratione habitus qui eſt qualitas permanens per ſe, & ſuaptem natura. Aut etiam dici poteſt gratias ſacramentales permanenter diſtingui ſpecie per huiuſmodi auxilia actualia & fluida non de facto incluſa, ſed connotata, nam eo ipſo quod gratia gratum faciens confertur per ſacramentum cum aliquo auxilio actuali, ſemper connotat tale auxilium, licet ſtatim trẽſeat: quia Deus ex vi dictæ legis, & ordinationis manet paratus ad conferendum ſimile auxilium quoties offeratur occaſio operandi, nec nouum eſt eandem formam ſecundum rem per connotationem alicuius diſtingui, & à ſe ipſa abſolute ſumpta, & ab alia ſumpta cum connotatione alterius. Ex quibus ſufficienter manent ſoluta fundamenta aduerſariorum.

Dubium tertium eſt. Quanam ſit virtus inſità ſacramentis, operatiua gratiæ ſacramentalis?

86 IN hoc dubio omnes illi authores qui denegant ſacramentis nouæ legis phiſicam efficientiã circa gratiam, aut quia ſentiunt illa ſolum concurrere per modum conditionis ſine qua non, aut per modum cuiuſdam diſpoſitionis, & præparationis, vt volunt Durandus, & Scotus, aut quia ſolam efficientiam moralem eis attribuunt, vt volunt Canus, & Vazquius relati ſupra dubio 1. & 2. pariter denegant illis ineſſe aliquam virtutem phiſicam, & phiſicè effectiuam: eo quod vbi cauſalitas, & efficiencia phiſica eſt impoſsibilis, virtus quoque phiſica, & phiſice effectiua, pariter debet eſſe impoſsibilis. Huiuſmodi autem virtutis impoſsibilitatem ſuadent Durandus in 4. diſtinct. 1. quæſtion. 4. & Scotus ibidem quæſtion. 5. pluribus argumentis adductis, & ſolutis à Capreolo ibidem quæſtion. 1. artic. 2. & 3. ad argumenta contra quartam: quæ tamen ad hæc tria reduci poſſunt.

Primum eſt Durandi, quia hæc virtus videtur eſſe impoſsibilis ex parte ſui, & ſecundum ſe: eo quod aut eſſet ſpiritualis entitas, aut corporea: ſed neutrum poteſt eſſe: ergo nulla. Maior patet à ſufficiẽti diuiſione, & minor probatur, quod non ſit ſpiritualis entitas, quia in ſubiecto pure corporeo nequit recipi virtus, ſiue qualitas pure ſpiritualis, nã accidens quodcumque natum eſt recipi in ſubiecto ſibi proportionato. actus enim actiuorum ſunt in patiẽte diſpoſito: ſubiectũ autẽ receptiuũ, & proportionatũ virtutis ſpiritualis non eſt res corporea, ſicut ſubiectũ ſuſceptiuũ accidentis corporei nequit eſſe res ſpiritualis: nec enim Angelus poteſt eſſe ſubiectũ receptiuũ quãtitatis, vel coloris, vel alterius qualitatis corporalis, vtpotè quia hęc petit recipi modo extenſo in ſubiecto: cuius extenſionis eſt incapax ſubſtancia ſpiritualis propter ſui indiuiſibilitatem: ergo ſicut res ſpiritualis nequit ſuſcipere acidẽs corpo-

corporeum propter defectum extenſionis ita nec res corporea, cuiuſmodi ſunt ſacramenta, poteſt recipere virtutem actiuam ſpiritualem propterea quod hæc eſt incapax extenſionis, ſine qua non poteſt recipi in ſubiecto corporeo, quod nequit affici aliquo accidenti, niſi ei tale accidens coextendatur.

Secundum eſt eiuſdem Durandi, deſumptum ab inconuenienti, nimirum quia alias eſſent muplicandæ plures virtutes operatiuæ ſecundum pluralitatem eorum, quæ concurrunt ad conſtituendum ſacramentum: nimirum quia in miniſtro eſſet vna virtus effectiua, & in forma ſacramenti eſſet alia, & in materia, ſiue re ſenſibili ſacramentali eſſet alia virtus: quando quidem vnica ſimplex nõ poſſet afficere hæc tria ſubiecta adeo diuerſa: quod tamen inconueniens eſt multiplicare tot virtutes impreſſas à Deo ad productionem vnius, & eiuſdem effectus gratiæ: ergo.

Tertium eſt, quo vtitur Scotus ad oſtendam impoſibilitatem huiuſmodi virtutis ex parte ſubiecti: nam etiam ſi hæc virtus in ſolo ſacramento, aut in ſola eius forma, ſiue materia debeat recipi, non eſt aſsignabile congruum ſubiectum ſuſceptiuum illius, eoquod forma baptiſmi v.g. (& idem de alijs formis dictum puta) eſt quædam oratio, ſiue numerus diſcretus cõſtans ex pluribus ſylabis, quæ proinde non poteſt vnicam ſimplicem virtutem ſupernaturalem recipere: aut enim talis virtus recipitur in omnibus ſylabis: & hoc eſt impoſsibile propter eorum diuerſitatem, aut recipitur in vna illarum, & hæc non eſt aſsignabilis, quia ſi aliqua eſſet maxime vltima, & tunc reliquæ antecedentes non haberent aliquam virtutem ſupernaturalem impreſſam à Deo, & ſic nec Deus moueret totam illam orationem tanquam inſtrumentum effectiuum gratiæ. Et eodẽ argumento probatur, quod nec aliqua pars materiæ, ſcilicet aquæ, vel abſolutionis, nec tota ablutio poſsit eſſe ſubiectum receptiuum talis virtutis, quia cum ſit motus deſinens per primum non eſſe, & ſucceſiue fluens: nec ſecundum ſe totum poteſt recipere huiuſmodi virtutem effectiuã, quim illa aut ſit fluida, aut migret de vna parte motus in alteram, quod non eſt admittendum: nec ſecundum vltimam partem poteſt recipere talem virtutem, propter inconueniens adductum de ipſa forma. Necnon propterea quod ageret ſuum effectum illa pars motus ante ſui conſummationem, aut ageret poſt deſitionem ſubiecti in quo talis virtus exiſtit, quod etiã eſt impoſibile: ergo.

87 Sed his non obſtantibus vera ſententia à nobisque ſuſtinenda aſſerit aliquam virtutem ſupernaturalem inſtrumentariam effectiuam gratiæ imprimi à Deo ſacramentis media qua inſtrumentaliter phyſice cooperẽtur Deo ad productionem gratiæ ſacramentalis. Quam proinde ſtatuimus pro concluſione, illãq; tuẽtur omnes diſcipuli Angel. præceptoris in dicto dubio ſecundo relati, qui ſacramentis nouæ legis attribuunt nedum moralem, ſed etiam phyſicam cauſalitatem, & efficiẽtiam circa gratiam, aut etiam characterem.

Sacramẽtis adeſt virtus intrinſeca productiua gratiæ.

Et probatur primo ex pluribus teſtimonijs Angelici præceptoris, quæ adducit, & expendit Capreolus in dicto art. 3. ad argumenta contra quartam. Quorum primum habetur in 4. diſt. 1. q. artic. 4. quæſtiuncula 2. ad quartũ, quod ſic procedit: omne quod recipitur in aliquo eſt in eo per modum recipiẽtis: & inde eſt quod virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea, ſed hæc virtus quæ ordinatur ad gratiam inducendam eſt maxime ſpiritualis: ergo non poteſt eſſe in rebus corporalibus. Ad hoc argumẽtum reſpondet ſanctus Doctor dicens, quod in re corporali non poteſt eſſe virtus ſpiritualis ſecundũ eſſe completum: poteſt tamen ibi eſſe per modum intentionis, ſicut in inſtrumentis motis ab artifice eſt virtus artis: & ſermo audibilis, exiſtens cauſa diſciplinæ, vt dicitur in lib. de ſenſu, & ſenſato continet intentiones animæ quodãmodo: & etiam in motu eſt virtus ſubſtantiæ mouentis ſecũdum Philoſophos: & ſemen agit in virtute animæ, vt dicitur in vndecimo de animalibus: & in ſolutione quartæ quæſtiunculæ ſubdit, quod quia agens inſtrumentaliter, non habet virtutem agendi vt aliquod ens completum, ſed per modum intentionis: ideo & forma introducta confirmetur in eo per modum intentionis, ſicut ſunt ſpecies colorum in aere: à quibus proinde aer non denominatur coloratus: & hoc modo gratia continetur in ſacramẽtis ſicut in inſtrumento ſecundũ eſſe incõpletum, &c.

88 Secundum teſtimonium habetur in hac quæſt. art. 4. in ſolutione primi, vbi ſic ait: *Virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in*

re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ: nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutem inſtrumentalem, in quantum ſcilicet corpus poteſt moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum inducendum, ſicut & in ipſa voce ſenſibili eſt quadam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum homininis audientis in quantum procedit à conceptione mentis, & hoc modo vis ſpiritualis eſt in ſacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad aliquem effectum ſpiritualem.

Tertium habetur quæſt. 27. art. 4. in ſolutione ad quartum, vbi fere eiſdem verbis eandem ſententiam adſtruit, & in ſolutione ad quintum, ſubdit, quod virtus illa nec poteſt dici corporea propriè loquẽdo, nam corporeum, ad incorporeum ſunt diferentiæ entis completi: ſed propriè dicitur virtus, & incorporeum, ſicut etiam motus magis dicitur ad ens, quam ens.

Ex quibus apparet ſecundum mentẽ ſancti Doctoris, quod in re corporea, & materiali poteſt eſſe virtus ſpiritualis per modum intentionis fluentis, & non extẽſa, ſed indiuiſibililiter tota in toto, & tota in qualibet parte, ſicut ſpecies intentionales ſunt in aere, & quod talis eſt virtus impreſſa ſacramentis, habens quidem in illis eſſe fluens, & intentionale, atque modum eſſendi indiuiſibilem, & in extenſum.

89 Secundo probatur, concluſio à ſimili pluribus exemplis adductis à Paludano in eadem diſtinctione quarta quæſtione 2. & recenſitis à Capreolo vbi ſupra, quibus ſuadetur rem corpoream poſſe eleuari, & actuari per virtutem ſpiritualẽ ad agendum in ſpiritum, & effectum ſpiritualem: aut etiam rem ordinis inferioris poſſe eleuari ad effectum ſupra ſuam formam, & virtutem naturalem: ſic enim phãtaſma ex coniunctione ad intellectum agẽtem, & illuſtratum ab illo poteſt concurrere vt inſtrumentum illius ad imprimendas ſpecies intelligibiles intellectui poſſibili, & ignis inferni vt inſtrumentum Dei agit in ſpiritus damnatos torquendo illos, & cœlum in virtute Dei producit animam ſenſitiuam quam Gregorius vocat ſpiritum, qui corpore tegitur, & cum corpore moritur, nec tamen in hoc exemplo requirimus veritatem. Et tandem calor poteſt in virtute animæ in aliquem effectum, in quem non poteſt in virtute ignis, videlicet generare carnem, & oſſa: & ſimiliter ſacramenta quamuis ſint res corporeæ, tamen per potentiam obedientialem paſſiuam, quam habent poſſunt eleuari à Deo recipiendo virtutem ſpiritualem, qua poſſint inſtrumentaliter in effectum ſpiritualem qualis eſt gratia, ſiue character, effectiue cooperari Deo vt agenti principali.

Ex his reſpondetur ad primum pro priori ſententia, negando minorem pro prima parte: quamuis enim Paludanus vbi ſupra ſentiat huiuſmodi virtutem ſupernalem ſacramentorum eſſe formaliter, & ſecundum eſſentiam, ſiue ſubiectiue corpoream: & terminatiue, ſiue quoad efficientiam eſſe ſpiritualem, hoc eſt, quia ad ſpiritualem effectum terminatur, eo quod iudicat impoſſibile quod virtus entitatiuè ſpiritualis ſit in corpore, vtpote in quo nullũ accidens poteſt recipi, niſi extenſum, &c.

Verum tamen Capreolus vbi ſupra verius ſentit, & magis ad mentem Angelici Doctoris in prædictis locis ſatis explicatam, quod huiuſmodi virtus nedum terminatiuè, & ſecundum efficientiam, ſed etiam formaliter, & ſecundum eſſentiam ſit ſpiritualis. Nec inconuenit accidens ſpirituale recipi in corpore, habens eſſe intentionale, & fluidum, & modum eſſendi indiuiſibilem.

Dum autem arguitur a paritate rationis, quod in ſpiritu non poteſt recipi accidens corporeum: ergo nec in corpore poteſt recipi accidens ſpirituale. Reſpõdent quidà iuniores diſcipuli ſancti Doctoris, negando conſequentiam: eo quod in priori caſu ſubiectum eleuatur ad aliquid ſupra ſe, quod non inconuenit naturis rerum: in poſteriori vero deprimitur ſubiectum ad aliquid infra ſe, quod naturis rerum non congruit.

Sed hæc ſolutio inepta videtur propter tria. Tum, quia cum eſſentiæ rerũ cõſiſtant in indiuiſibili ſicut numeri, non minus eis debet repugnare aſcenſus ad aliquid ſupra ſe, quam deſcenſus ad aliquid infra ſe. Quemadmodum numero ternario non minus repugnat aſcendere ad quaternarium, quam deſcendere ad binarium.

90 Tum etiam, quia ſi huiuſmodi aſcenſus, ſiue deſcenſus fiat per aduentum formæ accidentalis non variantis eſſentiã ſubiecti, neuter repugnat illi. Sic enim videmus animam rationalem abſque læſione ſuæ eſſentiæ eleuari per dona gratiæ ad aliquid ſupra ſuam naturam, & deprimi per vitia, & peccata ad aliquid, quod

eſt

eſt nedum infra, ſed etiam contra eius naturam.

Tum denique, quia ſicut non repugnat vnio virtutis ſpiritualis cum ſubiecto corporeo, ita nec repugnat vnio accidentis corporei, maxime fluidi, & intentionalis cum ſubiecto ſpirituali, verbi gratia cũ Angelo: nec enim repugnat ex parte omnipotentiæ Dei, cui non eſt impoſsibile omne verbum, nec ex parte ipſius vnionis, quæ poteſt eſſe corporea ex parte formæ, ſiue accidentis, & ſpiritualis ex parte ſubiecti: quo pacto vnio animæ rationalis ad corpus, & vnio virtutis ſpiritualis ad ſacramenta ex parte formæ eſt ſpiritualis, & ex parte ſubiecti eſt corporalis: accidens autem corporeum vniri modo vnionis corporeo formaliter, neutiquã repugnat, quamuis ex parte termini ei correſpõdeat res ſpiritualis. Nec repugnat ex parte extremorum quæ vniuntur: alioquin etiam repugnaret vnio animæ rationalis cum corpore, & vnio virtutis ſpiritualis cum ſacramento: igitur dicendum eſt in neutro caſu dari repugnantiã.

91 Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe inconueniens multiplicare illas virtutes maxime in miniſtro, & ſacramento, quia vtraque eſt totalis in ſuo genere, & vna alteri ſubordinata. Virtus enim miniſtri eſt ad conficiendum verum ſacramentum cauſatiuum gratiæ: virtus autem ſacramenti eſt ad proxime cauſandum ipſam gratiam.

Ad tertium dicendũ eſt huiuſmodi virtutem proxime, & immediate recipi in vltimo completiuo ipſius ſacramenti, quod eſt primum non eſſe illius in ratione motus, vltimum tamen mutatum eſſe pertinens ad eius intrinſecum complementum, quia tunc, & non ante operatur ſuũ effectum, vt ſupra diximus, ſiue hoc vltimum mutatum eſſe ſit ipſius materiæ, vt ſi forma compleatur ante materiam, ſiue ſit ipſius formæ, quando contingit compleri materiam ante formam, ſiue ſit vtriuſque ſimul, quando contingit vtranque ſimul conſummari: erit enim tunc in vnoquoque mutato eſſe ſua partialis virtus conſtans vnam totalem, & vnius totalis inſtrumenti.

Nec tamen partes antecedentes ſacramenti ſuperfluunt, eo quod totum ſacramentum chategorematice dicitur eleuari, & operari: quamuis non niſi ratione vltimi complementi. Tum etiam, quia partes antecedentes operantur actionem illam præuiam, & præparatoriam ad effectum agentis principalis, ſcilicet gratiæ, qualis eſt in baptiſmo ablutio corporalis, & in cõfirmatione vnctio, ac proinde operantur ad effectum principalis agentis veluti diſpoſitiuè, & in via, præbendo ſcilicet præparatoriam actionem ad effectum gratiæ, quem ſacramentum in vltimo inſtanti terminatiuo conſequitur.

QVAESTIO LXIII.

De effectu ſacramentorum, qui eſt character, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſacramentum imprimat aliquem characterem in anima?

4.d.4.q. 1.ar.4.q. 1.c. AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramentum nõ imprimat aliquem characterem in anima. Character enim ſignificare videtur quoddam ſignum diſtinctiuum. Sed diſtinctio membrorum Chriſti ab alijs, fit per æternam prædeſtinationem, quæ non ponit aliquid in prædeſtinato, ſed ſolum in Deo prædeſtinante: vt in prima parte * habitum eſt. p.p.q.23. ar.3. Dicitur enim 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: nouit Dominus qui ſunt eius. Ergo ſacramẽta non imprimunt characterem in anima.

2 Præterea, Character ſignum eſt diſtinctiuum. Signum autem (vt Auguſtinus dicit in 2. de doctrina chriſtiana) eſt quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. cir. princi. to.3. Nihil autem eſt in anima, quod aliquam ſpeciem ſenſibus ingerat. Ergo videtur, quod in anima non imprimatur aliquis character per ſacramenta.

3 Præterea, Sicut per ſacramenta nouæ legis diſtinguitur fidelis ab infideli: ita etiam per ſacramenta veteris legis. Sed ſacramenta veteris legis non imprimebant aliquẽ characterem in anima: vnde & dicuntur iuſtitiæ carnis, ſecundum Apoſt. ad Hebr. 9. Ergo videtur quod neque ſacramenta nouæ legis imprimunt characterem.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 1. Qui vnxit nos, Deus eſt: & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Sed nihil aliud importat character, quam quamdam ſignationem. Ergo videtur, quod Deus per ſacramenta nobis ſuum characterem imprimat.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex prædictis patet *, ſacramenta nouæ legis, ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum ritum chriſtianæ vitæ. q.62.a.5. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, conſueuit ad illud conſignari;

nari: ſicut milites, qui aſcribebantur ad militiam antiquitus, ſolebant quibuſdam characteribus corporalibus ingſiniri: eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per ſacramenta deputentur ad aliquid ſpirituale pertinens ad cultũ Dei, conſequens eſt, quod per ea fideles aliquo ſpirituali charactere inſigniantur. Vnde Auguſtinus dicit * in ſecundo contra Parmenianũ, Si militiæ characterem in corpore ſuo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris cõfugerit, ac prece fuſa, & impetrata iã venia militare cœperit: nunquid homine libero, atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an forte minus hærent ſacramenta Christiana, quã corporalis hæc nota?

contra epi. Parm. lib. 2. ca. 13. parũ a me. to. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod fideles Chriſti ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur ſignaculo prædeſtinationis diuinæ. Sed ad actus conuenientes præſenti Eccleſiæ deputantur quodam ſpirituali ſignaculo eis inſignito, qui character nuncupatur.

Ad ſecundum dicendũ, quod character animæ impreſſus, habet rationem ſigni, in quantum per ſenſibile ſacramentum imprimitur: per hoc enim ſcitur aliquid eſſe baptiſmali charactere inſignitus, quod eſt ablutus aqua ſenſibili. Nihilominus tamen character, vel ſignaculum dici poteſt per quandam ſimilitudinem omne quod configurat alicui, vel diſtinguit ab alio, etiam ſi non ſit ſenſibile: ſicut Chriſtus dicitur figura, vel character paternæ ſubſtantiæ, ſecundum Apoſt. Hebr. 1.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum * eſt, ſacramenta veteris legis non habebant in ſe ſpiritualem virtutem, ad aliquem ſpiritualem effectum operantem. Et ideo in illis ſacramentis non requirebatur aliquis ſpiritualis character: ſed ſufficiebat ibi corporalis circuncisio, quam Apoſtolus ſigillum nominat Rom. 4.

q. 62. a. 6

1 IN Hac quæſtione agit Angelicus præceptor de alio effectu ſacramentorum nouæ legis, qui dicitur character vt ſic completam cauſalitatem, & efficientiam ſacramentorum declaret: nam eorum cauſalitas extenditur ad gratiam ſanctificantem, vt viſum fuit in quæſtione præcedenti: nec non ad characterem, qui eſt effectus ſecundarius: ac proinde explicato primario effectu ſcilicet gratia in quæſtione præcedenti, opere pretium eſt, vt in hac quæſtione explicaret ſecundarium effectum; qui eſt character: vt ſic tota virtus, & cauſalitas ſacramentorum maneret explicata.

De quo ſecundario effectu tractant Scholaſtici cum Magiſtro in quarto diſt. 4. & Theologi cum Diuo Thoma in hac quæſtione 63. in cuius primo articulo reſpondet Angelicus præceptor, per aliqua ſacramenta nouæ legis imprimi ſpiritualem quemdam characterem in anima ſuſcipientis. Cuius ratio eſt, quia quicumque ad aliquod certum miniſterium deputatur, conſueuit aliquo conſignari charactere, quod patet exemplo militum, qui teſte Auguſtino lib. 2. contra Parmenianum cap. 15. ſigno ſiue charactere ſui Ducis, vel Regis inſigniuntur, cuius militiæ deputantur: ſed homines fideles per ſacramenta deputantur ad aliquod ſpirituale miniſterium, nimirum ad cultum Dei ſecundum ritum Chriſtianæ vitæ: ergo opportet vt aliquo charactere Chriſti conſignentur, quę per ſacramenta recipiant.

ART. II.

Vtrum character ſit ſpiritualis poteſtas?

4. d. 4. q. 1 ar. 1. AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod character non ſit ſpiritualis poteſtas. Character enim idem videtur eſſe quod figura: vnde Hebr. 1. vbi dicitur, Figura ſubſtantiæ eius, in Græco habetur loco figuræ, character. Sed figura eſt in quarta ſpecie qualitatis, & ita differt â poteſtate quæ eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. Character ergo non eſt ſpiritualis poteſtas.

2 Præterea, Dion. * dicit 2. cap. Eccl. hier. quod diuina beatitudo accedentem ad beatitudinem in ſui participationem recipit, & proprio ſuo lumine, quaſi quodam ſigno, ipſi tradit ſuam participationem. Et ſic videtur quod character ſit quoddam lumen. Sed lumen ad tertiam ſpeciem qualitatis videtur pertinere. Non ergo character eſt poteſtas, quę videtur ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinere. *p. 3. parum ante me.*

3 Præterea, A quibuſdam character ſic definitur: Character eſt ſignum ſanctum communionis fidei & ſanctæ ordinationis, datum â Hierarcha. Signum autem eſt in genere relationis, nō autem in genere poteſtatis. Non ergo character eſt ſpiritualis poteſtas.

4 Præterea, Poteſtas habet rationem cauſę, & principij: vt patet 5. Metaph. †. Sed ſignum, quod ponitur in definitione characteris, magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non eſt ſpiritualis poteſtas. *li. 5. met. tex. 17. tomo 3.*

Sed contra eſt, quod Philoſophus dicit in 2. ethicor, * Tria ſunt in anima, potentia, habitus, & paſsio. Sed character non eſt paſsio, quia paſſio cito tranſit: character autem indelebilis eſt, vt infra dicetur †. Similiter etiam non eſt habitus: quia nullus habitus eſt qui ſe poſsit ad bene, & male habere: character autem ad vtrumque ſe habet: vtuntur enim eo quidam bene, alij vero male. Quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis, nullus vtitur male, & habitu malitiæ, nullus bene. Ergo relinquitur quod character ſit potentia. *lib. 2. eth. cap. 5. in prin. to. 5. ar. 5. huiꝰ q.*

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt †, ſacramenta nouæ legis, characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, ſecundum ritum Chriſtianæ religionis. Vnde Dionyſ. † in 2. cap. eccleſ. hierar. cum dixiſſet, quod Deus in quodam ſigno tradit ſui participationem accedenti ad baptiſmum, ſubiungit, Perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum. Diuinus autem cultus conſiſtit, vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo alijs. Ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid alijs, requiritur potentia actiua: ad recipiendum autem requiritur potentia paſsiua. Et ideo character importat quandam potentiam ſpiritualem, ordinatam ad ea quæ ſunt diuini cultus. Sciendum tamen, quod hęc ſpiritualis potentia eſt inſtrumentalis: ſicut etiam ſupra dictum eſt † de virtute, quæ eſt in ſacramentis. Habere enim ſacramenti characterem, competit miniſtris *ar. præce. ca. 2. eccl. hier. p. 3. parum ante med. q. præced. ar. 4.*

ſtris Dei, Miniſter autem habet ſe per modum inſtrumenti, vt Philoſophus dicit in 1. Polit. Et ideo ſicut virtus, quę eſt in ſacramentis, nō eſt in genere per ſe, ſed per reductionē, eo quod eſt quiddam fluens, & incōpletum: ita etiam character non proprie eſt in genere, vel ſpecie, ſed reducitur ad ſecundā ſpeciē qualitatis.

lib. 1. c. 3. aliquantulum à pri. tom. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod figura eſt quædam terminatio quantitatis. Vnde proprie loquendo, non eſt niſi in rebus corporeis, in ſpiritualibus autē dicitur metaphorice. Non autem ponitur aliquid in genere, vel ſpecie, niſi per id quod de eo proprie prædicatur. Et ideo character non poteſt eſſe in quarta ſpecie qualitatis, licet hoc quidam poſuerint.

Ad ſecundum dicendū, quod in tertia ſpecie qualitatis non ſunt niſi ſenſibiles paſsiones, vel ſenſibiles qualitates. Character autem non eſt lumen ſenſibile: & ideo non eſt in tertia ſpecie qualitatis, vt quidam dixerunt.

Ad tertium dicendum, quod relatio quę importatur in nomine ſigni, oportet quod ſuper aliquid fundetur. Relatio autem huius ſigni, quod eſt character, non poteſt fundari immediate ſuper eſſentiam animę; quia ſic conueniret omni animę naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, ſuper quod fundetur talis relatio, & hoc eſt eſſentia characteris. Vnde non oportebit quod ſit in genere relationis, ſicut quidam poſuerunt.

Ad quartum dicendum, quod character habet rationem ſigni, per comparationem ad ſacramentū ſenſibile, à quo imprimitur, ſed ſecundum ſe conſideratus, habet rationē principij, per modum iam dictum*.

In car. ar. & 4. præc.

2 PRima concluſio in corpore articuli eſt, quod character ſacramentalis eſt ſpiritualis quædā poteſtas, ſiue potentia ad exequenda officia diuini cultus: eoquod huiuſmodi character imprimitur per ſacramentā: in quantum per illa fideles deputantur ad eā, quæ ſunt diuini cultus, quod conſiſtit, vel in recipiendo aliquid diuinū, vel in tradendo alijs: ad vtrumque autem requiritur quædam potentia: ad recipiendum quidem potentia paſsiua: ad tradendum vero, ſiue ad agendum in alios requiritur potentia actiua.

Secunda concluſio in eodem corpore: huiuſmodi potentia eſt inſtrumentalis, & incompleta, reductiuè pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Nam ſicut virtus operatiua, quæ eſt in ſacramentis, vt dictum eſt quæſtione præcedente articulo quarto, non eſt in genere per ſe, ſed per reductionem, eoquod eſt fluens, & incompleta: ita ſimiliter character non eſt proprie in genere, vel ſpecie, ſed reducitur ad ſecūdam ſpeciem qualitatis, quia eſt potentia non quidem fluida, & facile tranſiens, ſed incompleta, & inſtrumentalis, vtpote quædam deriuatio, ac participatio plenitudinis poteſtatis Chriſti.

Tertia concluſio, in ſolutione ad tertium: quamuis ſignum formaliter importet relationem: tamen character non eſt in genere relationis formaliter, quia nō importat ipſam relationem ſigni, ſed eius fundamentum, quod eſt potentia ſpiritualis animæ impreſſa.

Digitized by Google

ARTIC. III.

Vtrum character ſacramẽtalis ſit character Chriſti?

4.d 4.q.1 a.2 & ar. 3.q.5. AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod character ſacramentalis non ſit character Chriſti. Dicitur enim Epheſ. 4. Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis. Sed conſignatio importatur in nomine characteris. Ergo character ſacramentalis magis debet attribui Spiritui ſancto quam Chriſto.

2 Præterea, Character habet rationem ſigni. Eſt autem ſignum gratiæ, quæ per ſacramentum confertur: gratia autem infunditur animæ â tota Trinitate. Vnde dicitur in Pſalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ergo videtur, quod character ſacramentalis non debeat ſpecialiter attribui Chriſto.

3 Præterea, Ad hoc aliquis characterem accipit, vt eo â cæteris diſtinguatur. Sed diſtinctio ſanctorum ab alijs fit per charitatem, quę ſola diſtinguit inter filios regni, & filios perditionis, vt Auguſt dicit 15. de Trinit. vnde & ipſi perditionis filij characterem beſtiæ habere dicuntur: vt patet Apocal. 13. Charitas autem non attribuitur Chriſto, ſed magis Spiritui ſancto: ſecundum illud Roman. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vel etiã Patri, ſecundum illud 2. ad Corinth. vltim. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei. Ergo videtur, quod character ſacramentalis, non ſit attribuendus Chriſto.

lib. 15. c. 18. in princ. to. 3.

Sed contra eſt, quod quidam ſic definiunt characterem: Character eſt diſtinctio â charactere æterno impreſſa animæ rationali, ſecundum imaginem conſignans Trinitatem creatam Trinitati creanti, & recreãti, & diſtinguens â non configuratis ſecundum ſtatum fidei. Sed character æternus eſt ipſe Chriſtus: ſecundum illud ad Hebr. 1. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura, vel character ſubſtantiæ eius. Ergo videtur, quod character ſit proprie attribuendus Chriſto.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex ſupra dictis patet *, character proprie eſt ſignaculum quoddã, art. 1. huius q. quo aliquid inſignitur, vt ordinatũ in aliquem finem: ſicut charactere inſignitur denarius ad vſum commutationum, & milites charactere inſigniuntur, quaſi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem, & principaliter ad fruitionem glorię. Et ad hoc inſignitur ſignaculo gratiæ, ſecundum illud Ezech. 9. Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium. Et Apocal. 7. Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Secundo autem deputatur quiſque fidelis ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinẽt ad cultum Dei: & ad hoc proprie deputatur character ſacramentalis. Totus autem ritus Chriſtianæ religionis deriuatur â Sacerdotio Chriſti. Et ideo manifeſtum eſt, quod character ſacramentalis ſpecialiter eſt character Chriſti, cuius ſacerdotio configurantur fideles ſecundum ſacramen-

cramentales characteres: qui nihil aliud ſunt, quam quædam participationes ſacerdotij Chriſti, ab ipſo Chriſto deriuatæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Apoſtolus ibi loquitur de *coſignatione, ſecundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quæ fit per gratiam: quæ Spiritui ſancto attribuitur, in quantum ex amore procedit, quod Deus nobis aliquid gratis largiatur: quod ad rationem gratiæ pertinet. Spiritus autem ſanctus amor eſt: vnde & 1. ad Cor. 12. dicitur, Diuiſiones gratiarũ ſunt, idem autem Spiritus.

al. configuratione.

Ad ſecundum dicendũ, quod character ſacramentalis eſt res reſpectu ſacramenti exterioris, & eſt ſacramentum reſpectu vltimi effectus. Et ideo dupliciter poteſt aliquid characteri attribui. Vno modo ſecundum rationem ſacramenti: & hoc modo eſt ſignum inuiſibilis gratiæ, quæ in ſacramento confertur. Alio modo ſecundum propriam rationem characteris: & hoc modo eſt ſignum configuratiuum alicui principali, apud quem reſidet auctoritas eius ad quod aliquis deputatur: ſicut milites qui deputantur ad pugnam, inſigniuntur ſigno ducis: quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum Chriſtianum, cuius auctor eſt Chriſtus, characterem accipiunt, quo Chriſto configurantur. Vnde proprie eſt character Chriſti.

Ad tertium dicendum, quod charactere diſtinguitur aliquis ab alio, per comparationem ad aliquem finem, in quem ordinatur qui characterem accipit: ſicut dictum eſt * de charactere militari, quo in ordine ad pugnam diſtinguitur miles Regis â milite hoſtis. Et ſimiliter character fidelium eſt, quo diſtinguuntur fideles Chriſti â ſeruis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præſentis eccleſiæ. Quorum primum fit per charitatem & gratiam, vt obiectio procedit: ſecundum autem fit per characterem ſacramentalem. Vnde, & character beſtiæ intelligi poteſt per oppoſitum, vel obſtinata malitia, qua aliqui deputantur ad pœnam æternam, vel profeſsio illiciti cultus.

ar. 1. hui9 q.

3 Concluſio eſt affirmatiua. Cuius ratio eſt, quia character ſacramentalis eſt ſignaculum quo fideles deputantur ad ea munia, quæ ſunt cultus Chriſtiani: ergo cum totus ritus Chriſtianæ religionis deriuetur à ſacerdotio Chriſti, cui cõfigurantur fideles, propterea talis character ſpecialiter dicitur Chriſti, ſicut ſignaculum illud quo milites deputantur ad militiam, dicitur illius principis, vel ducis, cuius eſt militia.

Pro cuius declaratione ſciendum eſt, fideles ad duos fines deputari, ſcilicet fruitionem gloriæ: & ſecundo ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinent ad cultum Chriſtianæ religionis, ſiue ad actus huic Eccleſiæ militanti conuenientes.

Et quidem ad primum, inſigniuntur ſignaculo prædeſtinationis æterno, de quo dicitur ſecundæ ad Timotheum ſecundo: *Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, nouit Dominus qui ſunt eius.* Necnon inſigniuntur in tempore dono Spiritus ſancti, quod eſt gratia, & charitas, de quo propterea dicitur Ezechielis nono, *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium.* Et Apocalypſis ſeptimo: *Nolite nocere terræ, & mari, nec arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Et propterea etiam Spiritus ſanctus ratione huiuſmodi donorum, dicitur ſignaculum noſtrum, vt ſecundæ ad Corinthios primo: *Qui vnxit nos Deus eſt, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et ad Epheſios primo: *In quo, & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, & c. 4. *Nolite contriſta*

re

te Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis. Quia ſicut pecudes ſpeciali charactere ſui Domini inſigniuntur, vt à cæteris diſtinguantur: ita Spiritus ſanctus ſuis donis oues Chriſti conſignat, vt à cæteris, ſcilicet reprobis diſcriminentur.

Ad ſecundum vero munus, ſiue finem inſigniũtur fideles charactere ſacramentali, qui propter rationem aſsignatam dicitur character Chriſti.

ART. IIII.

Vtrum character inſit potentijs animæ ſicut in ſubiecto?

4.d.4.q.1 a.1.co.& ar.3.q.3. AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod character nõ ſit in potentijs animæ ſicut in ſubiecto. Character enim dicitur eſſe diſpoſitio ad gratiam. Sed gratia eſt in eſſentia animæ ſicut in ſubiecto, vt in 2. par. dictum eſt *. *part.2. q. 110.ar.4.* Ergo videtur, quod character ſit in eſſentia animæ, non autem in potentijs.

2 Præterea, Potentia animæ nõ videtur eſſe ſubiectum alicuius, niſi habitus, vel diſpoſitionis. Sed character (vt dictum eſt *) *ar.2.huius q.* non eſt habitus, vel diſpoſitio, ſed magis potentia, cuius ſubiectum non eſt niſi eſſentia animæ. Ergo videtur, quod character non ſit ſicut in ſubiecto in potentia animę, ſed magis in eſſentia ipſius.

3 Præterea, Potentiæ animæ rationalis diſtinguuntur per cognitiuas, & appetitiuas. Sed non poteſt dici, quod character ſit tantum in potentia cognitiua, neque etiam tantũ in potentia appetitiua (quia non ordinatur, neque ad cognoſcendum tãtum, neque ad appetendum) ſimiliter etiam non poteſt dici quod ſit in vtraque, quia idem accidens non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis, Ergo videtur, quod character non ſit in potẽtia animæ ſicut in ſubiecto, ſed magis in eſſentia.

Sed contra eſt, quod (ſicut in præmiſſa definitione * characteris *ar. præced. in arg. ſed contra.* continetur) character imprimitur animę rationali ſecundum imaginẽ. Sed imago Trinitatis in anima attenditur ſecundum potentias. Ergo character in potentijs animę exiſtit.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) character eſt quoddam ſignaculum, quo anima in- *ar. præced.* ſignitur ad ſuſcipiendũ, vel alijs tradendum ea, quæ ſunt diuini cultus. Diuinus autem cultus in quibuſdam actibus conſiſtit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animę, ſicut eſſentia ordinatur ad eſſe. Et ideo character non eſt ſicut in ſubiecto in eſſentia animæ, ſed in eius potentia.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubiectum alicui accidenti attribuitur ſecundum rationem eius ad quod propinque diſponit: non autem ſecundum rationem eius, ad quod diſponit remoté, vel indirecté. Character autem directê quidem, & propinque diſponit animam ad ea, quę ſunt diuini cultus exequenda: & quia hæc idoneê non fiunt ſine auxilio gratiæ (quia vt dicitur Ioann. 4. Eos qui adorant Deum, in ſpiritu, & veritate adorare oportet) ex conſequenti diuina largitas recipientibus characterem, largitur gratiam, per quã digne impleant ea, ad quæ deputantur. Et ideo characteri magis eſt attribuendum ſubiectum, ſecũdum rationẽ actuum ad diuinum cultum pertinentium, quam ſecundum rationem gratię.

Ad

Ad ſecundum dicendũ, quod eſſentia animæ eſt ſubiectum potentiæ naturalis, quæ ex principijs eſſentiæ procedit. Talis autem potentia non eſt character, ſed eſt quædam ſpiritualis potentia, ab extrinſeco adueniens. Vnde ſicut eſſentia animæ, per quam eſt naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima ſpiritualiter viuit: ita potentia naturalis animæ perficitur per ſpiritualem potentiam, quæ eſt character. Habitus enim, & diſpoſitio pertinent ad potentiam animæ: eo quod ordinantur ad actus, quorum potentię ſunt princiqia. Et eadem ratione omne quod ad actum ordinatur, eſt potentiæ tribuendum.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) character ordinatur ad ea quæ ſunt diuini cultus. Qui quidem eſt quædam fidei-proteſtatio per exteriora ſigna. Et ideo oportet, quod character ſit in cognoſcitiua potentia animæ, in qua eſt fides. *in corp. ar.*

4 RESpondet Angelicus præceptor affirmatiue: eo quod potẽtiæ animæ ſunt quæ immediate, & proxime ad actus ordinantur, & character etiam ordinatur ad ea quę ſunt diuini cultus, qui in actibus quibuſdam conſiſtit: & in ſolutione ad tertium ſubdit, characterẽ potius ſubiectari in potẽtia cognoſcitiua, in qua eſt fides quam in appetitiua, eo quod ordinatur ad diuinũ cultum, qui eſt quædam proteſtatio per exteriora ſigna.

ART. V.

Vtrum character inſit animæ indelebiliter?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod character nõ inſit animæ indelebiliter. Quanto enim aliquod accidens eſt perfectius, tanto firmius inhæret. Sed gratia eſt perfectior, quam character: quia character ordinatur ad gratiam ſicut ad vlteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatũ. Ergo multo magis character. *4. d. 4. q. 1. ar. 3. q. 4. & Ro. 7. col. 2.*

2 Præterea, Per characterem aliquis deputatur diuino cultui, ſicut dictum eſt *. Sed aliqui â cultu diuino tranſeunt ad contrarium cultum, per apoſtaſiam â fide. Ergo videtur, quod tales amittant characterem ſacramentalem. *ar. 1. & 2. huius q.*

3 Præterea, Ceſſante fine, ceſſare debet, & id quod eſt ad finem, alioquin fruſtra remanet: ſicut poſt reſurrectionem non erit matrimonium, quia ceſſabit generatio, ad quã ordinatur matrimonium. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, ſed totũ in nuda veritate. Ergo character ſacramentalis non manet in perpetuũ in anima, & ita non ineſt indelebiliter.

Sed contra eſt, quod Auguſtin. dicit * in 2. contra Parmenianum: Non minus hærent ſacramenta Chriſtia- *lib. 2. c. 13. â medio, to mo 7.*

Chriſtiana, quam corporalis nota militiæ. Sed character militaris non repetitur, ſed agnitus approbatur in eo qui veniam meretur ab Imperatore poſt culpam. Ergo nec character ſacramentalis deleri poteſt.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) character ſacramentalis eſt quædam participatio ſacerdotij Chriſti in fidelibus eius: vt ſcilicet ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis ſacerdotij poteſtatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu ſacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum. Et propter hoc etiam Chriſto non competit habere characterem: ſed poteſtas ſacerdotij eius comparatur ad characterem, ſicut id quod eſt plenum, & perfectũ, ad aliquam ſui participationem. Sacerdotium autem Chriſti eſt æternum: ſecundum illud Pſalm. 109. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Et inde eſt, quod omnis ſanctificatio, quæ fit per ſacerdotium eius, eſt perpetua, re conſecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam Eccleſiæ, vel altaris manet conſecratio ſemper, niſi deſtruatur. Cum igitur anima ſit ſubiectum characteris ſecundum intellectiuam partem, in qua eſt fides, (vt dictum eſt *) manifeſtum eſt, quod ſicut intellectus perpetuus eſt, & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.

art. 3. huius q.

art. præce. ad 3. argumeut.

Ad primum ergo dicendum, quod aliter eſt in anima gratia, & aliter character. Nam gratia eſt in anima ſicut quædam forma habens eſſe completum in ea: character autem eſt in anima, ſicut quædam virtus inſtrumentalis: vt ſupra dictum eſt. * Forma autem completa eſt in ſubiecto, ſecundum conditionem ſubiecti: & quia anima eſt mutabilis ſecundum liberum arbitrium, quandiu eſt in ſtatu viæ, conſequens eſt, quod gratia inſit animæ mutabiliter. Sed virtus inſtrumentalis magis attenditur ſecundum conditionem principalis agentis: & ideo character indelebiliter ineſt animæ, non propter ſui perfectionem, ſed propter perfectionem ſacerdotij Chriſti, à quo deriuatur character, ſicut quædam inſtrumentalis virtus.

art. 2.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit ibidem, *, Nec ipſos apoſtatas videmus carere baptiſmate: quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe iudicatur. Et huius ratio eſt: quia character eſt virtus inſtrumentalis, vt dictum eſt *. Ratio autem inſtrumenti conſiſtit in hoc quod ab alio moueatur: non autem in hoc quod ipſum ſe moueat, quod pertinet ad voluntatem. Et ideo quantumcumque voluntas moueatur in contrarium, character non remouetur, propter immobilitatem principalis mouentis.

lib. 1. cont. Dona. parum à princ. to. 7.

In ſolutio. præc.

Ad tertium dicendum, quod quamuis poſt hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo poſt hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiã militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam, & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui ſunt victi, ad pœnam.

Reſpon-

RESpondet ſanctus Doctor affirmatiue, eo quod omnis ſanctificatio, quæ fit per Sacerdotium Chriſti eſt perpetua, re conſecrata manente, vt patet in rebus inanimatis cultui diuino deſeruiẽtibus, quæ poſtquam ſemel conſecratę ſunt, manet in illis conſecratio quandiu integræ perſeuerant, & merito quia cum Sacerdotiũ Chriſti ſit æternum, iuxta illud Pſalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*, cõſequens eſt quãcumque conſecrationem factam in virtute Sacerdotij Chriſti, perpetuam quoque debere eſſe, ſed character ſacramentalis eſt quædam participatio Sacerdotij Chriſti æterni in eius fidelibus ſecundum animæ partem in corruptibilem, hoc eſt ſecundum intellectum: ergo eſt perpetuus, & indelebilis.

Minor pro prima parte patet, quia Chriſto conuenit habere non characterẽ, ſed totam plenitudinẽ ſacerdotij, ſiue plenam ſacerdotij poteſtatem reſpectu ſacramentorum, & diuini cultus, vt ſupra quæſtione 22. oſtendimus, cuius proinde participatio eſt character, per quẽ fideles ad miniſterium ſacramentorum deputantur, & conſecrantur.

Pro ſecũda vero parte patet, quia ſubiectum immediatum characteris eſt potẽtia intellectiua, vt conſtat ex art. præcedente, quæ eſt incorruptibilis pariter, atque anima rationalis.

ARTIC. VI.

Vtrum per omnia ſacramenta nouæ legis imprimatur character?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod per omnia ſacramenta nouæ legis imprimatur character. Per omnia enim ſacramenta nouæ legis fit aliquis particeps ſacerdotij Chriſti. Sed character ſacramentalis nihil eſt aliud, quã participatio ſacerdotij Chriſti: vt dictum eſt *. Ergo videtur, quod per omnia ſacramenta nouę legis imprimatur character.

Inf q. 72. a 5 & 4. d. 4. q. 1. ar. 4 q 2. & 3. & q. 3. a. 1. q 5. & d. 7 q. 2 a. 1 q. 1 & q. 3. ar. 3. q. 3. & d. 23. q. 1. art. 1. q 3.

2 Præterea, Character ſe habet ad animam in quã eſt, ſicut conſecratio ad res conſecratas. Sed per quolibet ſacramentum nouę legis homo recipit gratiam ſanctificantem, vt ſupra dictum eſt. * Ergo videtur, quod per quodlibet ſacramentũ nouæ legis, imprimatur character.

** Ar. 3. & 5. huius q.*

** q. præced. ar. 1.*

3 Præterea, Character eſt res, & ſacramentum. In quolibet autem ſacramento nouę legis eſt aliquid quod eſt res tantum, & aliquid quod eſt ſacramentum tantum, & aliquid quod eſt res & ſacramentum. Ergo per quodlibet ſacramentum nouę legis imprimitur character.

Sed contra eſt, quod ſacramenta in quibus imprimitur character, non reiterantur: eo quod character eſt indelebilis, vt dictum eſt *. Quædam autem ſacramenta iterantur, ſicut patet de pœnitentia, & matrimonio. Ergo non omnia ſacramenta imprimunt characterem.

ar. præced.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) ſacramenta nouę legis ad duo ordinantur, ſcilicet in remedium peccati, & ad cultum diuinum. Eſt autem omnibus ſacramentis commune, quod per ea exhibeatur aliquod remediũ contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autẽ omnia ſacramẽta ordinantur directè ad diuinum cultum: ſicut patet de pœnitentia, per quam homo liberatur à peccato: non autem per hoc ſacramentum exhibetur homini aliquid de nouo, pertinens ad

q. 62. ar. 1. & 5.

ad diuinum cultum, ſed reſtituitur in ſtatum priſtinum. Pertinet autem aliquod ſacramentum ad diuinum cultum tripliciter: vno modo per modum ipſius actionis: alio modo per modum agentis: tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipſius actionis pertinet ad diuinum cultũ Euchariſtia: in qua principaliter diuinus cultus conſiſtit, in quantum eſt Eccleſiæ ſacrificium. Et per hoc idem ſacramentum non imprimitur homini character: quia per hoc ſacramẽtum non ordinatur homo ad aliquid aliud vlterius agendum, vel recipiendum in ſacramentis: cum potius ſit finis, & conſummatio omnium ſacramentorum, vt Dionyſius dicit * 3. cap. Eccleſiaſt. hierarch. Continet tamen in ſeipſo Chriſtum, in quo nõ eſt character: ſed tota ſacerdotij plenitudo.

c. 3. eccl. hier. circa prin. illius.

Sed ad agentes in ſacramentis pertinet ſacramentum Ordinis: quia per hoc ſacramentum deputantur homines ad ſacramenta alijs tradenda. Sed ad recipientes pertinet ſacramentum baptiſmi. quia per ipſum homo accipit poteſtatem recipiendi alia Eccleſiæ ſacramenta. Vnde Baptiſmus dicitur eſſe ianua omnium ſacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio: vt infra ſuo loco dicetur.* Et ideo per hæc tria ſacramenta character imprimitur, ſcilicet per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem.

q. 72. a. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod per omnia ſacramenta fit homo particeps ſacerdotij Chriſti, vtpote percipiens aliquem effectum eius. Non tamen per omnia ſacramenta aliquis deputatur ad agẽdum aliquid, vel recipiendum, quod pertineat ad cultum ſacerdotij Chriſti. Quod quidem exigitur ad hoc quod ſacramentum characterem imprimat.

Ad ſecundum dicendũ, quod per omnia ſacramenta ſanctificatur homo, ſecundum quod ſanctitas importat munditiam à peccato, quæ fit per gratiam. Sed ſpecialiter per quædam ſacramenta, quæ characterẽ imprimunt, homo ſanctificatur quadã conſecratione, vtpote deputatus ad diuinum cultum. Sicut etiam res inanimatæ ſanctificari dicuntur, in quantum diuino cultui deputantur.

Ad tertium dicendum, quod licet character ſit res, & ſacramentũ, non tamen oportet omne id quod eſt res, & ſacramentum, eſſe characterem. Quid autem ſit res, & ſacramentum, in alijs ſacramentis infra dicetur.*

In materia cuiuſque in ſpeciali.

6 **CONcluſio eſt, quod per tria tantum ſacramenta character imprimitur; hoc eſt per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, & non per aliud: primam partẽ, ſeu exponentem dictę concluſionis excluſiuæ probat author ex duplici capite. Tũ, quia propterea hæc tria ſacramenta non ſunt iterabilia, quia imprimunt characterem, qui eſt indebilis. Tum etiam, quia hæc ſacramenta immediatè ordinantur ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ ſunt diuini cultus, ad quem finẽ character per ſe ordinatur.**

Secundam vero partem, ſiue exponẽtem negatiuam probat autor ex eodem duplici capite, vice verſa. Tum, quia reliqua ſacramenta iterabilia ſunt. Tum etiam, quia immediate ordinantur in aliquod remedium peccati, & non ad recipiẽdum, vel ad tradendum alijs ea, quæ ſunt diuini cultus. Etſi Euchariſtia ordinetur ad diuinum cultum per modum actionis, vtpote in qua principaliter diuinus cultus conſiſtit, in quantum eſt Eccleſiæ ſacrificium: ſed non per modum principij ad vlterius agendum, vel recipiendum.

Circa

Circa doctrinam traditam ab Angelico præceptore in tota hac quæſtione tria ſunt quæ Theologis ingerunt difficultatē circa characterem ſacramentalem, quatenus ex triplici cap. poſt conſiderari: nimirum & ex parte cauſæ efficientis, & ſecundum ſuam naturam, & ex parte ſubiecti in quo recipitur: quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: quænā ſacramenta habeāt vim efficiendi, ſiue imprimendi characterem in anima?

Solis ſacramentis nouæ legis cōceſſum eſt imprimere characterem.

7 IN Hoc dubio omnes Theologi conueniunt in duobus, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem primo in hoc quod imprimere characterem ſit propria excellentia ſacramentorum nouæ legis, quæ nullatenus ſacramentis legis veteris, ſiue ſcriptæ ſiue naturæ conuenit, eoquod illa ſacramēta per ſe, & ex opere operato nullum effectum ſpiritualem conferebant: etſi Deus ad præſentiam illorum gratiam conferebat, ſiue paruulis, ſiue adultis, quibus tunc non erat determinatū quoad externas cæremonias, ſed arbitrio hominum determinabatur, ad quem proinde non oportebat homines aliquo ſpeciali charactere diuinitùs infuſſo deſignari, ſed ſufficienter ad illum per fidem, vel characterem determinabantur: in lege autem ſcripta quāuis cultus diuinus quoad externas cæremonias eſſet determinatus: tamen quia nullam habebant ſpiritualem virtutem, nō oportebat fideles tunc inſigniri aliquo ſpirituali charactere impreſſo, ſed ſufficiebat illis ſignaculum circunciſionis, quo ad paſsiuum vſum ſacramentorum illius legis ſufficienter deputabantur: Sacerdotibus vero ad ſacramentorum actiuum miniſterium ſufficiebat externa conſecratio præterquam quod per carnalem originem ex Leui ab alijs tribubus diſtinguebantur.

Verum eſt, ſolum Scotum in quarto diſtinctione ſeptima quæſtione nona ab hac communi ſuppoſitione diſceſiſſe exiſtimantem per ſacramentum circunciſionis etiam imprimi ſpiritualem characterem.

Sed nullo fundamento, aut authoritate fulcitur, ac proinde nec eius exiſtimatio alicuius momenti eſt, & oppoſitum ſufficienter conuincit: tum communis Theologorum ſententia. Tum etiā Authoritas Diui Thomæ articulo primo huius quæſtionis in ſolutione ad tertium, & Chriſoſtomi homilia ſecunda in epiſtola ad Epheſ. dicentium ſignaculum illud circunciſionis tantum fuiſſe corporale, & externum, non ſpirituale, aut internum.

Non omnia ſacramenta nouæ legis imprimunt characterem.

8 Conueniunt ſecundo in eoquod non omnia ſacramenta nouæ legis imprimunt characterem, quia pro certo ſupponunt quatuor ſacramenta, nimirum Euchariſtiam, Pœnitentiam Extremam vnctionem, & Matrimonium non imprimere characterem.

Quam ſuppoſitionem colligunt: Tum ex Concilijs Florentin. & Tridentino, quæ dum de tribus alijs ſacramentis dumtaxat affirmant expræſſe imprimere characterem, tacite negant id de alijs quatuor.

Tum etiam à poſteriori, & ab effectu, quia illa quatuor ſacramenta ſunt iterabilia, & iterabilitas ſignū eſt non impreſſi characteris.

Tum denique ex congruentia quā adducit Diuus Thomas in artic. 6. nimirum quia huiuſmodi quatuor ſacramenta tantum ordinātur per ſe primo in aliquod remedium peccati, ex quo habent gratiam conſerre: non autem ordinantur per ſe ad recipiendum, vel tradendum alijs ea quæ ſunt diuini cultus, & ex hoc habent non imprimere characterem. Imò nec aliquem ornatum efficere in anima, qui ſit diſpoſitio ad gratiam vt antiqui Thomiſtæ voluerunt. Eoquod nulla eſt neceſsitas ponendi huiuſmodi ornatum, qui cum ſit ſupernaturalis ſine neceſsitate poni non debet. Nec vlla eſt authoritas Scripturę, aut Patrum quæ nos cogat ad aſſeuerandum talem ornatum conferri per omnia ſacramenta homini etiam indiſpoſito, & ficto. Et tandem nec gratia iuſtificans indiget alia diſpoſitione præter illam, quę in actibus hominis conſiſtit: ac proinde huiuſmodi ornatum fictitium eſſe oſtendimus quæſt. præced. art. 1. dubio 2.

Diſcri-

9 Diſcriminantur autem Theologi circa alia tria ſacramenta, nimirum baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem in duas ſententias: alij enim de quorum numero ſunt Durandus in quarto diſtinct. 4. quæſt. 1. Scotus vbi ſupra, & Gabriel ibidem quæſt. 2. art. 3. dub. 5. re ipſa negant characterem imprimi per hæc tria ſacramẽta, aut voce tenus illum admittunt, aut dubitanter de illo loquuntur: ſectarij tamen huius temporis, nimirum Lutheri, & Caluini ſequaces cum ſuo Vvicleph, vt refert Vualdenſis tom. 2. de ſacramentis c. 109. aperto marte negant verum imprimi characterem per quæcumque ſacramenta.

Tantum per tria ſacramenta imprimitur character.

10 Sed ſecunda ſententia, & communiter à Theologis recepta indubitate tenet per hæc tria ſacramenta imprimi characterem cum Diuo Thoma in hoc art. 6. Quæ proinde a nobis ſtatuitur pro concluſione certa ſecundum fidem. Et ſuadetur primo ex diffinitionibus Concilij Florentini in decreto Eugenij, & Tridentini ſeſs. 7. can. 9. vbi diffinitur de ſacramentis in genere, ſub his verbis: *Siquis dixerit in tribus ſacramentis Bapiiſmo, ſcilicet Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale. & indelebile: vnde ea iterari non poſſunt: anathema ſit.* Nec non ab Innocentio 3. in cap. *maiores* de baptiſmo.

Secundo probatur, nam certum, & de fide tenendum eſt axioma illud generale. quod Romana Eccleſia veram, & infalibilem doctrinam de ſacramentis profitetur, vt traditur in cap. *ad abolendam*, de hæreticis, & in Concilio Tridentino ſeſs. 7. can. 3. de Baptiſmo: ſed Romana Eccleſia vniuerſim cõſpirat in hanc veritatẽ, quod prædicta tria ſacramenta imprimunt characterem, quam proculdubio ex Apoſtolica traditione accepit: nec enim Eccleſia Romana aliquam nouam veritatẽ de fide diffinit: niſi vel quæ in ſacra Scriptura, vel in Apoſtolicis tradditionibus continetur: ergo.

Tertio probatur a Suario hic diſp. 11. ſectione. 1. ex illis teſtimonijs Scripturæ, ſecundæ ad Corinth. 1. ad Epheſ. 1. & 4. quæ in commentario art. 3. adduximus, quaſi in illis, verba *Vnxit, ſignauit, & dedit pignus ſpiritus, &c.* denotent impreſſionem characteris Baptiſmi ſaltem, & Cõfirmationis.

Sed hoc argumentum debile eſt, quia huiuſmodi teſtimonia congruenter intelliguntur de conſignatione gratiæ, & charitatis per quam homines iuſti deputãtur ad futuram gloriam. Vnde D. Thoma in dicto art. 3. ad primum reſpondet locum illum Pauli ad Epheſ. 1. *Nollite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*, intelligendum eſſe de conſignatione ad futuram gloriam per gratiam, quæ attribuitur Spiritui ſancto in quantum ex amore procedit.

Eademque eſt ratio interpretandi reliqua teſtimonia in eodem ſenſu. Vnde hoc argumento reiecto melius, & efficacius eſt, quod deſumitur ex communi Sanctorum Patrum conſenſu. Nam de baptiſmo quod imprimat characterẽ, ſiue ſpeciale ſignaculum docent Baſilius in lib. de Spiritu ſancto cap. 12. Cirylus Hieroſolymitanus cathecesi 3. & 4. Nazianzenus oratione 4. in Sãctum baptiſma, & Auguſtinus lib. 2. contra Gaudentium cap. 4. & lib. 6. de baptiſmo cap. 1. de charactere autem Confirmationis loquuntur idem Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani capit. 104. Ciprianus in ſermone de ablutione pedum, & Hieronymus ſecundæ ad Corinthios primo ad illud: *Qui vnxit nos Deus Spiritu ſancto, &c.* Et tandem de charactere Ordinis mentionem facit idem Auguſtinus in dicto lib. 2. contra literas Petiliani cap. 13. & in lib. de bono coniugali, cap. 24. dum ait, ſacramentum Ordinationis manere, etiam ſiquis propter culpam ab officio remoueatur, & Gregorius Niſenus in lib. de baptiſmo: quorum teſtimonia latius referunt Suarius in dicta ſectione prima, & Vazquius diſp. 134. cap. 1. à quibus proinde ſuperſedendum duximus.

Quartum argumentum, & veluti a priori procedens deſumitur ex Chriſti inſtitutione, qui potuit hanc virtutem tribuere his tribus ſacramentis: & alias congruum fuit, vt eis illam tribueret propter congruentiam adductam a Diuo Thoma art. 1. & 6. huius quæſtionis: quæ a nobis ſufficienter relinquitur explicata: ergo.

Expeditur quid prius imprimatur, gratia an character.

11 Sed rogabis quem huiuſmodi tria ſacramenta effectum per ſe primo operentur, gratiam, ne aut characterem? Huic interrogationi varijs modis reſpondent Theologi.

Aliqui enim reſpondent per ſe efficere characterem. Quibus fauet Angelicus præceptor, dum in articulo 1. & 6. ait, ſacra-

ſacramẽta per ſe primo ordinari, ad ea quæ ſunt diuini cultus. Alij vero reſpondent, Baptiſmum quidem, & confirmationẽ per ſe primo ordinari ad conferendam gratiã ſanctificantem, & illam prius natura conferre in ſubiecto diſpoſito, quam characterem: eo quod character conſequitur fidẽ, eſt enim ſignum ſanctæ communionis fidei, &c. ac per conſequens ex conſequenti conferre characterem ad participanda alia ſacramenta. Sacramẽtum vero ordinis per ſe primo inſtitutum fuiſſe ad conferendum ſpiritualem poteſtatem ordinis, quæ datur per impreſsionem characteris: gratiam autem conferre ex conſequenti, nimĩrum ad digne exercendos actus illius poteſtatis: nam licet gratia ſecundum ſe perfectior ſit, tamen in hoc ſacramento datur propter officium, ſiue miniſterium ſacerdotale. Soto deniquè in 4. d. 1. q. 4. art. 4. reſpondet generaliter omnia ſacramenta per prius ordinari ad conferendam gratiam, quam characterem, eo quod principalius inſtituta ſunt in remedium peccati, quod præſtant conferendo gratiam: licet in his tribus ſacramentis, quæ imprimunt characterem, ex conſequenti ordinetur gratia per diuinam prouidentiam ad bonum vſum characteris. Suarius autem in loco nuper allegato inquit quod licet phiſice loquendo nullus ſit ordo cauſalitatis, inter has duas qualitates, ac proinde neutra priuſquam altera phiſice producatur: ſiquidem neutra ab altera dependet: manet autem character ſine gratia iuſtificante: & hæc connaturali modo manet, etiam ſine charactere. Loquendo tamen moraliter, prius natura datur character, per hæc tria ſacramenta, quam gratia ſacramentalis, quia hæc characterem requirit, & non ècontra: nemini enim datur gratia per hæc ſacramenta, cui non detur character: multis autem datur character, quibus non datur gratia, quod inductione probat. Nã in ſacramento ordinis datur gratia ſacramentalis ad bonum vſum actiuum diuini cultus: quæ quidem gratia ſupponit poteſtatem, & facultatem ad exercendos actus talis cultus. Similiter in ſacramento Confirmationis, prius eſt hominem conſignari in militem fidei Chriſtianæ, quam illi conferri auxilia, & arma ad militandum neceſſaria.

Quapropter prius ſaltem ordine executionis eſt impreſsio characteris, quã collatio gratię, licet ordine intẽtionis prius natura conferatur iſta quam ille, & pariter in Baptiſmo, qui eſt ianua ad ſacramenta, prius natura datur character, qui ſimiliter eſt quædam potentia moralis paſsiua ad alia ſacramenta, ac proinde etiam eſt veluti potentia ad recipiendam gratiam ſacramentalem ipſius Baptiſmi.

Sed hęc diſtintio generis phiſici, & moralis non videtur habere locum in ſacramentis ad intentum huius authoris. Eo quod moralitas in illis non eſt alia, niſi quam habent ex diuina ordinatione, & inſtitutione: quod autem illis conuenit ex hoc cap. re vera eis intrinſece, & eſſentialiter conuenit, refunditurquè in eorum veluti phiſicam naturam, ſi quam habent. Quemadmodũ, id quod conuenit alijs ſignis ad placitum ex imponentis inſtitutione, & ordinatione, pertinet intrinſece ad ipſorum naturam, quæ tota ex tali impoſſitione, inſtitutione, & ordinatione dependet.

12 Quare congruentior, & veritati conformior, videtur modus dicendi, quẽ ſequitur Soto, & ipſe Suarius impugnare conatur, cum moderamine, quo idem Soto ſuam priorem ſententiam quam docuerat in 4. d. 1. q. art. 4. moderatur poſtea d. 24. q. 1. art. 2. dicens: quod licet in alijs ſacramentis per prius ſaltem ordine intentionis nedum moraliter, ſed etiam phiſice cõferatur gratia ſacramentalis, quam character, eo quod illa ſecundum ſe eſt forma præſtantior iſto, & ideò per prius intenta, verumtamen in ſacramento ordinis ex diuina ordinatione, & inſtitutione per prius confertur character: quia finis huius ſacramenti non fuit ſanctificare ſuſcipientem, quatenus eſt perſona priuata, ſed dare ei publicam poteſtatem ad vſum actiuum diuini cultus. Vnde, & forma huius ſacramẽti in ſacerdotio tantum explicat poteſtatẽ huiuſmodi, dicitur enim in illa prout decernitur à Concilio Florentino in inſtructione Armenorum. *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, & ſimiliter in formis aliorum ordinum explicatur ſolum poteſtas quæ in illis confertur, prout latè in Pontificali Romano continetur: cum autem ſacramenta nouæ legis id efficiant, quod ſignificant: conſequens eſt, quod illud primario, hoc eſt ex primaria intentione efficiunt, quod magis explicite, ſiue principalius ſignificant.

Dubium ſecundum eſt: An character ſit qualitas ſupernaturalis, & in qua ſpecie qualitatis debeat collocari?

13 IN quo dubio diſcriminantur Theologi in quatuor ſētētias. Prima eſt Durādi in 4. diſt. 4. quæſtion. 1. dicentis characterem eſſe relationem rationis, ſiue denominationem extrinſecam, per quam ex inſtitutione diuina deputatur aliquis ad ſacras actiones. Quæ poteſt ſuaderi dupliciter. Tum, quia huiuſmodi relatio, ſeu extrinſeca denominatio ſufficiens eſt ad talem deputationem, & vſum, quemadmodum apparet in alijs titulis dignitatum; nimirum, magiſtratus, regis, prætoratus, magiſterij, &c. qui per ſolam relationem rationis, aut extrinſecam denominationem, quam ponunt in ſubiectis, ea ſufficienter ordinant ad reales operationes talium officiorum: ergo.

Tum etiam, quia ſacramenta ſunt formaliter in genere ſigni ad placitum, ac proinde in genere relationis rationis, teſte D. Thoma, ſupra quæſtion. 60. articul. 2. ſed character eſt etiam in genere ſacramenti; ſiquidem eſt res, & ſacramentum ſimul reſpectu eorum ſacramentorum, per quæ cōfertur. Vnde, & Diu. Thom. in art. 2. huius quæſtionis in ſolutione ad quartum inquit: quod character habet rationem ſigni per comparationem ad ſacramentum ſenſibile à quo imprimitur: ergo.

Secunda ſententia eſt Scoti in eodem 4 diſtinction. 6. quæſtion. 10. aſſerentis characterem eſſe quidem relationem: non tamen rationis, ſed realem; eo quod eſt quoddam ſignum, vt traddunt concilia, & ex hoc cap. eſt quid relatiuum; ex alio vero quando ordinatur ad reales actus, & imprimitur per realem actionem ſacramenti habet, quod ſit quid reale.

14 Tertia ſententia eſt Marſilij in 4. quæſtion. 4. artic. 1. aſſerentis characterem eſſe qualitatem ſupernaturalem quartæ ſpeciei, quæ dicitur figura: eo quod eſt quædam ſpiritualis configuratio. Vnde ad Hebræos 1. vbi dicitur; *figura ſubſtantiæ eius*, in Græco habetur character ſubſtantiæ eius, quaſi idem ſit figura, atque character.

15 Quarta ſententia eſt Suarij in dicta diſput. 11. ſectione 3. & Vazquij, diſp. 134. cap. 3. & aliorū Iuniorum, qui ſequuti Alenſem, 4. part. queſtion. 19. mēbro . . art. 2. & Bonauenturam in 4. diſtinction. 6. art. 1. quæſtion. 1. dicunt characterem eſſe qualitatem primæ ſpecie. ſcilicet habitum, ſeu diſpoſitionem conuenientem ipſi animæ, & formaliter perficientem illam, ſine vllo ordine ad operationes.

Quorum fundamentum eſt, quia ratio potentiæ phiſicæ actiuæ, ſiue paſsiuæ, neutiquam poteſt, vt ipſis videtur, conuenire characteri, niſi quædam ratio potentiæ moralis, & metaphoricè dictæ in ordine ad actus diuini cultus: vtpote, quia nullus eſt ad quem character per ſe phiſice ordinetur: & qui ſine illo non poſsit modo connaturali produci, & cum aliàs non ſit de ratione habitus, ſeu diſpoſitionis diſponere ſubiectum in ordine ad aliquam operationem: dantur enim plures habitus, qui tantum habent diſponere ſubiectum, vt conuenienter ſe habeat in ſe, cuiuſmodi ſunt pulchritudo, ſanitas, & ſimiles aliæ corporis diſpoſitiones: hinc eſt quod character, nec eſt potentia phiſica, nec habitus operatiuus: ſed habitus, ſiue diſpoſitio permanens diſponens animam ſuſcipientis, vt bene ſe habeat in ſe phiſice loquendo: moraliter autem in ordine ad actiones diuini cultus.

16 Sed quinta, & vera ſententia à nobiſquè tenenda eſt Diui Thomæ in art. 2. huius quæſtionis aſſerentis: characterem eſſe qualitatem ſupernaturalem ſecundæ ſpeciei, hoc eſt potentiæ actiuæ, ſiue paſsiuæ, quam etiam ſequitur Ricardus in 4. diſtinction. 5 articul. 2. quæſtion. 1. ad tertium, Capræolus, diſtinction. 4. queſtion. 1. articul. 3. Caietanus, & alij diſcipuli Angelici Doctoris. A qua nec multum diſſentit Scotus vbiſupra dicens, ſub diſiunctione, quod ſi character eſt qualitas abſoluta, debet eſſe potentia, vel habitus. Quæ proinde ſententia probatur à ſufficienti aliarum impugnatione. Prima, namquè impugnatur tripliciter, tū authoritate Innocentij tertij, in cap. *maiores* de Baptiſmo dicentis, quod characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum

obi-

Digitized by Google

obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem, nec non Concilij Florentini, & Tridentin. decernentium characterem eſſe ſpirituale ſignum animæ impræſſum: quæ nequeunt de relatione rationis, vel denominatione extrinſeca verificari: quia hæc nec ſunt aliquid ſpirituale, nec animæ inhærent, nec imprimuntur per actionem realem: ergo.

Tum etiam, quia alias non magis ſacramentum ordinis in lege noua imprimeret characterem, quam ſacerdotiũ in lege veteri, ſiquidem etiam ibi fiebat deputatio, & conſignatio quædam extrinſeca: ac per conſequens aliqua ſignificatio, & relatio rationis. Tum deniquè, quia in re nihil differt ſententia Durandi à ſententia hæreticorum negantium imprimi verũ characterem per dicta tria ſacramenta: quam tamen concilia voluerunt directe damnare: ſiquidem nec præfati ſectarij negarent per talia ſacramenta fieri extrinſecam deputationem, & relationem rationis.

Ex quibus facile reſpondetur ad primum fundamentum Durandi, negando antecedens, & ſimiliter ad ſecundum dicendum eſt, quod character non appellatur à Diuo Thoma, ſignum ſimpliciter: ſed tantum ſecundum quid, & cum addito, ideſt per comparationem ad ſacramentum ſenſibile: & ideo ſubdit Diu. Thom. quod ſecundum ſe conſideratus, habet rationem principij: & in ſolutione ad tertium dixerat, quod non eſt in genere relationis, ſicut quidam poſſuerunt: ſed potius ſupponit pro fundamento relationis, quæ importatur nomine ſigni. Igitur quamuis ſacramentum tantum, quod eſt ſacramentum ſimpliciter, ſit formaliter in genere ſigni, & relationis: ſacramentum autem ſecundum quid, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, cuiuſmodi eſt character, nec eſt, nec conſtituitur à Diuo Thoma formaliter in genere relationis, aut ſigni: ſed in genere qualitatis, quæ fundat talem relationem, & eſt principium operandi, vel recipiendi. Vnde hæc ſententia Durandi rebus vt nunc, non poteſt à nota erroris in fide purgari.

17 Deinde ſecunda opinio Scoti, etiam deficit à veritate propter tria. Tũ ratione facta à Capræolo, & Caietano vbi ſupra: nimirum, quia character eſt terminus per ſe primò productus per propriam, & realem actionem, vt patet præcipuè, quando ſolus imprimitur per ſacramentum, ſine gratia ſanctificante, vel alia qualitate. Tunc enim nec concomitanter, nec conſequenter ad aliam formam cõproducitur: relatio autem realis non poteſt per ſe primo fieri per actionem: quia ad relationem non datur per ſe motus: ergo.

Tum etiam, quia aut eſſet relatio ſigni naturalis, vel ſigni ad placitum; ſi ſecundum: ergo eſſet relatio rationis: hãc enim ſolum accipiunt ſigna ad placitum ex impoſitione & ordinatione extrinſeca inſtituentis. Si primum: ergo talis relatio non diſtingueretur à relatione effectus, ſiue cauſæ habentis naturalem habitudinem, ſiue connexionem cum re, quam ſignificat; nam in huiuſmodi dumtaxat poteſt fundari relatio ſigni naturalis, quæ ſemper ſupponit naturam, ſiue entitatem abſolutam, cui talis connexio, ſeu habitudo debeatur: ergo in hac entitate abſoluta, & non in relatione ſigni conſiſtit character.

Tum denique, quia talis relatio realis prædicamentalis, ſine fundamento ſaluari non poteſt; at qui nullum fundamentum ei aſsignabile eſt; nec enim gratia, aut fides, aut alia qualitas infuſa animæ poteſt eſſe fundamentum talis relationis; ſiquidem deficientibus omnibus iſtis, poteſt manere character; nec ſola anima poteſt talem relationem fundare; alioquim poſsito aliquo termino, in ipſa anima talis relatio reſultaret.

Nec ſufficit eſſugium Scoti dicentis, hanc relationem fundari in ſola anima, nõ tamen reſultare ex illa, ſuppoſita exiſtentia termini, quia non eſt intrinſecus, ſed extrinſecus aduenieus. Hæc enim ſolutio eſt manifeſta petitio principij, & pugnans cum natura relationis prædicamentalis, vt poſsito fundamento, & termino, non reſultet naturaliter, ſed extrinſecus adueniat. In idemquè coincidit, atquè ſi dicat Scotus iſtam relationem non habere fundamentum ad quod ſequatur, ſed ſubiectum dumtaxat in quo recipiatur.

Tertia autem ſententia ſufficienter impugnatur à Diuo Thoma, hic articulo ſecundo ad primum, eo quod figura propriè dicta, & non metaphorice non poteſt reperiri in rebus ſpiritualibus, quia eſt proprietas quantitatis reſultans ex eius terminis, tamquam terminatio quædam ipſius quantita-

tis: character autem eſt qualitas ſpiritualis, quæ ſolum metaphorice dicitur figura: in quantum nos configurat Chriſto ad inſtar figuræ, aut ſigilli corporalis rebus materialibus impreſsi, eas conſignantis.

19 Deniquè quarta ſententia impugnatur. Tum quia expræſſe aduerſatur Angelico præceptori, qui in ſpecie ſecunda qualitatis ſcilicet naturalis potentiæ, ſiue impotentiæ: hoc eſt potentiæ actiuæ, aut paſsiuæ conſtituit characterem reductiue: aut propter rationem Richardi: nimirum, quia qualitates ſupernaturales nō conueniunt vniuoce in vno prædicamento cum qualitatibus naturalibus, vt etiam nos docuimus, libro quinto metaphyſice, aut potius propter rationem, quam innuit ipſe Angelicus Doctor: nimirum, quia cum ſit virtus quædam incompleta, & inſtrumentalis, propterea ad ſpeciem potentiæ pertinet reductiue.

Tum etiam, quia character eſt qualitas ſpiritualis, & ſupernaturalis, vt ipſi authores quartæ ſententiæ fatentur: & aliàs eſt permanens ex natura ſua, quia eſt indelebilis; vt probat Diuus Thomas, articul. 5. & aliàs ſubiectiue eſt in intellectu: ergo eſt qualitas operatiua. Conſequentia patet, quia ipſi fatentur qualitates afficientes potentias animæ eſſe operatiuas, quia debent recipi ad modum recipientis. Tunc vltra: ſed non eſt habitus operatiuus, vt ipſi authores fatentur; ergo eſt potentia.

Tum denique, quia character ſacerdotalis eſt immediatum principium alicuius operationis; nimirum conſecrationis corporis Chriſti; ac proinde eſt potentia actiua. Similiter character confirmationis habet operationem, ad quam per ſe ordinatur, quæ eſt conſtans proteſtatio fidei, & religionis Chriſtianæ; vnde etiam pertinet ad ſpeciem potentiæ actiuę. Deniquè character baptiſmalis ordinatur ad recipiendum alia ſacramenta; per illum enim homo ingreditur in Eccleſiam, & fit capax recipiendi alia ſacramenta; hoc autem eſt proprium munus potentiæ paſsiuę: ergo ad illum huiuſmodi character debet reduci.

20 Ex his patet ſolutio ad eorum fundamentum: quia nimirum iam oſtendimus dari ſpeciales operationes, ſiue effectus ad quos iſti characteres per ſe ordinentur; reſpectu quorū proinde debent habere rationem principij actiui, aut paſsiui, & aliàs cum nec ſint habitus, ſiue diſpoſitiones diſponentes ſubiectum, vt bene, vel male ſe habeat in ſe præciſſe, aut in ordine ad actus, vtpote quia eodem charactere poſſumus vti male, & bene. Conſequens eſt illum potius in ſpecie potentiæ, modo prædicto, debere collocari.

Dubium tertium eſt: In quo ſubiecto immediate character recipiatur?

21 IN hoc dubio de more noſtro afictis opinionibus abſtinentes, quas Suarius pro more refert: vt quod character recipiatur in corpore hominis, tanquam in ſubiecto proximo, aut quod recipiatur promiſcue in anima, & in vtraque eius potentia, ſcilicet intellectu, & voluntate: quæ nullum habent authorem, ſolum eas recenſebimus quæ proprios, & veros patronos habent.

Quarum prima fuit Alexandri Alenſis 4. part. quæſtion. 19. membro 3. & Bonauenturæ in 4. diſtinction. 6. articul. 1. quæſtion. 3. aſſerentium characterem recipi ſimul in vtraquè potentia, ſcilicet intellectu, & voluntate, vt in ſubiecto proximo, eo quòd cum ſit ſignum quoddam, opportet vt in tota imagine Trinitatis recipiatur, quæ in prædictis duabus potentijs ſaluatur: quamuis principalius in intellectu, quam in voluntate dicant iſti authores recipi charactetem.

Secunda eſt Scoti in eodem 4. diſtinction. 6. quæſt. 11. aſſerentis characterem recipi inmediate in voluntate. Quam ſuadet dupliciter. primò: quia character eſt quædam diſpoſitio ad gratiam: ergo debet recipi in eodem ſubiecto in quo recipitur gratia: Tunc vltra: ſed gratia cum ſit idem cum charitate, recipitur in volūtate: ergo, & character. Secundò, quia character eſt ſignum obligationis hominis erga Deū: homo autem proxime obligatur Deo per actum voluntatis: igitur expedit, vt tale ſignum recipiatur in voluntate: & quamuis apud Scotum voluntas, & intellectus

non

non diſtinguantur realiter à ſubſtantia animæ: ſicut nec charitas à gratia: tamen ait ipſe quod adhuc admiſſa huiuſmodi diſtinctione reali inter animam, & potentias, character nõ in intellectu, ſed in volũtate reciperetur.

22 Tertia ſententia eſt Suarij in dicta diſputatione 11. ſectione 4. & Vazquij diſputatione citata, capite 4. qui ſequuti Marſilium in 4. quæſtion. 4. articul. 1. & Gabrielem diſtinction. 6. articul. 3. dubio 2. dicunt characterem recipi in eſſentia animæ, vt in ſubiecto proximo.

Quam ſuadent dupliciter: primo, quia quando aliquid imprimitur alicui rei, vt ſit ſignum manifeſtans rem illam, vt deſtinatam ad aliquod munus, debet poni in illa parte, quæ eſt prior, notior, & aptior, ad talem rem notificandam, & diſtinguendam: ſed ſubſtantia animæ ſecundum ſe eſt prior, & notior quam potentiæ: ergo in illa debet poni character, qui eſt ſignum ſpirituale diſtinctiuum, & notificatiuum in ordine ad ea, quæ ſunt diuini cultus.

Secundo vtuntur argumento Gabrielis: nimirum, quia character non eſt principium phyſicum alicuius actus intellectus, aut voluntatis: ergo non debet poni in intellectu aut voluntate. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur inductione diſcurrente per ſingulos characteres. Nam ad baptiſmum, & ſimiliter ad alia ſacramenta recipienda ſufficiunt ex parte intellectus actus fidei, ſiue prudentiæ: & ex parte voluntatis intentio recipiendi verum ſacramentum: ad iſtos autem actus non concurrit character, ſed principia, quæ in ipſis potentijs ſunt ſufficientia ad illos eliciendos: nimirum virtutes fidei, & prudentiæ: & facultas naturalis voluntatis, aut nude ſumpta, aut eleuata per aliquod auxilium ſupernaturale. Similiter in charactere confirmationis nullus actus eſt aſsignabilis ad quem ipſe phyſice concurrat, quia actus ad quem datur eſt conſtans fidei, & Religionis Chriſtianæ profeſsio.

Ad hunc autem actum externum ſufficienter concurrunt ex parte intellectus, & voluntatis actus fidei, prudentiæ, charitatis, religionis, & fortitudinis: qui habent ſufficientia principia in ipſis potentijs; nimirum virtutes infuſas ipſis proportionatas. Et tandem eodem diſcurſu probatur ad characterem Ordinis, qui datur ad ſacramenta miniſtranda, nullum actum intellectus, ſeu voluntatis requiri: quia ad adminiſtranda valide quæcumquè ſacramenta ſufficit in miniſtro intentio faciendi ſacramentum: & hæc intentio quæ eſt actus voluntatis ſupponit in intellectu aliquam cognitionem à qua reguletur: ſiuè ſit naturalis qualis eſt in ſacerdote hæretico miniſtrante verum ſacramentum: ſiue ſit ſupernaturalis, vt in miniſtro Catholico: ad hos autem actus ſufficientia principia ſunt in intellectu, & voluntate miniſtri: nam ad cognitionem naturalem ſufficit naturalis facultas intellectus: ad ſupernaturalem autem ſufficit fides, vel prudentia infuſa.

Ad intentionem vero ſi naturalis ſit ſufficit naturalis facultas voluntatis ſuppoſita diuina reuelatione de veritate, & neceſsitate ſacramentorum: ſi autem ſit ſupernaturalis ſufficiunt ad illam virtutes infuſæ ſpei, charitatis, & religionis.

23 Quarta ſententia eſt Angelici Doctoris aſſerentis characterem eſſe in intellectu, vt in ſubiecto proximo: Quam eius diſcipuli communiter ſequuntur, vt Paludanus in quarto diſtinctione quarta, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, ibidem, Capræolus, & Soto, Richardus diſtinctione quinta, articulo ſecundo, quæſtione ſecunda, Caietanus, & alij recentiores in commentario articuli quarti.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur primo, ratione qua ipſe Diuus Thomas vtitur: nimirum, quia character per ſe ordinatur ad actus diuini cultus: ad actum vero immediate ordinãtur potentiæ animæ, quæ dãtur ad operari, & non eſſentia ipſa quæ datur ad eſſe: ergo character immediate recipitur in aliqua potentia, & non in eſſentia animæ.

Tunc vltra: ſed actus diuini cultus ad quem character ordinatur, eſt quædam fidei proteſtatio: ergo debet recipi in eadem potentia intellectiua, in qua eſt virtus fidei.

Secundo probatur impugnando reliquas opiniones, & earum fundamentis ſatisfaciendo. Prima namque deficit à veritate, quia cum character

impreſſus ab vno ſacramento ex prædictis tribus: ſit vna ſimplex qualitas ſupernaturalis, vt dictum eſt, non poteſt diſtinctas potentias immediate aſficere, ac proinde, nec opportet illum recipi in tota imagine Trinitatis, ſed in præcipua eius parte, ſcilicet intellectu.

Deinde ſecunda opinio defficit multipliciter. Tum quia ſupponit gratiam à charitate realiter non diſtingui: cuius oppoſitum oſtendimus, 1.2. quæſtion. 110. Tum etiam, quia ſupponit characterem eſſe diſpoſitionem phyſicam ad gratiam iuſtificantem: quod tamen manifeſte eſt falſum, quia, & character ſine gratia, & hæc ſine illo debito, ac connaturali modo reperitur. Si autem ſit diſpoſitio moralis non opportet recipi in eodem ſubiecto, in quo recipitur gratia: vt patet in meritis noſtris quæ ſunt actus voluntatis multoties, & moraliter diſponunt hominem ad beatitudinem, quæ recipitur in intellectu, & ſciẽtia, vel prudentia eſt diſpoſitio moralis ad obtinendum aliquam dignitatem, quæ non recipitur in eodem ſubiecto proximo: bene tamen in eodem ſuppoſito. Imò, & contritio quæ ſecundum plures Theologos eſt phyſica diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem in adultis: & tamen non recipitur in eodem ſubiecto proximo in quo eſt gratia.

Tum denique, quia character non eſt per ſe primo ſignum obligationis, ſed muneris ſuſcepti, quod ſecum adducit aliquam obligationem: ſicut ſignum in iudice quod defert: non tam obligationem, quam poteſtatem iudiciariam, ad quam ſequitur obligatio oſtentat: ergo ex hoc capite non opportet characterem recipi in voluntate. Imò etiam ſi eſſet ſignum obligationis, non requiritur quod eſſet in eadem potentia qua obligatur: nam Monachus obligat ſe Deo voluntate: & tamen ſignum obligationis defert in capite & in veſtibus. Ex quo manent diluta duo fundamenta Scoti.

25 Deinde tertia ſententia deficit. Primo, quia oſtenſum eſt characterem ordinari ad aliquos actus, ſiue internos, ſiue externos ſaltem, & maximè character ſacerdotalis, qui per ſe ordinatur, vt virtus inſtrumentalis ad actionem phyſicam, qualis eſt conſecratio corporis Chriſti: ergo opportet illum eſſe qualitatem operatiuam receptam in aliqua potentia.

Tum etiam, quia alias tenerentur iſti authores admittere cum Durando characterem eſſe relationem rationis, vel extrinſecam denominationem: nam ad quid eſt qualitas bene diſponens animam in ſe? ſi nec diſponit illam ad gratiam, nec ad aliquam operationem? vt Suarius, & Vazquius fatentur. Si autem diſponit illam tantum moraliter deputando, & conſignando ad opera diuini cultus: ad hoc ſufficit relatio rationis, ſeu denominatio extrinſeca: nam tituli dignitatum Regis, prætoratus, magiſtratus, prælati, & poteſtas iuriſdictionis, etiam conſignant, & deputant homines moraliter ad opera ſpecialia regiminis, & iuriſditionis: & tamen conſiſtunt in quibuſdam relationibus rationis, ſeu extrinſecis denominationibus: ergo idem poſſet præſtare character in relatione rationis, vel denominatione extrinſeca conſiſtens: ac proinde iſti authores verbis dumtaxat qualitatem ſupernaturalem in charactere fatentur, re tamen ipſa diffitentur: & latenter volentes nollentes in opinionem Durandi incidunt, quam vt erroneam reiecerant.

Tum etiam, quia ſequentes ſententiam Angelici præceptoris, conuenientius ſaluamus doctrinam, quam Concilium Florentinum, in decreto vnionis: & Tridentinũ Seſsione 7. canone 9. & Seſsione 23. capit. 4. de charactere traddunt: dum diffiniunt in tribus ſacramentis, ſcilicet Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine imprimi characterem in anima, quod eſt quoddam ſignum ſpirituale, & indelebile: & inſuper in eiſdem Concilijs, & in forma ſacramenti Ordinis appellatur poteſtas. Nam per hoc quod dicimus characterem eſſe in intellectu proxime verificamus illum imprimi in anima, ſcilicet mediante intellectu, verificamus etiam, quod ſit ſignum ſpirituale, & indelebile, quia eſt qualitas ſpiritualis permanenter impreſſa intellectui, & animæ, eam ad opera diuini cultus conſignans: & tandem verificamus illum eſſe ſimpliciter poteſtatem, quia fatemur eſſe quamdam potentiam ad recipiendum, ſiue operandum ordinatam.

26 Dices: ergo character eſt quędam virtus infuſa: ſiquidem eſt qualitas infuſa à Deo, bene diſponens intellectum ad operandum. Reſpondetur negando cõſequẽtiam, quia virtus infuſa,

teſte

ſecſte Auguſtino eſt bona qualitas mentis, qua homo bene viuit, & nullus male vtitur: charactere autem, & poſſumus bene, & male vti, hoc eſt bene, & male recipiendo, ſeu miniſtrando ſacramenta, & propterea potius ad genus potentiæ, quam ad genus habitus, ſeu virtutis reduci debet.

Tum denique, quia fundamenta horum authorum inefficacia ſunt: etenim primum nihil conuincit: quia non opportet ſignum internum, & ſpirituale, quale eſt character poni in parte notiori, & priori. Præter quam quod nec anima eſt notior, licet ſit prior: notiores enim ſunt potentiæ, & earum actus, per quas anima manifeſtatur. Nec ſecundum, quia licet character non detur ad actus internos cognitionis, aut volitionis, quia nec eſt cognoſcitiuus, nec volitiuus: datur tamen ſicut quædam facultas fidei ſubordinata ad opera illa, quæ ſunt ipſius fidei, ac Chriſtianæ religionis proteſtatiua: ſiue quæ ſunt diuini cultus. Eiuſquè operatio proxima eſt actus internus intellectus imperatiuus ipſius actus externi diuini cultus, vt conſecrationis corporis Chriſti: miniſtrationis actiuæ ſacramenti, & profeſsionis fidei conſtantis: ad quos actus opportet ponere aliquam facultatem practicam fidei ſubordinatam, ſine qua, nec fides, nec alia virtus poſſet huiuſmodi opera valide, & ſimpliciter operari. Hoc dictum eſt de charactere ordinis, & confirmationis: nam de baptiſmali, qui eſt potentia paſsiua: eius actus, ſiue effectus non in operatione aliquã, ſed in actuali, & valida receptione aliorum ſacramentorum conſiſtit.

QVAESTIO LXIV.

De cauſa ſacramentorum, in decem articulos diuiſa.

Solus Deus eſt cauſa principalis effectus ſacramenti.

1 HANC quæſtionem mouet Angelicus Doctor cum ſequenti de numero ſacramentorum; vt totam doctrinam de ſacramentis in genere compleret, & nihil deſiderandum lectoribus relinqueret: eamque in decem diuidit articulos.

In quorum primo determinat ſolum Deum per modum agentis principalis operari effectum interiorem ſacramenti: miniſterialiter verò, ſiue per modum inſtrumenti etiam hominem, hoc eſt miniſtrum poſſe ad talem effectum cooperari. Cuius ratio eſt, quia ſolus Deus eſt cauſa principalis effectiua gratiæ, quæ eſt interior effectus ſacramenti, vt dictum eſt 1. 2. quæſt. 112. art. 1. Nec non characteris, qui cum ſit virtus quædã inſtrumẽtalis, & ſpiritualis ab eodẽ principali agẽte, quod eſt Deus debet manare. Cũ quo ſtat hominẽ poſſe ad eãdem gratiã, & effectum internũ ſacramenti per modum inſtrumẽti concurrere: quia eadẽ eſt ratio miniſtri, & inſtrumẽti.

Solus Deus eſt author inſtitutionis ſacramentorum.

2 In ſecundo verò articulo docet Angelicus præceptor ſolum Deum eſſe authorem, & inſtitutorem ſacramentorum. Eo quod virtus ſacramenti prouenit ab inſtitutore ſacramenti, vt ab agente principali, à quo inſtrumentum habet ſuã virtutem: ſed virtus ſacramenti eſt à ſolo Deo, vt ab agente principali: ergo ſolus

Deus poteſt eſſe inſtitutor ſacramentorum, vt author principalis.

Chriſtus Dominus habet miniſterium excellētiæ ad illa inſtituenda.

3 Nihilominus Chriſtus Dominus in quantum homo (ſubdit in art. 3.) habet poteſtatem miniſterij principalis, ſiue poteſtatem excellentiæ inſtituendi ſacramenta, & operandi interiorem effectum illorum, conſiſtentem in quatuor: nimirum in hoc quod eius meritum, & virtus paſsionis operatur in ſacramentis, & quia virtus paſsionis ipſius copulatur nobis per fidem, quam per inuocationem nominis Chriſti in ſacramentis proteſtamur, & in hoc quod ex eius inſtitutione ſacramenta virtutem obtinent: & tandem in eo, quod ipſe potuit effectum ſacramentorum, ſine ſacramento exteriori conferre, ſed non econtra. Hanc autem poteſtatem excellentiæ habet Chriſtus, vt homo ex vi vnionis, ideſt quatenus eius humanitas eſt inſtrumentum coniunctum humanitati in perſona.

Hæc poteſtas potuit alijs communicari.

4 Deinde in quarto articulo docet Chriſtum hanc poteſtatem excellentiæ, quam habuit in quantum homo potuiſſe alijs miniſtris communicare: quoniam potuit eis tantam gratiæ plenitudinem dare, vt eorum meritum operaretur ad ſacramentorum effectus, vt ad inuocationem nominum ipſorum, ſanctificarentur ſacramenta, & vt ipſi poſſent ſacramenta inſtituere, & ſine ſacramentis, eorum effectum conferre ſolo imperio: eo quod quāto inſtrumentum coniunctum fuerit fortius, tanto magis virtutem ſuam poteſt inſtrumento ſeparato communicare: ſicut manus baculo. Poteſtatem autem authoritatis, quam habet Chriſtus in quantum Deus, nulli puro homini poteſt communicare: quia hæc incommunicabilis eſt.

Mali miniſtri validè conferunt ſacramenta.

5 Hinc infert ſanctus Doctor in articul. 5. malos miniſtros valida ſacramēta conferre poſſe: eo quod operantur in ſacramentis tanquam miniſtri, & inſtrumēta Chriſti ac Dei, quæ quidem eadem eſt, & eiuſdem efficaciæ, per quodcumque inſtrumentum applicetur.

Mali miniſtri peccant conferendo.

6 Deinde in ſexto probat malos miniſtros in diſpenſatione ſacramentorum peccare, eo quod quicumquè operatur, non ſecundum quod opportet, peccat in operando, teſte Phyloſopho, libr. 2. Ethicorum, cap. 3. ſed miniſter malus ſacramenti operatur non ſecundum, quod opportet: quia non conformatur domino, & authori ſacramentorum; cui tamen debet conformari, iuxta illud Leuitici, 19. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*: ergo peccat, & quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & ſacramentorum, cōſequens eſt, quod ſit peccatum ſacrilegij, & mortale ex genere ſuo.

Angeli ſecundū potentiam ordinariam nō poſſūt miniſtrare ſacramenta.

7 Rurſus in ſeptimo articulo, docet Angelos non poſſe de lege ordinaria miniſtrare ſacramenta, bene tamen de potentia abſoluta Dei. Ratio primi eſt: quia tota virtus ſacramentorum deriuatur à Chriſto patiente: ergo ad homines, & non ad Angelos pertinet miniſtrare ſacramenta, eo quod illis, & non iſtis communicata fuit virtus paſsionis Chriſti, vtpotè quia pro illis, & non pro iſtis mortuus eſt.

Tum etiam, quia Chriſtus, vt patiens fuit minor Angelis: miniſter autem nō debet eſſe maior agente principali. Ratio verò ſecundi eſt, quia Deus non alligauit virtutem ſuam miniſtris Eccleſiæ, ſicut nec ſacramentis. Vnde ſi contingeret aliquando ex diuina diſpenſatione, quod Angeli boni miniſtrarent aliquod ſacramentum: illud habendum eſt pro vero, & rato: quia boni Angeli ſunt nutij veritatis. Si autem dæmones aliquod ſacramentum miniſtrarent, non eſſet habendum pro vero, & valido, ſed pro falſo, quia ſunt ſpiritus mendacij.

Exigitur intentio miniſtri non fides.

8 Deinde, in duobus articulis ſequentibus docet Angelicus Doctor intentionem miniſtri requiri ad perfectionem ſacramenti, non tamen requiri eius fidem. Ratio primæ partis eſt duplex. Tum quia quando aliqua actio ſe habet indiferenter ad multa: qualis eſt actio miniſtratiua ſacramentorum, opportet quod determinetur ad vnum, vt illud fiat: hæc autem determinatio fit per intentionem miniſtri. Tum etiam, verba ſacramentalia exprimunt miniſtri intentionem. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia miniſter in ſacramentis operatur non propria, ſed Chriſti virtute: ergo ſicut non requiritur ad perfectionem ſacramenti charitas miniſtri, ita nec eius fides: eo quod tam fides, quam charitas pertinent ad perfectionem ipſius miniſtri in ſe. Vnde, & mali homines, & infideles poſſunt vera ſacramenta miniſtrare. Et tandem in vltimo concludit peruerſam intentionem miniſtri reſpectu ſacramenti, tollere veritatem ſacramenti, ſecus autem ſi fuerit peruerſa reſpectu alicuius alterius. Ratio primi eſt, quia vt dictum eſt art. 8. requiritur vera intentio

mi-

miniſtri ad perfectionem ſacramenti. Ratio verò ſecundi, quia prius non dependet à poſteriori: ac proinde ſi ſacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, v.g. vt abutatur ea: peruerſitas talis intentionis non tollit veritatem ſacramenti: licet ipſe miniſter ex tali intentione graue peccatũ committat.

QVAESTIO LXV.

De numero ſacramentorum, in quatuor Articulos diuiſa.

1 IN quorum primo docet Angelicus Doctor conuenienter eſſe ſeptem Eccleſiæ ſacramenta propter duos fines: nimirùm propter perfectionē hominis in his quæ ſunt Chriſtiani cultus: etenim ſeptem ſunt perfectiones opportunæ Chriſtiano cultui. Videlicet vita, robur, conſeruatio, curatio, poteſtas, & propagatio, ad quarum ſingulas peruenit homo per ſingula ſacramenta. Tum etiam propter remedium peccati: etenim ſeptem ſunt defectus prouenientes homini ex peccato, ſcilicet carentia vitæ ſpiritualis, ad cuius remedium ordinatur baptiſmus: infirmitas animi in nuper natis, ad cuius remedium ordinatur confirmatio. Labilitas animi ad peccandum in cuius remedium ordinatur Euchariſtia: infirmitas actualis peccati poſt baptiſmum commiſſi, in cuius remedium ordinatur pœnitentia: reliquiæ peccatorum quæ non fuere ſufficienter per pœnitentiam ſublatæ, in cuius remedium ordinatur extrema Vnctio: concupiſcentia perſonalis; in cuius remedium ordinatur matrimonium; nec non contra defectum multitudinis qui per mortem accidit, & tandem defectus regiminis multitudinis in ordine ad actus publicos, ad cuius remedium ordinatur ſacramentum ordinis.

2 Hinc infert Angelicus Doctor in ſecundo art. congruenter dicta ſeptem ſacramenta modo prædicto numerari ita vt vltimum locum obtineant ordo, & matrimonium, quia ſicut vnum eſt prius multitudine, ita ſacramenta quæ ordinantur ad perfectionem vnius perſonæ in ſe, priora ſint veluti naturaliter, quam illa quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Rurſus ex quinque prioribus ordinatis ad perfectionem vnius perſonæ primum locum tenet baptiſmus, quia prius eſt ſpiritualis generatio.

Secundum verò tenet confirmatio quia ad ſpiritualem generationem immediate ſequitur robur.

Tertium tenet Euchariſtia quia ad robur ſequitur conſequtio finis.

Quartum tenet pœnitentia, quia ordinatur peraccidens ad perfectionem perſonæ, hoc eſt ad eius ſanitatem, ſuppoſita infirmitate culpæ.

Et quintum tenet extrema Vnctio, eo quod inchoatio ſanationis, quæ fit per pœnitentiam prius naturaliter eſt conſummatione illius, quam præſtat extrema Vnctio.

3 Deinde in tertio articulo, docet Euchariſtiam eſſe omnium ſacramentorum perfectiſsimum, propter tria. Tum quia in illa continetur ipſe Chriſtus ſubſtantialiter; in alijs autem tantum participatiuè, hoc eſt virtus inſtrumētalis à Chriſto participata. Tum etiam quia reliqua ſacramenta ordinantur ad Euchariſtiam vt ad finem. Tum denique, qui fere omnia ſacramenta in Euchariſtia conſumantur.

4 Et tandem in 4. concludit omnia ſacramenta eſſe de neceſsitate ſalutis: diuerſimode tamen: nam tria, ſcilicet Baptiſmus, Pœnitentia, & Ordo ſunt neceſſaria ſimplici-

pliciter ad finem humanæ ſalutis: baptiſmus quidem abſolute: pœnitentia verò ſuppoſito peccato: & ordo reſpectu Eccleſiæ, alia verò ſunt neceſſaria ad finem, vt melius, & commodius conſequatur.

QVAESTIO LXVI.

De pertinentibus ad ſacramentum baptiſmi, in duodecim Articulos diuiſa.

AB hac quæſtione incipit Angelicus Doctor agere in particulari de ſingulis ſacramentis; & exorditur à baptiſmo: eiuſque tractatum in quinque diuidit partes, & per ſex abſoluit quæſtiones.

In quarum prima agit de ipſo baptiſmo ſecundum ſe, & eius partibus.

In ſecunda agit de eius miniſtro.

In tertia de ſubiecto hoc eſt de recipientibus baptiſmum.

In quarta de effectu huius ſacramenti.

Et tandem in quinta agit de præparatorijs ad baptiſmum, hoc eſt de circuncisſione, & cathechiſmo. Igitur omnia hæc ad compedium placet reducere, & ſub breuitate tranſcurrere.

1 Quantum itaque ad primam partem huius tractatus, ſupponendum eſt cum Angelico Doctore, in baptiſmo, & in vnoquoque ſacramento tria conſiderari: nimirum ſacramentum tantum, & aliquid quod eſt res & ſacramentum, & aliquid quod eſt res tantum, v. g in baptiſmo ſacramentum tantum eſt ablutio corporis exterior, facta ſub forma præſcripta verborum. Quæ eſt diffinitio baptiſmi tradita à Magiſtro in 4. d. 3.

Res autem, & ſacramentum ſimul eſt character baptiſmalis: qui eſt res ſignificata per exteriorem ablutionem, & eſt ſignum ſacramentale gratiæ ſanctificatis, quæ eſt res tantum huius ſacramenti, ſcilicet ſignificata; & non ſignificans.

Fuit autem hoc ſacramentum à Chriſtō Domino inſtitutum quantum ad virtutem regenerandi ante eius paſsionem, ſcilicet quando ipſe Chriſtus baptizatus eſt: quantum verò ad neceſsitatem, & obligationem vtendi illo, poſt Chriſti Paſsionem, & Reſurrectionem: & quia fuit inſtitutum in aqua ſimplici, & elementali: ideò hæc ſola eſt eius propria materia, intellige remota, proxima namque eſt ipſa ablutio, ſeu aquæ applicatio.

Forma verò eius eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, quia hanc traddidit Chriſtus in huius ſacramenti promulgatione Matthæi vltimo dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Ex qua forma præſcripta verborum nonnullæ ſoluuntur à D. Thom. difficultates.

Pri-

Prima eſt. Vtrùm baptiſmus datus ſimul pluribus, vel à pluribus miniſtris, valeat?

Secunda eſt. An valeat datus ſub æquiualentibus verbis, vt in nomine Genitoris, Geniti ſiue Verbi, & Procedentis?

Tertia eſt. Vtrùm valeat datus ſub his verbis: Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, &c. *Aut etiam datus in nomine Chriſti ſolius: & non in nomine Trinitatis expreſſæ?*

Quarta eſt. Vtrùm debeat fieri cum immerſione vna, aut etiam trina in aqua?

2 AD quas ſigillatim eſt reſpondendum. Ad primam itaque reſpondetur, quod plures ſimul non poſſunt vnum baptizare: vndè ſi conuenirent duo quorum vnus eſſet mutus qui non poſſet proferrè verba: & alius carens manibus qui non poſſet exercere actus ablutionis, talis baptiſmus eſſet nullus, nec enim forma tūc verificaretur. In caſu tamen neceſsitatis poſſet quis ſimul baptizare plures quia tunc vnuſquiſque tantum reciperet vnum baptiſmum. Nec tunc miniſter dicendo: *ego baptizo vos*, mutaret formam, quia vos nihil aliud eſt quàm te & te, ſi autem diceret *ego baptizo me*: mutaret formam, & ideò nullus poteſt baptizare ſeipſum.

3 AD ſecundam reſpondetur inualidum quoque eſſe baptiſmum traditum ſub illis verbis *Genitoris, Geniti, & Procedentis*; aut etiam *Verbi*, licèt eędem proprietates perſonales ſignificentur. Cuius duplex aſsignatur ratio: vna quidem à Bonauentura, & Scoto: quia his nominibus potius actus notionales, quam perſonæ ipſæ exprimuntur. Altera à D. Thoma, quia ſicut materiam baptiſmi voluit Chriſtus eſſe aquam ſimplicem, cuius vſus eſt communior ad abluendum, ita & voluit formam eſſe inuocationem Trinitatis ſub illis nominibus, quibus communius conſueuerunt nominari perſonæ in vnaquaque lingua: & quia hæc eſt ſententia communiter à Theologis recepta, reijciēda eſt opinio Caietani oppoſitum tenens, tanquam in praxi periculoſa, quia exponitur miniſter periculo faciendi ſacramentum inualidum: ex quo perpetrat etiam peccatum ſcandali: quamuis ſpeculatiuè defendi poſſet propter æquiualentiam verborum.

4 AD tertiam, quantum ad eius primam partem reſpondeo concluſione affirmatiua quę eſt certa, & eam docuit hic Diu. Thom. dicens non opportere in forma baptiſmi ſignificari perſonam miniſtri per illud pronomen *ego*, & idem docuit Zacharias Papa in cap. *retulerunt*, de conſecratione diſtinct. 4. & gloſſa in cap. 1. de baptiſmo, vndè & Græci vtentes illa forma, *baptizatur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, validum conficiunt ſacramentum: in quibus tamen verbis, nec explicitè, nec implicitè ſignificant perſonam miniſtri, ſicut ſignificaretur ſi dicere-

mus

mus ſublato pro nomine *ego* : *baptizo te in nomine Patris*, &c. Nam ipſi Græci potius vtuntur dicta forma ne videantur attribuere baptiſmum miniſtro: quare ſenſus illius eſt, *baptizetur ſeruus Chriſti*, a Chriſto, vel à Deo qui habet auctoritatem, & efficaciam baptizandi: ac proinde ex vi talis formæ, non exprimitur vllo modo perſona miniſtri. Nec hoc eſt neceſſarium ad valorem ſacramenti: quia cum miniſter ſit tantum cauſa inſtrumentalis non eſt ſimpliciter neceſſarium illã exprimere in forma. Nec id colligitur ex inſtitutione Chriſti, nec ex vniuerſali Eccleſiæ tradditione: nam quãuis Latina Eccleſia hoc obſeruet, non tamen Græca, quæ in hac parte non arguitur erroris, nec eius vſus damnatur ab Eccleſia Latina. Immo ſi Latinus eadem forma vteretur validum conficeret baptiſmũ eoquod cum ſacramenti eſſentia ſit vna in vniuerſa Eccleſia, forma quæ in vna parte, ſeu regione Eccleſiæ eſt ſufficiens ad conſtituendum validum ſacramentum, pariter in qualibet regione Eccleſiæ eſt ſufficiens. Nec enim conſuetudo, aut prçceptũ Eccleſiæ Latinæ poteſt mutare eſſentiam ſacramenti, aut efficere vt aliquid ſit de neceſsitate illius, quod non erat ex inſtitutione Chriſti, licèt facere poſsit vt ſit de neceſsitate præcepti, quia miniſter tenetur ſuæ Eccleſiæ ritum ſeruare. Igitur quamuis de neceſsitate baptiſmi ſit exprimere in eius forma actum baptizandi, & perſonam baptizati: quia id colligitur ex verbis Chriſti Domini, *baptizantes eos*, &c. nõ tamen eſt exprimere perſonam miniſtri baptizantis. Vnde ſi Latinus baptizaret vtendo forma Græcorum peccaret quidem contra conſuetudinem, & præceptum Eccleſiæ Latinæ: validum tamen conficeret ſacramentum, quia forma illa eſt ſufficiens, vt dictum eſt, & ita decernitur etiam à Concilio Florentin. in decreto Eugenij, vbi etiam decernitur conſuetudinem Græcorum, per ſe loquendo non eſſe malam: eoquod illa forma vtuntur vt illius ſchiſmatis occaſionem vitarent, cuius ſit mentio primæ ad Corinth. 3. *Ego ſum Pauli, ego autem Appollo*, &c. attribuentiũ; ſcilicet miniſtro ſacramentorum virtutem & efficatiam. Sed licèt ritus Eccleſiæ Grçcæ propterea non ſit damnandus, præferẽdus tamen eſt illi ritus Eccleſiæ Latinæ tã quam melior propter tria.

Tum quia eſt magis conſentaneus verbis Chriſti; *baptizantes eos*, &c. Tum etiam quia melius explicat cauſas, & effectum baptiſmi, & ipſum actum baptizandi, vt exercitum actualiter. Tum denique quia non præbet occaſionem dicto ſchiſmati; eoquod miniſter non attribuit ſibi in illo opere ſacramenti miniſterium, niſi tanquam inſtrumento Chriſti, ſicut quando in forma ſacramenti pœnitentiæ dicit, *ego te abſoluo*, non ſibi arrogat efficaciam ſacramenti, niſi vt inſtrumento Chriſti: & conſequenter nec vllam tribuit ſchiſmatis occaſionem.

5 Deinde quantum ad ſecundam partem reſpondetur concluſione negatiua idest negante baptiſmum datum in nomine Chriſti: tacitis nominibus aliarum perſonarum eſſe validum, eoquod ad eius valorem eſt neceſſaria forma illa in qua exprimuntur tres Perſonæ diuinæ, vt dictũ eſt. Quia tamen huic concluſioni videtur obſtare decretum Nicolai Papæ, in capit. *à quodam Iudæo*, de conſecratione diſtin. 4. vbi conſultus vtrùm baptiſmus datus à quodam Iudæo eſſet validus, reſpõdet Põtifex fuiſſe validum, ſi datus fuit in nomine Trinitatis, vel in nomine Chriſti: quẽ ſequutus eſt in hac reſponſione Ambroſium in lib. de Spiritu ſancto cap. 3. dicentem quod qui benedicitur in Chriſto, in Patre, & Spiritu ſancto benedicitur, quia vnum eſt nomen, vna poteſtas, &c. & qui Chriſtum nominat, & dicit filium, qui vnctus eſt, & à Patrem à quo vnctus eſt, & Spiritum ſanctum, quo vnctus eſt.

Propterea operepretium eſt teſtimonia hæc Nicolai, & Ambroſij explicare, quæ tripliciter ſolent à Theologis exponi. Nam Diu. Thomas in artic. 6. huius quæſtionis inquit Nicolaum verum dixiſſe quia in primitiua Eccleſia Apoſtoli in nomine ſolius Chriſti baptizabant, validumquè conficiebant baptiſmum ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione, ac reuelatione: vt colligitur ex quibuſdã locis Actuũ Apoſtolorum, nimirùm cap. 2. 8. 10. 11. & 19. quæ diſpenſatio, vſque ad tempora Nicolai durauit.

Ambroſius verò aſsignat rationem, ob quam conuenienter talis diſpenſatio facta fuit in primitiua Eccleſia: nimirũ quia in nomine Chriſti tota Trinitas ſubintelligitur, & ideò ſeruabatur ad minus forma, quam tradidit Chriſtus in Euangelio, implicitè & integritate intelligibili.

Alij verò dicunt talem diſpenſationem

nem non potuiſſe durare vſque ad tempora Nicolai, qui fuit octingentis annis poſt Chriſtum: ac proinde illum non affirmare huiuſmodi baptiſmum eſſe validum, ſed non eſſe iterandum abſolutè, niſi tantum ſub conditione: quia res erat dubia.

Alij autem dicunt Nicolaum non loqui de forma illa, in qua exprimitur nomẽ Chriſti, & omitũtur perſonæ Patris, & Spiritus ſancti: ſed de illa in qua exprimitur filius ſub nomine Chriſti, alijs perſonis nõ omiſsis, & de hac forma dicit eſſe ſufficientẽ, & eodẽ modo explicari debẽt loca Actuũ Apoſtolorũ in quibus dicitur dari baptiſmus ab Apoſtolis in nomine Chriſti. Quæ expoſitiones piæ, & probabiles ſunt quibus addit Cano libr. 6. de locis cap. 8. ad ſeptimam aliam, nimirùm, quod Nicolaus, vt priuatus Doctor falſæ opinioni adhæſit in eo decreto, quantum ad illam partem, in qua dixit baptiſmum datum à Iudæo in ſolo nomine Chriſti eſſe validum: in quo ſequutus fuit ſententiam Ambroſij minus veram, & exiſtimauit teſtimonia illa Act. Apoſtolorum ita eſſe intelligenda: cui ſubſcribit Suarius hic diſput. 21. ſectione 3. inquiens hanc expoſitionem in rigore eſſe ſuſtinendam: non tamen reijciendam omnino eſſe tertiam, quæ pietati eſt conſentanea.

6 AD quartam reſpondeo concluſione negante, quam tenet cõmunis ſentẽtia Theologorum cum Angelico Doctore in art. 7. & 8. huius quæſtionis dicẽte, nec vnam, nec trinam immerſionem eſſe de neceſsitate huius ſacramenti, quamuis id teneat communior Eccleſiæ vſus.

Cuius ratio eſt, quia baptiſmus poteſt validè fieri per aquam applicatam non ſolum per modum immerſionis; ſed etiam per modum aſperſionis, vel effuſionis, ſicut Beatus Laurentius legitur baptizaſſe propter neceſsitatem, vel quia concurrit magna multitudo baptizandorum, vt legitur Actorum ſecundo, & quarto. Idquè oſtendit etiam vſus Eccleſiæ in his qui domi baptizantur propter periculum imminens mortis ex detentione, vel ex immerſione: ſolent enim ablui, vel ſola aſperſione, vel ſola effuſione aquæ. Quamuis à principio Eccleſiæ vtrumquè licitè fiebat ſcilicet quandoquè vna propter ſignificationem vnius mortis Chriſti, & vnius Deitatis, quandoquè autem trina immerſione abluendo baptizatum propter ſignificationem Trinitatis perſonarũ, de qua hæretici male ſentiebant.

Poſteà verò inoleuit conſuetudo trinæ immerſionis, quæ præſcripta fuit in canone 49. Apoſtolorum, & habetur, capit. *ſi, nis præſbyter*, de conſecratione diſtinction. 4. & in Concilio Toletano 11. Poſteà in deteſtationem erroris Donatiſtarũ homines rebaptizantiũ, ſtatutũ fuit quod in baptiſmo fieret vna ſola imerſio, ceſſante tamen tali cauſa (ſubdit Diu. Thomas) quod communiter obſeruatur in baptiſmo ſolemniter & in Eccleſia celebrato, trina immerſio; & ideò grauitèr peccaret nõ vtens illa, quia ritum Eccleſiæ non ſeruaret. Forte quia eius tẽporibus ad hùc hæc conſuetudo vim legis habebat, qui autem in domibus baptizant nullum peccatum committunt ommittentes, ſiue trinam, ſiue vnam immerſionem; quia ſola aſperſione, ſiue effuſione, licitè ſolent baptizare.

7 Mentionem quoque facit Angelicus Doctor in fine huius quæſtionis de triplici baptiſmatè, nimirùm aquæ, ſanguinis, & flaminis: ex quibus baptiſmus aquæ eſt communis: qui & paruulorum appellari ſolet: operaturque effectum gratiæ ex opere operato: Baptiſmus autem ſanguinis dicitur, martyrium per quod martyr conformatur Paſsioni Chriſti, pro illo patiendo, & per quod ex opere operantis cõſequitur effectum baptiſmi, & quia pariter quis poteſt conſequi baptiſmi effectum ex opere operantis ſolo deſiderio, & affectu quo aliquis per Spiritum ſanctum mouetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis; ideò iſte affectus conuenienter dicitur baptiſmus flaminis, ſiue pœnitentiæ, ſiue etiam baptiſmus in voto.

Ex quibus concludit Baptiſmum ſanguinis eſſe potiſsimum: eo quod in illo operatur Paſsio Chriſti, & virtus Spiritus ſancti excellentiori modo, illa quidem per realem imitationem operis; iſta verò per actum perfectiſsimum charitatis, iuxta illud Ioan. 15. *Maior charitatẽ nemo habet, quam vt animã ſuã ponat quis pro amicis ſuis.* Hanc autem maiorem excellentiam baptiſmatis, non habet martyrium in ratione ſacramenti, quia nec characterem imprimit, nec ex attrito facit contritum ex opere operato

perato ſicut baptiſmus aquæ: ſed quantum ad effectum ſacramenti, hoc eſt gratiam, quam in gradu perfectiori obtinet ex opere operantis.

8 Deinde in ſecunda parte agit Diu. Thomas de requiſitis ad baptiſmum ex parte miniſtri, in qua primo aſſerit ad Diaconos non pertinere quaſi ex proprio officio traddere ſacramentum baptiſmi: ſed in collatione huius ſacramenti, & aliorum aſsiſtere, & miniſtrare Sacerdotibus. Ad quos ex officio pertinet hoc, & alia ſacramenta: idque decernitur in cap. *conſtat.* de conſecratione diſtinct. 4. cumquo tamē ſtat quod eis conueniat baptizare, ſicut & Euangelium prædicare ex permiſsione, ſeu conceſsione Epiſcopi: aut etiam propter neceſsitatem vrgentem, in abſentia Sacerdotum, aut Epiſcoporum. Vt decernūt Gelaſius Papa, cap. *diaconos*, diſtinction. 93. & Pelagius Papa, cap. *diaconos*, de conſecratione diſt. 4.

9 Aſſerit ſecundo, etiam laicos poſſe baptizare, non quidem ex officio, ſed propter vrgentem neceſsitatem, quia Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri, ordinauit vt homines de facili ſalutis remediū inuenirent, & maximè baptiſmum, qui eſt Sacramentum valde ad ſalutem neceſſarium.

Ob quam maximam eius neceſsitatem concludit Diu. Thomas tam fœminam, quam hominem paganum, ſiue non baptizatum poſſe licitè, & validè ſeruatis cæteris requiſitis, ex parte materiæ, & formæ, ac debitæ intencionis baptiſmum conferre: intellige vrgente neceſsitatis articulo: illo verò ceſſante, peccarent quidem grauiter tam baptizans, quam baptizatus conſentiens; ac proinde impediretur effectus gratiæ, validum tamen eſſet ſacramentum.

10 Aſſerit tertio in aliquo caſu poſſe plures miniſtros ſimul vnum baptizare. Pro cuius declaratione ſciendum eſt hunc caſum poſſe contingere vno ex tribus modis, nimirùm aut ſi plures baptizarent aliquem ſub hac forma: *Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: aut ſi vterque diceret *ego te baptizo*, &c. Sed vnus finiret orationem, & ablutionem priuſquam alter, aut ſi vterque vtendo hac forma ſimul illam finiret, & neuter prius altero, & quidem ſi caſus contingat primo modo non confertur verus baptiſmus quia cum homo non baptizet niſi vt miniſter Chriſti, opportet vt miniſter taliter ſit vnus, quod vnitatem Chriſti repræſentet, in tali autem caſu oppoſitum contingit quia explicatur pluralitas miniſtrorum.

Deinde ſi fiat ſecundo modo etiam certum eſt quod primus confert verum baptiſmum, quia prius apponit materiam, & formam: ſecundus vero nihil agit quia inuenit iam hominem baptizatum, & intendit illum rebaptizare, ac proinde eſſet puniendus, tanquam rebaptizator.

Si autem caſus contingeret tertio modo, tunc vterque baptizaret, & vnum baptiſmum conferret, quia Chriſtus, qui vnus eſt interius baptizans, vnum ſacramentum per duos miniſtros conferret tanquam per duo inſtrumenta. Quæ quia nō operantur proprijs virtutibus, ſed virtute vnius tertij, ſcilicet Chriſti, non inconuenit eundem effectum ab illis, vt a pluribus cauſis totalibus eiuſdem rationis, inſtrumentalibus, prouenire. Quod latiùs explicat Caietanus in articuli ſexti commentario circa finem.

11 Aſſerit quarto in ſolutione ad tertium eiuſdem articuli ſexti, quod ſi contingat aliquem à duobus baptizari alio modo præter tres aſsignatos, nimirùm altero proferente verba & altero exercente ablutionem: tunc baptiſmus non eſt validus, quia non verificatur eius forma, ſi enim vnus dicat: ego te baptizo, & ſimiliter alter; non verum eſt, quia proferens verba non abluit, nec abluens baptizat quia non applicat formam. ſi autem vterque dicat nos te baptizamus, nec verificatur forma, quia neuter baptizat, ſicut ſi duo ſint quorum vnus vnam partem libri ſcribat, & alius aliam, non erit propria loqutio, nos ſcripſimus librum iſtum, ſed tantum ſinedochica, in quantum totum ponitur pro parte.

Ob quam rationem etiam ſupra quæſtione 66. artic. 5. ad 4. dixerat Auctor non fieri validum baptiſmum exhibitum à duobus quorum vnus eſſet mutus, & alius carens manibus: eo quod non poſſunt ambo ſimul eundem baptiſmum conferre, vno dicente verba, & alio exercente actum.

Vbi alias duas rationes obiter aſſignat Diuus Thomas ad excludendam hanc formam baptiſmi tanquam inſufficiētem, ſcilicet, *nos te baptizamus*.

Quarum prima eſt, quia actus multipli-

tiplicantur ſecundum multiplicationem agentium, ſi perfectè ab vnoquoque agatur: baptiſmus autem eſt actus ab vnoquoque baptizante perfectus: ergo vnus baptiſmus non poteſt à duobus miniſtris prouenire ſub dicta forma.

Secunda eſt, quia mutaretur forma baptiſmi dicēdo: nos baptizamus, quia dicere *nos*, non eſt idem, ac dicere: *ego & ego*, ſed *ego, & iſte*, ſiue *ego & tu.*

12 Aſſerit quinto, in baptiſmo requiri aliquem, qui baptizatum leuet de ſacro fonte: eoquod fit in illo ſpiritualis quædam regeneratio, ad ſimilitudinem quandam generationis carnalis, in qua proinde vltra miniſtrum, qui gerit vicem generantis, requiritur ex præcepto & conſuetudine Eccleſiæ aliquis qui gerat vicem nutricis, & pedagogi, cui incumbat informare, & inſtruere baptizatum quaſi nouitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Chriſtianam, & quoniam vnuſquiſque obligatur ad exequendum ſuum officium. Propterea ille qui ſuſcepit baptizatum de ſacro fonte, obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſsitas immineret, vt quando baptizati inter infideles nutriuntur, ſed ubi nutriuntur inter Catholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, præſumendo, quod à ſuis parentibus diligenter inſtruantur.

13 In tertia parte agit Angelicus Præceptor de requiſitis ad baptiſmum ex parte ſuſcipientis, quod pertractat in tota q. LXVIII.

In qua aſſerit primo omnes homines viatores teneri ad ſuſceptionem baptiſmi: eoquod eſt neceſſarius ad ſalutē neceſsitate medij, & præcepti, quæ neceſsitas colligitur ex illo Ioann. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: tum etiam ex illo ad Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*: quo denotatur neminem poſſe conſequi ſalutem niſi per Chriſtum, ſed baptiſmus datur ad hoc vt homo per ipſum regeneratus incorporetur Chriſto factus membrū ipſius, iuxta illud ad Galathas 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Omnes autem homines tenentur ad media neceſſaria ad ſalutē: ergo. Cum quo tamen ſtat poſſe etiam de lege ordinaria aliquem ſaluari ſine baptiſmo in re ſuſcepto, dummodo habeat baptiſmum in voto: ſicut cum aliquis deſiderat baptizari, & antequam baptiſmum aquæ ſuſcipiat præuenitur morte, tunc iſte ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt, propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem ſanctificat.

14 Aſſerit ſecundo, baptiſmum paruulis non differendum, benè tamen adultis, propter tria.

Tum quia poteſt illis ſubueniri per ſolum deſiderium baptiſmi.

Tum etiam, propter cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur, ſacramentum ficte accedentibus conferens: & vt prius inſtruantur plenè de myſterijs fidei.

Tum etiam propter reuerentiam ſacramenti, quod deuotius ſuſcipitur dum in ſolemnitatibus præcipuis adulti ad baptiſmum admittuntur. Poteſt tamen hæc dilatio prætermitti, vel propter ſufficientem inſtructionem baptizandi, vel propter infirmitatem, aut mortis periculum.

15 Aſſerit tertio, peccatores poſſe baptizari dummodo non ſint in actuali voluntate, & propoſito peccandi, ſiue perſiſtendi in peccato, qui caſus poteſt contingere tripliciter.

Primo, ſi quis exiſtens in actuali affectu & propoſito peccandi accedat ad recipiendum baptiſmum.

Secundo, ſi exiſtens in peccato mortali habituali: non tamen cum actuali propoſito peccandi, nec cum attritione, ſeu deteſtatione peccati accedat ad baptiſmum. Tertio, ſi accedat attritus de peccatis antea comiſsis.

Et quidem in primo caſu ait Diuus Thomas non licere peccatores baptizare: denotans peccare, tam baptizantem, quam baptizatum, propter tria, tum quia admittitur ad baptiſmum qui non eſt aptus incorporari Chriſto. Tum etiam, quia conſulto in operibus Chriſti, & Eccleſiæ fieret aliquid fruſtraneū, ſcilicet ſacramentum baptiſmi, quod fruſtratur fine, ad quem ordinetur, quia adhibetur illi, cui gratiam mundantem à peccatis conferre nō poteſt.

Tum denique, quia in ſacramentalibus ſignis committitur falſitas; quæ tamen committi non poteſt; nimirùm quia lauandum ſe præbet homo, ſignificans ſe diſponi ad interiorem ablutionem, quod tamen eſt falſum.

Verum

Verumtamen reciperet verum baptiſmum, & characterem eius: qui proinde non eſſet iterandus.

In ſecundo autem caſu peccaret baptizatus, quia ficte accederet ad baptiſmum, illumque informen, ideſt ſine effectu gratiæ, validum tamen reciperet, ob eaſdem rationes. Miniſter autem baptizans non peccaret quia ſignum manifeſtũ non haberet obicis, & in diſpoſitionis recipientis.

Sed in tertio caſu non ſolum neuter peccaret, ſed validum & formatum, hoc eſt cum effectu gratiæ ſacramentum baptizatus reciperet, & baptizans legitime miniſtraret.

16 Aſſerit quarto, nec huiuſmodi peccatoribus accedentibus ad baptiſmum eſſe imponenda aliqua opera ſatisfactoria, nec eos teneri ad ſua peccata ſacramentaliter confitendum: ratio primi eſt, quia per baptiſmum peccator conſepelitur in mortem cum Chriſto, & eius morti incorporatur.

Ac proinde ſicut illa fuit ſufficienter ſatisfoctoria pro peccatis totius mundi: ita & in baptiſmo fit ſufficiens pro quibuſcunque peccatis præteritis ſatisfactio: ac perconſequens nulla de nouo ſatisfactio imponenda eſt homini, qui baptizatur, alioquin fieret iniuria Paſioni, & Morti Chriſti.

Ratio ſecundi eſt, quia ſacramentalis confeſsio ſolum eſt facienda de peccatis commiſsis poſt baptiſmum: ſolumque obligantur ad illam homines baptizati, & exiſtentes intra ianuam Eccleſiæ: ad eos qui foris ſunt iuriſdictio Eccleſiæ non extenditur.

Cuius tres rationes adducit Angelicus Doctor: prima eſt quia pœnitentiæ ſacramentum ſupponit baptiſmum, qui eſt ianua omnium ſacramentorum.

Secunda eſt, quia confeſsio ſacramentalis ordinatur ad hoc quod ſacerdos confitentem abſoluat à peccatis, & liget ad opera ſatisfactoria: quæ tamen baptizatis non ſunt imponenda vt dictum eſt. Immo nec baptizati indigent remiſſione peccatorum per claues Eccleſiæ, quibus omnia remittuntur per baptiſmum.

Tertia eſt, quia ſacramentalis confeſsio homini facta, eſt pœnoſa propter verecundiam confitentis: baptizato autem nulla exterior pœna imponitur: & ideò ab baptizatis non exigitur ſpecialis confeſsio peccatorum, niſi tantum generalis quam faciunt, dum ſecundum ritum Eccleſiæ abrenunciant Sathanæ, & omnibus pompis eius.

De illo autem qui recipit baptiſmum cum obice, ideſt ſine attritione legitima: diximus ſupra in tractatu de ſacramentis in genere; qualiter & ad quorum peccatorum confeſsionem ſacramentalem teneatur. Etenim docuimus illum teneri quidem ad confitendum dumtaxat peccatum obicis, hoc eſt ſacrilegij commiſsi in ipſa ſuſceptione baptiſmi. Nec non ad cætera, ſicut commiſſum poſt baptiſmum iam ſuſceptum: minime autem teneri ad confitendum peccata commiſſa ante baptiſmũ: aut commiſſa ſimul concomitanter ad ipſam ſuſceptionem baptiſmi, hæc enim non pertinent ad claues Eccleſiæ, ſed plene remittuntur per gratiam baptiſmalem, quam recedente fictione per confeſsionem ſacramentalem, aut per contritionem peccatoris pœnitentis confert baptiſmus tranſactus, qui tunc incipit valere ad ſalutem.

17 Aſſerit quinto, requiri ex parte baptizati intentionem & fidem, quam quidem adultus debet adhibere per ſe ipſum: paruulus verò ſufficienter adhibet per Eccleſiæ miniſtros, ſiue per ipſam Eccleſiam, quæ in perſona ipſius paruuli recipientis baptiſmum profitetur fidem de miſterijs ſupernaturalibus.

Vndè & pueros decet baptizari, vt à pueritia nutriti in fide, firmius in ea perſeuerent; & aliàs intentio, & voluntas quæ requiritur ad baptiſmum ſufficienter ſuppletur per miniſtros, qui eos adducunt ad baptiſmum. Nec non fides ſufficienter ſuppletur ab Eccleſia, nec impeditur eorum ſalus, ſi parentes ſint infideles, quia teſtè Auguſtino epiſtola 23. ad Bonifacium: offeruntur paruuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quam ab vniuerſa ſocietate Sanctorum, atque fidelium, quare nec negandus eſt baptiſmus pueris infidelium filijs: niſi ſint inuiti eorum parentes: tunc enim ſi non habent vſum liberi arbitrij ſunt iure naturæ ſub cura ſuorum parentum, & ideò contra naturalem iuſtitiam eſſet, ſi tales pueri inuitis parentibus baptizarentur.

Eſſet quoque periculoſum quia de

faci-

facili propter naturalem affectum ad parentes, ad eorum infidelitatem redirent.

Si autem haberent vſum rationis quantum ad ea, quæ ſunt iuris diuini, vel naturalis eſſent ſuæ poteſtatis: tunc propria voluntate inuitis parentibus poſsint baptiſmum ſuſcipere, ſicut & matrimoniũ contrahere.

Idemque iudicium faciendum eſt de furioſis, atque amentibus, atque de pueris, illis namque qui à natiuitate, & continuo ſunt expertes vſus rationis, debet dari baptiſmus ſicut & pueris qui baptizantur in fide Eccleſiæ.

Alijs verò qui priuſquam inciderent in amentiam, habuerunt vſum rationis: aut etiam habent illum aliquo tempore quia habent aliqua lucida interualla, non debet adhiberi baptiſmus in amentia conſtitutis, niſi prius explicuerint voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum quando erant ſanæ mentis.

Secus autem iudicandum eſt de pueris in maternis vteris exiſtentibus: eo quod ſicut nec ablui materialiter, ita nec baptizari poſſunt, quia corpus baptizãdi debet aliquo modo aqua ablui, cum baptiſmus eſſentialiter ſit quædam ablutio. Niſi contingat puerum ante totalem eius egreſſum ab vtero materno, caput, manum, aut pedem foras mittere, & tunc eggreſſo capite, quia in eo viget integritas vitæ, poteſt, ac debet baptizari periculo imminenti, nec eſt puer rebaptizandus cum poſtea perfecte naſcatur: in alia autem quacumque parte eggreſſa, vtpote in qua non eſt integritas vitæ, poterit periculo imminenti baptizari, ſed propter dubium, perfecte natus puer debet ſub conditione iterum baptizari.

18 Deinde in quarta parte agit Angelicus Doctor de effectibus baptiſmi, quod præſtat in quæſtione LXIX. in decem articulos diuiſa.

1 Aſſeritque primo, baptiſmum operari remiſsionem omnium peccatorum: eoquod per illum incorporamur Chriſto, & per eius mortem: & morimur vetuſtati peccati, incipimuſque viuere nouitati gratiæ; & regeneramur in ſpiritualem vitam iuxta illud ad Romanos ſexto: *Quicumque baptizati ſumus in CHRISTO IESV, in morte ipſius baptizati ſumus*, & cætera: *Ita & vos exiſtimate quidem mortuos eſſe peccato, viuentes autem Deo in CHRISTO Ieſu Domino noſtro*: Sed Paſsio & mors Chriſti operata eſt, quantum eſt de ſe remiſsionem omnium peccatorum: ergo eandem cum effectu operatur in illo cui applicatur per baptiſmum.

Et eadem ratione probatur operari remiſsionem omnis reatus peccati, vtpotè quia ipſa Paſsio Chriſti fuit ſufficiens, & plena ſatisfactio pro omnibus peccatis, tam quoad culpas, quam quoad pœnas ipſis debitas. Quo ad pœnas inquam alterius vitæ. Nam pœnalitates, præſentis vitæ conueniens fuit non tolli per baptiſmum propter tria.

Tum vt homo aſsimilaretur Chriſto in corpore paſsibili, cui incorporatur, & cuius efficitur membrum per baptiſmum.

Tum etiam propter ſpirituale exercitium & agonem, vt videlicet contra concupiſcentiam, & alias paſsiones pugnans homo victoriæ coronam acciperet.

Tum denique, ne homines ad baptiſmum accederent propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ: ad quam tamen reſuſcitabuntur virtute baptiſmi ſicut Chriſtus ad vitam gloriæ reſurrexit iuxta illud ad Romanos octauo. *Qui ſuſcitauit IESVM CHRISTVM à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitatem ſpiritum eius in vobis.* Eadem quoque ratione probatur in baptiſmo conferri dona gratiæ, & virtutum infuſarum habitualia, vtpotè à Chriſto capite in eius membra per baptiſmum incorporata, deriuata, iuxta illud Ioannis primo: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Quod verificatur, tam de adultis, quam de paruulis, eoquod vtrique in baptiſmo efficiuntur membra Chriſti, & quia alias paruuli decedentes poſt baptiſmum non peruenirent ad vitam æternam: ſiquidem gratiam non haberent: quod tamen eſt contra fidem.

Ac proinde damnanda eſt opinio quorundam antiquorum, qui inter habitus, & actus non diſtinguentes, aſſerebant pueros in baptiſmo ſolum characterẽ

recipere ſine gratia, & virtutibus : quia eos iudicabant gratiæ, & virtutum incapaces pro eo ſtatu, ſicut & actuum earum erant incapaces, in adultis verò vltra huiuſmodi dona habitualia operatur baptiſmus nonnullos actus virtutum, vtpote quorum ſunt capaces, nimirum illuminationem, & fæcunditatem bonorum operũ: eoquod de plenitudine Chriſti qui fuit plenus gratiæ & veritatis, accipientes in baptiſmo, illuminantur à Chriſto circa cognitionem veritatis, & fæcundantur fæcũditate bonorum operum per gratiæ & virtutum infuſionem.

19 Aſſerit ſecundo alium effectum operari baptiſmum, qui eſt apertio ianuæ regni cæleſtis: eoquod remouet impedimentum quod homines impediebat ab introitu regni cœleſtis: hoc enim impedimentum erat culpa, & reatus pœnæ: igitur cum baptiſmus operetur remiſsionem omnis culpæ, & reatus pœnæ : conſequens eſt quod operetur apertionem ianuæ regni cœleſtis, per modum remouentis prohibens.

20 Aſſerit tertio, quod baptiſmus per ſe loquendo gratiam regeneratiuam æqualiter, hoc eſt in gradu æquali conferat pueris : & omnibus his qui cum æquali diſpoſitione illum recipiunt.

Adultis verò inæqualiter diſpoſitis, inæqualem quoque gratiam regeneratiuam confert : ſicut & idem ignis, licet quantum eſt de ſe æqualiter ad omnes ſuum calorem effundat, tamen de facto maiorem calorem communicat ei qui magis appropinquat ipſi : & minorem minus appropinquanti, & hoc eſſe commune omnibus ſacramentis nouæ legis ſuperius docuimus, cum de illis in genere tractaremus.

21 Aſſerit quarto, nihilominus huiuſmodi effectum gratiæ impediri per fictionem, hoc eſt quando ſuſcipiens baptiſmum accedit fictus : quod contingit quatuor modis; nimirùm, vel quia accedit ſine fide, aut contemnendo ipſum ſacramentum, aut indeuote, aut non ſeruando ritum Eccleſiæ : nihilominus poſtea recedente fictione baptiſmus operatur ſuum effectum ſicut remoto impedimento cauſa expedita ſortitur proprium effectum : vt habet Auguſtinus libro primo de baptiſmo contra Donatiſtas, capite ſecundo dicens : *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus; cum illa fictio veraci confeſsione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.*

22 Denique in vltima parte per duas ſequentes quęſtiones ideſt LXX. & LXXI, agit Diuus Thomas de præparatorijs ad baptiſmum, hoc eſt, de circunciſione, & Cathechiſmo.

De illa quidem aſſerit quatuor, nimirum fuiſſe præparatoriam, & figuratiuam baptiſmi : in quantum erat quædam profeſsio fidei Chriſti : & quatenus per illam homines aggregabantur populo fidelium: conuenienterque fuiſſe inſtitutam à Deo, & primitus datam Abrahæ, qui primus promiſsionem accepit de Chriſto naſcituro. Eiuſque ritum fuiſſe conuenientem, vtpote inſtitutũ à Deo, cuius ſapientię non eſt numerus.

In ipſaque gratiam conferri: non quidem ex virtute ipſius, aut ex opere operato, ſed ex virtute fidei Paſsionis Chriſti, cuius erat ſignum.

23 Aſſerit ſecundo de cathechiſmo, debere præcedere baptiſmum ex Eccleſiæ inſtitutione, eoquod cum baptiſmus ſit Chriſtianæ fidei ſacramentum, & in illo fiat quædam profeſsio fidei Chriſtianæ : opportet vt ad fidem recipiendam in baptiſmo, prius homo inſtruatur de rebus fidei: quæ inſtructio fit per cathechiſmum.

Vnde & hæc Eccleſiæ inſtitutio fundamentum habet in ipſo iure diuino: quo, Chriſtus Dominus Matthæi vltimo, præceptum baptizandi diſcipulis imponẽs, præmiſsit doctrinam, & inſtructionem baptiſmo dicens: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Similiter, & exorciſmus debet ex Eccleſiæ inſtitutione, & Apoſtolica tradditione præcedere baptiſmum : eoquod per illum expelluntur dæmones, ne ſalutem homini in baptiſmo conferendam impediant : quam quidem expulſionem ſignificat exufflatio, benedictio autem cum manus impoſitione, præcludit expulſo viam, ne redire poſsit : ſal verò in os miſſum, cum narium, & aurium ſputo linitione, ſignificat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem, quantum ad nares, & confeſsionem quantum ad os.

Denique olei inunctio ſignificat aptitudinem hominis ad pugnandum contra dæmones. Quæ quidem ceremoniæ aliquem effectum operantur; nimirum illum, quem ſignificant, & ad quem ordinantur: & ideo Eccleſia in huiuſmodi exorciſmis vtitur verbis imperatiuis ad expellendam dæmonis poteſtatem: huiuſmodi autem effectus eſt duplex, & præuius ad effectum baptiſmi, qui eſt gratia & plena remiſsio peccatorum: vnus eſt concluſio impedimenti extrinſeci, hoc eſt dæmonum ſalutem hominis impedire conantium: quod impedimentum excluditur per exſufflationes: alius eſt excluſio impedimenti intrinſeci, hoc eſt prout homo ex infectione originalis peccati habet ſenſus præcluſos ad percipienda ſalutis myſteria: & hoc impedimentum expellitur per ſaliuam typicam, & Sacerdotis actum, medijs quibus virtus diuina aperit cathecumeno nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, aures ad audiendum mandata Dei, & ſenſus in intimo corde ad reſpondendum.

Vtrùm autem hos effectus operetur exorciſmus ex opere operato, & ex propria virtute, aut ſolum ex opere operantis, & ex diuina virtute?

24 VTraque pars probabiliter ſuſtineri poteſt, ſicut & de alijs ſacramentalibus; nimirùm quòd hos effectus efficit exorciſmus ex opere operato, & nihilominus non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale quodam, quia non efficit principalem effectum, qui eſt gratia remiſsiua culpæ, quod eſt de ratione ſacramenti nouæ legis, ſed aliquem effectum minus perfectum, & præuium ad gratiam, qualis eſt excluſsio duplicis impedimenti aſsignati, & hanc ſententiam inſinuat D. Thom. in ſolutione ad 2. articuli 3. aut etiam ſi mauis, ſolum operatur hos effectus exorciſmus ex opere operantis, & per modum impetrationis.

Cuius proinde officium, & miniſterium auctoritatiue pertinet ad ſacerdotes, quorum officio incumbit has ceremonias, & orationes exhibere ad huiuſmodi effectuũ poſitionem, ſiue impetrationem. Ad alios autem inferiores miniſtros, ſicut ad lectores in catechiſmo, & exorciſtas in exorciſmo pertinet idem officium præſtare, ſicut ad eos qui miniſterialiter, & veluti inſtrumentaliter debent ſacerdotibus cooperari in his, quæ ſunt præparatoria ad ſacramentum.

(?)

QVAESTIO LXXII.

De Sacramento Confirmationis, in duodecim Articulos diuiſa.

1 IN hac quæſtione totam doctrinam de ſacramento confirmationis complectitur Angelicus Doctor: conſiderans illud, ſicut & cetera ſacramenta, primo ex parte materiæ: deinde ex parte formæ, poſtea eius cauſalitatem & effectus, conditionem ex parte recipientis, & ex parte dátis declarans.

Aſſerit igitur primo confirmationem eſſe verum ſacramentum nouæ legis: quia ſignificat, & efficit ſpecialem gratiam; nimirùm illam per quam homo poſt vitam ſpiritualem acceptam in baptiſmo, obtinet quandam perfectam ætatem, & robur ſpiritualis vitæ.

Cuius materia remota eſt chriſma confectum ex oleo, & balſamo; proxima verò eſt vnctio huiuſmodi chriſmate facta: ex oleo quidem quia ſignificatur in illo gratia Spiritus ſancti: ideò enim Chriſtus dicitur vnctus oleo lætiæ, propter plenitudinem Spiritus ſancti, quam habuit: ex balſamo verò, quia in illo ſignificarur odor gratiæ, & virtutis redundans in alios. Huiuſmodi autem chriſma debet eſſe prius ab Epiſcopo conſecratum.

Nam hoc eſt diſcrimen inter illa ſacramenta quibus Chriſtus eſt vſus, ſcilicet baptiſmo, & Euchariſtia; & alia quibus non fuit vſus, quod in illis materiæ acceperunt ſufficientem benedictionem, & conſecrationem à Chriſto, & ideò non indigent alia conſecratione; bene autem materiæ aliorum ſacramentorum. Et quia vnctionibus viſibilibus Chriſtus non eſt vſus, ne fieret iniuria inuiſibili vnctioni, qua eſt vnctus præ conſortibus ſuis, propterea tam Chriſma, quam oleum ſanctum infirmorum, prius quam adhibeantur ad vſum horum ſacramentorum, debent benedici ab Epiſcopis, vtpotè qui ſunt ſupremi Sacerdotes, Chriſti poteſtatem excellentiæ magis imitantes.

2 Aſſerit ſecundo, formam huius ſacramenti eſſe hanc: *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te, chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; Amen. Quia huiuſmodi forma eſt, & qua vſi fuerunt Apoſtoli, quando tanquam miniſtri ſacramentorum; hoc ſacramentum præbebant, & eſt conueniens, quia continet, & ſignificat omnia neceſſaria, & pertinentia ad eſſentiam huius ſacramenti: quæ ſunt tria. Nimirùm cauſa principalis conferens plenitudinem roboris ſpiritualis; quæ eſt ſancta Trinitas: & hæc exprimitur cum dicitur; *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, Amen.

Secundum eſt, ipſum robur ſpirituale, quod exprimitur in illo verbo: *Confirmo te chriſmate ſalutis.*

Ter-

Tertium eſt character, ſiue ſignum quod pugnatori datur: ſicut & in pugna corporali milites ſpeciali ſigno ducum inſigniuntur: & hoc ſignificatur in illo verbo: *Conſigno te ſigno Crucis*, in quo ſcilicet Rex noſter triumphauit.

Ex quo liquet per hoc ſacramentum imprimi characterem qui eſt poteſtas ſpiritualis ad quaſdam actiones ſacras præter illas ad quas datur poteſtas in baptiſmo: hoc eſt ad publice & conſtanter profitendam fidem contra eius hoſtes. Qui etiam ita per ſe ſupponit characterem baptiſmi, vt ſine præuio baptiſmo nullus poſsit valide ſacramentum confirmationis recipere.

3 Aſſerit tertio, ſacramentum hoc a ſolis Epiſcopis, omnibus tamen fidelibus in fronte eſſe conferendum. Ratio omnium horum a priori eſt ipſa Chriſti inſtitutio per Apoſtolos Eccleſiæ tradita.

Vltra quam extant peculiares ſingulorum congruentiæ. Igitur ratio primi ex congruentia petita eſt: quia ſicut conſummatio in vnoquoque opere artis, vel virtutis à ſuprema arte, vel virtute præbetur: ita congruum eſt, vt conſummatio vitæ ſpiritualis acceptæ in baptiſmo, conferenda per confirmationem, tribueretur à ſuprema poteſtate Hierarcica, qualis reſidet in Epiſcopis.

Cuius etiam ſignum eſt manifeſtum, quod in primitiua Eccleſia Apoſtoli, quorum Epiſcopi ſunt ſuceſſores, conferebant plenitudinem Spiritus ſancti, & effectum huius ſacramenti per manuum impoſitionem: vt refertur Actorum octauo.

Sed nunquid vtebantur tunc Apoſtoli materia, & forma huius ſacramenti? vtebantur quidem quando id faciebant, tanquam miniſtri ſacramentorum, ſecus vero quando id muneris præſtabant cum viſibilibus quibuſdam ſignis miraculoſe effectis à Deo: qui poteſt effectum ſacramenti ſine ſacramento conferre: vtpotè quia ſacramento non alligatur. Quemadmodum neque Chriſtus qui per poteſtatem excellentiæ contulit eiſdem Apoſtolis rem huius ſacramenti, id eſt plenitudinem Spiritus ſancti ſine ſacramento: eoquod ipſi primitias Spiritus ſancti acceperunt, vt docet Diuus Thomas hic articulo ſecundo, & articulo quarto, in ſolutione ad primum ex Doctrina Dionyſij, capite quarto & ſeptimo Eccleſiaſt. Hierarciæ.

Ratio verò ſecundi eſt, quia ſicut omnes qui ad vitam corporalem naſcuntur, per ſe loquendo ordinantur ad perfectam ætatem obtinendam: ita omnes per Baptiſmum ad vitam ſpiritualem renati, per ſe & ex intentione Auctoris gratiæ ordinantur ad perfectam ætatem ſpiritualiter obtinendam in hoc ſacramento: quod proinde omnibus baptizatis debet conferri: niſi præuenti morte per accidens illud recipere non poſsint.

Denique ratio tertij eſt duplex. Tum quia baptizati per hoc ſacramentum deſtinantur ad pugnam contra hoſtes fidei: ac proinde, ſicut milites in parte magis manifeſta cuiuſmodi eſt frons, debent ſigno ſuæ militiæ inſigniri.

Tum etiam ne a timore, aut verecundia, quæ maxime vigent in fronte, propter propinquitatem imaginationis, & directum ſpirituum animalium aſcenſum à corde ad frontem, ex quo fit vt verecundati erubeſcant, & timentes palleſcant: impediantur ad publicam, & conſtantem fidei confeſsionem: ad quam in hoc ſacramento accipiunt poteſtatem.

4 Aſſerit vltimo de ritu huius ſacramenti, eſſe conuenientem: eoquod obſeruatur ab Eccleſia, quæ errare non poteſt: eoquod ab Spiritu ſancto gubernatur.

Igitur conueniens eſt ritus huius ſacramenti in eo quod confirmandus manu teneatur ab alio ſcilicet Patrino: & quantum ad tempus, in quo miniſtrari licet illud: & quantum ad chriſmatis conſecrationem huic ſacramento deſeruientis faciendam in cœna Domini.

Ratio primi vltra Eccleſiæ inſtitutionem, quæ habetur in decretis Innocentij Papæ 39. quæſtione quarta, capite *Si quis*; vbi decernitur pariter requiſi. Patrinum qui baptizatum leuet de ſacro fonte, & qui teneat confirmatum ad ſacramētū confirma-

tionis: inter quos proinde ſpiritualis cognatio contrahitur: & quia cum per hoc ſacramentum conferatur homini ſpiritualis ętatis perfectio & robur ad ſpirituale pugnam, expedit vt illud accipiens teneatur ab alio tāquam adhuc imbecillis, & puer: & tanquam ab alio erudiendus ad pugnā.

Ratio ſecundi eſt, quia cum mutatis temporibus, mutentur quoque leges ob diuerſas congruentias: licèt in primitiua Eccleſia hæc duo ſacramenta, ſcilicet baptiſmi & confirmationis fuerint ita coniūcta vt ab inuicem ſegregari non poſſent, & vnum ſine altero ritè perfici non valeret, niſi morte preueniente: & ideò eadem tempora, ſcilicet Paſchatis, & Pentecoſtes erant præfixa baptiſmo, & confirmationi ſolemniter celebrandis: ſed quia confirmatio à ſolis Epiſcopis datur qui nec ſemper ſunt præſentes, vbi præsbyteri baptizant: neque vnus Epiſcopus ſufficeret toti multitudini in magna diœceſi his duobus tantum temporibus hoc ſacramentum impendere: oportuit antiqua lege abrogata, nouam introduci qua permittitur huiuſmodi ſacramentum, in alijs etiam temporibus pro libito Epiſcopi, aut populi neceſsitate miniſtrari.

Ob quam etiam rationem nunc licitè recipitur, & miniſtratur à non ieiunis: quamuis olim in Concilio Aurelianenſi, & Meldenſi ſtatutum fuerit vt ieiuni illud reciperent: & ab Epiſcopo ieiuno miniſtraretur.

5 Ratio tertij eſt, quia licèt temporibus quibuſcunque erat licitum chriſma conficere: vt conſtat ex Concilio Martini Papæ, & habetur in decretis de conſecratione diſtinct. 4. cap. *omni tempore*: verumtamen poſtea congruenter ordinatum fuit vt in die cœnæ Domini chriſma deſeruiens baptiſmo, & confirmationi, atque oleum ſanctum infirmorum conſecrarentur, propter duo.

Tum vt per biduum ante vigiliam Paſchæ, in qua ſolemnis baptiſmus celebrabatur, chriſma cuius vſus requiritur ad baptiſmum conſecraretur.

Tum etiam, quia dies ille ſatis congruit ad materias ſacramentorum benedicendas, in quo Euchariſtiæ ſacramentum fuit inſtitutum ad quod cœtera ſacramenta, tanquam ad finem quodammodo ordinantur: vt ſupra quæſtione 65. articul. 3. oſtendit Angelicus Doctor.

QVAESTIO LXXIII.

De Sacramento Euchariſtiæ ſecundum ſe, in ſex Articulos diuiſa?

Diuiſio totius materiæ 1 *& authores qui de illa egerunt.*

AB Hac quæſtione, vſque ad LXXXIII. incluſiue agit Diuus Thomas de Auguſtiſsimo Euchariſtiæ ſacramento: eiuſque tractatum in ſeptem diuidit partes hoc ordine. Vt in prima de ipſo ſacramento ſecundum ſe, hoc eſt de eius, exiſtentia quid,

quidditate, vnitate, neceſsitate, dignitate, nominibus, inſtitutione, & figuris.

In ſecunda de eius materia. In tertia de eius forma. Et in quarta, de eius effectibus tractat. In quinta verò ſexta & ſeptima conſiderat ea quæ ex parte recipientium, & ex parte miniſtri requiruntur, nec non quæ ad eius ritum ſpectant. Et quoniam hoc ſacramentum Iudæis viſum fuit impoſsibile, & diſcipulis durum: illi enim clamabant: *quo modo hic poteſt dare carnẽ ſuã nobis ad manducandum?* Illi verò, *durus eſt hic ſermo*, vt refertur Ioan. 6. & hæreticis, tam priſci, quam noſtri temporis viſum eſt incredibile, propterea in eius declaratione plurima Concilia, & Patres laborarunt, & ſpeciales tractatus plures eorum ediderunt. Ex Concilijs quidem Lateranenſe, Florentinum, Coloniẽſe, Senonenſe, Moguntinum, Auguſtenſe, Mediolanenſe, & Tridentinum; ex Patribus Dionisius, Ambroſius, Paſchaſius, Algerus, Hugo de Sancto Victore, atque alij ex illis qui contra hæreticos huius temporis ſcripſerunt Vvaldenſis, Roffenſis, Decanus Lobanienſis, Lindanus, Arborius, Oſsius, Alanus, A Equius, Claudius de Sainctes, Belarminus, alijque ex Bibliæ expoſitoribus quam plures ſuper Matthæi 26. Marci 14 Lucæ 22. Ioannis 6. & . ad Corinthios 11. Ex iuris Canonici profeſſoribus plures in decreto de conſecratione diſtinct. 2. & in decretalibus ſub titulo de celebratione Miſſarum, Scholaſtici verò cum Magiſtro in 4. à diſt, 18. vſque ad 13. & cum D. Thoma in hac 3. p. qui non ſemel, aut iterum de hoc argumento egit, vt videre eſt apud ipſum lib. 4. contra gentes à cap. 60. & opuſculo 58. ſed potiſsime, & præ cæteris ab hac q. 73. vſque 83. incluſiue miro ordine acumine, intelligentia, ac deuotione hunc tractatum compleuit: ob quem & meruit ſpecialiter Neapoli ad imaginem Crucifixi orans, hanc vocem approbationis audire *bene ſcripſiſti de me THOMA: quam ergo mercedem accipies*: cuius ordinem & nos more ſolito ſequemur.

ART. I.

Vtrùm Euchariſtia ſit ſacramentum?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Euchariſtia non ſit ſacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo ſacramenta: quia vnumquodque ſacramentum efficax eſt ad ſuum effectum producendum. Cum ergo ad perfectionem ordinetur & confirmatio & Euchariſtia (vt dicit Dionyſ. 4.* Eccleſ. hier.) videtur Euchariſtia non eſſe ſacramentum, cum cõfirmatio ſit ſacramentum, vt prius habitum eſt †. *Inf. a. 4. & q. 79. a. 5. et 7. et 4. d. 8. q. 1. a. 5. q. 1.* *ca. 2. eccl. hier. an. m. & c. 4. in princ.* *q. 65. a. 4. & q. ſ[upr]a. a. 1. q. 62. & 65. a. 1.*

2 Præterea, in quolibet ſacramẽto nouæ legis id, quod viſibiliter ſubijcitur ſenſui, efficit inuiſibilem effectum ſacramenti: ſicut ablutio aquę, cauſat & characterem baptiſmalem, & ablutionem ſpiritualem: ſicut ſupra dictum eſt †. Sed ſpecies panis, & vini, quæ ſubijciuntur ſenſui in hoc ſacramento, non efficiunt neque ipſum corpus Chriſti verum, quod eſt res, & ſacramentum: neque corpus myſticum, quod eſt res tantum in Euchariſtia. Ergo videtur, quod Euchariſtia non ſit ſacramentum nouæ legis.

3 Prætereà, ſacramenta nouæ legis habentia materiam, in vſu materiæ perficiuntur: ſicut baptiſmus in ablutione, & confirmatio in chriſmatis conſignatione. Si ergo Euchariſtia ſit ſacramentum, perficeretur in vſu materiæ, nõ in cõſecratione ipſi-

materiæ. Quod patet eſſe falſum: quia forma huius ſacramenti, ſunt verba, quæ in conſecratione materię dicuntur: vt infra patebit *. Ergo Euchariſtia non eſt ſacramentum.

Sed contra eſt, quod in collecta dicitur, hoc tuum ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam.

Reſpondeo dicendum, quod ſacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubueniendum homini in vita ſpirituali. Vita autem ſpiritualis, vitæ corporali conformatur: eo quod corporalia, ſpiritualium ſimilitudinem gerunt. Manifeſtum eſt autem, quod ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit; & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ: ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſeruatur in vita. Et ideo ſicut ad vitam ſpiritualem opportuit eſſe baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio; & confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum: ita oportuit eſſe ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex eſt perfectio. Vna quæ eſt in ipſo homine, ad quam perducitur per augmentum: & talis perfectio competit confirmationi. Alia autem eſt perfectio, quam homo conſequitur ex adiunctione alicuius extrinſeci, hominem conſeruantis; puta ex adiunctione cibi, vel indumēti, vel alicuius huiuſmodi: & talis perfectio competit Euchariſtiæ, quæ eſt ſpiritualis refectio.

Ad ſecundum dicendum, quod aqua baptiſmi non cauſat aliquem ſpiritualem effectum propter ipſam aquam, ſed propter virtutem Spiritus ſancti in aqua exiſtentem. Vnde Chryſoſtom. * dicit ſuper illud Ioannis quinto. Angelus Domini ſecundum tempus, &c. In baptizatis non ſimpliciter aqua operatur: ſed cum Spiritus ſancti ſuſceperit gratiam, tunc omnia ſoluit peccata. Sicut autem ſe habet virtus Spiritus ſancti ad aquam baptiſmi: ita ſe habet corpus Chriſti verum ad ſpecies panis & vini. Vnde ſpecies panis, & vini non efficiunt aliquid niſi virtute corporis Chriſti veri.

Ho. 35. in Ioā. inter pr. & me. to. 3.

Ad tertium dicendum, quod ſacramentum dicitur ex eo, quod continet aliquid ſacrum. Poteſt autem aliquid eſſe ſacrum dupliciter, ſcilicet abſolutê, & in ordine ad aliud.

Hæc autem eſt differentia inter Euchariſtiam, & alia ſacramenta habentia materiam ſenſibilem: quod Euchariſtia continet aliquid ſacrum abſolutê, ſcilicet ipſum Chriſtum: aqua verô baptiſmi continet aliquid ſacrū in ordine ad aliud, ſcilicêt virtutem ad ſanctificandum: & eadem ratio eſt de chriſmate, & ſimilibus. Et ideô ſacramentum Euchariſtiæ perficitur in ipſa conſecratione materiæ: alia verô ſacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum.

Et ex hoc etiam conſequitur alia differentia. Nam in ſacramento Euchariſtiæ id quod eſt res & ſacramentum, eſt in ipſa materia: id autem quod eſt res tantum, eſt in ſuſcipiente, ſcilicet gratia quæ confertur. In baptiſmo autem vtrumque eſt in ſuſcipiente, ſcilicet & character, qui eſt res & ſacramentum, & gratia remiſsionis peccatorum, quæ eſt res tantum, & eadem ratio eſt de alijs ſacramentis.

Con-

CONCLVSIO eſt, Euchariſtiam eſſe ſacramentum, per quod homini tribuitur alimentum, quo in ſpirituali vita conſeruetur.

1 Ad huius concluſionis exactam intelligentiã tria ſunt quæ à Theologis in controuerſiam vocantur: nimirum vtrum Euchariſtia ſit nouæ legis ſacramentum: & quid in illo ſit ſacramentum tantum, & quid ſit res, & ſacramentum ſimul? quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An Euchariſtia ſit nouæ legis ſacramentum, ab alijſquè diſtinctum?

2 ET pars negatiua ſuadetur. Primo, quia quodcumque ſacramentum nouæ legis debet efficere, quod ſignificat, vt conſtat ex his quæ docuimus ſupra in tractatu de ſacramentis in genere: ſed Euchariſtiam non efficere, quod ſignificat, patet, quia ſignificat corpus, & ſanguinem Chriſti, propter duo: Tum, quia corpus, & ſanguis Chriſti, vt ſuppono ex dicendis eſt res, & ſacramentum ſimul, ac proinde ſignificatur per ſacramentum tantum. Tum etiam, quia ex vi verborum conſecrationis accidentia panis, & vini quæ antea ſignificabant ſubſtantiam panis, & ſubſtantiam vini, determinantur ad ſignificãdum corpus, & ſanguinem Chriſti, quæ tamen non efficit Euchariſtia, ſiquidem ſupponuntur effecta: ergo.

Huic argumento varias ſolutiones adhibebant antiqui, quas referunt recentiores, qui tamen illis reiectis reſpondent, Euchariſtiã ratione ſuæ formæ, ſeu ratione verborũ cauſare præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, & etiam ratione totius ſacramẽti cauſare corpus, & ſanguinem nõ quantum ad phiſicam entitatem, ſed quantum ad rationẽ ſignilate accepti: habent enim corpus & ſanguis Chriſti, prout in hoc ſacramento, quodam modo ſignare gratiã cibãtem, quam ſignificationem nullo modo participarent, niſi in Euchariſtia continerentur, duplici ergo ratione, & via: Euchariſtia cauſat corpus, & ſanguinem Chriſti, quæ ſignificat.

Sed contra hanc ſolutionẽ ſic arguitur, corpus, & ſanguis Chriſti ſecundũ quod ſunt aliquid præſens ſpeciebus, & inſuper quatenus cibant ſpiritualiter animã pertinent eſſentialiter in recto ad Euchariſtiã: ergo non poſſunt eſſe aliquid cauſatũ per ipſam Euchariſtiam, nec per aliquã ipſius partẽ, non ſolũ ſecundum ſuam entitatem phiſicam, verũ nec, vt ſubſtant ſpeciebus, & ſignificant gratiã cibãtem. Antecedens oſtenditur infra dubio ſequẽti, & cõſequẽtia probatur, quia id quod pertinet eſſentialiter ad cõſtitutione alicuius cauſæ efficientis in ratione talis repugnat, quod ſit effectus talis cauſæ, in prædicto genere cauſæ efficientis, nec alicuius, quod illam cauſam eſſentialiter conſtituit, v. g. quod eſſentialiter requiritur, vt ignis ſit cauſa efficiens alterius ignis repugnat, quod ſit effectus illius ignis, & alicuius eſſentialiter pertinentis ad ipſius conſtitutionẽ: ergo ſi corpus, & ſanguis Chriſti, vt præſentia ſpeciebus, & prout cibant ſpiritualiter animã ingrediũtur eſſẽtialiter in recto cõſtitutionem ſacramẽti Euchariæ, implicat quod efficiantur per ſacramentum Euchariſtiæ, aut per aliquam ipſius partem.

3 Secundo pro eadem parte arguitur: de ratione ſacramenti nouæ legis eſt ſignificare gratiã, qua formaliter iuſtificamur: ſed Euchariſtia non ſignificat huiuſmodi gratia: ergo. Maior quã negat Scotus in 4. d. 8. docens de ratione ſacramenti nouæ legis, vt ſic non eſſe ſignificare gratiã iuſtificantẽ, ſed vel illã gratiã, vel gratuitũ donũ Dei, & quia exiſtentia Chriſti Domini in Euchariſtia eſt gratuitũ donũ, & illa ſignificatur per Euchariſtiam: ideò ſacramẽtum nouæ legis eſſe, oſtenditur contra ipſum. Primò, quia eſt communis Theologorũ cũ D. Th. ſupra q. 60. art. 3. docentiũ ſacramentũ nouæ legis ſignificare tria, inter quæ principalius ſignificatũ eſt gratia habitualis, & ſanctificans.

Secundo, quia Trid. Seſſ. 7 can. 6. expreſſe diffiniuit ſacramẽta nouæ legis cõtinere gratiã, & verba facit de habituali ſãctificãte: vt ex cõtextu patet, loquiturq; indefinite, quæ locutio in materia doctrinali æquiualet vniuerſali.

Tertiò, quia ſacramẽtum nouæ legis

gratiã ſanctificantẽ cauſat: & hoc etiã habet Euchariſtia, quod nõ audebit Scotus negare: ergo eã ſignificare debet: nõ enim cauſalitas ſacramenti excedit ſuã ſignificationẽ, quia ſi ſignificare aliquod donũ gratuitũ ſufficeret ad ſacramentũ nouæ legis, vt vult Scotus, immolatio agni Paſchalis quæ ſignificabat Chriſtũ immolandũ pro nobis, & alia plura veteris legis, quæ ſignificabant gratuita dona, & beneficia Dei futura in lege Euãgelica, eſſent vera ſacramẽta eiuſdẽ rationis cum noſtris, quod falſũ eſt: ergo. Vnde min. prædicti ſillogiſmi in qua cõſiſtit difficultas, probatur ita: omnis ſignificatio Euchariſtiæ prouenit ab eius forma, videlicet à verbis conſecrationis, ſed verba conſecrationis, non ſignificant gratiam ſanctificantẽ, cũ ſignificent corpus, & ſanguinẽ Chriſti, quæ aliquid diſtinctiſſimum ſunt à gratia ſanctificãte, etiam ſi ſignificentur per modum cibi, & potus ſpiritualis: ergo.

Huic argumento quidam dicebant Euchariſtiã ſecũdũ rationẽ cõmunẽ ſacramẽti nouæ legis ſignificare gratiã ſanctificantẽ, in ratione tamẽ ſpecifica talis ſacramẽti ſignificare corpus Chriſti, & ſãguinẽ, nec mirũ eſt quod ſecundũ rationẽ genericam vnũ ſignificet, & aliud ſecũdũ ſpecificam ſicut homo ſecundũ rationem genericã importat gradum ſenſitiuum, & ſecundũ rationem ſpecificã gradũ rationalitatis. Sed hic modus iam communiter derelinquitur à modernis, & merito. Quia differentia ſpecifica debet determinare rationem genericam ſecundũ propriã rationẽ ipſius generis: ergo ſi ratio generica ſacramẽti eſt ſignificare gratiã ſanctificantẽ differẽtia ſpecifica huius ſacramenti, ſcilicet Euchariſtiæ, erit determinatio ad ſpecialem gradũ eiuſdẽ gratiæ, ſicut quia ratio generica animalis conſtituitur per ſenſibilitatem, ratio ſpecifica cõſtituens hominem intra genus animalis eſt determinatio ſenſibilitatis ad determinatũ gradũ, videlicet ad rationale. Et vrgeo difficultatẽ ex eo, quod ratio generica, nihil eſt aliud quam conceptus quidam communis abſtractus per intellectum ab ſpeciebus inferioribus in quibus reperitur: ergo ſi ratio ſacramenti ſic habet ſignificare gratiã ſanctificantem hoc ipſum debent habere ſacramẽta ſibi inferiora, vel ſi aliquod ſacramentum ſibi inferius, quale Euchariſtia, non habeat ex propria ſpecie gratiã ſignificare, ſed aliquod aliud: ſacramentum vt ſic abſtrahet ab hoc, quod eſt ſignificare gratiam habitualem, & aliquid aliud: quod ſolutio, quam impugno non admittit.

Vnde aliter reſpõdent Theologi, videlicet Euchariſtiam ſecundum gradũ ſpecificum ſignificare gratiam habitualem, & hoc ratione ſuæ formæ, etenim licet verba, quibus fit cõſecratio formaliter, & expræſſe non videantur ſignificare gratiam, re tamen vera eam ſignificant; eo quod ſignificant corpus, & ſanguinem Chriſti, nõ quomodocumq; ſed vt ſunt hoſtia immolata ſanctificans nos, vt conſtat ex ſequentibus verbis: *quod pro vobis traddetur, & c.* vel vt ſunt cibus, & potus ſpiritualis animæ per gratiam, ſicut ſubſtantia panis, & vini quibus ſuccedũt, ſunt cibus corporis. Significat igitur Euchariſtia gratiam cibãtem, ſeu reficientem per modũ cibi, & potus, quam ſignificationem habet à propria forma.

4 Verum contra iſtam ſolutionẽ oppono ſic, licet admittamus; quod Euchariſtia ſignificet gratiã cibantẽ, & hoc colligitur ex verbis cõſecrationis adiunctis antecedẽtibus, & ſequentibus, expræſſius tamen formalius, & principalius, ſignificat corpus, & ſanguinẽ Chriſti, qui efficit animæ ſanctitatem, quod videtur aperte conſtare ex ipſius vocibus componẽtibus formam Euchariſtiæ: ergo non ſaluatur adhuc, quod Euchariſtia ſit ſacramentum, Probatur hæc cõſequẽtia, quia de ratione ſacramenti vt ſic, eſt ſignificare gratiã ſanctificantem animam principalius expræſſius, & magis formaliter, quam alia quæ ſignificat. Quod probo, quia vt ſupra dixi ex D. Th. & ex communi Theologorũ, gratia eſt eſſentiale ſignificatum per ſacramẽtũ per reſpectum ad quod ſpecificatur, vt conſtat ex eius diffinitione, dũ dicitur, eſt ſignũ rei ſacræ ſanctificantis nos: ergo debet eſſe principalius, expræſſius, & formalius ſignificatũ ſacramẽti, quia ſignificatũ à quo ſignũ eſſentiale ſpecificatur; ita ſignificari debet: cum ergo Euchariſtia non ſignificet ſic gratiã, ſed corpus, & ſanguinẽ Chriſti, gratiã vero ad ſumũ in obliquo minus principaliter, & quaſi implicite; fit ſacramẽtum non eſſe. Explico hoc exemplo dialectico, demus quod ſignum vt ſic, ſpecificatur per ordinem ad ſignificatum, primo, & principaliter, & per reſpectũ ad potẽtiã cognoſcitiuã in obliquo, & minus principaliter: ſane ſignum expræſſius, & magis principaliter ſignificabit ſignificatum,

tum,

tum, quàm potentiam, & rurſus fiet inde
quod ex vi ſuæ ſignificationis reſpiceret
potētiā principalius expræſsius, quā ſig
nificatū nō eſſe collocādam, prout ſic for-
maliter in genere ſigni, ad rē: ergo ſi ſacra
mentū nouæ legis conſtituitur per hoc quod
reſpiciat gratiā, vt ſpecificatiuū, ipſam de-
bet reſpicere ex vi ſuæ ſignificationis for-
malius expræſsius, & magis principaliter
quā alia ſignificata, atque adeò cū Eucha
riſtia nō gratiā reſicietē, ſed corpus, & ſan
guinē Chriſti expræſsius, & principalius
ſignificet ex vi ſuæ ſignificationis, vt ver
ba ſonant, ſequitur intētū argumēti videli
cet in genere ſacramenti nouæ legis non
poſſe conſtitui.

5 Tertio, & vltimo ſi Euchariſtia eſſet
ſacramētū nouę legis maximè propter D.
Th. ratione, ſed illa nō eſt efficax, proba-
tur min. ratio D. Thom. poſsita eſt in eo,
quod vita ſpiritualis ad quā præſtandā ſa-
cramēta nouæ legis fuerunt inſtituta pro-
portionatur vitæ naturali, atquè adeò, ſi-
cut ad vitā naturalē requiritur generatio,
per quā vita recipitur, & augmētū quo vi
uens producitur ad perfectionē vitæ, & a-
limētū quo in vita cōſeruetur ita ad vitam
ſpiritualem eſt neceſſarius baptiſmus, qui
eſt ſpiritualis generatio, confirmatio per
quam confertur ſpirituale augmētū, & Eu
chariſtia etiam quæ ſit ſpirituale alimentū
danda erit, at hæc ratio tantū abeſt, quod
probet intētū, quin oppoſitū concludat,
etenim vita corporalis eodē alimēto eadē
què facultate quibus augetur, nutritur, &
conſeruatur: ergo ſi illa proportio eſt attē
denda ſufficit ſacramentum confirmatio-
nis, & Euchariſtiæ ponendum non erit.

6 Nihilominus ſecūdū fidē aſſerendū
eſt Euchariſtiam eſſe ſacramētū nouæ le-
gis: hanc concluſionem, etiam hæretici fa-
tentur, vt oſtendūnt cōmētatores; hæreti
ci, inquā, qui vtcūquè ſacramēta Eccleſiæ
admittunt. Imò Prateolus verbo, Maho-
metas, num. 16. refert Mahometē nō ſubſ
tuliſſe, ſed in Deū retuliſſe Euchariſtiā, &
tātā in ea agnouiſſe virtutem, vt quarto
Alcorani putauerit in fide, & bonis operi
bus cōfirmari quotquot illam guſtaſſent,
& ſine remedio eſſe damnatos qui poſt de
guſtatā Euchariſtiam impij facti ſunt, in
quo optimè animaduertit Prateolus, ma-
iorē pietatē retinuit Mahoma, quā moder
ni ſectarij, qui ſe Euangelicos tractant, &
tamē nō dubitant cōtra Euchariſtiā horrē
da ſacrilegia. Cōcedunt igitur hæretici ſa-
cramētū Euchariſtiæ turpiter admittunt,
enim titulum ſine re, cum dicant Euchariſ
tiā ponēdā eſſe per modū cuiuſdā cibi, nō
vt re vera continens corpus, & ſanguinem
Chriſti Domini, de quo infra contra ipſos
dicetur, dum probetur noſtra concluſio.

Et primo ex locis ſcripturæ tactis in
prooemio materiæ, in quibus aperte dici-
tur corpus, & ſanguinē Chriſti vere, & rea
liter cōtineri in Euchariſtia; quod ſi conti
nentur, quis dubitet verū ſacramentū eſſe.
Quibus accedit tū authoritas Sāctorū Pa
trū qui referuntur de cōſecratione, diſt. 2.
& peculiariter Dionyſius de Eccleſiaſtica
hierarchia, Aug. epiſt. 23. & Ambroſ. lib.
de ſacramētis. Tum etiā doctrina Cōcilio
rū Florētini, videlicet in decreto fidei, §.
5. Carthaginēſis tertij, c. 28. & 29. refer-
turquè in c. firmiter de ſumma Trinitate,
& fide Catholica, & Trid. Seſſ. 7. can. 1.
& tota Seſſ. 13. atquè deniquè communis
fidelium conſenſus, & Eccleſiæ Romanæ
tradditio.

7 Secundo ratione Theologica à prio
ri deſumpta ex diffinitione ſacramenti no
uæ legis: eſt enim ſacramentū nouæ legis,
vt docet Sanctus Thomas ex Aug. 10. de
ciuitate, c. 5. ſignum à Chriſto Domino in
ſtitutū rei ſacræ ſanctificantis nos, vel vt
alij cū Magiſtro, & Trid. Seſſ. 13. c. 3. in-
uiſibilis gratię, viſibilis forma, quod in idē
incidit; ſed Euchariſtia eſt huiuſmodi: er-
go. Probatur minor ex multis Scripturę te
ſtimonijs in quibus habetur Euchariſtiā
inſtitutā fuiſſe à Chriſto Domino ſub for
ma ceremoniæ ſacræ, ſeu ſigni ſenſibilis in
finem nutriēdi animā, quę nutritio fit per
hoc quod Euchariſtia cauſat gratiā in anī
ma, vel aliter formari poteſt hęc probatio.
Vt ipſam efformauit Cathechiſmus noſtri
Pij V, hoc modo: ad veritatem alicuius ſa
cramēti oſtēdēdā, tria oſtēdēda ſunt, vide
licet forma, vel ritus ſenſibilis; inſtitutio,
vel præceptum Chriſti, & promiſsio gra-
tiæ cōferendæ per talem ritum, formam, ce
remoniā, vel ſignum, ſed in Eucharia hęc
tria reperiūtur, datur enim ſēſibilis, ſeu ſē
ſibile ſignum, ritus, & ceremonia, ſcilicet
ſpecies panis, & vini quibus conſtat Chriſ
tum fuiſſe vſum Matth. 26. accepit panē,
&c, dedit enim inſtitutū, ſeu præceptum,
ibi: *Hoc facite in meam cōmemorationem*, &
promiſsit gratiam illis verbis: *Qui mandu-
cat hunc panem bibet in æternū*: ergo Eucha-
riſtia vere, & proprie eſt ſacramētū nouæ
legis; itaque quia hæc res eſt Theologica
ad

ad principia Theologiæ quæ ſola fide creduntur, recurrendum eſt pro ipſius oſtenſione; atque adeo ad Chriſti Domini beneplacitũ volentis hoc mirabile ſacramentũ inſtituere confugimus. Rationẽ autẽ congruentem illius diuini beneplaciti optime aſsignauit D. Th. in corpore articuli, diſcurſu in vltimo argumento ſupra poſsito, quæ adhuc magis explicari poteſt addendo, quod cum lex Euangelica ſit perfectiſſima, & ordinetur ad hominis ſalutẽ, & iuſtificationẽ debet in ſe cõtinere media iuſtificationis, & ſalutis, quæ ſunt ſacramẽta quibus conferatur gratiæ plenitudo, ſed vnus ex præcipuis medijs, quibus ſalus, & iuſtificatio noſtra plene fit, eſt per modum cibi, & potus ad conſeruationẽ in vita ſpirituali: ergo opportuit ab authore ſupernaturali fuiſſe prouiſſum Eccleſię de hoc venerabili ſacramento.

8 Ad argumẽta in contrariũ reſpondetur: ad primũ optima eſt ſolutio ibi tradita quæ magis explicabitur ſoluendo replicam contra illã, ad quã dico, quod licet corpus, & ſanguis Chriſti eſſent aliquid eſſentialiter, & in recto pertinens ad Euchariſtiã, quod ego non defendã, partim propter hanc obiectionem, tamen poſſunt cauſari à verbis cõſecrationis ſecundũ ſuã pręſentiã ſub ſpeciebus, quia cũ verba intelligantur prius natura, quã ſpecies, vt cõſecratę, & quã corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus, nihil prohibet quo minus prædicto modo corpus, & ſanguinẽ Chriſti cauſent. Sicut ſi verũ eſſet, Deũ poſſe aſſumere inſtrumentũ ad creandum, poſſet quidẽ aſſumere animã rationalem ad creandã materiã primã ex qua, & anima, fieret vnicũ compoſsitũ, & de facto anima quæ cõponit hominẽ eſt cauſa quaſi efficiens intellectus quo homo integratur, & ſimiliter ſubſiſtentia ignis, quæ requiritur vt ignis efficiat eſt effectus formæ ignis. Sic ergo in præſenti verba cõſecrationis quæ ſunt forma Euchariſtiæ. Et rurſus admiſſo, quod totum ſacramentũ habeat efficere id quod eſt res, & ſacramentũ ſimul de quo ſuo loco, ſpecies ipſæ vt conſecratæ efficiũt corpus, & ſanguinẽ, ſecundũ quod corpus, & ſanguis ſignificant quomodocũque gratiã cibantem animam, quia vt infra videbimus illa ſunt res, & ſacramentũ ſimul, atque adeo, & ſi ſint pars huius ſacramenti ſignificantur etiam & cauſantur per ipſũ ſacramentũ, prout prædictã gratiã aliqualiter ſignificant: exemplum reperitur in cõ-

tr-

tritione, quæ eſt pars ſacramẽti Pœnitentiæ, & tamen cauſatur, & ſignificatur ſub aliqua ratione per ipſum ſacramẽtũ, vt doceo cum communi in materia de Pœnitentia. Ecce quomodo pars alicuius cõpoſsiti poteſt effici ab alia parte, & quo pacto id quod eſt ſub vna ratione pars cauſæ efficientis, ſub alia valet ab eadem effici, ita in ſententia, quæ ſupponitur, habent diſtingui duæ rationes in corpore Chriſti, alia ſub qua ſit pars ſacramenti tantum: & alia ſecundum quam ſit res, & ſacramentum ſimul: de quo alibi.

Ad ſecundum etiã reſpondetur ſolutione inter arguendũ aſsignata: Ad cuius impugnationem dicendum, quod ſpecies cõſecratæ, & determinatæ per verba cadẽtia ſupra materiã cõmeſtibilem, & potabilem ſignificant quidẽ immediatius corpus, & ſanguinẽ, quã gratiã reficientẽ, cæterum principalius, expręſsius, ac formalius ſignificãt ipſam gratiã, & corpus & ſanguinẽ ſecũdũ quod reſpiciũt illã, vt ſignificãdã, & cauſandã, & vt ſtãt formaliter ſub eadẽ. Nec obſtat quod verba ſonent oppoſitũ conſtat enim ex toto contextu Euchariſtiã ſignificare refectionem animæ, ac proinde formalius, expræſsius, & principalius gratiã, qua mediante formaliter fit refectio, ſicut verba quæ ſunt forma matrimonij quantum ad ſonũ non videntur importare gratiam coniugalem: nec forma cõfirmationis gratiam cõferentem robur, & ſic de alijs ſacramentis, & tamen re vera illas gratias formalius, & principalius ſignificant, vel ſaltem ſignificant gratiam ſpecialem ſufficienti modo, vt ſint vera ſacramenta, ita de Euchariſtia dicendum eſt.

9 Vltimũ argumentũ diſſoluã poſt ſecundã partem dubij; cuius etiam pars negatiua apparet vera. Primò, propter illud argumentũ, quo videtur cõuinci, vel Euchariſtiã non eſſe ponendã tãquã ſacramẽtum Eccleſiæ, vel ſi ponatur, vt docuimus a confirmatione non diſtingui. Quã difficultatem vidit D. Th. eamque propoſuit primo loco in hoc art. & reſpondit his verbis. Ad primum ergo dicẽdũ quod duplex eſt perfectio, vna quæ eſt in ipſo homine ad quã perducitur per augmentũ, & talis perfectio competit confirmationi, alia autem eſt perfectio quã homo cõſequitur ex adiunctione alicuius extrinſeci hominem conſeruantis, puta ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicuius huiuſmodi, & talis perfectio competit Euchariſtiæ, quæ eſt ſpiritualis refectio,

A5

At hęc ſolutio ſancti Thomæ non ſatis facit: etenim in vita corporali vtraquè perfectio, tam ea quæ acquiritur per augmentum, quam quæ per nutritionē acquiritur, & prouenit ex adiunctione extrinſeci, ſcilicet alimenti, eſt viuenti intrinſeca. & ſimiliter in vita ſpirituali, quæ per gratiam cōſtituitur, & quam S. Doctor vitæ corporeæ aſsimilat; perfectio gratiæ quæ cauſatur per vtrumque ſacramentum intrinſeca eſt animæ, & vtrumque ſacramentum cauſans efficienter proprium effectum eſt aliquid extrinſecū animæ ſpiritualiter viuēti: igitur doctrina data à D. Th. nulla eſt.

Et confirmatur hoc, quia ſacramenta diſtinguntur pœnes effectus principales, quos efficiunt, & ad quos vt ad finem ordinantur; ſed ex parte effectus, vel finis ad quem per ſe ordinantur Euchariſtia, & cōfirmatio non diſtinguntur: ergo. Probatur min. quia Euchariſtia cauſat augmentum gratiæ ſupra primam, quæ data eſt in baptiſmo, & affert etiā ſecum auxilia gratiæ, quibus poſsit homo viriliter pugnare cum hoſtibus viſibilibus, & inuiſibilibus fidei, & gratiæ, vitamque ſpiritualem agere obſeruando diuinam legem: & ſimiliter confirmatio auget Dei gratiam receptam in Baptiſmo, & illam conſeruat, ac affert auxilia quibus fortiter conſeruata fide, & obſeruatis mandatis diuinis, ſic gratia conſeruetur, vt magis, & magis copuletur ſuſcipiens confirmationem Chriſto Domino; gratia autem tali, vel tali modo cauſata, eſt effectus, & finis ad quem per ſe ſacramenta ordinantur: ergo nec in effectu, & fine proprio confirmationis eſt aliquis modus, quem non intēdat Euchariſtia, nec ècontra in effectu, & fine Euchariſtiæ eſt aliquid ſpeciale non intentum per ſe à confirmatione, ac per conſequens idem ſacramentū erit Euchariſtia, & cōfirmatio.

10 Secundo, quia ſacramenta diſtinguntur inter ſe pœnes diuerſum modū ſignificandi, & cauſandi gratiam; ſed Euchariſtia, non habet diuerſum modū ſignificādi. & cauſandi gratiam ab alijs ſacramētis: ergo. Probatur minor: Euchariſtia ſignificat, & cauſat gratiam per modū ſigni vnionis, & vinculi charitatis: vt docuit D. Th. infra q. 79. a. 1. hic autem modus ſignificādi, & cauſādi gratiā cōmunis eſt omnibus ſacramētis: omnia enim ſignificant, & cauſant gratiam, de cuius ratione eſt vnire, & vinculare in charitate fideles inter ſe, & cū Chriſto capite: quod & vrgentius ſignificari videtur in ſacramento matrimonij, quod gratiam per modum vinculi cauſat, & ſignificat: ergo non eſt Euchariſtiæ ſacramentum diſtinctum ab alijs, & ſpecialiter à matrimonio.

Dices verū eſſe omnia ſacrameta cauſare gratiā, quæ vnit fideles intes ſe, & cum Chriſto, & per Euchariſtiam ſignificari ſpeciali modo, qui modus conſiſtit in hoc, quod ſignificetur per modum refectionis, vel conuiuij ſpiritualis animæ, quo mediāte copuletur anima Chriſto capiti, & ſpecialiter, ſcilicet alimēto eiuſdē animæ; & hoc modo eſt intelligēdus S. Thomas dū de effectu Euchariſtiæ loquitur.

Sed contra obſtat; quia licet hoc ſacramētū ſumatur per modū cōuiuij, quod alijs ſacramētis non conuenit, hoc habet ſe quaſi materialiter, & nō formaliter in præſenti conſideratione; igitur nō ſufficit ad cauſandā diſtinctionē formalē, & ſpecialē inter ipſum, & alia ſacramēta. Cōſequētia eſt euidens, quia ex eo quod ſe habet materialiter in ſignis, & cauſis nō ſumitur diſtinctio ſpecifica, & formalis. Et antecedēs probatur: non ſe tenet intrinſece ex parte ſignificati, & effectus ad quem per ſe ordinatur Euchariſtia: ergo non ſe habet formaliter: etiam hæc cōſequētia eſt euidens, etenim id quod ſe habet formaliter in ſignis, & cauſis debet intrinſece reperiri ex parte ſignificati, & effectus, ſiquidē ſignificatū, & cauſa ab effectu, & ſignificato ſpecificatur, & antecedens probatur: effectus & finis ad quē per ſe ordinantur Euchariſtia eſt augmentū gratiæ, in quo Chriſtus influit, in hoc autem augmento intrinſece nihil reperitur, quod non reperiatur in augmentis cauſatis ab alijs ſacramentis, in quæ etiam Chriſtus influit, licet reperiatur, quod cauſetur à ſacramento ſumpto per modum cibi, vel conuiuij, quæ eſt quædam extrinſeca denominatio: ergo differentia illa non tenet ſe intrinſece ex parte ſignificati, & effectus Euchariſtiæ.

11 Tamen indubitata cōcluſio ſit, ſacramentū Euchariſtiæ diſtinctū eſſe ab omnibus alijs ſacramētis nouæ legis, ita colligitur ex Florentino in decreto Eugenij IV. & Tridentino ſupra allegato docentibus ſeptem eſſe ſacramēta Eccleſiæ inter ſe diſtincta, vnū autem ex illis eſt Euchariſtia: ergo. Et probatur ratione; ſacramenta differunt ex eo quod habeant diuerſam materiā, & diuerſam formā, & quod ſignificent & cauſent diuerſimode gratiā ſanctificantem;

tem: & hoc ſecũdũ in illo primo originatur, quia eo ipſo, quod ſacramentum ſit diuerſimode cõpoſsitum ex diuerſa materia, & diuerſa forma, diuerſo modo ſignificat, & cauſat: vt per ſe conſtat; ſed ſacramentũ Euchariſtiæ habet materiam, & formã diuerſam à materijs, & formis aliorum ſacramẽtorũ, vt vbi oſtendit Pontifex Eugenius, & patebit ex dicendis; ſignificatquè, & cauſat gratiam ſpeciali modo non competenti alijs ſacramentis, vt ipſe Eugenius eleganter docuit his verbis: *Per baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationẽ augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia, quod ſi per peccatum, ægritudinẽ incurramus animæ, per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam, & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam vnctionem, per ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur.* Hæc ille, quibus aperte oſtenditur ſpeciali modo ſignificari gratiam per Euchariſtiam. videlicet per modum ſpiritualis alimoniæ, & cibi, quo nutritur, & conſeruatur anima ſpiritualiter: vt dicebatur inter arguendum, & dicetur poſtea: ergo diuerſum ſacramẽtum eſt Euchariſtia à reliquis.

12 Et per hæc ad argumenta patet, ad primũ quod eſt vltimum poſsitum in 1. p. dubij negatur minor. Ad cuius probationem reſpondetur illam eſſe rationem D. Thomæ, ſed non eſſe ſeruandam ſimilitudinem, quantum ad naturam, ſed ſufficere, quod teneat in operatione, qua tendit viuens ad augmentum, & qua per nutritionẽ tuetur vitam augmentatã, & perfectã, quę operationes in naturalibus duæ ſunt, licet virtus a qua vtraque procedit eſſet eadem, de quo modo non curo, ita in præſenti duplex ſacramentum eſſe dicitur, & cõſirmatio pro ſpirituali augmento roboris, & Euchariſtia pro ſpirituali refectione, & maiori vnione cum Chriſto: aſsimilantur igitur hæc duo ſacramẽta augmento, & nutritioni, quod ſicut poſt primum eſſe vitæ naturalis ſuccedit augmentum, & poſtea nutritio, ita poſt primum eſſe vitæ ſpiritualis per baptiſmum ſuccedit per cõfirmationẽ ſpirituale robur, & poſtea per Euchariſtiã ſacra alimonia qua nutriatur, & conſeruetur anima in ſpirituali vita, ſicut & in naturalibus aliquando ſiſtit augmentum inuariabile, numquã vero nutritio. Teſte enim Philoſopho nutrimur ſemper, augemur nõ ſemper, ita confirmatio ſemel recipitur, & ſic ſtatum inuariabilem habet, Euchariſtia vero ſemel, & iterum, & toto vitæ tempore ſumitur, & reiteratur; itaq; augmẽtũ, & robur in vita ſpirituali, vt inquit Florẽt. eſt proprius finis confirmationis, Euchariſtiæ vero ſpiritualis nutritio, & cõſeruatio vitæ ſpiritualis, per ſpiritualem cibum corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, id eſt, finis confirmationis eſt gratia ſanctificans exigens auxilia diuina data conuenienti tempore, vt poſsit confirmatus tanquam miles Chriſti reſiſtere tẽtationibus ſubortis contra fidem, & charitatẽ, & pugnare viriliter cum hoſtibus inuiſibilibus, & viſibilibus fidei, ipſam profitendo coram quibuſcumque: ita vt inde non retrahatur propter confuſionem aliquam, vel terrorem (vt D. Th. terminis vtatur) finis vero per ſe Euchariſtiæ eſt eadem met gratia ſanctificans pro vt poſtulans auxilia Dei, quibus poſsit communicans conſeruari in eadem gratia, creſcere in illa, atque in virtutibus, & magis adunari cum Chriſto, in his enim conſiſtit ſpiritualis cibatio, alimonia, vel nutritio, quam per ſe inſpicit hoc ſacramentum, & hoc voluit S. Thom. in 4. diſt. 8. q. 1. art. 1. quæſtiuncula prima ad primũ, & in præſenti. Cuius impugnatio non obſtat, quia S. Doctor noluit negare, quod ibi probatur, ſed appellauit perfectionem confirmationis intrinſecam in ipſo homine manente, quia eſt perfectio roboris, virilitatis, & augmenti perſeuerantis in homine inuariabiliter, ſicut augmentum, & virilitas in naturalibus viuentibus perfectionem vero Euchariſtiæ docuit eſſe ab extrinſeco, quia variari poteſt, & amitti, ſicut variatur, & amittitur, quod per naturalem nutritionem variatur & amittitur. Nec obſtat, quod gratia quæ cõfertur per confirmationẽ amittatur per peccatum, ſicut quæ per Euchariſtiã confertur, quia manet indelebilis character petens auxilia de quibus ſupra, & ratione huius permanentiæ verificatur, quod manet augmẽtũ, robur, & virilitas ad pugnam, & victoriã. Aliam interpretationem D. Th. adducit Nuño in præſenti: nobis ſufficiãt dicta, per quæ intelligitur ratio D. Th. in corpore artic. ſaluatur differẽtia ab ipſo aſſignata inter Euchariſtiã, & cõfirmationẽ & ſoluitur confirmatio primi argumẽti cõtra hanc partem.

Secundum etiã cum eius replica: ſiquidem apparet ex parte effectus Eucha-

riſ-

riſtiæ intrinſeca exigentia ſpecialium auxiliorũ, quæ non exiguntur ab effectibus cauſatis per alia ſacramenta. ac denique ſit ſatis toti dubio præpoſito, poſt quod ſuccedebat agendum de excellentia ſacramẽti Euchariſtiæ, niſi ſupra q. 65. art. 3. eſſet de illa cũ D. Th. ex profeſſo actum; vnde ſtatuto iam Euchariſtiam eſſe ſacramẽtũ, & ab alijs diſtinctum, quod ad quæſtionẽ an eſt, pertinet: videamus in quo ipſius eſſentia cõſiſtat, quod dubio ſequenti pergimus declarare.

Dubiũ ſecundũ eſt: An in Euchariſtia, ſacramentum tantũ, ſint ipſæ ſpecies panis, & vini continentes corpus, & ſanguinẽ Chriſti?

13 IN hoc dubio, pro eius tituli intelligentia operæ prætiũ eſt prænotare in hoc ſacramento, ſicut, & in alijs tria eſſe diſtinguenda ex communi Scholaſticorum ſententia cum Magiſtro in 4. d. 8. nimirum ſacramẽtũ tãtũ, rẽ tãtũ, & ſacramentũ ſimul cũ re: quibus addẽdũ eſt in præſentiarũ ob ſpecialem difficultatem, aliud quartum, ſcilicet virtus per quam id quod eſt ſacramentum tantũ operatur effectum gratiæ: hæc enim virtus licet in alijs ſacramentis quæ in fieri conſiſtunt, ſit aliquid fluens, tamen in hoc ſacramento Euchariſtiæ debet eſſe aliquid permanens cũ ipſo, quod in facto eſſe conſiſtit. Et quia de eo quod eſt res tãtũ, nulla eſt difficultas, eo quod omnes indubitate ſentiunt, illam eſſe gratiã ſanctificantem datam in hoc ſacramento: propterea de alijs tribus inquirendũ nobis eſt, & quidem de ſacramento tantum in hoc dubio, in ſequẽti vero de alijs duobus, & quidẽ vt ordine doctrinæ procedamus: ab eius diffinitione quid rei, (omiſsis diffinitionibus quid nominis, de quibus infra) exordiri placet: totumquè dubiũ in tres diuidere partes, In quarum prima ſupponenda ſunt tria cõmuniter à Theologis recepta.

14 Primũ eſt ſumptionẽ, vel vſum Euchariſtiæ, nec eſſe totũ ſacramẽtũ, neque illius partẽ eſſentialẽ, aut integralẽ: docuit hoc S. Th. ad tertium dicens, ſacramẽtum Euchariſtiæ perfici in cõſecratione materiæ: cõſecratio autẽ materiæ ante vſum reperitur: & quod non ſit totũ ſacramẽtum diffinitur contra hæreticos in Trid. Seſſ. 13. c. 3. & cap. 4. quod verò nullatenus ſit pars, eſt cõmuniter receptũ cõtra Aureolum, & ratio efficax pro toto præſuppoſito, ſumitur ex inſtitutione huius ſacramẽti, fuit enim inſtitutũ per modũ cibi, ſeu refectionis animæ proportionabiliter, ac cibus corporalis, eſt cibus corporis: ſed vſus, vel ſumptio cibi corporalis, nec eſt cibus ipſe, nec pars eſſentialis, vel integralis cibi: ergo nec vſus, ſeu ſumptio Euchariſtiæ erit Euchariſtia, vel aliquo modo ipſius pars erit; ſed conditio eſſentialiter connotata ex vi inſtitutionis huius ſacramenti, iuxta illud, *accipite, & manducate*, quod per docte vidit Nuño difficult. 2. cõcluſ. 7. & vt ſic requiritur ad cauſandã gratiã, niſi enim ſumatur, illã non cauſabit, ſicut manducatio eſt cõditio requiſita, vt cibus materialis nutriat corpus, at ſicut cibus materialis totus ſaluatur eſſentialiter, & integre ante ſumptionem; ita cibus iſte ſpiritualis perfectus eſſentialiter, & integraliter eſt ante vſum ipſius.

15 Sed in contra eſt argumentũ: ſumptio ſeu vſus Euchariſtiæ eſt ceremonia ſenſibilis ſignificans, & cauſans gratiã ex illo: *qui manducat meam carnem, &c.* ergo eſt ſacramẽtum, vel materia partialis integrans eſſentialiter Euchariſtiæ materiã, ſicut cõfeſsio materiã pœnitentiæ, vel integralis, ſicut ſatisfactio eſt pars integralis materiæ pœnitentiæ: probatur conſequẽtia, quãtũ ad ſecundã partẽ diſiunctiue ex diffinitione ſacramenti, quãtũ ad alias ex paritate partiũ pœnitentiæ. Et vrgetur difficultas, quia aliæ partes Euchariſtiæ non cauſant gratiã, niſi vt coniunctæ cõſumptioni: ergo nõ ſignificant ipſam, niſi vt cõiũctæ cũ illa; ſignificatio enim, & cauſatio in ſacramẽtis cõmenſurantur, proportionãtur, & adæquãtur: ergo nõ eſt cur vſus nõ ingrediatur, vt pars huius ſacramẽti; ſiquidẽ cõcurrit ad ſignificationem, & cauſalitatem gratiæ datæ per illud.

Reſpõdetur vſui Euchariſtiæ eſſe promiſsã gratiã, nõ vt ſignificãti, ſed vt applicationi ſigni, & cauſæ, vnde et ſi nũquã ſumatur Euchariſtia, adhuc retinet vim cauſandi, & ſignificãdi, & ratio huius deſumitur ex dictis, ſcilicet, quod hoc ſacramẽtũ eſt ad modũ cibi inſtitutũ, cibus enim de ſe habet totã vim cibãdi antecedẽter ad mãducationẽ, licet hæc requiratur, vt cõditio applicans virtutẽ cibi, quapropter aliæ partes Euchariſtiæ ſi requirunt vſum, nõ eſt vt ſignificent, & ſint cauſatiuæ gratiæ, ſed vt de facto, & in exercicio eã cauſent, quod nõ ſufficit, vt vſus, ſeu applicatio dicatur pars eſſentialis, vel integralis huius ſpiritualis cibi; ſecus cõtingit in illis partibus

bus

bus pœnitētiæ, in argumēto adductis, cū ſine ipſis nō ſaluetur integra ratio iudicij, ad modum cuius fuit ſacramentum pœnitentiæ inſtitutum.

Cōtra hanc ſolutionē cōmunē, quæ videtur euacuare argumēti vim; ita obijcio: quod Euchariſtia ſit inſtituta ad modū cibi non eſt ſufficiens ratio, vt ante vſū, vel applicationē ſaluetur eius integra, & adæquata eſſentia: ergo ſolutio non ſatisfacit. Probatur antecedens, quod Extremavnctio ſit inſtituta ad modū medicinæ ad ſanādas ægritudines animæ, & corporis, nō eſt ſufficiēs ratio, vt actualis vſ⁹ vnctionis vel applicatio nō ſit pars illius: ergo ſimiliter in præſenti. Explico difficultatē, ſicut Euchariſtia eſt inſtituta ad modū cibi, de cuius natura eſt habere virtutē nutriendi ante ſumptionē, ita Extremavnctio eſt inſtituta ad modū medicinæ, & olei, de cui⁹ etiā ratione eſt habere virtutē ſanādi antecedēter ad vſum, vnctionē, vel applicationē, ſed nō obſtāte hac proportione in Extremavnctione applicatio ipſa, & vſus, eſt pars illius: ergo pariter nō obſtāte illa proportione Euchariſtiæ cū cibo, ſūptio erit pars Euchariſtiæ, vel aſsignetur ratio quare in Euchariſtia ſit obſeruanda ad vnguē prædicta proportio, non vero in Extremavnctione.

Atq; obiter ex hac paritate inſto aliam probationē, quā ex cōcilijs cōficiūt cōmuniter Theologi ad probādū noſtrū præſupoſitū cōſiſtentē in eo, quod concilia dicunt ſacramentū Euchariſtiæ eſſe permanens, ſeruari in ſacrario, aſportari ad infirmos, &c. Iſtæ autē locutiones ante ſūptionē verificātur: ergo. Sed ecce inſtātiā in dictis: Extremavnctio dicitur ſacramētū permanens, quādo quidē aſſeritur in ſacrario aſſeruari, & aſportari ad infirmos, & tamē actualis Vnctio, vel vſus, qui nec permanet, nec ſeruatur, nec aſportatur eſt pars Extremævnctionis: ergo ex eo quod ſūptio Euchariſtiæ non permaneat nō ſeruetur, & aſportetur, vel etiā inferatur nō eſſe totū ſacramētū, nō tamē infertur nō eſſe partē Euchariſtiæ. Poſſemuſq; aliā inſtātiā ad hoc ipſum afferre ex præſenti materia, quia verba cōſecrationis, ſecundum multos Doctores pertinent ad Euchariſtiam, vt eius pars, & tamen nō permanent, nec ſeruantur, vel aſportātur: ergo modus ille arguendi ex concilijs inſtatur.

Sed reſpōdetur Euchariſtiā fuiſſe adæquate inſtitutā per modū cibi nutrie̅tis animā, Extrem[illegible] Vnctionē non adæquatē inſtitutā fuiſſe ad modū olei, ſeu medicinę ſanātis: hoc ſecundū colligo ex eo quod alias, ſicut in naturalib⁹ medicina à quocūq; applicetur, naturaliter operatur; ita oleū cōſecratū à quolibet applicaretur, & ſine vllis determinatis verbis effectū ſacramētalē produceret: quod eſt falſū. Primū vero ex oppoſito deduco, quia panis cōſecrationis à quocūq; applicetur cauſabit ſuū effectū: ſignū ergo eſt in pane conſecrato reperiri adæquatę eſſentiā ſacramēti Euchariſtiæ, nō autē in oleo ſacro eſſentiā Extrēmęvnctionis, ac proinde Euchariſtiā magis aſsimilari cibo, quā Extremā vnctionē medicinæ: Extrema enim Vnctio exigit pro parte, ex Xpi. Dn̄i. inſtitutione, Vnctionē ipſā factā à tali miniſtro cū talib⁹ verbis, atq; adeò ante applicationē nō ſaluatur adæquatę, & cōplete, ſignū gratiæ, quia ipſe vſus, & applicatio eſt de ratione huius ſacramenti, & aliorum; tamē communiter Theologi diſtingunt Euchariſtiam ab illis.

Et per hoc reſpōdetur ad inſtātias illi⁹ probationis aliorū Doctorum ex concilijs, quæ meo iudicio in tātū eſt efficax in quātū reducitur ad eā, quā ex inſtitutione hui⁹ ſacramēti deſumpſimus, ſed libet modo quātum ad præſens attinet illā defendere: quod enim abſolute ſentiā, dicā poteà in fine ſecūdi præſupoſiti. Reſpōdeo ergo ad primū Euchariſtiā adæquatę ſumptā dici permanere, aſportari, & ſeruari: adæquate inquā, ſaltē quātū ad adæquatā materiam, Extremā vero Vnctionē in adęquate quoad materiā remotā: quod ſi petas quare Cōcilia nō intelligātur loqui de Euchariſtia inadæquate: eo vel maximè, quod ſi verba ſunt pars ipſius, hoc videtur neceſſario dicendum, quando quidem verba non manent?

Reſpōdetur ex dictis: quia Cōcilia ſunt intelligenda iuxta ſubiectā materiā, probaui autem adæquatā rationem Euchariſtiæ poſſe ſaluari ante ſumptionē, & adæquatā rationem Extræmævnctionis non reperiri ante Vnctionem. Ad ſecundam inſtantiam de permanentia verborum conſtabit infra: interim dicatur iuxta illam ſententiam, verba permanere moraliter. Ais, hoc ipſum dici poſſe de vſu, ſcilicet, quod cum hoc ſacramentum reſpiciat eſſentialiter illum, cenſeatur moraliter permanere, & denominare partialiter hoc ſacramentum. Reſpondetur, quod id quod nunquam extitit, ſed exiſtet non poteſt dici moraliter exiſtere; vt alibi dixi.

16 Secundo idem prorſus eſt ſupponendum de actione conſecratiua, ſiue nomine huius actionis intelligatur illa inuiſibilis, actio per quam conuertitur panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti: ſiue exterior, & ſenſibilis prolatio verborum, a qua illa prior mutatio cauſatur. Itaque ſtatuo cum communi ſchola Thomiſtarum, & cum alijs Doctoribus illas actiones, nec eſſe ſacramentum Euchariſtiæ, nec aliqua ratione ipſius partes: multi probant Theologi iſtam veritatem, verum ego vltra authoritatem Conciliorum, quæ induci ſolet ad præſens, ſicut inducta fuit pro præcedenti præſuppoſito, ſolſi vtor ratione qua proxime vſus ſum, & ſic eam propono. Actio per quam conficitur cibus corporalis, quæcumque illa ſit, & quomodolibet conſideretur non eſt cibus ipſe factus, nec aliquo modo illius pars, ſed eſt aliquod in obliquo connotatum per modum fieri cibi, & viæ ad ipſum: ergo in ſacramento inſtituto inſtar cibi, quale eſt Euchariſtia, actio qua conficitur Euchariſtia cuiuſmodi eſt conſecratio, ſub quacumque ratione conſideretur, non eſt ipſum ſacramentum, nec pars ſacramenti, ſed aliquod eſſentialiter connotatum per modum fieri, viæ, & antecedenter ſe habentis, ſicut ſumptio applicatur per modum applicationis ſubſequentis.

17 Et hinc infero contra quoſdam modernos, quod nec conſecratio accepta pro paſsione correſpondente actioni conſecratiuæ, vel conuerſiuæ panis in corpus Chriſti pertineat intrinſece ad hoc ſacramentum: etenim adhuc in iſta conſideratione eſt extra rationem cibi ſpiritualis, nec cum illo identificatur, vt iſti authores exiſtimant, quia etiam paſsio diſtinguitur realiter à termino, & tranſit, & deſinit eſſe adueniente termino producto, pertinebit igitur ad Euchariſtiam ſub ratione paſsionis, ſicut ſub ratione actionis, licet aliquantulum proximius. Vtrum autem prædicta actio, ſi forte eſt conſeruatiua corporis, & ſanguinis ſub ſpeciebus, vt ſic intrinſece hoc ſacramentum componat per modum alicuius conditionis intrinſecæ, ſicut vnio componit intrinſecè compoſitum, ex alibi dicendis conſtabit. Igitur actio conſecratiua quæcumque illa ſit, & quomodocumque conſideretur, non eſt ſignum rei ſacræ, nec totale, nec partiale, vt aliqui voluerunt, putantes in præſenti eſſe plura partialia ſacramenta, ſicut in ſacramento ordinis, & dici vnum propterea quod ordinantur ad vnum finem, & inter hæc partialia ſacramenta commemorarũt actionem conſecratiuam, ſed falluntur à perte.

Ad hoc enim vt conſecratio in aliqua conſideratione eſſet partiale ſacramẽtum Euchariſtiæ deberet conſtare forma, & materia huius ſacramenti, vt conſtant ſacri ordines materia & forma partiali ſacramenti ordinis, quod falſum eſt: ergo cõſecratio adæquate conſiderata erit via, tendentia, & fieri ſigni ſacri, quale eſt Euchariſtia, & eo modo concurrit, tam in ordine ad cauſandum id, quod in hoc ſacramento eſt res, & ſacramentum ſimul, quam in ordine ad ſignificandam, & cauſandam rem tantum, ſcilicet gratiam: & non concurrit ad modum ſacramenti Euchariſtiæ, de cuius ratione eſt ſignificare, & cauſare, vt cibus applicatus ſuſcipienti, quod conſecratio non habet.

18 Sed contra videtur facere primo authoritas D. Thomæ: tum in præſenti ad tertium, vbi dicit, quod ſacramentum Euchariſtiæ perficitur in ipſa conſecratione materiæ: ergo conſecratio pertinet ad hoc ſacramentum, vt id quo perficitur, ac per conſequens vt pars, vel ad minus tanquam intrinſecum complementum: perfectio enim rei vel eſt eius pars formalis, vel intrinſecum complementum. Tum in quarto diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula prima, vbi ait, in hoc ſacramento ſanctificationem materiæ eſſe ipſum ſacramentũ in quo differt à ſanctificatione materiæ chriſmatis, quæ non eſt ſacramentum Cõfirmationis, ſed ſanctificatio materiæ idem eſt ac conſecratio: ergo ex mente D. Thomæ conſecratio, vel eſt tota eſſentia huius ſacramẽti, vel pars quæ per ſinedochẽ dicatur à ſancto Doctore ipſum ſacramentum, & ita Caiet. q. 63. ſupra art. 5. videtur docuiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, nihil aliud eſſe, quam actionem ſacramentalem, quæ conſiſtit in conſecratione materiæ

Reſpondetur, dupliciter explicando Diuum Thomam. Primo non curaſſe in illis locis, vtrum conſecratio ſit in rigore ſacramentum Euchariſtiæ, vel pars ipſius, ſed tantum contendiſſe apponere differentiam inter ipſum, & alia ſacramenta, quæ in conſecratione materiæ non ſaluantur, vt patet in Confirmatione, ac ſi diceret; Euchariſtia ſaluatur ante vſum, eo ipſo

quod conſecretur materia, alia vero ſacramenta non ſic.

Secundo loqui Diuum Thomam nõ de conſecratione conſiderata formaliter, & in fieri, ſed in facto eſſe, ideſt de illa prout permanet in ſuo termino: & hoc etiam ſecundo modo eſt interpretandus Caietanus vbi ſupra.

Secundo facit impugnatio rationũ, quibus ſupra probauimus id, quod ſupponimus nunc, quæ ſic formatur: verba conſecrationis, ad quæ terminatur conſecratio, accepta pro ſenſibili verborum prolatione, etiam concurrunt per modum fieri huius cibi ſpiritualis, licet non ſint factum eſſe, & terminus comparatus ad actionem, per quam habent eſſe, ſunt nihilominus fieri, & via ad ponendum Chriſtum ſub ſpeciebus, ex quo reſultat hoc conuiuium permanens, & de quo prædicant concilia ſeruari in ſacrario, & aſportari, &c. & tantum illa verba, vt ſuppono modo ſunt pars huius ſacramenti, quia vt dicetur infra, quamuis ſub vna conſideratione habeant rationem fieri, ſub alia habent rationem facti eſſe, & informantis, & licet phiſice ſint tranſacta, moraliter tamen permanent: ergo ex duplici ratione adducta: vltima ex modo loquendi Conciliorum ſumpta, & vltima ex inſtitutione ſacramenti per modum cibi, non licet colligere actionem cõſecratiuam non eſſe pertinentem eſſentialiter, & in recto ad hoc ſacramentum: ſicut pertinent verba: de illa enim actione poterimus dicere, & quod ſub vna conſideratione habeat rationem fieri, & ſub alia rationẽ partis, & quod quãuis phiſice nõ ſit, ſit tamen moraliter in ſpeciebus conſecratis, cum iam præceſſerit, ad differentiam ſumptionis, quæ non dum extitit, quando eſt ſacramentum. Et ſane verba non cibant, ſed quia cauſant id quod cibat, dicũtur pars huius ſacramenti: ergo ſimiliter actio licet non cibet, quia tamen eſt cauſa cibi, pars Euchariſtiæ dicetur.

Hoc argumentum magis oppugnat ſententiam aſſerentem verba eſſe partem Euchariſtiæ, quam noſtrã doctrinam, vnde de hoc erit poſtea non modica controuerſia, & tunc conſtabit ſolutio illius, latumque diſcrimen inter verba, & actionẽ. In præſenti tantum aduerto probationem illam communem deductam ex Cõcilijs, ne conſecratio ſit pars ſacramenti Euchariſtiæ non eſſe meo videri ad modum efficacem, quia dici poteſt permanere moraliter, ſicut verba; vt in argumento dicitur, vel ſufficere, quod præcipuum materiale ſacramenti permaneat pro verificando modo loquendi Concilij, & hoc tantũ etiam ſumptioni acommodari poteſt.

19 Tertio, & vltimo ſuppono verba conſecrationis non eſſe adæquate ſacramentum Euchariſtiæ, ita vt nihil aliud requiratur ad illud conſtituendum, etiam in hac aſſertione conueniunt omnes Theologi tanta certitudine, vt oppoſitum aſſerat Nuno ſupra concluſione prima, eſſe pluſquam improbabile, & forſitan temerarium, & errori proximum. Suarius vero diſp. 42, ſectione 2. abſurdum, & probatur primo authoritate Eugenij relati ſupra, vbi præter illud commune quod ſacramenta nouæ legis conſtant rebus, & verbis, ac proinde in ſolis verbis nullum poſſe adæquate ſaluari, ait verba Sacerdotis conficere ſacramentum Euchariſtiæ, ſed nihil adæquate acceptum ſe ipſum conficere poteſt: ergo ad minus aliquid aliud præter verba requiritur ad conſtitutionem Euchariſtiæ, de quo verificatur, quod conficiatur per verba conſecrationis.

Secundo idem oſtenditur ex diſcurſu iam facto, quia verba conſecrationis ſola non ſunt adæquate ſignum per modum cibi ſignificans gratiam cibantem, nec ordinantur per ſe ſola adæquate ad illam cauſandam in ſuſcipiente, ſed concurrunt vt conſecrantia, & modificantia materiam Euchariſtiæ, imò difficile ſaluatur quomodo ſint pars huius ſigni practici: ergo in illis ſolis non ſaluatur adæquate ratio ſacramenti Euchariſtiæ. Accedit denique tum quia non eſſet ſignabilis materia in hoc ſacramento, cum verba prolata à ſacerdote ſolam rationẽ formæ habere poſſint: hoc autem admittendum non eſt, ſiquidem ſacramenta debent neceſſario conſtare materia. Tum, quod cum etiam in ſpeciebus conſecratis reperiatur, & potiori ratione, ſacramentum Euchariſtiæ, iam eſſent plura Euchariſtiæ ſacramenta, & non conſtituentia vnum, ſicut in ordine: quando quidem vt ſupra dicebam, non conſtarent materijs & formis partialibus eiuſdem rationis, vt in ordinibus contingit, ac ſubinde eſſent pluſquam ſeptem ſacramenta Eccleſiæ, atque hæc vltima probatio tenet quoque pro antecedentibus præſuppoſitis, quatenus in illis affirmatur, ſumptionẽ & conſecrationem non eſſe ſacramentum Euchariſtiæ.

Et

20 Et contra præſens nihil inuenio, niſi quod verba cõſecrationis ſola ſignificant, & efficiunt id quod eſt res & ſacramentum ſimul: illa enim, & nihil aliud, ſignificant & cauſant corpus & ſanguinem Chriſti, de quibus dicetur infra eſſe rem, & ſacramentum ſimul in Euchariſtia, atq; adeò cum in ſacramentis nouæ legis in eo tantum conſiſtat adæquata eſſentia ſacramenti tantum, quod ſignificat, & cauſat id quod eſt res, & ſacramentum ſimul, videtur fieri in verbis ſolum ſaluari adæquate quiditatem ſacramenti Euchariſtiæ.

Sed reſpondetur negando, quod à ſolis verbis ſignificantur, & cauſantur corpꝰ & ſanguis Chriſti, vt ſunt res & ſacramentum ſimul, vt ſic namque etiam ſignificantur, & cauſantur ab ſpeciebus conſecratis, quod magis explicabo dubio tertio: modo addo, non ſufficere ad rationem ſacramenti Euchariſtiæ cauſare, & ſignificare præſentiam corporis & ſanguinis ſub ſpeciebus, ſed vlterius requiri, vt ſupra dixi, quod per modum ſigni practici applicati ſuſcipienti, ſignificet, & cauſet gratiam, quod non competit ſolis verbis, an vero verba ſint pars Euchariſtiæ, & qua ratione iam explicabo.

In ſecunda parte videndum eſt, quomodo verba conſecrationis pertineant ad Euchariſtiam?

21 NON Pertinere tanquam partem formalem intrinſecam, & eſſentialem huius ſacramenti, in facto eſſe docuerunt vbi ſupra Scotus, Gabriel, Alanus, Caterinus, Capreolus, Caietanus, Sotus, Martinus de Ledeſma, Vazquius & alij, & quidam ex illis docent eſſe formam ſacramenti Euchariſtiæ in fieri accepti, quidam principium extrinſecum efficiens, *quo*: alij inſtrumentum effectiuum, & ſacramentale antecedens: alij extrinſecam formam, extrinſece ad Euchariſtiam comparatam ad modum quo obiectum cõparatur ſcientiæ. Sed quidquid ſit de eo, in quo differunt hi Theologi quod ad modũ loquendi, videtur pertinere, illud in quo conueniunt, videlicet in propoſitione negatiua ſupra poſita probatur.

Prima ſententia cum ſuis fundamentis.

Et primo authoritate Tridentini, & Florentini: Florentinum enim in decreto Eugenij, dixit verba ſacerdotis conficere ſacramentum Euchariſtiæ, quod non poteſt eſſe verum, niſi quia verba conſecrationis efficiunt ſpecies ſub ratione conſecratarum, & ſacramenti: ergo ipſa verba ſunt cauſa, vel forma efficiẽs Euchariſtiæ, & non forma, Euchariſtiam componens intrinſece. Aſsignauit inſuper idem Cõcilium verba pro forma huius ſacramenti, eodem tenore verborum quo aſsignauit pro materia panem & vinum, conſtat autem panem & vinum non eſſe materiam, & eſſentialem partem ſacramenti in facto eſſe, ſed materiam remotam quaſi extrinſecam & terminum a quo: ergo nec verba erunt forma eſſentialis, & intrinſeca, ſed extrinſeca aliquo ex modis ſupra numeratis.

Nec obſtat commune proloquium ex eodem Florentino, quo dici ſolet, ſacramenta nouæ legis conſtare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Etenim Concilium non aſſeruit conſtare, ſed perfici tribus, materia ſcilicet, forma, & miniſtro, qui modus loquendi rectè ſaluatur, dummodo verba ſint neceſſaria, licet non componant intrinſecè ſacramentum: alioquin etiam eſſet dicẽdũ ex modo loquendi Concilij, in fieri miniſtrum intrinſece cõponere ſacramentum, quod nullus dixit: Tridentinum vero ſeſsione 13. cap. 5. docuit vt ſupra vidimus ſacramentum Euchariſtiæ facta conſecratione & tranſacta, aſſeruari, & aſportari ad infirmos: ergo iuxta hoc Concilium ſaluatur ſacramentum tranſacta conſecratione, ac per conſequẽs tranſactis verbis: igitur verba nõ ſunt forma Euchariſtiæ, patet conſequentia, quia ablata forma non poteſt verificari quod res maneat.

Secundo arguitur: in hoc ſacramento non contingit quod in alijs in quibus verba non efficiunt, ſeu non concurrunt efficienter in ordine ad poſitionem ſacramentorum, at in hoc ſacramento verba prolata à miniſtro efficienter concurrunt ad cauſandum ipſum, proferens enim ſacerdos verba conſecrationis, ſtatim conſequitur conuerſio panis & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, & ſpecies ſacramentales redduntur conſecratæ: in quo conſiſtit

eſſentia huius ſpiritualis cibi: ergo verba nequeunt eſſe forma huius ſacramenti in facto eſſe, ſicut ſunt in alijs ſacramentis. Probatur conſequentia, quia cauſa efficiens, vel id quod efficienter aliquo modo do concurrit ad aliquem effectum, nequit eſſe forma eſſentialiter, & intrinſece conſtituens ipſum effectum; aliàs cauſa efficiens talem effectũ, cũ depẽdeat in eodem genere cauſæ, à quibus effectus cauſatus intrinſece, & eſſentialiter cõſtituitur, cauſaret neceſſario ſe ipſã, quod implicat: ergo.

Tertio, hoc ſacramentum, vt docuit D. Thom. ad 3. & colligitur ex Tridentino, ac fatentur omnes, eſt permanens, & in hoc ab alijs ſacramentis diſtinguitur: ergo eius forma intrinſeca ex qua, tanquam ex parte formali componitur, non poſſunt eſſe verba. Probatur hæc conſequentia, verba ſunt ſucceſsiua, & non aliquod permanens, ſed forma intrinſece conſtituens rem permanentem, nequit eſſe ſucceſsiua, aliàs res conſtituta etiam erit ſucceſsiua, vel ad minus permanens dici non poterit, ſiquidem eius formalis pars, quæ pręcipua eſt in quolibet cõpoſito in ſucceſsione cõſiſteret: ergo.

Confirmatur hoc dupliciter. Primo, materia proxima Euchariſtiæ permanens eſt: ergo opportuit quod eius forma intrinſeca permanens eſſet, & non ſucceſſiua, & talis inſtitueretur à Chriſto Domino. Sic enim ſeruatur proportio inter formam & materiam, & quidem ob hanc cauſam in alijs ſacramentis, quorum materia proxima eſt ſucceſsiua forma fuit inſtituta ſucceſsiua: ergo propter eandem materię proximę permanentiam debuit Chriſtus inſtituere formam permanentem.

Secundo, ſacramentum Euchariſtię quod heri confectum fuit, & ſumitur hodie, cauſat phiſice inſtrumentaliter gratiã in ſuſcipiente, vt docet probabilior opinio: ergo totum illud eleuatur hodie à Deo vt phiſice agat, & hoc media aliqua phiſica virtute illi communicata, ſicut docuimus ſupra: ergo eius partes eſſẽtiales, quæ vt vnitæ recipiunt illam virtutem, & operantur phiſice debent phiſice exiſtere, nũc hodie. Alias quomodo erunt ſubiectũ virtutis phiſicæ, & phiſice agent? non ergo verba ſunt pars eſſentialis Euchariſtiæ: illa enim hodie ad minus phiſice nõ ſunt.

Quarto, in ſacramentis nouæ legis id pertinet eſſentialiter intrinſece ad eorum quiditatem, quod proxime, & immediate ſignificat & cauſat gratiam, ac proinde id pertinebit ſic ad Euchariſtiam, quod ſignificauerit, & effecerit gratiam cibantem ſaltim partialiter: at non verba, ſed ſpecies ſupra quas proferuntur verba, ſignificant & cauſant gratiã: ergo. Cõſequentia eſt optima. Maior patet, quia propter illam rationem ſacerdos, ipſius lingua, actio conſecratiua, & alia huiuſmodi non pertinent intrinſece ad hoc ſacramentum. Et minor probatur, quia verba tantum ſignificant conuerſionem panis in corpus Chriſti, & eam cauſant, & ſi cauſant aliquod aliud, eſt mediate, ſcilicet medijs ſpeciebus, quæ exiſtunt, dum gratia confertur, tranſactis iam multo antea verbis, vt dicebamus. Et cõfirmatur & vrgetur ex dictis: ex eo namque quod hoc ſacramentum ad modũ cibi ſeruata proportione cum cibo corporali, deducitur, ſumptionem & conſecrationẽ, illud eſſentialiter non componere, ſicut cõfectio & ſumptio cibi corporalis iſtum cibum intrinſece eſſentialiter non conſtituunt, ſed ſic eſt quod cibus corporalis formaliter, & eſſentialiter conſtituitur per aliquod permanens, & cibans tanquã per formam, & non per verba aliqua: ergo pariter hic cibus animæ formaliter, & intrinſece conſtituitur per ſpecies, vel per aliquod aliud cibans, & non per verba quæ non cibant; ac per conſequens verba pertinebũt ad Euchariſtiam, vt cauſa extrinſeca, ſicut verba quibus iubetur confici cibus corporalis, ad cibum corporalem pertinent: ita vt ſi per poſibile, vel impoſibile ponerentur corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ſine verbis, nihilominus reſultaret idem ſacramentũ Euchariſtiæ, quantũ ad omnia eſſentialia: ſecluſis enim verbis à formali, & intrinſeca compoſitione Euchariſtiæ ſaluatur in ſacramento Euchariſtiæ duplex compoſitio, quæ cõmuniter requiritur ad rationẽ ſacramenti, altera videlicet ex re ſignificante gratiã, & ipſa ſignificatione: & altera ex materia & forma quibus debet conſtitui res ſignificans. Prima compoſicio eſt per ſe nota. Secũda vero acommodanda erit iuxta diuerſas ſententias, quia ſecũdum quoſdam acommodatur ſpeciebus, ut formæ: corpori Chriſti, vt materiæ, ſecundum alios è cõtra, & iuxta alios cuidam habitudini relictæ ex verbis in ſpeciebus vt formæ, ipſiſque ſpeciebus, vt materiæ. Igitur verbis ſecluſis, vt forma intrinſeca remanet in Eu

charistia,

Digitized by Google

chariſtia, quod ſufficit vt ipſa adæquate conſtituatur.

Vltimo pro maiori horum explicatione, & iſtius ſententiæ confirmatione arguitur; quia vt ſuppono ex materia de ſacramentis in genere cum communi Doctorum, Chriſtus Dominus licet potuerit inſtituere, & aſſumere rem quamlibet ſenſibilem pro ſigno, & cauſa gratiæ. De facto tamen & congruenter ea eleuauit; quibus aliqua ineſt proportio, & ſimilitudo ad ipſam gratiã denotandã, vt videri poteſt in formis; & materijs quinque ſacramentorũ quæ ordinantur ad vnius cuiuſque ſpiritualem perfectionem in ſe ipſo, quorũ quidem materiæ & formæ de ſe ſignificant aliquem effectum corporeum ſimilem effectui ſpirituali, quem interius cauſant: vt abluere in baptiſmo, vngere in Extrema vnctione, &c. *Ego te baptizo*, in baptiſmo, *Ego te abſoluo*, in pœnitentia; &c. quod ſi in Ordine, & Matrimonio huiuſmodi proportio, & ſimilitudo non eſt, quia hæc duo ſacramenta directè ordinantur in regimen, & multiplicationem Eccleſiæ, & non in perfectionem vnius cuiuſque in ſe ipſo, atque adeò non opportuit habere ſimilitudinem, & proportionem, niſi cũ fine in quem directè ordinãtur, quod aliter cõtingit propter oppoſitam rationem in alijs ſacramentis, ac proinde hoc idem reperiri debet in Euchariſtia, tunc ſic formatur argumentum, verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus meũ; Hic eſt calix ſanguinis mei*: ex ſe tãtũ ſignificant corpus & ſanguinem Domini ſub ſpeciebus, & nullam habent ſimilitudinem, & proportionẽ cum gratia Euchariſtica, nec eorũ quaſi natiua ſignificatio ad ſimilem effectum ſignificandũ, & cauſãdũ dirigitur, & ex alia parte hæc proportio reperitur in ſpeciebus panis & vini, quę de ſe habent cauſare refectionẽ corporalẽ ſimilem ſpirituali: ergo de facto verba cõſecrationis nõ fuere inſtituta à Chriſto, vt forma intrinſeca huius ſacramenti; ſed ſpecies ſacramentales, ſiquidẽ in his, & nõ in illis reperitur fundamẽtũ vt eleuẽtur, atque inſtituantur.

22 Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, verba conſecrationis eſſe partẽ eſſentialẽ intrinſecam huius ſacramẽti illud per modũ formæ intrinſece conſtituẽtem, ita docuit Marſilius, recentiores Thomiſtę magis communiter: Suarius, Valentia, & alij, habetque pro ſe hæc opinio optima fũdamenta.

Quorũ primũ ſit ex Florẽtino in decreto fidei vniuerſaliter docẽte de omnib' ſacramentis nouæ legis tribus perfici, rebus vt materia, verbis vt forma; & perſona miniſtri conferentis ſacramentũ cum intẽtione faciendi quod facit Eccleſia: ergo ſicut in Euchariſtia res quæ deſeruiũt vt materia ſunt pars illius eſſentialis, verba quæ deſeruiunt vt forma: erunt etiã eiuſdem ſacramenti eſſentialis, & intrinſeca pars: & quidem propter iſtam Pontificis definitionem in alijs ſacramentis verba ſunt forma intrinſece conſtituens ſacramentum: ergo idem in Euchariſtia dicendum eſt.

Si reſpondeatur iuxta primum fundamentũ primæ ſentiæ Conciliũ non loqui de forma intrinſece cõponente, ſed de extrinſece efficiente, & hoc fundetur, tum in cõtextũ, tum in ratione. In contextu quidem, quia non dixit tribus conſtare, vel cõponi, ſed tribus perfici, ac ſi aſsignaret ea; quę neceſſaria ſunt vt ſacramentũ perficiatur, & conſiſtat, & non illa quæ intrinſece; & eſſentialiter cõponunt ſacramẽta; quod & colligitur ex eo quod enumerauit perſonam miniſtri, quæ pars ſacramẽti non eſt; & ex alijs iam põderatis in illo primo fundamẽto: in ratione vero; quia ratio formæ etiã iuxta morem Theologorũ, & Philoſophorum quãdoque accipitur pro forma extrinſece informante, vel terminante, & ſic appellatur obiectum forma extrinſeca ſciẽtię, vel potentiæ, & obiectũ formale dicitur reſpectu obiecti materialis: forma etiã quãdoq; cõparatur extrinſece ad aliud: ergo non eſt diſſonum rationi aſerere Cõcilium loqui de forma extrinſeca.

Contra, quia Pontifex tradidit ibi doctrinam generalẽ pro ſacramẽtis omnibus nouæ legis; & vniuerſaliter loquitur aſsignans materiã & formã omnibus, ſed in alijs verba ſunt forma eſſentialis, & intrinſeca; intrinſece cõponens ſacramentũ: ergo in hoc ſi fieri poteſt: poſſe autem fieri ſtatim apparebit, & nõ negant contrarij, præter quẽdam Egidiũ: ergo ne æquiuoce loquatur Conciliũ; dicendũ eſt verba eſſe formã intrinſecã Euchariſtiæ.

Nec obſtat verbum illud *perficiuntur*; fuit enim appoſitum præciſe propter perſonam miniſtri: in verbis vero, quæ appellauit formã Euchariſtiæ, ſignificauit partem intrinſece cõponentem, ſicut in rebus quæ ſunt materia proxima aſsignauit materiam ſimiliter intrinſece conſtituentem.

Nec item obſtat aſſeruiſſe verba ſa-

cerdotis conficere ſacramentum, quia pro eodem reputauit conficere ſacramentum, & conficere corpus Chriſti, vt patet ex decreto ſanctæ vnionis. Præterquam quod etiam ſi loquatur de confectione ſacramẽti, intelligendum eſt, vt infra explicabim⁹.

Nec denique facit aſsignaſſe tãquam materiam, panem, & vinum, quæ intrinſece non componunt Euchariſtiam, quia ex communi modo loquendi materia, late patet ad materiam proximam, & remotam. Cæterum ratio formæ alicuius rei nunquã fuit acommodata cauſæ efficienti, vel formæ efficienter tantum concurrenti ad talem rem: ergo ſi verba conſecrationis dicuntur à Pontifice forma Euchariſtiæ, plus tribuit eis quam efficientiam ſacramẽti: ergo tribuit rationem formæ intrinſece informantis, ac per conſequens formæ ſacramenti in facto eſſe.

Secundum fundamentum à ratione ſic habet: ſecluſis verbis conſecrationis ſpecies panis & vini, & quæ ſub illis cõtinentur non habent rationem ſacramenti integram & perfectam, & habent verbis poſsitis: ergo verba ſunt de eſſentia Euchariſtiæ. Conſequentia patet, quia illud eſt de eſſentia alicuius: quo poſito, ponitur eſſentia, & ablato, aufertur.

Antecedens autem probatur ſpecies ſacramentales de ſe non ſignificant refectionem ſpiritualem animæ: corpus & ſanguis Chriſti quæ ſub ſpeciebus continentur, non ſunt aliquid ſenſibile ſignificans eandem refectionem. Vnde ſi corpus & ſanguis ſignificant, eſt ratione ſpecierum, & ſpecies ſi prædictam refectionẽ ſignificant, eſt, quia ſunt conſecratæ, at à verbis conſecrantur: ergo ſecluſis verbis non ſaluatur ratio ſacramenti Euchariſtiæ integra, & perfecta, quæ in ratione ſigni ſenſibilis ſpiritualis refectionis conſiſtit, & illis poſitis ſaluatur.

Quod ſi dicas, ſpecies ſacramentales habere ſignificare gratiam ſecluſis verbis, ita vt ſi ponerentur corpus & ſanguis Domini ſub illis, nulla præmiſſa conſecratione, æque bene ſignificarent gratiam, ac modo. Contra eſt, quia niſi ſpecies ſint conſecratæ, & determinentur per verba veraciter prolata ad ſignificandam gratiam, ipſæ ex ſe gratiam non ſignificant: ergo ſpecies ſacramentales determinantur per verba, vt ſignificent gratiam, atque adeò verba ſunt forma intrinſeca ſpecierum, & ſi non phiſicè informans: moraliter tamẽ per ſui perſeuerantiam moralem.

Confirmatur & explicatur hæc ratio, ex eo quod in alijs ſacramentis verba non alia ratione ſunt forma intrinſece componens media vnione, & materia proxima, niſi quia media ſua ſignificatione determinant prædictam materiam ad ſignificandam gratiam, vt patet in verbis quæ ſunt forma Baptiſmi, Pœnitentiæ, &c. ſed hoc ipſum præſtant verba conſecrationis, vt viſum eſt reſpectu ſpecierum: ergo.

Vltimum ſit: nihil obſtat ne verba ſint pars intrinſeca & formalis Euchariſtiæ, ſicut ſunt aliorum ſacramentorum: ergo vt ſeruetur idem in omnibus, & ſaluetur vniuoce omnia conſtare rebus, & verbis aſſerendum eſt verba cõſecrationis eſſe formam intrinſecam Euchariſtiæ. Probatur antecedens, non obſtat carẽtia vnionis phiſicæ cum materia, quia hæc non eſt neceſſaria vt in alijs formis, & materijs aliorum ſacramentorum conſtat: & ratio eſt, quia ſacramenta habent moralem compoſitionem tantum, & ſi phiſicam, ſufficiet quidem modus relictus ex ui verborum, ſicut in alijs ſacramentis hic modus conſtituitur.

Nec obſtat iam præterijſſe verba permanente ipſo ſacramẽto Euchariſtiæ, quia permanent ſemper moraliter in ſpeciebus conſecratis, ſicut in alijs ſacramentis verba iam phiſice elapſa, moraliter perſeuerant ad compoſitionem ſacramenti, vt videri poteſt in ſacramento Pœnitentiæ, & Matrimonij. Nec etiam facit in contra, verba non ſignificare gratiam reficientẽ: ſignificant enim illam quatenus determinant ſpecies, & cauſant Chriſtum cibantẽ animam, ſed non eſt aliud quod obſtare poſsit: ergo. &c.

23 Ecce vtramque ſententiam fundatam, & inſinuatam viam, qua altera alterius argumenta diſoluit. Et ſanè exiſtimo vtramque eſſe valde probabilem, & vt talem facillime defendi poſſe, ſed oportet vltimam defendere & eligere. Pro quo aduerto primo, vt tactum eſt in quarto argumento primæ ſententiæ in ſacramentis nouæ legis duplicem reperiri compoſitionẽ, de quo Nuño ſupra quæſt. 60. art. 6. difficultate 2. vnam quaſi formalem, & primariam, quà videlicet ſacramentum componitur ex ſignificatione gratiæ tanquam ex forma, & ex re, quæ ſubſternitur huic ſignificationi tanquã ex materia: aliam quaſi minus principalem, materialem, & ſecun-

Præfertur ſecũda ſententia.

dariam,

Digitized by Google

dariam: quā componitur illa res, quæ eſt ſubſtractum ſignificationis, adhuc ex materia & forma. Sit exemplum huius phiſicum in albo, in quo reperitur illa duplex compoſitio: habet enim album primariam compoſitionem ex albedine, & corpore: & ſecundariam in corpore ſubſtantiali, quod ſubſternitur albedini, quod quidem cōponitur ex materia, & forma, ſic baptiſmus componitur ex ſignificatione gratiæ regenerantis, & ſubſtracto huius ſignificationis.

Rurſus ſubſtractum componitur ex ablutione, & verbis *Ego te baptizo*: igitur ſuppoſito quod in Euchariſtia hæc duplex compoſitio reperiri debeat: etenim non eſt ratio quare ipſam ab hac regula generali excipiamus, maxime cum Concilia paſsim aſſerere videantur illam duplicem compoſitionem in omnibus ſacramentis: Difficultas eſt nō de prima compoſitione, ſed de ſecūda, id eſt inquiritur, ex quo ſubſtractum ſignificationis gratiæ reficientis componatur, tamquam ex forma & materia, & authores prioris opinionis affirmāt ex ſpeciebus, & corpore Chriſti, qui partiti ſunt, quia aliqui docent ſpecies eſſe formale, & corpus materiale, alij è cōtra (mitto illos, qui dicūt ſubſtractum eſſe aliquid ſimplex, ſcilicet ſolas ſpecies:) poſteriores vero aſſerunt componi ex verbis vt forma, & ſpeciebus vt materia, & iſti etiam ſunt diuiſi in parte formali illius compoſitionis, quia qui dicūt verba per ſe ipſa, quatenus moraliter vniuntur ſpeciebus, & in illis perſeuerare, cenſent eſſe formale: ita Doctores Thomiſtæ, & Suarius: alij autem modum quemdam, vel habitudinem ex verbis in ſpeciebus relicta, & ſic philoſophantur in omnibus ſacramentis, & ſic dicunt ſacramentum componi ex verbis, quia ex virtute ipſorum componi ſacramentum, ſicut ſaluatur ex elementis componitur mixtum, licet elementa virtualiter tantum ſint in mixto. Ita Nuño vbi ſuprà, & Petrus de Ledeſma hic difficultate 4.

24 Secundo aduerto eſſe controuerſiam inter Theologos, videlicet hæc cōpoſitio, de qua eſt difficultas ſit realis phiſica, an ſolum realis moralis, ſiue ex partibus, quarum altera intrinſece moraliter informet aliā, an tantum extrinſece, quæſtio ſatis ventilata ſolita in materia de ſacramentis in genere, & pro nunc ſatis eſt videre, vtrum verba conſecrationis ſint forma huius ſacramēti, eo modo quo verba prolata à baptizante ſunt forma baptiſmi, ſiue talis forma dicatur phiſice cōponere vnū cum materia, ſiue moraliter tantum, & rurſus ſi moraliter, ſiue intrinſece, ſiue extrinſece dummodo, nō coincidamus cum prima ſententia aſſerente eſſe intrinſecam ad iſtum ſenſum, quod ſit efficiens, & extra eſſentiam adæquatam Euchariſtiæ, ſicut eſt actio qua fit.

Controuertitur ergo, an ſicut hæc verba: *Ego te baptizo*, dicuntur forma cōponens eſſentialiter ſubſtractū adæquatū ſignificationis gratiæ regenerantis, & hæc *Ego te abſoluo*, ſubſtractū integrum ſignificationis gratiæ ſanātis, ita hæc, *Hoc eſt corpus meum*, componant formaliter ſubſtractum ſignificationis gratiæ cibantis.

Tertio aduerto punctū difficultatis poſsitum eſſe in inueſtigando, vtrū in ſpeciebus ſanguinis, & corporis Chriſti, ſecluſis, re vel ratione, à verbis reperiatur adæquatum ſubſtractum ſignificationis gratiæ, an non, ſed vltra requiratur, quod illę ſpecies, & ipſarum ſignificatio determinētur, & compleantur per verba, vt ſignificatiua, ſicut in baptiſmo ablutio exterior ſignat ablutionem corporis habentem aliqualē proportionē cum ablutione animæ, tamen hæc ablutio requiritur quod determinetur per verba: *Ego te baptizo*, vt conſtituatur integrū ſubſtractū ſignificationis gratiæ regenerantis, & ſi ſpecies indigeant verborum determinatione, negari non poteſt verba eſſe partē Euchariſtiæ, ſicut ſūt baptiſmi, ſi autem non requirant illam determinationem, oppoſitum eſt aſſerendū.

25 His ſuppoſitis elligo ſecundā ſententiā, & noſtra concluſio eſt: verba cōſecrationis eſſe formam Euchariſtiæ, ſicut hęc, *Ego te baptizo*, ſunt forma baptiſmi: pugnat hæc concluſio directè cum prima ſententia: docetur tamen à Doctoribus allegatis pro ſecunda, & inſuper à Magiſtris Vincētio, & Ledeſma in manuſcriptis quā uis enim duo conſtituant præter verba modū, ſeu habitudinem ex verbis cauſatā in ſpeciebus, & appellent verba formam extrinſecam, idem dicunt in omnibus ſacramētis cum Nuño ſuprà quæſt. 60. art. 6. ac proinde iā nobiſcū conueniūt in hoc quod concedunt verba conſecrationis cōcurrere ad Euchariſtiā, ſicut concurrunt verba baptiſmi ad baptiſmi cōſtitutionē, verba pœnitentiæ ad ſacramentū pœnitentię cōſtituendum, quod admittunt authores ſe-

cundæ opinionis: quid autem ſentiendum ſit de illo modo quem illi Thomiſtæ appellant formam intrinſecam in proprio loco determinabitur, & in ſolutionibus argumentorum aliquid dicemus.

Modo poſsitam concluſionem probo tribus argumẽtis poſsitis pro 2. ſententia, quæ efficacia ſunt, vt iam explicabo. Itaque moueor primo authoritate Florentini: licet enim ex illo non deducatur euidenter hæc pars, quia aliqualem explicationem admittit, deducitur tamen magis probabiliter: nam ſi verba conſecrationis habent ſufficientem aptitudinem, vt fuerint à Chriſto aſſumpta pro forma Euchariſtiæ, quod conſtat ex dictis in tertio fundamento, & apparebit amplius ex dicẽdis, Conciliumque vniuerſaliter doceat ſacramẽta perfici verbis vt forma, cur hęc doctrina nõ verificabitur de Euchariſtia, ne vlla fiat exceptio, ſed ſicut in alijs omnibus ſacramentis intelligitur de forma cũ qua componitur ſubſtractum ſignificationis ſacramenti, ſic intelligatur in præſenti: maxime cum argumenta contraria, quæ deberent eſſe euidentia, vt ab hac vniuerſali doctrina dimouerent: facilem habeant ſolutionem, vt videbimus: ergo conformius Concilio procedimus conſtituentes pro forma Euchariſtię in facto eſſe verba conſecrationis. ſicut in alijs ſacramẽtis. Videantur ponderationes illo fundamento appoſitæ. Quibus accedit, quod Sanctus Thomas, nec in hac materia, nec alibi agnouit aliam formam huius ſacramenti præter verba, & quidem diminutus eſſet Sanctus Doctor de alia non tractans, ſi alia daretur, & ſaltim aliquando ex parte formæ conſtituiſſet diſcrimen aliquod inter hoc ſacramentum, & reliqua, quod nõ præſtitit, ſed docuit vniuerſaliter in materia de ſacramentis in genere, formas ſacramentorum eſſe verba, quæ doctrina vniuoce verificari debet, ac proinde de forma eodem modo ingrediente in omnium conſtitutionem, & compoſitionem. Et fauet tandem illud Aug. *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*, quod non eſt quare de ſimili acceſu in omnibus verificãdũ nõ ſit, itaque argumẽtum ab authoritate pro concluſione conficitur: Conciliũ Florentinum docet ſacramenta nouæ legis conſtare verbis vt forma, ſeu perfici, nulla exceptione facta, Auguſtinus, & Thomas idem aſſerunt, & non eſt ratio vrgens, quare in Euchariſtia hoc idem non dicatur ea proprietate, & modo, quo in alijs ſacramentis, & ſi eſſet diſcrimen in hoc inſinuaſſent Concilium, Auguſtinus, & Thomas, ſicut alias differentias inter hoc ſacramentum, & reliqua inſinuarunt, & expreſſerunt: ergo.

Secundo moueor ſecunda ratione facta pro ſecunda ſententia, quam explico & vrgeo ſub hac forma: ſpecies ſacramentales ſecluſis verbis non ſunt ſufficiens, & adæquatum fundamentum, vel ſubſtractũ adæquatum ſignificationis gratiæ: ergo verba ingrediuntur conſtitutionem Euchariſtiæ non per modum materiæ, cum non ingrediantur vt quid determinatum, ſed potius vt determinans: ergo per modum formæ.

Hic diſcurſus eſt euidens ex dictis, & probo antecedens. Primo, fundamentum, & ſubſtractum adæquatum ſignificationis gratiæ reficientis eſt illud quod adiuncta ſignificatione excitat mentem ad cognoſcendum corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus, & prædictam gratiã reficientem cauſatam à Chriſto contento ſub ſpeciebus, at ſpecies ſecluſis verbis non habent hoc, ſed vt habeant complete, indigent verbis: etenim licet ſpecies ſub ſe Chriſtum Dominum continerent: ſi tamẽ quis non audiat, videat, vel ſciat verba cõſecrationis ſuper ſpecies fuiſſe prolata, nõ excitabitur ſenſibiliter, nec hoc modo deueniet in cognitionem Chriſti contenti, & reficientis animam media gratia, nec in cognitionem ipſius gratiæ: igitur fundamentum ſignificationis gratiæ reficientis, & ſignum ſenſibilę talis gratiæ non ſaluatur ſecluſis verbis.

Secundo probatur illud antecedẽs: ſubſtractum adæquatum ſignificationis gratiæ regenerantis non ſaluatur in ablutione exteriori ſecluſis verbis: nullus enim dicet ablutionem eſſe totum fundamẽtum ſignificationis gratiæ baptiſmalis: & quod verba tantum concurrunt vt principium efficiens ſacramẽti baptiſmi, ſed omnium Theologorum conſenſus eſt ex vtroque, ſcilicet ex verbis & ablutione, conflari integrum ſubſtractum, quod fuit inſtitutum à Chriſto ad ſignificandã gratiam regenerantem: ergo ſimiliter ſubſtractũ ſignificationis gratiæ reficientis, quod fuit inſtitutum non fuere ſolę ſpecies, ſed coniũctum ex verbis, & ſpeciebus, ex illis vt determinantibus: ex his vero vt determinatis, ac proinde ex illis vt forma, atque ex

his

his vt materia. Probatur, quia ex eo materia in caſu antecedentis, non ſola ablutio eſt fundamẽtum ſignificationis, quia licet habeat analogiam cum ablutione ſpirituali, qua regeneratur anima, tamen ex ſe ablutio illa erat indifferens, vt aſſumeretur ad ſignificãda alia, & per verba fuit determinata ad illã regenerationẽ, dumtaxat ſignificandam: ita D. Tho. & communiter Theologi, ſed etiam ſpecies panis & vini, licet ex ſe habeãt ſignificare refectionem corporis, quæ habet aliqualẽ proportionẽ cũ refectione animæ, tamen ad alia etiam ſignificanda præter refectionem ſpiritualẽ poterant aſſumi'& ex vi verborũ cõſecrationis determinantur, vt ſignificẽt corpus & ſanguinem Chriſti cõtẽta ſub ſpeciebꝰ, & reficientia animã media gratia, ipſamq́; gratiam reficientem formaliter: ergo eadẽ eſt ratio in vtroque caſu.

Itaque efficatia huius argumenti, cõſiſtit in eo quod in ſacramentis illud habet rationem formæ in facto eſſe quod determinat aliud, vt habeat totalem, & adæquatam ſignificationẽ illius, quod eſt in ſacramento res & ſacramentum ſimul, & etiã illius, quod eſt res tantum: vt patet inductiue, ſed in Euchariſtia illud munus exercẽnt verba cõſecrationis, ſine illis nãque, nec excitatur ſenſibiliter cognocẽs, vt deueniat in cognitionẽ Chriſti cõtẽti ſub ſpeciebus, qui eſt res, & ſacramentũ ſimul, nec in cognitione gratiæ reficiẽtis, quæ eſt res tantũ, nec eſt cõplete determinata ſignificatio ſpecierũ ad prædicta ſignificãda, ſicut nec ſignificatio ablutionis in baptiſmo nec vnctionis in Extrema vnctione: vel redde rationẽ quare in Baptiſmo, & Extrema vnctione actiones ſolæ nõ erũt totum ſubſtractũ ſignificationis, & verba forma efficiens, & nõ informans.

Vltimũ enim argumentũ cõtrariç ſẽtentiæ, quo præcipue cõuincũtur recẽtiores æqualem vim habet in his ſacramentis, atque in Euchariſtia, vt intuenti patet. Prçcipuè, ſi vt Vazq. vul nõ eſſet neceſſariũ, quod in ſacramẽtis reperiatur illa cõpoſitio ſubſtracti ex materia, & forma: & rurſus poſitis verbis ponitur expreſſa ſignificatio Chriſti cõtenti ſub ſpeciebus ad refectionẽ ſpiritualẽ animarũ, ad quã ſignificandã fuit impoſitũ, & inſtitutũ ſignum hoc de quo diſputamus: ergo. &c. Et mille alijs modis poteſt hoc fundamentum explicari: ſufficiant dicta pro defenſanda noſtra concluſione: & ad ſolutionem argumentorum contrariæ partis accedamus.

26 Ad primum ergo argumentũ quãtum ad Florentinum attinet, patet ex primo fundamẽto ſecũdæ, nec aliud quidpiã eſt neceſſarium addere. Quantum ad Tridentinum conſtabit ad tertium.

Ad ſecundum etiam apparet reſponſio per doctrinam ibidem tradditam, quæ exemplificari poteſt in albedine, ſi virtute diuina cauſaret corpus in quo ſubiectatur, & in anima ſi cauſaret efficienter materiam primã, qua informat, itaque cauſa efficiẽs alicuius effectus adæquati conſiderati quãtum ad omnia quæ habet, nequit eſſe cauſa formalis conſtitutiua eiuſdem effectus propter rationem in argumento factam, at cauſa efficiens alicuius effectus in adæquatè conſiderati, quantum ad materiam, vel quantum ad aliquid aliud, rectè poteſt eſſe effectus formæ componentis eundem effectum, & quia verba conſecrationis nõ ſunt cauſa efficiens totius ſacramenti Euchariſtiæ, ſed ſolum corporis Chriſti ſub ſpeciebus, hinc fit nihil obſtare ne ſint forma Euchariſtię, & quidem media benedictione conficitur aqua benedicta, & tamẽ per benedictionem conſtituitur tamquam per formam in ratione benedictæ: quid ergo mirum quod medijs verbis conſecrationis conficiatur Euchariſtia, & tamen per eandem vt per formam eſſentialiter ipſam componentem componatur.

Item ſacerdos medijs verbis abſolutionis conficit ſacramentũ Pænitentiæ, & tamen verba ſunt forma pœnitentiæ, & ſic in alijs: idem ergo in præſenti accidit, ſcilicet ſacerdotẽ efficere hoc ſacramentũ adçquate ſumptũ media ſua actione, & verba eſſe alteram partẽ totius effectus, & etiam ſi pars effectus ſint, ſunt quoque ratio efficiendi corpus Chriſti, vt eſt ſub ſpeciebus, atque anima rationalis nunc de facto formalis cauſa eſt reſpectu materiæ, & efficiens reſpectu paſsionum: ergo comparatiuè ad diuerſa, vt dixi, bene poſſunt verba conſecrationis cõcurrere efficienter, & formaliter: vnde quando Cõcilia docent medijs verbis cõfici hoc ſacramẽtũ, vel intelligẽda ſũt de cõfectione in genere cauſç formalis, vt in exemplis appoſitis, vel ſi in genere cauſæ efficientis, quantum ad aliquid in hoc ſacramento contentum, ſicut docent adorari Euchariſtiam latria, ad quod verificandum ſufficit quod ſic adoretur tantum, quantum ad Chriſtum ibi cõtentum.

Permanentia Eucharistia nõ eſt per modum relictum in ſpeciebus.

27 Ad tertium Ledeſma vt reſpõdeat idem dicturus, communiter Nuño cõſtituit, vt dixi ſupra quẽdam modum, vel habitudinem ſignificationis cauſatam in ſpeciebus à verbis, & cum habitudo illa permanens ſit, & media illa vt forma intrinſeca conſtituitur Euchariſtia, ſaluatur totum ſacramentum permanens eſſe quantũ ad intrinſeca, ſed numquam potui acquieſcere his Doctoribus. Primo, quia dum Concilium ait ſacramenta conſtare verbis vt forma, non loquitur de habitudine ad verba, ſed de verbis ipſis, Doctores autẽ illi authoritate Concilij vtuntur, ad aſſerendum verba eſſe formam Euchariſtiæ, ſicut & reliquorum ſacramentorum: ergo aſſerant verba ipſa, & non habitudinem ad verba eſſe formam, ex qua eſſentialiter conſtituitur Euchariſtia, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia non ex modo cauſato à verbis, ſed ex verbis ipſis componuntur. Bene video communiter poni ab iſtis modũ in omnibus ſacramentis, ſed mihi mirabile quod ex conſenſu, & verbis vnius contrahentis cauſatis, & prolatis Salmanticæ, producatur modus in conſenſibus, & verbis alterius productis Hiſpali, & mirabilius, Diuum Thomam numquam agnouiſſe hanc formam intrinſecam ſacramentorum.

Secundo, quia modus ille non eſt ſenſibilis, & reſpiciẽs tamquam ſignificatum Chriſtum, & gratiam cibantem, ſed eſt inſẽſibilis, & reſpicit verba, quorum & ad quæ eſt habitudo, at ſi eſt forma conſtituens ſubſtractum ſignificationis totalis in ſacramentis, debet eſſe aliquid ſenſibile recipiens, & etiam cauſans id, quod eſt res & ſacramentum ſimul, & id quod eſt res tantum: ergo habitudo illa nequit eſſe forma Euchariſtiæ. Et quis vnquam excitatus, vel ductus fuit in cognitionem Chriſti, & gratiæ reficientis ex vi illius modi?

Tertio, quia vt ipſe Ledeſma fatetur, habitudo illa eſt quoddam ens rationis cauſatum, & deriuatũ à ſignificatione verborum, eo modo, quo vnum ens rationis ab alio cauſatur. Tunc ſic, ea ex quibus componitur ſubſtractum quod eleuatum fuit a Chriſto ad ſignificandam gratiam entitatiue ſaltim, & moraliter ſunt aliquid reale, maxime in ſententia horũ quos impugno, qui volunt tale ſubſtractum eſſe phiſicum compoſitum: ergo.

Quarto, quia admiſſo ex verbis deriuari modum illum, ille non eſſet forma denominans Euchariſtiam, ſed quaſi modus vniens verba cum ſpeciebus, ſicut in phiſicis vnio animæ, cum materia nõ dicitur forma hominis, ſed conditio ad informandũ: ergo ita in præſenti.

Quinto, quia ſi nomine prædictæ habitudinis intelligant ſignificationem ſpecierum, prout habentem ortum à verbis determinantibus ipſas ſpecies, quam ſignificationem appellauit Vincentius formam intrinſecam ſacramenti, & verba formam extrinſecam, ſane de illa ſignificatione non eſt quæſtio: illa enim eſſet forma, per quam quaſi primo formatur, & vltimate conſtituitur, vt ſupra dixi, ſacramentũ in ratione ſigni gratiæ: ſed noſtra difficultas procedit de forma cõſtitutiua ſubſtracti prædictæ ſignificationis, & eam docuimus eſſe verba, ſicut in Baptiſmo, & Pœnitentia: (Vtrum autem appellanda ſit forma extrinſeca, vel intrinſeca? omito, vt quæſtionem communem omnibus ſacramentis) Et ſi nomine prędictæ habitudinis, vel modi aliquid aliud intelligatur, impugnatum eſt iam, & multis alijs refelli poteſt: de quibus aliàs: ergo non habitudo illa, vel modus, ſed verba ipſa ſunt forma, quam inquirimus in præſenti.

Ad argumentum ergo reſpondetur conformiter ad tertium fundamentum ſecundæ ſententiæ: conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Ad cuius probationem dicitur verba eſſe ſucceſsiua phiſice: moraliter tamen permanere in ſpeciebus, & hoc eſſe ſatis ſacramentis, vt ſacramentum ſit permanens, quia materia eius phiſica eſt phiſice permanens, & in his entibus quaſi artificialibus à materia deſumitur præcipua, & abſoluta denominatio.

Et per hoc patet ad primam confirmationem, etiam conceſſo antecedenti negando conſequentiam: etenim verba, vt diximus in tractatu de ſacramentis in genere habent aptitudinem, vt determinent res in ratione ſigni, & hoc oportuiſſe ſeruari in hoc ſacramento, ſicut in alijs fundamentum eſt proportio quæ inter materiam, & formam ſacramenti non eſt attendenda penes entitates, & materialiter, ſed formaliter intra genus ſigni, qualis in alijs ſacramentis, forma eſt phiſice ſucceſsiua, non eſſet quia mate-

ria

ſtia proximā ſit entitatiue talis, ſed propter alias rationes, quarū principalis eſt, quia ſic aptantur in ratione adęquata ſubſtracti ſignificationis totalis.

Ad ſecundam confirmationem admiſſa illa opinione, de qua in antecedenti, & prima conſequentia, negatur ſecunda.

Ad illius probationem, reſpondetur ſufficere, quod materia exiſtat phiſice, & forma moraliter, vt ſacramentum dicatur recipere virtutem phiſicam, per quam phiſice operetur, hoc enim verificatur ratione materialis, ſicut & alia, exemplum eſt in ſententia docente ſignifiationē ſacramēti, quæ eſt eius forma in primaria compoſitione eſſe entitatem rationis: & tamen ſacramentum abſolutè dicitur cauſa realis gratiæ, quod quidem ratione materialis verificari debet, ſic in noſtro caſu reſtringenda eſt cauſalitas phiſica Euchariſtiæ ad partē materialem ſubſtracti, ſicut in ſacramento pœnitentiæ reſtringenda eſt ad formam, vel ad verba quando actus pœnitentis phiſice tranſierunt, & in matrimonio ad actus vnius contrahentis, quando actus alterius phiſice non exiſtunt.

Ad quartum reſpondetur, non eſſe neceſſarium, quod quælibet pars eſſentialis ſacramenti cauſet, & ſignificet gratiam reficientem immediate totaliter, ſed ſufficere & requiri, quod illa pars quæ habet rationem formæ cauſet, & ſignificet partialiter determinando materiam in ratione ſigni practici, hoc autē habent verba conſecrationis in Euchariſtia, vt viſū eſt. Et per hoc reſpōdetur ad cōfirmationē verba permanere moraliter, & etiā cibare animā per modum ſigni partialis ad integrantis vnū ſignū totale, & ſignificantis propria ſignificatione corpus & ſanguinē contineri ſub ſpeciebus tanquam cibum animarum. & cauſatiuum gratiæ reficientis, qua formaliter ſit cibatio. Vnde ſi poneretur corpus Chriſti ſub ſpeciebus non medijs verbis, ſed alia via non eſſet idem ſacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter, quod modo eſt: de actione vero conſecratiua, & ſumptione diuerſa eſt ratio, quia actio conſecratiua eſt via ad formam determinantem materiam huius cibi ſpiritualis, & ad Chriſtum ibi contentū: ſumptio vero iam ſupponit totum cibum conſtitutum.

Ad vltimum, quod eſt omnium efficacius conſtat ex dictis dubio præcedenti: viſum enim relinquitur quomodo habeant verba ſignificationem requiſitā, vt eleuentur per modum formæ ſubſtractæ adęquatę ſignificationis gratiæ reficiētis, & quod determinēt ſignificationē ſpecierum, ita vt ſpecies ſine illis non ſit adæquatum ſubſtractum, ſicut nec ablutio in baptiſmo, itaque ſicut quia vt ſignificatio ſacramentalis ſit perfectior, & expreſsior debuit aqua quæ ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatē ſignificat, determinari per hęc verba: *Ego te baptizo*, tanquam per formam vt conſurgeret adæquatum ſubſtractum ſignificationis gratiæ baptiſmalis, ſecūdū Diuum Thomam, & omnes Theologos ſupra quæſt. 60. art. 6. licet etiam abſolutè potuiſſet Deus ſolam aquam, vt ſtat ſub ablutione eleuare, ita in præſenti affirmo, quod vt eſſet expreſsior ſignificatio Euchariſtiæ, & expreſsius veniamus in cognitionem corporis & ſanguinis Chriſti, quæ ſunt res & ſacramentum ſimul, cibuſque ſpiritualis: & etiam in agnitionem gratiæ reficientis, non ſolæ ſpecies quamuis potuiſſent, ſed verba ſimul, quibus debetur ſpecierum natiua ſignificatio indifferens ad cauſandum robur, & dignitatem, ſeu virilitatem permanentem, & nutritionem continuā fuere eleuata pro ſubſtracto in Euchariſtia.

Quod ſi opponas verba conſecrationis non habere ex ſe expreſsiorē, & contractiorē ſignificationē ad effectū Euchariſtiæ ſignificandum, quā ſolæ ſpecies. Reſpōdeo, quod tu reſpondere debes ſimili obiectioni in baptiſmo, non enim videntur hæc verba: *Ego te abluo*, habere contractiorem ſignificationē ad effectum Baptiſmi, quam ablutio ipſa quæ fieri poteſt ad refrigerandum, & ad tollendas ſordes: ſicut ergo hoc nō obſtante prædicta verba in baptiſmo habent rationem formæ, ita etiā verba Euchariſtiæ rationē formæ, & determinantis habebunt, & quidē negari non poteſt verba cōſecrationis ſignificare ex ſe expreſsius corpus Chriſti cibans, quam ſpecies ipſæ.

Ex hoc ergo capite apta ſunt vt eleuētur tāquā forma ſubſtracti: & ex alia parte, hoc eſt cōmune verbis, vt docent Theologi loco allegato, quod ſint aptiora ad ſignificandū, quam res: ergo, &c. videte ibi Cabreram diſp. 1. concl 3. num. 37. & ſane aliàs duæ cōgruentiæ, quas D. Th. affert, vt fundet ſacramēta nouæ legis debere cōſtare verbis tāquā forma, quadrant noſtro

ſacra-

ſacramento in facto eſſe conſiderato, ideò enim aſſerit ſacramenta verbis conſtare, quia ſunt à verbo diuino inſtituta, & applicantur homini habenti animam, quæ per verba credit, at Euchariſtia in facto eſſe à Verbo diuino fuit inſtituta, & pro ſalute hominis: igitur rationes, quæ militãt vt verba ſint forma Baptiſmi, Pœnitẽtiæ, Extremæ vnctionis, &c. procedunt quoque, vt ſint forma Euchariſtiæ in facto eſſe, & à fortiori, vt dicebã, quia vltra hoc quod eſt habere aptum modũ ſignificandi rẽ tãtum huius ſacramenti, ſignificant expreſſe, id quod eſt res, & ſacramentum ſimul, à quo ſpiritualis refectio cauſatur, quod nõ cõtingit in verbis aliorũ ſacramentorum.

In tertia tandem parte videndum eſt qua ratione corpus, & ſanguis, & ſpecies ſacramentales conſtitutionem Euchariſtiæ ingrediantur?

Corpus et ſpecies non pertinẽt ad Euchariſtiã tãquã forma.

28. ANTE Omnia ſuppono ex doctrina tradita, nec ſpecies ſacramentales, nec corpus & ſanguinem pertinere ad hoc ſacramentum tanquam formã: probatum enim reliquitur verba eſſe partem formalem ipſius: vnde ſi illa ad Euchariſtiam pertinent, vt partes materiales pertinere debent, quo fit non habere locum in noſtra ſententia quæſtionem aliorum modernorum, qui tenentes verba non eſſe formam Euchariſtiæ in facto eſſe diſputant, vtrum forma illius ſint ſpecies, an corpus & ſanguis? quibuſdam docentibus, vt attigi ſupra, primũ: eo quod corpus & ſanguis habent modum ſubiecti ſpecierum: eas enim ſuſtentant, ac per conſequens ſpecies rationem formæ: alijs aſſerentibus oppoſitum, quia corpus & ſanguis ſunt aliquid principalius, & id, vnde prouenit ſpeciebus quod ſint cauſa gratiæ, atque adeò cũ ratio ſacramenti Euchariſtiæ conſiſtat in hoc, quod ſit ſignum practicum, id eſt cauſatiuum gratiæ, ſequitur corpus & ſanguinem eſſe formale in illo compoſito ſacramentali: alijs autem ſub diſtinctione procedentibus: dicunt enim quod in ratione ſigni ſenſibilis magis principaliter, & formaliter ſe habent ſpecies: in ratione vero cauſatiui gratiæ, è contra: & conſequẽter defendũt ab alio prouenire in Euchariſtia eſſe ſignum gratiæ, & ab alio gratiam cauſare, ſed crucientur omnes iſti in inueſtigatione horũ. Ad nos tãtum attinet videre, vtrum materia reſpectu cuius verba conſecrationis ſunt forma, ſit corpus & ſanguis, vel ſpecies ſacramentales, vel vtrunque ſimul, ſicut dum inquirimus materiam reſpectu cuius verba abſolutionis habent rationem formæ, inueſtigamus: an talis materia ſit confeſſio ſola, an contritio, vel vtrunque ſimul, & quidem omnes combinationes ſunt à Doctoribus defenſatæ.

29. Prima enim ſententia, quã tenuit Vvaldenſis tomo 2. de ſacramentis capit. 21. docet corpus & ſanguinem Chriſti eſſe totum ſacramentum Euchariſtiæ (& ad rem noſtram, totam materiam) ſpecies vero pertinere ad illud in obliquo, & per quandam analogiam, in quantum ſignificant Chriſtum contentum ſub ipſis, & per hoc dicuntur ſacramentum, ſicut vrina dicitur ſana, quia eſt ſignum ſanitatis, quæ formaliter eſt in animali.

Et probatur hæc opinio. Primo authoritatibus ſanctorum Patrum, quas refert Claudius Saintes lib. 2. de Euchariſtia cap. 4. in quibus Patres appellant corpus & ſanguinem Chriſti ſacramentũ Euchariſtiæ, & è contra, cui modo loquendi fauet Chriſtus quando dixit: *Caro mea vere eſt cibus*, & habetur in multis capitibus decreti de conſecratione diſt. 2. ergo ex mente Scripturæ & Patrum dicendum eſt corpus & ſanguinem Chriſti, pertinere ad Euchariſtiam ad minus vt eius adæquatã materiam in recto importatam, & pro qua hoc ſacramentum ſupponat, vel ſupponatur: alioquin non eſſent vere locutiones illæ: etenim in concretis accidentalibus, quale eſt ſacramentum: id quod vere afirmatur de concreto debet importari vt ſubiectum, vel materia adæquata, pro quo nomen ſupponat: vt patet in hac, *Album eſt corpus*, & in ſimilibus: ergo.

Secundo, quia fere omnia prædicata quæ communiter tribuuntur ſacramento Euchariſtiæ verificantur de illo ratione corporis & ſanguinis: ergo corpori & ſanguini conuenit per ſe quod ſit ſacramentũ Euchariſtiæ, ſeu importatũ in recto: non

ſpecies

ſpeciebus, niſi per accidens, quatenus ſignificant contentum ſub ipſis.

Conſequentia videtur bona, quia illa eſt eſſentia alicuius rei, vel importatur in recto per nomẽ talis rei, ratione cui⁹ eidẽ rei conueniunt prædicata quæ de ipſa enũciantur, vt inductiue patet. Et antecedens probatur, quia de hoc ſacramento dicitur, quod ſit panis viuus, panis Angelorum, cibus ſpiritualis animæ, quod adoretur latria, ſit excellentiſsimum omnium ſacramẽtorum, ſacramentum ſimul & ſacrificium, & alia huiuſcemodi: at hæc ratione corporis & ſanguinis verificantur, & non ratione alterius: ergo corpus & ſanguis eſt illud pro quo in recto ſupponitur Euchariſtia.

Tertio: illud eſt per ſe ſacramentũ Euchariſtiæ, quod ſignificatur, & cauſatur per verba, quæ ſunt eius cauſa, ſed verba conſecrationis, quæ ſunt cauſa ſacramẽti Euchariſtiæ expreſſe ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti, & illa cauſant, & non ſignificant ſpecies niſi in confuſo, vt cõtinentes corpus, nec illas cauſant: ergo. Conſequentia eſt bona: & minor conſtat ex ipſa ſignificatione verborum: & maior habetur in Florẽt. in decreto fidei, §. *decernimus*, vbi dicitur, ſacerdotem per verba conſecrationis conficere hoc ſacramentũ.

Confirmatur, & explicatur dupliciter. Primo id quod in recto eſt ſacramentũ Euchariſtiæ ſignificat expreſſe, & principaliter gratiam reficientem, ſed ſpecies hoc non habent: habent tamen corpus, & ſanguis Chriſti: ergo. Patet minor, ſpecies ſignificant expreſſe, & principaliter id ad quod ſignificandum determinantur per verba cõſecrationis, vt dictum eſt, ſed verba conſecrationis non determinant ſpecies, niſi iuxta propriam ſignificationẽ, ac proinde cum propria ſignificatio ſit corp⁹ & ſanguis, ad hæc ſignificanda determinabuntur ſpecies: corpus autẽ & ſanguis Chriſti expreſſe, & principaliter ſignificant gratiam reficientem, & perſiſtientem vnionẽ corporis Chriſti miſtici cum Chriſto capite: ergo non ſpecies, ſed corpus & ſanguis ſunt huius ſacramenti materia.

Secundo, quia ſacramentum Euchariſtiæ per ſe cauſat prædictam gratiam: eſt enim ſignum practicum ſui ſignificati, ſed corpus & ſanguis per ſe cauſant gratiam illam nutrientem, & viuentem; ſpecies non niſi per accidens, quatenus continent authorem gratię: ergo. Probatur minor, vbi eſt præſens agens, per ſe ipſum ſufficiens agere, non eſt opus inſtrumento, nec expedit inſtrumentum adhiberi, at in hoc ſacramento, præſens eſt Chriſtus, qui eſt author gratiæ, & inſtrumentum coniunctum diuinitati: ergo per ſe ipſum cauſat gratiam, & non per ſpecies: ergo, & cætera. Nec valet dicere corpus & ſanguinẽ nõ ſignificare, nec cauſare præfatum effectũ ſenſibiliter, quod requiritur ad rationem ſacramenti: nõ inquam valet, quia ſatis eſt quod reddantur ſenſibilia per ſpecies, ſicut contritio per confeſsionem in pœnitentia.

Vltimo: id à quo Euchariſtia accipit eſſe vnum numero ſacramentum, ingreditur in recto ipſius cõſtitutionem, & pro illo ſupponitur nomen, vt patet in omnibus cõpoſitis accidẽtalib⁹, in quibus illud à quo vnitas numerica horum deſumitur eſt ſubiectum, & materia in recto importata, & pro qua ſupponuntur nomina ſignificantia talia concreta: ſed ſic eſt, quod à corpore & ſãguine Chriſti accipitur quod ſit hoc ſacramentum vnum numero, & nõ ab ſpeciebus: ergo. Probatur minor, vnum numero ſacramentum Euchariſtiæ ſumitur à fidelibus, ſiue vnam hoſtiam, ſiue plures ſumant, & ſiue ſpecies panis tantum, vel ſimul ſpecies vini: atqui hoc non alia ratione, niſi quia eſt idem numero corpus & ſanguis: ſpecies enim numero multiplicantur, ac proinde ſi ab his acciperetur vnitas, plura eſſent ſacramenta numero: ergo à corpore, & ſanguine, & non ab ſpeciebus accipitur vnitas Euchariſtiæ.

30 Secunda opinio aſſerit hoc ſacramentum eſſe quodam compoſitum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti, ita vt vtrumque ingrediatur in recto, quod eſt dicere iuxta terminos noſtræ difficultatis materiam adæquatam Euchariſtiæ conflari ex æquo ex ſpeciebus & corpore Chriſti contento ſub ipſis, ita Caietanus, Victoria, Martinus, & Bartholomæus de Ledeſma, quos ſequuti ſũt Suarius, & Vazquius, & multi moderni conſtituentes non minus pertinere ad illius ſubſtantiam corpus & ſanguinem, quam contritionem ad ſubſtantiam pœnitentiæ. *Secũda ſententia cum ſuis fundamentis.*

Et probatur hæc ſententia: primo authoritate, tum ſanctorum Patrum, & præcipue Irenei lib. 4. cap. 24. aſſerentiũ hoc ſacramentum conſtare duadus rebus, altera terreſtri, ſcilicet ſpeciebus panis & vini: & altera

& altera cœleſti, hoc eſt corpore & ſanguine Chriſti, quod habetur in cap. *hoc eſt*, de conſecratione diſtinct. 2. vbi dicitur, Euchariſtiam duobus conſtare, ſcilicet viſibili elemētorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti corpore, & ſanguine, ſicut perſona Chriſti conſtat ex Deo, & homine.

Tum Concil. Tridentini, & Florentini, quæ ex modo loquendi videnter fauere huic parti: Florentinū quatenus ait hoc ſacramentum eſſe cibum, & alimoniam animæ, quod intellectum ſacramentaliter, vt debet intelligi, claudit neceſſario vtrūq;, videlicet corpus & ſanguinem quibus alimur, & accidētia panis & vini, quibus corpus & ſanguis Domini redduntur quaſi forma ſacramentalis, & cibus viſibilis: Tridentinum uero, quia ſeſs. 14. cap. 5. docet hoc ſacramentum colendum eſſe latria, & cap. 3. inquit illud habere commune cum alijs ſacramentis, vt ſit ſymbolum externum, & ſenſibile ſanctitatis, ſed quod colatur latria, conuenit ei ratione corporis, & ſanguinis: & quod ſit ſymbolum externū, atque ſenſibile ſanctitatis, cōuenit ratione ſpecierum

Tum denique ſancti Thomæ in quarto diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 1. ad ſecundum, vbi hæc habentur verba: *Secundum quod ex ſpeciebus, & corpore Chriſti fit vnum ſacramentum*: & quæſtiuncula 2. ad quartum docet, *Corpus Chriſti, & ſpecies habere vnitatem, quæ ſufficit ad vnitatem huius ſacramenti*: ergo.

Secūdo ratione: illud eſt per ſe ſacramētū Euchariſtiæ, vel pro quo Euchariſtia ſupponit in recto, quod fit per verba cōſecrationis vt dicebā, fūdās ſentētiā precedētē: ſed per verba cōſecrationis, nec fit corpus & ſanguis Chriſti: hæc enim facta ſupponuntur, nec fiunt ſpecies panis, & vini propter eandem rationem, ſed fit compoſitum ex vtroque, ſicut per actionem incarnatiuam producitur perſona diuina, & natura humana: ergo illud compoſitum eſt ſacramentum Euchariſtiæ, ſicut Chriſtus factus per incarnationem eſt compoſitum ex perſona diuina, & humanitate. Et confirmatur, quia non poteſt negari, quin ex ex ſpeciebus, & corpore Chriſti reſultet vnum mirabile compoſitū, habens ineffabilem vnitatem, & quod tale compoſitum aliquo nomine ſit nominiabile in Eccleſia: imo & de facto nominatum, ſiquidem hoc valde congruum erat, ſed iſtud nomen nō eſt aliud, niſi Euchariſtia, vel ſacramentū Euchariſtiæ: in hoc enim nullum inconueniens reperitur, nec ratio ad oppoſitum aſſerendum cogens: ergo dicēdū eſt ſacramentum Euchariſtiæ pro prædicto coniuncto, vel agregato ſupponere.

Tertio, prædictum compoſitum eſt ſignum practicum gratiæ reficientis animam, quia nec corpus ſine ſpeciebus, nec ſpecies ſine corpore Chriſti eſſent perfectum ſignum: ſpecies enim accipiunt virtutem refectiuam à Chriſto, & Chriſtus ſenſibilitatem ab ſpeciebus, quorum vtrūque ad hoc ſignum practicum gratiæ cibātis requiritur: ergo ex vtroque reſultat id quod eſt materia adæquata huius ſacramēti, ſi non ſit totum ſacramentum.

Nec valet reſpondere, corpus Chriſti eſſe ibi inuiſibile, & inſenſibile, atque adeò non poſſe eſſe, neque ſacramenti partem, de cuius ratione eſt, quod ſit viſibilis forma, vel ſenſibilis.

Non inquam valet primo, quia compoſitum ex re inuiſibili, & viſibili eſt ſimpliciter viſibile, vt patet in homine.

Secundo, quia non eſt neceſſe quod omnes partes componentes eſſentialiter, & in recto ſacramentum ſint aliquid viſibile, ſeu ſenſibile, vt docuit Diuus Thomas quæſtiuncula iam citata ad tertium, ſed ſufficit quod fiat ſenſibile ratione alterius, vt conſtat exemplo contritionis ſupra adducto, quæ eſt eſſentialis pars pœnitentiæ: ergo.

Et confirmatur primo: ſacramentum Euchariſtiæ cauſat gratiam per modum cibi, nutrientis animam ſpiritualiter, ſed nō ſolæ ſpecies, ſed præcipuè corpus & ſanguis nutriunt animam, iuxta illud: *Caro mea vere eſt cibus*, & illud: *Panis quem ego dabo*, & illud, *Qui manducat meam carnem, &c.* ergo id de quo diſputatur conſtat ex corpore Chriſti, vt ex præcipua parte, dato, quod non ſit totum ſacramentū, vt docuit Vvaldenſis.

Secundo: virtus cauſatiua gratiæ eſſentialiter includitur in quolibet ſacramento nouæ legis, cum ſacramentum ſit ſignum cauſatiuum gratiæ, & contentiuum illius, quam quidem nec cōtinebit, nec cauſabit, niſi ratione virtutis prædictæ, at hæc virtus, vt docuit Diuus Thomas ad ſecundum eſt corpus & ſanguis Chriſti: ergo corpus & ſanguis eſſentialiter in recto pertinent ad hoc ſacramētū, & cum ex alia parte ſpecies nō poſsint eſſētialiter pertinere,

vt

Digitized by Google

vt probatum eſt, & probabitur amplius: ſit manifeſte intentum huius opinionis.

Quarto arguitur: quia non eſt ratio quare corpus & ſanguis non componant hoc ſacramentum ſimul cum ſpeciebus, ſicut dolor componit cum confeſsione pœnitentiam, imò ſunt multæ rationes adductæ pro prima ſententia, & pro iſta, quæ ſi non probent eſſe in recto totum ſacramentum, ad minus probant eſſe partem illius, & alias ita Theologizando, extollitur maxime dignitas Euchariſtiæ: ergo ſic Theologizari oportet.

Prima pars antecedentis huius diſcurſus ad quam videtur reduci tota difficultas, probatur, quia ſi corpus Chriſti excluderetur ne eſſet illo modo pars Euchariſtiæ, aut eſſet propter inſenſibilitatem, & propter hanc non, vt oſtenſum eſt in dolore, qui eſt pars materiæ pœnitentiæ, aut propter ea quod eſt res & ſacramentum ſimul in Euchariſtia, ac proinde nequeat eſſe pars ſacramenti tantum, ſed nec propter hoc, vt conſtat in eodem dolore, qui etiam in pœnitentia eſt res & ſacramentum ſimul, quod non obſtat ne ſit ſimul pars ſacramenti tantū. Vel denique eſſet quia id quod eſt pars ſacramenti tantum debet eſſe inſtitutum vt ſignum partiale ad ſignificandam gratiam, ac proinde neceſſario eſt futurum aliquid inferius, & imperfectius gratia, quod nequaquam poteſt Chriſti corpori competere, at nec hæc ratio videtur cōcludere: nam etiā corpus Chriſti eſt res, & ſacramentum ſimul, vt concedunt omnes: ergo eſt ſignum gratiæ, patet conſequentia, quia id quod eſt res & ſacramentum ſimul eſt ſignificatum per ſacramentum tantum, & eſt ſignum illius quod in ſacramento eſt res tantum, ſcilicet gratiæ: ergo quia non poteſt eſſe ſignum gratiæ, non excludendum eſt ratione partis Euchariſtiæ.

31 Tertia ſententia aſſerit ſolas ſpecies ſacramentales eſſe adæquatam materiam, pro qua ſupponitur Euchariſtia: corpus autem & ſanguinem pertinere ad illam tanquam connotatū in obliquo, & licet præcedentem valde probabilem iudicem: hanc elligo, vt communiorem inter recentiores Thomiſtas.

Aſſero ergo ſpecies panis & vini prout actu continentes corpus & ſanguinem Chriſti eſſe materiam totalem ſacramenti Euchariſtiæ, & vt talem ad ipſum pertinere: ita vt corpus & ſanguis neque ſit tota materia, vt dicebat prima opinio, nec pars materiæ, vt dicebat ſecunda, ſed eſſe in obliquo connotata, ad illum modum, quo obiectum notitiæ intuitiuæ, neque eſt notitia, nec pars notitiæ, ſed eſſentialiter connotatū, & ſicut locatum, nec eſt locus, nec loci pars, ſed eſſentialiter à loco connotatum per modum contenti.

Et quod corpus & ſanguis non ſit totum ſacramentum, vel tota materia, vt voluit Vvaldenſis, aſſeritur ab omnibus Theologis, & videtur deduci ex Concilio Tridentino ſeſsione 13. cap. 3. vbi decernitur commune eſſe Euchariſtiæ cum omnibus alijs ſacramentis, quod ſit ſymbolum rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ viſibilis forma.

Ex quo tale formatur argumentū: de ratione ſacramenti eſt eſſe ſignum ſenſibile rei ſacræ, & hanc diffinitionem conuenire Euchariſtiæ docuit Concilium Tridentinum in præfatis verbis: ſed corpus & ſanguis Chriſti non ſunt aliquid ſenſibile prout continentur in hoc ſacramento: ergo nec ſunt ſacramentum, nec adæquata materia ipſius.

Dices eſſe aliquid ſenſibile per coniunctionem ad ſpecies conſecratas, & hoc ſufficere, ſicut ſufficit quod contritio ſit ſenſibilis per confeſsionem vocalem, vt ſit pars ſacramenti. Cur enim ſenſibilitas per aliud non ſufficiet ad partem ſacramenti, aut etiam ad totum ſacramentum?

Sed contra hoc eſt, quia de ratione huius ſacramenti viſibilis Eccleſiæ, eſt quod ſenſibile ſit in ſe ipſo, & per ſeipſum, ſaltem ratione alicuius intrinſeci ipſius. Quod ſi hoc negetur, fateor non poſſe euidenter probari: ſupponitur tamen ex communi Theologorum doctrina: ſed ſpecies ſacramentales in ſententia Vvaldenſis nō pertinent intrinſece ad hoc ſacramentum: igitur non ſaluatur ratio adæquata ſacramenti in corpore & ſanguine, vtpote quia non ſaluatur ſenſibilitas ratione ſui, vel ratione alicuius ſuæ partis; aliter autem contingit in contritione, quæ cum cōfeſsione componit materiam pœnitentiæ, quæ materia ex his partibus compoſita redditur intrinſece, & in ſe ſēſibilis, quia vt totum compoſitum intrinſece, & in ſe, dicatur & ſit ſenſibile, ſufficit ab vna tantum parte ſenſibilitatem habere.

At

At oppones, quamuis ex hoc ſequatur non ſaluari totum ſacramentum in corpore, & ſanguine: non tamen ſequi non ſaluari totam illius materiam, nam poterit quis iuxta noſtrã doctrinam dicere quod forma Eucharistiæ ſunt verba conſecrationis, & hæc ſunt ſenſibilia, ac proinde ex illis tanquam ex forma, & ex corpore & ſanguine tanquam ex materia reſultabit compoſitum ſimpliciter ſenſibile in ſe ipſo, quemadmodum ex contritione, & vocali confeſsione reſultat compoſitum ſimpliciter ſenſibile: igitur ex argumento facto ſolum conuincetur non ſaluari totum ſacramentum in corpore & ſanguine: non vero quod in illis non ſaluetur tota materia.

Sed contra hoc eſt, quod ſi verba cõſecrationis ſunt forma Euchariſtiæ pro ut ſũt aliquid ſẽſibile in ſeipſis; ergo poſtulat ut tanquam materiam proportionatã aliquid ſenſibile quod præſupponant, & ita contingit in reliquis ſacramentis, atque hoc pacto aſsignatur proportionata materia, cum qua fiat vtrumque tertium compoſitum: ergo non eſt ſatis formam eſſe ſenſibilem, ſed materia ſenſibilis debet ſupponi ad formam: ergo corpus & ſanguis nequeunt eſſe tota materia ſacramenti Euchariſtiæ ob dictam communem rationem.

32 Quod amplius à fortiori oſtẽdemus probando neque eſſe partem materiæ, vt docet ſecunda pars noſtræ aſſertionis cum Magiſtro, Alexandro, Alberto, Scoto, Ricardo, Gabriele, Marſilio, Soto, Vincẽtio Ledeſma, Nuño, & alijs multis Thomiſtis. Et probatur primo ab authoritate ex Tridentino ſeſsione 13. can. 1. dicentis corpus & ſanguinem vere in hoc ſacramento contineri. Qui modus loquẽdi expreſſus habetur in cap. *ego Berengarius*, de conſecratione diſt. 2. vbi dicitur, quod facta conſecratione ſunt in altari nõ ſolum ſacramentum, puta ſpecies ſacramẽtales: ſed etiam corpus Chriſti, quod in eo continetur: igitur corpus & ſanguis Chriſti, nec vt pars materiæ pertinent ad hoc ſacramentum, ſed ſunt aliquid diſtinctum à toto ſacramento, ad quod comparantur vt contentum ad continens, ſicut locatum ſe habet ad locum.

Fateor prędicta verba poſſe ſaluari etiam ſi corpus & ſanguis Chriſti ſint pars materiæ ſacramenti, quia pars etiam dicitur contineri in toto: eritque hæc explicatio ſufficiens vindicare oppoſitam ſententiam a nota alicuius cenſuræ. Cæterum non eſt ſufficiens vindicare illam a nota falſitatis, quia noſtra ſententia cõformior eſt modo loquendi Concilij, & iuris Canonici: vtpote quæ cum tota proprietate ſeruat dictum loquendi modum, quæ ſine dubio ſeruanda eſt quantum poſsibile fuerit.

Accedit authoritas Angelici Doctoris hic ad ſecundum dicentis, quod ſicut virtus Spiritus ſancti comparatur ad aquam baptiſmi, ita in hoc ſacramento corpus & ſanguis Chriſti comparatur ad ſpecies panis & vini: virtus autem Spiritus ſancti nõ eſt pars baptiſmi: ergo nec corpus & ſanguis eſt pars Euchariſtiæ. Rurſus art. 6. ſequenti ſubdit idem Angelicus Doctor ſpecies conſecratas eſſe ſacramentum tantum: corpus vero & ſanguinem eſſe rem, & ſacramentum ſimul, & nuſquam legitur dixiſſe eſſe partem ſacramenti tantum: quod tamen ſi ita eſſet, aliquando affirmaret, eo quod & ad rem faceret, & ſpecialem difficultatem cõtineret, qua de cauſa infra quæſtione 84. agens de pœnitentiæ ſacramento dixit dolorem internum eſſe partem ſacramenti tantum, necnon rẽ, & ſacramentum ſimul: ergo.

33 Secundò probatur tribus rationibus Theologicis: quarum prima ſic habet: corpus & ſanguis Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ ſunt res, & ſacramentum ſimul, vt ſuppono: ergo non ſunt pars ſacramenti tantum. Patet conſequentia, quia id quod eſt res & ſacramentum ſimul ſignificatur ab illo, quod habet rationem ſacramenti tantum, ſed ſignatum omnino debet condiſtingui a ſuo ſigno, ita vt neutiquam poſsit ingredi eius conſtitutionem tanquam pars: eo quod ſignum quantum ad omnes ſuas partes debet præintelligi conſtitutum antecedenter ad ſignatum, licet non ante ordinem ad illud: ergo ſi corpus & ſanguis ſunt aliquid ſignatum per ſacramentum tantum, nõ poſſunt eſſe pars ipſius: licet ordo ad corpus & ſanguinem ſit de eſſentia huius ſacramenti, quod nec nos inficimur negare.

Quæ ratio amplius confirmatur, & declaratur ex eo quod de eſſentia Euchariſtiæ eſt ſignificare corpus & ſanguinẽ, vt contentum ſub ſpeciebus, & vt cibantia ſpiritualiter animam: ergo pariter de ratione partium conſtituentium hoc ſacramentum erit ſignare particulariter corpus & ſanguinem ſub prædicta ratione.

Digitized by Google

Tunc vltra : ſed corpus, & ſanguis Chriſti non poſſunt partialiter ſignificare ſe ipſa : quia nihil poteſt eſſe ſignum ſui partiale, ſicut nec totale : quamuis poſsit, id quod eſt connotatum alicuius, & vt tale ingreditur conſtitutionem ipſius, ſignificari per illud à quo connotatur, vt apparet in imagine artificiali, & alijs ſignis.

Verumtamen numquam contingit, quod aliquod ſignum ſignificet aliquam partem ſui, per quam in recto conſtituitur : ergo licet corpus, & ſanguis Chriſti poſsint ſignificari per Euchariſtiam, quia in obliquo, & de connotato pertinent ad illam: id tamen pugnaret ſi eſſent pars eius conſtitutiua.

Sed obiicies inſtantiam de dolore interno, quod eſt res, & ſacramentum ſimul in ſacramento Pœnitentiæ, & tamen ſimul eſt pars conſtituens ipſum ſacramentum tantum.

Huic obiectioni reſpondetur diſparem eſſe rationem : eo quod dolor huiuſmodi habet duplicem formalitatem realem, & ex natura rei diſtinctam : ſub quarum vna eſt pars ſacramenti tantum : & ſub altera eſt res, & ſacramentum ſimul, verbi gratia, quatenus contritio, ſiue attritio ſupernaturalis eſt deteſtatiua peccatorum, & quædam diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem reſpiciens externam confeſsionem, per quam externe manifeſtetur confeſſori : eſt pars eſſentialis ſacramenti tantum : quatenus vero accipit à verbis abſolutionis, & confeſsionis quemdam modum, quem explicabimus infra quæſtione 84. eſt res, & ſacramentum ſimul ſignificata per ſacramentum tantum : vbi autem interuenit huiuſmodi diſtinctio realitatum, ſiue formalitatum in eadem re : non inconuenit illam ſub vna realitate, ſiue formalitate eſſe ſignum : & ſub alia ſignatum : quod etiam contingere poſſet in corpore, & ſanguine Chriſti ſi talis diſtinctio in illis interueniret.

At qui non poteſt huiuſmodi duplex formalitas in eis diſtingui : nam ſi eſſent pars ſacramenti Euchariſtiæ, hoc haberent prout continentur ſub ſpeciebus per modum cibi ſpiritualis cauſantis gratiam nutrientem : ſub hac autem ratione ſunt res, & ſacramentum ſimul, quia ſic, & non aliter ſunt ſignificatum per ſpecies conſecratas : ergo implicat, quod corpus, & ſanguis Chriſti, ſub hac formalitate ſint pars ſacramenti tantum.

Quam rationem amplius vrgeo, ex eo quod licet admittamus in corpore Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento omnes has formalitates : nimirum, quod ſit contentum ſub ſpeciebus, quod per ipſas, & verba conſecrationis manifeſtetur, quod ſit ibi per modum cibi ſpiritualis, & tandem quod ſit cauſa refectionis : verumtamen ſi eſſet pars ſacramenti tantum, ſecundum omnes iſtas formalitates deberet eſſe pars illius : hoc enim conuincunt fundamenta aduerſariorum, ſi aliquid conuincunt, vt facile patebit diſcurrenti per ſingula: ergo nulla aliqua ratio, ſiue formalitas relinquitur in corpore Chriſti, ſub qua eſſet res, & ſacramentum ſimul, dato quod ſit pars ſacramenti tantum ; quod tamen non eſt admittendum : ergo.

34 Secunda ratio deſſumitur ex ipſa Chriſti inſtitutione : nam Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, tamquam ſignum habens analogiam cum cibo corporali : ſed in cibo corporali, duo reperiuntur : nimirum ſubſtantia cibi, & eius accidentia quæ ſunt ſignum tum ſubſtantiæ ipſius cibi, tum etiam refectionis : igitur proportionabiliter in hoc ſacramento alia duo debent reperiri, ſcilicet ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti ſuccedens loco ſubſtantiæ panis, & vini, & accidentia panis, & vini, quæ manent inſtituta à Deo, vt ſint ſignum, tum ſubſtantiæ corporis, & ſanguinis, tum refectionis ſpiritualis : ergo Euchariſtia quæ eſt inſtituta, vt ſignum rei ſacræ, per ſimilitudinem ad ea quæ in cibo corporali inueniuntur, eſt ipſa accidentia

continentia cœleſtem ſubſtantiam Chriſti ſine qua accidentia non eſſent ſignum talis refectionis, vt de facto ſunt, non verò eſt ipſa ſubſtantia contenta, nec partialiter: ergo corpus, & ſanguis non ingrediuntur, vt pars huius ſigni ſacramentalis, ſed vt ſignificatum, & contentum, vt ſubſtantia panis, & vini non ſunt pars ſigni ſignificantis refectionem corporalem; ſed aliquid ſignificatum per ſignum.

Quod ſi dicas in cibo corporali, non ſolum accidentia eſſe ſignum refectionis, ſed etiam ipſam ſubſtantiam ſub accidentibus contentam, & per accidentia manifeſtam, atque adeò in præſenti idem contingere, ſcilicet non ſola accidentia eſſe ſignum gratiæ, ſed etiam ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ibi contentam.

Contra hoc eſt; quia in primis falſum eſt ſubſtantiam panis, & vini eſſe nobis ſignum refectionis corporalis, ſed ſola accidentia ſunt ſignum, tam ſubſtantiæ, cuius accidentia ſunt, quam refectionis: & ſi ipſa ſubſtantia eſt ſignum, eſt in propriè; impropriè autem etiam concedimus nos corpus, & ſanguinem eſſe ſignum gratiæ cibantis, ſiquidem ſunt res, & ſacramentum ſimul, ac per conſequens, licet ſint ſignificatum per ſacramentum, ſunt ſignum gratiæ, lata quadam acceptione.

35 Deinde admiſſo, quod ſubſtantia panis ſit proprie ſignum refectionis corporalis non eſſe eamdem rationem corporis, & ſanguinis Chriſti ſequenti ratione oſtenditur: quæ eſt tertia in ordine pro concluſione noſtra, quæ ex propria, & eſſentiali ratione ſacramenti nouæ legis procedit ſub hac forma: ſacramentum nouæ legis, vt hic ſuppono, debet eſſe vere, & proprie ſignum ad placitum gratiæ, ac proinde omnes eius partes debent eſſe vere, & proprie ſigna partialia. Ex quorum ſignificatione, reſultat ſignificatio totius, & hoc patet inductiue in omnibus ſacramentis; ſed ſic eſt, quod corpus Chriſti, directe, & per ſe non eſt verum, & proprium ſignum ad placitum gratiæ: ergo; &c.

Probatur minor dupliciter primò; verum, & proprium ſignum eſt imperfectius ſuo ſignato, vt dicitur in dialecticis; vnde videmus hominem non eſſe ſignum imaginis, è contra verò fatemur imaginem eſſe verum hominis ſignum, atque hinc deſcendimus ad aſſerendum, etiam ſignum ad placitum, quòd verè, & propriè tale eſt, eſſe imperfectius re ſignificata per ipſum, non ſolum ratione formæ rationis, qua conſtituitur: ſed etiam totum coniunctum ex tali forma, & ſubſtrato: at corpus Chriſti phyſicè, & moraliter eſt longe perfectius gratia cibante: ergo non erat aptum, vt eleuaretur, & inſtitueretur à Deo tamquam ſignum partiale ad placitum talis gratiæ: igitur de facto ſic inſtitutum non fuit, ſed ſolæ ſpecies connotantes corpus ipſum, vtpote quæ ſunt imperfectiores gratia ſignificata per hoc ſacramentum.

Cum autem diximus corpus Chriſti eſſe longe perfectius gratia cibante, debet intelligi ratione vnionis hypoſtaticæ; alioquim ratione ſui, minus perfectum eſt, quam gratia.

Secundo probatur eadem minor: quia ſignificatio veri ſigni ad placitum debet ſubiectari in re quæ ſit nobis nota, vel per ſe ipſam, vel per aliquid aliud, quo pacto contritio fuit inſtituta tamquam verum ſignum partiale gratiæ ſacramentalis; quia nobis per confeſſionem externam innoteſcit: corpus autem Chriſti, nec per ſe ipſum, nec per aliud ſit nobis notum, ſed ſola fide credimus illud ibi contineri: ergo non poteſt eſſe propriè ſignum ad placitum ducens nos in cognitionem gratiæ. Si dicas fieri nobis manifeſtum per verba conſecrationis.

Contra hóc inſurgo dupliciter, primò, quia plures ex aduerſarijs non admittunt verba conſecrationis eſſe partem hujus ſacramenti in facto eſſe, de quo ſub facta conſideratione loquimur: ergo corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento in facto eſſe non ſit nobis manifeſtum per verba in eorum

ſens

ſententia ; ac proinde, vt ſic non habet aptitudinem, vt inſtituatur in verum, & proprium ſignum partiale gratiæ.

Secundo, quia admiſſo, iuxta noſtram ſententiam verba eſſe formam Euchariſtiæ in facto eſſe, & per illa fieri notum nobis Corpus Chriſti, adhuc hoc non ſufficit, quia de ratione partis materiæ ſacramenti eſt, quod ſit nota per ſe, vel per alteram compartem eiuſdem materiæ: vt patet exemplo contritionis, quæ non fit nota per verba abſolutionis, ſed per confeſsionem.

Cuius ratio à priori poteſt eſſe, quia ſacramentum debet eſſe ſenſibile, non ſolum ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ: vt in omnibus alijs ſacramentis inductione probari poteſt: ergo ſi corpus Chriſti antecedenter ad verba conſecrationis, nec eſt notum per ſe, nec per ſpecies, ineptum prorſus eſt, vt inſtituatur in verum ſignum partiale ad placitum, & alias cum nihil horum deſideretur in ſpeciebus panis, & vini, prout continent corpus, & ſanguinem Chriſti: vtpotè, quia ſunt aliquid diſtinctum ab illo, & habent inferioritatem ad gratiam, ſufficientemque modum ſignificandi propter ſenſibilitatem, & notionem, ideo aptæ ſunt, vt inſtituantur pro materia adæquata huius ſacramenti: procul dubio dicendum eſt illas ita fuiſſe de facto inſtitutas.

36 Ex his reſpondetur ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum quidem dicendum eſt Patres appellare corpus, & ſanguinem Chriſti ſacramentum Euchariſtiæ, propterea, quod ſunt res, & ſacramentum ſimul: vt ſic eo modo loquendi contra hæreticos defenderent corpus, & ſanguinem Chriſti, vere, & realiter contineri in hoc ſacramento. Quando autem econtra dicunt ſacramentum eſſe corpus, & ſanguinem, aut per metonimiá accipiunt continens pro contēto: aut ſignum pro ſignato: nimirum ſpecies ſacramentales pro ipſo corpore, & ſanguine ſignatis: quo pacto imaginem Cæſaris ſolemus Cæſarem appellare. Verbum autem illud Chriſti: *Caro mea verè eſt cibus*: planum habet ſenſum quamuis caro ipſa Chriſti non ſit ſacramenti pars; quia vere eſt cibus ſpiritualis animæ propter duo: Tum quia cauſat gratiam cibantem. Tum etiam, quia per modum cibi continetur, & ſignificatur in hoc ſacramento.

Ad ſecundum admiſſo antecedenti nego conſequentiam: quia ad verificandum illa prædicata non requiritur, quod corpus, & ſanguis ſint pars ſacramenti, ſed ſufficit, quod in ipſo contineantur: ſic enim verificatur, quod ſit panis viuus, & Angelorum, & cibus animæ ſpiritualis de hoc ſacramento ratione rei contentæ, nec non adorari adoratione latriæ: quod etiam poteſt ſpeciebus conuenire, quatenus continent, & ſignificant corpus Chriſti: qua ratione, etiam imagini Chriſti exhibetur cultu latriæ, quia Chriſtum ſignificat.

Nec non ob aliam rationem: nimirum, propter vnionem quam habent cum corpore Chriſti ſubſiſtente in perſona diuina, cum quo ſunt ſacramentaliter vnitæ. Quemadmodum propter illam vnionem, quam humanitas aſſumpta habet cum perſona diuina adoratur cultu latriæ, licet ſit natura creata. Quod autem hoc ſacramentum ſit excellentius ſaluatur, tum ratione Chriſti ibi incluſsi.

Tum etiam, quia ſpecies ſacramentales reſpiciunt Chriſtum verè, & phyſicè ſub ipſis exiſtentem. Qui reſpectus in recto eſt de eſſentia Euchariſtiæ: quod non contingit in alijs ſacramentis.

Ac tandem prædicatum illud, ſacrificium, vno ex duobus modis poteſt verificari de hoc ſacramento, iuxta duas Theologorum ſententias: aut enim ſacrificium conſiſtit formaliter in corpore, & ſanguine Chriſti oblatis: & tunc Euchariſtia eſt ſacrificium, & ſacramentum ſub diuerſis rationibus: ſacrificium quidem ratione rei contentæ; ſacramentum verò in quantum eſt ſignum ſenſibile corporis, & ſanguinis, atque gratiæ cibantis. Aut ſacrificium formaliter eſt aliquid ſenſibile externum: & tunc Euchariſtia dicitur ſacrificium nedum ratione rei contentæ, ſed etiam ratione ipſarum ſpecierum. Ex quo manet amplius confirmata noſtra ſententia: nam ſi corpus, & ſanguis Chriſti, non eſt

Digitized by Google

formaliter ſacrificium, nec pars ſacrificij, ſed res oblata Deo in ſignum diuinæ excellentiæ, ita nec erit formaliter ſacramentum, nec pars ſacramenti, ſed res ſignificata, & contenta in ſacramento.

Ad tertium reſpondetur, quod verba conſecrationis, quatenus in genere cauſæ efficientis concurrunt ad Euchariſtiam non cauſant totum ſacramentum, ſed corpus, & ſanguinem ſub ſacramento: quatenus autem conſiderantur in genere cauſæ formalis, ſic formaliter cauſant hoc ſacramentum, vtpote cuius ſunt forma ex qua, & ſpeciebus efficitur vnicum ſignum totale proprium, & ſenſibile corporis, & ſanguinis, quæ ſunt res, & ſacramentum ſimul: atque gratiæ cibantis, quæ eſt res tantum.

Ex quo patet ad primam confirmationem,

Ad ſecundam verò conſtabit ex dicendis dubio ſequenti.

Ad quartum argumentum ex profeſſo reſpondebitur articulo ſecundo ſequenti, vbi de vnitate Euchariſtiæ fiet ſermo.

37 Ad primum pro ſecunda ſententia reſpondetur, quantum attinet ad Patres non fuiſſe ſolicitos de huiuſmodi quæſtionibus methaphiſicis, ſed tantum voluiſſe defendere in Euchariſtia realem præſentiam corporis Chriſti contra ſectarios eam negantes: & ideò dicunt in Euchariſtia eſſe coniunctum ex ſpeciebus, & vero Corpore Chriſti, & non eſſe ibi nudum ſignum ſenſibile ſicut in alijs ſacramentis, vt hæretici affirmant: neutiquam vero dicunt totum hoc coniunctum eſſe in recto de eſſentia ſacramenti tantum: ſed hoc nobis reliquerunt diſputandum. Senſus autem Conciliorum in illis locutionibus eſt, quem nuper explicuimus in ſolutione prioris ſententiæ: nimirum, quod caro Chriſti eſt cibus, & ſanguis eſt potus ſpiritualis animæ, & quod continentur per modum talis cibi, & potus in hoc ſacramento, & quod ei debetur adoratio latriæ ratione contenti. Mens quoquè Angelici Doctoris eadem eſt, atque Sanctorum Patrum: nimirum hoc ſacramentum conſtare ex corpore Chriſti, non vt ex parte eſſentiali, ſed vt ex aliquo connotato.

Ad ſecundam diſtingo maiorem, ſacramentum, eſt quod fit per verba conſecrationis, tamquam ſignum verum ſenſibile rei ſacræ concedo: quod aliter ſit, nego maiorem: & quia ſolæ ſpecies fiunt primo modo, & non totum agregatum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti; ideò in ſolis illis, & non in illo, ſaluatur ratio ſacramenti tantum. Ad confirmationem patet ex eadem ſolutione.

Ad tertium reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem ibi aſsignatam.

Ad cuius improbationes reſpondetur, quod id eſt ſacramentum tantum, quod cibat animam per modum ſigni ſenſibilis diſtincti ab illo quod habet rationem rei, & ſacramenti ſimul.

Ex quo patet ad primam confirmationem, quod ſolæ ſpecies ſunt materia ſacramenti tantùm, & non caro Chriſti, quia illæ cibant modo ad ſacramentum requiſito: iſta verò cibat, prout eſt res, & ſacramentum ſimul, & virtus ipſius ſacramenti.

Ad ſecundam dicendum eſt potius eſſe pro nobis: quia ſicut in alijs ſacramentis virtus ſuper addita ad cauſandam gratiam ſupponit totum ſacramentum adæquate conſtitutum: ita & Corpus Chriſti, quod ſe habet, vt virtus huius ſacramenti debet ipſum ſupponere conſtitutum.

Ad quartum, nego antecedens, quia iam conſtat ex dictis diſcrimen inter contritionem, & Corpus Chriſti: propter quod illa eſt nedum res, & ſacramentum ſimul, ſed etiam pars ſacramenti Pœnitentiæ tantum, ſecus vero iſtud reſpectu ſacramenti Euchariſtiæ.

Ex quibus omnibus colligitur, quid reſpondendum ſit titulo principali, huius dubij: nimirum, quæ ſit diffinitio huius ſacramenti. Nam loquendo de illius quaſi phyſica diffinitione, eſt quoddam compoſitum ex materia, & forma, ideſt ſpecies, panis, & vini continentes corpus, & ſanguinem Chriſti determinatæ ad hoc per verba conſecrationis, ſicut Baptiſmus in eadem conſideratione diffinitur, per hoc quod ſit ablutio exterior, ſub præſcripta forma verborum. Loquendo verò de metaphiſica diffinitione, eſt ſacramentum nouæ legis continens corpus, & ſanguinem Chriſti, & ita ſignificans gratiam reficientem. Vel ſic poteſt diffiniri: eſt ſignum practicum ſen-

ſenſibile gratiæ reficientis continens corpus, & ſanguinem Chriſti. In quibus diffinitionibus ſatis ratio generica, & differentialis exprimuntur. Vnde in recto hoc ſacramentum tantum importat materiale pro quo ſupponit: formale verò, hoc eſt verba cum ſignificatione, importat de connotato, & in obliquo, ſicut contingit in alijs concretis accidentalibus.

Dubium tertium eſt: Quid ſit in Euchariſtia res, & ſacramentum ſimul: & virtus per quam operatur gratiam?

38 RATIO dubitandi pro parte negante Corpus Chriſti, eſſe rem, & ſacramentum ſimul, ac virtutem Euchariſtiæ, ſumitur ex triplici capite.

Primo, quia de ratione rei, & ſacramenti ſimul in vnoquoque ſacramento, eſt quod ſignificetur practice; ac proinde quod cauſetur ab eo quod eſt ſacramentum tantum: at ſpecies conſecratæ quas diximus eſſe ſacramentum tantum non efficiunt corpus, & ſanguinem, non ſolum abſolutè conſiderata, verum neque ſub ſpeciebus: quia ſpecies non concurrunt efficienter, vt corpus, & ſanguis conſtituantur ſub illis ſpeciebus, vel cauſentur ſub aliqua ratione: ergo corpus, & ſanguis ſub nulla ratione, ſunt res, & ſacramentum ſimul.

Ad hoc argumentum reſpondent aliqui ex Thomiſtis, de quorum numero eſt Ledeſma, nihil referre ad propoſitum, quod ſpecies ſacramentales non cauſent Corpus Chriſti, ſed ſatis eſt, quod ipſum ſignent, & efficiant gratiam ſacramentalem, eſſeque in hoc ſacramento peculiare, quod res, & ſacramentum ſimul non efficiatur à ſacramento tantum, licet ab eo ſignetur; & ratio eſt, quia res, & ſacramentum ſimul eſt in ipſa materia conſecrata, & continet ſe ex parte illius, quod eſt ſacramentum tantum, nec per hoc derogatur aliquid eſſentiæ ſacramenti nouæ legis, quæ in ſignificatione conſiſtit, & non in cauſalitate. Vnde Doctores iſti negant maiorem argumenti vniuerſaliter ſumptam.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim huius argumenti, quia relicta illa quæſtione in qua tractatur, quomodo cauſalitas, & ſignificatio ſe habent in ſacramentis nouæ legis, de qua ſuo loco; puto ſignificationem, & cauſalitatem, ita commenſurari, vt ſe mutuo adæquent, & non latius pateat vna, quam altera: ac proinde quidquid ſacramenta nouæ legis ſignificāt, & quomodo, illud ſignificāt eodem prorſus, id ipſum efficiunt: fundamenta enim quæ communiter afferuntur, in propria materia, ad probandum illa eſſe ſigna practica, vel nihil probant, vel ſi aliquid probant, eſt illa adæquate, & omnino practica eſſe, & nullatenus ſpeculatiua, vt legenti patebit: ergo ſine fundamento dicitur hic, quod ſacramentum Euchariſtiæ ſignificet ſub aliqua ratione Corpus Chriſti, ſub qua ipſum non cauſet: & non ſufficit dicere, quod hoc eſt ſpeciale in hoc ſacramento, quia Corpus Chriſti in materia conſecrata, & ſe tenet ex parte ipſius ſacramenti, non inquam hoc ſufficit, quia id ipſum obſtaret, ne ſit res, & ſacramentum ſimul, ſi obſtat ne cauſetur à ſacramento tantum: hoc enim eſt de eſſentia illius, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, & probatur à paritate rationis in alijs ſacramentis, quæ paritas ſicut conuincit in hoc ſacramento dari aliquid, quod habeat rationem rei, & ſacramenti ſimul, æquè conuincit habere eaſdem conditiones quas habet in alijs ſacramentis, ac proinde quod ſignificetur, & cauſetur ſimul: & ſicut ſpecialis ratio huius ſacramenti non obſtat, quo minus in ipſo aſſignemus rem, & ſacramentum ſimul; ita nec obſtabit, quo minus id quod eſt res, & ſacramentum ſimul, habeat prædictam conditionem communem.

Quare hac ſolutione reiecta: alij reſpondent ſecundo, id quod eſt res, & ſacramentum ſimul, cauſari quidem à ſacramento tantum, non tamen a toto ſacramento, ſed ab vna eius parte, ſcilicet à verbis conſecrationis: quæ quidem efficiunt corpus Chriſti, ſub qua ratione eſt res, & ſacramentum ſimul. Quemadmodum vt Baptiſmus dicatur cauſare characterem ſufficit quod ſubſtractum eleuetur ad illum cauſandum, quamuis non eleuetur eius ſignificatio.

Sed nec hæc ſolutio eſt ſufficiens propter duo: Tum quia in alijs ſacramentis res, & ſacramentum ſimul à toto ſubſtracto ſignificationis cauſatur; vt inductione probari poteſt: ergo pariter in hoc ſacramento id quod eſt res, & ſacramentum ſimul debet à toto ſubſtracto ſignificationis cauſari: maximè cum id commode fieri poſsit, & non ab vna tantum parte.

Tum etiam, quia corpus Chriſti eſt res, & ſacramentum ſimul, non ſolum prout contentum ſub ſpeciebus, quo modo à ſolis verbis efficitur, ſed etiam prout contentum per modum cibi ſpiritualis: vt ſic enim ſignificat, & efficit gratiam cibantem, quod eſt de ratione rei, & ſacramenti ſimul: ſub hac autem ratione cibi ſpiritualis non à ſolis verbis, ſed ab ſpeciebus, vt conſecratis per verba efficitur: quia eo ipſo, quod ſpecies ſunt materia commeſtibilis, & potabilis, determinenturquè per verba conſecrationis, reſultat & ſignificatio corporis, & ſanguinis prout ſunt cibus ſpiritualis, & productio eorundem ſub hac ratione: quemadmodum in ſacramento Pœnitentiæ eo ipſo quod actus Pœnitentis informentur per verba abſolutionis reſultat compoſitum ſignificans, & cauſans contritionem ſub illa ratione ſecundum quam eſt res, & ſacramentum ſimul, ſcilicet prout eſt diſpoſitio ad gratiam ſacramentalem: ergo id quod eſt res, & ſacramentum ſimul in Euchariſtia, ſub hac ratione efficitur non à ſolis verbis, ſed à toto ſacramento, & ſic videtur manere argumentum inconcuſſum.

39 Secundò, quia id quod eſt virtus mediante qua ſacramentum efficit ſuum effectum, non poteſt eſſe cauſatum per tale ſacramentum: ſed corpus Chriſti ſub ratione cibi ſpiritualis eſt virtus per quam ſacramentum Euchariſtiæ efficit ſuum effectum: ergo nec eſt res, & ſacramentum ſimul. Maior cum conſequentia eſt nota, quia virtus per quam cauſa efficit, quidquid efficit, debet præſuponi ad omnem efficientiam talis cauſæ. Minor autem eſt Diu. Thom. in hoc articulo ad ſecundum dicentis corpus Chriſti eſſe virtutem, per quam Euchariſtia producit quidquid producit: quod quidem intelligendum eſt de ipſo corpore, ſub ratione determinata cibi ſpiritualis, vt ſic virtus agendi proportionetur ſuo effectui: qui in hoc ſacramento eſt gratia, non vtcumque, ſed vt cibans.

Tertio arguitur, quia videtur, quod corpus Chriſti ſi eſt res, & ſacramentum ſimul, non poſsit eſſe virtus per quam hoc ſacramentum operatur: propter duo: Tum quia, vt dictum eſt, virtus per quam cauſa operatur tenet ſe ex parte ipſius cauſæ, & præſuponitur ad omnem eius efficientiam atque effectum: id vero quod eſt res, & ſacramentum ſimul tenet ſe ex parte effectus, ac per conſequens ſupponit virtutem operatiuam in cauſa.

Nec valet dicere, corpus Chriſti eſſe virtutem per quam Euchariſtia cauſat gratiam: non autem per quam cauſet ipſum corpus, vt eſt cibus ſub ſpeciebus contentus, ac ſubinde eſſe virtutem agendi, & effectum, comparatum ad diuerſa: in quo neque eſt inconueniens, neque repugnantia aliqua: vt multis exemplis oſtendi poteſt. Nō inquam valet hæc ſolutio: quia vniuerſaliter loquendo ſacramenta per eandem virtutem cauſant quidquid cauſant, hoc eſt gratiam, & id quod eſt res, & ſacramentum ſimul: ergo ſi corpus Chriſti non eſt virtus per quam Euchariſtia efficit id quod eſt res, & ſacramentum ſimul, nec erit virtus per quam producit gratiam, cuius oppoſitum docet Diu. Thom. in dicta ſolutione ad ſecundum.

Tum etiam, quia corpus Chriſti, nec informat, nec informare poteſt ſpecies ſacramētales pro quibus ſupponit hoc ſacramentum, tamquam pro adæquata materia in noſtra ſententia: ergo non eſt, nequè poteſt eſſe virtus per quam ſpecies efficiant id quod efficiunt; antecedens propter multas rationes conceditur communiter, imò ſi aliqua eſſet informatio in ineffabili coniuncto ex ſpeciebus, & cor-

po-

pore Chriſti, illa ſe teneret ex parte ſpecierum, cum comparentur reſpectu corporis, vt ſubſtẽtãtę: corpus verò vt ſubſtẽtans, & cõſequẽtia probatur ex recepta doctrina inter Thomiſtas, qui paſsim dicunt repugnare, quod aliqua cauſa efficiens, & inſtrumentalis operetur effectum, niſi virtus per quam operatur ſit informans: qua ratione negant poſſe cauſam aliquam operari, per auxilium extrinſecum, & inſtrumenta per præciſſam ſubordinationem ad cauſam principalem. Vnde neceſſario exiſtimant debere conſtitui in cauſis adminus auxilium intrinſece receptùm, & in inſtrumentis virtutem fluidam: igitur cum ſpecies ſint inſtrumentum ad gratiam cibantem producendam: neceſſe eſt informari per aliquam virtutem operatiuam in ipſis receptam à Deo communicatam: vt de omnibus ſacramentis docuimus cum Diu. Thoma ſupra quæſt. 62. art. 4.

40. Sed his non obſtantibus oppoſita ſententia aſſerens corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe rem, & ſacramentum ſimul in Euchariſtia, & virtutem ad cauſandam gratiam ſpeciali modo, quo in alijs ſacramentis non contingit: eſt communiter à Theologis recepta, ac proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, quæ habet duas partes probandas.

Quarum prima ſcilicet, quod ſit res, & ſacramentum ſimul eſt expreſſa Angelici Doctor, hic ad tertium, & articulo ſexto ſequenti, & in quarto diſtinctione decima in explicatione textus, & inſuper habetur, cap. *Cũ marte* de celebratione miſſa, & in capite *multi*, & in capite *hoc eſt*, de conſecratione diſtinctione ſecunda, & ratio eſt, quia id quod habet rationem rei, & ſacramenti ſimul in aliquo ſacramento, eſt quod habet rationem ſignati reſpectu ſacramenti tantum, & ſigni aliquo modo reſpectu illius quod eſt res tantum; ſed corpus, & ſanguis habent hoc in Euchariſtia: ergo. Maior eſt diffinitio rei, & ſacramenti ſimul; atque adeo conſequentia eſt à diffinitione ad diffinitũ, & minor probatur: corpus, & ſanguis ſignificantur per ſpecies panis, & vini, ſpecies vero, vt ſunt materia comeſtibilis, & potabilis informantur per verba conſecrationis, & ſic informatæ, & determinatæ ſignificant corpus, & ſanguinem, vt cibum ſpiritualem animæ, rurſus corpus, & ſanguis, vt ſunt cibus ſpiritualis animæ ſignificant quodammodo gratiam reficientem, qua formaliter nutritur anima, & vnitur miſtice corpori, & capiti Eccleſiæ: ergo corpus, & ſanguis ſignificatur à ſacramento tantum, & ſignificant rem tantum, modo requiſito ad rationem rei, & ſacramenti ſimul.

Deinde, quantum ad ſecundam partem, nimirum, quod corpus Chriſti ſit virtus huius ſacramenti, probatur iuxta noſtram ſententiam aſſerentem illud non eſſe partem ſacramenti tantum: ſic enim eſſet compartiale inſtrumentum cum ipſis ſpeciebus ad cauſandam gratiam: ſed eſſe rem, & ſacramentum ſimul: iuxta quam dicendum eſt, quod eſt inſtrumentum totale coniunctum diuinitati, ſpecies verò ſacramentales eſſe inſtrumentum ſeparatum totale, etiam ſubordinatum corpori Chriſti. Nec enim eſt inconueniens concurrere ad eundẽ effectum duo inſtrumenta totalia in ſuo genere, quorum vnum ſubordinetur alteri: ſicut calamus eſt inſtrumentum totale ſubordinatum manui, vt inſtrumento totali coniuncto ad ſcribendum: ergo cum iſte modus concurrendi inſtrumentaliter ſit poſsibilis, & alias ſit nobilior modus operandi inſtrumentaliter: cum corpori Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento debeamus tribuere aliquem modum operandi, & cauſandi gratiam inſtrumentaliter: conſequens eſt, quod ei debeamùs tribuere hunç modum concurrendi proprium inſtrumenti coniuncti, cui ſpecies ſacramentales, vt inſtrumentum remotum ſubordinentur.

41 Sed numquid ex corpore Chriſti ad ſpecies ſacramentales deriuatur aliqua virtus operatiua pro eo tempore, pro quo ſunt producturæ phiſice gratiam, quæ vel in aliqua motione actuali, vel in qualitate fluida conſiſtat? Rurſus pro eodem met tempore deriuatur ad corpus Chriſti aliqua motio, ſeu qualitas virtuoſa operatiua ab authore gratiæ, ipſum eleuans, & applicans ad actualem gratiæ productionem? Reſpondeo affirmatiue quo ad vtramque partem: quia iuxta noſtram, & communem Thomiſtarum ſententiam, ſupra quæſtione 62. articulo 4. probatam, & quæſtion. 13. art. 2. omne inſtrumentum phiſicum quando actù concurrit ad effectum agentis principalis, de-

bet recipere ab illo aliquam virtutem in qualitate fluida cõſiſtentem, per quam eleuetur, & conſtituatur in actu primo proportionato, & proximo ad talem effectũ producendum. Ex quo principio facile impugnãtur varij modi, quibus alij Theologi, & Thomiſtæ explicant concurſum, quem Chriſti corpus in hoc ſacramento habet circa gratiam: ratione cuius dicitur à Diuo Thoma virtus huius ſacramenti.

Alij enim docent corpus Chriſti, & ſpecies ſacramentales concurrere ad cauſandam gratiam, vt duo inſtrumenta eleuata à Deo diuina, & inſtrumentali eleuatione, cum hoc diſcrimine, quod corpus eſt inſtrumentum coniunctum Deo principali agenti, ſpecies vt ſeparatim, & hæc duo inſtrumenta volunt aliqui ex his Doctoribus habere ſubordinationem inter ſe: ita vt ſpecies ſubordinentur corpori, & vnũquodque ſit totale in ſua ratione, coniuncti, ſcilicet, & ſeparati: ſicut calamus, & manus in ordine ad formandas literas. Alij negant iſtam ſubordinationem, quia inquiunt potentiam, quæ eſt in ſpeciebus ad cauſandam gratiam eſſe obedentialem, ac per conſequens per eam ſolummodo poſſe ſubordinari ſpecies: & ſimiliter negant de facto talia inſtrumenta eſſe totalia, ſed aiunt partialia eſſe: nam licet corpus ſolum per ſe ſufficeret ad efficiendam gratiam, & pariter ſpecies ſolæ tantum, voluit Deus vt vtrumquè debite aplicatum influeret per modum vnius adæquati inſtrumenti in ſaluando. Hoc ſuppoſito qua ratione corpus ſit virtus in hoc ſacramento ad operãdũ Doctores ſunt diuiſi. Etenim alij dicant dici virtutẽ, quia ex Chriſti inſtitutione habet hoc ſacramentum, quod ſit inſtrumentum gratiæ. Alij cum Suarez, ideò iudicant corpus appellari virtutem, quia eſt ſubſtantialiter vnitum Deo principaliter operanti: quare quodammodo eſt cauſa principalis reſpectu ſpecierum, & inſuper, quia eleuatio ad agendum tribuitur ſpeciebus ratione eiuſdem corporis ibi contenti.

Vincentius dub. 2. §. *his omiſsis*, admitens corpus, & ſpecies eleuari ſubordinatione iam dicta per modum vnius inſtrumenti, prætereà exiſtimat corpus eſſe virtutem in hoc ſacramento, additque, quod & eſt ad mentem Suarez; nullam ſuper additam virtutem eſſe ponendam, nec in corpore Chriſti, nec in ſpeciebus ſacramentalibus, ſed corpus propter ſolam realem vnionem cum diuinitate eſſe immediate capax, vt communicetur ipſi actio Dei principalis agentis productiua gratiæ; quod & extendit ad ſpecies, quæ ratione realis vnionis ſacramentalis; quam habent ad corpus Chriſti participant, quaſi in actu, vel vim viuificatricem, ſicut humanitas ex coniunctione ad Verbum; ac ideò propter hanc participationem, abſque aliquo alio motu ipſarum ſpecierum communicatur eis mediante corpore Chriſti, actio diuinitatis effectiua gratiæ, & propterea fit corpus Chriſti eſſe virtutem ratione cuius Euchariſtia operatur.

Sed Petrus de Ledeſma difficultate 10. concluſione ſecunda conueniens cum Vicentio & alijs in eo, quod ſpecies, & corpus ſubordinantur, & fiunt vnicum inſtrumentum, docet ſpecies eleuari per corpus ad cauſandum, ſicut per diuinam motionem eleuatur ablutio in Baptiſmo, cum hac differentia, quod ablutio eleuatur media motione habente rationem virtutis, ipſa verò motio non eleuatur alia motione ne detur proceſſus. Cæterum in noſtro ſacramento ſpecies eleuantur medio corpore Chriſti habente rationem virtutis permanentis, & ipſum corpus eleuatur alia diuina motione quando actu cauſat gratiam, & ratio huius eſt, quia virtus permanens indiget diuina motione, qua actu operetur, vt patet in habitibus ſupernaturalibus, qui quamtumuis conſtituant potentiam animæ in actu primo ad eliciendos actus ſupernaturales, v. g. fidei, ſiue charitatis; tamen quando actu eos eliciunt indigent aliquo ſupernaturali auxilio, ſiue motione, & hoc modo explicat dictus author quomodo corpus Chriſti ſit virtus huius ſacramenti, ſoluenſque difficultatem ſupra poſitam: nimirum, quod non poteſt exercere munus virtutis reſpectu ſpecierum ſacramentalium, quia eas non informat, nec actuat intrinſece: ad rationem autem virtutis phiſicæ requiritur quod vniatur ſubiecto intime, & illud actuet per modum formæ inquit hoc non eſſe neceſſarium, niſi in his: quæ per modum potentiæ concurrunt ad operationẽs ſecus vero in his quæ per modum perfectionis, & virtutis potentiæ operatiuæ concurrunt: vt patet in humanitate Chriſti quæ ex diuinitate habet virtutem patrandi miracula: cui tamen diuinitas non vnitur per modum formæ Nec non in eſſentia diuina quæ vnitur in-

telle-

tellectui beati, non per modum formæ, ſed tantum per modum termini, ſiue obiecti intelligibilis: cui tamen tribuit virtutem ad elliciendam viſionem beatificam: igitur pariformiter Corpus Chriſti, quod licet prout eſt in cœlo ſit inſtrumentum vniuerſaliter concurrens ad effectum omnium ſacramentorum: prout eſt mirabiliter in hoc ſacramento concurrit vt inſtrumentum particulare, *vt quod*, ſuperaddita motione ad cauſandam gratiam: & etiam concurrit, vt *quo*, tanquam virtus permanens per quam ſpecies ſacramentales conſtituuntur in ratione partialis inſtrumenti ad eundem effectum producendum. In eoque ſenſu videtur Diu. Thomæ hic, quod corpus Chriſti eſt virtus huius ſacramenti, eo quod præſtat illi, quod præſtat virtus Spiritus ſancti in baptiſmo: ſed virtus Spiritus ſancti eſt ipſa ratio proxima agendi in baptiſmo: ergo pariformiter corpus Chriſti eſt virtus proxima huius ſacramenti à qua immediatè eggreditur operatio ſpecierum.

42 Sed omnes iſti modi ex noſtro principio vnico, veluti vnico ictu iugulantur. Primus quidem quamuis verus ſit in eo quod ait ſpecies, & corpus Chriſti habere ſe in hoc ſacramento, vt duo inſtrumenta totalia, & ſubordinata: quorum vtrumque ſit totale in ſuo genere, ſcilicet coniuncti, & ſeparati: deficit tamen à veritate in eo quod ſupponit hanc veluti extrinſecam ſubordinationẽ ſufficere vt ſpecies actualiter operentur gratiam ſine aliqua virtute intrinſecè recepta in illis, & eas intrinſece eleuante, & conſtituente in actu primo operatiuo: quæ tamen eleuatio & intrinſeca receptio talis virtutis omninò neceſſaria eſt in inſtrumentis, & in cauſis ſecundis ad effectum ſupernaturalem producendum.

Deinde ſecundus modus conſtituens corpus Chriſti, & ſpecies duo inſtrumenta partialia ad efficiendam gratiam, deficiens eſt: quia iſte concurſus per modum inſtrumenti partialis non poteſt adaptari corpori Chriſti ſuppoſita noſtra, & veriori ſententia aſſerente; illud non eſſe partem ſacramenti tantum, ex quo & ſpeciebus reſultet vnum ſacramentum tantum: ac proinde nec ex illo, & ex ſpeciebus poteſt reſultare vnum inſtrumentum totale: ſed neceſſe eſt vnumquodque eſſe totale in ſuo genere, ſcilicet coniuncti, & ſeparati, vt dictum eſt.

Deinde tertius modus Suarij deficiens eſt, quia vult corpus ipſum vt ſubſtãtialiter vnitum Deo ex hac ſola vnione cõſtitui in ratione cauſæ operatiuæ gratiæ: & quod per ſeipſum eleuat ſpecies ad producendam gratiam, ſine aliqua virtute intrinſeca per modum formæ ad ipſas deriuata: quod tamen impoſsibile eſſe probatum eſt.

Opinio autem Vincentij eodem claudicat pede, & ſimiliter opinio Petri Ledeſmij: in eo quod aſtruunt ſpecies eleuari, & conſtitui in actu primo operatiuo gratiæ per corpus ipſum eis vnitum, abſque vlla alia forma intrinſecè recepta, quod omnino eſt impoſsibile. Nec oppoſitum ſuadent exempla adducta: nam nec humanitas Chriſti ſit potens in actu primo ad phiſicè patranda miracula per ſolam diuinitatem: ſed per virtutem quandam à Deitate deriuatam. Nec intellectus beati conſtituitur per eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis ipſi vnitam potens in actu primo operatiuo ad elliciendam viſionem, ſed per lumen gloriæ tanquam per virtutem operatiuam permanentem: per auxilium vero quodam actuale tanquam per virtutem applicantem: eſſentiam verò in ratione ſpeciei tantum concurrit per modum principij formalis, & determinantis ad ſpeciem actus.

Nec teſtimonium Angelici Doctoris cum exemplo adducto de baptiſmo ſuadet oppoſitum noſtræ aſſertionis, quia illa comparatio, non tenet in omnibus: niſi tantum in eo quod ſicut in baptiſmo virtus Spiritus ſancti eſt, ex qua oritur actio producens gratiam regenerantem, ita in Euchariſtia corpus Chriſti eſt vndè procedit actio producens gratiam cibantem: quia dupliciter talis actio procedit ab illo, vno modo immediatè tanquam ab inſtrumento *quod*: alio modo mediate, quatenus eſt principium à quo deriuatur motio, ſiue qualitas illa fluida ad ſpecies ſacramentales, ratione cuius iſtæ eleuantur, & conſtituuntur in actu primo proximo ad phiſice, & actualiter producendam gratiam. Dixi *ad phiſice producendam gratiam*: nam ſi ſacramentum hoc, & alia ſolum haberent cõcurſum moralem, vt tenet probabilis opinio Theologorum, de qua ſupra in quæſtione 62. iudicium fecimus, congruenter poſſet ſubſtineri corpus Chriſti per ſe ipſum eſſe virtutem ſpecierum: quia ad huiuſmodi moralem concurſum ſufficit

vnio quam cum illis habet in hoc ſacramẽto.

43 Ex his reſpondetur ad argumenta in contrarium adducta. Ad primum quidem reſpondetur prænotando, quod corpus Chriſti etiam prout eſt in hoc ſacramento habet duplicem rationem, ſiue formalitatem; vnam quidem quatenus eſt productum, ſiue conſtitutum ſub ſpeciebus, in quod facta eſt conuerſio panis per ſola verba conſecrationis. Alteram verò, quatenus habet modum cibi ſpiritualis animæ: & quidem idquod eſt res, & ſacramentum ſimul, ſatis eſt ſi cauſetur ab illo quod eſt ſacramentum tantum, quoad aliquem modum ſui, ſiue formalitatem, licet nō cauſetur quoad ſuam entitatem: vt patet in cōtritione, quæ ab eo, quod eſt in pœnitentia ſacramentum tantum cauſatur, non quoad entitatem, niſi ſolum quoad modum, ſiue formalitatem diſpoſitionis ad gratiam, ſecundum quam eſt res, & ſacramentum ſimul.

Hoc ſupppoſito, & prænotato. Ad formam argumenti admiſſa maio. nego minorem: cauſant enim ſpecies ſacramentales Corpus Chriſti, quoad rationem & formalitatem ſpiritualis cibi.

Ad ſecundum diſtingo maio. quod eſt virtus ſacramenti nequit eſſe res, & ſacramentum ſimul, ſub eadem ratione, ſub qua eſt virtus concedo: ſub alia, nego maiorem, & ſimiliter diſtingo minor. Chriſti corpus eſt virtus ad totum effectum ſacramenti; vt productum per verba conſecrationis concedo: prout habet rationem cibi ſpiritualis nego minor. vt ſic enim non eſt virtus, niſi ad ſummum reſpectu gratiæ cibantis.

Ad tertium nego antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum eſt, Chriſti corpus prout productum per ſola verba conſecrationis, eſſe virtutem radicalem in hoc ſacramento, & tenere ſe ex parte cauſæ, quamuis prout eſt cibus animæ teneat ſe ex parte effectus.

Ad ſecundam reſpondetur Chriſti corpus ad pæſtandum hoc munus virtutis radicalis non indigere informatione, ſed ei ſufficere vnionem illam, quam habet cũ ſpeciebus, ad quas deriuatur formalis virtus eas eleuans & informans, vt actu cauſent gratiam. Sed rogabis: cur corpus, & ſanguis Chriſti ſub ea ratione, ſub qua ſũt cauſa, & virtus ad totum effectum ſacramenti, non erunt pars ſacramenti tantum? Siquidem vt ſic diſtinguuntur à ſeipſis ſecũdum rationem cibi ſpiritualis ſub qua ratione tenent ſe ex parte effectus.

Reſpondeo non eſſe partem ſacramenti tantum: non quidem ob defectum huius duplicis formalitatis ſed ob alias rationes ſuperius aſſignatas, nimirum quia prout ſunt in hoc ſacramento, nec manifeſtantur per aliam compartem materiæ antecedentem ad formam, ſicut contritio manifeſtatur in ſacramento pœnitentiæ. Nec ſunt apta vt inſtituantur tanquam ſignum ſenſibile gratiæ: & aliàs cum corpus Chriſti ſit virtus huius ſacramenti, debet ſupponere illud iam conſtitutum in ratione ſacramenti tantum, quia omnis virtus ſupponit ſuam cauſam.

ART. II.

Vtrùm hoc ſacramentum ſit vnum, vel plura?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Euchariſtia non ſit vnum ſacramentum, ſed plura. Dicitur enim in Collecta. Purificent nos domine ſacramenta, quæ ſumpſimus. Quod quidem dicitur propter Euchariſtiæ ſuſceptionem. Ergo Euchariſtia non eſt vnum ſacramentum, ſed plura. *Inf. q. 78. a. 6. ad 2. et 4. d. 8. q. 1. a. 1. q. 2.*

2 Præterea. Impoſſibile eſt multiplicato genere, non multiplicari ſpeciem, ſicut quod vnus homo ſit plura animalia. Sed ſignum eſt genus ſacramenti, vt ſupra dictum eſt *. Cum igitur in Euchariſtia ſint plura ſigna, ſcilicèt panis, & vinum, videtur conſequens eſſe, quod ſint plura ſacramenta. *q. 60. ar. 1.*

3 Præterea. Hoc ſacramentum conficitur in conſecratione materiæ: ſicut dictum eſt*. Sed in hoc ſacramento eſt materiæ conſecratio. Ergo eſt duplex ſacramentum.

art. præc.

Sed contra eſt, quod Apoſtol. dicit 1. Corint. 10. Vnus panis & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Ex quo patet, quod euchariſtia eſt ſacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis. Sed ſacramentum ſimilitudinem gerit rei, cuius eſt ſacramẽtum. Ergo euchariſtia eſt vnum ſacramentum.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dicitur 5. meta. * vnum dicitur, non ſolum quod eſt indiuiſibile, vel quod eſt continuum, ſed etiã quod eſt perfectum: ſicut dicitur vna domus, & vnus homo. Eſt autem vnum in perfectione, ad cuius integritatem cõcurrunt omnia, quę requiruntur ad finem eiuſdem: ſicut homo integratur ex omnibus membris neceſſarijs ad operationem animæ; & domus integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandum; & ſic hoc ſacramentum dicitur vnum. Ordinatur enim ad ſpiritualem refectionem, quę corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum; & potus, qui eſt alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius ſacramẽti, duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus: ſecundum illud Ioann. 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ergo hoc ſacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed vnum formaliter, & perfectiuè.

a tex. 9. vſque ad 12. ſe. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod in eadem collecta, & pluraliter dicitur primo, Purificent nos ſacramenta quæ ſumpſimus; & poſtea ſingulariter ſubditur. Hoc tuum ſacramentum non fit nobis reatus ad pœnam; ad oſtendendum quod hoc ſacramentum quodammodo eſt multa, ſimpliciter autem vnum.

Ad ſecundum dicendum, quod panis, & vinum materialiter quidem ſunt plura ſigna; formaliter verô, & perfectiuê vnum, in quantum ex eis perficitur vna refectio.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod eſt duplex conſecratio materiæ huius ſacramenti, non poteſt plus haberi, niſi quod hoc ſacramentum materialiter eſt multa, vt dictum eſt*.

in corp. art.

Concluſio eſt: hoc ſacramentum eſt plura materialiter, vnum verò formaliter & perfectiuè.

Quæ concluſio de vtraque vnitate, nimirùm ſpecifica, & numerica intelligitur: ac proinde duobus dubijs eſt examinanda.

Dubium primum eſt. An ſacramentum Euchariſtiæ ſit vnum vnitate ſpecifica?

44 IN quo duæ verſantur ſententiæ Theologorum.

Prima negans eſt, quã tuentur Aureolus in 4. diſtinction. 8: quæſtione vnica citatus ibi à Capreolo in artic. 2. in argumento contra ſecundam concluſionem, Maior ibidem, §. *contra prædicta*, & Gabriel quæſt. 2. art. 1. notatione

4. &

4. & art. 2. concluſione 2. eamque ſuadent tripliciter.

Primò, auctoritate Eccleſiæ, & Patrum: nam Eccleſia in quadam collecta Miſſæ poſt communionem, panem, & vinum conſecratum vocat ſacramēta nomine plurali, dicens: *Sacramenta quæ ſumpſimus Domine*, &c. Quo modo loquendi vtuntur etiam Concilium Africanum cap. 4. & Carthaginenſe tertium, cap. 24. & 29. Ex patribus quoque Cyprianus in ſermone de Cœna Domini, & Ambroſius lib. 5, de ſacramentis cap. 1. & in decretis can. *in ſacramentis*, can. *comperimus*, can. *ſpes*, & can. *iteratur* de conſecratione diſtinct. 2. eodem plurali nomine Euchariſtia à Patribus appellatur.

Secundò probant ratione, quia nimirum vbi ſunt plures formæ, & plures materiæ, quibus ſacramentum componitur, ſunt ſacramenta plura, & ſimpliciter, & ſpecie diſtincta: ſed in Euchariſtia ſunt plures formæ, & plures materiæ: ergo & plura ſacramenta. Minor patet quia à formis & materijs ſacramētorum, ſumitur eorum cōſtitutio, ac diſtinctio; ſicut & in omnibus alijs compoſitis artificialibus. Minor verò probatur, quia ſpecies panis diſtinctæ ſunt formaliter ab ſpeciebus vini: & verba conſecrationis panis etiam formaliter differunt à verbis conſecrationis vini: & ex illis componitur Euchariſtia, vt ex materia, & forma tanquam ſubſtractū ſignificationis.

Ex quibus etiam reſultat diuerſa compoſitio in ratione ſigni quæ fit ex re ſignificante, & ex ſignificatione. Nec valet dicere cum Diuo Thoma in hoc artic. ſpecies panis, & vini, ac verba conſecrationis diſtingui quidem non formaliter, ſed tantum materialiter, & veluti in eſſe entis: alioquin formaliter conſtituunt vnum integrum conuiuium; ſicut in naturalibus cibus, & potus faciunt vnum integrum prandium.

Non inquam valet, quia licèt in ratione conuiuij ſint vnum, tamē in ſuis proprijs rationibus vnumquodque illorum eſt vnum integrum ſacramentum per ſe & formaliter: ſpecies namque panis conſecratæ ſunt vnus integer cibus ſpiritualis: & ſpecies vini ſunt vnus integer potus. Vnde, & illæ dicuntur ſacramentum corporis: iſtæ verò ſacramentum ſanguinis Domini.

Quod explicatur appoſitiſſimo exemplò numerorum: in quibus binarius, licèt cum ternario componat vnum tertium numerum, ſcilicet quinarium, reſpectu cuius proinde vterque eſt quid incompletum & partiale: hoc tamen non obſtat quominus in ſe, tàm binarius, quàm ternarius conſtituant duas ſpecies diſtinctas numeri, & completas.

Quæ ratio amplius confirmatur dupliciter. Tum. quia ratio ſacrificij non particulariter, ſed totaliter, & integre ſaluatur in vna ſola ſpecie, ergo etiam ratio ſacramenti. Conſequentia patet a paritate rationis. Antecedens autem probatur, quia ſi de ſubſtanciali integritate huius ſacrificij eſſent corpus, & ſanguis, & vtriuſque ſpecies, non poſſet Eccleſia ſtatuere, vt ſacerdotes conficiant hoc ſacrificium ſub vna tantum ſpecie: ſicut de facto ſtatuit, vt laici ſuſciperent hoc ſacramentum ſub vnica ſpecie, quod tamen eſt falſum: & inde ſumitur euidens ſignum quod in vnica ſpecie ſaluatur tota ſubſtantia, & eſſentia ſacramenti Euchariſtiæ.

Idque determinat Concilium Tridentin. ſeſsion. 21. canone 3. dicens, quod cum fideles ſummunt ſpecies panis, ſummunt integrum, & perfectum ſacramentū Euchariſtiæ: ergo. Tum etiam, quia vt ſacramentum corporis, & ſimiliter ſanguinis eſſet particulare ſacramentum, neceſſarium eſt dari in quolibet vltra propriam formam partialem verborum, & partialem ſignificationem gratiæ, aliam tertiam formam totalem verborum, & tertiam totalē ſignificationem gratiæ: hæc autem non eſt aſsignabilis: ergo nec quodlibet illorum eſt partiale, ſed integrum, & totale ſacramentum.

Tertio, arguunt ab inconuenienti triplici quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod ille qui ſumit ſolum corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & non ſumit calicem, non ſumeret integrum ſacramentum, nec totam gratiam correſpōdentem ſacramento Euchariſtiæ, quod tamen eſſe falſum patet ex dicta determinatione Concilij Florentini, & quia alias laici fuiſſent defraudati per ſtatutum Eccleſiæ determinantis, vt ſolum reciperent ſacramentū corporis, quod tamē non eſt admittendum.

Secundum eſt, quod conſumpto corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis, non maneret integrum ſacramentum in calice.

Ter-

Tertium eſt, quod dum aſſeruatur ſolum corpus Chriſti pro ęgrotis ſub ſpeciebus panis, non poſſemus dicere aſſeruari integrum ſacramentum: quę tamen nullatenus admittenda videntur.

45 Secunda ſententia, affirmans eſt communiter à Theologis recepta, Quam ſequuntur Scholaſtici cum Magiſtro in 4.d.8. vt Bonauentura 2.p. art. 2. q.2. Ricardus art. 1. q. 2. Scotus q. 2. Durãdus, Paludanus, Baſſolis, & Capreolus ibidem q. 1. Marſilius q.6. art. 2. Sotus q. vnica art. 2. Alexander 4.p.q 10. memb. 3. art. 1. & Gabriel lect. 53. ſuper Canon litra M. priorem ſuam ſententiam, quam docuerat in 4. retractans, & D. Thom. in hoc art. quem Caietanus, Suarius diſp. 50. ſectione 3. & Vazquius diſp, 168.c.1. & alij iuniores ſequuntur

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur primo, ex auctoritate Eccleſiæ quæ in Cathecismo Romano affirmat hoc ſacramentum eſſe vnum: quod propterea Sotus vbi ſupra ait eſſe amplectendum tanquam Eccleſiæ confeſſionem. Sicque de Euchariſtia tanquam de vno ſacramento loquuntur Innocentius III. in cap. *cum Marte*, de celebratione Miſſarum, cap *in ſacramento*, de conſecratione diſt. 2, Concilium Lateranenſe, in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate, & Auguſtinus relatus à Graciano in cap. *qui manducat*, & cap. *hoc ſacramentum*, diſtinctionis citatæ.

Deinde ſuadetur duabus rationibus Theologicis, quarum prima ſic habet; iuxta diffinitionem Concilij Florentini, poſtea renouatam à Tridentin. ſeſs. 7. can. 2. ſacramenta nouæ legis tantum ſunt ſeptem, id eſt, nec plura, nec pauciora, quam ſeptem; ſi autem ſpecies panis, & vini eſſent duo ſacramẽta diſtincta ſpecie, & formaliter, iam eſſent plura, quam ſeptem ſiquidem eſſent octo: ergo.

Hanc rationem infringere conatur Vazquius vbi ſupra, dicens inualidam eſſe: quia poſſet quis dicere ſacramẽta quidem in genere eſſe ſeptem, & ſic diffinitum fuiſſe eorum numerum ab Eccleſia: non autem ſecundum athomam ſpeciem.

Sed hæc ſolutio inſufficiens eſt propter tria. Tum quia Concilium non curat de abſtractionibus logicis quando loquitur de ſacramentis, ſed loquitur de illis, prout ſunt in re, ac proinde ſecundum ſpecies athomas: alioquin etiam poſſet quis dicere dari tria ſacramenta baptiſmi, nimirũ ſanguinis, flaminis, & aquæ: quod tamen non eſt admittendum: ergo.

Tum etiam, quia ſi numerus ſacramentorum non fuiſſet à Concilio Tridẽt. & Florent. determinatus ſecundum ſpecies athomas, ſed ſecundum ſubalternas, vel genera, incertus omnino maneret: eo quod genera, & ſpecies ſubalternæ extendi, vel coarctari poſsũt iuxta diuerſos modos abſtractionis: nam à baptiſmo, ordine & confirmatione poſſet abſtrahi aliqua ſpecies ſub alterna ſacramenti, ſcilicet imprimentis characterem, & ab Euchariſtia, & alijs ſacramentis viuorum poſſet abſtrahi alia ſpecies ſubalterna ſacramenti viuorum vt ſic: necnon a baptiſmo, & pœnitentia poſſet abſtrahi alia ſpecies ſub alterna ſacramenti mortuorum: & ſic augeretur numerus ſacramentorum ſupra ſeptenarium, quod eſt abſurdum.

Tum denique, quia alias verior, & magis proprius modus loquendi eſſet illorum qui docerent ſacramenta nouæ legis eſſe octo: quam Conciliorum, & Patrum aſſerentium eſſe tantum ſeptem: ſiquidem illa eſt proprior, & exactior ratio numerãdi, quæ vtitur vltimis vnitatibus ſpecificis prout ſunt in re, quam illa quæ vtitur vnitatibus ſubalternis partim, & partim ſpecificis, vtpotè admiſcens æquiuocationem: conſequens tamen non eſt admittendum: ergo. Nec vrget exemplum de ſacramento ordinis adductum, quia teſte D. Thom. Thom. in 4. diſtinct. 24. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 2. ordo eſt vnum ſacramentum ſpecie athoma, cuius eſſentia perfectè & completè reperitur in ſacerdotio, in alijs verò ordinibus per quandam participationem ab illo. Quare ratio hæc manet incõcuſſa: meritoque illam efficacem exiſtimauerunt Sotus vbi ſupra, & Theologi in dicto catheciſmo Romano Pij quinti.

46 Secunda ratio eſt, qua vtitur Diu. Thom. in hoc art. ſub hac forma: vnitas ſpecifica cuiuſcunque ſacramenti ſumitur ex fine ad quem per ſe ordinatur; ſed Euchariſtia ſecundum quod comprehendit ſpecies panis, & vini per ſe ordinatur ad vnicum finem ſimpliciter: ergo eſt vnũ ſacramentum ſimpliciter ſpecie athoma quatenus integratur ex huiuſmodi ſpeciebus, quæ non ſunt plura ſacramenta, niſi materialiter, & partialiter. Maior patet inductione nedum in omnibus ſacramentis, ſed etiam in alijs compoſitis artificiali-

bus,

bus, quorum naturam, & conditionẽ imitantur ſacramenta. Minor autem probatur, quia ſacramentum Euchariſtiæ quatenus conſtat ſpeciebus panis, & vini ordinatur per ſe tanquam ad finem, ad refectionẽ ſpiritualem animæ, ad quam cauſandam, & ſignificandam fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum tanquam quodam ſpirituale cõuiuium, conſtat ex illo Ioann. 6. *Caro mea eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, &c. & ideo ſic ab Eccleſia appellatur; *O ſacrum conuiuium*, &c. quia habet ſe ad inſtar conuiuij materialis, quod integratur ex cibo nutriente, & potu refrigerante ad refectionem corporis per ſe ordinati: finis autem iſte vnus eſt ſimpliciter ſicut & ipſa refectio corporis cauſata per conuiuium corporale eſt vna ſimpliciter vnitate ſpecifica: ergo.

Dices, ſicut in confeſsione, & contritione cum verbis abſolutionis antecedenter ad actualem ſatisfactionem, ſaluatur tota ſubſtantia, & eſſentia ſacramenti pœnitentiæ: non obſtãte quod ſatisfactio ſit eius pars integralis: ergo ſimiliter in ſolis ſpeciebus panis, ſaluatur tota eſſentia, & ſubſtantia huius ſacramenti ſpecifica antecedenter ad ſpecies vini. Eo vel maxime, quod in carne, & corpore Chriſti includitur etiam ſanguis, ac proinde habet vim nutriendi, & refrigerandi per modum integri conuiuij, &c.

Reſpondetur nihilominus negando cõſequẽtiã. Cuius duplex eſt ratio. Prima quidem à priori, quæ deſumitur ex ipſa inſtitutione, & fine huius ſacramenti, quod eſt quodam ſpirituale conuiuium ad ſpiritualem refectionem per ſe ordinatum ad inſtar materialis conuiuij, & refectionis: refectio autem corporalis eſſentialiter, & ſubſtantialiter componitur ex cibo, & potu, ita vt ſine altero illorum non ſaluetur eſsẽtia, & ſubſtantia adæquata ipſius. Secus autem contingit in ſacramento pœnitentiæ cuius eſſentia, & ſubſtantia non componitur ex actuali ſatisfactione; ſed ex alijs partibus recenſitis prout in voto includunt ſatisfactionem: quãuis hæc in re pertineat ad accidentalem illius integritatem.

47 Secunda ratio procedit veluti à poſteriori ex duobus inconuenientibus, quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia primum eſt, quod ſi quis conſecraret ſpecies vini antequam conſecraret ſpecies panis, factum nõ teneret, nec eſſet ibi ſanguis Chriſti: ſiquidem pars integralis ſacramẽti non poteſt valide poni à parte rei antequam ponatur ſubſtantia, & eſſentia ipſius ſacramenti, vt patet in ſatisfactione reſpectu ſacramenti pœnitentiæ, & in parte integrali hominis v.g. quæ non poteſt habere tale eſſe ante hominis poſitionem: ergo ſi ſpecies vini ſolum eſſent pars integralis Euchariſtiæ, in caſu poſsito non cõficeretur ſacramentum ſanguinis ante conſecrationem ſpecierum panis: quod tamen nullus audebit concedere.

Secundum eſt, quod in aliquo caſu, v.g. ne infirmus decederet ſine viatico, liceret conficere hoc ſacramentum ſub ſolis ſpeciebus panis, quod tamen non eſſe admittendum, dicemus infra: ergo.

Sequela patet à paritate ſacramenti pœnitentiæ: quod licitum eſt conficere ante poſsitam ſatisfactionem, imò abſque vlla impoſita ſatisfactione, vt in mortis articulo: eo quod ſatisfactio eſt de ſola integritate talis ſacramenti. In quo tamen optimè ſtat ſacramentum ſanguinis, non obſtãte quod ſit de ſubſtantia, & eſſentia totius ſacramenti, pertinere ſecundum ſpecialem rationem ad complementum, & perfectionem ſacramenti corporis, potius quam e contra: eo quod in conuiuio materiali; ad cuius inſtar inſtitutum eſt hoc ſacramentum, potus etiam pertinet ad complementum cibi, & non è contra, quamuis, tam cibus, quam potus pertineant ad ſubſtantiã, & eſſentiam vnius conuiuij corporalis.

48 Ex quibus reſpondetur ad fundamenta prioris ſententiæ. Ad primum quidem deſumptum ex modo loquendi ſanctorum Patrum iam patet ex dictis.

Ad ſecundum verò reſpondetur ſubſtinendam eſſe ſolutionem ibi aſsignatam. Ad cuius impugnationem dicendum eſt, quod licèt ſpecies panis, ſiue ſacramentum corporis ſit completum ſecundũ quid, hoc eſt in ſola ratione cibi, cui vt ſic nihil addit ſacramentum ſanguinis, quod formaliter habeat rationem cibi: tamen nõ eſt completum in ratione ſpiritualis conuiuij, & refectionis, ad quam tam ſacramentum corporis, quam ſacramentum ſanguinis vt partes componentes comparantur, ex quibus vna integra refectio reſultat.

Nam ſicut non inconuenit ea, quæ ſunt plura in vno genere, eſſe vnum in alio, vt partes domus, quæ in genere entis ſunt plura ſimpliciter, in genere artificiati

ſunt

ſunt vnum: ita nec inconuenit aliquid eſſe completum in vno genere, & incompletũ in alio. Sic enim anima quæ eſt completa in ratione formæ, vtpote non indigens alio ſuperaddito per modum formæ, eſt nihilominus incompleta reſpectu totius hominis, qui ex anima, & materia tanquam ex partibus componitur: & lapis qui eſt completum quid in genere ſubſtantiæ, reſpectu domus eſt quid partiale, & incompletum: ita licèt ſacramentum corporis ſit completum in ratione cibi, eſt tamen incõpletum, & partiale reſpectu ſpiritualis refectionis. Nec vrget inſtancia adducta ex numeris, quia binarius in ratione talis nõ eſt ſpecies incompleta, ſed ſimpliciter completa: nec enim vt ſic eſt pars per ſe formaliter componens quinarium: etenim ille numerus, aut alius maior non componitur per ſe ex numeris inferioribus, ſed ex quinque vnitatibus, iuxta illud axioma philoſophicum: ſex non ſunt bis ter, ſed ſemel ſex: ac proinde vna ſpecies numeri vt ſic non dicit ordinem per ſe ad componendã aliam: cibus verò, & potus per ſe dicunt ordinem ad ſe inuicem ad integrandam vnã refectionem.

Vndè admiſſo quod ſpecies panis ſint verè ſacramentum Euchariſtiæ, ideſt partiale, non ſequitur quod ſint totale, & completum ſacramentum: nec de illis, & de toto integro ſacramento Euchariſtiæ, prout conſtat ex ſpeciebus panis, & vini prædicatur ſacramentum Euchariſtiæ vni uocè, niſi tantum analogicè, ſicut rationes tranſcendentes prædicantur de toto, & de ſingulis eius partibus: vt ſubſtantia tranſcendentaliter ſumpta abſtrahens à completa, & incompleta analogicè prædicatur de homine, & de qualibet eius parte. Ratio quoque conuiuij materialis analogicè dicitur de toto, & de cibo, vel potu ſeorſim ſumpto, idemque pariter dicendum dictũ puta de conuiuio ſpirituali, quod ſi ſumatur vt completum, neutiquam de altera parte prædicatur: conſideratum autem prout abſtrahit à completo, & incompleto, ſic de toto, & de quauis eius parte analogicè, & ſi per formalem prædicationem prædicatur.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod inter rationem ſacrificij, & rationem ſacramenti, hoc verſatur diſcrimen quod illa ſumitur ex re contenta, vel ſacrificata: iſta verò ex ſola ſignificatione expræſſa, & formali integræ refectionis ſpiritualis, vndè quia in ſolis ſpeciebus panis continetur totus Chriſtus: nec non in ſolis ſpeciebus vini: propterea in illis poteſt ſaluari tota ratio ſacrificij: ſed quia non reperitur in ſolis illis, nec in ſolis iſtis expræſſa ſignificatio integræ refectionis, propterea nec completa ratio ſacramenti in illis, aut in iſtis ſolis reperitur. Si autem vellimus dicere, nec completam rationem ſacrificij in ſolis ſpeciebus panis vel vini reperiri, quod probabilius eſt, tũc negandum eſt antecedens, & argumentũ à paritate potius eſt pro nobis.

Ad cuius probationem dicendum eſt Eccleſiam non poſſe ſtatuere, vt ſacerdotes ſub vna tantum ſpecie ſacrificium altaris offerant, ſicut de facto ſtatuit, vt laici ſub vna tantum ſpecie panis ſacramentum Euchariſtiæ recipiant, quia in hoc conuenientiam inuenit, quæ in primo nullatenus poteſt inueniri, vt iam pergimus declarare, vt ſic etiam teſtimonio inducto Concilij Tridentini ſatisfaciamus.

Igitur Concilium in adducto canone 3, non dixit laicos ſumentes Euchariſtiam ſub vna ſpecie panis, ſumere totum ſacramentum, ſed tantum dixit ſumere totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & auctorem: quæ duo longe diuerſa ſunt. In canone autem primo, & ſecundo determinauerat Concilium fideles non teneri diuino præcepto adſumẽdam vtramque ſpeciem ſacramenti Euchariſtiæ, atque Eccleſiam Catholicam iuſtis de cauſis adductam fuiſſe vt laicos, & etiã clericos non conficientes, ſub panis tantũ modo ſpecie communicarẽt, & in cap. primo eiuſdem ſeſsionis dixerat tale præceptum iuris diuini communicandi laicos, & clericos non conficientes ſub vtraque ſpecie nullibi extare: *Nec ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpecies communio ad ſalutem ſufficiat. Nam & ſi Chriſtus Dominus in vltima cœna venerabile hoc ſacramentum in panis, & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit, non tamen illa inſtitutio, & traditio eo tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatu Domini ad vtramque ſpeciem accipiendam aſtringantur. Nam & ſi dixit: niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque ſi quis mãducauerit ex hoc pane viuet in æternum.*

Ad ſecundam confirmationem, nego maiorem: ſufficit namque quod ex verbis quibus conſecratur vtraque ſpecies integretur vna forma verborum totalis: & ex

ex ſignificationibus eorum fiat vna tertia ſignificatio totalis, nec enim maior vnitas in forma ſacramētorū, quam in ipſis ſacramentis requiritur: ac proindè ſicut ſacramenta ſunt quædam compoſita artificialia integrata ex ſuis partibus: ita & formæ illorum habent artificialem, ſeu moralem vnitatem ex partialium formarum coniunctione.

Ad tertium, nego ſequi aliquod ex illis inconuenientibus: non quidem ſequitur primum, quia vel ſequimur opinionē eorum probabilem aſſerentium quod ſumentes ſacramentum corporis, vel ſacramentum ſanguinis dumtaxat, recipiunt totam gratiam correſpondentem huic ſacramento, iuxta quam iam ceſſat dictum inconueniens, explicandum tamen eſt quo pacto ſolæ ſpecies panis, ſiue vini cauſarent totum effectum huius ſacramenti? Quod vno ex duobus modis explicant auctores huius opinionis.

Primo quidem, quia licet ſolæ ſpecies panis, vel vini non ſint integrum ſacramentum Euchariſtiæ in ratione ſigni, bene tamen in ratione cauſæ, ac proinde poſſunt cauſare totam gratiam cibantem, & refrigerantem, hoc eſt integram animæ refectionem, quamuis illā non ſignificent niſi ſub vna tantum ratione, ideſt ſub ratione cibi, vel potus.

Secundo verò ſic explicant, nimirum quod ſolæ ſpecies panis, verbi gratia (& idem proportionabiliter dicunt de ſpeciebus vini,) licèt nec in ratione ſigni, nec in ratione cauſæ ſint integrū, & totale ſacramentum Euchariſtiæ, niſi tātum partiale, nihilominus cauſant totā gratiam correſpondentem vtriſque ſpeciebus: diuerſimodè tamen: nam illam portionem gratiæ, quæ correſpondet ſpeciebus panis, cauſant per ſe, ſicut & illam expræſſe & formaliter ſignificant: aliam verò portionem correſpondentem ſpeciebus vini, & habentem rationem potus, cauſant per accidens, ſiue materialiter, & per concomitantiam, eo quod nec illam expræſſe, niſi tantum implicite ſignificāt, quia corpus concomitatur ſanguis, & in eo includitur.

Sed neuter modus videtur ſufficiēs, nō primus, quia licèt cauſalitas, ſiue virtus cauſatiua, & ſignificatio in ſacramentis diſtinguantur, tamen ita adæquate, & conuertibiliter ſe habent in ſacramentis nouæ legis, vt ad nihil extendatur vna, ad quod non extendatur altera.

Nec ſecundus propter tria. Tum quia vbi eſt maior refectio, maior quoque fructus debet reperiri, ſiquidem Chriſtus inſtituit huiuſmodi ſacramentum per modum conuiuij, & refectionis: atqui in vtraque ſpecie eſt maior refectio: ergo & maior fructus gratiæ debet illi correſpondere.

Tum etiam, quia in triduo non erat ſanguis in corpore Chriſti: ergo tunc ſpecies panis conſecratæ non cauſarent tantam gratiam: & tamen eſſet idem ſacramentum in ratione ſigni, & cauſæ: ergo.

Tum denique, quia id cauſat gratiam, quod ſignificatur per verba: ſed per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, nullo modo ſignificatur ſanguis, ſed præciſſe corpus: ergo licet ibi ſit ſanguis concomitanter, non habet prout eſt ibi cauſare gratiam.

50 Quare congruentius poteſt dici iuxta ſecundam opinionem aliorum aſſerentium per ſolas ſpecies panis, aut vini non recipi tantam gratiam, nec totam correſpondentem huic ſacramento, ſed minorem, ſiue intenſiuè, ſiue extenſiue, hoc eſt quia non confertur per modum cibi, & potus, niſi tantum per modum cibi ſolius, vel per modum ſolius potus.

Nec oppoſitum determinatur à Concilio Tridentino in prædictis locis, quia in illis dumtaxat, vt viſum fuit, determinat Concilium Eccleſiam iuſtis de cauſis communicare laicos, & clericos non conficientes ſub ſolis ſpeciebus panis, maximè propter periculum effuſsionis ſanguinis, quod eis immineret. Et quod in eis recipiunt totum Chriſtum ibi verè, & realiter contentum; vt ſic confutaret hæreticos negantes realem præſentiam Chriſti, aut in toto hoc ſacramento, aut ſaltem, in eius ſpeciebus ſeorſum ſumptis.

Nec non, quod ſic communicantibus ſolas ſpecies panis, dari gratiam ſufficientem ad ſalutem: benè enim ſtat quod per ſolas ſpecies panis detur, & cauſetur tota gratia ſufficiens, & neceſſaria ad ſalutem, tota inquam cathegorematicè; & quod non conferatur tota gratia huius ſacramenti, totaliter, & ſyncathegorematicè, hoc eſt quantum ad totam latitudinem intenſionis, & extenſionis, quæ habet modum integræ refectionis correſpon-

dens

tis vtriſque ſpeciebus. Nam quo ad hanc extenſionem, & intentionem non eſt ad ſalutem neceſſaria: & ſic nec laici, & clerici non conficientes, communicantes ſolum ſacramentum corporis non defraudantur fructu, ſiue effectu huius ſacramenti, illo inquam, qui eſt ſufficiens, & neceſſarius ad ſalutem.

Nec ſecundum, & tertium inconueniens vrgent, quia iam conſtat ex dictis qua ratione in ſolis ſpeciebus vini remanentibus in calice, poſt ſumptionem corporis, & in ſolis ſpeciebus panis in ſacrario aſſeruatis, maneat totum ſacramentum Euchariſtiæ. manet enim totum ſecundum quid, vel totum reſpectu rei contentæ: partiale autem reſpectu completi, & totalis conuiuij.

Dubium ſecundum eſt. An ſacramentum Euchariſtiæ ſit vnum numero: & vndè eius numerica vnitas ſit deſumenda?

§1 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, hoc eſt in reipſa, nimirùm quod a parte rei multiplicatis verbis conſecrationis hoſtiæ, vel calicis multiplicantur formæ: nec non multiplicatis ſpeciebus panis, ſeu vini, multiplicatur materia huius ſacramenti.

Nec non in omnibus illis eundem numero Chriſtum contineri: diſcriminantur autem in modo loquendi in tres ſententias.

Prima aſſerit tot eſſe ſacramenta Euchariſtiæ numero diſtincta: quot ſunt ſpecies panis, & vini conſecratæ, ſiue ab eodem ſacerdote ſimul, ſiue à pluribus: ſiue ante conſecrationem fuerint diuiſſæ; ſiue poſt conſecrationem: ſiue ab eodem, ſiue à diuerſis ſimul ſumantur.

Quam tuetur Vazquius diſputatione citata, capite ſecundo; & probat, quia nihil eſt eſſentiale in huiuſmodi ſpeciebus ſic multiplicatis vndè ſumatur vnitas numerica ſacramenti: eſt autem aliquid eſſentialiter, vndè ſumatur pluralitas: ergo dicendum eſt illa tunc eſſe plura numero ſacramenta, & non vnum.

Conſequentia eſt nota, & antecedens pro prima parte probat; quia nec loci propinquitas, nec ſimultanea communicatio: nec Chriſtus ipſe contentus ſunt aliquid eſſentiale huic ſacramento in ratione ſacramenti tantum: & hæc ſunt ex quibus vnitas numerica poſſet deſumi.

Deinde pro ſecunda parte patet, quia multiplicantur ſpecies conſecratæ, & verba conſecrationis, ac proinde formæ huius ſacramenti: nec non multiplicantur ſignificationes: nam vnaquæque ſpecies conſecrata habet in ſe propriam ſignificationem refectionis ſpiritualis, & gratiæ ipſi correſpondentis: ergo cum ex horum multiplicatione ſumatur pluralitas numerica ſacramenti: ſequitur plura eſſe numero ſacramenta. Eandem ſequuntur nonnulli Thomiſtæ recentiores; & confirmant ex capite *tribus gradibus*, de conſecratione diſtinctione ſecunda, vbi Clemens Papa inquit: *Tot holocauſta offerenda eſſe in altari, quot populo poſsint ſufficere.* Quo denotat tot eſſe ſacramenta Euchariſtiæ, quot ſunt ſpecies panis, & vini conſecratæ, ſiue in eodem loco, ſiue in diuerſis exiſtant. Siue ab eodem ſacerdote, ſiue à diuerſis conſecrentur.

In eandem ſententiam reducitur illa quam alij qui ex Thomiſtis defendũt dicentes hoc ſacramentum poſſe conſiderari vno modo in ratione ſigni, & cauſatiui gratiæ, vel vti in actu primo, & ſic eſſe plura numero ſacramenta vbi fuerint diuerſæ ſpecies conſecratæ, ſiue coniunctæ ſecundum locum, ſiue ſeparatæ: eo quod in qualibet hoſtia, & particula diuiſa, & ſeorſum conſiderata reperitur independenter ab alia quid quid requiritur ad

ſignificandam, & cauſandam gratiam cibantem: in qualibet reperitur vnum totale indiuiduum huius ſacramenti: ſicut in duabus vocibus ſignantibus eundem hominem reperitur duplex indiuiduum ſigni, eo quod ratio ſpecifica ſigni ad placitum inuenitur in qualibet illarum vocum independenter ab alia.

Rurſus poteſt conſiderari veluti in actu ſecundo, hoc eſt in ipſa actuali cõmunione, & tunc omnes hoſtiæ quæ ab vno, & in eadem ſumptione ſumuntur, ſunt vnum numero ſacramentum Euchariſtię: quia non efficiunt, niſi vnicum effectum: quia ſi Petrus ſumat vnam hoſtiam, ſiue plures cum eadem diſpoſitione non recipit maiorem gratiam, ſed eandem portionem gratiæ, recipit ſumendo pluras hoſtias, quam reciperet ſumendo vnam.

52 Secunda ſententia eſt, quam ſequuntur Sotus in 4. diſtinct. 8. quæſtione vnica, articulo ſecundo, & Martinus de Ledeſma prima parte quarti, quæſtion. 14 articulo ſecundo, aſſerentes vnitatem numericam huius ſacramenti non pendere ex phiſica continuatione, & vnione, ſed ex morali dumtaxat, ita vt non ſolum dicatur vnum numero ſacramentum quod phiſica continuatione vnum eſt, vt vna hoſtia conſecrata ante ſui diuiſionem, ſed plures hoſtiæ ſimul, & etiam plures partes eiuſdem hoſtiæ diuiſæ: quando nimirum ſumuntur eadem ſumptione, ſiue phiſica, vt cum quis plures hoſtias conſumit ſimul, aut moraliter vt quando in eadem miſſa ſucceſsiue ſumuntur plures hoſtiæ, ſiue ab vno, ſiue à pluribus.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia ad vnitatem ſacramenti cum ſit ens artificiale ſufficit hæc moralis vnio, ſiue coniunctio plurium entium quantumuis diſtinctorum: quemadmodum vnum conuiuiũ coaleſcit ex pluribus ferculis quæ ſimultate morali apponuntur, & ſumuntur: ergo pariter cum hoc ſacramentum ſit inſtitutum ad inſtar conuiuij, cenſebitur vnum indiuiduum, licet plures hoſtiæ ſumantur, & cætera.

53 Tertia ſententia eſt aliorum aſſerentium totum hoc ſacramentum eſſe vnum numero, ita vt omnes ſpecies conſecratæ, vbicumque, & quomodocunque ſint efficiunt vnum indiuiduum formaliter huius ſacramenti, quam ſequitur, vt magis dignitati huiu ſacramẽti conſentaneam & probat Suarius diſputation. 39, ſectione quarta.

Primo, quia omnes ſpecies conſecratæ ad vnantur in vno corpore Chriſti, quod continent: & hæc ad vnatio eſt ſufficiens, vt ſint vnũ numero ſacramẽtũ.

Maior eſt certa, & diffinita a Florentino vbi ſupra, & Tridentino ſeſsione dezima tertia, canone tertio, dicẽte in hoc ſacramento contineri totum Chriſtum ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis ſpeciei particulis, facta ſeparatione. Minor autem probatur à Suario, ex eo quod Chriſtus eſt præcipuum in hoc ſacramento.

Sed hęc ratio poteſt amplius roborari dupliciter. Tum, quia aut Chriſtus pertinet ad hoc ſacramentum non ſolum vt res contenta, ſed etiam vt pars eſſentialis ſacramenti tantum, vt tenet probabilis opinio cuius ſupra mencionem fecimus: & iuxta illam non eſt dubium quim omnes hoſtiæ conſecratæ eſſent vnum numero ſacramentum propterea quod Chriſtus eſt idem in omnibus illis, & pars eſſentialis ipſius ſacramenti.

Iuxta noſtram autem ſententiam aſſerentem Chriſtum non eſſe partem eſſentialem ſacramenti tantum, ſed rem contentam, nihilominus ad huc vnitas Chriſti contenti ſufficit vt omnes ſpecies conſecratæ ſint vnum ſacramentum propter ordinem, & habitudinem ad ipſum: vnitas enim continentis, maximè in moralibus, & artificialibus ſumitur ex vnitate contenti. Tum etiam, quia propterea in omnibus ſuperficiebus aëris continentis, ſuccedentibus in eodem ſitu, ac diſtantia: & in ſingulis illarũ ſaluatur idem numero locus formaliter, quia ad vnantur in hoc, quod eſt cõtinere hoc numero corpus per ordinẽ ad eoſdem mundi polos: ergo pariter in omnibus, & ſingulis hoſtijs cõſecratis ſaluabitur idem numero ſacramentum propter continentiam eiuſdem Chriſti, & habitudinem ad illum.

Conſequentia patet, quia non requiritur maior vnitas in ſacramento, quã in loco, imò minor videtur ſufficere, quia locus eſt ens naturale, ſacramẽtũ verò artificiale. Secundo probat eandem ſententiã Suarius ab exemplo: nam ſi verbum diuinum aſſumeret plures humanitates etiam loco diſtantes eſſet vnus homo: & ſimiliter ſi vnum corpus exiſtens in di-

ſia diuerſis locis haberet plures albedines, eſſet vnum album, ergo pariter Chriſtus veluti aſſumens, & ſacramentaliter vniens ſibi plures ſpecies panis etiam loco diſtantes, conſtituet cum illis vnum numero ſacramentum.

Tertio, quia videtur eſſe hæc ſententia magis conformis modo loquendi ſacræ Scripturæ, & Patrum: nam Paulus primæ ad Corinthios duodecimo inquit de hoc ſacramento; *Omnes vnum corpus ſumus, qui de eodem pane participamus*: quibus verbis denotat quod ſicut omnes fideles conſtituimus vnum numero corpus Eccleſiæ, ita omnes nos participare vnum numero panem, ſeu ſacramentum.

Conſonat Ambroſius ſuper capite 10. ad Hebræos, & refertur cap. *in Chriſto*, de conſecratione diſtinction. 2. dicens: vnam eſſe hoſtiam, & non multas, quam Chriſtus obtulit, & omnes Sacerdotes offerunt: ergo ſicut eſt idem numero ſacrificium quantum ad rem oblatam, ita eſt idem ſacramentum: eo quod in Eccleſia, idem offertur in ſacrificium, quod ſumitur vt ſacramentum. Et reuera hæc ſententia mihi verò ſimilior videtur, vtpotè dignitatem huius ſacramenti magis extollens, & ſolidioribus rationibus innitens.

54 Quæ amplius poſſunt confirmari hac ratione: cum vnitas ſit paſsio entis, quale fuerit ens, talis & eius vnitas debet eſſe: ſed ſacramentum hoc (ſicut & cætera) eſt ens artificiale, & formaliter in genere ſigni: ergo, & eius vnitas debet eſſe proportionata enti artificiali.

Tunc vltra: ſed vnitas entis artificialis non læditur per materialem pluralitatem & diuerſitatem entium, ex quibus integratur, & componitur: vt patet in domo, exercitu, & ſimilibus: ergo, nec vnitas numerica huius ſacramenti læditur per pluralitatem velutti materialem ſpecierum panis, aut vini.

Et quamuis duæ ſpecies panis non ſint partes componentes vnum totale ſacramentum ſicut diximus de ſpeciebus panis, & uini ad inuicem comparatis eſſe partes componentes vnum integrum continuum: ſunt tamen ſubſtracta, & indiuidua veluti materialia, quæ dum in continendo eundem Chriſtum ad vnantur, idem indiuiduum ſacramenti, & conuiuij formaliter ſunt: idem inquam non identitate phiſica, aut entitatiua, ſed artificiali, ſiue morali, & ſacramentali, vndè concludendo dicamus plures ſpecies panis; verbi gratia, ſeparatas eſſe plura ſacramenta numero, ſecundum quid, ſiue materialiter, & phiſice: vnum autem ſimpliciter, & formaliter, hoc eſt quoad vnitatem ſacramentalem: ſicut de ſuperficiebus continentibus idem locatum dici ſolet, quod materialiter, & phiſicè ſunt plures continentes: idem tamen numero locus formaliter propter vnitatem contenti, & identitatem diſtantiæ.

55 Probaturque vltimo hæc noſtra ſententia confutando duas priores, & ſatisfaciendo eorum argumentis. Prima namque Vazquij deficit propter tria tum quia nimis vult retinere rigorem philoſophicum: qui tamen in hac materia ſacramentorum non eſt ſtrictè ſeruandus: vtpotè quæ ad genus moris, & artificialium pertinent.

Tum etiam, quia non eſt adeò conformis modo communi Patrũ & Theologorum ſentiendi, & loquendi: vt viſum eſt.

Tum deniquè, quia ex illo ſequuntur plura abſurda nullatenus admittenda. Vt quod dum ſacerdos ſumens hoſtiam diuiſam in tres partes, non ſumat vnum ſacramentum, ſed tria: quod tamen non eſt dicendum, quia hæc hoſtia non cenſetur magis eſſe plura ſacramenta poſt diuiſionem quam antea.

Similiter, qui communicando acciperet duas formas, duo quoquè ſacramenta numero diſtincta ſimul acciperet: & cõſequenter cum eadem diſpoſitione reciperet maiorem gratiam: quam ſi tantum vnam hoſtiam ſumeret. Quæ tamen abſurda ſunt, à nullo Theologorum admiſſa: ergo.

Ex quibus patet ad fundamentum illius auctoris; negandum enim eſt antecedens eius pro prima parte: ſumitur enim vnitas numerica ex vnitate Chriſti contenti in pluribus ſpeciebus: qui vt ſic illis coniunctus, aut eſt pars eſſentialis ſacramenti: aut eſt ſaltem ordo & habitudo ad illum, immo & coniunctio cum illo eſſentialis ipſi ſacramento.

Ad confirmationem autem reſpondetur quod Clemens in dicto cap.

loquitur de hoſtijs conſecrandis, quæ quidem ante conſecrationem ſimpliciter ſunt plures: poſt illam verò accipiunt quandam vnitatem ſacramentalem, quatenus vniuntur in eodem corpore Chriſti, & hæc vnio maior eſt, quam vnio per phiſicam continuationem, & multo maior quam vnio per moralem coniunctionem.

56 Deinde etiam deficit ſecundus modus explicandi eandem priorem ſententiam propter duo.

Tum quia ſecunda pars videtur pugnare cum prima. Nam ſi duæ hoſtiæ conſecratæ ſunt duo ſacramenta numero diſtincta in actu primo, & in ratione ſigni, atque cauſatiui: ergo vnumquodque illorum erit cauſatiuum gratiæ ex opere operato: ac proindè applicatum ſubiecto diſpoſito, eam de facto producet: & conſequenter ſi duæ hoſtiæ ſimul applicentur, & ſumantur à Paulo; verbi gratia: cum diſpoſitione vt duo, producent gratiam in duplo maiorem, quam vna hoſtia ſumpta ab eodem Paulo cum eadem diſpoſitione produceret.

Igitur implicat Euchariſtiam multiplicari numero in prima conſideratione, quin pariter multiplicetur in ſecunda conſideratione. Nec ſufficit dicere quod tunc illa duo indiuidua ſacramenti limitâtur ab actuali ſumptione vt à conditione, ne cauſent maiorem gratiam quando ſimul ſumũtur, quàm ſi vnum tãtum ſumeretur. Quia ſumptio tantum eſt conditio ad cauſandum actualiter gratiam, ſicut applicatio in igne ad comburendum, & manducatio in cibo corporali ad nutriẽdum: ſed effectus non commenſuratur conditioni cauſæ ad agendum, ſed virtuti, quæ eſt ratio agendi: igitur licèt applicatio, vel ſumptio ſit vna, ſi tamen mediante illâ applicâtur duo indiuidua, quorum quodlibet habet virtutem producendi gratiam ex opere operato, maiorem producent ambo, quam vnum: quod ſi non producunt maiorem, euidens argumentum eſt illa non eſſe duo indiuidua.

Tum etiam, quia ſi duo indiuidua ſunt, quorum vnumquodque habet ſuam virtutem cauſatiuam proprij effectus: ergo quando actu applicantur per ſumptionem eandem, non eſt cur non eleuentur à Deo tanquam duo inſtrumenta numero diſtincta ad producendos ſuos effectus? Et ſine fundamento dicitur illa eleuari, vt duo inſtrumenta numero diſtincta ad cauſandum eundem effectum. Sicut cum duo conſecrantes concurrunt ad eandem numero hoſtiam conſecrandam: & duo baptizantes ad eundem hominem baptizandum; tunc enim ſiue concurrant vt duo inſtrumenta partialia, ſiue vt duo totalia, habet fundamentum in diuina inſtitutione; quod tamen nullum eſt in noſtro caſu.

Nec poteſt retorqueri argumentum, ex eoquod ſi illæ duæ hoſtiæ ſumerentur à diuerſis, vel ab eodem ſubiecto duabus ſumptionibus, cauſarent maiorem effectum in duplo, quam ſi vnicâ ſumptione recipiantur: ergo ſignum eſt illa eſſe duo ſigna practicâ gratiæ, duoque indiuidua ſacramenti. Nam hoc arguit quidem illa eſſe duo indiuidua, vel partialia, vel materialiter, & ſecundum quid: non autem ſimpliciter, totaliter & formaliter.

57 Secunda autem opinio etiam deficit in eoquod recurrens ad vnionem moralem, vt ad principium indiuiduationis huius ſacramenti, ita vt tot ſint indiuidua illius, quot ſunt vniones morales hoſtiarum, & non tot, quot ſunt vniones, & continuationes phiſicæ partium eiuſdem hoſtiæ, vel quot ſunt hoſtiæ conſecratæ: nullum fixum, & conſtans principium indiuiduationis aſsignat: quod efficaciter conuincit argumentum Vazquij ad hanc formam reductum. Aut hæc vnio moralis conſiſtit in vnitate loci, ita vt omnes hoſtiæ in eadem pixi reſeruatæ cenſeantur vnum numero ſacramentum: aut in vnitate efficientis ſiue actionis, ita vt omnes hoſtiæ, quæ ab eodem Sacerdote vnica actione conſecrantur cenſeantur vnum indiuiduum ſacramenti, & non aliter: aut ſumitur per ordinem ad eandem refectionem, & ſumptionem: ita vt omnes hoſtiæ, ſiue ab vno, ſiue à pluribus ſimul, vel ſucceſsiuè conſecrentur, ſi ſumantur eadem ſumptione, & ſimul applicentur ad eiuſdem ſubiecti refectionem: cenſeantur vnum numero ſacramentum.

Nec enim in aliquo alio excogitare poſſunt dicti auctores huiuſmodi vnionem moralem, quam dicunt eſſe principium indiuiduationis huius ſacramenti.

Sed in nullo iſtorum poteſt tale prin-

principium indiuiduationis ſaluari: nõ quidem in primo, quia locus, & coexiſtentia plurium hoſtiarum in eodem loco eſt illis omnino accidentalis, vt perſpicuum eſt: ergo non poteſt eſſe principium indiuiduationis huius ſacramenti, vtpotè cum principium indiuiduationis vnicuique rei debet eſſe quid ſubſtantiale, & illi eſſentiale.

Nec in ſecundo, quia cauſa efficiens ſacramenti etiam eſt extrinſeca, & accidentalis ipſi ſacramento, vtpotè extra ſubſtantiam, & eſſentiam illius. Valdeque accidit pluribus hoſtijs conſecrari ſimul ab eodem ſacerdote: poſſent enim eædem à pluribus ſimul, & ab eodem ſucceſsiue diuerſis actionibus conſecrari: & tandem nec in tertio, quia etiam ſumptio eſt accidentalis huic ſacramento, vtpote cum cõparetur ad illud ſicut aplicatio ad cauſam: ac proinde ſupponit illud iam conſtitutum in ſuo eſſe, hoc eſt in ratione ſigni, & cauſatiui in actu primo, ſicut actualis applicatio ſupponit cauſam conſtitutam in actu primo.

Valdeque accidentarium eſt ab eodem communicante plures hoſtias ſimul ſumi: poſſet enim, aut vnam dumtaxat ſumere, aut omnes illas ſucceſsiue, ac diuerſis ſumptionibus ſumere: aut eaſdem omnino à pluribus ſumi: in quibus caſibus videtur illas eandem indiuiduationem retinere: & oppoſitum voluntarie dicitur: ergo. Reiectis his opinionibus tenenda eſt vt verior, & magis conformis modo loquendi Scripturæ, & Patrum tertia, quæ adſtruit indiuiduationem huius ſacramenti formaliter conſiderati à phiſica, & ſacramentali vnione, quam habent ſpecies cum Chriſto contento, eſſe ſumendam.

Dices, hanc ſolum efficere vt omnes formæ ſint vnum ſacramentum ex parte rei contentæ, non tamen ſimpliciter, & ex parte ſpecierum continentium pro quibus directè ſupponit hoc ſacramentum. Sicut & in ratione ſacrificij ſunt vnum numero ſecundum quid, ideſt ex parte rei oblatæ: ſimpliciter tamen ſunt plura, quia actio ſacrificandi, ſiue oblatio pro qua directè ſupponit ſacrificium numero multiplicatur: propter eaque dicimus in Eccleſia plures miſſas celebrari, & plura quotidie offerri ſacrificia altaris.

Reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, dico diſparem eſſe rationem quia ſacrificium directè ſupponit pro actione offerentis: & ideò hac multiplicata, pariter multiplicatur & ſacrificium ſimpliciter, licèt ſit idem ex parte connotati, & rei oblatæ. Sacramentum verò Euchariſtiæ non ſupponit pro ſpeciebus quomodocunque niſi prout ſunt vnitæ, & coniunctæ Chriſto, quæ vnio, & coniunctio pertinet ad formale, & directũ ſignificatum huius nominis *Euchariſtia*, & ideò cum hæc vnio, ſiue coniunctio in pluribus ſpeciebus non multiplicetur ſaltem formaliter, aut totaliter, ſed eadem maneat in omnibus ſicut & Chriſtus coniunctus, & vnitus illis eſt idem: propterea non ſequitur multiplicari numero ſacramenta ad multiplicationem ſpecierum: ſicut nec locus multiplicatur numero ad multiplicationem materialem ſuperficierum, quia omnes ſuperficies corporis ambientis continentes ſucceſsiuè idem locatum in eadem diſtantia ſunt vnum ſubiectum totale huius indiuidui loci: & ſingulæ ſunt ſubiecta partialia illius: alioquin mutata vna ſuperficie, locus mutaretur manente locato immutato: ſiquidem non maneret idem locus, & aliàs non corrumperetur, quia fluit cum ſubiecto in quo recipitur, verbi gratia cum aqua fluuij, vel cum aëre fluente: ergo deſineret eſſe idem locus per ſolam mutationem loci; de cuius tamen ratione eſt, quod ſit immobilis, idemque proportionabiliter dicendum videtur de omnibus, & ſingulis ſpeciebus conſecratis ad hoc numero ſacramentum comparatis.

(!)

Digitized by Google

ART. III.

Vtrum Euchariſtia ſit de neceſsitate ſalutis?

Inf.q.80.a.11.& 4.d.9.a.1.q.2.etd.12.q.3.a.2.q.1.et Io.6.le.7.co.1.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſacramentum ſit de neceſsitate ſalutis. Dicit enim Dominus Ioann. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in hoc ſacramento manducatur caro Chriſti, & bibitur ſanguis eius. Ergo ſine hoc ſacramento non poteſt homo habere ſalutem ſpiritualis vitæ.

2 Præterea. Hoc ſacramentum eſt quoddam ſpirituale alimentum. Sed alimentum corporale eſt de neceſsitate corporalis ſalutis.

3 Præterea, ſicut baptiſmus eſt ſacramentum Dominicæ paſsionis, ſine qua non eſt ſalus: ita & euchariſtia: dicit enim Apoſtol. 1. Corint. 11. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Ergo ſicut baptiſmus eſt de neceſsitate ſalutis, ita etiam hoc ſacramentum.

Li. 4. cō. duas ep. Pelag. c. 22. in me. tom. 7.

Sed contra eſt, quod Auguſtin. * ſcribit Bonifacio, contra Pelagian. Nec illud cogiteris, paruulos vitam habere non poſſe, qui ſunt expertes corporis, & ſanguinis Chriſti.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc ſacramento duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum ſacramentum, & rem ſacramenti. Dictum eſt autem, quod res huius ſacramenti eſt vnitas corporis myſtici, ſine qua nō poteſt eſſe ſalus: nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluuio abſque arca Noe, quæ ſignificat Eccleſiam: vt habetur 1. Petr. 3. Dictum eſt autem ſupra *, quod res alicuius ſacramenti haberi poteſt ante perceptionem ſacramenti, ex ipſo voto ſacramenti percipiēdi. Vndê ante perceptionē huius ſacramēti, poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc ſacramentum: ſicut & ante baptiſmum ex voto baptiſmi, vt ſupra dictum eſt †. Eſt tamen differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & ianua ſacramentorum: Euchariſtia verô eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium ſacramentorum finis (vt ſupra dictum eſt *). Per ſanctificationes enim omnium ſacramentorum, fit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandam Euchariſtiam. Et ideô perceptio baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam, perceptio autem Euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam: non ad hoc quod ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio, & intentione. Alia differentia eſt, quia per baptiſmū ordinatur homo ad euchariſtiam; & ideo ex hoc ipſo, quod pueri baptizātur, ordinantur per eccleſiā ad euchariſtiā, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credūt, ſic ex intentione Eccleſię deſiderant euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rē ipſius. Sed ad baptiſmū nō ordinātur per aliud præcedēs ſacramētū. Et ideô ante ſuſceptio-

q. 68. a. 2.
q. 68. a. 2.
q. 65. a. 3.

tionē baptiſmi, nō habēt pueri aliquo modo baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti: vnde rem ſacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione ſacramenti. Et ideô hoc ſacramentum non hoc modo eſt de neceſsitate ſalutis, ſicut baptiſmus.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Auguſt. *dicit, exponens illud verbum Ioann. Hunc cibum, & potum, ſcilicet carnis ſuæ, & ſanguinis, ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & iuſtificatis, & glorificatis ſanctis, & fidelibus eius. Vndê ſicut ipſe dicit in epiſt. * ad Bonifacium, nulli eſt aliquatenus ambigendum tunc vnumquēque fidelium corporis ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſeculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.

tract. 26. in Io. to. 9.

Refertur de conſ. d. 4. c. nul li.

Ad ſecundum dicendum, quod hæc eſt differentia inter alimentum corporale, & ſpirituale: quod alimētum corporale conuertitur in ſubſtantiam eius, qui nutritur: & ideô non poteſt homini valere ad vitæ cōſeruationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur. Sed alimentum ſpirituale conuertit hominem in ſeipſum: ſecundum illud quod Auguſtin. * dicit in lib. confeſsion. quod quaſi audiuit vocem Chriſti dicentis ſibi. Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine huius ſacramenti perceptione. Et ideô non eſt ſimile.

li. 7. Cōſ. c. 10. à m. t. 1

Ad tertium dicendum, quod baptiſmus eſt ſacramentum mortis, & paſsionis Chriſti, prout homo regeneratur in Chriſto virtute paſsionis eius: ſed euchariſtia eſt ſacramentum paſsionis Chriſti, prout homo perficitur in vnione ad Chriſtum paſſum. Vndê ſicut baptiſmus dicitur ſacramentum fidei, quæ eſt fundamentum ſpiritualis vitæ: ita euchariſtia dicitur ſacramentum charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, vt dicitur Col. 3.

58 Concluſio eſt: rem huius ſacramenti, nimirum vnionem corporis miſtici cum Chriſto capite, quæ per hoc ſacramentum ſignificatur neceſſariam eſſe ad ſalutem: etenim ſine illa nulla poteſt eſſe ſalus animæ: vtpote quia nullus extra corpus miſticum Eccleſiæ poteſt cōſequi animæ ſalutem: ſicut nec alicui patuit extra arcam Noë additus ad ſalutem corporis; quæ fuit Eccleſię ſymbolum.

Cęterum quia huiuſmodi effectus Euchariſtiæ poteſt haberi ſine eius reali ſuſceptione, videlicet per illius votum, ſiue deſiderium: quemadmodum, & effectus baptiſmi ad ſalutem neceſſarius etiam poteſt obtineri ſine reali baptiſmi ſuſceptione, ſcilicet mediante eius voto, vel deſiderio: hinc eſt quod receptio realis Euchariſtiæ non ſit de neceſsitate ſalutis; bene autem eius votum, vel deſiderium.

Cum quo tamen ſtat duplex diſcrimen inter baptiſmum, & Euchariſtiã quantum ad rem attinet. Primum eſt, quod baptiſmus eſt ianua ſacramentorum, & principium ſpiritualis vitæ: Euchariſtia verò eſt reliquorum ſacramentorum finis, & totius vitæ ſpiritualis conſumatio.

Secundum eſt, quod per baptiſmum ordinantur homines ad Euchariſtiam, ita vt etiam pueri quando baptizantur, ex intencione Eccleſiæ ad hoc ſacramentum ordinantur: & ex eadem intentione deſiderant illud, ac per conſequens eius effectum recipiunt: ad baptiſmum autem non poſſunt per aliud ſacramentum ordinari: cum ipſe baptiſmus ſit primum ſacramentum ante cuius proinde realem receptionem non habent pueri baptiſmum in voto, nec eius

effectum poſſunt recipere. Vndè fit Euchariſtiam, nec æqualiter, nec eodem modo eſſe neceſſariam ad ſalutem: ſicut eſt neceſſarius baptiſmus.

In cuius doctrinę explicatione duo ſunt quæ ingerunt difficultatem, nimirùm qualiter realis ſuſceptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria hominibus ad conſequendam ſalutem? Atque qualiter ad eundem effectum ſit neceſſaria Euchariſtia; in re, vel in voto tantum? Quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt. An realis ſuſceptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria paruulis ad conſequendam vtramque ſalutem: nec non adultis ad eoſdem effectus, & ad perſeuerandum in gratia?

59 PRo huius tituli explanatione, & intelligentia præmittenda ſunt tria. Primo quidem præmittendum eſt vno ex duobus modis poſſe aliquid eſſe neceſſarium ad ſalutem: nimirùm, vel neceſsitate medij ſiue finis, vel neceſsitate præcepti diuini, aut Eccleſiaſtici. Neceſſarium neceſsitate medij dicitur, illud quod ſiue ex natura rei, ſiue ex diuina inſtitutione requiritur ad ſalutem, ita vt ſine illo, vel phiſice, vel moraliter influente non poſsit obtineri ſalus: cuius generis ſunt, gratia, fides, paſsio Chriſti, baptiſmus, & ſimilia.

Neceſſarium verò ſecundo modo dicitur illud: quod requiritur ad ſalutem vt vitetur aliquod peccatum mortale, quod eſt impeditiuum ſalutis: cuius generis ſunt oratio, eleemoſyna, reſtitutio, colere feſta, & ſimiles actus, de quibus dantur pręcepta.

Inter quæ triplex verſatur diſcrimen ortum ex ipſorum natura: primum eſt quod neceſſarium primi generis eſt cauſa per ſe & poſsitiua conſequutionis ſalutis, neceſſarium autem ſecundi generis tantum per accidens, & quaſi negatiuè, vel per modum remouentis prohibens.

Secundum eſt, quod nulla ignorantia, aut obliuio excuſat ab eo quod eſt neceſſarium neceſsitate medij: bene autē ab illo quod eſt neceſſarium neceſsitate præcepti; eo quod ſi reipſa non apponatur id quod eſt neceſſarium neceſsitate medij, finis non conſequitur, licèt hoc fiat inculpabiliter, & abſque nouo peccato operantis, benè tamen conſequetur ſalus, abſque neceſſarijs ſola neceſsitate præcepti, quando inculpabiliter omittuntur.

Tertium eſt, quod neceſſarium primo modo, id eſt neceſsitate medij, quando eſt in noſtra libera poteſtate, ſemper eſt neceſſarium neceſsitate præcepti: quia tenemur apponere omnia media quæ ſunt in noſtra poteſtate ad ſalutem neceſſaria: nō tamen è contra omne neceſſarium neceſsitate præcepti, eſt neceſſarium neceſsitate medij, quamuis ſit in noſtra libera poteſtate.

Secundo præmittendum eſt, quod neceſſariorum neceſsitate medij ad ſalutē triplex eſt gradus. Primus eſt, eorum quorum realis executio, vel receptio eſt determinate ad ſalutem neceſſaria, ſicut paruulis eſt neceſſaria realis ſuſceptio baptiſmi ad ſalutem conſequendam, excepto caſu martirij. Secundus eſt eorum quæ ſunt neceſſaria ſub disiunctione, in re vel in voto: ſicut baptiſmus eſt neceſſarius adultis. Tertius eſt, eorum quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem determinate in ſolo voto, vel deſiderio.

Tertio, & vltimo præmittendum eſt ſalutem hominis eſſe duplicem, nimirum primam quæ fit per gratiā iuſtificātē, & mundantē à peccato mortali originali, ſiue perſonali: & ſecundam quæ eſt cōſummatio prioris, & conſiſtit in beatitudine ſupernaturali, ſiue gloria animæ.

Et quoniam tranſitus a prima ad ſecūdam ſalutem nō fit niſi mediante media cōtinuatione gratię ſanctificantis, & perſeuerantia in ipſa; ideò medium neceſſariū, ad ſecundam ſalutem: pariter debet eſſe ad huiuſmodi perſeuerantiā neceſſariū. Quibus ſuppoſitis, & prænotatis titulus noſtrę dubitationis nō procedit de neceſsitate pręcepti reſpectu Euchariſtiæ, de qua diſputat

D. Th.

D. Tho. infrà q. 80. art. 11. ſed de neceſsitate medij ſecundum aliquem ex prædictis tribus gradibus neceſsitatis, in ordine ad primam, & ſecundam ſalutem, atquè in ordine ad perſeuerandum in gratia: & reſpectu tam paruulorum, quàm adultorum, quia omnes pares ſunt in ordine ad conſequutionem vtriuſquè ſalutis, quantum ad ſubſtantiam: ac per conſequens de omnibus illis inquirimus, quam neceſsitatem habeat Euchariſtia in re ſuſcepta in ordine ad vtramquè ſalutem.

Sed quia diſpares ſunt in conſeruatione gratiæ, eo quod adulti gratiam ſemel receptam poſſunt amittere: quam tamen paruuli, quamdiù vſus rationis experti ſunt amittere non poſſunt: propterea ſolum reſpectu adultorum inquiritur neceſsitas Euchariſtiæ in ordine ad iſtum effectum. Ita vt ſenſus tituli ſit: vtrum realis ſuſceptio Euchariſtiæ ſit paruulis neceſſaria ad conſequendam primam, & ſecundam ſalutem. Necnon vtrum ſit adultis neceſſaria; tum ad vtramquè ſalutem: tum etiam ad perſeuerandum in gratia: neceſſaria inquam neceſsitate medij? & quia continet duas partes operæpretium eſt prius de prima: deinde de ſecunda agere.

60 Igitur quantum ad primam partem rationem dubitandi præbuerunt antiqui quidam ſectarij exiſtimantes realem ſuſceptionem Euchariſtiæ eſſe omnibus hominibus, tam paruulis, quam adultis medium ad ſalutem neceſſarium. Quē errorem ſequuti fuerunt Armeni, qui propterea ſimul cum Baptiſmo Euchariſtiam paruulis tribuebant: vt refert Vvaldenſis, tomo 2. de ſacramentis, capite 91. Eūdemque erorem tribuit Græcis, Iacobitis, & Neſtorianis Prateolus libro octauo, capite 15. & libro nono, capite ſecundo, & libro 12. capite quarto. Ex quo errore profectus fuit abuſus apud Græcos, qui poſt mortem dabant Euchariſtiam hominibus iam defunctis. Quæ conſuetudo in ſexta Synodo, canone 83. Trullana, & in Concilio Antiſiodorenſi, capite duodecimo, & in Carthaginenſi tertio, capite ſexto, meritò eſt abrrogata. Idquè ſibi perſuadebant ex illo Ioannis ſexto: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*: quę verba cum vniuerſalia ſint, ad omnes tam paruulos, quā adultos diriguntur: & aliàs denotant neceſsitatem medij ad ſalutem: quia ſunt ſimilia illis, quibus Chriſtus neceſsitatem baptiſmi commendauit, Ioannis tertio dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: ac proinde, ſicut hæc baptiſmi neceſsitatem medij, ita & illa in Euchariſtia neceſſitatem quoquè medij deſignant. Nec enim eſt cur in vno loco vnam, & in alio diſparem neceſsitatem ſignificent. Nec valet dicere ibi Chriſtum direxiſſe ſermonem ad ſolos adultos verba percipientes: aut quod ſermonem direxit in illis verbis, etiam ad paruulos, ſicut in ſecundo loco loquens de Baptiſmo.

Non inquam valet, quia abſquè fundamento dicitur, Chriſtum ſermonem facere cum ſolis adultis: ſicut ſine fundamento diceretur, tunc tantum loquutum fuiſſe cum præſentibus, quibus loquebatur: maximè, quia ex illo teſtimonio colligunt plures Theologi, ſaltem votum Euchariſtiæ eſſe paruulis neceſſarium medium ad ſalutem.

Nec ſecunda ſolutio eſt ſufficiens, quia ſequeretur ex illa realem ſuſceptionem Euchariſtiæ, ſicut & Baptiſmi eſſe neceſſariam paruulis: quod eſt intentum horum hæreticorum, & à nullo Catholicorum admittitur: ergo.

Secundo poteſt confirmari hæc eadem opinio authoritate Patrum, qui dicta verba Chriſti ad paruulos etiam extendunt: de quorum numero ſunt Cyprianus, libro tertio ad Quirinum, capite 25. Auguſtinus epiſtola 106. & libro primo, contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 22. & libro primo de peccatorum meritis, capite 20. & Cyrillus libro quarto, in Ioannem, capite decimo quarto, vbi ſic habet: *Non poſſunt cum ſanctificatione, vitæ fieri participes, qui per miſticam benedictionem Ieſum non receperunt.* Id ipſum confirmat conſuetudo, quæ aliquando viguit in Eccleſia porrigendi paruulis Euchariſtiam: de qua fit mentio apud Dioniſium libro ſecundo de Eccleſiaſtica hierarchia, capite ſeptimo, apud Cyprianum in ſermone de lapſis, & apud Auguſtinum epiſtola 107. ad Vitalem, de qua ipſe qua ſi tunc temporis vigentē inquit, paruulos redditurosfore rationem in iudicio, quando carnem Chriſti manducauerunt, vel non manducauerunt, quando & ſangui-

nem

Digitized by Google

nem Domini biberunt, & non biberunt: & in Concilio Tridentino, Seſsione 21. canone quarto dicente: Anathema ei, *qui dixerit paruulis, ante quam ad annos diſcretionis peruenerint neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem.* Quibus accedit, quod Diu. Benedictus relatus à Gregorio libro ſecundo dialogorum, capite 24. iuſsit apponi Euchariſtiam, ſupra pectus cuiuſdam paruuli emortui, cuius corpus, ſepulchrũ à ſe proijciebat: & eo facto deinceps non proiecit: ac proinde ſentiebat beatus Benedictus illi paruulo de fuiſſe realem huius ſacramenti ſumptionem, & ob hanc cauſam proijci à ſepulchro, quo ſignificabatur eius animæ proiectio à regno cœleſti.

Tertiò, ſuaderi poteſt ex Concilio Florentino dicente effectum huius ſacramenti eſſe adunationem hominis, ad Chriſtum, & vnionem populi Chriſtiani, cum eodem Chriſto, iuxta illud, quod canit Eccleſia in huius ſacramenti celebritate: *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane, & vno calice participamus:* ſed huiuſmodi vnio fit per gratiam primam ſanctificantem, per quam vnimur, & incorporamur Chriſto: ergo hæc prima gratia eſt effectus per ſe huius ſacramenti: & cum prima gratia ſit omnibus ad ſalutem neceſſaria: conſequens eſt Euchariſtiam in re, vel ſaltem in voto eſſe omnibus hominibus ratione ſui effectus neceſſariam ad ſalutem.

61 Sed his non obſtantibus ſententia negans realem ſumptionem Euchariſtiæ eſſe paruulis neceſſariam ad ſalutem: ac proinde eius votum propriè ſumptum, vtpotè cuius non ſunt capaces; eſt omnino certa: & pro prima parte eſſe certam ſecundum fidem, probatur primo, ex communi omnium, Theologorum conſenſu: nimirum, Auguſtini, epiſtola 23. circa finem, & in dicto libro primo de peccatorum meritis, capite 20. & libro tertio, capite quarto, & in libro ſecundo contra Iulianum, & ſermone vndecimo de verbis domini, Fulgentio de fide ad Petrum, capite 30. & Veda ſuper primã ad Corinthios decimo aſſerentium, quod ſi paruulus decedat cum ſolo Baptiſmo: conſequetur æternam beatitudinem.

Quod eſt manifeſtum ex tribus principijs fidei. Quorum primum eſt Baptiſmum conferre paruulis veram iuſtitiam.

Secundum eſt, paruulos non eſſe capaces peccandi, & amittendi gratiam ſemel receptam in illa ætate.

Tertium eſt, quod perſeuerans in gratia vſque ad mortem conſequetur gloriam: ex his itaquè principijs euidenter colligitur, quod ſi paruulus baptizatus in ea ætate decedat, abſquè reali manducatione Euchariſtiæ, conſequuturum fore vitam æternam: ac per conſequens hoc ſacramentum in re ſuſceptum non eſſe illi medium neceſſarium ad ſalutem.

Secundo probatur, ex ſupra citata diffinitione Concilij Tridentini, Seſsione 21. canone quarto, dicentis: Anathema ei, *qui dixerit paruulis, ante quam ad annos diſcretionis peruenerint neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem.*

Tertio probatur, hac ratione: quia nullum ſacramentum eſt medium neceſſarium ad ſalutem, niſi ex ſui inſtitutione habeat dare aliquem effectum neceſſarium ad ſalutem, cuius per ſe loquendo ſit cauſa vnica: ſed nullus effectus gratiæ neceſſarius ad ſalutem fit in paruulo, cuius per ſe, & adæquata cauſa ſit Euchariſtia: ergo hæc non eſt medium illi neceſſarium ad ſalutem. Maior ſupponitur: & minor probatur, quia paruuli, per baptiſmum aſſequuntur primam gratiam remiſsiuam peccati originalis: & hanc amittere non poſſunt in ea ætate: primæ autem gratiæ reſpondet prima gloria, vt hæreditas: ergo ſi paruuli decedant cum ſola Baptiſmi ſuſceptione, vtramquè ſalutem conſequentur ſine reali manducatione Euchariſtiæ: cuius effectus non eſt prima gratia remiſsiua peccati originalis: nec perſeuerantia in illa: quod ex duplici capite oſtendo. Tum ex decretis Florentini, quod loquens de hoc ſacramento, inquit effectum illius non eſſe primam gratiam, ſed gratiæ augmentum: ait enim, quod per hoc inſumentibus digne gratia augeatur, & Tridentini Seſsione 13. canone quinto, vbi dixit anathema eis, qui aſſeuerant præcipuum fructum huius ſacramenti eſſe remiſsionem peccatorum, & capite ſecundo præmiſſerat dicens: hoc ſacramentum eſſe inſtitutum, tamquam animarum ſpiritualem cibum, quo liberemur à quotidianis culpis, ideſt venialibus, & à peccatis mortalibus præſeruemur, & in Concilio Lateranenſi, capite *firmiter,* ſub Innocentio tertio, dicitur: hoc ſacramentum inſtitutum ad perficiendum myſte-

rium

rium vnitatis, & in eodem ſenſu dixerat in capite *cum Marthæ*, de celebratione Miſſarum rem huius ſacramenti eſſe vnitatem, id eſt perfectionem, & complementum vnitatis.

Tum etiam, quia duo includit donum perſeuerantiæ in gratia ſemel recepta vſque ad mortem: nimirum phiſicum Dei concurſum conſeruantis illam in anima hominis iuſti, & ſpeciale auxilium gratuitum, quo remoueantur peccata, quæ poſſunt gratiam corrumpere.

Ex quibus duobus effectibus. Primus quidem eſt communis, & quaſi ex natura rei debitus ipſi gratiæ, quæ de ſe eſt inamiſsibilis, & numquam ſemel infuſa amittitur, niſi per contrarium expellatur: ac proinde confertur ex vi eiuſdem ſacramenti, per quod ipſa gratia eſt collata. Secundus vero licet ſpecialis ſit, & magnum Dei donum: verumtamen, nec infantes pro eo ſtatu ſunt capaces illius, nec illo indigent: vnde, nec propter gratiæ conſeruationem Euchariſtia realiter ſuſcepta eſt illis neceſſaria ad ſalutem.

62 Deinde pro ſecunda parte, quãuis concluſio noſtra non ſit immediate de fide, ſicut prima, eſt tamen valde certa, & colligitur ex eiſdem principijs per euidentem diſcurſum. Nam licet dicta diffinitio Concilij Tridentini loquatur de reali communione Euchariſtiæ: tamen ſi Euchariſtia eſſet in voto medium illis neceſſarium ad ſalutem, non debuiſſet Eccleſia eis illam negare ſaltem inſtanti morte, quod tamen facit, & merito. Sicut nec alia media quæ ſunt paruulis neceſſaria in re, vel in voto ad ſalutem eis ab Eccleſia denegantur.

Secundò, quia nullum ſacramentum poteſt dici in voto neceſſarium reſpectu illorũ, qui tale votum non poſſunt habere: ſed infantes non poſſunt habere votum huius ſacramenti, ſicut nec deſiderium illius, quamdiù in ea ætate permanent: ergo reſpectu illorum non poteſt eſſe hoc ſacramentum neceſſarium in voto.

Tertiò, quia nullum ſacramentum eſt neceſſarium in voto, niſi quia eius effectus proprius eſt neceſſarius, vt perſpicuum eſt: ſed nullus effectus proprius huius ſacramenti, eſt neceſſarius paruulis: vtpote, quia nec prima gratia, quam accipiunt per baptiſmum, eſt effectus huius ſacramenti Euchariſtię; augmentum autem gratiæ, & perſeuerantia in illa licet ſint effectus huius ſacramenti, tamen prout ab illo cauſantur, nec infantibus ſunt neceſſarij, nec ipſi ſunt eorum capaces, vt diſcurſu iam facto oſtenſum eſt: ergo.

63 Ad primum in contrarium reſpondetur, quod verba illa Chriſti, vel diriguntur ad ſolos adultos, qui reuera hunc panem cœleſtem manducare poſſunt cum debita diſpoſitione, & cum indicatione ſui, quam poſtulat Apoſtolus primæ ad Corinthios 11. Verba autem quæ de baptiſmate protulit Chriſtus, nedum ad adultos, ſed etiam ad paruulos diriguntur, quia omnes verè ſunt capaces ſpiritualis regenerationis. Vel admiſſo, quod verba illa omnes homines, etiam paruulos compræhendant, ſicut verba de Baptiſmo dicta, nihilominus hæc extenſio intelligenda eſt, iuxta ſubiectam materiam, & iuxta diuerſitatem vtriuſquè ſacramenti.

Vnde, quia Baptiſmus eſt neceſſarius, tamquam principium efficiens vitæ ſpiritualis, debet applicari per ſe cum reali ſuſceptione, eò quod principium efficiens realiter debet coniungi cum paſso in quo effectum perducat, quia vero Euchariſtia, tantum eſt neceſſaria ad productionem primæ gratiæ, & primæ gloriæ ei correſpondentis, ad ſummum per modum cauſæ finalis, quæ ad cauſandum effectum ſolum petit eſſe in intentione, ſiue in deſiderio, idcirco ſufficit votum illius, tam paruulis, quàm adultis ad huiuſmodi effectus conſequutionem. Quo autem pacto huiuſmodi votum poſsit eſſe in paruulis ſtatim dicemus.

Ad ſecundum reſpondetur, Patres illos tantum loqui de ſpirituali receptione Euchariſtiæ, quæ fit per ipſius votum, & non de reali receptione. Nec conſuetudo illa porrigendi Euchariſtiam paruulis fuit vniuerſalis, imo nec in aliqua particulari prouincia, aut Eccleſia omni tempore obſeruata, ſed pro aliquo tempore dumtaxat, & hoc non propterea, quod Patres, & prælati exiſtimarent neceſſariam eſſe paruulis realem ſumptionem Euchariſtiæ pro ſalute conſequenda: ſed propter alias pias cauſas, & rationes tunc occurrentes, præſertim, quia hoc facto infideles faciſius à profanis ritibus ſeparabantur, & ad Catholicam Eccleſiam reducebantur. Ob quas etiam ponebatur Euchariſtia in ore, vel ſupra pectus hominis vita functi. Nec non vt ſic proteſ-

tare-

taretur Eccleſia in virtute huius ſacramenti corpora defunctorum decedentium in gratia ad gloriam reſurrectionis fore ſuſcitanda: in quo ſenſu à Concilio Tridentino Seſsione decima tertia, capite ſecundo, vocatur hoc ſacramentum pignus æternæ gloriæ: & ab Eccleſia canitur in eius celebritate: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, &c. & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quod autem attinet ad Auguſtinum, ipſe ſe explicat in dicta epiſtola ad Vitalem dum ſubdit: paruulos credere, & comedere carnem Chriſti per corda, & ora geſtantium, ideſt per Eccleſiam, ſiue per alios, per quos ſicut in Baptiſmo proponunt ſeruare omnia præcepta, pariter proponunt ſeruare præceptum deſumenda Euchariſtia ſuo tempore, quia hoc eſt vnum de præceptis, nedum Eccleſiaſticis, ſed diuinis. Vnde & in eodem ſenſu redituri ſunt in iudicio rationem de ſumpta, vel non ſumpta Euchariſtia.

Hinc quoquè patefit mens Angelici Doctoris, quatenus in hoc articulo, & in alijs infra citandis videtur, nedum adultis, ſed etiam paruulis attribuere votum huius ſacramenti, tamquam neceſſarium ad ſalutem, poteſt enim triplicem habere ſenſum conformem menti Auguſtini, à qua non eſt credendum illum receſsiſſe. Aut enim nomine voti, & deſiderij intelligit illam inclinationem veluti connaturalem gratiæ, ratione cuius ipſa gratia, etiam in paruulis ſuo pondere appetit ſui conſummationem, & perfectam vnionem cum Chriſto, quam efficit Euchariſtia, quę propterea eſt finis aliorum ſacramentorum, ſicut Baptiſmus eſt ianua illorum, & ideò quodammodo dicitur includere votum Euchariſtiæ, ſicut medium appetere dicitur finem, & incoatio ſuam perfectionem: vt interpretatur Caietanus, infra quæſtione 80. articulo duodecimo. Aut propterea paruuli dicuntur per Baptiſmum habere votum Euchariſtiæ, quia ſcilicet accipiunt ius veluti in actu primo ad communicandum corpori Chriſti, ad eum modum, quo ſponſa per matrimonium ratum accipit ius in corpus ſponſi: qui autem habet ius ad aliquam rem, regulariter appetit illius iuris vſum, & conſummationem: ideò Baptiſmus conferendo huiuſmodi ius paruulis, & adultis, dicitur conferre illis votum Euchariſtiæ.

Aut tamdem, quia ad vtramquè ſalutem medium neceſſarium eſt propoſitum, ſeu votum implendi omnia præcepta, vel per actum proprium, vt in adultis, qui indigent hac diſpoſitione ad iuſtificationem, vel per habitum, ſeu per alios, vt in paruulis, qui ſicut habitu dicuntur credere, vel per Eccleſiam: ita, & dicuntur habitu, vel per alios proponere implere omnia præcepta, quorum vnum eſt deſumenda Euchariſtia, & hic ſenſus eſt de mente Auguſtini, in dicta epiſtola 107. ad Vitalem.

Secundus vero, eſt de mente eiuſdem libro tertio de peccatorum meritis, capite quarto, & primus ſatis expræſſus, hic à D. Thom.

Ad tertium iam patet ex dictis, & locis adductis, tum ipſius Concilij Florentini. Tum etiam Tridentini; quod vnitas, ſeu vnio cum Chriſto, quæ eſt proprius effectus Euchariſtiæ non eſt illa, quæ fit per primam gratiam: ſed perfectio, & complementum illius. Aut etiam ad vnatio illa confederationis, & pacis miſtici corporis Eccleſiæ inter eius membra, & cum Chriſto capite, & ſponſo, quam per ſe efficit hoc ſacramentum in ratione ſpiritualis conuiuij: quemadmodum, & corporale conuiuium, ad cuius inſtar hoc ſacramentum fuit inſtitutum, ſpecialem inter conuiuas, & commenſales cauſat amicitiam, & pacis fædus.

64 Deinde, quantum ad ſecundam partem, duæ verſantur ſententiæ Theologorum extremæ, & prima illarum affirmans eſt, quam ſequuntur Rophenſis libro quinto, contra AEcolampadium in procemio, Hoſius Cardinalis libro tertio contra Brentium, & Martinus de Ledeſma, quæſtione decima quarta, articulo tertio aſſerentes, hoc ſacramentum eſſe neceſſarium neceſsitate medij, ſiue finis per ſe loquendo in re ſuſceptum, non minus, quam Baptiſmum, & Pœnitentiam. Quæ probant primo authoritate ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum: nimirum ex illo Ioannis ſexto: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: & iterum, *ſicut miſsit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, ipſe viuet propter me*: in quibus verbis vita ſpiritualis, quæ habetur per gratiam attribuitur, huic ſacramento, & eius reali manducationi, tamquam proprius effectus. Nec non denotatur, quod eadem neceſsitate

viuit homo manducans Chriſtum, propter Chriſtum, qua Chriſtus Filius Dei, propter Patrem: alioquim incongrua eſſet hæc comparatio à Chriſto facta, ſi non eſſet vtrumquè extremum in eodem neceſsitatis genere: Chriſtus autem ſic viuit, & cōſeruatur in vita propter Patrem, vt nullo alio medio poſsit in vita conſeruari: Igitur pariformiter ſuppoſita Chriſti inſtitutione nullus valet conſeruari in vita ſpirituali gratiæ, ſinè reali manducatione huius ſacramenti.

Accedunt teſtimonia Cyrilli Alexandrini, libro decimo in Ioannem, capite decimò tertio, Gregorij Nizeni in oratione de Euchariſtia, & Cypriani in ſermone de Cœna Domini, & Ignatij in epiſtola ad Epheſios: quæ refert Vazquius, diſputatione 169. capite ſecundo, in quibus prædicti patres, docent conſequutionem gloriæ, & vitę inmortalis haberi non poſſe, niſi in virtute huius ſacramenti.

In quo ſenſu etiam videtur dixiſſe Concilium Tridentinum, Seſsione decimatertia, capite ſecundo, hoc ſacramentum eſſe pignus æternæ gloriæ, & inſtitutum fuiſſe, vt antidotum, quo homines liberentur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruentur. Quo more loquendi ſignificatur proprium effectum Euchariſtiæ eſſe perſeuerantiam in gratia. nam eo ipſo, quod homo exiſtens in gratia præſeruetur à mortalibus, perſeuerat in ipſa; effectus autem proprius alicuius ſacramenti vt in re ponatur, petit realem poſsitionem talis ſacramenti: quemadmodum in vniuerſum poſsitio effectus poſtulat realem exiſtentiam, & actionem ſuæ propriæ cauſæ efficientis: vnde idem Concilium, Seſsione 21. capite ſecundo diffiniens; paruulis ante vſum rationis non eſſe neceſſariam ſacramentalem Euchariſtiæ ſumptionem, eo quod in illa ætate non poſſunt amittere gratiam per Baptiſmum receptam: denotat fore illis neceſſariam in ea ætate, in qua iam poſſunt gratiam Baptiſmalem amittere; ac proinde ſentit adultis, qui gratiam receptam perdere poſſunt, neceſſariam eſſe realem Euchariſtiæ manducationem.

Eandem ſententiam confirmant authoritate Angelici Doctoris, qui in hoc articulo, & infra quæſtione 79. articulo primo ad primum, & quæſtione 81. articulo vndecimo, & in quarto diſtinctione octaua, articulo ſecundo; quæſtiuncula prima, & diſtinctione nona, articulo primo, quæſtiuncula ſecunda, & diſtinctione duodecima, quæſtione tertia, articulo ſecundo; quæſtiuncula prima ad primum, abſolutè, & ſinè vllo diſcrimine docet: Euchariſtiam eſſe omnibus hominibus medium neceſſarium ad ſalutem, & perſeuerandum in gratia, non minus, quam Baptiſmum, & Pœnitentiam: certum autem eſt, quod Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt per ſe loquendo media neceſſaria in re ſuſcepta ad ſalutem: & ſi aliquando, & per accidens ob defectum copiæ, ſufficiat eorū votum, ac deſiderium: ergo.

Secundò probant hac ratione: quoniam hoc ſacramentum eſt inſtitutum, vt ſæpè dictū eſt ad modum cibi, & conuiuij materialis: ergo confert eoſdem effectus, & eodem modo quo cibus materialis ſeruata proportione: ſed à cibo materiali prouenit conſeruatio in vita corporali, & taliter quod hæc conſeruatio non detur, niſi cibus iſte re ipſa ſuſcipiatur: ergo ſimiliter conſeruatio in vita ſpirituali erit proprius effectus Euchariſtiæ in re ſuſceptæ, ita vt ſinè hac reali ſumptione non poſſit poni à parte rei. Et certè non facilè reddetur ratio, quare in alijs hoc ſacramentum imitetur cibum corporalem, & non in hoc: ergo aſſerendum eſt neceſſariam eſſe eius realem manducationem ad gratiam, qua viuimus ad vitam ſpiritualem conſeruandam, donec conſumetur per gloriam

65 Sed his non obſtantibus ſecunda ſententia negans realem manducationem Euchariſtiæ eſſe hominibus, etiā adultis neceſſariam neceſsitate medij ad hos effectus: nimirum ad perſeuerantiam in gratia, nedum ad primam gratiam recipiendam, & ad gloriæ conſequutionem, eſt communiter recepta inter Theologos, quam à fortiori tenent illi, qui dicunt hoc ſacramentum tantum eſſe neceſſarium neceſsitate præcepti, infra citandi, nec non & illi qui tenent illud tantum eſſe neceſſarium determinatè in voto, ſeu deſiderio: ac proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur primo. Quia obtineri poteſt huiuſmodi perſeuerantia in gratia, quamuis re ipſa Euchariſtia non ſuſcipiatur; adulti enim morientes cum ſola contritione conſequuntur gloriam: gloria autem conſequi non

valet,

valet, niſi media perſeuerantia in gratia: ergo ad perſeuerandum, etiam finaliter in gratia nõ eſt neceſſaria re ipſa ſumpta Euchariſtia.

Confirmatur, & explicatur amplius, hæc ratio: poteſt aliquis inculpabiliter, ſine tali receptione mori, & ſaluari; vt ſi rite confeſſus, vel contritus repente ſit mortuus, vel non ſumpſit Euchariſtiam, quia non habuit copiam: aut propter periculum vomitus: in his enim caſibus, abſquè dubio hic conſequetur ſalutem ſecundam: ac proinde finalem in gratia perſeuerantiam: ergo &c. Bonus quidem latro gloriam eſt aſſequutus, & tamen hoc ſacramentum realiter non ſuſcepit: igitur ſignum eſt non eſſe neceſſarium in re ſuſceptum ad coniungendam gratiam cum gloria: etenim ſi eſſet Chriſtus Dominus tũc incipiens ſtatuere, & firmare ſuam legem ordinaret, vt aliqua via bonus ille latro communicaret, non enim exiſtimandum, abſquè fundamento eſt diſpenſaſſe cum illo in illa lege.

Secundo probatur alio argumento, quod hanc partem reddit, ita certam, vt oppoſitum, abſquè temeritate ſuſtineri non poſsit: nam ſi infirmus in eadem infirmitate peccet mortaliter poſt primam ſumptionem Euchariſtiæ, per modum viatici, non tenetur ſumere illam ſecunda vice, & ſi ad ſit opportunitas: ergo nec propoſitum illam ſumendi: alias ſi non ſumeret, peccaret mortaliter: quod tamen eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ non cogit ſub præcepto ſumere ſecunda vice in eadem infirmitate: imo prohibet.

Si dicas, quod non tenetur per accidens, quia prohibet Eccleſia. Contra Eccleſia non prohibet vſum medij neceſſarij ad ſalutem: vnde numquam prohibet receptionem Baptiſmi, aut Pœnitentiæ: ſæpe autem in iure prohibet receptionem Euchariſtiæ: ergo ſignum eſt illam nõ eſſe medium neceſſarium, etiam in voto, quod autem in iure multoties fuerit prohibitus vſus Euchariſtiæ, propter aliquod delictum, vel propter aliquam indecentiam: conſtat ex eo, quod prohibitum fuit olim fœminis menſtruatis durante ſanguine menſtruo lege vniuerſali, vel ſatem ſinodica ſumere ſynaxim, & ſimili lege prohibitum fuit Euchariſtiã ſumere coniugatis eo die, quo ſe carnaliter cognouiſſent.

Primæ prohibitionis mentionem facit Dyoniſius Alexandrinus in epiſtola ad Baſilidem, quæ eſt in tertio tomo Bibliotecæ ſacræ, vt habetur in canone ſecundo de menſtruatis mulieribus; & Thimotheus Alexandrinus in reſponſis canonicis, quæ habentur tomo ſexto Bibliotecæ, reſponſo ſeptimo. Et ſecundæ prohibitionis mentionem facit idem Thimothæus reſponſione quinta, & decimatertia. Vnde teſte Balſamone ſuper dicto canone ſecundo, Leo Imperator cognomento *ſapiens*, illam prohibitionem de menſtruatis mulieribus etiam confirmauit: non quia ipſe ad hoc poteſtatem haberet; ſed quia ſtatutum Eccleſiaſticum ſua imperiali lege confirmare voluit. Nec non Auguſtinus, ſermone 244. de tempore mentionem facit alterius legis ſcriptæ, ſeu conſuetudinis receptæ, qua cautum fuit, vt mulieres poſt matrimonium, & eius conſummationem per triginta dies ab ingreſſu Eccleſiæ arcerentur, ibi: *Per triginta dies Eccleſiam ingredi non præſumant.* Quæ tamen leges iam conſuetudine contrariæ ſunt abrrogatæ: tamen initio naſcẽtis Eccleſiæ propter maiorem deuotionem, & reuerentiam erga hoc ſacramentum fidelibus imprimendam, ſatis congruenter inſtitutæ fuerunt.

66 Ad primum in contrarium, reſpondetur ex illis verbis, Ioannis ſexto, tantum colligi poſſe, ac debere neceſſarium eſſe ad ſalutem votum, ſiue deſiderium huius ſacramenti: nec non realem eius ſumptionem adultis neceſſariam eſſe neceſsitate diuini præcepti, & non tantum humani, ſiue Eccleſiaſtici. In eodemquè ſenſu intelligenda ſunt Patrum teſtimonia: ſimiliter mens Concilij Tridentini tantum eſt, quod hoc ſacramentum ſit neceſſariũ ad ſummum in voto, vel deſiderio ad præcauenda peccata: eo quod huiuſmodi votum, etiam in alijs ſacramentis neceſſarijs: nimirum in Baptiſmo, & Pœnitentiæ præſtat totum, quod ſolet præſtare ipſa realis ſacramenti receptio: vel ſolum intendit Concilium excellentiam huius ſacramenti magnificare, in eo quod præ cæteris eſt medium valde vtile, & proficuũ, atque ad melius eſſe requiſitum ad obtinendam à Deo perſeuerantiam in gratia, & auxilium quo homo per vſum, & eius frequentationem à peccatis præſeruetur.

Quantum autem attinet ad Angelicum Doctorem in locis citatis, nihil minus colligitur, quam quod realis vſus huius

ius ſacramenti ſit neceſſarius ſimpliciter, ſiue neceſsitate medij ad prædictos effectus: ſed vel tantum colligitur de eius mente, aut neceſsitas præcepti, aut neceſsitas voti, vel deſiderij, vt dubio ſequenti explicabo.

Ad ſecundum reſpondetur ſenſu, & verbis eiuſdem Angelici Doctoris, hic in ſolutione ad ſecundum, vbi admiſſo antecedenti negat conſequentiam, aſsignans hanc differentiam inter alimentum corporale, & ſpirituale, quod alimentum corporale conuertitur in ſubſtantiã eius, qui nutritur, & ideò non poteſt homini valere ad vitæ conſeruationem, niſi realiter ſumatur: alimentum verò ſpirituale conuertit hominem in ſe ipſum, iuxta vocem illam, quam ex ore Chriſti, ait Auguſtinus libro ſeptimo confeſsionum, capite decimo ſe audiuiſſe in hunc modum: nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me: poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine huius ſacramenti perceptione.

Dubium ſecundum eſt: An ad prædictos effectus ſit neceſſaria Euchariſtia neceſsitate medij, ſaltem in voto determinate?

(?;?)

57 IN hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam ſequuntur Caietanus, hic §. *aduerte*, & Dominicus de Soto in quarto diſtinctione octaua, quæſtione prima, articulo 3 & diſtinctione duodecima, quæſtione ſecunda, articulo vndecimo aſſerentes, hoc ſacramentum eſſe neceſſarium ad vtramquè ſalutem neceſsitate medij, non quidem in re ſuſceptum, ſed in voto, ſeu deſiderio.

Quæ ſuadetur primò, quia videtur eſſe ſententia Angelici Doctoris in locis ſupra citatis, & præſertim in hoc articulo, vbi expreſſe docet rem huius ſacramenti, ideſt effectum non poſſe haberi ſine hoc ſacramento in voto: & de illo affirmat omnino eſſe neceſſarium ad ſalutem: ergo ſentit votum Euchariſtiæ neceſſarium omnino eſſe ad ſalutem, & quamuis apponat diſcrimen inter Baptiſmum, & Euchariſtiam in duobus: nimirum, quod Baptiſmus eſt neceſſarius, tamquam principium vitæ ſpiritualis, & ianua ſacramentorum; Euchariſtia vero tamquam conſummatio vitæ ſpiritualis, & reliquorum ſacramentorum finis. Nec non in eo, quod per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, ac proinde in illo baptizati accipiunt votum, & deſiderium Euchariſtiæ: ſed non è contra, ſed nõ in eo quod votum huius ſacramenti non ſit neceſſarium. Et idem docet D. Thom. infra quæſtion. 79. articul. 1. dum ait hoc ſacramentum ex ſe ipſo virtutem habere conferendi gratiam: nec enim aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem huius ſacramenti, vel eius votum, quod habent adulti per ſe ipſos, & paruuli per Eccleſiam. Nec valet dicere, quod ex hoc ſequatur Euchariſtiam eſſe æquè neceſſariam, atquè Baptiſmum, & Pœnitentiam, ſiquidem Baptiſmus, & Pœnitentia non requiruntur determinate in re, ſed ſufficiunt in voto.

Nam Baptiſmus, & Pœnitentia per ſe loquendo requiruntur in re: per accidens verò, ſi non adſit copia, ſufficiunt in voto: Euchariſtia autem ad primam gratiam, & perſeuerandum in illa, non requiritur per ſe in re ſuſcepta, niſi tantum in voto determinate: licet ad conferendum augmentum gratiæ ſit neceſſaria ſub diſiunctione in re, vel in voto, aut etiam poteſt dici, quod Euchariſtia poteſt conſiderari dupliciter: nimirum, vel pro vt in re exiſtens & cauſans in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis nutritionem ſpiritualem, vel quatenus eſt finis, & conſummatio vitæ ſpiritualis, & aliorum ſacramentorum: & quidem licet primo modo non ſit neceſſaria neceſsitate medij, etiam in voto, vt potè; quia votum illius, vt ſic non eſt neceſſarium magis, quam votum cuiuſcumquè alterius præcepti incluſſum in propoſito ſeruandi totam legem: bene tamen eſt neceſſarium votum illius in ſecunda conſideratione: ac proinde conſtans eſt diſcrimen aſſignatum à Diuo Thoma, inter hoc ſacramentum ex vna parte, & Baptiſmum, ac Pœnitentiam ex alia: quod hoc per modum finis tantum eſt neceſſarium in voto:

illa

illa vero ſunt neceſſaria in re, vel in voto, per modum cauſæ efficientis.

Secundo probatur ex dicto teſtimonio Ioannis 6. in quo aliqua neceſsitas medij inſinuatur, & cum alias dictum ſit non contineri neceſsitatem realis manducationis, erit neceſsitas manducationis ſpiritualis, per votum, ſeu deſiderium huius ſacramenti, ſicquè ex dicto teſtimonio illam colligunt Innocentius primus, in epiſtola 26 ad Patres Concilij Mileuitani, vbi damnãs hæreſim Pellagianam, ſic inquit: *Illud verò, quod veſtra fraternitas dicit eos aſſerere, paruulos etiam ſine Baptiſmatis gratia, æternæ vitæ præmijs donari poſſe, fatuum eſt, niſi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius ſanguinem, non habebunt vitam in ſe ipſis, &c.* Et Auguſtinus epiſtola 106. & lib. 1. contra Iulianum, cap. 4. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pellagianorum, cap. 4. vbi referens prædictum Innocentij decretum inquit, fuiſſe Apoſtolicã diffinitionem neceſsitatis Baptiſmi, atquè Eucharistiæ, & lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſsione, cap. 20. ſubdit hoc teſtimonium Ioannis inducere neceſsitatem ſacramenti ſanctæ menſæ Dominicę, ideſt Euchariſtiæ ad conſequendam primam gratiam, tam reſpectu paruulorum, quam reſpectu adultorum. *Non minus, quam illud ſi quis renatus fuerit, &c.* commendat neceſſitatem baptiſmi: & eandem doctrinam repetit in epiſtola ad Bonifacium, quæ refertur in cap. *verum* de conſecratione, diſt. 4. cuius meminit D. Thom. hic ad primum, & lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 4. ergo iuxta interpretationem Innocentij, & Auguſtini dictum teſtimonium Ioannis importat neceſsitatem medij in Euchariſtia reſpectu omnium ad primam gratiam obtinendam.

Tertiò probatur, hac ratione, hoc ſacramentum ex ſui inſtitutione cõtinet verè, & realiter Chriſtum Dominum fontem totius gratię, de cuius plenitudine omnes accipimus: & ideò eſt finis omnium ſacramentorum, & præcipuè Baptiſmi, ac Pœnitentiæ: quæ cum cauſant vitam ſpiritualem, opportet vt ſpecialiter ordinentur ad eius conſummationem factam, vel faciendam per Euchariſtiam: hinc etiam habet pro effectu incorporationem, & vnitatem cum Chriſto capite, & cum reliquis membris Eccleſiæ: vt ſatis indicatur in illa parabola Euangelij, Lucæ 14. & Matthæi 22. vbi vocati, & admiſsi ad fidem per gratiam Chriſti dicuntur vocati ad prandiũ, & cœnam, ideſt Euchariſtiam: ergo votum illius ſaltem implicitum conſiderati, ſub iſtis tribus rationibus: nimirum finis, & conſummationis ſacramentorum, præſertim Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & in quãtum cauſa miſticæ vnionis eſt neceſſariũ neceſsitate medij omnibus hominibus ad conſequendam primam ſalutem.

Conſequentia patet, quia ſine intentione deſiderio, vel voto ſaltem implicito finis non poſſunt elligi, aut executioni mandari ea, quæ à tali fine dependent: ſed neceſſarium omnino eſt, quod finis, prout in voto, & intentione influat in talem electionem, vel executionem: ergo repugnabit, quod Baptiſmus, ſiue Pœnitentia elligantur, vel ſuſcipiantur in re, aut in voto, ad conferendam primam gratiam, quin ibi interueniat influxus Euchariſtiæ in genere cauſæ finalis ad talem effectum primæ gratiæ: nec non ad cauſandam miſticam vnionem cum Chriſto, ſine qua nulla poteſt eſſe ſalus in Eccleſia.

Quæ ratio amplius confirmatur, & declaratur in hunc modum: Baptiſmus reſpicit Euchariſtiam, vt finem, & conſummationem, & vt cauſantem in genere cauſæ finalis gratiam regeneratiuam: prout mediante ipſa vnimur, & incorporamur Chriſto, & membris Eccleſiæ: ergo in ipſo Baptiſmo, & in eius effectu includitur neceſſario ordo ad Euchariſtiam, vt ad finaliter cauſantem: ac proinde repugnat, quod in re, vel in voto ſuſcipiatur Baptiſmus, & ponatur in re eius effectus, quin concurrat ad illum Euchariſtia per ſe in genere cauſæ finalis.

Et hæc ratio ſic explicata videtur eſſe Angelici Doctoris, & motiuum Innocentij, ac Auguſtini, vt teſtimonium prædictum Ioannis in ſenſu adducto interpretarentur.

Secunda ſententia negans eſt: quam ſequuntur Alexander in 4. quæſtion. 11. membro 2. art. 4. §. 2. Bonauentura, diſt. 18. part. 2. art. 2. quæſt. 1. Durandus ibidem, diſtinction. 9. quæſtion. 2. Paludanus, quæſt. 1. art. 1. Gabriel ibidẽ Petrus de Soto, lib. de inſtitutione ſacerdotum, lectione octaua de Euchariſtia. Vigerius de inſtitutionibus Theologicis, capite decimo ſexto, §. 3. Suarius hic diſputatione 40. quæ eſt tertia de Euchariſtia,

ſectio-

ſectione 2. & Vazquius diſputation. 196 cap. 3. aſſerentes hoc ſacramentum tantum eſſe neceſſarium neceſsitate præcepti: quod præceptum tantum eſſe Eccleſiaſticum exiſtimarunt Alexander, & Bonauentura: cæteri vero ſentiunt illud diuinum eſſe.

Et quia hæc veritati, ac Diuo Thomæ eſt conformior, ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et ſuadetur primo, quia eſt expreſſa Angelici Doctoris ſupra quæſtione 65. articulo 4. vbi aſſeria tria tantum ſacramenta eſſe neceſſaria neceſsitate medij, ſiue finis ad ſalutem, nimirum baptiſmum abſolutè, & Pœnitentiam ex ſuppoſitione peccati actualis, & Ordinem. Duo quidem priora pro ſingulis hominibus. Tertium vero pro tota Eccleſiæ communitate, & Ioannis ſexto lectione 7. & in hoc articulo tertio: vbi ad propoſitam quæſtionem: vtrum Euchariſtia ſit de neceſsitate ſalutis? Reſpondet negatiuè, poſt quam propoſuerat rationes dubitandi pro parte affirmatiua: cum tamen dum ſimiles quæſtiones proponat de Baptiſmo, & Pœnitentia queſt. 98. artic. 2. & quæſt. 84. artic 5. reſpondet affirmatiue ſoluendo rationes in contrarium factas: cuius tamen oppoſitum agit in hoc aritcul. & tamen non diuerſum modũ procedendi in illo haberet, ſi eandem reſolutionem ſequi deberet: eſt etiam expreſſa Laurentij Iuſtiniani in lib. de obedientia capit. 54. & Ianſeni. capit. 59. concordiæ.

Secundo, quia nullus effectus correſpondet Euchariſtiæ, ſine quo non poſſit eſſe vtraque ſalus, nimirum prima gratia, & conſequtio gloriæ: ergo nullatenus eſt neceſſaria in re, vel in voto ad vtramque ſalutem. Conſequentia eſt nota ex dictis.

Antecedens autem probatur dupliciter. Tum, quia tota gratia regeneratiua, & remiſiua datur in virtute ſolius Baptiſmatis: tota quoque gratia ſanatiua à peccatis actualibus comiſsis poſt baptiſmum datur in virtute pœnitentiæ: ergo nullum effectum talem tribuit Euchariſtia.

Tum etiam, quia aliàs præcipuus effectus, ſiue fructus Euchariſtiæ eſſet remiſsio peccatorum mortalium: & tamen aſſerenti, hoc dicitur anathema in Tridentino ſeſsione 13. canon quinto.

Si reſpondeas, ipſammet gratiam regeneratiuam, vel ſanatiuam eſſe effectum duplicis ſacramenti, nimirum baptiſmi, ſiue pœnitentiæ in genere cauſæ efficientis: Euchariſtiæ vero in genere cauſæ finalis, & ratione huius eſſe medium neceſſarium, licet gratia cibans ſit effectus ſolius Euchariſtiæ, in genere cauſę efficientis inſtrumentalis.

Contra hanc ſolutionem inſurgo tripliciter. Primo, quia quoties votum alicuius ſacramenti eſt neceſſarium neceſsitate medij ad ſalutem, etiam cadit ſub præcepto illud recipere in re, quando adeſt opportunitas: vt conſtat ex aſsignato diſcrimine initio dubij pręcedentis inter ea quæ neceſsitate medij, & ea quæ neceſsitate ſolius præcepti ſunt neceſſaria: atqui non tenetur quis Euchariſtiam in re ſumere etiam habita opportunitate, ſed eam poteſt differre: ergo.

Secundo idem patet exemplo adducto infirmi, qui poſt primam ſumptionem Euchariſtiæ in eadem infirmitate per modum viatici, licet peccatum mortale committat, nec tenetur ſumere illam ſecunda vice etiam ſi adſit oportunitas: & conſequenter nec tenetur habere propoſitum illam ſumendi: ergo.

Tertio, quia Euchariſtia non magis cauſat per modum finis gratiam Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quam gratiam confirmationis, & Extremæ vnctionis: quia pariter ſecundum doctrinam Angelici Doctoris eſt finis communium Sacramentorum: & tamen non ideò dicitur medium neceſſarium, quia finalizat has gratias: ergo nec quia finalizat illas. Sed quoniam gratia Baptiſmi, & gratia pœnitentiæ ſunt remiſsiue peccatorum, ſecundum quam rationem cauſantur à ſolis ſacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ: propter tantum ſequitur hæc duo ſacramenta eſſe neceſſaria neceſsitate medij, & non Euchariſtiam.

96 Ex quibus ad primum pro priori ſententia reſpondetur, quod votum aſsignatum à Diuo Thoma huius ſacramenti tamquam medium neceſſarium ad ſalutem omnibus hominibus; aut eſt illud pondus, & inclinatio gratiæ *Ad fundamenta prioris ſententiæ.*

gratiæ regeneratiuæ, vel ſanatiuæ ad ſui conſummationem & finem: aut eſt ius veluti in actu primo, quod huiuſmodi gratia tribuit ad ſacramentalem manducationem Euchariſtiæ. Aut eſt generale propoſitum ſeruandi totam legem, in quo includitur votum, ſiue propoſitum implendi hoc præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia ſuo tempore. Quod quidem propoſitum paruuli habent per Eccleſiam, ſiue per alios: adulti vero per ſe ipſos tenentur habere, vt ſatis ſe explicat D. Thomas in corpore huius articuli.

Nec oppoſitum potuit ſentire in locis adductis ex quarto ſententiarum, vtpote in quibus tantum agnouit in hoc ſacramento neceſsitatem præcepti Eccleſiaſtici: ſublato autem præcepto diuino nō poteſt aliquod ſacramentum eſſe medium neceſſarium ad ſalutem: ergo nec hanc neceſſitatem poterat tribuere Diuus Thomas huic ſacramento, quando ei negabat neceſſitatem diuini præcepti.

Ad ſecundum reſpondetur ex illo Ioannis teſtimonio tantum colligi neceſsitatem diuini præcepti. Nec aliud intendit Innocentius primus in ſuo decreto, quam id, quod conſtat fuiſſe de mente Auguſtini eius interpretis. Mens autē Auguſtini ſatis explicatur à Diuo Thoma hic in ſolutione ad primū dicēte, quod ſicut Auguſtinus dicit exponens illud verbum Ioannis. Hunc cibum & potum, ſcilicet carnis ſuæ, & ſanguinis ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & iuſtificatis, & glorificatis Sanctis, & fidelibus eius: vnde ſicut ipſe dicit in epiſtola ad Bonifacium, nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis, ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in baptiſmate mēbrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio, etiā antequam panem illum comedat, & calicē bibat de hoc ſæculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. In quibus verbis tria haut obſcure adſtruit D. Thomas, ſcilicet per hunc cibum, & potum nō ſacramentum ipſum, ſed eius effectum, nimirum vnitatem, & ſocietatem membrorum Eccleſiæ intelligi, & quod huius cibi, & potus fit particeps homo, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur: nec eius conſortio priuatur etiam ſi abſcedat ſine reali eius manducatione. Quod eſt noſtrum intentum.

Ad tertium admiſſo antecedēte, nego conſequentiam. Ad confirmationem autem negandum eſt antecedens, nec ab aduerſarijs vlla via probatur.

ART. IV.

Vtrum conuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod inconueniēter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent reſpōdere rebus. Sed hoc ſacramentum eſt vnum, vt dictum eſt†. Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

inf. q. 79. a. 2. ad 1. & 4. d. 8. q. 1. art. 1. q. 4.

** ar. 2. huius q.*

2 Præterea, Species non notificatur conuenienter per id, quod eſt commune toti generi. Sed Euchariſtia eſt ſacramentum nouæ legis. Omnibus autem ſacramentis commune eſt, quod in eis confertur gratia, quod ſignificat nomen Euchariſtiæ, quod eſt idem quod bona gratia. Omnia etiam ſacramenta remedium nobis afferunt in via præſentis vitæ: quod pertinet ad rationem viatici. In omnibus etiam ſacramentis fit aliquid ſacrum: quod pertinet ad rationem ſacrificij. Et per omnia ſacramenta ſibi inuicem communicant

municāt fideles: quod ſignificat hoc nomen ſynaxis in Græco, vel communio in Latino. Ergo hæc nomina non conuenienter adaptantur huic ſacramento.

3 Præterea, Hoſtia videtur eſſe idem quod ſacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur ſacrificium, ita nec proprie dicitur hoſtia.

Sed contra eſt, quod vſus fidelium habet.

Reſpondeo dicendum, quod hoc ſacramentum habet triplicem ſignificationem. Vnam quidem reſpectu præteriti: in quantum ſcilicet eſt commemoratiuum Dominicæ paſsionis, quæ fuit verum ſacrificiū, vt ſupra dictum eſt *: & ſecundum hoc nominatur ſacrificium. Aliā autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſcilicet Eccleſiaſticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc ſacramentum: & ſecundum hoc nominatur cōmunio, vel ſynaxis. Dicit enim Damaſc. *. 4. lib. quod dicitur communio, quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carne, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipſam. Tertiam ſignificationem habet reſpectu futuri: in quantum ſcilicet hoc ſacramentum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et ſecundum hoc dicitur viaticum: quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Et ſecundum hoc etiam dicitur Euchariſtia, ideſt bona gratia: quia gratia Dei vita æterna (vt dicitur Roman. 6.) Vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia. Dicitur etiam in Græco metalepſis, ideſt aſſumptio: quia vt Damaſc. * dicit, per hoc filij deitatem aſſumimus.

q. 48. ar. 3

lib 4. ort. fid c. 14. à med.

lib. 4. ort. fid. c. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari, ſecundum diuerſas proprietates, vel effectus.

Ad ſecundum dicendū, quod id quod eſt commune omnibus ſacramentis, attribuitur antonomaſtice ei propter eius excellentiam.

Ad tertium dicendum, quod hoc ſacramentum dicitur ſacrificiū, in quantū repreſentat ipſam paſsionem Chriſti. Dicitur autem hoſtia in quantum continet ipſum Chriſtū, qui eſt hoſtia ſalutaris: vt dicitur Epheſ. 5.

70 Concluſio eſt, quod congruēter hoc ſacramentum tribus ſpecialibus nominibus appellatur, propter triplicē reſpectum quem habet. Nam quatenus habeat reſpectum ad præteritam Chriſti paſſionem, cuius eſt commemoratiuum, dicitur ſacrificium: quatenus vero reſpicit rē præſentem, ſcilicet Eccleſiaſticam vnitatē, dicitur communio, vel ſynaxis. Et tandem quatenus ſignificat futuram gloriam, nominatur viaticum, quia præbet nobis viam perueniendi in patriam, & ſecundum hanc ſignificationem etiam dicitur Euchariſtia, ideſt bona gratia, quia gratia eſt ſemen gloriæ: vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia. Concluditque Diuus Thomas in calce corporis etiam à Græcis dici metalepſim, ideſt aſſumptionem, quia teſte Damaſceno lib. 4. fidei orthodoxæ per hoc ſacramentum deitatem verbi aſſumimus.

Pro horum nominum declaratione plura nobis dicenda ocurrerent concionatoribus, & expoſitiuis Doctoribus propria, quia tamen ab inſtituto Scholaſtici interpretis aliena, aut minus propria: conſulto relinquimus, ne falcem in alienam meſſem mittamus: ſi tamen vnum, aut alterum teſtimonium ſacræ Scripturæ, & Patrum in maiorem dictorum nominū declarationem, & huius ſacramenti excellentiæ commendationem expendamus.

Igitur *Euchariſtia*, dicitur propter duo. Tum, quia idem eſt, atque bona gratia, quam cauſat digne ſuſcipientibus hoc ſacramentum: vnde Matthæi 26. & primę ad Corinthios 11. dum dicitur de Chriſto, *quod accepit panem in manus ſuas, & gratias agens*, legitur in Græco *Euchariſticans*.

Tum etiam, quia hoc nomen apud antiquos maxime Palleſtinos *Euchariſtia*, ſignificabat funebre conuiuium, quod in defunctorum exequijs celebrabant, vt referunt Polidorus lib. 4. de rerum inuentione, & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. ſumpta ethymologia ab officio chari, ſeu charitatis, quia huiuſmodi conuiuium funebre erat officium charitatis viuorum erga parentes, conſanguineos, vel amicos vita functos. Cui conſuetudini volens Chriſtus Dominus ſe conformare conuiuium quoque hoc ſui corporis & ſanguinis veluti funebre è mundo diſceſſurus cũ ſuis diſcipulis, & amicis celebrauit in ſignum ſuæ erga illos charitatis: nam cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: quod propterea congruenter Euchariſtia nuncupatur.

Maxime, quia ſolis amicis, & coniunctis Chriſto per charitatem eſt proprium, vt notat Abbas Paſchaſius lib. de corpore & ſanguine Chriſti cap. 10. dicẽs, qui cibus non niſi ſolis amicis, & fratribus porrigitur: vnde ſponſus Canticorum 5. ſic adhortatur: *Commedite amici, & inebriamini chariſsimi.* De alia vero nomenclatura, ſcilicet, *pignus hæreditatis æternæ*, quæ huic ſacramento tribuitur ob eandem ſignificationem futuræ gloriæ: ſic enim illud appellat Tridentina Synodus in loco ſupra citato, & Eccleſia in ſolemni huius ſacramenti feſtiuitatis officio. Et Diuus Thomas opuſculo 58. capit. 21. de illo, & eius effectibus, ſic inquit: *Tria operatur: primo peccata purgat: ſecundo virtutẽ roborat: tertio in vitam æternam reſuſcitat:* conſonat Guitmandus Archiepiſcopus Aberſanus lib. 2. de veritate Euchariſtiæ, dicens: *Per hanc quoque vitia expellimus, per hanc nos in noua vita confirmari confidimus, per hanc poſt modum perfectos ad regnum æternum nos aſcenſuros ſperamus.* Et Matthæus Epiſcopus Vbermacenſis, dum ait: *Redemptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ iucunditatis amabile præludium, arra ſponſæ, iocale diuinum cœlitus ei donatum, Eccleſiæ militantis cum triumphante ſuaue glutinum, & vnio fraterna: dum eam dulcedinem, qua illa fruitur ſine velamento, iſta habet ſub ſacramento: & ſi illa cœleſtis Hieruſalem habet Deum ſuum iocundius, iſta in terra militans habet eum mirabilius.*

Faciũt quoque ad maiorem explicationem, & excellentiam illius nominis *Sacrificium*, quod ſignificat reſpectum quem hoc ſacramentum habet ad præteritam Chriſti paſsionem, & cruentum eius in cruce ſacrificium, illa verba, quæ habet Gaudentius Epiſcopus Brixienſis tomo ſecundo Bibliotecæ tractatu ſecundo de manducatione agni Paſchalis: *Nam vere iſtud* (inquit ille) *eſt hæreditarium munus teſtamenti eius noui, quod vobis ea nocte qua tradebatur crucifigendus, tamquam pignus ſuæ præſentiæ reliquit, hoc eſt illud viaticum noſtri itineris, quo in hac via vitæ alimur, ac nutrimur donec ad ipſum pergamus de hoc ſæculo recedentes: voluit enim beneficia ſua permanere apud nos, voluit animas præcioſo ſanguine ſuo ſemper ſanctificari per imaginem propriæ paſsionis: vt exemplar paſsionis Chriſti ante oculos habentes, quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam ſumentes, ac pectore, redẽptionis noſtræ indelebili memoria teneamur, & contra venena diaboli dulce medicinæ ſerpẽtinæ tutamen conſequamur, ſicut Spiritus ſanctus hortatur: guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.*

Igitur propter huiuſmodi tres reſpectus, & ſignificationes, quas habet hoc mirabile ſacramentum, nimirum præteritæ paſsionis Chriſti, cuius eſt imago in locum ſui prototypi ſubrogata, præſentis vnitatis membrorum Eccleſiæ, & futuræ gloriæ, prædictis nomenclaturis conuenienter appellatur, quæ & eius excellentias, & effectus pariter declarant, & ſatis à perſe commendant.

ART.

ART. V.

Vtrum inſtitutio huius ſacramenti fuerit conueniens?

Inf. q. 74. a. 4. co. & ad 1. & q. 80. a. 8. ad 1. & 4. d. 8 q. 1. ar. 3. & 1. Cor. 11 le. 4 co 4. & le ăi 5. co x fin.

** li. 2. te. 50. to. 1.*

† p. 1. ame.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens inſtitutio iſtius ſacramenti. Vt enim Philoſophus dicit * in 2. de generatione, Ex eiſdē nutrimur, ex quibus ſumus. Sed per baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio, accipimus eſſe ſpirituale: vt Dionyſ. † dicit 2. cap. Eccleſ. hier. Ergo per baptiſmum etiā nutrimur. Non ergo fuit neceſſarium inſtituere hoc ſacramentum, quaſi ſpirituale nutrimentum.

2 Præterea, Per hoc ſacramentum homines Chriſto vniuntur, ſicut membra capiti. Sed Chriſtus eſt caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, vt ſupra dictum eſt †. Ergo non debuit inſtitutio huius ſacramenti differri vſque ad cœnam Domini.

† q. 8.

3 Præterea, Hoc ſacramentum dicitur eſſe memoriale Dominicæ paſsionis, ſecundum illud Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Sed memoria eſt præteritorum. Ergo hoc ſacramentum non debuit inſtitui ante Chriſti paſſionem.

4 Prȩterea, Per baptiſmum aliquis ordinatur ad Euchariſtiam, quæ non niſi baptizatis dari debet. Sed baptiſmus inſtitutus fuit poſt Chriſti paſsionem & reſurrectionem: vt patet Matth. vlt. Ergo inconuenienter hoc ſacramentum fuit ante paſsionē Chriſti inſtitutum.

Sed contra eſt, quod hoc ſacramentum eſt inſtitutum â Chriſto: de quo dicitur Marc. 7. Bene omnia fecit.

Reſpondeo dicendum, quod conuenienter hoc ſacramentum inſtitutum fuit in cœna, in qua ſcilicet Chriſtus vltimo cum ſuis diſcipulis fuit conuerſatus. Primo quidem, ratione continentiȩ huius ſacramenti. Continetur enim ipſe Chriſtus in euchariſtia ſicut in ſacramento. Et ideo quando ipſe Chriſtus in propria ſpecie â diſcipulis diſceſſurus erat, in ſacramentali ſpecie ſeipſum eis reliquit: ſicut in abſentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Euſebius Emiſſenus dicit *, Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſideribus, neceſſe erat vt die cœnȩ ſacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret nobis, vt coleretur iugiter per myſterium quod ſemel offerebatur in pretium. Secundo, quia ſine fide paſsionis Chriſti numquam potuit eſſe ſalus, ſecundum illud Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Et ideo oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid repreſentatiuum Dominicæ paſsionis. Cuius in veteri quidem teſtamento præcipuum ſacramentum erat agnus Paſchalis: vnde & Apoſt. dicit 1. Corinth. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Succeſsit autem ei in nouo teſtamento Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt rememoratiuum præteritæ paſsionis, ſicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideo conueniens fuit vt imminente paſsione, celebrato priori ſacramēto, nouū ſacramētū inſtitueret. Vnde Leo Papa dicit *, quod vmbræ cederēt corpori antiqua obſeruātia nouo excluditur ſacramēto: hoſtia in hoſtiā trāſit, ſan-

** Habetur de conſ. d. 4. c. quia corpus aſſumptum, hom. 4. in Paſcha Domin. non longè à princ.*

** Inſer. 7. de paſs. Dom. inter princ. & med.*

guine ſanguis auſertur, & regalis feſtiuitas, dum mutatur, impletur. Tertio, quia ea quæ vltimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur: præſertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Eo vero, ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur (vt B. Alex. * Papa dicit) nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt: ideo vt in maiori veneratione haberetur, Dominus in vltimo diſceſſu ſuo à diſcipulis hoc ſacramentum inſtituit. Et hoc eſt quod Auguſt. * dicit in lib. reſponſ. ad Ianuar. Saluator, quo vehementi⁹ commendaret myſterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſsionem digreſſurus erat.

Alex. I. in epi. ad omnes orth. à med. illius to. 1. cõcil. in ep. 108. c. 6. à medio to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus, non tamen eodem modo nobis aduenientibus. Nam ea ex quibus ſumus, nobis adueniunt per generationem: eadem autem in quantum ex eis nutrimur, nobis adueniunt per manducationem. Vnde & ſicut per baptiſmum regeneramur in Chriſto, ita per euchariſtiam manducamus Chriſtum.

Ad ſecuudum dicendū, quod euchariſtia eſt ſacramentum perfectum Dominicæ paſsionis, tamquā continens ipſum Chriſtum paſſum: & ideo non potuit inſtitui ante incarnationem. Sed tunc habebant locum ſacramenta, quæ erant tantū præfiguratiua Dominicæ paſsionis.

Ad tertium dicendum, quod ſacramentum iſtud fuit inſtitutum in cœna, vt in futurum eſſet memoriale Dominicæ paſsionis, ea perfecta. Vnde ſignanter dicit, Hæc quotieſcūq; feceritis, de futuro loquēs.

Ad quartum dicendum, quod inſtitutio reſpondet ordini intentionis. Sacramentum autem Euchariſtiæ, quamuis ſit poſterius baptiſmo in perceptione, eſt tamen prius in intentione: & ideo debuit prius inſtitui. Vel poteſt dici, quod baptiſmus iam erat aliqualiter inſtitutus in ipſo Chriſti baptiſmo. Vnde & iam aliqui ipſo Chriſti baptiſmo erant baptizati, vt legitur Ioan. 3.

7 RESolutio articuli eſt hæc: conuenientiſsima fuit inſtitutio huius ſacramenti in cœna propter tres rationes.

Prima, quia continet Chriſtum: & ideo quando ipſe Chriſtus in propria ſpecie erat diſceſſurus à diſcipulis: opportuit, vt in ſacramenti ſpecie ſe ipſum illis relinqueret, ſicut in abſentia Imperatoris, vel ſponſi relinquitur filijs, & affectis domeſticis eius imago, quæ abſentem repreſentet. Quæ ratio deſumitur ex prima ſignificatione quam habet hoc ſacramētum reſpectu præteritæ paſsionis Chriſti.

Secunda, quia cum ſine fide paſsionis Chriſti numquam fuerit ſalus, opportuit omni tempore apud homines eſſe aliquod repreſentatiuum Dominicæ paſsionis: cuius in veteri lege fuit agnus paſchalis: huic autem ſucceſsit in noua lege Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt præteritæ paſsionis rememoratiuum: vnde & imminente paſsione, celebrato priori ſacramento agni paſchalis, debuit hoc nouum inſtitui. Quæ ratio etiam procedit ex eadem radice ex qua prima.

Tertia deſumitur ex congruentia quadam humana, quia ea quæ vltimo dicūtur ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, & profundius eorum animis imprimuntur: vnde ſaluator noſter, vt vehementius huius myſterij altitudinē diſcipulis commendaret, voluit hoc vltimum eorum cordibus infigere.

ART.

ART. VI.

Vtrum agnus Paſchalis fuerit præcipua figura huius ſacramenti?

infra.q.80. ar.10.ad 2 & 4.ad 8. q.1.a.2.& diſ.12.q.3 a.1.q.3.ad 2.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod agnus Paſchalis non fuerit præcipua figura huius ſacramenti. Chriſtus enim dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, propter hoc, quod Melchiſedech geſsit figuram ſacrificij Chriſti, offerens panem, & vinum. Sed expreſsio ſimilitudinis facit quod vnum ab alio denominetur. Ergo videtur quod oblatio Melchiſedech, fuerit potiſsima figura huius ſacramenti.

2 Præterea, Tranſitus maris rubri fuit figura baptiſmi, ſecundum illud 1. Corint. 10. Omnes baptizati ſunt in nube, & in mari. Sed immolatio agni paſchalis præceſsit tranſitum maris rubri, quem ſubſecutum eſt manna, ſicut euchariſtia ſequitur baptiſmum. Ergo manna eſt expreſsior figura huius ſacramẽti, quã agnus Paſchalis.

3 Præterea, Potiſsima virtus huius ſacramenti eſt, quod introducit nos in regnum cœlorum, ſicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime præfiguratum fuit in ſacramẽto expiationis, quando Pontifex intrabat ſemel in anno cum ſanguine in ſancta ſanctorum: ſicut Apoſtol. probat Hebr. 9. Ergo videtur, quod illud ſacrificium fuerit expreſsior figura huius ſacramenti, quam agnus Paſchalis.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit 1. Corinth. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſynceritatis, & veritatis.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc ſacramento tria conſiderare poſſumus, ſcilicet id quod eſt ſacramentum tantum, quod eſt panis, & vinum: & id quod eſt res & ſacramentum, ſcilicet corpus Chriſti verum, & quod eſt res tantum, ſcilicet effectus huius ſacramenti. Quantum igitur ad id quod eſt ſacramentum tantum, potiſsima figura fuit huius ſacramenti oblatio Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum. Quantum autem ad ipſum Chriſtum paſſum, qui continetur in hoc ſacramento, figuræ eius fuerunt omnia ſacrificia veteris teſtamenti: præcipuè ſacrificium expiationis, quod erat ſolemniſsimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua eius figura manna: quod habebat in ſe omnis ſaporis ſuauitatem (vt dicitur Sapient. 16) ſicut & gratia huius ſacramenti, quantum ad omnia reficit mẽtem. Sed agnus Paſchalis quantum ad hæc tria, præfigurabat hoc ſacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, ſecundum illud Exodi 12. Edent carnes, & azymos panes. Quantum verò ad ſecũdum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſrael decimaquarta luna, quod fuit figura paſsionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum vero ad effectum, quia per ſanguinem agni Paſchalis protecti ſunt filij Iſrael à deuaſtante angelo, & educti de Aegyptiaca ſeruitute. Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura huius

Digitized by Google

ſacramenti, agnus paſchalis: quia ſecundum omnia ipſum repreſentat.

Et per hæc patet reſponſio ad obiecta.

72 RESolutiò eſt, quod agnus paſchalis fuerit præcipua figura huius ſacramenti: eo quod repreſentauit illud quantum ad omnia quæ in hoc ſacramento reperiuntur: hoc eſt quantum ad ſacramentum tantum, quod ſunt ſpecies panis, & vini: quia præfigurabat illud quatenus manducatur cum panibus azymis: etiam præfigurabat illud, quod eſt res & ſacramẽtum ſimul, ſcilicet corpus Chriſti verum: quatenus immolabatur per totam multitudinem filiorum Iſrael quartadecima luna, quod fuit figura paſsionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur agnus. Necnon præfigurabat rem tantum, huius ſacramenti, ſcilicet eius effectum, quatenus per ſanguinem illius agni paſchalis protecti fuere filij Iſrael ad euaſtante Angelo, & educti de AEgyptiaca ſeruitute. Quamuis autem aliæ fuerint olim figuræ huius ſacramenti, quia tamen illud repreſentabant, vel quantum ad ſacramentum tantũ, vt oblatio Melchiſedech, vel quantum ad ipſum Chriſtum contentum, vt ſacrificia veteris teſtamenti, vel quantum ad effectum eius dumtaxat, vt manna, quod habebat in ſe omnis ſaporis ſuauitatem: & ſolus agnus paſchalis illud ſecundum omnia prægurauit: propterea dicitur fuiſſe præcipua figura huius ſacramenti.

Vnde merito Paulus primæ ad Corinthios quinto monens nos ad expurgãdum vetus fermentum peccati, aſsignat pro ratione: *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: paſcha inquit Domini, hoc eſt tranſitus Domini* (interpretatur Gaudentius vbi ſupra) *Quod cœleſte effectum eſt per eum, qui tranſit in illud, & fecit illud ſuum corpus & ſanguinem, & c.* Et ſtatim ſubdit: *Ergo in hac veritate quaſumus, vnus pro omnibus mortuus eſt, & idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis & vini reficit immolatus, viuificat creditus, conſecrantes ſanctificat conſecratus: hæc agni caro, hic ſanguis eſt, & c.* Eſt enim ſimul ſacrificium & ſacramentum: in quantum ſacrificium immolatur, offertur in Dei cultum & reuerentiam: & alios pro quibus offertur, ſanctificat: quatenus vero eſt ſacramẽtum, ſanctificat offerentem ipſum, vt docet Diuus Thomas. 1. 2. q. 101. art. 4.

QVAE

QVAESTIO LXXIV.

De materia Euchariſtiæ, quantum ad ſpeciem, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum materia huius ſacramenti ſit panis, & vinum?

4. d. 11. q. 2. ar. 1. q. 1. & 2. & 4. conc. ca. 61. & 68. & 1. Cori. 11. lect. 5. ro. 2. & 3.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod materia huius ſacramenti non ſit panis & vinum. Hoc enim ſacramētum perfectius debet repreſentare paſsionem Chriſti, quam ſacramenta veteris legis. Sed carnes animalium quæ erant materiæ ſacramentorum veteris legis, expreſsius repreſentāt paſsionem Chriſti, quam panis & vinum. Ergo materia huius ſacramē ti magis debet eſſe carnes animaliū, quam panis & vinum.

2 Præterea, hoc ſacramentum eſt vbique celebrandum. Sed in multis terris non inuenitur panis triticeus, & in aliquibus non inuenitur vinum. Ergo panis & vinum non ſunt conueniens materia huius ſacramenti.

3 Præterea, Hoc ſacramentum competit ſanis & infirmis. Sed vinum nocet quibuſdam infirmis. Ergo videtur, quod vinum non debeat eſſe materia huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod Alexander Papa dicit *, In ſacramentorum oblationibus panis tantum, & vinū aqua permixtum in ſacrificium offerantur.

Alex. I. in epiſt. ad omnes ortho. ad med. illius to. 1. concil. lit. de hæreſ. c. 8. tom. 6.

Reſpondeo dicendum, quod circa materiam huius ſacramenti aliqui multipliciter errauerunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ (vt Auguſtinus dicit * in lib. de hæreſibus) offerunt panem, & caſeum in hoc ſacramento: dicentes, â primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouium fuiſſe celebratas. Alij vero, ſcilicet Cataphrygæ, & Pepuziani, de infantis ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquēt, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes. Quidā vero, qui dicuntur Aquarij, aquam

ſolam

ſolam ſub ſpecie ſobrietatis in hoc ſacramento offerunt. Omnes autem hi errores, & ſimiles excluduntur, per hoc quod Chriſtus hoc ſacramentum ſub ſpecie panis, & vini inſtituit: vt patet Matth. 26. Vnde panis & vinum ſunt materia conueniens huiuſmodi ſacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidē, quantum ad vſum huius ſacramenti, qui eſt manducatio. Sicut enim aqua aſſumitur in ſacramento baptiſmi ad vſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua: ita panis & vinum quibus communius homines reficiuntur, aſſumuntur in hoc ſacramento ad vſum ſpiritualis manducationis. Secundo, quantum ad paſsionem Chriſti, in qua ſanguis eſt â corpore ſeparatus. Et ideo in hoc ſacramēto, quod eſt memoriale Dominicæ paſsionis, ſeorſum ſumitur panis, vt ſacramentum corporis, & vinum vt ſacramentum ſanguinis. Tertio, quantum ad effectum conſideratum in vnoquoque ſumentium: quia vt Ambroſius dicit † ſuper epiſtolam ad Corinth. hoc ſacramentum valet ad tuitionem animæ, & corporis. Et ideo corpus Chriſti ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, ſanguis vero ſub ſpecie vini pro ſalute animæ offertur: ſicut dicitur Leuitic. 17. quod anima carnis in ſanguine eſt. Quarto, quantum ad effectum reſpectu totius Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex diuerſis fidelibus: ſicut panis conficitur ex diuerſis granis, & vinum fluit ex diuerſis vuis: vt dicit gloſ. * ſuper illud 1. Cor. 10. Multi vnum corpus ſumus, &c.

† 1. ad Corin. 11. ſup. illud, Hoc poculum nouū teſtamētum eſt, to. 5.

** Id habet Beda in hunc locum ex Auguſt. ex ſer. 2. Paſch. to. 3.*

Ad primum ergo dicendum, quod licet carnes animalium occiſorum expreſsius repreſentent Chriſti paſsionem: tamen minus competunt ad communem vſum huius ſacramenti, & ad Eccleſiaſticam vnitatem ſignificandam.

Ad ſecundum dicendū, quod licet non in omnibus terris naſcatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri poteſt, quantum ſufficit ad vſum huius ſacramēti. Nec propter defectum alterius eſt vnum tantum ſine altero conſecrandum: quia non eſſet perfectum ſacramentum.

Ad tertium dicendum, quod vinum in modica quantitate ſumptum, non poteſt multum ægrotanti nocere. Et tamen ſi nocumentum timeatur, non eſt neceſſe quod omnes accipientes corpus Chriſti, etiam accipiant ſanguinem, vt infra dicetur. † *q. 80. a. 12.*

Concluſio affirmans eſt, & certa ſecundum fidem, quæ colligitur ex ipſa Chriſti inſtitutione, & eius facto Matthæi 26. vbi dicitur, quod accipiens Ieſus panem benedixit, dicens: *Hoc eſt corpus meum*: & ſimiliter calicem dicens: *Hic eſt ſanguis meus, &c.* quod autem liquor in calice cōtētus fuiſſet vinū, oſtēdunt verba ſequentia: *Non vinam amodo de hoc genimine vitis, &c.*

Circa huius concluſionis, & articuli doctrinam plura ſunt, quæ à Theologis in controuerſiam vocantur in præſentiarum.

Vtrum ita ſit de fide certum panem, & vinum eſſe materiam huius ſacramenti?

Necnon, an debeat eſſe panis triticeus determinate, & vinum?

Sitque

Sitque de neceſsitate huius ſacramenti vtraque ſpecies, ſcilicet panis & vini, vel tãtum ſit de neceſsitate præcepti?

Et tandem, an ſit de neceſsitate præcepti diuini, vel humani in duplici materia cõficere hoc ſacramentum?

Ad quorum ſingula breuiter eſt reſpondendum.

Materia neceſſaria Eucharistiæ eſt panis & vinum.

2 AD primum quidem reſpondeo, quod veritas catholica eſt materiam ſimpliciter neceſſariam ad ſacramentũ corporis eſſe panem: ad ſacramentum vero ſanguinis eſſe vinum. Quæ colligitur ex dicta Chriſti inſtitutione, & ipſius facto Matthæi 26. & ex Eccleſiæ tradditione. Nec non diffinitur eadem veritas in Florentino in decreto Eugenij, in Lateranenſi cap. *Firmiter*, in Tridentino ſeſs. 13. & 21. & in Concilio Vuormacienſi cap. 4. & Altiſiodorenſi cap. 8. & in cap. *cum Martæ* de celebratione Miſſarum.

Et probatur optimis congruentijs quas hic adducit D. Thom. contra varios errores in Eccleſia exortos, quos referunt & refutant Epiphanius hæreſi 49. Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 28. & Damaſcenus hæreſi 48. & 49. & idem Epiphanius hæreſi 26. & Auguſtinus capit. 46. Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogic. cap. 2. & Iſidorus lib. 4. ethymologiarum cap. 5. & Ciprianus epiſt. 63.

Panis triticeus, & vinum de vite.

3 AD ſecundũ reſpondeo etiã eſſe veritatem certam, neceſſarium eſſe ſimpliciter pro materia ſacramenti corporis Chriſti panẽ triticeum: & pro materia ſacramẽti ſanguinis vinum vitis. Quæ colligitur ex decreto Eugenij in Concilio Florentino poſt vltimam ſeſsionem, vbi Græcis aſsignare volens certam de ſacramento Euchariſtiæ doctrinam diffinit eius materiam, nempe conſecrationis illius, eſſe panem triticeum, vbi pro huiuſmodi materia intellexiſſe Eugenium illam quę eſt neceſſaria nedum neceſsitate præcepti, ſed etiam neceſsitate ſacramenti probat Vazquius hic diſp. 170. cap. 3. eſtque communis ſententia Theologorum contra Gabrielem, qui lectione 3. ſuper canon cenſet probabile eſſe panem communem ex quocumque genere frumenti confectum eſſe idoneam materiam huius ſacramenti.

De qua videndi ſunt Alenſis 4. p. q. 10. membro 4. art. 1. Albertus in 4. diſt. 11. art. 7. Argentinas art. 1. Scotus quæſt. 6. Ricardus art. 2. q. 2. Paludanus, & Dominicus Soto diſt. 9. quæſt. art. 2. Petrus de Soto lib. de inſtitutione ſacerdotum lectione 2. de Euchariſtia, Innocentius lib. 4. de myſterio Miſſæ cap. 3. & Caietanus in art. 3. huius quæſtionis.

Qui omnes vnanimiter fatentur ſolũ triticum, & frumentum illud, quod fuerit eiuſdem ſpeciei eſſentialis cum tritico, licet accidentaliter differat, eſſe materiam idoneam huius ſacramenti. Et quamuis certum immediate de fide ſit panem eſſe materiam neceſſariam ſacramenti corporis Chriſti, ſicut & vinum eſſe materiã neceſſariam ſacramenti ſanguinem: quia vtrumque colligitur ex adductis verbis Chriſti, Matthæi 26. tamen qualis debeat eſſe iſte panis, non eſt ita certum dogma fidei, quod debeat eſſe triticeus determinatè in genere, vel ſpecie: quia hoc nec ex dictis verbis colligitur, nec in Concilijs antiquis ab Eccleſia eſt determinatum, niſi tantum ſub generico nomine frumenti: verumtamen poteſt prædicta Eugenij quarti determinationem, quæ Gabrielem latuit, licet antiquior illo fuerit: iam propter Romani cathecifmi authoritatem, & communem Theologorum conſenſum, eſt noſtra concluſio adeò certa, vt oppoſitum ſine temeritatis nota ſuſtineri non poſsit: pro certoque habendum eſt Concilia antiqua

qua, & Patres, quando dixerunt materiã conſecrationis corporis eſſe panem frumẽti intellexiſſe triticeum panem: de qua iterum redibit ſermo art. 3. ſequenti.

4 AD tertium reſpondeo concluſione negatiua, nimirum cõſecrationẽ vtriuſque ſpeciei non eſſe de neceſſitate huius ſacramenti, ita vt vna ſpecies ſine altera valide conſecrari poſsit. Quam communiter ſequuntur Theologi cum Diuo Thoma infra quæſt. 78. art. 6. contra non nullos antiquos Doctores relatos ab Innocentio lib. 4. de officio Miſſæ capit. 13.

Valide vna ſpecies ſine alia cõſecrari poteſt.

Et probatur primo, quia ſi ſacerdos proferat verba conſecrationis ſuper panẽ, etiam cum intentione non conſecrandi vinum, vel è contra, factum tenebit: eruntq; ſpecies panis continentes corpus Chriſti, & ſignificantes practicè gratiam per modum cibi: eo quod ſignificatio formæ ſacramenti corporis vera eſt independenter ab exiſtentia, & poſitione formæ ſacramenti ſanguinis, & è contra: ergo & cauſalitas quæ ſemper ſignificationi commenſuratur, etiam dabitur ſine dependentia alterius: ergo prolatis verbis conſecrationis ſuper panem, ſortientur ſuum effectum, etiam ſi non ponatur forma conſecrationis vini, nec ſit animus ponendi illam, & è cõtra: ac per conſequens cum effectus talium verborum ſit conſtituere corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus, & ſignificare practicè gratiam: erunt continentes corpus, vel ſãguinem, & ſignificantem gratiam per modum cibi, vel potus.

Secundo probatur exemplo ſacramẽti ordinis, in quo partialis ordo, v.g. ſubdiaconatus cauſat ſuum characterem, & gratiam ſtatim, quando confertur ſine pendentia ab ordine ſequenti, ſcilicet diaconatus. quia habet ſuam partialem formam diſtinctam in ſua ſignificatione, & cauſalitate à ſignificatione, & cauſalitate formæ diaconatus: ergo cum ſacramentum corporis habeat diſtinctam formam in ſignificatione, & cauſalitate à forma ſacramẽti ſanguinis, licet vtraque ſit partialis in ordine ad integrum ſacramentum conſtituendũ, conſequens eſt quod independẽter ab illa producit ſuum effectum, nimirum conſtituendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & communicandi gratiam per modum cibi, quam ſignificat.

Tertio probatur ex vſu Eccleſiæ proponentis corpus adorandum antequam cõſecretur vinum, & repetita analogia conuiuij materialis, in quo quamuis ex pane, & vino fiat vnicum integrum cõuiuiũ, & in hoc vna ſpecies ab alia pendeat, nihilominus panis independenter a vino eſt cibus habens virtutem ad reficiendum per modũ cibi, & ſimiliter vinũ indepẽdẽter à pane eſt pot⁹ habẽs virtutẽ ad reficiẽdũ per modũ refrigerij: ergo ſimiliter in hoc mirabili conuiuio dicendum eſt vnamquamq; ex eis partibus ſeparatam ab alia eſſe aptã ad producẽdum proprium effectum. Nec oppoſitum docet Diuus Thomas in ſolutione ad ſecundum huius articuli: vbi tangens hanc difficultatem ait, quod propter defectum alterius ſpeciei, non eſt vna conſecranda ſine altera, quia non eſſet perfectum ſacramentum: tantum enim vult ſanctus Doctor, quod vna ſpecies non poſsit rite, & licitè ſine altera conſecrari: quamuis ſi fiat, valide conſecrabitur, quia multa ſunt quæ rite non fiunt, facta tamen valent.

5 Vltimo probatur noſtra concluſio ſatisfaciendo duabus obiectionibus, quæ ei obſtare videntur. Prima deſumitur ex partibus ſacramenti pœnitẽtiæ: in quarum nulla ſeorſum ſaluatur valor & virtus cauſandi, & ſignificandi partialem effectũ ſacramenti. Nec enim contritio, ſiue attritio per ſe ſolam ſine conſortio alterius compartis, ſcilicet confeſsionis ponit ſuũ effectum partialem: nec habet ſuam ſignificationem partialem independenter à ſignificatione aliarum partium: ergo nec in hoc ſacramento Euchariſtiæ, quod perficitur: & integratur ex ſpeciebus vini & panis conſecratis, vna ſpecies quæ eſt pars illius habebit ſuam ſignificationem, & cauſalitatem independẽter ab alia comparte.

Soluũtur duæ obiectiones.

Secunda deſumitur ex partialibus vnctionibus ex quibus integratur totum ſacramentum Extremæ vnctionis, quarum nulla independenter ab vltima habet ſignificare & cauſare ſuum effectum partialẽ: ergo pariter in noſtro caſu.

Ad quarum primam reſpondetur admiſſo antecedente negando conſequentiã. Cuius diſparitas conſiſtit in ipſius Euchariſtiæ inſtitutione & natura: nam cum ſit inſtituta ad inſtar conuiuij, conſtat ex partibus, quarum vnaquęque eſt totalis in ſuo genere, ac proinde ſeorſum habet virtutem

reficiendi per modum potus: ſacramentum autem pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum iudicij, in quo non quælibet pars materialis habet virtutem abſoluendi reum: ſed omnes ſimul prout ſtant ſub ſententia, quæ eſt vnica forma cadens ſupra totã materiam.

Similiter ad ſecundam neganda eſt cõſequentia: propterea quod Extrema vnctio inſtituta eſt per modum orationis deprecatiuæ ſignificantis, & reſpicientis pro effectu vnico, & indiuiſibili gratiam medicinalem remiſsiuam peccatorum per omnes ſenſus commiſſorum: ac perconſequẽs ex propria inſtitutione nõ poſtulat quod quælibet vnctio partialis ſtatim conferat partialem effectum: ſed quando per vltimam omnes perficiuntur. Fateor tamẽ quod verba cadentia ſuper vnamquamque vnctionem, efficiunt vnam partem huius ſacramenti, & valide eam ponũt in re ſeorſum. & ante poſitionem alterius: ſicut verba conſecrationis panis valide ponunt vnam partem huius ſacramenti Euchariſtię ſiue vnum partiale conuiuium independenter ab altera: & in hoc verum eſt aſsimilari hæc duo ſacramenta: diſcriminantur autem in ordine ad cauſandum effectum, ſiue ad virtutem cauſatiuam, quia in Euchariſtia vna pars ſine altera habet ſuam virtutem, & producit ſuum effectum: non autem vna vnctio partialis ſine altera.

Dices probabile eſt, quod ſumptio ſpecierum panis non confert ſacerdoti gratiam donec ſumat ſpecies vini: ergo pariter probabile erit, quod vna ſpecies independenter ab altera, non habeat vim cauſandi vltimum effectum huius ſacramenti, nempe gratiam: ac perconſequens ſub hac ratione non conficietur valide vna ſpecies ſine altera: & per omnia erunt ſimiles partes Euchariſtiæ partibus Extremę vnctionis: ex quo etiam poteſt inferri verba conſecrationis panis dependere à verbis conſecrationis vini, vt conuertant panem in corpus Chriſti: ſiquidem ſpecies panis cõſecratæ non ſunt minus efficaces ad cauſandam gratiam per modum cibi, quam verba conſecrationis panis ad conuertendum panem in corpus Chriſti: ergo ſi illæ dependent ab ſpeciebus vini in ratione cauſantis gratiam, & iſta dependebunt à verbis conſecrationis vini in ratione operantis conuerſionem.

Reſpondeo, nihilominus negando illud primum antecedens: nec enim admitti poteſt ſtando in noſtra, & veriori ſententia, nimirum quod vnaquæque ſpecies habet ſuam ſignificationem, & cauſalitatem gratiæ independenter ab alterius poſitione.

6 AD vltimum dubium, in quo inquiritur, vtrum ſit de neceſsitate præcepti diuini, ſiue Eccleſiaſtici conſecratio vtriuſque ſpeciei? hoc eſt, vtrum licite fiat conſecratio vnius ſpeciei ſine altera: vel vtrum ſit illicita, & contra aliquod præceptum diuinum, ſiue Eccleſiaſticum? Ratio quidem dubitandi pro parte negatiua ſumitur ex triplici capite.

Primo quidem ex dictis in dubio præcedenti, nimirum quia hoc ſacramentum valide poteſt poni, & conſeruari in vna ſola ſpecie: ergo etiam licite poteſt confici in vna ſola ſpecie. Conſequentia patet quia exiſtere, conſeruari, & fieri, inter ſe proportionantur, ita vt eodem modo, quo vna res dependet ab altera, in eſſe & conſeruari, etiam dependet in fieri, ac proinde ſi Euchariſtia in ſuo eſſe, & conſeruari in vna ſpecie, non dependet ab altera, non eſt cur dependeat ab illa in fieri: ac per conſequens licite poterit à ſacerdote confici propria authoritate in vna ſpecie: nam bene valet, quod licitè poteſt à ſacerdote propria authoritate conſeruari in vna ſola ſpecie, etiam licitè poteſt fieri cum eodem addito: ſed ſacramentum Euchariſtiæ licitè poteſt à ſacerdote propria authoritate conſeruari in vna tantum ſpecie: ergo & licite poteſt confici cum eodem addito.

Secundo ex triplici paritate. Prima quidem deſumpta à cibo corporali: ad cuius inſtar Euchariſtia fuit inſtituta: & iſte licite conficitur independenter a potu: ergo pariter ſacramentum Euchariſtię ſicut valide, ita & licite poteſt confici per modum cibi independenter à ſacramento ſanguinis per modum potus: ſi enim ad primum valet exemplum cibi corporalis, cur non valebit ad ſecundum?

Secunda deſumitur à ſacramento ordinis, in quo propterea character diaconatus, v.g. poteſt licite fieri ſine charactere ſacerdotij, quia poteſt conſeruari independenter ab illo: ergo ſimiliter, &c.

Tertia procedit à ſumptione, nam licite poteſt vna ſumi ſine altera: ſic enim

laici

laici ſumunt ſpeciem panis, ſine ſpecie vini, & qui ſacerdotio initiantur: & ſacerdos in die paraſcebes licite communicat ſacramentum corporis ſine ſacramento ſanguinis: ergo pariter poteſt conſecrari vna ſpecies ſine altera.

7 Tertio ex caſu neceſsitatis, qui contingere poteſt, vt ſit neceſſarium ad cõmunicandum infirmum in articulo mortis, conficere hoc ſacramentum: & tamen poterit inueniri ſolus panis, & non vinũ: igitur in hoc caſu licitum, imò obligatoriũ erit ſacerdoti propria authoritate conficere Euchariſtiam in vna tantum ſpecie, ſcilicet panis.

Conſequentia patet, quia dato quod ſit præceptum de conſecrando vtramque ſpeciem ſimul, tamen in dicto caſu articuli mortis currit aliud præceptum magis ſtrictum, nimirum de ſumenda Euchariſtia: quod quidem ſtrictius eſt quam præceptum de conſecranda, vtraque ſpecie ſimul: propter duo. Tum, quia illud eſt diuinum, iſtud vero Eccleſiaſticum. Tum etiam, quia admiſſo, quod vtrumque ſit diuinum, illud eſt de ſalute æterna animæ: iſtud vero eſt de integritate ſacramenti, quod per ſe ad ſalutem animæ, vt ad finem ordinatur: quando autem concurrunt duo præcepta incompoſſibilia, illud eſt obſeruandum, quod eſt magis obligatorium, magiſque ad animæ ſalutem, & Dei gloriam conducens.

Nec valet dicere tunc non currere præceptũ de ſumenda Eucharſtia, quia hoc tantum currit ſecundum formam ab Eccleſia præſctiptam, hoc eſt, quando adſunt neceſſaria ad integritatem ſacramenti: ſecus vero deficiente vno ex illis: quia non eſt ſacramentum cõficiendum aliqua de cauſa imperfectum, propter irreuerentiam, quæ in ipſum committeretur: hæc autem cauenda eſt omiſſa vtilitate priuatæ perſonæ.

Non inquam valet, quia præceptũ de conficiendo hoc ſacramentum integrũ in vtraque ſpecie non obligat in omni euẽtu, niſi tantum quando commode fieri poſſit integritas ipſi debita, & iure diuino præcepta. Quod autem hæc non plus poſtulet, patet in tribus exemplis, nimirum ſacramenti Ordinis, & Pœnitentiæ, vt in ordine diaconatus, qui eſt de integritate ſacramenti Ordinis: & tamen licite poteſt conferri, & recipi ſine animo conferendi, aut recipiendi ſacerdotium, ad quod ordinatur. Tum in confeſsione: eſt enim integritas illius de iure diuino, & cadens ſub diuino præcepto: & tamen licite poteſt, ac debet aliquod peccatum omitti, quando commode, & ſine alterius detrimento, non poteſt pandi in confeſsione. Similiter quod præmittatur confeſsio ad ſumptionẽ Euchariſtiæ eſt de iure diuino quando adeſt mortale peccatum: in hoc enim ſenſu dixit Apoſtolus primæ ad Corinthios 11. *Probet autem ſeipſum homo*: & tamen hoc præceptum non obligat in omni euentu, niſi quando commode præmitti valet confeſsio.

Tum denique in ſatisfactione, quæ eſt de integritate ſacramenti Pœnitentiæ diuinitus præcepta: & tamen in aliquo caſu poteſt licite confeſſarius eam non imponere ex intentione: vt infirmo in articulo mortis conſtituto, quando eam moraliter aut etiam phiſice implere non poteſt: ergo ſimiliter nec violabitur diuinum præceptum in noſtro caſu, niſi quando commode poſſet conſecrari vtraque ſpecies, & vna tantum conſecraretur.

8 Secunda ſententia aſſerit eſſe neceſſariam conſecrationem vtriuſque ſpeciei neceſsitate præcepti: quam communiter tenent Theologi, vt Adrianus q. 6. de Euchariſtia ſequutus Alenſem, & Maior in 4. d. 9. q. 9. ad 3. Marſilius, & Argentinas in eodem 4. q. 6. art. 1. Paludanus d. 11. q. 1. art. 1. Gabriel lectione 10. ſuper Canon littera D. & lectio. 53. dub. 3. Alanus lib. 2. de Euchariſtia cap. 20. Soto diſt. 9. q. 1. art. 1. Caietanus infra q. 80. artic. 12. Hoſius Cardinalis in confeſsione Polonica cap. 40. & Suarius hic diſp. 43. ſectione 3. & 4. Ex ſummiſtis autem Tabiena verbo *Euchariſtia* prima num. 20. Piſana eodẽ verbo ſecundo, §. 12. Syluester prima. q. 5. & Nauarrus in manuali cap. 25. numer. 91. & Claudius Sainctes repetitione 10. cap. 3.

Ex quibus alij dicũt huiuſmodi preceptum eſſe tantum Eccleſiaſticũ, ac proinde à ſummo Pontifice ex rationabili cauſa, & publica diſpenſabile: de quorum numero ſunt Adrianus cum Alenſi, quem citat Maior, Tabiena, Piſana, Alanus, Sanchez tom. 3. de matrimonio lib. 8. q. 6. numer. 6. Nauarrus, & Claudius. Alij vero ſentiunt illud eſſe diuinum, de quorum numero ſunt Marſilius, Paludanus, Caietanus, Syluester, Soto, Suarius, & communiter Thomiſtæ.

Quæ ſententia, quia verior eſt à nobis ſtatuitur pro concluſione, quæ habet tres partes probandas, nimirum quod conſecratio huius ſacramenti ſub vtraque ſpecie ſimul ſit de neceſsitate præcepti, ita vt nulli ſacerdoti liceat propria authoritate vnam ſpeciem ſine altera conſecrare, quod hoc præceptum ſit diuinum, & à Papa indiſpenſabile.

Igitur quantum ad primam probatur aduerſus Authores primæ ſententiæ. Primo authoritatibus, nimirum Innocen. ij libro.4. de myſterio altaris cap. 2 3. & habetur in cap. *comperimus*, de conſecratione diſt. 4. vbi dicitur, *non poſſe abſque grandi ſacrilegio diuidi hoc myſterium*. Et ex Concilio Toletano 7. cap. 2. Toletano 1 1. cap. 1 4. & in cap. *illud*. & cap. *nihil*, 7. quæſt. 1. in quibus prouidetur vt in omni euentu conſecratio integre perficiatur, etiam ſi neceſſarium fuerit, vt vnus miniſter perficiat, quod alter inchoauit. Et in dicta diſt. 2. de conſecratione traditur per duodecim priora capita id fuiſſe à Chriſto inſtitutum, & in Tridentino ſeſs. 2 1. cap. 1. dicitur, Laicos, & Clericos non conficientes non obligari ad vtramque ſpeciem ſumendam: veluti denotans Clericos conficientes ad hoc teneri ex iure diuino. Et ſeſsione 2 2. in principio ſubditur: Chriſtum Dominum in nocte cœnæ corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini patri ſuo obtuliſſe, & Apoſtolis, eorumq; in ſacerdotio ſucceſsoribus, vt offerrent, præcepiſſe. Et canone 2. dicitur Chriſtum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes, & ordinaſſe, vt ipſi, & alij ſacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum. Colligiturque ex facto ipſius Chriſti Domini, qui poſtquam peregerat conſecrationem vtriuſque materiæ dixit diſcipulis, vt refert Paulus 1. ad Corinth. 1 1. *Hoc facite in meam commemorationem*. Tum etiam ex D. Thom. qui, q. 80. art. 1 2. ad tertium inquit, quod repræſentatio Dominicæ paſsionis agitur in ipſa conſecratione ipſius ſacramenti: & ideo non debet corpus ſine ſanguine conſecrari: & idem habet hic in ſolutione ad ſecundum: & in quarto diſtinctione 1 1. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 1, ad quartum inquit, eſſe contra morem Eccleſiæ conſecrationem vnius ſpeciei ſine altera, in quibus verbis indicat tantum eſſe hoc præceptum Eccleſiaſticum, tamen in reliquis locis reuera innuit illud eſſe iuris diuini.

9 Secundo probatur eadem pars ratione hac: nimirum quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt ad modum conuiuij materialis, ac proinde exigit ſuapte natura integrari in vtraque ſpecie cibi & potus: ergo in neutra ſeorſum ſaluatur adæquate: ergo iuxta eius exigentiam eſt præceptum de conſecrando ſimul vtramque ſpeciem, ac proinde ſacerdos, qui propria authoritate conficeret hoc ſacramentũ in ſola vna ſpecie ex intentione peccaret peccato ſacrilegij, ſiquidem & irreuerentiam ipſi ſacramẽto irrogaret, & præceptum Eccleſiaſticum ac diuinum violaret.

8 Deinde quantum ad ſecundam partem ſtatuitur aduerſus Authores primi modi defendendi ſecundam ſententiam. Et ſuadetur primo, quia licet in dictis capitulis decreti, & iuris canonici cõtineatur Eccleſiaſticum præceptum de conſecranda vtraque ſpecie: tamen ſupponitur in illis præceptum diuini iuris, quod colligitur ex Chriſti ipſius facto, & inſtitutione, vt dictum eſt: factum enim Chriſti, maxime in inſtitutione ſacramentorum, ſufficiens eſt ad introductionem iuris, ac præcepti diuini; nam propterea quod Chriſtus Dominus in cœna prius panem, deinde calicem conſecrauit, hoc facto colligimus diuinum impoſuiſſe præceptum ſacerdotibus, hunc ordinem in conſecratione ſeruandi, ita vt prius panem, deinde calicem conſecrare teneantur: idque ſatis materiali conuiuio, & naturæ conſentaneum, ſecundum quam recto ordine cibus potum antecedit. Quod ſi ſacerdos conſulto, vel ignoranter hunc ordinem inuertat, peccabit quidem contra dictum præceptum: factum tamen tenebit, quia conſecratio vnius ſpeciei non dependet eſſentialiter ab altera, ac per conſequens, nec dependet ab ordine alterius. Poſſentque ſpecies vini conſecratæ, ſine ſpeciebus panis conſeruari non minus, quã ſpecies panis conſecratæ ſine ſpeciebus vini conſeruantur: ergo pariter, quia Chriſtus in inſtitutione huius ſacramenti ſimul vtramque ſpeciem, ſcilicet panis & vini cõſecrauit, hoc facto ſacerdotibus indixit præceptum iuris diuini, vt vnam ſpeciem ſine altera non conſecrarent.

10 Secundo probatur, quia de iure diuino eſt, quod conſecratio huius ſacramenti ſimul ſit ſacrificatio, id eſt quod hoc ſacramentum non conficiatur ſine ſacrificio, ſed quoties conficiatur, ſimul offeratur

feratur

feratur Deō ſacrificium incruentum à Chriſto inſtitutum: commemoratiuum illius ſacrificij, quod Chriſtus cruentum in cruce obtulit: atqui de integritate huius ſacrificij eſt vtriusque ſpeciei conſecratio, & oblatio ſecundum diuinum ius: ergo etiam ex eiuſdem iuris præcepto tenemur hoc ſacramentum in vtraque ſpecie conficere.

Conſequentia eſt nota. Et maior patet, tum ex traditione, & vſu Eccleſiæ, quæ numquam legitur conſecraſſe hoc ſacramentum niſi in Miſſæ ſacrificio. Tum etiam ex Chriſti voluntate, & inſtitutione ſic explicata, & intellecta ab Eccleſia, quæ propterea in canone Miſſæ poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei repetit verba illa: *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis*, quibus Chriſtus Dominus in cœna poſtquam panem, & calicem conſecrauit, id ipſum à ſacerdotibus faciendum in ſui commemorationem, præcepit, & commendauit, vt colligit ex eiſdem verbis Concilium Trident. in dicta ſeſsione 22.

Minor probatur, quia hoc ſacrificiū incruentum eſt quædam repreſentatio expreſſa ſacrificij cruenti oblati à Chriſto in paſsione, & morte, quod quidem non ſolo corpore, niſi ſimul cum ſanguinis effuſione fuit ab ipſo perfectum: ergo neque hoc erit integrum, & perfectum ſacrificium cōmemoratiuum illius ſine ſacramentali ſanguinis effuſione, ideſt niſi corp⁹ ſeorſum, & ſeorſum ſanguis conſecrentur. Et alias cum ſit de iure diuino, vt Deo offeratur ſacrificium non mutilum, & imperfectum, ſed integrum, & perfectum. Conſeqquens eſt, quod pariter eſt de iure diuino hoc ſacramentum fore conficiendum non in vna ſola ſpecie, ſed in vtraque ſimul, hoc eſt dum vnum, & idem peragitur ſacrificium.

11 Denique tertia pars probatur aduerſus Authores primi modi defendendi ſecundam ſententiam. Primo ſupponendo ad prouidentiam Dei pertinere, ne ſit prouincia aliqua ad quam peruenire nō poſsit panis, ſiue vinum ſufficiens, vt aliquoties ſaltem in anno hoc ſacramentum integre conficiatur, ac proinde moraliter loquendo non poteſt aſsignari cauſa ob quam Pontifex diſpenſet ad conſecrandum ſub vna tantum ſpecie. In caſu autem metaphiſico quod vinum ad religionem aliquam aſportari non poſsit, adhuc nec Pontifex poteſt per viam diſpenſationis, aut interpretationis iuris indulgere, vt licitè vna ſpecies ſola in regione illa conſecretur, eo quod hoc ſacramentum, ita ſubſtancialiter integratur ex ſpeciebus panis & vini, vt in vna ſpecie ſine alia non reperiatur tota ratio eſſentialis adæquata, & integra ipſius: ergo de ſubſtantia eius eſt vt vtraque ſpecies conſecretur, vt tale ſacramentum conficiatur: igitur præceptum diuinum latum à Deo iuxta exigentiam huius ſacramenti ſic faciendum ordinat, ſiquidem præceptum naturale, ſeu connaturale ordinis ſupernaturalis non minus acommodatur rei ſupernaturali de qua eſt, quam præceptum naturale ordinis naturalis, naturæ rei naturalis, circa quam verſatur: ergo certum eſt ea certitudine quæ Theologico diſcurſui innititur præceptum diuinum de conficiendo hoc ſacramento ſub vtraque ſpecie ferri in illud, quod eſt de ſubſtantia, & integritate ipſius ſacramenti: ſed Pontifex, nec diſpenſatione, nec interpretatione poteſt efficere ne ſeruetur id quod pertinet ad ſubſtantiam, & integritatem ſacramentorum: & quod fiat licite oppoſitum illius, quod circa talem ſubſtantiam ordinatur, & ſtatutum eſt à Deo: etenim quæ circa ſubſtantiam ſacramentorum ſunt à Deo ſtatuta, cadunt ſub præcepto diuino ſupernaturali, ordinis gratiæ, ita vt omnino dependeant à ſola ſupernaturalis authoris voluntate.

In his autem non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, aut interpretari: non quidem diſpenſare, quia diſpenſatio ſit quando conſtat ius obligare: verumtamen propter aliquam legitimam cauſam Princeps aufert obligationem reſpectu alicuius ſubditi: auferre autem obligationem pertinet tantum ad Principem, qui tulit legem: & nullo modo ad inferiorem, quia inferior in ſuperiorem, aut in eius legem nullam habet poteſtatem, vt docuimus in tractatu de legibus.

Neque interpretari, quia eius eſt interpretari authoritatiuè, cuius eſt legem condere, vt ibidem oſtendimus.

Tum etiam, quia interpretatio tunc habet locum, quando ius eſt obſcu-

rum, vel dubitatur vtrum ad hunc, vel ad illum caſum ſe extendat: in præſenti verò ius non eſt obſcurum, ſed luce clarius eſt diuinum præceptum obligare ad conficiendum hoc ſacramentum integrum ſubſtantialiter: ergo.

Secundo, quia ſi poſſet Pontifex per viam diſpenſationis, vel interpretationis indulgere, vt hoc ſacramentum in aliquo caſu conficeretur in vna ſola ſpecie: hoc eſſet, vel quia præceptum de conſecrando in vtraque ſpecie tantum eſſet Eccleſiaſticum: aut quia licet, ſimul ſit præceptum iuris diuini, tamen adhuc in illo, poſſet Pontifex diſpenſare, authoritate à Chriſto ſibi delegata, & commiſſa: quemadmodum ſimili authoritate poteſt diſpenſare, & de facto diſpenſat in votis Religionis, & caſtitatis, quarum obligatio eſt diuini iuris: atqui neutrum poteſt dici: ergo. Maior eſt fundamentum aduerſariorum. Minor autem patet pro prima parte, quia viſum eſt huiuſmodi præceptum diuinum eſſe, licet iure canonico approbatum, repetitum, & confirmatum.

Pro ſecunda verò parte probatur, quia verior ſententia eſt quam docuimus cum Diuo Thoma in materia de legibus, quæſtione 100. articulo octauo, præcepta iuris naturalis indiſpenſabilia eſſe, neminemque infra Deum poſſe diſpenſare formaliter in iure diuino, etiam poſitiuo propter rationem nuper adductam: maxime in iure illo, quod habet vim legis communis: neque hanc poteſtatem fuiſſe, vnquam delegatam à Chriſto ſummis Pontificibus: excepta illa, quam ex Chriſti delegatione habent ad diſpenſandum in votis, quæ habent vim legim particularis dependentis à vouentis voluntate: quia hoc expediebat regimini Eccleſiæ: ſecus autem ad diſpenſandum in legibus communibus naturalis iuris, aut diuini, quod immutabile eſt: præcipue circa ſubſtantiam, & integritatem ſacramentorum.

13 Quod ſic declaro: non poteſt ſummus Pontifex aliqua via, vel propter aliquam cauſam facere, quod deficiente vino vitis conſecretur alius liquor, eo quod vinum vitis eſt materia inſtituta, & præcepta à Chriſto pro conficiendo hoc ſacramento (& idem de pane, & materia aliorum ſacramentorum:) igitur ſi ſubſtantialis integritas ex pane, & vino fuit à Chriſto Domino inſtituta, & præcepta, neutiquam poterit Pontifex, aut Eccleſia facere, quod truncum, & imperfectum iſtud ſacramentum conficiatur.

Nec apparet excogitabilis cauſa, quæ tantum ponderis habeat, quantum integritas ſacramenti: maius namque bonum eſt reſpectu Eccleſiæ conſeruare integrum, & immutatum ritum ſubſtantialem, circa conficiendam Eucharistiam, à Chriſto inſtitutum, quam quod in re non ſuſcipiatur in aliqua prouincia: quemadmodum melius eſt aliquem mori ſine ſacramento, quam ſacramentum indebite recipere, vel conficere; debita enim reuerentia ſacramentis præferenda eſt vtilitati vnius prouinciæ, ſiue regionis, nedum vnius hominis in particulari. Nec diſpenſatio, aut interpretatio ſummi Pontificis valere poteſt, vt fiat aliquid contra ſubſtantialem integritatem huius, vel alterius ſacramenti, aut contra Chriſti Domini præceptum, ſiue inſtitutionem: ergo.

Vltimo probatur, ſatisfaciendo tribus fundamentis aduerſariorum. Primum eſt, quia nulla ratio apparet denegandi ſummo Pontifici hanc authoritatem: ſi enim aliqua eſſet, maxime à nobis dicta, ſcilicet, quia vtraque ſpecies eſt præcepta iure diuino, & inſtituta ad integritatem illius ſacramenti: hanc autem non tollere quo minus Pontifex poſsit per diſpenſationem, vel interpretationem aliter facere, authoritate ſibi relicta à Chriſto Domino patet; quia eam ipſe reliquit ad diſpenſandum in his quæ ſunt de iure diuino, vt in voto, iuramento, in matrimonio rato non conſummato, in reſidentia Epiſcoporum; in tradenda Euchariſtia infirmo morituro, in eo quod conſecrantes vtramque ſpeciem, vnam tantum conſumant, & in integritate confeſsionis; & integritate ſacramenti Pœnitentiæ per ſatiſfactionem, & in eo, quod ſacramentum confirmationis non conficiatur ab Epiſcopo, ſed à ſimplici ſacerdote in caſu neceſsitatis: ergo pariter in noſtro caſu, &c.

Quibus accedit Concilium Tridentinum, Seſsione 20. capite ſecundo, determinans Eccleſiam habere poteſtatem in ſacramentorum diſpenſatione, ſalua eorum ſubſtantia, ad ſtatuenda, vel mutanda ea quæ ſuſcipientium vtilitati ſiue ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauerit: cum ergo prædicta diſpenſatio, vel iuris interprætatio cedat in maiorem Eccleſiæ, & fidelium vtilitatem: non eſt cur non poſsit propter vrgentem cauſam diſpenſare, vel ius interprætari: præſertim manente inuariata, tali facto, ſubſtantia ſacramenti, vt maneret, ſiquidem in vna ſola ſpecie ſaluatur ſubſtantia, & eſſentia Euchariſtiæ, alias nec in ſacrario ſeruaretur eſſentialiter ſacramentum Euchariſtiæ, nec daretur laicis, quod nullatenus eſt admittendum: Conſequens eſt, Pontificem illud poſſe præſtare. Imo de facto hoc feciſſe Innocentium octauum, in quadam prouincia, referunt grauiſsimi authores. Et quod magis eſt, Chriſtus Dominus, quando apparuit duobus diſcipulis euntibus in Emaus, ſolum panem conſecrauit.

Igitur pie credendum eſt hanc poteſtatem ſuo vicario reliquiſſe, vt ita melius prouideret communi fidelium bono, propter quod hoc ſacramentum inſtituit: cuius proinde inſtitutioni conforme eſt, vt propter idem bonum ſola vna ſpecies conſecretur, quando adeſt impotentia phyſica, vel moralis habendi aliam.

14. Secundum eſt, quia licet Euchariſtia in ratione ſacrificij integretur ex ſpeciebus panis, & vini ſecundum diuinam inſtitutionem, & præceptum, ſicut integratur ex eiſdem in ratione ſacramenti: nihilominus Eccleſia prudenter iudicauit in die paraſceues melius eſſe conferre illud ſub ſola ſpecie panis; ac per conſequens imperfectum, quam nullum offerre ſacrificium: ne vlla die careret vtilitate tanti ſacrificij: ergo ſimiliter prudenter iudicaret, non obſtante diuina inſtitutione, & præcepto de integritate huius ſacramenti, Conuenientius eſſe, vt in aliqua prouincia conficiatur imperfectum, quam nullum: ne tota illa prouincia careat vtilitate tanti ſacramenti, & ſimul ſacrificij: ac proinde licet diſpenſatio, vel interprætatio cadere non poſsit ſupra mutationem materiæ, verbi gratia, vt pro vino, ſubrogetur alius liquor: bene tamen poterit cadere ſupra integritatem ſacramenti, ſicut & de facto cadit ſupra integritatem ipſius in ratione ſacrificij. Vnde ſicut propter cauſam prædictam licet hoc ſacrificium offerre imperfectum in die paraſceues: ita, & licebit illud eodem die, vel altero propter defectum vini, imperfectum conficere.

Tertium eſt, quia propter metum grauem ortum ex imminenti periculo vitæ ab intrinſeco, licitum eſt relinquere hoc ſacramentum imperfectum pro ſalute vitæ corporalis, quæ eſt ſufficiens cauſa interprætandi in tali caſu non concurrere præceptum diuinum de integritate Euchariſtiæ: vtpote quod non eſt credendum obligare cum diſpendio vitæ naturalis: ſi ex alia parte deſit contemptus legiſlatoris, & iniuria ſacramenti: ſicut non ſit inſtanti tali metu orto ab intrinſeco: ergo pariter imminens periculum vitæ ſpiritualis totius vnius prouinciæ, ad quod ſequitur metus ortus ab intrinſeco, erit ſufficiens cauſa, vt ſemel conſecrato pane, non conſecraretur calix, in quo conſiſteret ſalus dictæ prouinciæ, quia tunc prudenter iudicaretur non obligare diuinum præceptum cum tanto diſpendio ſalutis ſpiritualis, vt hoc ſacramentum integrum conficeretur. Igitur propter eandem cauſam, & diſcurſum poterit Eccleſia iudicare prudenter poſſe ex intentione vnam ſolam ſpeciem conſecrare.

Patet hæc conſequentia, quia ratio vrgens ad aſſerendum ne propter metum mortis ab extrinſeco ortum poſsit ſacerdos ex intentione vnam ſpeciem ſolum conſecrare, vrget etiam, ne vna conſecrata, alia ſine conſecratione relinquatur: igitur è contra ratio ſufficiens, vt interprætemur diuinum ius non obligare poſt conſecrationem vnius, ad alterius conſecrationem, erit etiam ſufficiens, vt intelligamus, & interprætemur poſſe vnam conſecrari, ſine altera.

Ad

Digitized by Google

Ad primum reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem neganda eſt minor. Nec aliquid conuincunt exempla adducta: nam de voto, & idem dicimus de iuramento, quod habet Pontifex poteſtatem diſpenſandi in illis, quia habent vim legis particularis dependentis à voluntate vouentis, vel iurantis, ideo expediens fuit pro regimine Eccleſiæ Chriſtum talem poteſtatem ſuo vicario delegaſſe: aut quia eorum obligatio non eſt iuris diuini abſoluti, ſicut eſt in noſtro caſu, ſed conditionati, hoc eſt ſupponentis actum humanæ voluntatis: quem actum Pontifex poteſt tollere, & ex conſequenti obligationem iuris diuini in illo fundatam.

Id ipſum dicendum eſt de matrimonio rato non conſummato. Ad illud autem de reſidentia Epiſcoporum dicendum eſt, quod ſuper reſidentiam moraliter continuam, quæ prudenter iudicatur neceſſaria, ad regendas oues non poteſt Eccleſia diſpenſare, vel legem interpretari, quia hæc eſt de iure diuino abſoluto, & independenti ab humana voluntate. Licet illam interpretetur ſuper reſidentiam phiſicam, vel phiſice continuam declarans ad illam, vt ſic non extendi ius diuinum, vtpotè in quo poterat eſſe dubium.

De illo verò exemplo negationis communionis in articulo mortis dico, quod licet exiſtens in tali articulo teneatur iure diuino ſumere Euchariſtiam, non tamen Eccleſia tenetur eam ipſi tradere, ſed licite poteſt denegare; vel in pœnam delicti, vel propter reuerentiam tanto ſacramento debitam.

De alijs verò caſibus de integritate confeſsionis, & ſacramenti Pœnitentiæ per ſatisfactionem dicemus ſtatim: de duobus autem vltimis, & ſimilibus dicendum eſt in illis, nec diſpenſationem, nec interpretationem cadere de facto, quia ius diuinum tantum præcepit, vt principaliter celebrans ſumat vtramque ſpeciem. Et hoc obſeruatur in celebratione ordinum. Nec non quod ordinarius miniſter confirmationis ſit Epiſcopus: & hoc ſemper obſeruatur: nam quando ſimplex ſacerdos confirmat, non vt ordinarius miniſter, ſed vt delegatus, confirmat in caſu neceſsitatis: quia hoc non fuit prohibitum à iure diuino, ſed potius ab illo permiſſum, ſiue ordinatum: quod à poſteriori etiam vſus Eccleſiæ confirmat: quæ id numquam diacono, ſed ſoli ſacerdoti permittit.

16 Ad Concilium vero Tridentinum reſpondetur, quod potius eſt pro nobis in illis verbis: *Salua eorum ſubſtantia*, nec credendum eſt hiſtorijs illis quibus narratur Innocentium octauum aliquando diſpenſaſſe in conficiendo hoc ſacramentum mutilum: vt ſcite probant Neotherici Theologi in præſenti pluribus, & optimis coniecturis: quod ſi admittamus illum diſpenſaſſe, dicendum eſt, quod id fecit, tamquam doctor particularis ſequens opinionem oppoſitam ſibi probabilem. De Chriſti autem facto in Emaus ſi ſequamur opinionem eorum patrum qui dicunt Chriſtum tunc panem conſecraſſe, & diſcipulos communicaſſe, dicendum eſt, quod id fecit non vt ſacerdos Ordinarius, nec ritu ſacramentali, ſed alio modo tamquam ſupremus Dominus legibus ordinarijs non alligatus: quemadmodum in die Pentecoſtes contulit diſcipulis effectum ſacramenti confirmationis, non ritu ſacramentali, ſicut confertur nobis, ſed alio excellentiori modo, & vtens poteſtate excellentiæ. Si autem ſequamur opinionem plurium aliorum Patrum aſſerentium Chriſtum panem illum non conſecraſſe, ſed tantum benedixiſſe, vt ipſe Euangelij contextus, Lucæ 24. adſtruere videtur, nullum ex facto eo deducitur argumentum.

17 Ad ſecundum reſpondetur, quod in die paraſceues non offertur Deo proprie ſacrificium: quod videtur innuere Diu. Thom. infra quæſtione 83. articulo ſecundo ad ſecundum dicens: ne tamen Eccleſia ea die maneat, ſine fructu paſsionis, per hoc ſacramentum nobis exhibito, corpus Chriſti conſecratum in die præcedenti reſeruatur ſumendum in illo die; non autem ſanguis propter periculum, & quia ſanguis ſpecialius eſt imago Dominicæ paſsionis, cuius figura eſt hoc ſacramentum, & veniente veritate ceſſat figura: vnde quando in officio illius diei ſacrificium nominatur, ſumitur ſacrificium large pro quocumque ſacro miſterio. Si autem admittamus cum aliquibus recentioribus verum tunc offerri ſacrificium, dicendum eſt id facere Eccleſiam ſpeciali diſpenſatione à Chri

ſto facta ob rationem adductam à Diuo Thoma, per traditionem ab Apoſtolis acceptа.

Ad tertium reſpondetur, non nullam eſſe diſparitatem inter velle conficere ex prima intentione hoc ſacramentum in vna ſola ſpecie, & inter relinquere vnam ſolam ſpeciem conſecratam: nihilominus quidquid de illo ſit, dicendum eſt in caſu adducto, quando non ſupereſt aliud medium ad vitandam mortem, liceret poſt conſecratum panem, non conſecrare calicem propter rationem inter arguendum adductam: ſecus autem ſi eſſet aliud medium vitandi mortem; vt eſt in caſu realis ſumptionis, ſine qua poteſt obtineri fructus huius ſacramenti: nimirum per votum, & deſiderium ipſius.

18 Sed rogabis, quid ſi poſtquam ſacerdos intendens conſecrare vtramque ſpeciem, caſu & præter eius intentionem ob impotentiam moralem, vel phiſicam, conſecrato pane, non valeat vinum conſecrare? Huic interrogationi diuerſimode reſpondent Theologi: Adrianus namque vbi ſupra reſpondet, quod in caſu quo per errorem eſſet in calice appoſita aqua, poſſet licite omittere ſacerdos conſecrationem vini ad euitandum ſcandalum circumſtantium.

Qui modus dicendi deſſicit, eo quod propter ſcandalum vitandum non licet ſacramentum mutilum relinquere, quia ſcandalum illud ſequeretur per accidens, & apud imprudentes: nam prudentes exiſtimare debent hoc ſacramentum ſubſtantialiter integrari ex vtraque ſpecie, ac proinde ſacerdotem teneri adhibere omnem diligentiam, vt ſic conficiatur: & ſubdit, Alenſis, quod etiam ceſſante ſcandalo ſi ſacerdos iam ſumpſerit aquam exiſtimans eſſe ſanguinem, non debet calicem conſecrare: quia tunc iam non eſt ieiunus, ac proinde nec debet conſecrare calicem quem ſumere non poteſt; ſed hic modus dicendi falſus eſt, etiam quoniam præceptum de ſumendo Euchariſtiam à ieiuno eſt mere Eccleſiaſticum, & humanum, præceptum vero de integritate Euchariſtiæ eſt diuinum, ac proinde magis obligatorium.

Alij vero reſpondent, quod propter impotentiam illam phiſicam, vel moralem habendi vinum, vel propter periculum imminens mortis: imminens inquam ab intrinſeco, poſſet licite ſacerdos conſecrato pane, calicem non conſecrare: eo quod ad impoſsibile nemo tenetur.

Nec præceptum de integritate huius ſacramenti obligare cenſetur cum diſpendio vitæ, ſi alias non cedat in contemptum legiſlatoris; (vt fieret quando metus mortis incuteretur ab extrinſeco) nimirum à tirano minanti ſacerdoti mortem ſi calicem conſecraret.

Quod confirmatur exemplo Dauidis, & Patrum legis Moſaicæ: ille namque panes propoſitionis licite manducauit, quorum manducatio erat prohibita laicis lege diuina; iſti vero licite poſſent carnes porcinas illa lege vetitas manducare, caſu quod non eſſet alius cibus ad vitam conſeruandam ſufficiens. Et hic modus dicendi verior mihi eſt.

De quo videatur Suarius diſputatione 43. ſectione quarta, iuxta quem expenduntur tres caſus, qui contingere poſſunt in hac parte, vel ad tres veluti in genere reduci poſſunt, quotquot contingere poſſunt, in quibus poſt conſecratum panem licitum eſt omittere calicis conſecrationem. Dixi poſt conſecratum panem: nam ante conſecrationem illius nullo modo, nulloque titulo poteſt fieri licite conſecratio illius ſpeciei, ſine alia ex intentione: quia conficere ſacramentum mutilum, & imperfectum ex intentione eſt intrinſece malum, & contra præceptum negatiuum diuini iuris, quod ſemper, & pro ſemper obligat, nimirum ad non conficiendum ſacramentum imperfectum, & mutilum: omiſsio autem conſecrationis vnius ſpeciei poſt conſecrationem alterius iam factam, non eſt adeo intrinſece mala, quin poſsit licite contingere, quia eſt quædam veluti permiſsio, quod ſacrificium inchoatum, ſic relinquatur, quæ in tribus caſibus, veluti in genere licita eſt.

Primus caſus eſt, quando ſuperuenit impotentia phiſica, vel moralis ex parte ipſius materiæ conſecrandæ: nimirum vini, quod inueniri nó poteſt, aut ſimpliciter, aut de facili, & ſine magna mora, & ſcá

dalo

dalo, atquè morali interruptione ſacrificij.

Secundus eſt, quando ſuperuenit impotentia ipſi miniſtro celebranti, vt ſi miniſter poſt conſecrationem panis, vitam, loquelam, iudicium, vel ſenſum amittat. In quo caſu licet iure humano ſtatutum ſit vt per alium ſacerdotem ſacrificium perficiatur: poteſt tamen contingere, vt nec alius ſacerdos adſit, nec ocurrere de facili, & breui tempore poſsit.

19 Tertius eſt, quando ſacerdoti celebranti poſt conſecratum panem ſuperuenit metus grauis cadens in conſtantem virum, ne ſacramentum perficiat, & calicem conſecret, nequè detineatur in cõſecrando calice, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco proueniat: nimirum, vel quia inuenit venenum in calice, vel quia peſtis imminet, aut tirannus inuaſor ciuitatis: tunc enim licitè poteſt conſecrationem calicis omittere, & conſumendo hoſtiam fugam capere: quantum eſt ex vi huiuſmodi præcepti de integritate ſacramẽti, quod non eſt credendum obligare cum tanto diſcrimine, quando talis omiſsio à principio non fuit intenta, aut volita, ſed per accidens ſubſequuta, niſi aliunde ſequatur ſcãdalum, vel contemptus noſtræ religionis, ſiue legis latoris, quia tunc teneretur ſacerdos ad perficiendum ſacrificium: non quidem ex vi præcepti de integritate ſacramenti, ſed ex alio capite nimirum ex præcepto vitandi ſcandalum, vel confitendi fidem.

Ad primum autem in contrarium pro prima ſententia reſpondetur, quod licet hoc ſacramentum poſsit cõſeruari in vna ſpecie, ſine altera; non tamen perfectum, & integrum, ſed tantum imperfectum, vt dictum eſt, tamen in fieri ita dependet vna ab altera ex diuino præcepto, vt non poſſit confici vna ſine altera.

Ad ſecundum dicendum eſt, nihil conuinci illis inſtantijs adductis: non quidem ex prima, quia partes ſacramenti ordinis, ſiue partiales ordines, hoc habent ex ipſa diuina inſtitutione, vt vna poſsit fieri, & recipi, & conſeruari ante collectionem alterius, vt ſuo loco dicetur.

Nec ex ſecunda, quia nullum eſt præceptum naturale, vel poſitiuum conficiendi integrum conuiuium materiale ex cibo, & potu: ſicut eſt de conficiendo integrum conuiuium Euchariſtiæ.

Nec ex tertia, quia eſt manifeſtum diſcrimen inter ſumptionem, & confectionem huius ſacramenti: nam ſumptio ſiue vſus non eſt de ſubſtantia illius, ac per cõſequens poteſt fieri ex vſu, vel decreto Eccleſiæ, vt vna ſpecies ſumatur ſine alia: vtraquè autem ſpecies eſt de integritate ipſius ſacramenti, ac proinde non poteſt ſacerdos vnam conſecrare ſine altera, quia iure diuino tenetur integrum ſacramentũ conficere.

20 Ad tertium reſpondetur, tunc non currere præceptum porrigendi infirmo Euchariſtiam, aut illam ſumendi: ſicut nec currit præceptum conficiendi tale ſacramentum quando deſunt veſtes ſacræ, vel corporalia, vel vaſa ſacra, vel quando ſacerdos non eſt ieiunus, vel ſi infirmus patiatur vomitum. Integritas autem ſubſtantialis huius ſacramenti poſtulat vtramquè ſpeciem, vt dictum eſt, nec oppoſitum conuincunt exempla adducta. Non quidem primum, quia diaconatus ex Chriſti inſtitutione eſt diſpoſitio præuia ad ordinem ſuperiorem, & ideò poteſt conferri, & recipi independenter ab illo: etenim diſpoſitiones antecedentes ſuapte natura poſſunt poni antecedenter ad formam ad quam diſponunt, & independenter ab illa.

Nec ſecundum, quia nullus obligatur ex diuino iure, niſi ad confeſsionem quam commode facere poteſt, & ideò ad confeſsionem formaliter integram, licet materialiter, & per accidens non fiat integra, & ſimiliter nec ſacerdos tenetur præmittere confeſsionem ante celebrationem: niſi ſuppoſita copia confeſſoris: in caſu autem noſtro tenetur abſolute, ad vtramquè ſpeciem conſecrandam, & non ſub conditione ſi commodè fieri poteſt.

Alioquin, etiam liceret conſecrare ordeum, & aquam, vel vinum pomorum, quando panis triticeus, & vinum vitis commode haberi non poteſt: quod tamen nullus admittit.

Nec tertium, quia ſatisfactio in re, non eſt ita de integritate ſubſtantiali ſacramenti Pœnitentiæ, ſicut vtraquè ſpecies eſt de integritate ſubſtantiali Euchariſtiæ, ſat enim eſt ſatisfactio in voto, vel in virtute: dolor autem, & confeſsio, quia ſunt de integritate ſubſtantiali pœnitentiæ, ideò omitti non poſſunt. Quando vero integritas iudicij petit ſatisfactio

P 3 nem

nem iure, tunc illam omittere illicitum erit: vnde ſi aliquando licite omittitur eſt, quia ab æquitate iudicij non poſtulatur: & hoc ipſum ius diuinum dictat, vel permittit: in noſtro vero caſu ſemper exigitur integritas ſubſtantialis ſacramenti Euchariſtiæ, id conteſtante facto Chriſti, traditione, & communi vſu Eccleſiæ fundato in natura ipſius ſacramenti.

ART. II.

Vtrùm requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam huius ſacramenti?

(?;?)

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam huius ſacramenti. Effectus enim gratiæ non ſunt minus ordinati, quam effectus naturæ. Sed ſicut dicitur * in ſecundo de anima, omnium natura cõſtantium, poſitus eſt terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti. Ergo multo magis in hoc ſacramento (quod dicitur Euchariſtia, ideſt, bona gratia) requiritur determinata quantitas panis, & vini.

4. d. 1. q. 2. a. 1. q. 3

lib. 2. de anim. text. 41. to. 2.

2 Præterea, Miniſtris Eccleſiæ non eſt à Chriſto data poteſtas ad ea quæ pertinent ad irriſionem fidei, & ſacramentorum eius. ſecundũ illud ſecundæ Cor. 10. Secundũ poteſtatẽ quã dedit nobis Deus in ædificationẽ, & non in deſtructionẽ. Sed hoc eſſet ad irriſionem ſacramenti, ſi ſacerdos vellet conſecrare totũ panẽ, qui venditur in foro, & totum vinũ quod eſt in cellario. Ergo hoc facere non poteſt.

3 Præterea, Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris ſanctificatur per formam baptiſmi: ſed ſolum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc ſacramento ſuperflua quantitas panis, & vini conſecrari poteſt.

Sed contra eſt, quod multum opponitur pauco, & magnum paruo. Sed nulla eſt ita parua quantitas panis, aut vini, quæ non poſsit cõſecrari. Ergo etiam nulla eſt ita magna, quæ conſecrari non poſsit.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod ſacerdos non poſſet conſecrare immenſam quantitatem panis, aut vini: puta totũ panem, qui venditur in foro; aut totũ vinũ, quod eſt in dolio. Sed hoc non videtur eſſe verum: quia in omnibus habentibus materiã, ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem, ſicut materia ſerræ eſt ferrum, vt ſit apta ſectioni. Finis autem huius ſacramenti eſt vſus fidelium. Vnde oportet, quod quãtitas materiæ huius ſacramenti determinetur per comparationem ad vſum fideliũ. Nõ autẽ poteſt eſſe quod determinetur per cõparationẽ ad vſũ fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin ſacerdos paucos parrochianos habens, non poſſet cõſecrare multas hoſtias. Vnde relinquitur, quod materia huius ſacramẽti determinetur per cõparationẽ ad vſum fideliũ abſolute. Numerus autẽ fideliũ eſt indeterminatus. Vnde non poteſt dici, quod quantitas materiæ huius ſacramenti ſit determinata.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quôd cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem ſecundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum vſum ordinatur hoc ſacramentum, non eſt determinatus. Vnde non eſt ſimile.

Ad ſecundum dicendum, quôd poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium: ſecundo ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Vnde ſi ſacerdos intendat conſecrare corpus Chriſti, propter aliquem malum finem (puta vt irrideat, vel beneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat: nihilominus tamen propter poteſtatem ſibi datam perficit ſacramentum.

Ad tertium dicendum, quod baptiſmi ſacramentum perficitur in vſu materię: & ideô per formam baptiſmi non plus de aqua ſanctificatur, quam quantum venit in vſum. Sed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ. Et ideo non eſt ſimile.

21 CONcluſio eſt negatiua: quã probat Angelicus Doctor, ex eo quod finis huius ſacramenti à quo quantitas materiæ ipſius eſt deſumenda, eſt vſus fidelium, quorum numerus abſolute, & per ſe indeterminatus eſt: ergo, & materia ab hoc ſacramento poſtulata.

Circa quam doctrinam duo à Theologis in controuerſiam vocantur: nimirum de determinatione quantitatis materiæ in ſe; atque de determinatione illius, quantum ad præſentiam, & quantum ad intentionem conſecrantis. Quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An materia Euchariſtiæ ſit determinata ſecundum magnitudinem, vel paruitatem?

(?¿?)

IN hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam ſequuntur Maior in 4. diſtinction. 11. quæſtion. 1. Alenſis, quæſt. 34 membro 1. Bonauentura, diſtinction. 16. quæſtion. 4. articul 2 & Angelus, verbo *Euchariſtia*, 1. §. 25. aſſerẽtes non poſſe valide conſecrari panem, & vinum in quacumque magna quantitate: ſed debere habere aliquem præfixum terminum verſus magnitudinem, vt conſecratio valida ſit. Eandem etiam ſententiam probabilem reputat Diu. Thom. opuſculo 59. capite quinto.

Et ſuadetur tripliciter à ſuis authoribus. Primò, quia virtus per quam ſacerdos conſecrat materiam huius ſacramenti: nimirum character eſt finita, & limitata intrinſece: ergo poſtulat quod effectus ab ipſa productus habeat intrinſecam limitationem: ac per conſequens, quod materia in quam talem effectum inducit, & circa quam operatur, habeat intrinſecum terminum.

Tunc vltra: ſed hæc materia eſt panis, & vinum: ergo hæc debent eſſe intrinſece terminata quoad magnitudinem: ac proinde non quælibet magnitudo erit materia huius ſacramenti.

Prima conſequentia cum ſecunda, patet: quia propterea docet philoſophia terminum augmenti in viuentibus eſſe intrinſecũ, & per maximũ, quod ſic terminari: quia virtus augmentatiua viuentis eſt intrinſece, & poſitiue determinata. Nec valet dicere effectum huius ſacramenti nõ virtuti inſtrumẽti, ſed virtuti agentis principalis, ſcilicet Dei eſſe commenſurandũ: ac proinde nõ petere limitatã quan-

titatem in materia, quia virtus agẽtis principalis eſt infinita, & limitata.

Non inquam valet, quia eo ipſo, quod agens principale, quamtumuis infinitum operetur medio aliquo inſtrumento finito, ac limitato, effectus ab illis procedens, non virtuti infinitæ agentis principalis, ſed virtuti finitæ inſtrumenti à quo procedit immediate commenſuratur: quod patet in creatione: poteſt namquè Deus virtute ſua infinita immediatè creare producendo rem ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ſi autem vtatur inſtrumento mouendo illud per virtutem finitam à ſe diffuſam, cum hæc ſit limitata, & in ſubiecto repugnat, ſecundum doctrinam Angelici Doctoris, 1. part. quæſtion. 45. fieri rem ex nihilo, ſiue ex nullo præſupoſito ſubiecto: eo quod talis effectus non ſoli virtuti agentis principalis, ſed potius virtuti inſtrumentali, eſt proportionandus: ergo pariter materia, & effectus huius ſacramenti habebit intrinſecum terminum magnitudinis proportionatum virtuti inſtrumentali non obſtante illimitatione, & infinitate virtutis cauſæ principalis.

Secundo, quia ſacerdos non accepit à Chriſto Domino poteſtatem conſecrandi materiam panis, & vini in quam tam cumque magnam quantitatem: eo quod tantum accepit poteſtatem conſecrandi materiam deſignabilem, per pronomina illa: *hoc, & hic*: hæc autem materia deſignabilis habet terminum intrinſecum: ſiquidem debet eſſe præſens conſecranti phiſice, modo humano: & ſphera præſentiæ conſecrantis phiſice humano modo, terminum intrinſecum habet: ergo.

Nec valet dicere hoc argumento ſolum probari, quia materia huius ſacramenti, habeat terminum per accidens ratione præſentiæ, quod nec aduerſarij diffitentur; ſed non per ſe: nam materia huius ſacramenti, vt talis eſt, per ſe poſtulat, quod ſit præſens humano modo, & ſenſibili conſecranti ipſam: ergo ſi ratione præſentiæ habet terminum, etiam per ſe illum habet.

Conſequentia eſt nota, & antecedens ſuadetur, quia per ſe conuenit materiæ huius ſacramenti, quod ſit capax recipiendi verba conſecrationis, quibus veluti informatur, ſicut vniuerſaliter conuenit per ſe materiæ cuiuslibet compoſiti, quod ſit capax recipiendi formam illius conſtitutiuam: per præſenciam autem dictam redditur capax formæ: igitur huiuſmodi præſentia per ſe competit materiæ Euchariſtiæ, in quantum talis eſt.

Quæ ratio amplius confirmatur, & declaratur in hunc modum: materiæ cuiuslibet compoſiti per ſe conuenit, quod limitetur à forma quantum ad magnitudinem: ſed forma Euchariſtiæ petit materiã demonſtrabilem ſacerdoti conſecranti: nam propterea ob defectum huius conditionis panis paruus indemonſtrabilis humano, & ſenſibili modo conſecranti, non eſt apta materia conſecrationis: atqui materia demonſtrabilis ſacerdoti manifeſtè petit limitatam quantitatem: ergo, & materia huius ſacramenti per ſe petit determinatam magnitudinem:

Tertio probatur labefactando rationem, qua vtitur Diu. Thom. ex indeterminatione fidelium, in quorum vſum fuit inſtituta Euchariſtia, ex hoc enim capitè non bene accipitur talis indeterminatio in materia: propter tria.

Tum, quia vſus fidelium extrinſecus, & accidentalis eſt huic ſacramento, vt vidimus quæſtione præcedente, articulo ſecundo, quapropter valide ſacerdos conſecraret, etiam ſi non ordinaret hoc ſacramentum ad vſum fidelium, vel licet illud ordinaret ad prauum vſum: ex eo autem, quod eſt rei extrinſecum, & accidentale non rectè colligitur talis illimitatio rei, ſicut nec limitatio: ergo.

Tum etiam, quia dato, quod vſus fidelium, finis ſit per ſe intentus ab Euchariſtia, nihil inde infertur; eo quod talis vſus debet eſſe proportionatus venerationi, ſignificationi, & ſumptioni huius ſacramenti: panis autem, & vinum in maxima quantitate, nec venerationi, nec ſignificationi, nec ſumptioni ſunt proportionata, & acommodata, vt perſpicuum eſt: ergo.

Tum deniquè, quia numerus fideliũ eſt indeterminatus ſincathegorematicè, ideſt non tot quin plures: ex hac autem indeterminatione non ſequitur, quod quantitas materiæ conſecrandæ ſit indeterminata: quantitas in quam continua; ſed tantum, quod multitudo, ſiue quantitas diſcreta, ita vt ſicut numerus fidelium augeri poteſt magis, ac magis: ſic ſacerdos poteſt plures, ac plures determinatas hoſtias conſecrare: hoc enim modo ſaluatur proportio inten-

Digitized by Google

ta à D. Thoma: & quidquid requiritur ad vſum fidelium: igitur ex ratione Angelici Doctoris ſolum colligi poteſt, quod detur terminus in quantitate diſcreta materiæ Euchariſtiæ, non vero quod non detur in continua.

Secunda ſententia, negans eſt quam ſequuntur D. Thom. hic & in 4. d. 11. q. 2 art. 1. quæſtiuncula 3. & ibidem communiter Scholaſtici cum Magiſtro, vt Durãdus, Gabriel, Capreolus, & ferè omnes antiqui exceptis præallegatis in contrarium & Ledeſma q. 12. art. 2. Syluester verbo *Euchariſtia*, 2. n. 4. Suarius diſp. 43. ſect, 8 & alij Neotherici aſſerentes poſſe validè conſecrari quamcunque materiam, abſque vllo termino magnitudinis panis, & vini, ſiue in quantitate continua, ſiue diſcreta, per ſe loquendo, & ex vi formæ, ac poteſtatis exiſtentis in miniſtro,

23 Quæ ſententia, ſic explicata à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur primo, ratione veluti à priori ſumpta ex diuina inſtitutione: nam Chriſtus Dominus dedit ſacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem, & vinum abſolutè; & ſine limitatione: ergo validè poſſunt conſecrare materiam quantumcumque maximã in magnitudine, ſiue multitudine.

Conſequentia patet, quia poteſtas hæc debet commenſurari inſtitutioni, & voluntati Chriſti reuelatæ in ſacra Scriptura, & vbi lex non diſtinguit, nec limitat: nec nos diſtinguere, aut limitare debemus, iuxta regulam iuris. Antecedens autem probatur, quia talis limitatio non conſtat ex ſacra Scriptura, vtpote in qua nullus ſit locus hoc indicans: nec ex vſu fidelium, ad quem recurrunt Alenſis, & Bonauentura, nam fideles ad quorum vſum, & vtilitatem hoc ſacramentum fuit inſtitutum à Chriſto Domino dicente, *accipite, & comedite* in infinitum, & ſyncathegorematicè poſſunt multiplicari: nec ex aliquo alio fine honeſto, ad quem recurrit Angelus: nam malus finis appoſitus a miniſtro in confectione huius ſacramenti, non reddit illud inualidum. Nec ex virtute conſecratiua, ex qua voluit Paludanus limitare materiam huius ſacramenti quoad magnitudinem: nam hæc in principali agente eſt infinita. In inſtrumentali verò agente, licèt ſit talis virtus finita actu, & cathegorematicè: tamen hoc non tollit, quo minus poſsit conſecrare materiam quantumcunque maximam, imò in infinitum ſynchategorematicè: ſi aliàs haberet conditiones neceſſarias ad conſecrationem.

Nec ex ſubſtantia corporis Chriſti in quam materia conuertitur. Eo quod hæc non manet ſub ſpeciebus materiæ huius ſacramenti modo connaturali, & tanquam ſubiectum inheſionis accidentium, ſed modo ſupernaturali, & indiuiſibili, ſecundum quem contineri poteſt ſub quantitate quantumuis magna, ſiue continua, ſiue diſcreta, & tandem nec ex præſentia morali, quæ neceſſaria eſt ad conſecrationẽ: nam licèt hæc requiratur, ad ſummum arguit maximam quantitatem ineptam eſſe conſecrationi propter defectum præſentię moralis, quod nos non negamus: non verò ſecundum ſe, & ratione ſui, quod adſtruit noſtra concluſio: & non apparent alia capita ex quibus poſſet colligi talis limitatio: ergo.

Secundo probatur, quia de fide habemus verum panem eſſe materiam aptam huius ſacramenti: ſed panis in quacumque quantitate eſt verus panis: ergo eſt ſufficiens materia, & apta conſecrationi.

Tertio, quia ſi ex vſu fidelium colligeretur limitatio huiuſmodi materiæ, vt volunt Alenſis, & Bonauentura, nec per multas conſecrationes poſſet ſacerdos validè magnam quantitatem panis conſecrari, vtpotè quæ non eſſet apta vſui fideliũ: quod tamen eſt falſum, vtpotè quia de fide certum eſt ſacerdotẽ, verè conſecrare panem, etiam ſi poſt magnum numerum conſecrationum conficiat hoc ſacramentum: quia præſens conſecratio, & eius valor nõ dependet ex præteritis: ergo.

Ad primum autem pro prima ſententia, admiſſo antecedente cum prima cõſequentia, nego ſecundam, quia eadem virtus quæ ſufficit ad conuertendam paruam ſubſtantiam panis, vel vini in corpus, vel ſanguinem Chriſti, ſufficit etiam ad conuertendam magnam: eo quod talis virtus conuerſiua non termino à quo, ſiue ſubiecto proportionatur, qualis eſt ſubſtantia panis, & vini in dicta conuerſione, ſed effectui per ſe producto, & termino ad quẽ, qui eſt corpus, ſiue ſanguis Chriſti, ſub ſpeciebus contentum, & hic effectus idem eſt quoad eſſentialem perfectionem, ſiue in parua, ſiue in magna quantitate panis, & vini fiat, ac proinde non maiorem in vno caſu, quam in altero exigit virtutem; & quia non fit cum anihilatione ſubſtantiæ

panis, aut vini, ſed cum conuerſione vnius ſubſtantiæ in alteram: propterea ad huiuſmodi effectum poteſt communicari à Deo virtus inſtrumentalis per characterem ſacerdoti: cui tamen nõ poteſt communicari inſtrumentalis virtus ad creandum, vel anihilandum: ſicut ad producendum calorem vt quatuor in ſubiecto magis extenſo ſufficit eadem virtus, quæ eſt ſufficiẽs ad producendum calorem, vt quatuor in ſubiecto minus extenſo: quia talis virtus non ſubiecto ſiue paſſo, ſed effectui per ſe producto debet proportionari, qui eſt calor vt quatuor: & cum ille ſit æqualis perfectionis eſſentialis, & intenſiuæ in vno, & altero ſubiecto: ſolumque differat penes modum accidentalem maioris, & minoris extenſionis, ideò non petit maiorem virtutem per ſe loquendo ad productionem ſui in ſubiecto magis extenſo, quam in ſubiecto minus extenſo.

24 Ad ſecundum nego antecedens. Ad cuius probationem ſuſtinenda eſt ſolutio ibi aſsignata. Ad cuius impugnationem dicendum eſt, quod in materia huius ſacramenti quando ſumitur reduplicatiuè vt talis, poteſt reduplicari idquod eſt per ſe, & conuenit ei ratione ſui ſecluſo omni reſpectu ad extrinſecum: & ſic, quælibet ſubſtantia panis in quãtacunque quãtitate eſt cõſecrabilis a ſacerdote: vel reduplicatur idquod cõuenit ei per reſpectũ ad conſecrantem, & ratione præſentiæ moralis, quam humano modo debet habere reſpectu illius: & ſic per ſe poſtulat quod habeat terminum magnitudinis ſicut & quod ſit pręſens humano modo: quod autem per ſe conuenit materię huius ſacramenti cum hac reduplicatione, abſolute & ſimpliciter, per accidens illi conuenit: ſicut quod conuenit per ſe homini vt albo, ſimpliciter & abſolute per accidens conuenit homini. Ad confirmationem admiſſa maiori diſtinguenda eſt min. ſub eadem diſtinctione.

Ad tertium nego antecedens. Ad cuius primam probationem reſpondetur, quod licet actualis ſumptio ſit extrinſeca, & accidentalis Euchariſtiæ: tamen ordo ad illam, & ad vſum fidelium per ſe, & ex propria inſtitutione ei conuenit, quidquid conſecrans intendat.

Ad ſecundam, vel nego maiorem, quia licet materia huius ſacramenti non eſſet adorationi, & ſumptioni proportionata, adhuc valide conſecraretur: ſed illicite, vel admiſſa maiori, nego minorem: quia poſſent fideles ſacramentũ in magna quãtitate panis, aut vini confectum, venerari, adorare, & ſumere, talem quantitatem in partes aptas ſumptioni diuidendo.

Ad tertiam nego minorem: nam eo ipſo quod ratio Angelici Doctoris probat immediatè ex numero indeterminato fidelium non dari terminum in quantitate diſcreta: ex conſequenti & mediatè probat, nec dari terminum in quantitate continua propter numerum fidelium qui hoc ſacramento vſuri ſunt: quia etiam poſſent vti quantitate continua conſecrata vnica conſecratione: etenim ſi in quantitate diſcreta non datur terminus: quia dato quocunque numero hoſtiarum, ſi alia ſuperueniat, conſecrari poteſt, ſiue diuerſa, ſiue eadem conſecratione, & ſic in infinitum, quin deſinat conſecrari aliqua ex præexiſtentibus: vtpotè, quia nec conſecratio præexiſtentium impedit conſecrationem aduenientis, nec huius conſecratio depẽdet ex conſecratione, vel non conſecratione pręexiſtentiũ: pariter idem continget in quantitate continua: nimirùm quod ſignata quacunque magnitudine panis, vel vini, alia ei continua ſuperueniens conſecrari poſsit, ſiue eadem, ſiue diuerſa conſecratione. Et hæc de termino magnitudinis dicta ſufficiant. Reſtat modo vt in hac ſecunda parte dubij dicamus quid ſentiendum ſit circa terminum paruitatis.

25 Circa quam omnes Theologi conueniunt in duobus, & diſcriminantur in alijs duobus. Conueniunt quidem primo, in eo quod nulla ſit quantitas panis, & vini, tam exigua, quę dum eſt coniuncta cum alijs in ea portione apta conſecrationi, quæ ſimul cum illis, & cum tota portione conſecrata, non conſecretur. *Statuitur conueniẽtia in duobus omniũ Theologorũ circa terminũ paruitatis.*

Conueniunt ſecundo in eo quod nulla ex illis particulis, quæ ſimul cum alijs conſecratæ fuerunt, amittit conſecrationem per hoc quod ſeparetur à reliquis, dummodo talis ſit, vt ſub eius quantitate poſsit ſubſtantia panis, vel vini conſeruari.

Quæ ſuppoſitio defenditur ab omnibus Theologis aduerſus Maiorem in 4. d. 11. q. 2, & ſuadetur primo, quia ſpecies conſecratæ, ſiue continuæ maneant, ſiue diuiſę tamdiu ſub ſe continent corpus ſiue ſanguinem Chriſti, quamdiu ſubſtantia panis, vel vini ſub illis conſeruaretur: eo quod corpus, & ſanguis ſubrogantur

loco

loco ſubſtantiæ panis, & vini: ergo quæcunque pars quæ ſeparata à toto ſufficiẽs eſt, conſeruare ſubſtantiam panis, vel vini erit etiam ſufficiens continere corpus, ſiue ſanguinem Chriſti, ac proindè retinebit ſuam conſecrationem: qua ratione etiam manet probata prima ſuppoſitio: nam cum ſingulæ particulæ hoſtiæ conſecratæ, quã diu vnitæ manent, ſint aptæ conſeruare ſubſtantiam panis, pariter ſunt aptæ conſecrationi, ac proinde conſeruant ſub ſe corpus Chriſti.

Secundo ſuadetur expræſſa diffinitione Concilij Florentini in decreto Eugenij, ſeſs. 13. can. 3. & 4. diffinientium manere totum Chriſtum ſub ſingulis partibus ſpecierum, facta ſeparatione: quod cõtingere non poſſet, niſi ante ſeparationem ſingulæ partes eſſent conſecratæ, & corpus Chriſti continentes: & quia ibi lex nõ reſtringit, nec nos reſtringere debemus huiuſmodi decretum ad partem maiuſculam, vel minimam, & in d. can. 4. dicitur anathema oppoſitum aſſerenti, ſub his verbis: *Si quis dixerit, in particulis conſecratis, quæ poſt communionem manent, vel ſuperſunt, non remanere verum Chriſti corpus: anathema ſit.*

Tertio probatur, labefactando fundamentum Maioris, quia nimirum (arguebat ille) ſi particula ſeparata eſt ita parua, vt ſit inſenſibilis; nec erit viſibile ſignum, nec apta ad vſum, & finem huius ſacramẽti: ergo nec erit ſacramentum, ac proinde, nec retinebit conſecrationem quam habebat ante ſeparationem: quod quidem fundamentum nullius eſſe roboris patet, quia licèt talis particula ſeparata ſit inſenſibilis ac proindè vt ſic, non poſsit in eam cadere forma conſecrationis, quia non poteſt fieri præſens humano modo: tamen quando erat in toto, erat ſenſibilis ratione totius, & aliarum compartium: & hoc ſatis eſt vt in illo poſsit conſecrari: & ſeparata poſtea, conſecrata conſeruari, quia poſtquam ſemel conſecrata eſt, iam non eſt neceſſaria probatio formæ, nec præſentia, vt ibi Chriſtus conſeruetur. Sed ſatis eſt vt ſub illa poſsit conſeruari ſubſtantia panis. Hic enim etiam habet verum illud axioma vulgare in philoſophia: minus requiri ad conſeruationem, quam ad primam rei productionem.

Quod etiam exemplo animæ rationalis comprobatur, quæ vt coniuncta corpori, & ratione illius effecta ſenſibilis poteſt in ſacramento ordinis conſecrari, hoc eſt charactere ſacerdotali inſigniri: quam conſecrationem retinet ſeparata à corpore: in quo tamen ſtatu conſecrari non poteſt, nec talem characterem recipere.

26 Diſcriminantur autem primo circa partes minores minimi naturalis panis, vel vini (quem iuxta veriorem philoſophiam admittimus) dum coniunctæ manent, in duas ſententias: alij enim negant illas, vt ſic coniunctas in minimo naturali eſſe aptas conſecratione, de quorum numero ſunt nonnulli iuniores Thomiſtę in ſuis manuſcriptis, qui hanc opinionem ſibi perſuadent dupliciter.

Statuitur diſcrimẽ inter Theologos circa partes minores minimi naturalis panis, vel vini.

Primo, quia ſi medietas minimi eſſet conſecrabilis ſola per miniſtri intencionem directam ad illam, & non ad alteram compartem: ſequeretur dari ſubſtantiam panis, vel vini ſeparatam minorem minimo: conſequens repugnat: ergo & antecedens. Sequela patet, quia conſecrata medietate vna minimi, manebit in altera medietate non conſecrata ſubſtantia panis ſicut antea erat: illa autem erit iam ſeparata, & minor minimo: ergo. Nec valet dicere vtramque medietatem quantitatis minimi in illo caſu eſſe continuam, & vtramque proinde concurrere ad conſeruationem formæ; ac per conſequens dari quidẽ formam ſubſtantialem ſeparatam minorẽ, minimo in ſubſtantia, ſed non in quantitate: quod non eſt inconueniens, &c. Non inquam valet hæc ſolutio, quia vel illæ duæ portiones quantitatis eſſent continuæ, vel diſcontinuæ: ſi primum, adhuc hoc eſſet impertinens: etenim medietas cõſecrata neutiquam concurreret ad conſeruandam ſubſtantiam manentem ſub altera non conſecrata: ſed ita ſe haberet, ac ſi per conſecrationem deſtrueretur, vel omnino ſepararetur: eo quod iam nullam haberet vnionem inheſionis cum ſubſtantia panis, nec eſſe aliquem effectum formalem communicaret extẽſionis, &c. vel quãtificationis, &c. conſeruatio autem quæ à quantitate prouenit in ſubſtantiam prouenit quidem ratione vnionis, & inheſionis, quam habet cum illa: alioquin omnino peraccidens ſe habet reſpectu illius.

Si ſecũdũ, hoc non dici poteſt, quia ſubſtãtię ſub illis quantitatibus latẽtes, eſſent diuerſę rationis: quod ſatis eſt ad diſcontinuandas quantitates: vt patet in virga cuius medietas eſt viridis, & medietas ſicca; quæ propterea medietates non continuæ, ſed contiguæ tantum ſunt, eo vel maxi-

mò quod in noſtro caſu illæ medietates quãtitatis haberent diuerſum modum eſſendi: quandoquidem vna eſſet per ſe exiſtens, altera verò eſſet inhærens: qui modi tam diuerſi repugnant eidem quantitati continuæ: ergo.

27 Secundo, quia corpus Chriſti non poteſt adæquate totaliter exiſtere ſub illis ſpeciebus panis, quæ non habent diſpoſitiones ad formam panis conſeruandã, ſed medietas minimi non habet omnes huiuſmodi conditiones, vtpotè quia caret debita extenſione, quæ eſt vna ex conditionibus requiſitis ad formam panis conſeruãdam, quæ ſub quantitate citra minimum conſeruari non poteſt. Cuius manifeſtum ſignum eſt quod ſi tale minimum diuideretur: ſub neutra medietate ſeparata forma panis naturaliter conſeruaretur: ergo nec corpus Chriſti ſub illa eſſe poteſt.

28 Alij verò iuniores Thomiſtæ ſequuti Maiorem vbi ſupra, & neminem aliũ, quem viderim ex antiquis, ſiue ex Neothericis, licèt pro ſe citent Dominicum de Soto, Martinum de Ledeſma, Suar. in d. diſp. 43. ſect. 8. & Vazq. diſp. 171. c. 2. immerito tamen, quia nihil expreſſe de hoc puncto affirmant, ſed potius oppoſitũ ſentiunt, vel ſupponunt: aſſerunt talem medietatem minimi coniunctam alteri poſſe conſecrari, manente altera non conſecrata: eo quod illa coniuncta toti minimo apta eſt conſeruare ſubſtantiam panis, vel vini: & aliàs eſt demonſtrabilis *pro nomine hoc, aut hic*: ergo eſt apta materia conſecrationis.

Conſequentia probatur dupliciter: Tum quia corpus, & ſanguis Chriſti poſſunt eſſe vbi eſt ſubſtantia panis, & vini, in cuius locum ſubrogantur.

Tum etiam, quia Concilia allegata abſolutè dicunt panem, & vinum eſſe materiam huius ſacramenti, quo denotant materiam aptam conſecrationis eſſe illam, vbi verè ſubſtantia panis, ſiue vini ſaluatur.

Si dicas hac ratione ſolum probari prædictam medietatem eſſe conſecrabilem ſimul cum alia, non vero ſolam; ita vt ſit adæquata materia conſecrationis.

Sed contra vrgetur argumentum factum ſub his terminis: in illa medietate ſola, quæ eſt coniuncta alijs reperitur vera ratio ſubſtantiæ panis, vel vini: ergo ſola illa poteſt eſſe adæquata conſecrationis materia, & non ſolum inadæquata.

Patet hæc conſequentia: nam ſi membra corpus, & ſanguis Chriſti adæquate poſſunt conſtitui, vbi reperitur vera ſubſtantia panis & vini; maximè cum Concilia nihil aliud ad materiam huius ſacramenti requirant: & non eſt cur limitentur, vt à contraria opinione limitantur.

Sed vt verum fatear; licet vtraque opinio ſit probabilis, tamen magis priori aſſentior; eo quod efficaciores ſunt rationes pro illa factæ.

29 Quæ amplius confirmantur, ex eo quod ex oppoſita ſententia videtur ſequi non ſolum medietatem minimi, aut etiam medietatem vnius hoſtiæ, ſiue quamcunque eius partem determinatam, & ſignabilem, ſed etiam quamcunque eius partem proportionalem, v.g. vltimam verſus ſiniſtrum latus, vel primam verſus calicem, vel etiam omnes partes impares, poſſe conſecrari, non conſecratis alijs partibus eiuſdem hoſtiæ: eo quod verè ante conſecrationis verba continent ſubſtantiam panis, & aliàs poſſunt pro nomine *hoc* demonſtrari: quod eſt fundamentum ſecundæ opinionis, & ſi aliquid conuincit de medietate minimi, idem conuincit de qualibet parte proportionali eiuſdem minimi, ſiue hoſtiæ: & ſi nihil de hac conuincit, pariter nec de illa conuincet, vtpotè quia medietas minimi non eſt magis demonſtrabilis ad ſenſum, quam pars proportionalis.

Conſequens autem licèt admiſſum à Maiore vbi ſupra: tamen eſſe omnino falſum oſtendit Vazquius in d. diſp. 171. c. 2. inferendo duo inconuenientia, quæ nullatenus ſunt admittenda: nimirùm quamlibet partem conſecratam, non eſſe omnino conſecratam, quia cum partes proportionales ſint communicantes, vnaquæque illarum continebit in ſe conſecratam, & nõ conſecratam, ſiquidem pars impar, adhuc eſt diuiſibilis in plures pares, & impares. Rurſus quod continuum, diuiſum eſſet in omnem ſui partem: ſiquidem in conſecratis non eſſet ſubſtantia panis, in alijs verò eſſet.

Igitur ad fundamentum ſecundæ opinionis reſpondetur iuxta ſolutionem inter arguendum aſsignatam.

Ad cuius improbationem admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: alioquin pariter admittenda eſſet in parte proportionali: de qua tamen nec authores huius opinionis admittere audebunt eſſe materiam conſecrationis ſe ſola, niſi

ſimul

ſimul cum alijs partibus ſignabilibus conſecretur.

Concilia autem tantum volunt ſubſtantiam panis, & vini eſſe materiam aptã, & ſufficientem huius ſacramenti in fieri, quando eſt demonſtrabilis ad ſenſum: in facto autem eſſe, & in conſeruari, quando eſt capax retinendi aliqua pars, ſiue coniuncta, ſiue ſeparata ſubſtantiam panis, ſiue vini.

Diſcriminantur ſecundo Theologi circa aliam conditionem, ſcilicet ſenſibilitatis, quam diximus etiam requiri in materia adæquata conſecrationis, in duas ſententias: alij enim de quorum numero eſt Soto in 4. d. 9. q. vnic. art. 1. docent quamcũque minimam partem panis. v. g. in qua ſubſtantia panis poſsit conſeruari, licet ratione paruitatis ad ſenſum deſignari non poſsit poſsitiue; conſecratum corpus retinere, & à principio conſecrari.

Quam ſententiam ſuadet Soto dupliciter: primo, quia vt materia ſit apta cõſecrationi, & ad retinendum corpus Chriſti ſemel conſecratum, ea ſolum conditio exigenda eſt, nimirum quod quantitas illius ſit ſufficiens ad conſeruandam formã panis, quia Chriſtus ſuccedit loco illius ſub ſpeciebus, nec concilia aliam conditionem exigunt, nec aliam regulam nobis aſſignant.

Secundo, quia ad rationem ſacramenti ſolum pertinet, quod ex natura ſua ſit ſignum ſenſibile, licet per accidens ratione paruæ quantitatis non ſentiatur: vnde & panis coopertus linteo, & vinum coopertum vaſe, conſecrari poteſt: ergo.

Quæ rationes amplius confirmari poſſunt duplici ſigno & veluti à poſteriori. Primum eſt, quia ſi panis ſemel conſecratus, diuideretur in partes, tam paruas quæ ſenſibiles non eſſent, adhuc maneret ſub illis corpus Chriſti: ergo etiam poſſet à principio poni ſub illis per verba conſecrationis. Antecedens ſupponitur, & conſequentia patet, quia materia ſufficiens ad conſeruandum corpus Chriſti, & ſacramẽtum Euchariſtiæ, etiam erit ſufficiens, vt conficiatur primo ex ea tale ſacramentum.

Secundum eſt, quod ſi miraculoſe eleuaretur oculus, vel alius ſenſus ſacerdotis ad percipiendam prædictam particulam iam poſſet eam conſecrare, ſiquidem iam eſſet ſenſibilis, & demonſtrabilis pro nomine *hoc*: nec non ſi per reuelationem, vel teſtimonium alterius ſacerdotis fieret certus moraliter de præſentia talis particulæ, poſſet eam conſecrare dirigendo intentionem ad illam: ſicut de facto ſacerdos cęcus conſecrat hoſtiam de cuius præſentia certificatur ex teſtimonio alterius: ergo nulla eſt particula ratione paruitatis, quæ adæquatè, & ſeparata ab alijs non poſsit conſecrari, licet per accidens non ſentiatur.

30 Oppoſita tamen ſententia verior eſt, & communiter à Theologis recepta, quam cum Maiore vbi ſupra ſequuntur Suar. in d. diſp. 43. ſect. 8. & Vazqu. diſp. citata c. 2. & Nuño in commentario huius art. Et ſuadetur hoc vnico fundamẽto, quod materia apta, & ſufficiens conſecrationi debet eſſe in indiuiduo demonſtrabilis à conſecrante per pronomen *hoc vel hic*, & ſacramentum ex tali materia conſtitutum debet eſſe ſignum ſenſibile potens, quatenus eſt tale indiuiduum immutare ſenſus media ſpecierum impræſsione: particula autem, de qua eſt diſputatio, nec eſt demonſtrabilis à conſecrante: nec poteſt hic, & nunc in indiuiduo eius ſenſus immutare, vt ſupponitur: ergo nec eſt apta conſecrationi.

Nec ſufficit ſatis eſſe, illam de ſe eſſe ſenſibilem, ac proinde de ſe eſſe capacẽ conſecrationis, licèt de facto non ſentiatur à conſecrante: & licèt per reſpectum ad illum non poſsit conſecrari. Nec ſimiliter valet inſtantia quæ adduci ſolet ab aduerſarijs de magna quantitate panis, vel vini, quæ licèt ob ſui magnitudinem tota demonſtrari non poſsit, tota tamen de ſe eſt conſecrabilis, quia ſecluſſa conditione præſentiæ, & reſpectu ad miniſtrum, habet de ſe ſubſtantiam ſenſibilem, ac demõſtrabilem. Non inquam valet prima inſtãtia, quia licet probet talem particulam paruam eſſe de ſe conſecrabilem per potentiã obedientialem ac remotã, quia potuit Chriſtus de potentia abſoluta, & ſecundum aliam legem, eam inſtituere in materiam aptam huius ſacramenti: tamen de facto, & ſecundum præſentem inſtitutionem poſtulauit Chriſtus in materia apta huius ſacramẽti dictam conditionem præſentiæ ſenſibilis cum reſpectu ad miniſtrum conſecrantem, quia de facto voluit illam eſſe demõſtrabilem dicto pro nomine: vndè licet hæc conditio demonſtrabilitatis, & præſentiæ ſit accidentalis materiæ in eſſe reſpectu capacitatis remotę hui⁹ ſacramẽti: tamẽ eſt illi intrinſeca in ratione materiæ, vt à

Chriſto

Digitized by Google

Chriſto inſtitutæ, & proximè aptæ ad cõſtitutionem huius ſacramenti.

Nec ſecunda, quia quantitas illa magna, tota cathegorematicè eſſet demonſtrabilis, licet non ſyncathegorematicè, & ſecundum omnes partes, quod non requiritur.

Ex quibus patet ad primum fundamentum Soti negando antecedens pro prima parte: nam pro ſecunda fatemur in illa particula, licèt indemonſtrabili, ad ſenſum ſemel conſecrata cum ſuo toto, & poſtea diuiſa conſeruari corpus Chriſti, quia ad hoc minus requiritur, cum iam non debeant ſupra illam proferri verba conſecrationis.

31 Ad ſecundum nego ſimiliter antecedens, ſaltem reſpectu huius ſacramẽti, quod Chriſtus voluit taliter eſſe ſenſibile quod a conſecrante demonſtraretur per pronomen *hoc vel hic*.

Ad confirmationem autem reſpondetur nihil ex illis ſignis à poſteriori conuinci: non quidem ex primo ob rationem nuper adductam. Ad quod proinde admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia.

Nec ex ſecundo, quia tunc iam ſuppoſita illa certificatione per potentię confortationem, fieret illa particula demonſtrabilis à conſecrante ad ſenſum: ac proinde apta conſecrationi: ſecus autem, ſi certificaretur per ſolam intelligibilem reuelationem: tunc enim non ad ſenſum, ſed ſolo intellectu eſſet demõſtrabilis pro nomine *hoc*: exemplum autem ſacerdotis cæci non eſt ad propoſitum, nam licèt viſu hoſtiam non percipiat, bene tamen tactu, quo & calicem in quo vinum continetur tangit, & odore percipit: quod ſi omni alio ſenſu careret, ineptus etiam eſſet ad conſecrandũ, non ob ineptitudinẽ materiæ, ſed ob impotentiam miniſtri.

Quod ſi diſpenſaretur ad conficiendum hoc ſacramentum, poſſet quidem cõſecrare ritè, & validè, percipiendo ſcilicet materiam mediãte ſenſu ſocij ei aſsiſtẽtis: quia quod per alios facimus, vel ſentimus, per nos facere, aut ſentire exiſtimamur: dũmodo linguæ vſu, aut tactu non careret, cum hoc enim exiſtimo diſpenſari non poſſe: vt Miſſæ ſacrificium peragat.

Dubium ſecundum eſt. An materia conſecranda debeat eſſe præſens conſecranti, & quam præſentiam debeat habere: nec non an ſit determinanda in ſingulari per conſecrantis intentionem?

32 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in hoc quod materia validè conſecranda debeat habere aliquam præſentiam ſenſibilem, ſiue localem, & phiſicam. Cuius ratio à priori eſt quam aſsignant D. Th. in 4. d. 11. q. 2. a. 1. Maior q. 2. Paludanus q. 1. a. 3. Durand. q. 6. Soto d. 9. q. 1. a. 2. Martin. de Ledeſma 1. p. 4. q. 15. a. 1. Victor. in ſumman. 58. & Suar. in d. diſp. 43. ſect. 3. ex ipſa Chriſti inſtitutione quę nobis manifeſtatur per traditionem Eccleſiæ, & fundatur in verbis formę conſecrationis quæ eſt forma ſigni ſenſibilis continens pronomina *hoc, & hic*, quæ ex vi ſuæ ſignificationis deſignant rẽ præſentem aliquo modo ſenſibus proferentis: ſuponimus autem verba huius formæ proferri à ſacerdote formaliter, & ſignificatiuè: & non tantum materialiter, ac per modum recitantis.

Quæ ratio cum ſumatur ex Chriſti inſtitutione, & traditione Eccleſiæ in facto Chriſti fundata, qui circa materiam ſibi præſentem verba huius formæ protulit, reuera procedit à priori. Cui poteſt etiam addi alia ratio à poſteriori, ſiue a congruentia, & inconuenienti petita. Nimirũ quia oportet conſecrationem eſſe humano modo certam: ad hoc autem requiritur vt feratur ſupra materiam certam, præſentem, ac determinatam.

Alias poſſet ſacerdos Salmanticæ exiſtens conſecrare totum panem qui exi-

ſtit Matrici: quod eſt abſurdum: ergo.

Si dicas, per hæc pronomina aliquando deſignari rem præſentem intellectui, vel imaginationi tantum: & non ſenſibus externis: vt patet in forma ſacramenti matrimonij in qua continetur pronomẽ *te*, quod ex modo ſignificandi non poſtulat minorem præſentiam, quam pronomen *hoc*: & tamen non requirit præſentiam ſenſibilem, & localem perſonæ deſignatæ. Et ſimiliter in ſacramento pœnitentiæ, in cuius etiam forma apponitur præfatum pronomen *te*, & nihilominus poſſum abſoluere aliquem abſentem quando profero formam, dummodo fuerit mihi præſens, dum peccata confitebatur: ergo, &c.

Reſpondeo ad obiectionem quod in ſacramento matrimonij dato verba illa eſſe formam debet pronomen *te*, accommodari iuxta materiam contractus ſupra quã tale ſacramentum fundatur, contractus autem ad ſui validitatem non poſtulat pręſentiam phiſicam, & ſenſibilem contrahentiũ ſed poteſt celebrari inter abſentes, quorum conſenſus ſunt moraliter præſentes per litteras, vel per procuratores: at verò non ſic ſe habet res in noſtro caſu, & ſacramento, quod aſsimilandum eſt baptiſmo, & pœnitentiæ, quorum formæ ad ſui verificationem petunt phiſicam, & localem præſentiam rei demonſtratæ per pronomina. Vndè ad confirmationem nego poſſe abſolui illum abſentem, & ſi poſſet non deficeret probabilis ratio diſparitatis, nimirùm, quia inſtitutum eſt per modum iudicij, quod in abſentem proferri poteſt: vt q. 84. videndum eſt.

33 Diſcriminantur autem in explicando, quæ & qualis debeat eſſe huiuſmodi præſentia ſenſibilis, in tres ſententias. Prima eſt Vigerij lib. inſtitutionum c. 16 §. 3. aſſerentis debere eſſe talis conditionis, & propinquitatis, vt verba formæ poſſint revera, vſque ad materiam conſecrandam peruenire, & illam contingere.

Secunda eſt Maioris, vbi ſupra aſſerentis ſufficere ad huiuſmodi præſentiã, quod materia ſit loco propinqua, licèt nõ ſit in cõſpectu conſecrantis, ſed tantum at ergo ipſius: eoquod hoc ſufficit vt dicta pronomina verificentur, ſiue vt talẽ materiam per illa poſsimus verè deſignare.

Tertia, nihilominus, & verior ſententia aſſerit ad huiuſmodi præſentiã ſufficiẽtẽ, & neceſſariã, nec requiri propinquitatẽ illã localẽ aſſignatã à Vigerio, nec ſufficere illam, quam Maior aſsignat, ſed requiri quod materia conſecranda ſit aliquomodo in proſpectu ſacerdotis, & vt non ſit nimis diſtans, etiam ſi oculis videri poſsit.

Quæ à nobis ſtatuitur pro concluſione vtpotè quia eſt D. Th. vbi ſup. quã, & cõmuniter Theologi amplectuntur, & probant nuper relati. Primò, quidem quia eſt conſentanea vſui Eccleſię, quę ſemper verba conſecrationis nõ niſi circa materiã hoc modo præſentem protulit.

Secundo, quia talis materia debet eſſe deſignabilis prędictis pronominibus: quæ nõ deſignãt niſi rẽ pręſentẽ, & quæ eſt corã proferẽte: nec enim illa quæ vel occulis nõ videmus, aut nõ ſunt coram nobis: aut quæ nimis diſtãntia ſunt ſecũdũ cõmunem modũ loquẽdi, & moraliter dicũtur præſentia nobis, quãuis reuera phiſice præſentia ſint viſui, quẽadmodũ nec illa quæ ſolo auditu, vel olfactu percipimus ſunt ita præſentia vt ſecũdũ cõmunẽ modũ loquẽdi poſsimus illa præſẽtia appellare. Igitur debet eſſe in ea propinquitate, qua facile oſtẽdi poſſet per pronomẽ *hoc*, & nõ per pronomẽ *illud*: quę propinquitas arbitrio prudentis viri iudicanda eſt penſatis omnibus circunſtantijs; nec alia certa regula aſsignari poteſt.

Deinde quod illa propinquitas, quã aſsignat Vigerius, non requiratur, probatur, quia materia quæ eſt in cõſpectu ſacerdotis, vel corã illo etiã ſi de facto nullo ſenſu eã percipiat in ſe, dũmodo certificetur, aliũde de ipſius præſentia, validè poteſt cõſecrari: vndè hoſtię incluſę in pixide rite cõſecrãtur: & idẽ dicẽdũ eſt de prædicta materia etiã ſi non tangatur manu immediate vel mediatę (licèt oppoſitũ ſenſerit Paludan.) & ſimiliter quamuis verba conſecrationis non poſsint illã contingere per aerẽ repercurſũ, vel per ſpeciẽ intentionalẽ: eo quod in omnibus his caſibus ſaluatur materiã eſſe coram ſacerdote, & morali, atque humano modo præſentẽ, ac percõſequẽs deſignabilem per pronomen *hoc*, vel *hic*. E contra autẽ propter oppoſitã cauſã, nec ingẽtẽ panis acerbũ qui à leucæ diſtantia percipitur, neq; panẽ, & vinũ quæ abſentia olfactu ſẽtiũtur, neque materiã atergo poſsitã niſi ſacerdos vertat faciem; ſeu manu illam teneat contra Maiorem conſecrari poſſe dicimus.

34 Dixi de materia atergo exiſtenti niſi ſacerdos vertat faciem, vel manu illam teneat, tunc enim exiſtimo

conſe-

conſecratum eſſe cum doctiſsimis Theologis, quia videtur ſic conſtitui coram ſacerdote: peccaret tamen grauiter, qui ita conſecraret propter irreuerentiam, & propter periculum non conficiendi hoc ſacramentum, cui nemo ſe exponere poteſt, ſaltim ſine vrgenti neceſsitate, in qua, vt infra referam, licet vti materia non omnino certa iuxta aliquos Doctores, nec materia inter quam, & conſecrantem interponatur aliquod corpus opacum, quod nõ ſe habeat per modum continentis, vel cooperculi, tũc enim relinquitur talis materia incapax vt deſignetur pro nomine *hoc*. Dixi quod ſi tale corpus non habeat ſe vt cõtinens, vel cooperculum, nam ſi hoc munus gerat non obſtabit, continẽs namque & cooperculum non tollunt quin contentum, & coopertum deſignentur pro nomine *hoc*, propriſsimè enim & vſitate pronomen *hoc*, prolatum ſuper continens, & cooperculum deſignat rem contentam, & coopertam.

Si autem interroges an materia cõſecrabilis debeat habere præſentiam huiuſmodi phiſicam & moralem ſecundum ſe totam, vel ſufficiat eam habere ſecundum aliquas partes?

35 Reſpondent huic dubitationi nonnulli iuniores, de quorum numero eſt Vazquius in dicta diſputat. 181. capit. 4. circa finem, quod ſi materia eſt continua ſatis eſt habere huiuſmodi præſentiam ſecundum aliquam ſui partem tantum, vt tota valide conſecretur. Eóquod quando totum aliquod conſtituit vnum cum partibꝰ præſẽtibꝰ apte poteſt deſignari per pronomen *hoc*, licet non ſit præſens ſecundum ſe totum: nam qui proximus eſſet vni parti alicuius montis, congruenter poſſet dicere, hic mons habet vnam leucam, vel ſua altitudine attingit nubes: igitur pariter ſi adeſſet coram ſacerdote mons panis, v.g. totus poſſet conſecrari: & ſi totum mare in vinum conuerteretur, poſſet ſacerdos e littore, illud conſecrare.

Sed verius reſpondent Suarius vbi ſupra, Nunio in commentario huius articuli, & alij recentiores non ſufficere præſentiam ſecundum partem materiæ, ſed requiri præſentiam ſecundum totum, & omnes eius partes: eoquod licèt partes aeris, v.g. ſint mihi præſentes, tamen hoc nõ ſufficit vt totus aer exiſtens inter cœlum, & terram dicatur mihi præſens: ſimiliter nec totum mare Occeanum eſt præſens nauiganti per hoc quod aliquæ partes ſint ei præſentes, nimirum illæ per quas nauis vehitur, nec totus aliquis mõs magnus ſit mihi humano modo loquendi præſens, quia partes propinquiores ſint mihi præſentes, verum quidem eſt me poſſe dicere hunc montem pertingere nubes, & hoc mare ſignatis partibus propinquioribus, quæ sũt iuxta littus pertingere Americam hinc Aſiam: tamen hoc non eſt ſatis ad præſentiã moralem, quam petit materia conſecrationis: petit namque quod ſit deſignabilis ſenſibiliter à conſecrante: non ſolum quantũ ſufficit, vt dicatur *hoc*, quomodocunque: ſed *hoc*, quod eſt mihi præſens: & quod habeo in meo conſpectu: ac proinde incredibile eſt, quod totum mare Occeanum in vinum conuerſum miraculosè: poſſet ſacerdos e littore conſecrare: ſed in eo caſu tantum conſecraret partes illas quæ gauderent huiuſmodi morali præſentia: quam dũximus penſandam eſſe penes prudentum iudicium, & communem morem loquendi, attentis omnibus circumſtantijs, ſeruataque ex alijs rebus proportione.

36 Dico ſecundo. (vt ſecundæ parti præſentis dubij ſatisfaciam) Neceſſarium eſt quod ſacerdotis intentio feratur determinatè, & in ſingulari ſupra materiã, quam eſt conſecraturus. Quæ concluſio etiam ſuſtinetur à præfatis Theologis in locis præallegatis, & ab omnibus eſt communiter recepta, & oſtẽditur ex eoquod ſacerdos conſecrans, ſingularem actionem humanam exercet, vtens forma quæ ex propria ſignificatione petit materiam determinatam, & in particulari deſignabilẽ, ac demonſtrabilem: igitur debet habere intentionem quæ feratur ſupra determinatã materiam, vt eius actio conſecratiuà ſit valida, & ſortiatur ſuum effectum: conſequentia patet, quia hoc modo, & non aliter conformat ſe modo operandi, & formæ ſacramenti, ſicut idem, & propter eandem rationem requiritur in miniſtro baptiſmi reſpectu perſonæ baptizandæ, vnde ſequitur ſacerdotem qui intenderit conſecrare ex octo hoſtijs quas habet coram ſe, quatuor non deſignans per intentionem, quas ex illis in particulari, nullam conſecraturum, & idem contingeret, ſi velit conſecrare dimidiam, vel quartam partem vnius hoſtiæ, & non deſignet, quam in particulari.

Digitized by Google

Dices: quid ſi ſacerdos remitteret ſuam intentionem in Deum, vel in alium hominem, ſcilicèt intendens præferre formam ſupra illam hoſtiam, quam Deus, verbi gratia, vel Petrus voluerit? Reſpondeo in primo caſu inualidam fore conſecrationem, quia Deus remiſsit miniſtris ſuam intentionem, vt ipſi deſignarent determinatam materiam per pronomen *hoc*, vel *hic*, vt ſic materia conſecrata fieret eis nota.

Nec vrget in contrarium paritas ſacrificij quod offerri poteſt pro anima purgatorij, quam Deus voluerit: quoniam remiſsio pœnæ fit à ſolo Deo: ſacramentum autem fit à Deo per miniſtrum, vt vult Suarius, vel quia de eſſentia huius ſacramenti eſt deſignatio materiæ in particulari, vt dicendum eſt: non autem eſt de eſſentia ſacrificij deſignatio perſonæ pro qua offertur.

Quæ ſolutio magis conſentanea eſt noſtris principijs hucuſque traditis. Vndè præferenda eſt primæ ſolutioni Suarij, quæ etiam infirmari poteſt ex eo quod ſicut ſacramentum fit a Deo per miniſtrũ, vt inſtrumentum, ita remiſsio pœnitentiæ fit à Deo per ſacrificantem tanquam per inſtrumentum. Multoquè minus apparens eſt reſponſio Vazquij negantis aſſũptum nimirum poſſe offerri ſacrificium pro anima, quam Deus voluerit, quia non apparet ratio quare non poſsit offerri ſacrificium pro anima, quam Deus voluerit: ſicut & poteſt offerri pro anima magis indigenti, vt ipſe Vazquius fatetur; & fatendo hoc ſecundum, minus conſequenter negat primum.

In ſecundo verò caſu reſpondeo, quod ſi conſecrans tunc non cognoſcat quid deſignauerit Petrus in particulari, nulla erit conſecratiò. Benè tamen ſi conſecrans ante prolationem verborum cognoſcat quid Petrus deſignauerit: tunc enim iam verificaretur forma: quia faceret hunc ſenſum: *Hoc* quod hic habeo deſignatum à Petro, & cuius deſignatio eſt mihi nota, *Eſt corpus meum*: etenim in hoc caſu iam deſignatio verè fieret à conſecrãto.

57 Dico tertio. Ad huiuſmodi determinationem non requiritur realis diuiſio, ſeu diſcontinuatio partiũ, nec numeratio hoſtiarum; ſed ſufficit quod materia præſens deſignetur per intellectum condiſtincta ab alijs. Cuius ratio eſt, quia licèt non fiat realis ſeparatio, ac diuiſio partiũ eiuſdem hoſtiæ, nec hoſtiarum numeratio ſi tamen per intellectum deſignetur materia condiſtincta ab alijs, & præſens, redditur apta vt terminet actionem ſingularem conſecrantis, & demonſtretur per pronomen *hoc*: igitur non eſt neceſſaria talis ſeparatio, ſiue numeratio, ſed ſufficit deſignatio per intellectum modo dicto.

Hinc reſoluuntur varij caſus morales. Primus eſt, quando ſacerdos intendit vnam partem determinatam hoſtiæ conſecrare, & non alteram. Secundus eſt, ſi contingat ſacerdotem velle conſecrare omnes hoſtias præſentes quas exiſtimat eſſe decem, & ſunt vndecim. Tertius eſt, quando intendit conſecrare ſolum decem hoſtias præſentes: & inuenit vndecim. Quartus eſt, ſi contingat in lateribus interioribus calicis inueniri aliquas guttas vini poſt cõſecrationem, quid ſentiendum de illis?

Ad primum enim caſum dicendum eſt, quod ſi ſacerdos per intellectum determinet illam partem, quam vult conſecrare, licet eam realiter ab alijs non diuidat, tenera illa manebit conſecrata, ſecus verò ſi ſit proportionalis pars: quia hæc non eſt deſignabilis in particulari, vt ſuperius dictũ eſt.

Ad ſecundum dicendum eſt illas omnes hoſtias manere conſecratas: quia licet ſacerdos erret in numero: tamen hic error tenet ſe ex parte intellectus & non reſtringit intentionem quæ eſt in voluntate: ac proinde nec tollit quominus talis intentio tunc feratur ſupra omnes hoſtias præſentes quæ ſunt vndecim; actus enim agentium operantur iuxta eorum intentionem. Nec obſtat ratio Paludani vbi ſupra negantis, quia nimirum illa hoſtia ſuperaddita præter intentionem ſacerdotis, non eſt deſignata per intellectum eius: ergo nec conſecrata: nam deſignata eſt virtualiter, & in cõmuni, nimirum mediante intentione conſecrandi omnem materiam præſentem: quæ intentio nec deſtruitur, nec limitatur per iudicium erroneum intellectus exiſtimantis tantũ eſſe decẽ hoſtias.

Secus verò dicendum eſt in tertio caſu, nimirũ nullã ex illis hoſtijs manere cõſecratã; quia tunc conſecrans expreſſe intendit conſecrare decẽ tantũ, & non plures: & ſic nulla illarũ manet cõſecrata: quia nõ eſt maior ratio de vna quã de alia: niſi ſacerdos vellet cõſecrare decem ſibi propinquiores, vel quas ſeparauit, & non alias: tunc enim illæ decem manebunt

conſecratæ. Vltimæ verò in conſecrata.

Denique ad quartum caſum dicendum eſt, quod ſi ſacerdos vellet ſua intentione eas guttas etiam compræhendere, & deſignare per pronomen *hic*. reuera manerent conſecratæ: ſi tamen ſacerdos habeat intentionem, quam communiter, & licitè poteſt, ac debet habere, probabilius eſt eas inconſecratas manere, quia debita, & communis intentio miniſtri non fertur, niſi ſuper illam quantitatem vini, quæ in fundo calicis continetur, & omnes ſui partes continuas habet: propter reuerentiam tamen tanti ſacramenti eas debet linteo abſtergere, ne forte poſt conſecrationem deſluant ad materiam conſecratam, & ei admiſceantur, vbi ſanguis Chriſti continetur.

ART. III.

Vtrum requiratur ad materiam huius ſacramenti, quod ſit panis triticeus?

4.d.11.q 2.a.2.q.1 et d.19.q 1.a.2 q.3 ad 1.et 4. cõ.c.68. ar 1.Co.ir l.7.in pri.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad materiam huius ſacramenti, quod ſit panis triticeus. Hoc enim ſacramentum eſt rememorationum dominicæ paſsionis. Sed magis videtur eſſe conſonum dominicæ paſsioni panis ordeaceus, qui eſt aſperior, & de quo etiam Chriſtus pauit turbas in monte, (vt dicitur Ioan. 6.) quam panis triticeus. Ergo panis triticeus non eſt propria materia huius ſacramenti.

2 Præterea, figura eſt ſignũ ſpeciei in naturalibus rebus. Sed quædã frumenta ſunt, quæ habent ſimilem figuram grano tritici, ſicut far, & ſpelta: de qua etiam in quibuſdam locis panis conficitur ad vſum huius ſacramenti. Ergo panis triticeus non eſt propria materia huius ſacramenti.

3 Præterea, permixtio ſpeciem ſoluit. Sed vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionẽ non habeat, niſi fortè de electis granis ſtudioſê fiat. Non ergo videtur, quod panis triticeus ſit propria materia illius ſacramenti.

4 Præterea, illud quod eſt corruptum, videtur eſſe alterius ſpeciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui iam non videtur eſſe panis triticeus. Ergo videtur, quod talis panis non ſit propria materia huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod in hoc ſacramento continetur Chriſtus, qui ſe grano frumenti comparat, Ioan. 12. dicens. niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Ergo panis frumenti, ſiue triticeus, eſt materia huius ſacramenti.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum* eſt, ad vſum ſacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem vſum venit. Inter alios autem panes communius homines vtuntur pane triticeo: nam alij panes videntur eſſe introducti in huius panis defectum. Et ideô Chriſtus creditur in huius panis ſpecie hoc ſacramentum inſtituiſſe, qui etiam panis magis confortat hominem, & ita conuenientius ſignificat effectum huius ſacramenti. Et ideo propria materia huius ſacramenti, eſt panis triticeus.

a.1.huĩ.q. et q.66.a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod panis ordeaceus competit ad ſignificandam, tum duritiem vete-

ris

Digitized by Google

ris legis propter duritiem panis, tum etiam quia vt Aug. * dicit in lib. 83. qq. hordei medulla, quæ tenaciſsima palea tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ ita data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus ſacramentis obtegeretur: vel ipſum populum nondum expoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi eius inhærebat. Hoc autem ſacramentum pertinet ad ſuaue iugũ Chriſti, & ad veritatem iam manifeſtatã, & ad populum ſpiritualem. Vnde nõ eſſet materia conueniens huius ſacramenti, panis ordeaceus.

*q 81. circa prin. tom. 4.

Ad ſecundum dicendum, quod generãs generat ſibi ſimile in ſpecie. Fit tamen aliqua diſsimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generatiuæ. Et ideô ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris, naſcitur ſiligo) ex tali frumẽto panis confectus, poteſt eſſe materia huius ſacramẽti. Quod tamen non videtur habere locum neque in hordeo, neque in ſpelta, neque etiam in farre; quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius. Similitudo autẽ figuræ in talibus, magis videtur ſignificare propinquitatẽ, quâm identitatem ſpeciei: ſicut ex ſimilitudine figurę manifeſtatur, quod canis, & lupus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem eiuſdem. Vndê ex talibus frumẽtis, quæ nullomodo poſſunt ex ſemine tritici generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia huius ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod modica permixtio nõ ſoluit ſpeciẽ: quia idquod eſt modicũ, quodãmodo abſumitur a plurimo: & ideô ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatẽ tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia huius ſacramẽti. Si verô ſit magna permixtio (puta, ex æquo, vel quaſi) talis permixtio ſpeciẽ mutat: vndê panis exinde confectus, nõ erit materia debita huius ſacramẽti.

Ad quartum dicendum, quod aliquando eſt tanta corruptio panis, quod ſoluitur ſpecies panis: ſicut cũ continuitas ſoluitur, & ſapor, & color, & alia accidentia mutantur: vndê ex tali materia non poteſt confici corpus Chriſti. Aliquando verô non eſt tanta corruptio, quæ ſpeciem ſoluat; ſed eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio ſaporis. Et ex tali pane poteſt confici corpus Chriſti; ſed peccat conficiens, propter irreuerentiam ſacramenti.

Et quia amidũ eſt ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo cõfectus, poſsit fieri corpus Chriſti: quamuis quidam contrariũ dicant.

Reſpondet ſanctus Doctor concluſione affirmatiua. Ex qua ĩinfert in ſolutionibus argumẽtorum omne triticũ ex granis tritici genitum etiam ſi imperfectum ſit, eſſe materiam ex qua fiet panis conſecrabilis: non verò alia genera frumenti, vt hordeum, ſpeltam, farrem, & ſimilia, quæ triticum non ſunt.

Subditque in ſolutione ad tertium, quod ſi tritico admiſceatur quantitas parua alterius frumenti, adhuc erit materia conſecrabilis, quia tũc nõ mutatur ſpecies tritici: ſecus verò, ſi admiſceatur tritico maior quantitas alterius frumenti; quia tunc mutaretur ſpecies tritici, eoquod maior quantitas affert ad ſe minorem.

Et tandem concludit in ſolutione ad quartum, quod quocunque alio modo fiat corruptio panis triticei, vſque ad reſolutionem ſpeciei, non manebit materia cõſecrationis: qua de cauſa non manebit in amido: maneret tamen, ſi ad tantam corruptionem non perueniat: licet qui hanc materiam conſecraret, peccaret quidem propter irreuerentiam. Pro huius doctrinæ elucidatione dubium ſequens eſt à nobis diſcutiendum.

Dubium eſt. An materia conſecrationis ſit ſolus panis triticeus?

38 PRo huius tituli intelligentia ſupponendum eſt tria concurrere ad conficiendum panẽ conſecrabilem in hoc ſacramento. Primum eſt grana ex quibus attritis ſit farina. Secundum eſt mixtio aquæ cum farina, vt fiat maſſa. Tertium eſt decoctio maſſæ, vt reſultet panis. De quibus omnibus ſigillatim dicendum eſt. Igitur quantum ad primum dico primo. Panis conſecrabilis, tanquam materia huius ſacramenti debet eſſe confectus ex granis frumenti, quod ſit triticum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Albertum in 4. d. 11. art. 7. Gabrielem ibidem q. 2. art. 2. & ſuper Canon lect. 35. & Argentinam in eodem 4. diſt. 11. q. 1. & Caietanum in hoc art. in antiqua impræſſione aſſerentes non ſolum panem confectum ex tritico, ſed ex granis cuiuſcũque alterius frumenti eſſe materiam ſufficientem, & neceſſariam huius ſacramenti.

Sed noſtra concluſio eſt communiter a Theologis recepta, quam tuentur Bonauentura, Ricard. Durand. Paluda. & Scotus in eodem 4. d. 11. Soto ibidem diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 2. Alenſ. 4. p. q. 10. membro 4. art. 1. §. 4. Diuus Thomas in 4 diſtinct. 11. & 4. contra gentes cap. 69. & in hoc art. 3. Suarius hic diſputat. 44. ſection. 1. & Vazquius diſputatio 170. capit. 3.

Ac proinde ſuadetur primo ratione qua vtitur, Diu. Thomas in argumento. *Sed contra*, ſub hac forma: ſub ſpeciebus panis conſecrandi ponitur Chriſtus, qui ſe cõparat grano frumenti Ioan. 12. dicens: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, &c. : ergo congruum eſt panem conſecrandum eſſe confectum ex granis frumenti, de quo ſit ſermo in Euangelio: certum autem eſt fieri ſermonem de frumento tritici: nam licèt ſecundum Plinium lib. 1. naturalis hiſtoriæ, & ſanctum Iſidorum lib. 17 ethimologiarum capite tertio latius pateat frumentum, quam triticum, ſiquidem comprehendit hordeum, ſpeltam, & omnia alia quæ in calamo ſpicam proferunt ariſtis ornatam. Tamen in ſacra Scriptura regulariter ſumitur pro tritico, vt conſtat Geneſis quadrageſsimo quarto, Deuteronomij 8. Ezechielis 4. & Ioelis primo, vbi manifeſte condiſtinguitur frumentum ab hordeo, & ab alijs frumentis, ac per conſequens accipitur determinate pro tritico: dum dicitur: *Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vinitores ſuper frumento & hordeo, quia perijt meſsis agri*; præmiſſũq; fuerat paulò ante, *depopulata eſt regio, quoniam deuaſtatum eſt triticũ*: & Pſalmo 80. *Cibauit eos ex adipe frumenti*, & Pſalmo 146. *Ex adipe frumenti ſatiat te*: in quibus locis præfiguratur Euchariſtia iuxta communem Patrum interpretationem: & nomine frumenti intelligitur triticum, quod eſt adeps frumenti. Imò in illo Ioann. 12. loco frumenti habetur in Græco triticum, vt oſtendit Turrianus lib. ſecundo de Euchariſtia capite trigeſsimo tertio, & Hieronym. Zachariæ 9. vbi dicitur: *Frumentum electorum*: ait intelligi triticum: igitur materia ſufficiens, & neceſſaria Euchariſtiæ obumbratæ ſub adipe frumenti debet eſſe triticum, quod eſt adeps frumenti: & pro quo accipitur iuxta communem phraſim ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum, & communem vſum ſic accipientem frumentum abſolute prolatum.

Secundo ſuadetur ratione, qua D. Th. vtitur in corpore articuli ad hanc formam redacta: ſicut ſacramentum baptiſmi fuit inſtitutum ad modum ablutionis, & ſacramentum Extremævnctionis ad modũ Vnctionis naturalis, ita ſacramentum corporis Chriſti fuit inſtitutum ad modum cibi: igitur ſicut pro materia neceſſaria baptiſmi, & Extremævnctionis fuit inſtitutum à Chriſto Domino id, quo magis apte, & regulariter homines abluuntur, & vnguntur, ſcilicet aqua elemẽtalis, & oleũ oliuæ: ſic pro materia neceſſaria ſacramẽti corporis Chriſti fuit aſſumendum illud alimentum, quo homines magis aptè & regulariter cibantur.

Quod

Quod procul dubio eſt panis confectus ex granis tritici: ita vt ſi aliquando alio cibentur, hoc eſt in defectum illius: & meritò quidem quia medio ipſo fit aptius, & melius corporis confortatio: ergo ille fuit aſſumptus a Chriſto in materiam huius ſacramenti, cuius effectus eſt cibare animam ſpiritualiter eam confortando: vnde & in eodem pane triticeo Chriſtum Dominum conſecraſſe pro certo habendum eſt.

40 Tertio probatur concluſio auctoritate Concilij Florentini in decreto Eugenij aſſerentis materiam huius ſacramenti Euchariſtiæ eſſe panem triticeum. Et quidem quod loquatur de materia neceſſaria ſimpliciter, & non ſolum de materia ſufficiente, ſeu indubitata, & neceſſaria neceſsitate præcepti: patet dupliciter.

Tum quia in initio dicti decreti præmittit Concilium in eo tradendam eſſe hortodoxam fidei veritatem, quam Romana Eccleſia profitetur: & hoc intentum proſequens aſsignat pro materia baptiſmi aquam, & pro materia ſacramenti ſanguinis vinum de vite, & pro materia ſacramẽti corporis panem triticeum: atqui aſſignans aquam pro materia baptiſmi, & vinum pro materia ſacramenti ſanguinis, nõ ſolum materiam ſufficientem & tutiorem, quæ ſatis erat pro inſtructione Armenorum: ſed etiam neceſſariam ſimpliciter, & vniuerſaliter aſsignauit: ergo pariter aſsignans panem triticeum pro materia ſacramenti corporis &c.

Tum etiam quia alias nihil certi haberemus ex illo decreto Eugenij circa materias, & formas eſſentiales ſacramentorum, ſi illa interpretatio ſemel admitteretur: conſequens autem abſque manifeſto errore ſuſtineri non poteſt: ergo nec de noſtra aſſertione licèt dubitare: quam docuit Innocentius lib. 2. de myſterio Miſſæ cap. 3. & Catechiſmus Pij quinti, dicẽs illam eſſe Apoſtolicam traditionem.

Vltimo probatur, labefactando tria fundamenta, quibus contraria ſententia fulcitur. Primum eſt, quia multa Concilia & Pontifices quorum verba referuntur in capite *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & in capite *Omne crimen*, de conſecratione diſt. 2. & in cap. cum *Martha*, de celebratione Miſſarum: nec non Concil. Trid. ſeſſion. 13. c. 3. aſſerunt ſine aliqua reſtrictione panem eſſe materiam conſecrationis: & ex Euangelio ſolum colligitur Chriſtum Dominum panem conſecraſſe: atqui certum eſt, & experientia conſtat verum panem, verumquè frumentum confici ex alijs granis à tritico: eo quod panis frumenti contineet ſub ſe plures ſpecies, ex quibus verus panis conficitur: ergo ſine vllo fundamento, & non ſine periculo materia ſacramenti corporis ad panem confectum ex granis tritici reſtringitur.

Secundùm eſt, quia nullibi conſtat Chriſtum Dominum conſecraſſe in pane triticeo: cum enim ipſe edere ſoleret panẽ hordeaceum: nam Ioannis 6. refertur paviſſe turbas panibus hordeaceis, in quibus ſecundum communem Patrum ſententiam præſigurauit Euchariſtiæ ſacramentum, de quo ſtatim egit: non eſt vndè conſtet ipſum potius in triticeo, quam in hordeaceo pane conſecraſſe. Et quamuis in illo de facto conſecraſſet, adhuc non ſequitur illum ſolum eſſe materiam neceſſariam ſacramẽti corporis: propter duo.

41 Tum quia etiam conſecrauit in azymo, & tamen non ideò voluit ſolum azymum panem eſſe materiam conſecrationis. Tum etiam, quia licèt conſecraſſet vinum rubeum, illudque differret ſpecie ab albo, non propterea voluit rubeum tantum eſſe materiam ſacramenti ſanguinis: igitur ex facto Chriſti nequaquam poteſt colligi ſolum panem triticeum eſſe materiam conſecrationis. Ac proinde ratio ſancti Thomæ, quatenus in hoc videtur inſiſtere nullam habet efficatiam.

Sed nec eam habet ex ea parte, qua aſſumit panem triticeum communiorẽ eſſe vſui hominũ, & ideò illũ ſolum eſſe materiã cõſecrabilẽ: nã ille eſt panis magis cõmunis qui inuenitur vniuerſaliter, & regulariter apud omnes prouincias: huiuſmodi autem eſt frumentum generice ſumptũ, non verò triticum, vt teſtatur Pli. lib. 18. naturalis hiſtoriæ, c. 6. ergo

Tertium eſt, quia plures ſunt ſpecies tritici, ac proinde non vna ſpecies athoma panis, ſed ſub alterna erit materia cõſecrabilis. Tunc vltra: ſed hoc admiſſo, nõ eſt cur materia cõſecrationis nõ extendatur ad alias ſpecies frumẽti: præſertim quia ex granis alterius frumenti à tritico cõficitur idẽ panis ſecundũ ſpeciẽ cum illo, quod fit ex tritico: quod probat Caiet. dupliciter. Tũ quoniam ex diuerſis cibis ſpecie generatur idem ſanguis ſecundum ſpeciem: ergo ſimiliter ex diuerſis frumentis ſpecie conficietur idem panis ſecundum ſpeciem.

42 Tum etiam, quia ex granis tritici ſpecie diſtinctis conficitur idem panis ſecundum ſpeciem, qui eſt materia Euchariſtiæ: etenim huiuſmodi panis debet eſſe vnus ſicut aqua, quæ eſt materia baptiſmi, vna eſt ſecundùm ſpeciem: ergo pariter, & eadem ratione ex granis alterius frumenti conficietur idem panis ſecundùm ſpeciẽ cum illo, qui fit ex tritico. Vndè ſicut ex pane confecto ex vno tritico ſpecie diſtincto ab alijs reſultat vera materia Euchariſtię, eoquod ex omnibus triticis fit idem ſpecie panis. ita ex omnibus frumentis ſpecie diſtinctis conficietur idem panis ſecundum ſpeciem cum illo, qui conficitur ex tritico: ac proinde omnia frumenti grana erunt apta vt ex illis fiat panis conſecrabilis, & materia ſacramenti corporis Xpi.

Satisfit argumentis, propoſitis. Ad quorum primum ſatis conſtat ex dictis: quod Concilia, & Pontifices nomine frumenti, & panis, quem dicebant eſſe materiam neceſſariam Euchariſtiæ, intellexerunt triticum, licèt id non expræſſerint: propter duo: tum quia frumentum iuxta phraſim ſacræ Scripturæ, & morem loquendi ſanctorum Patrum vſurpatur pro tritico.

Tum etiam quia loquebantur dè frumento ex quo conficitur panis vſualis & communis apud homines: hunc autem ex ſolo tritico confici conſtat ex dictis:

Ad ſecundum negandum eſt antecedens: imò pro certo habendum eſt Chriſtum conſecraſſe panem triticeum. Nec oppoſitum colligitur ex adducto loco Ioãnis: quia panes illi hordeacei non apud Apoſtolos, ſed apud puerum extraneum inventi fuerunt, nec enim Chriſtus, & Collegium Apoſtolicum hordeaceo pane cõmuniter vtebantur: quamuis in illa occaſione illo vſi fuerint, & in alijs ſimilibus, non tamen credendum eſt Chriſtum illo vſum fuiſſe quando Euchariſtiam inſtituit: quoniam tunc vſus fuit pane azymo, quo & Iudæi vtebantur in Paſchate, quod procul dubio ex puriſsimo tritico conficiebatur. Et admiſſo quod etiam vterentur pane fermentato, & hunc Chriſtus conſecraſſet, non eſt veriſimile fuiſſe hordeaceum: indecens enim valde erat hominẽ diuitem apud quem diſcipuli parauerunt Paſcha Chriſto Domino apponere hordeaceum panem, qui ſimpliciter non appellatur panis niſi cum addito ſcilicet hordeaceus.

43 Ad tertium licèt aliquibus placeat cum Diuo Thoma in 4. diſtinct. 11. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 3. & lib. 4. contra Gentes capit. 69. non admittere plures ſpecies tritici, iuxta quam ſententiam negandum eſſet antecedens argumenti.

Sed admiſſo cum alijs authoribus probabiliter ſentientibus tritici eſſe plures ſpecies athomas, & vnam ſubalternam dicendum eſt omnes & ſingulas eius ſpecies eſſe aptas ad materiam Euchariſtiæ: ſicut licèt contritio, & attritio ſpecie differant, tamen ſunt apta materia pœnitentiæ. Et tunc negandum eſt antecedens ſubſumptum, eoquod ſpecies alterius frumenti à tritico non verè participant eſſentiam tritici, & pariter negandum eſt aſſumptum Caietani.

Ad cuius primam probationem neganda eſt conſequentia, & ratio diſparitatis eſt quod ſanguis, licèt fiat ex diuerſis alimentis; conficitur per actionem eiuſdem caloris naturalis, & ordinatur ad ſuſcipiendam informationem eiuſdem animæ: & ideò in diuerſis animalibus ſanguis eſt diuerſę ſpeciei, etiam ſi fiat ex eodem alimento: panis verò fit ex frumentis diuerſis ſicut miſtum ex elementis.

Ac propterea ſicut pro diuerſitate miſcibilium diſponitur materia, & recipit formas ſpecie diuerſas: ita ex frumẽtis ſpecie diſtinctis reſultant panes etiã ſpecie diſtincti: alius quidem aptus conſecrationi, alius verò ineptus, & incapax conſecrationi.

Ad ſecundã iã patet ex dictis: ſi nõ dentur plures ſpecies tritici. Si verò dentur: reſpondetur ex ipſis confici panes ſpecie diuerſos, omnes tamen aptos conſecrationi. Nec enim oportet materiam ſacramenti eſſe ſemper in omnibus vnam ſecundum ſpeciem, vt oſtendi in ſacramento Pœnitentiæ, licèt in baptiſmo, & alijs id contingat ex peculiari ratione.

Dico ſecundo. Illud frumentum debet haberi pro tritico, quod in communi vſu, & ſecundum prudentem exiſtimationẽ fundatam in effectibus, qualitatibus, & accidentibus rei, pro tali apud homines haberi ſolet, ac proinde ſi ſecundum prudentum iudicium dubitetur de aliquo frumento an ſit triticum, non eſt apponẽdum pro materia Euchariſtiæ. 44

Hæc concluſio ſola indiget explicatione. Et quidem pro prima parte declaratur ſic, deſcendendo ad ſingularia, quia in practicis ſermones in ſingulari ſunt vtiliores, aliqua

grana

grana ſunt, quæ indubitate ab hominibus agriculturæ artis peritis iudicantur triticea, vt ſiligo, prout ſignificat *Candial*, & far prout ſignificat *Eſcandia*, & ſpelta quatenus ſignificat idem quod ſiligo, & alicaſtrum quatenus ſignificat triticum trimeſtre.

Quædam verò certò iudicantur non triticea, vt maicium, hordeum, panicum, milium, habena, & far, quatenus ſignificat duriuſcula grana vulgo dicta *Arroz*. de prioribus igitur, tam pro certo habendum eſt ex illis confici panem ineptum cõſecrationi, quia proculdubio triticea non ſunt. De ſiligine verò quaten⁹ ſignificat illud quod vulgo dicitur *Centeno* dubiũ eſt: nam aliqui iudicant illud non eſſe eiuſdem ſpeciei eſſentialis cum tritico.

Alij verò ſentiunt illud eſſe eiuſdem ſpeciei eſſentialis cum tritico, licèt accidentaliter differat a tritico perfecto tanquam indiuiduum minus perfectum. Ex quibus priores, panem ex illo confectum relegant à materia Euchariſtiæ; ſecus verò poſteriores, quibus magis aſſentio: & exiſtimo quod D. Thom. hic ad ſecundũ in eadem fuit ſententia dicens: panem confectum ex ſiligine eſſe conſecrabilem, eo quod ſiligo importat triticum imperfectũ. Et merito quia experientia conſtat in aliquibus terris ob earum debilitatem ex tritico perfecto ſeminato, oriri huiuſmodi ſiliginem, non autem vnum orietur ex alio niſi eſſent eiuſdem ſpeciei eſſentialis.

Deinde ſecunda pars probatur, quia dum apponitur materia dubia conſecrationis exponimur periculo faciendi nullam conſecrationem, quod abſque ſacrilegij piaculo, ſcienter, & aduertenter fieri non poteſt.

44 Quid ſi ocurrat caſus vrgentis neceſſitatis videlicet communicandi infirmum per modum viatici, & non adſit panis certo triticeus, ſed dubius, v. g. quia eſt panis permiſtus ex tritico & hordeo: aut ex tritico, & centeno apud tenentem priorem opinionem negantem illud eſſe triticum: & alias non certo conſtat an maior pars ſit triticea? Reſpondent nõnulli Thomiſtæ poſſe tunc à ſacerdote talem panem conſecrari.

Alijs verò placet oppoſitum propter dictum periculum, conficiendi nullam conſecrationem, & nullum ſacramentum: qui autem amat periculum peribit in illo: quæ ſententia in praxi videtur ſequenda, quia tutior: & quia præceptum faciendi verum ſacramentum, aut non exponendi ſe periculo faciendi nullum ſacramentũ: aut non irrogandi illi iniuriam: diuinum ac naturale eſt ordinis gratię, quod propter nullam neceſſitatem violari, aut omitti poteſt, licèt prima opinio ſpeculatiuè loquendo probabilis ſit.

45 Dico tertio. Farina ex qua cõficitur panis conſecrabilis debet eſſe non corrupta, & admixta aquæ purę, ſeu elemẽtali. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Caietanum infra art. 7. & alios relatos à Silueſtro verbo *Euchariſtia* 1. quæſt. 2. aſſerentes requiri quidem farinam non corruptam, ſed conſeruatam in ſpecie triticea: non requiri tamen mixtionem aquæ materialis, ſed ſufficere aquam roſaceam, ſiue aliam quamcunque artificialem.

Quorum fundamentum eſt, quia ſi maſſę triticeę admiſceatur hordeacea in parua quantitate, panis ex his confectus eſt materia conſecrationis: & ſimiliter vinum mixtum aquæ artificiali eſt aptum conſecrationi; igitur pariformiter panis confectus ex farina triticea adiuncta aquæ artificiali erit apta materia conſecrationis: eo vel maximè quia panis ex huiuſmodi maſſa confectus eſſet verè panis triticeus, & eiuſdem ſpeciei cum alio facto ex eadem farina, & aqua naturali: ſiquidem aqua nõ permanet in pane. ſed tota mediante decoctione exalatur.

Sed noſtra concluſio eſt Angelici Doctoris in dicto articulo ſeptimo, in ſolutione ad tertium, quem communiter Theologi ſequuntur. Et ſuadetur manifeſta ratione: quia nimirum panis triticeus vſualis quo communiter homines vtuntur ſicut petit farinam triticeam ad ſuã coagulationem, ita & aquã naturalem: ergo ſicut farina propter hoc reſtringitur ad triticeã, ita & aqua ad naturalem. Vndè ſicut maſſa confecta ex farina permixta vino, butiro, lacti, aut ſacaro, & ſimilibus nõ eſt apta ad panem cõſecrabilem, eò quod non coaleſcit ex illa panis vſualis: ſic nec permixta aquis artificialibus, quæ potius ſunt ſucci florum, radicum, & herbarum, quam aquæ. Verum ſi permixtio ita fieret vt aquæ naturali admiſceretur parua quantitas aquæ roſaceæ vel alterius licoris, non eſſet impedimentum conſecrationi, ſicut nec impediretur quominus inde reſultaret panis vſualis.

Quod autem non obſtat pani vſuali, nec obſtat materiæ conſecrabili. Ex quo reſpondetur ad fundamentum prioris ſententiæ negando conſequentiam; & diſparitas eſt quia maſſa ex qua panis vſualis conficitur, fit ex farina & aqua tanquam ex duabus partibus neceſſarijs, & principalibus: ac proinde funditus deſtruitur eius natura ex totali variatione vnius integræ partis.

Atqui dum farinæ triticeæ admiſcetur aliquid hordei, non variatur totaliter aliqua pars principalis, ſed ſecundum quid, ſiquidem tunc maior quantitas eſt triticea quæ trahit ad ſe minorem. Et ſimiliter ſi aquę naturali admiſceatur aliqua parua quantitas alterius licoris, dummodo illa prædominetur huic, relinquetur idonea ad panem conſecrabilem.

Ex quibus patet ad primam inſtanciam.

Ad ſecundam verò patet ex diſcrimine aſsignato à Diuo Thomà in loco nupercitato, vbi ait quod admixtio aquæ cum vino non eſt de neceſsitate ſacramenti, ac perconſequens nec eſt neceſſaria, vt vinum fiat materia conſecrabilis: benè tamen admixtio aquæ naturalis eſt neceſſaria ad conficiendum panem vſualem qui ſit conſecrabilis.

Ad vltimam probationem reſpondetur vno ex duobus modis: vel quod ex mixtione farinæ triticeæ cum aqua artificiali conficitur panis ſubſtantialiter diuerſus ab illo qui reſultat ex farina, & aqua naturali.

Quæ diuerſitas colligitur ex accidẽtibus diuerſis ſcilicet ſapore, colore, &c. Ad quod ſatis eſt aquam manere ibi virtualiter, ſicut elementa in mixto, vel admiſſo quod idem panis ſecundum ſpeciem reſultet ex tali mixtione, adhuc non erit materia cõſecrabilis: quia illa differẽtia accidentalis eſt ſufficiens ne ſit panis vſualis, ac proinde ne ſit idoneus conſecrationi.

46 Vltimo videndum reſtat; quo pacto maſſa hæc apta ad panem conſecrabilem ſit decoquenda? Ad quod reſolutorie reſpondeo primo illam decoquendam eſſe calore ignis modo vſitato, quo homines vti ſolent ad conficiendum vſualem panem ex maſſa, nimirum calore ſolius ignis in furno, vel in cinere, vel in alio vaſe.

Secundo colligo maſſam ipſam ante decoctionem, non eſſe conſecrabilem, quia vt ſic non eſt panis vſualis. Nec huic obſtat, quod ſit eiuſdẽ ſpeciei ſubſtantialis cum pane facto ex ipſa, quia aut id verum non eſt, vt maior, & ſanior pars Theologorum vult exceptis dumtaxat Durand. Scoto, Maiore, & Gabriele: etenim ſubſtantia tritici per calorem ſubſtantialiter transmutatur, & ſicut ex granis per contritionem fit farina, & ex farina per admixtionem aquæ fit maſſa, inter quæ eſt ſpecifica diſtinctio, ita ex maſſa per decoctionem fit panis per nouæ formæ ſubſtantialis acquiſitionem: in huiuſmodi enim rebus facilis eſt ſubſtantialis tranſmutatio. Et dato quod eſſent eiuſdem ſpeciei: adhuc non eſſet talis maſſa conſecrabilis, propter illam enim accidẽtalẽ differẽtiã ſicut non eſt panis vſualis, nec eſſet materia idonea conſecrationi.

Nec etiam obſtat, quod ſi panis ſemel coctus, vel dentium attritione, vel digitorum compreſſione redigatur in maſſã, adhuc remanet conſecrabilis: quia nunquã panis ſemel coctus quantumvis attritus, vel compreſſus redigitur in maſſam perfectam: vndè adhuc erit aptus conſecrationi; niſi tanta ſit compreſsio, ſeu attritio, vt totaliter illum corrumpat, ſicut contingere in amido notat D. Thom. ad 4. tunc enim non erit materia apta conſecrationi, quia iam ſubſtantia panis eſt corrupta.

Colligo tertio, nec maſſam butiro oleo, vel ſacaro frixam, vel elixa aqua eſſe materiam aptam conſecrationi: eo quod ex huiuſmodi mixtionibus non reſultat panis vſualis, ſiue ſit diſtinctæ ſpeciei ſubſtantialis, ſiue tantum accidentalis, ab illo qui fit ex maſſa calore ignis decocta cum aqua naturali, per mixta.

ART.

Digitized by Google

ART. IV.

Vtrùm hoc ſacramentum debeat confici ex pane azymo?

4. d. 11. q. 2. a. 2. q. 3. & 4 con. 6. 68. & op. 1 cap. 61. & Ioa. 6. co. 2

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus enim in hoc ſacramento imitari inſtitutionem Chriſti. Sed Chriſtus videtur hoc ſacramentum inſtituiſſe in pane fermentato: quia ſicut legitur Exodi 12. Iudæi ſecundum legem incipiebant vti azymis in die Paſchæ. (quod celebratur decima quarta luna) Chriſtus autem inſtituit hoc ſacramentum in cœna, quam celebrauit ante diem feſtum Paſchæ, vt habetur Ioann. 13. Ergo, & nos debemus hoc ſacramentum celebrare in pane fermentato.

2 Præterea, Legalia non ſunt obſeruanda tempore gratiæ. Sed vti azymis, fuit quædam legis cæremonia, vt patet Exod. 12. Ergo in hoc ſacramento gratiæ, non debemus azymis vti.

3 Præterea, Sicut ſupra dictum eſt, * Euchariſtia eſt ſacramentum charitatis, ſicut baptiſmus fidei, vt ſupra dictum eſt. Sed feruor charitatis ſignificatur per fermentum: vt patet in gloſſ. * ſuper illud Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum fermento, &c. Ergo hoc ſacramentum debet cõfici de pane fermẽtato.

q. 73. a. 3. ad 3. glo. interl. ibid.

4 Præterea, Azymum, & fermentatum ſunt accidentia panis, non variantia eius ſpeciem. Sed in materia baptiſmi nulla diſcretio adhibetur circa differentiam accidentium aquæ, puta ſi ſit ſalſa, vel dulcis, calida, vel frigida. Ergo in hoc ſacramento aliqua diſcretio adhiberi non debet, vtrum panis ſit azymus vel fermentatus.

Sed contra eſt, quod extra de celebration. miſſar. * cap. litteras punitur ſacerdos qui in pane fermentato, & ſcypho ligneo miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſit.

* in decre. lib. 3. tit. 41. c. litteras, & eſt vltimum illius tit.

Reſpondeo dicendum, quod circa materiam huius ſacramenti, duo poſſunt conſiderari, ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conueniens. Neceſſarium quidem eſt, vt ſit panis triticeus (ſicut dictum eſt *) ſine quo non perficitur ſacramentum. Non eſt autem de neceſſitate ſacramenti, quod ſit azymus, vel fermentatus, quia in vtroque confici poteſt. Conueniens autem eſt, vt vnuſquiſquê ſeruet ritum ſuæ Eccleſiæ in ſacramenti celebratione. Super hoc autem ſunt diuerſæ Eccleſiarum conſuetudines. Dicit enim B. Gregorius in regiſtro, Romana Eccleſia offert azymos panes, propterea quod Dominus, ſine vlla commixtione ſuſcepit carnem: ſed Græcæ Eccleſiæ offerunt fermentatum, pro eo quod verbum patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ. Vnde ſicut peccat presbyter in Eccleſia Latinorum, celebrans de pane fermentato: ita peccaret præsbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi peruertens Eccleſię ſuę ritum. Et tamen conſuetudo de pane azymo celebrandi, rationabilior eſt. Primo quidem, propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc ſacramentum inſtituit prima die azymorum (vt

art. præc.

ha-

habetur Matth. 26. & Marc. 14. & & Luc. 22.) qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum eſſe debebat: vt habetur Exod. 12. Secundo, quia panis eſt proprie ſacramentum corporis Chriſti (quod ſine corruptione conceptum eſt) magis quam diuinitatis ipſius: vt infra patebit. * Tertio, quia hoc magis competit ſynceritati fidelium, quæ requiritur ad vſum hujus ſacramenti: ſecundũ illud 1. Cor. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſynceritatis, & veritatis. Habet tamen hæc conſuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter ſignificationem quam tangit Gregor. * & in deteſtationem hęreſis Nazaræorum, qui legalia Euangelio miſcebant.

q. 76. a. 1.

** loco cit. in iſto met art.*

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut legitur Exod. 12. ſolemnitas paſchalis incipiebat in veſperis quartæ decimę lunę: & tunc Chriſtus poſt immolationem agni Paſchalis hoc ſacramentum inſtituit. Vnde hæc dies a Ioanne dicitur præcedere diem Paſchæ, & á tribus alijs Euangeliſtis dicitur prima dies azymorum, quando fermentatum in domibus Iudæorum non inueniebatur: vt dictum eſt. * Et de hoc ſupra notatum eſt plenius in tractatu Dominicæ paſsionis.†

In corp. a.

q. 46. a. 9. ad 1. arg.

Ad ſecundum dicendum, quod conficientes ex azymo, non intendunt cæremonias legis ſeruare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti, & ideô non iudaizant: alioquin, & celebrantes in pane fermentato, iudaizarent: quia Iudæi panes primitiarum fermentatos offerebant.

Ad tertium dicendum, quod fermentum ſignificat charitatem, propter aliquem effectum: quia ſcilicet panem facit ſapidiorem, & maiorem. Sed corruptionem ſignificat ex ipſa ratione ſuæ ſpeciei.

Ad quartum dicendum, quod quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non poteſt confici hoc ſacramentum (vt dictum eſt *) ideo magis attenditur circa panem differentia azymi, & fermentati, quam circa aquam baptiſmi, differentia calidi, & frigidi. Poſſet enim tanta eſſe corruptio fermẽti, quod ex eo non poſſet confici ſacramentum.

a. 3. huius q. ad 4. argum.

Resolutio Angelici Doctoris tria continet aſſerta. Primum eſt non eſſe de neceſsitate materiæ Euchariſtiæ, quod ſit panis azymus determinatè: ſed valide poſſe confici, tam in azymo, quam in fermentato.

Secundum eſt debere nihilominus, & teneri ex præcepto ſacerdotẽ Latinum in azymo conſecrare, Græcum vero in fermentato: eo quod vnuſquiſque tenetur ſe conſuetudini propriæ Eccleſiæ conformare: Græca autem conſueuit in fermentato conſecrare, & Latina in azymo.

Tertium eſt, harum conſuetudinum rationabiliorem eſſe Latinam. Quod ſuadet Angelicus Doctor tripliciter.

Primò, quidem ex Chriſti inſtitutione, qui Euchariſtiam inſtituit prima die azymorum, vt habetur Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum eſſe debebat, ex lege id prohibente Exodi 12.

Secundò, quia panis eſt propriè ſacramentum, & figura corporis Chriſti potius, quàm diuinitatis ipſius: corpus autem Chriſti, ſine corruptione conceptum eſt; ac proinde magis adaptatur ei panis azymus, qui corruptionis fermenti expers eſt.

Tertio, quia hic panis magis competit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad vſum huius ſacramenti, iuxta illud Pauli 1. Corinthiorum 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Hoc ipſum nimirũ rationabiliorem eſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ac Latinæ, vtpotè facto Chriſti conformiorem oſtendit Varonius Cardinalis, tomo 1. annalium, circa annũ Chriſti 34. vbi oſtendit Chriſtum Dominum in azymo pane conſecraſſe: eo quod licet ſacra Scriptura dicat: *Decima quarta*

die

die ad veſperum phaſe Domini eſt, & decima quinta die ſolemnitas azymorum. Et quamuis Ioannes Euangeliſta dicat, capit. 13. cœnam Dominicam celebratam fuiſſe ante diem feſtum Paſchæ. Ex quo teſtimonio Eccleſia Græca occaſionem ſumpſit celebrandi infermentato, exiſtimans Chriſtum infermentato celebraſſe, & Euchariſtiam inſtituiſſe: eò quod ante diem feſtum Paſchatis, nondum aduenerat ſolemnitas azymorum: verumtamen veſperæ decimæquartæ diei reputatur initium diei ſequentis, ſolitis iudæis ante veſperum, videlicet hora nona diei præcedentis; auſpicari dies feſtos, eoſque populo è turri excelſa tubæ ſonitu indicere.

Cum igitur ipſa prima die azymorum ad veſperam, cum Paſcha ageretur, poſt eſum agni ſacramentum Euchariſtiæ fuerit à Chriſto Domino inſtitutum; nulli dubium eſt, illud eſſe confectum in azymo pane, & non infermentato: eundemquè propterea ritum ſemper ſeruauit Eccleſia Latina.

48 Habet nihilominus conſuetudo Græcorum aliquam congruentem rationem. Tum propter ſignificationem, quam tangit Gregorius in regiſtro: nimirum, quia ſicut fermentum miſcetur farinæ, ita verbum patris indutum eſt carne. Tum etiam in deteſtationem hæreſis Nazaræorum, qui legalia Euangelio miſcebant.

Aduerterim tamen; quod ſi ſacerdos Latinus obiter tranſeat per Eccleſiam Græcam, aut èc͏ontra: tunc ceſſante ſcandalo licite poteſt conformari conſuetudini propriæ Eccleſiæ, imò in hoc melius faciet: ſecus autem, ſi iam ſit incola, & habeat domicilium in aliena Eccleſia: tunc enim tenetur legibus Prouinciæ, cuius eſt incola: atquè adeò Latinus factus incola in aliqua Prouincia Græciæ tenetur infermentato conſecrare, & èc͏ontra, Græcus factus incola alicuius Prouinciæ Romanæ Eccleſiæ tenetur conſecrare in az mo.

Dices Græcos ſchiſmaticos eſſe: ergo non licet Latino ſe eorum conſuetudini conformare.

Reſpondeo, illos eſſe quidem Schiſmaticos in eo, quod Latinos condemnant in azymo conſecrantes, quaſi reos, læſæ diuinæ maieſtatis, & Chriſti facto non ſe cōformantes, & in alijs pluribus tum ritibus tum dogmatibus in quibus Eccleſiæ Latinæ obedire tenētur; nō verò in eo quod conſecrant infermentato: nam conſuetudo hæc rationabilis eſt, & ideò illis permiſſa.

ART. V.

Vtrùm vinum vitis ſit propria materia huius ſacramenti?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod non ſit propria materia huius ſacramenti, vinum vitis. Sicut enim aqua eſt materia baptiſmi; ita vinum eſt materia huius ſacramenti. Sed in qualibet aqua poteſt fieri baptiſmus. Ergo in quolibet vino (puta, malorum granatorum, vel mororum, aut huiuſmodi) poteſt confici hoc ſacramentum, præſertim cum in quibuſdam terris vites non creſcant.

4. d. 11. q. 2. a. 3. q. 1. & 1. Co. 11. lectio. 7. princ.

2 Præterea, Acetum eſt quædam ſpecies vini, quod de vite ſumitur, vt Iſidor. † dicit. Sed de aceto non poteſt confici hoc ſacramentū. Ergo videtur, quod vinum vitis non ſit propria materia huius ſacramenti.

† Innuitur li. 20. etymol. c. 3. circ. med.

3 Præterea, Sicut de vite ſumitur vinum depuratum, ita etiam agreſta, & muſtum. Sed de his non videtur poſſe confici hoc ſacramentum. ſecundum illud * quod in ſexta ſynodo legitur. Didicimus, quod in quibuſdam Eccleſijs ſacerdotes ſacrificio oblationis coniungant vuas: & ſic ſimul vtrumque populo diſpenſant. Præcipimus igitur, vt nullus ſacerdos hoc vlterius faciat. Et Iulius

** infr. 6. ſyn. can. 28. & habetur de cōſec. d. 2. c. didicimus.*

Papa

† Iul. I. in decr. 7. â med. illius & eſt decr. 7. inter eius decr. 20. quæ ſunt ab alijs ſeparata.

Papa † repræhendit quoſdam qui expreſſum vinum in ſacramento dominici calicis offerunt. Ergo videtur, quod vinum vitis non ſit propria materia huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod ſicut Dominus ſe comparauit grano frumenti, ita etiam ſe comparauit viti, dicens Ioann. 15. Ego ſum vitis vera. Sed ſolus panis de frumento, eſt materia huius ſacramenti: vt dictum eſt. * Ergo ſolum vinum de vite, eſt propria materia huius ſacramenti.

art. 3. huius q.

Reſpondeo dicendum, quod de ſolo vino vitis poteſt confici hoc ſacramentum. Primo quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui in vino vitis hoc ſacramentum inſtituit: vt patet ex eo quod ipſe dicit Math. 26. circa inſtitutionem huius ſacramenti, Non bibam â modo de hoc genimine vitis. Secundo, quia ſicut dictum eſt, * ad materiam ſacramentorum aſſumitur id quod propriê, & communiter habet talem ſpeciem. Propriê autem vinum dicitur quod de vite ſumitur: alij vero liquores, vinum dicuntur ſecundum quamdam ſimilitudinem ad vinum vitis. Tertio, quia vinum vitis magis competit ad effectum huius ſacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia: quia ſcriptum eſt, quod vinum lætificat cor hominis.

art. 3. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod illi liquores non dicuntur propriê vinum, ſed ſecundum quamdam ſimilitudinem. Poteſt autem verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non creſcunt, quantum ſufficit ad hoc ſacramentum.

Ad ſecundum dicendum, quod vinum fit acetum per corruptionẽ: vnde non fit reditus de aceto in vinum, vt dicitur 8. metaph. † Et ideo ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc ſacramentum, ita nec de aceto. Poteſt tamen confici de vino aceſcenti, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem: licet peccet conficiens, vt prius dictum eſt. *

† lib. 8. met. text. 14. to mo 3.

art. 3. huius q. ad 4. arg.

Ad tertium dicendum, quod agreſta eſt in via generationis, & ideo nondum habet ſpeciem vini: & propter hoc de ea non poteſt confici hoc ſacramentum. Muſtum autem iam habet ſpeciem vini; nam eius dulcedo atteſtatur digeſtioni, quæ eſt completio â naturali calore, vt dicitur in 4. Metaph. * & ideo de muſto poteſt confici hoc ſacramentum. Non tamen debent vuæ integræ huic ſacramento miſceri: quia iam eſſet ibi aliquid præter vinum.

li. 4. c. 3. parum â princ.

Prohibetur etiam ne muſtum ſtatim expreſſum de vua, in calice offeratur: quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti. Poteſt tamen in neceſsitate fieri. Dicitur enim ab eodem Iulio Papa, * Si neceſſe fuerit, botrus in calice prematur.

** eod. loco in arg. citato, & habetur de cõſ. d. 2. c. cum omne crimen. in med. & in concil. 3. Brac. c. 1.*

CONcluſio ſancti Doctoris eſt affirmatiua. Quam probat dupliciter primo in argumento, *Sed contra*: nimirum, quia ſicut Chriſtus ſe comparauit grano frumenti, ita etiā ſe comparauit viti: dicens Ioannis 15. *Ego ſum vitis vera*: ſolus autem panis de frumento eſt materia huius ſacramenti, vt dictum eſt: igitur pariter ſolum vinum de vite eſt propria materia huius ſacramenti.

Secundò, in corpore articuli, hac ratione triplici. Prima eſt deſumpta ex Chriſti inſtitutione, quem conſtat in vino vitis hoc ſacramentum inſtituiſſe: ex illo, quod dixit Matthæi 26. circa inſtitutionem huius ſacramenti: *Non bibam â modo de hoc genimine vitis.*

Secunda eſt, quia ſolum vinum de vite eſt, quod communiter vinum appellatur: ad materiam autem ſacramentorum aſſumitur id, quod propriè, & communiter habet talem ſpeciem: vt dictum fuit, art. 3.

Tertia ratio deſumitur ex effectu huius ſacramenti, quod eſt lætificare ſpiritu-

liter

ſiter animam: ſiue ſpiritualis quædam læ-titia: huic autem effectui magis congruit vinum de vite: quod lætitiam generat, vtpote de quo ſcriptum eſt, quod vinum lætificat cor hominis.

Ex hac autem reſolutione colligit Sanctus Doctor in ſolutionibus argumentorum alios liquores: nimirum illum, qui ex pomis, vel ex malo granatis, vel ex frumentis cõficitur: aut etiam illum, qui propter mixtionem aliquam, vel corruptionẽ, non eſt verè, & ſimpliciter vinum vitis potabile, non eſſe materiam aptam conſecrationi, nec in illo poſſe valide confici ſacramentum ſanguinis: ſimiliter, nec in aceto perfecto, aut in ſucco expræſſo ex labruſcis, hoc eſt, ex vuis nondum maturis: eo quod nullus ex his licoribus eſt vinum propriè, & ſimpliciter potabile: bene autem muſtum ex vuis maturis expreſſum eſt conſecrabile. Dixi in aceto perfecto non poſſe valide confici ſacramentum ſanguinis, vtpote, quia iam per corruptionem in aliam ſpeciem tranſiuit, quæ cadauer vini poteſt appellari. Si autem vinum nondum fuerit omnino corruptum, ſed adhuc ſit in via ad corruptionem, ſicut eſt vinum acre, ſiue acimum, quod nondum perfectum acetum eſt, tunc valide poterit conſecrari: licet peccet ſic conſecrans propter irreuerentiam ſacramenti, vt ait hic Diu. Thomas in ſolutione ad ſecundum, & idem dixerat art. 3. in ſolutione ad quartum de conficiente ſacramentum corporis in pane triticeo, quod eſſet in via ad corruptionem. Puto tamen excuſari à peccato ſic conſecrantem, in caſu vrgentis neceſsitatis.

ART. VI.

Vtrùm aqua ſit vino permiſcenda?

(? ¿ ?)

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod aqua non ſit vino permiſcenda. Sacrificium enim Chriſti figuratum fuit per oblationem Melchiſedech, qui Geneſ. 14. non legitur obtuliſſe, niſi panem, & vinum. Ergo videtur, quod in hoc ſacramento non debeat adiungi aqua. *4.d.11.q.1 q.2.ar.4. q.1.& 1. Cor. 11. l. 6.c.5.*

2 Præterea, Diuerſorum ſacramentorum diuerſæ ſunt materiæ. Sed aqua eſt materia baptiſmi. Ergo non debet aſſumi ad materiam huius ſacramenti.

3 Prçterea, Panis, & vinum ſunt materia huius ſacramenti. Sed pani nihil adiungitur. Ergo nec vino debet aliquid adiungi.

Sed contra eſt, quod Alex. * Papa ſcribit, In ſacramentorum oblationibus, quæ inter miſſarũ ſolemnia domino offeruntur, panis tantum; & vinum aqua permixtum, in ſacrificiũ offerantur. *Alex. I. in epi. ad omnes orthodox. à medio illius. to. 1. conc.*

Reſpondeo dicendum, quod vino, quod offertur in hoc ſacramento debet aqua miſceri. Primo quidẽ propter inſtitutionem: probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc ſacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, ſecundum morem illius

illius terræ. Vnde, & Prouerb. 9. dicitur, Bibite vinum quod miſcui vobis. Secundo, quia hoc conuenit repræſentationi dominicæ paſsionis.
Ibid. Vnde dicit Alexand. Papa, * Non debet in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrũque per mixtum: quia vtrumque ex latere eius in paſsione ſua profluxiſſe legitur. Tertio, quia hoc conuenit ad ſignificandum effectum huius ſacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum: quia vt Iulius Papa dicit, † videmus in aqua populũ
habetur de cõſ. d. 2. c. cum omne crimẽ cir. med. intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. Quarto, quia hoc competit ad vltimum effectum huius ſacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam. Vnde Ambroſ. dicit in libr. * de ſacramentis, Redundat aqua
li. 5. c. 1. à me. to. 4. in calicem, & ſalit in vitam æternã.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Ambr. † dicit ibidem, ſicut ſacrificium Chriſti ſignificatum
Ibidem. eſt per oblationem Melchiſedech, ita etiam ſignificatum eſt per aquam quæ in eremo fluxit de petra: ſecundum illud 1. Cor. 10. Bibebant autẽ de ſpiritali conſequente eos petra.

Ad ſecundum dicendum, quod aqua aſſumitur in baptiſmo ad vſum ablutionis. In hoc autem ſacramento aſſumitur ad vſum refectionis, ſecundum illud Pſal. 22. Super aquam refectionis educauit me.

Ad tertium dicendum, quod panis ex aqua, & farina conficitur. Et ideo cum vino aqua miſcetur, neutrum, ſine aqua exiſtit.

49 RESponſum Angelici Doctoris affirmatiuum eſt, quod probat primo ex teſtimonio Alexandri Papæ in epiſtola ad omnes fideles ſcribentis, quod in ſacramẽtorum oblationibus, quæ inter miſſarum ſolemnia Domino offerũtur, panis tantum, & vinum aqua per miſtum, in ſacrificio offerantur.

Secundò, ex Chriſti inſtitutione, quæ probabiliter creditur hoc ſacramentum inſtituiſſe in vino limphato, hoc eſt aqua per miſto, iuxta morem illius terræ: ſecundum illud Prouerbiorum 9. *Bibite vinum, quod miſcui vobis.*

Tertio, quia hoc conuenit repræſentationi Dominicæ Paſsionis, in qua vtrũque, ſcilicet ſanguis, & aqua ex Chriſti latere profluxit.

Quarto, quia hoc conuenit ſignificationi effectus huius ſacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum: in aqua enim populus, in vino autem ſanguis Chriſti deſignatur.

Vltimo, quia ita competit ad præſigurandum vltimum huius ſacramenti effectum, qui eſt introitus in vitam æternam: nam teſte Ambroſio lib. 5. de ſacramentis cap. 1. *Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.*

ART. VII.

Vtrùm permixtio aquæ, ſit de neceſsitate huius ſacramenti?

AD ſeptimũ ſic proceditur. Videtur, quod permixtio aquæ ſit de neceſsitate huius ſacramenti. Dicit enim Cyprianus * ad Cæcilium, Sic calix Domini non eſt aqua ſola, & vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, niſi vtrumque, ſcilicet farina, & aqua, fuerit adunatum. Sed ad mixtionem aquæ ad farinam, eſt de neceſsitate huius ſacramenti. Ergo pari ratione

*Inf. q. 83. a. 6. ad 4. & 6. & 4. d. 11. q. 2. a. 4. q. 2. & 3. & 1. Cor. 11. le. 6. co. 5. * li. 2. ep. 3. iter ſi. & me. Inuenitur de conſ. d. 2. c. 7.*

ne admixtio aquæ ad vinum.

2 Præterea, In paſsione Domini, cuius hoc ſacramentum eſt memoriale, ſicut de latere eius exiuit ſanguis, ita & aqua. Sed vinum quod eſt ſacramentum ſanguinis, eſt de neceſsitate huius ſacramenti. Ergo pari ratione, & aqua.

3 Præterea, Si aqua non eſſet de neceſsitate huius ſacramenti, non referret quæcumquê aqua huic ſacramento apponeretur: & ita poſſet apponi aqua roſacea, vel quæcumque alia huiuſmodi aqua. Quod non habet vſus Eccleſiæ. Aqua ergo eſt de neceſsitate huius ſacramenti.

li.2, ep.3. inter fin. & med. Sed contra eſt, quod Cyprian. * dicit, Si aliquis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non obſeruauit, vt ſcilicet aquam vino miſceret in ſacramento, poteſt ſimplicitati eius venia cõcedi. Quod non eſſet, ſi aqua eſſet de neceſsitate ſacramenti, ſicut eſt vinum, vel panis. Non ergo aquæ admixtio eſt de neceſsitate ſacramenti.

Reſpondeo dicendum, quod iudicium de ſigno ſumendum eſt ex eo, quod ſignificatur. Appoſitio autem aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam participationem huius ſacramenti â fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino, ſignificatur populus adunatus Chriſto, vt dictum eſt. * Sed & hoc ipſum *art. præc.* quod de latere Chriſti pendentis in cruce aqua profluxit, ad idem refertur: quia per aquam ſignificatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per paſſionem Chriſti. Dictum eſt autem ſupra, * *q.73.a.1. ad 3.* quod hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ: vſus autem fidelium non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed eſt aliquid conſequens ad ſacramentum. Et ideo conſequens eſt, quod appoſitio aquæ non ſit de neceſsitate ſacramenti.

Ad primum ergo dicendũ, quod verbum illud Cypriani, eſt intelligẽdum ſecundum quod dicitur illud eſſe non poſſe, quod conuenienter eſſe non poteſt. Et ſic ſimilitudo illa attenditur quantum ad id quod debet fieri, non autem quantum ad neceſsitatem: nam aqua eſt de eſſentia panis, non autem de eſſentia vini.

Ad ſecundum dicendum, quod effuſio ſanguinis directê pertinebat ad ipſam Chriſti paſsionem: eſt enim naturale corpori humano vulnerato, quod ex eo profluat ſanguis. Sed effuſio aquę non fuit de neceſsitate paſsionis: ſed ad demonſtrandum effectũ paſsionis, qui eſt ablutio â peccatis, & refrigerium cõtra ardorem concupiſcentiæ. Et ideo aqua non ſeorſum offertur â vinó in ſacramentó, ſicut vinum offertur ſeorſum â pane. Sed aqua offertur vino permixta: vt oſtendatur quod vinum per ſe pertinet ad hoc ſacramentum, tamquam de eius neceſsitate exiſtens: aqua autem ſecundum quod adiungitur vinó.

Ad tertium dicendum, quod quia admixtio aquæ ad vinum non eſt de neceſsitate ſacramenti, non refert quantum ad ſacramenti neceſsitatem, quæcumque aqua miſceatur vino, ſiue naturalis, ſiue artificialis, vt roſacea. Quamuis quantum ad conuenientiam ſacramenti, peccet qui aliam aquam miſcet, niſi naturalem, & veram: quia de latere Chriſti pendentis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, ad oſtendendum, quod Corpus Chriſti erat veré compoſitum ex quatuor elementis: ſicut per ſanguinem fluentem óſtendebatur, quod érat compoſitum ex quatuor humoribus, vt Innocentius Tertius dicit in quadam decretali. * *In decret. li.3. ti.4. c.8.* Quia verô admixtio aquæ ad farinam.

nam, eſt de neceſsitate huius ſacramenti, vtpote conſtituens ſubſtantiam panis, ſi farinæ admiſceretur aqua roſacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua: non poſſet ex eo confici ſacramentum, quia non eſſet verus panis.

50 RESpondet Angelicus Doctor appoſitionem aquæ eſſe quidem de neceſsitate præcepti, ſed non de neceſſitate ſacramenti: eo quod appoſitio aquæ ad vinum ordinatur ad ſignificandam participationem huius ſacramenti à fidelibus, quatenus per aquam mixtam vino ſignificatur populus ad vnatus Chriſto: & hoc ipſum ſignificauit aqua pro fluens de latere Chriſti pendentis in cruce, quia per aquam ſignificatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per paſsionem Chriſti: vſus autem fidelium, non eſt de neceſsitate ſacramenti, quod perficitur in ſola conſecratione materiæ: ſed eſt aliquid conſequens ad ipſum ſacramentum atquè adeò appoſitio aquæ non eſt de neceſsitate ſacramenti.

Ex qua reſolutione colligit Diu. Thom. in ſolucione ad tertium, quod quia admixtio aquæ ad vinum, non eſt de neceſsitate ſacramenti, non impeditur valor, nec tollitur ſubſtantia huius ſacramenti, per appoſitionem cuiuſcumquè aquæ, ſiue naturalis, ſiue artificialis, quamuis peccet, qui miſcet aliam aquam præter naturalem, & veram, quia de latere Chriſti pendentis in cruce aqua vera profluxit: quia vero admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſsitate ſacramenti corporis: vtpote conſtituens ſubſtantiam panis: ſi farinæ admiſceretur aqua roſacea, aut alia artificialis, non eſſet materia conſecrabilis, quia non eſſet verus panis.

De qua ratione dubitat hìc Caietanus motus eodem fundamento, quo ſupra articulo tertio, motus fuerat ad probandum quemcumque panem eſſe materiam aptam conſecrationi: ſicut enim ad ſacramentum ſufficit verus panis, quamuis ex granis diuerſis ſecundum ſpeciem reſultet: ita ſufficiet panis confectus ex farina, & aqua artificiali, verbi gratia roſacea, ſi verus panis ex illa fieri poſsit, quod experientiæ committendum eſt, ſubditquè ſe credere talem panem eſſe eiuſdem ſpeciei cum alio, qui ex eadem farina, & aqua naturali fieret ſoloque odore roſarum, & accidentaliter diſtinctus, ac diuerſus: eo quod cũ aqua non ſit pars eſſentialis panis, ſed materia tranſiens eiuſdem, non enim permanet aqua ſecundum ſe ipſam in pane, ſed panis eſt tertia res reſultans ex commixtione farinæ, & aquæ per decoctionem: conſuetum autem eſt res diuerſarum ſpecierum eſſe materiam tranſeuntem, reſpectu vnius tertij, etiam homo genei: vt patet in ſanguine, qui ex alimentis diuerſarum ſpecierum generatur.

Sed nihilominus ſtandum eſt in reſolutione Angelici Doctoris, vtpote quæ innititur rationabiliori fundamento.

ART. VIII

Vtrùm aqua debeat in magna quantitate apponi?

(? ¿ ?)

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod opporteat aquam in magna quantitate apponi. Sicut enim ſanguis de latere Chriſti ſenſibiliter fluxit, ita & aqua. Vnde dicitur Ioann. 19. Qui vidit, teſtimonium perhibuit. Sed aqua non poſſet ſenſibiliter eſſe in hoc ſacramento, niſi in magna quantitate poneretur. Ergo videtur, quod aqua debeat apponi in magna quantitate.

4. diſ. 11. q. 2. a. 4. q. 4. & 1. Co. 11. le. 6. col. 5.

2 Præ-

Digitized by Google

2 Præterea, Parua aqua multo vino admixta, corrumpitur. Quod autem corruptum eſt, iam non eſt. Ergo idem eſt apponere parum de aqua in hoc ſacramento, & nihil appōnere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum aponere.

3 Præterea, Si ſufficeret parum apponere, per conſequens eſſet ſufficiens, quod gutta aquæ in totum dolium proiiceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non ſufficit, quod parua quantitas apponatur.

Sed contra eſt, quod extra de celebratione Miſſarum dicitur *, Perniciosus in tuis partib⁹ inoleuit abuſus; videlicet quod in maiori quantitate de aqua in ſacrificio ponitur, quàm de vino: cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus in ipſo ſit de vino quam de aqua ponendum.

In dec. l. 3 tit 41 ca. pernicioſus.

Reſpondeo dicendum, quod circa aquam adiunctam vino, ſicut Innocentius Tertius * dicit in quadam Decretali, triplex eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua adiuncta vino per ſe manet, vino conuerſo in ſanguinem. Sed hæc opinio ſtare non poteſt: quia in ſacramento altaris poſt conſecrationem nihil eſt niſi corpus & ſanguis Chriſti (ſicut enim Ambr. * dicit in lib. de Officijs, Ante benedictionem alia ſpecies nominatur: poſt benedictionem corpus Chriſti ſignificatur): alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. Et ideò alij dixerunt, quod ſicut vinum conuertitur in ſanguinem, ita aqua conuertitur in aquam, quæ de latere Chriſti fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici poteſt: quia ſecundum hoc, aqua ſeorſum conſecraretur à vino, ſicut vinum à pane. Et ideò ſicut ipſe dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in ſanguinem. Hoc autem fieri non poſſet, niſi adeo modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinum. Et ideo ſemper tutius eſt parum de aqua apponere, & præcipue ſi vinum ſit debile: quia ſi tanta fieret appoſitio aquæ, vt ſolueretur ſpecies vini, non poſſet perfici ſacramentum. Vnde Iulius Papa * reprehendit quoſdam, qui pannum lineum muſto intinctum, per totum annum ſeruant, & in tempore ſacrificij, aqua partem eius lauant, & ſic offerunt.

de celeb. miſſ. ca. cū Mart. § Quæſiuiſti

In li. de his qui myſterijs initiantur, c. 9. à med. to. 4. & habetur de conſec. d. 2. c. 40.

Iulius I. ſcribendo epiſtol. per Ægyptum & habetur de conſec. d. 2. ca. cū omne crimen.

Ad primum ergo dicendum, quod ſufficit ad ſacramenti huius ſignificationem, quod ſentiatur aqua, cum apponitur vino: non autem oportet, quod ſit ſenſibilis poſt mixtionem.

Ad ſecundum dicendū, quod ſi aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur ſignificatio. Sed cum aqua in vinum conuertitur, ſignificatur quod populus Chriſto incorporatur.

Ad tertium dicendum, quod ſi aqua apponeretur dolio, non ſufficeret ad ſignificationem huius ſacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipſam celebrationē ſacramenti.

§ 1 REſponſum Angelici Doctoris eſt aquam apponendam eſſe in modica quantitate. Quod probat, tum in argumento *Sed contra*, ex cap. *pernitioſus* extra de celebratione Miſſarum, vbi damnatur vſus apponendi in ſacrificio Miſſæ maiorem partem aquæ, quam vini. Tum etiā in corpore articuli; quia in tribus opinionibus antiquorum, quæ circa conuerſionem aquæ verſabantur: rationabilior eſt illa, quæ adſtruit aquam conuerti in vinum, & vinum in ſanguinem Chriſti: hoc autem fieri non poſſet, niſi ita modica aqua apponatur, quæ de facili in vinum cōuertatur.

R Circa

Circa hanc doctrinam, quam D. Thomas in his articulis tradit duo cõtrouertũtur à Theologis: nimirum quale vinum ſit de neceſsitate huius ſacramenti? & qualiter aqua infuſa vino poſsit in ſanguinem conuerti? quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt. An ad ſubſtantiam materiæ ſacramẽti ſanguinis requiratur vinum vitis potabile?

PArtem negatiuam tuentur Angelus verbo *Miſſa*, Syluelter, verbo *Euchariſtia*, Soto diſt. 9. q. 1. ar. 1. Suarius diſp. 65. ſect. 1. & Vazquius diſp. 185. cap. 2. Quam ſuadent primo, quia vinum congelatum, licet non poſit licite conſecrari propter conſuetudinẽ in contrariũ, quæ habet vim legis: necnon quia propter probabilitatem cõtrariæ opinionis, conſecrans exponeret ſe periculo nõ conficiendi ſacramentum, quod ſemper vitandũ eſt, niſi forte in caſu grauis neceſſitatis: veruntamen abſolutè capax eſt cõſecrationis, eo quod eſt eiuſdẽ ſpeciei ſubſtantialis cum vino non congelato ad ſimilitudinem olei quod per congelationẽ non amittit ſpeciem, & ad differẽtiã aquæ, quæ ratione natiuæ frigiditatis ſepius per cõgelationem mutatur in duriſsimum lapidem, chriſtallum v. g. & quamuis in vino ſic cõgelato exterius maneat frigiditas: interius tamen ſunt ſapor, olor, & alia accidentia vini licet aliquantulum remiſſa: & tamen durante congelatione non eſt potabile: ergo materia ſufficiens conſecrationi eſt huiuſmodi vinum vitis non potabile.

Nec valet dicere, quod muſtum prout continetur in vbis non eſt aptum conſecrationi, quia pro eo ſtatu non eſt potabile quoad vſque ex vbis exprimatur in vaſe. Nam vinum congelatum per ſe potabile eſt, & ab intrinſeco eſt reducibile de facili ad ſtatum tamen in quo potetur, quãuis per accidens durante congelatione potari non poſsit: quod muſto contento in vbis non conuenit, quia in eo ſtatu non dum habet ſpeciem vini: ergo quamuis muſtum contentum in vbis non ſit materia conſecrabilis: bene tamen vinum congelatum poteſt conſecrari: quia de illo philoſopandum eſt atque de pane duriſsimo, qui licet ratione duritiei ſit ineptus in tali ſtatu manducationi, quia tamen retinet eſſentiam panis, & eſt reducibilis de facili ad ſtatum in quo manducari poſsit, propterea & poteſt conſecrari.

Secundo id probant, quia ſi facta conſecratione calicis, vinum congelaretur, reuera maneret ibi ſanguis Chriſti, vt ſupponit rubrica miſſalis Romani aduertens in hoc caſu ſpecies vini debere liquefieri, & ſumi a ſacerdote: ergo pariter poſt congelatione poteſt incipere ibi eſſe ſanguis Chriſti ex vi conſecrationis. Conſequentia patet, quia non requiritur magis ad vinum quam ad aliud.

52 Sed his non obſtantibus verior eſt ſententia affirmatiua, quam tuẽtur Armilla verbo *Euchariſtia*, Ledeſma 1. p. quarti q. 15. art. 5. dub. 1. & Alanus lib. 1. de Euchariſtia cap. 11. & ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et ſuadetur primo, quia vt ſit materia inepta conſecrationi vinum ſufficit, quod non ſit potabile in eo ſtatu: ob quam rationem muſtum in vbis contentum inconſecrabile eſt: quamuis nulla alia eſſet ratio. Secũdo a paritate aquæ, quæ non eſt ſufficiens materia baptiſmi ſi ſit congelata: ergo nec vinum congelatum eſt apta materia Euchariſtiæ, eo quod ſicut aqua congelata non eſt apta ablutioni, & ideo non eſt materia baptiſmi in tali ſtatu, ita nec vinum congelatum eſt aptum potationi: ergo nec erit aptum conſecrationi.

Quæ rationes amplius confirmantur ex eo quod licet vinum ex vi congelationis non amittat propriam formam ſubſtantialem, & ſpeciem, ſi tamen congeletur ita vt in eo ſtatu non poſsit potari, nec recipere aquæ mixtionem, per accidens de facto redditur in conſecrabile, ſicut quantitas parua panis, quæ ſenſu percipi non valet, licet ſit eiuſdem eſſentiæ cum pane maioris quantitatis, redditur per accidens in conſecrabilis, quia ad ſenſum oſtendi non poteſt per pronomen *hoc*: ergo ſimiliter licet vinum congelatum habeat veram formam vini, tamen ſimul habet aliquod accidens impediens, ne ſit pro eo ſtatu vinum vſuale

aptum

Digitized by Google

aptum potationi, & recipiendi mixtionem aquæ: ergo de facto redditur in conſecrabile.

Hæc ſecunda conſequētia patet, quia licet actualis vſus, & actualis mixtio aquę non pertineant ad eſſentiam huius ſacramenti: pertinet tamen ad ſubſtantiam illius, quod eius materia habeat potentiam proximam ad vtrumque: cum ergo durante congelatione tale vinum non habeat huiuſmodi potentiam proximam, nec erit materia conſecrabilis: ſicut quamuis maſa, & panis coctus ſit eiuſdem ſpeciei panis ſubſtantialis: nihilominus maſa dum eſt ſub illo accidenti, non eſt apta conſecrationi, quia non eſt panis vſualis.

Nec obſtat vinum congelatum de facili poſſe reduci ad ſtatum in quo ſit potabile: maſa autem nequit redigi de facili ad ſtatum in quo ſit comeſtibilis. Hoc enim tantum probat vinum facilius, quam maſam, poſſe reduci ad ſtatum in quo proximam habeat potentiam conſecrabilitatis: non vero probat illud poſſe conſecrari durante ſtatu congelationis. Idemque dicendum puto de pane ad tantam duriciē perducto, vt nulla via pro tunc manducari poſſit.

53 Ex quibus patet ad fundamēta prioris opinionis. Ad primum enim neganda eſt maior ob rationem aſsignatā: quæ etiam militat in muſto in vuis contento: licet verum fatear in hoc illam rationē inſuper militare, nimirum quod non dum habet formam ſubſtantialem vini potabilis, quæ non militat in vino congelato.

Ad ſecundum admiſſo antecedente, nego conſequentiam, quia plus requiritur ad primam confectionem huius ſacramenti, quam ad eius conſeruationem, vt etiam aduerſarij fateri tenentur: nam ad cōſeruationem ſufficit quod perſeueret ſubſtantia vini. Ad primam vero confectionē vlterius requiritur deſignatio materiæ potabilis per pronomen *hic*, & cui poſsit fieri mixtio aquæ. Igitur, quia vinum ſic congelatum eſt per accidens ineptum potationi, & incapax admittendi mixtionem aquæ, ideo etiam per accidens de facto redditur in conſecrabile: licet per ſe, & ex propria natura ſit conſecrabile, quatenus eſt eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis cum vino potabili. Vnde ſi in praxi contingat inſtante neceſsitate, dari ſolum vinum aliquod congelatum: debet prius liquefieri ante conſecrationem, & ſic liquefactum poterit conſecrari.

Dubium ſecundum eſt. An aqua vino per mixta, per verba conſecrationis mediate, vel immediate in ſanguinem conuertatur?

1 IN Hoc dubio quatuor verſantur ſententiæ: ex quibus tres fuerunt antiquorum, quas recenſent Innocentius tertius in cap. *Cum Marthæ*, de celebratione miſſarum, & Diuus Thomas in corpore articuli octaui. Alia vero fuit inuēta à quibuſdam recentioribus, vt ſtatim videbimus.

Prima illarum fuit quorumdam antiquorum aſſerentium vinum conuerti in ſanguinem, & aquam conuerti in aquam Chriſti. Quam refellunt Innocentius, & Diuus Thomas vbi ſupra, tanquam falſā, & improbabilem: vtpote quia Eccleſia nō habet formam à Chriſto inſtitutam, quæ tranſmutet vinum in ſanguinem, & aquam in aquam: conuerſio autem iſta fit virtute verborum: ergo, & quamuis fingere poſſemus nomine ſanguinis in ea forma intelligi maſam ſanguinariam, in qua etiam eſt vera aqua: & ita totum, quod eſt in calice conuerti in illam maſam: vinum quidem in ſanguinem: aquam vero in aquam Chriſti ex vi vnius formæ: tamen huiuſmodi cogitatio nullum fundamentum habet, quia communi ſenſui Eccleſiæ contrariatur, quæ ſemper intellexit abſque vlla diſcretione ſolum vinum conſecratum tranſire in totum illud, quod nomine ſanguinis ſignificatur: ſub quo non aqua, ſed verus ſanguis intelligitur.

Secunda ſententia fuit aliorum in Gallia aſſerentium aquam nunquam conuerti in ſanguinem Chriſti, ſed ſemper in ſua ſubſtantia remanere accidentibus vini veſtitam: eo quod plures philoſophi aſſe-

xant aquam in vinum tranſmutari non poſſe. Quam etiam ſententiam refellunt Innocentius, & Diuus Thomas vbi ſupra: eo quod in ſacramento altaris poſt conſecrationem nihil aliud remanet niſi corpus, & ſanguis Chriſti ſub accidentibus panis, & vini, vt probat Diuus Thomas ex Ambroſio in lib. de officijs: & quia alias non totum quod ibi continetur, adoraretur veneratione latriæ: quod tamen abſurdum videtur: & quamuis hæc ſententia probabilior ſit, quam prior minuſque diſtans à vera ſententia, & communiter recepta: eo quod tantum in opinione phiſica diſcordat ab illa, nimirum, quod aquæ in vinum nulla fiat tranſmutatio: tamen eſt falſa, & falſo innitens fundamento: cuius falſitatẽ infra oſtendemus.

Tertia ſententia docet aquam ſemper conuerti in ſanguinem Chriſti, ſiue mediate quando conuerſa prius eſt in vinum, ſiue immediate, hoc eſt quando proferuntur verba conſecrationis antequam ſit in vinum conuerſa. Hanc ſententiam tenent nonnulli recentiores: vt Alanus lib. 1. de Euchariſtia cap. 14. Toletus lib. 2. ſummæ cap. 25. num. 4. & Egidius de ſacramentis quæſt. 74. art. 8. dubio 1. ibidẽ Peſantius eam probabiliſsimam iudicat, & in eandem inclinat Ianſenius in concordia cap. 131. quibus exceptis nullum alium per hac ſententia ex neotheoricis, qui ſua ſcripta typis mandarunt, inuenio. Minus autem ex antiquioribus. Quamuis hi authores vellint aliquos antiquiores eam ſuſtinuiſſe, quando ſtatim poſt Magiſtrum ſententiarum, in Gallia quæſtio hæc de aquæ in vinum conuerſione fuit excitata: ſed non ita ſe rem habere ex dicendis conſtabit.

Illam igitur ſuadere conantur primo ex facto Chriſti: quem certo conſtat miſcuiſſe aquam vino: at qui totũ id quod erat in calice, & propinabat diſcipulis Chriſtus dixit vere eſſe ſanguinem ſuum: quod vinum erat limphatum, ideſt aqua tẽperatum: ergo non ſolum vinum, ſed etiam aqua conuerſa eſt in ſanguinem. Cõſequentia his authoribus videtur euidens, quia nulla alia ſubſta bibenda propinabatur à Chriſto, præter ſubſtantiam ſanguinis: aliàs non eſſent vera illa verba: *Hic eſt calix*, ideſt *hoc contentum in calice eſt ſanguis meus.*

2 Secundum fundamentum deſumunt ex teſtimonijs, & modo loquendi Patrum Græcorum, quatenus adſtruunt calicem miſtum aqua, & vino tranſire in ſanguinem Chriſti: de quorum numero ſunt Damaſcenus lib. 4. de fide capit. 14. dum ait: *Verbum ergo Dei, quod hæc omnia poteſt, non poteſt panem ſui ipſius corporis facere, & vinum, & aquam ſanguinem* (Ireneus lib. 5. cap 2.) *Quando ergo, & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis, & ſanguinis Chriſti* (Gregorius Nyſenus, quem refert Claudius Sainctes lib. de ſacrificio Miſſæ fol. 74.) *Omne corpus ex nutrimento ſubſiſtit, quod quidem nutrimentum ex cibo conſtat, & potu: cibus autem eſt panis, & potus ex aqua vino mixta* (& tandem concludit:) *Hæc autem tribuit virtutem benedictionis rerum, quæ videntur, naturam commutans*) Nicolaus Methonenſis oratione aduerſus eos, qui irritant in hoc myſterio: (*Quid requiris curſum, & ordinem naturæ panis tranſmutationis in corpus Chriſti, & aquam, vinique in ſanguinem.*) Eadem etiam locutio eſt in lithurgijs infra citandis. Clemens enim habet: (*Similiter & calicem miſcens ex vino, & aqua, & ſanctificans, tradidit eis: dicens, &c.*) Alia lithurgia, quam refert ipſe methonenſis habet: (*Similiter, & calicem mixtum aqua & vino ſanctificauit.*) Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus in traditione diuinæ Miſſæ: (*Per has igitur preces Spiritus ſancti aduentum expectabant, vt eius diuina præſentia propoſitum panem, & vinũ aqua per mixtum, ipſum illud corpus, & ſanguinem ſaluatoris efficeret.*) Iuſtinus Apolo. 2. pro chriſtianis, circa finem: *Dant vnicuique eorum, qui adſunt percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt: & ad eos qui adſunt, perferuntur, & hic cibus apud nos Euchariſtia nominatur.* Vbi Iuſtinus poſt conſecrationem docet manere ſpecies, non ſolum vini, ſed etiam aquæ, quas exprimit vini & aquæ nomine. Samonus Gazenſis in Dialogo, cum quodam Sarraceno: *Sed quare Chriſtus ſub ſpecie panis, vini, & aquæ abditum ſuum corpus, & ſanguinem potius adſumendum tradidit, quam ſub alia materia?* Reſpondet: *Quia inter omnes alios cibos panis locum ſibi vendicat primum: itidem, & Interpotiones aquæ, & vini primas tenent.* Conſonat ſanctus Germanus in ſua theorica dicens: *Propoſuit in ſancta menſa, inquiens omnibus, bibite ſanguinem meum pro vino mixto vobis.* Et Clemens Alexandrinus lib. 2. pedagogi capit. 2. vbi

poſt

Digitized by Google

poſtquam egerat de temperatura vini & aquæ ſignificante temperaturam verbi, & carnis, ſubdit: *Atque temperatum quidem vino pulchre vehit ad finem. Spiritus autem deducit ad incorruptionem: amborum autem tēperatura potus, ſcilicet, & verbi dicitur Euchariſtia.*

3 Eundem quoque loquendi modum probant ex Patribus Latinis Alexāder primus epiſtola prima ad omnes orthodoxos, & habetur in cap. 1. de conſecratione diſt. 2. ſub his verbis: *Non enim in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum offeratur, quia vtrumque ex latere eius in paſſione ſua profluxiſſe legitur.* In quibus indicat vinum, & aquam offerri, & cum non offeratur niſi poſt conſecrationem, ſequitur illam conuerti in ſua ſpecie manentem. Eadem repetit Martinus Bracharenſis in ſua collectione: & Cyprianus epiſtola 63. poſtquā dixerat in calice vinum, & aquam continēri, & in vino ſanguinem Chriſti: in aqua vero populum deſignari, ſubdit: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum, &c. calix Domini non eſt aqua ſola, nec vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur.* Amalarius de diuinis officijs lib. 3. cap. 34. in eandem ſententiam, ſic ait: *Hic credimus naturam ſimplicem panis, & vini mixti verti in naturam rationabilem corporis & ſanguinis Chriſti:* vbi contraponens naturam ſimplicem panis vino mixto, denotat huius naturam non eſſe ſimplicem, ſed compoſitam ex vino & aqua. Ambroſius lib. 4. de ſacramētis cap. 4. inquit: *Vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis:* & cap. 5. ſubdit: *Ante verba Chriſti calix eſt vini, & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* Et tandem Hieronymus ſuper Matthæi cap. 26. ſic habet: *Formans ſanguinem ſuum in calice, vino, & aqua mixto.*

4 Tertio eādem ſententiam probant præfati Authores tribus rationibus Theologicis. Quarum prima eſt, quia alias ſepius incerta redderetur conſecratio, cum ſæpè contingat aquam non eſſe conuerſam immediate in vinum ante conſecrationem: vt conſtat cum vigebat decretum Triburienſe: aut cum ob aliquem defectum occurrentem in miſſa infunditur de nouo vinum, & aqua, & ſtatim conſecrantur.

Secunda eſt: nam ſi aqua non conuerſa in vinum, non conuertitur in ſanguinem, non erunt vera verba conſecrationis ſanguinis: *Hic eſt calix ſanguinis mei:* ſiquidem non totum illud quod in calice continetur eſt ſanguis Chriſti: quod tamen non eſt admittendum: ergo.

Tertia eſt, quia ſi maneret aqua nō conuerſa in ſanguinem, non poſſet totus ille calix venerari adoratione latriæ: neque qui eum ſumeret, ieiunus ſumeret, ſiquidem ibi eſt parum aquæ in propria ſubſtantia, quæ ſoluit naturale ieiunium: ergo.

5 Quarta ſententia aſſerens aquā numquam conuerti immediate in ſanguinem, ſed immediate in vinum, & ſic conuerſam tranſire ex vi conſecrationis in ſanguinem Chriſti: eſt communiter à Theologis recepta, & ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſine graui nota defendi non poſsit, vt aliqui putant: aut etiam ſine temeritate, vt alijs placet: aut ſaltem tenenda eſt vt certiſsima, vt vult Suarius: & vt magis conformis Concilio Tridentino, vt nobis placet.

Et quidem pro prima parte, quæ militat aduerſus Authores tertiæ ſententiæ, probatur primo ex communi Theologorum conſenſu, qui in hanc conſpirarunt ſētentiam: de quorum numero ſunt Diuus Thomas in 4. diſtinctione 11. quæſt. 2. articul. 4. ad primam quæſt. in ſolutione ad ſecundum, & ad quartam quæſt. & 3. part. quæſt. 74. artic. 8. Altiſiodorenſis in ſumma lib. 4. tract. 5. cap. 2. colum. 3. Alexander Alenſis 4 part. quæſt. 10. memb. 4. articul. 1. § 4. ver. conſequenter quæritur in qua quantitate. Bonauētura in quarto diſtinctione 11. 2. part. articul. 1. quæſtione 3. in corpore, & ad tertium. Paludanus eadem diſtinct. quæſt. 5. artic. 6. concluſ. 5. Ricard. eadem diſtinction. artic. 3. quæſt. 1. & quæſt. 3. Scotus quæſt. 7. & ibid. Vararetus, & Scotiſtæ, Baſſolis diſtinct. 8. quæſt. 1. articul. 1. prope finem. Durandus diſtinct. 11. quæſt. 5. Ioann. Maior quæſt. 2. Gabriel. quæſt. 2. artic. 3. dub. 3. & lect. 35. in canon. Miſſæ. Argent. diſt. 11. 2. p. q. 1. ar. 1. Syluest. verbo *Euchariſtia*. 1. § 2. Tabiena verbo *Euchariſtia*, 1. § 22. Gregorius de Valentia 4. tom. diſput. 6. gene. quæſt. 2. puncto 1. § quinta aſſertio, Viguerius in inſtitutionibus capit. 16. § 3. ver. 1. Sebaſt. Perez quæſt. 74. artic. 5. in quæſt. de aqua vino

miſcenda num. 3. Ioan. Azor tom. 1. inſti. Moral. lib. 10. capit. 30. quæſt. 1. §. altera quæſtio, Didacus Tapia de Euchariſtia quæſt. 2. art. 10. Didac. Nuno artic. 8. citato. Suarez diſput. 45. ſeſsion. 4. Gabr. Vazq. diſput. 178. cap. 2. qui pro eadem referunt Sotum, & Martinum Ledeſmam, Heredia in repet. de Euchar. parte 3. dub. 1. num. 10. §. ſic etiam conſequenter, Henriquez lib. 8. de Euchariſtia, cap. 12. & litera Y. in commentario putat eſſe rem omnino certam, Sylüius in articul. 8. citato, Eſtius in 4. diſtinct. 8. §. 10. Fauent etiã illi Scholaſtici, qui dicunt mixtionem aquæ cum vino tantum eſſe de inſtitutione Eccleſiæ, quos referam infra, num. 29. Et vt vno verbo multa complectar, hæc quæſtio antiquis Doctoribus fuit incognita, & ſolum à nonnullis recentioribus à paucis annis diſputata, omneſque antiqui vt certum ſupponebant conuerti aquam in vinum, & ſic in ſanguinem. Communis ergo Theologorum Scholaſticorum ſenſus ſtat pro noſtra ſententia, & apud antiquos oppoſita ſententia inaudita fuit, & tantum probata paucis quibuſdam recentioribus.

7 Verum pro oppoſita ſententia referri ſolet Altiſiodorenſis in ſumma lib. 4. tractat. 5. cap. 4. Sed ibi neque verbum vllum habet de hac re, potius in cap. 2. columna 3. ſcribit aquam apponendam in tam parua quantitate, quod poſsit abſorberi à vino, quia Chriſtus non mutatur in Eccleſiam, ſed Eccleſia in Chriſtum. Allegari etiam ſolet Gloſſa in dicto cap. *Cum Marthæ.* Sed Gloſſa obſcurè loquitur, & potius nobis fauet, quia dicit aquam incorporatam vino tranſire in ſanguinem, ita vt non ſint duo, ſed vnum: quod ſi in propria ſpecie conuerteretur, duo eſſent quæ tranſirent, non vnum. Referuntur etiam Conimbricenſes lib. 1. de generatione cap. 10. quæſt. 10. articul. 2. Sed potiùs oppoſitum docent lib. 2. cap. 10. quæſtion. 1. art. 2. Probant enim aquam in vinum conuerti, quia aliàs in Euchariſtia maneret aqua poſt conſecrationem in ſua forma, quando quidem in ſanguinem non conuertitur niſi vinum, cum materia huius ſacramenti non ſit alia, quam panis, & vinum, vt docent Florentinum, & Tridentinum. Itaque exceptis Alano, Toleto, Ægidio, qui apertè docent, & Peſantio, qui probabiliſsimam iudicat, Ianſenio, qui indicat, nullus alius pro ea ſententia citari poteſt, neque Baronius, de quo dicam infra numer. 12.

8 Sed dicet quis antiquiſsimam fuiſſe oppoſitam partem in Eccleſia, & multos habuiſſe fautores. Quia prope annum 1188. in Gallia excitata controuerſia fuit de ſubſtantia aquæ, quæ vino mixta offertur in calice, an & ipſa ſimiliter cum eodẽ vino in ſanguinem Chriſti conuertatur, vt conſtat ex epiſtola Gaufredi ad Cardinalem Albanenſem Apoſtolicæ Sedis Vicarium, quæ extat apud Baronium tom. 12. eodem anno à num. 28. Quam quæſtionem ibi Gaufredus inauditam vocat, quia ſcilicet vſque ad ea tempora communis ſenſus omnium fuerat, id quod offerebatur in calice in ſanguinem conuerti, neque examinabant an, vt conuerteretur aqua, prius tranſiret in vinum, an immediatè in ſanguinem, quod eo tempore in Gallia poſt Magiſtrum ſententiarum diſputari cœptum eſt, vt ex eadem epiſt. conſtat, ibi: *Non ſoluta, nec ſaltem propoſita in eius codice quæſtio reperitur.* Quod autem quæſtio ea, cuius meminit Gaufredus, de eo fuerit, an aqua immediate conuerteretur, an vero neceſſe eſſet, vt prius conuerteretur in vinum, videtur colligi ex ſequentibus.

Primo, quia qui affirmabant conuerti, vtebãtur iiſdem teſtimonijs, quibus iſti recentiores vtuntur, vt probent immediate conuerti, quæ ſtatim adducam. Deinde, quia qui negabant conuerti, eo vtebantur argumento, vt conſtat ex eadem epiſtola, quod Patres duarum tantum ſpecierum meminerint, ſcilicet panis & vini, atque adeo nihil, niſi quod vinum fuerit, cõuerti, quo argumento vtuntur etiam Doctores noſtræ ſententiæ. Cui argumento reſpondebant qui affirmabant conuerſionem, homines non conſueuiſſe mixturam aquæ, & vini; etiam ſi aquæ quantitas præualeat, aquam nuncupare, ſed vinum: quo indicatur eos agere de aqua remanente in ſpecie aquæ. Deinde qui negabant conuerti, cum premerentur teſtimonijs Patrũ, quæ infra adducemus, reſpondebant vinũ quod aqua mixtum eſt conuerti, ſed nõ aquam propterea conuerti: quaſi dicerent, vinum quod iam in ſe conuertit aquam trãſubſtantiari: non tamen aquam, niſi conuerſam in vinum.

9 Cæterum mihi hæc attente conſideranti videtur quæſtionem illam eo tempore in Gallia excitatam, cuius Gaufred⁹ meminit, nõ fuiſſe de eo, an aqua immediatè cõuertatur in ſanguinẽ, vel non niſi cõ-

uerſa

uerſa in vinum, ſed an aqua connerteretur in vinum, & ſic in ſanguinem, vel an numquam conuerteretur in vinum, & ideò nũquam etiam conuerteretur in ſanguinem. Quidam ex illis affirmarunt conuerti in vinum, & ſic tranſire in ſanguinem. Alij vero qui ſibi perſuadebant numquam conuerti in vinum, negabant vnquam in ſanguinem conuerti. Quare potius vtriuſque partis communis ſenſus erat aquam numquam immediatè tranſire in ſanguinem; differebant tamen, quod ex eis quidam dicebant conuerti in vinum, & ſic trãſire in ſanguinem, & ad hoc inducebant Patrum teſtimonia aſſerentia mixturam illã in ſanguinem conuerti, quaſi ſibi perſuaſum habentes, aut ſupponentes pro certo in vinum aquam conuerti, & ſic tranſire. Alij vero ex eis dicebant numquam tranſire in vinum, & ita neque in ſanguinem, ſed ſemper in ſubſtantia aquæ remanere. Et quidem de hoc tantum fuiſſe eam controuerſiam perſuadet in primis, quod Innonentius III. qui paulo poſt ſubſecutus eſt, tantum huius, quam dico, controuerſię meminerit, non alterius, vt conſtat ex dicto cap. *cum Marthæ*, & deducam poſtea.

Deinde quia Diuus Thomas, qui nõ multo poſt Innocentium ſcripſit, eius opinionis non meminit, ſed tantum illius, quæ dicit aquam remanere ſemper in calice non conuerſam in vinum: ſicque intellexit opiniones, quas refert Innocentius in ea decretali. Neque etiam vllus ex antiquis Scholaſticis eius opinionis mentionem facit, ſed tantum huius quam dico, ſcilicet aquam numquam conuerti in ſanguinem, quia non conuertitur in vinum. Mirum autem eſſet, ſi ea quæſtio tanta animorum contentione in Gallia diſputari cœpta eſt paulo ante ſedem Innocentij, tantum de ea ſilentium fuiſſe apud antiquos ſcriptores, & Theologos.

Præterea me inducit in hanc ſententiam, quod in eadem epiſtola Gaufredus inquit eos, qui negabant conuerti in ſanguinem cum premerentur teſtimonijs Patrũ, dixiſſe ſic intelligendos, quod vinũ, quod aqua mixtum eſt, conuertatur, non tamen propterea aquam mutari. Quæ verba ſatis indicant ſentire illos aquam numquam in vinum conuerti, & ideo non conuerti neque mutari in ſanguinem: alias interpretarentur Patres non de vino, ſed de aqua conuerſa in vinum. Et idem etiam indicat, quod reſpondebant ad teſtimoniũ Paſchaſij, qui expreſsius loquebatur de aqua. Si enim illi, qui negabãt cõuerti, eſſent in noſtra ſententia, dicerent, intelligendũ de cõuerſione mediata. At opponebatur illis huiuſmodi teſtimoniũ: *Paſchaſius: Aqua conſecratur, nõ quod aqua permaneat, ſed vertitur in ſanguinẽ.* Cui teſtimonio reſpõdebãt ſic: *Teſtimonium verò Paſchaſij, quod euidens eſt, eadem pars contemnit.* Atque hæc eadẽ verba, quæ modo retulimus affirmantium conuerſionem, inducunt me in eandẽ ſentẽtiã. Nam Paſchaſij teſtimoniũ, quod, qui affirmabant, euidens eſſe dicebant, euidẽs quidem eſt ad probandũ aquã nõ manere ſemper inconuerſam, vt aſſerebant qui dicebãt numquam conuerti in vinum, & ideò neq; tranſire in ſanguinẽ. Ad probandã verò immediatã aquæ conuerſionẽ in ſanguinẽ, vt recentiores cõtendunt, à nemine vel mediocriter docto potuit euidẽs iudicari, cũ doctiſsimi homines illud facillimè explicari dicant, vt oſtendemus poſtea.

10 Neque his obſtat, quod qui affirmant cõuerti aquã in ſanguinẽ, vterentur apud Gaufredũ iiſdem teſtimonijs, quibus vtuntur nunc, qui dicunt immediatè cõuerti. Illi enim rectè vtebãtur illis teſtimonijs quibus ſatis cõuincebatur in vinũ conuerti aquã, quia illis conuincebatur aquã tranſire in ſanguinem, & id ſupponebat cõmunis modus loquẽdi Patrum. Vt enim dixit catechiſmus Pij V. Eccleſiaſticorum ſcriptorũ iudicio atque ſentẽtia aqua in vinũ cõuertitur. Rectè etiã dicebant homines mixturam vini, & aquæ vinũ appellari. Quia ſi quando aqua præualeat, appellant vinum: quãto magis, ſi aqua iam eſt in vinum conuerſa, id enim ſignificatur nomine mixturæ vini, vt ad conſecrationem requiritur.

11 Neque etiã obſtat, quod magni momenti iudicat Aegidius, quod qui affirmabant cõuerti, ſi ideo conuerti dicerẽt aquã in ſanguinẽ, quia prius cõuertebatur in vinũ, id expreſſiſſent, aut pro ratione reddidiſſent. Dico enim ita ſine ambiguitate fuiſſe inter Eccleſiaſticos ſcriptores, in vinũ aquam tranſire, vt dicã ſtatim, vt illud exprimere neceſſe nõ fuerit, ſed hoc ſuum fundamentũ cõmuni eorũ ſenſu receptum collegiſſe ex loquutionibus Patrũ, qui dicebant aquã, & vinũ in ſanguinẽ conuerti. Ex quo patet inter vtriuſque partis aſſertores pro indubitato fuiſſe aquã immediatè non poſſe cõuerti in ſanguinẽ, & id ſupponentes qui dicebant nõ tranſire in vinũ,

negabant tranſubſtantiationem in ſanguinem: at alij qui dicebant conuerti in ſanguinem, ſupponebant etiam conuerti in vinũ vt dictum eſt.

12 Solent denique pro oppoſita ſententia referri Cardinalis Baronius, cuius quidem maior iure hiſtorica, quã Theologica authoritas eſt. Sed & immeritò refertur: quia tom. 12. anno 1188. ſic explicat ſtatum controuerſiæ eo tempore exercitatæ: *De ventilata nuper in Gallijs quæſtione, aſſerentibus alijs in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio aquam vino mixtam mutari in Chriſti ſanguinem, alijs verò negantibus.* Cumque retuliſſet Baronius Gaufredi epiſtolam, ſubijcit: *Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis non inuenimus: ſed aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quam quod credidit, & cuſtodiuit ſemper ſancta Romana Eccleſia, nimirum aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti.* Quæ verba Baronij non proferunt iudicium pro oppoſita ſententia, nec enim vnquam de ea opinione fuit communis Eccleſiæ ſenſus, nec res ad fidem pertinens. Quare, ſi de ſententia Baronij ſyncere iudicemus, potius credendũ eſt illum reſpexiſſe ad eam ſententiam, quam ſuo tempore, & præcedentibus ſæculis videbat communem, & ſine dubitatione receptam. Quod enim Alanus dubitare cœperit, facile Baronium latere potuit. Itaque potiùs ſententiam noſtram reſpexit, cum dixit eam credidiſſe, & cuſtodiuiſſe ſemper Romanam Eccleſiam, quam oppoſitam.

13 Secundo probo eandem communem veramque ſententiam ex Innocentio Tertio in dicto cap. *cum Marthæ* de celeb. Miſſ. in quo ita apertè hanc ſententiã, vt probabiliorem approbat, vt non parum miter Aegidium hoc teſtimonium non ſolum obſcurare voluiſſe, ſed & in ſuam ſententiam trahere. Conſideremus ergo, & attentè diſcutiamus teſtimonium Innocentij. Tres opiniones recenſet eo loco. Prima eſt, aquam in aquam Chriſti conuerti. Hanc reijcit vt minus probabilem. Secunda eſt, quæ aſſerit aquam cum vino trãſire in ſanguinem. Prædicta autem opinio non aſſerebat vt cumque aquam cum vino tranſmutari, ſed conuerſam prius in vinum, ſic enim ſcribit Innocentius: *Alij verò dicunt quod aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cum in vinum tranſeat mixta vino, licet phyſici contrarium aſſeruerunt, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerant ſeparari.* In quibus non refert opinionem bimembrem, vt exiſtimauit Aegidius, ſed opinionem eam, quæ docet conuerti, & fundamentum eius opinionis, ſcilicet, quod in vinum tranſeat mixta vino: & cum addit phyſicos negare tranſire aquam in vinum, quia artificio ſeparari poteſt, nihil aliud agit, quam fundamentum Theologorum præferre fundamento phyſicorum, quaſi diceret aquam tranſubſtantiari mixtam vino, quia conuertitur prius in vinum, quidquid philoſophi negauerint tranſire in vinum. Et iuxta hoc philoſophorum fundamentum ſubiungit ſtatim Innocentius III. opinionem, quod nunquã aqua mutatur in vinum, & ideò neque trãſeat in ſanguinem, ſed tantum per ſe ſtet.

14 Atque hunc eſſe legitimum ſenſum Innocentij, præterquam quod verba ipſa ſatis aperta ſunt, colliget qui contulerit huius capitis deciſionem cum his, quę habet idem Innocentius lib. 4. de alt. myſt. cap. 30. Cum enim reieciſſet eorum opinionem, qui dicebant aquam tranſire in phlegma Chriſti, eo quod ex eius latere non vera aqua, ſed humor phlegmaticus profluxerit, ſtatim addit: *Quibuſdam verò non abſurdum videtur, quod aqua cum vino tranſit in ſanguinem, ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem tranſit in ſanguinem.* Ecce opinionem quam defendimus, & eius fundamentum. Sed addit: *Quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ.* Ecce vbi fũdamentum Theologorum ita præfert phiſicorum doctrinæ, vt illud eſſe dicat ſine dubitatione. Id ergo eſt quod dicit in dicto capit. *cum Marthæ*, veram eſſe opinionem tranſire aquam in ſanguinem ex eo fũdamento, quia tranſit in vinum, eo quod hoc eſt ſine controuerſia, quidquid phyſici negent. Vt autem Innocentius in dicto cap. 30. probet aquam in vinum tranſire tribus vtitur argumentis ab inconuenienti, & abſurdo.

Primum eſt, quia alioquin ſequeretur vinum per guttam aquæ mutari, & fieri aliquod tertium mixtum, quod nec ſit aqua nec vinum. Secundò, quia ſequeretur etiam aquam fontis per vnam guttam vini mutari, ita vt nec ſit aqua nec vinum, ſed quoddam tertium mixtum, & confuſum.

Denique, quia ſequeretur etiam, nec panem triticeum manere eum, cui mixtum

fuit

fuit vnum granum hordei vel hauenæ, ſed reſultare tertium mixtum, & ita non eſſe materiam aptam conſecrationi, quæ abſurda ſunt. Itaque ex eo quod vinum non conuerterit in ſe aquam infert fore vt remaneret quoddam mixtum, quod neque eſſet aqua, nec vinum, & ex conſequenti conſecrari non poſſet. Ne ergo hoc dicatur, abſque controuerſia contra phyſicos vult Innocentius dicendum eſſe aquam tranſire in vinum, & ſic in ſanguinem. Vnde cõcludit oportere, quod tantum vini apponatur in calice, quod aqua commixtum ſaporem vini retineat, quaſi ex accidentibus colligens iam aquam tranſijſſe in vinum. Neque enim nos aliud argumentum habemus colligendi mutationem ſubſtantialẽ, quam accidentia. Vide quam alienum ſit ab Innocentij mente approbare phyſicorum doctrinam aſſerentium aquam nũquam tranſire in vinum, vt exiſtimauit Aegydius loco citato. Eſſe enim communem Eccleſiaſticorum ſenſum aquam conuerti in vinum dicam in ſecunda parte noſtræ ſententiæ.

15 Ex quibus conſtat rectè reſpondiſſe Innocentium quæſtioni propoſitæ per illum Epiſcopum Lugdunenſem. Quæſtio enim propoſita non fuit, quam Aegydius exiſtimat, vtrum aqua mediatè vel immediatè tranſeat in ſanguinem: ſed vtrum aqua ſemper per ſe ſtaret, & ſemper maneret inconuerſa. Conſuluit enim Innocentium de ea quæſtione nuper in Gallijs excitata, oſtendimus autem quæſtionem de eo fuiſſe. Quia cum perſuaſum fuiſſet inter Eccleſiaſticos ſcriptores communi ſenſu aquam tranſire in ſanguinem, quia tranſit prius in vinum, & eo tempore aliqui phyſici dixiſſent aquam non conuerti in vinum, ea medicorum opinio dedit cauſam quæſtioni. Iuxta illam enim qui eam veram crederent, dicendum iudicabant aquam per ſe ſtare, & numquã tranſire in ſanguinem. De eo ergo conſultus Innocentius reſpondet, probabilius eſſe aquam in ſanguinem tranſire, in vinũ tamen conuerſam, quidquid medici negarent. Et quamuis data ſuppoſitione, quod aqua in vinum conuerſa ſit, de fide eſt tranſire in ſanguinem. & non ſolum probabilius, & de eo dubitare non poſſet Epiſcopus: at quia fundamento illi obſtabat medicorum opinio ideo dubitauit, & probabilius eſſe tranſire in vinum reſpondit Põtifex, ex quo conſequenter ſequebatur tranſire in ſanguinem.

Exiſtimauit namque Innocentius fundamentum medicorum eſſe ab omni ratione, & opinione hominum alienum, vt conſtat ex dicto lib. 4. cap. 30. Ex quo etiam patet quam immerito Aegydius numer. 152. colligat ex Innocentio in dicto capit. *cum Marthæ*, paucorum hominum opinionem eſſe aquam conuerti in vinum, & multum detuliſſe medicorum iudicio in ea parte. Nam ſi conſuluiſſet locum ex dicto cap. 30. perſpexiſſet facile iudicaſſe Innocentium extra omnem dubitationem eſſe, quod aqua conuertatur in vinum, & ex conſequenti medicorum iudicium tamquam à communi ſenſu, & ratione alienũ reieciſſe. Quare, vt rectè notat Syluius, Innocentius ſic probat ſecundam opinionem, vt tamen non in omnibus reijciat tertiam. Admittit enim aquam in vinum non conuerſam non tranſire in ſanguinẽ, vt dicebat tertia ſententia: affirmat, tamen conuerſionem aquæ in vinum, vt poſsibilem. Notanter enim non dixit, ſi conuertitur in vinum, ſed cum in vinum tranſeat, ſupponens & probans conuerſionem eius in vinum.

16 Tertio loco probatur eadem communis, & vera ſententia ex modo loquendi Conciliorum circa materiam calicis. Nam Concilia, dum aſsignant materiam huius ſacramenti, dicunt eſſe panem triticeum, & vinum abſolutè, nulla aquæ mentione facta. Sic Iulius primus in cap. *cum omnis*, de conſecrat. diſtinct. 2. Carthaginenſe 3. cap. 24. Altiſiodorenſe cap. 8. & Tridentinum ſeſsione 13. & 22. ſæpiſsimè cap. 3. ibi: *Sub panis & vini ſpecie*: & iterum: *Sub ſpecie vini*; & cap. 4. & canon. 2. & ſæpè etiam idem repetit ſeſsione 21. & cum de conuerſione loquitur ſeſs. 13. cap. 4. tantum dicit fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis, quo etiam modo locutus fuerat Eugenius quartus in decreto de ſacramentis, cum dixerat verborum virtute ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti, & ſubſtantiam vini in ſanguinem. Numquam autem quoties loquitur de materia calicis, vel eius conuerſione meminit aquæ, quod magno argumento eſt, vt exiſtimemus aquam, niſi conuertatur in vinum, non eſſe materiam conſecrabilem.

17 Et vrgeo magis Tridentini locum ex ſeſsione 13. can. 1. vbi dicitur anathema neganti conuerſionem fieri totius ſub-

ſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini. Quod ſi aqua non conuerſa in vinum conuerteretur in ſanguinem, remanerent accidentia panis & vini, & aquæ, quod tamen repugnat cũ ea particula excluſiua Concilij, cuius ſenſus eſt manere accidentia panis & vini, & ſola illa accidentia.

Verum ad hoc dupliciter reſponderi poteſt. Primo enim Canonem conditum eſſe contra Hæreticos huius temporis, qui dicebant remanere panis ſubſtantiam cum corpore Chriſti, & ita ea particula excluſiua tantum excludi ſubſtantiam. Sed contra hoc eſt: quia licet is error dederit diffinitioni cauſam, attamen bene potuit Concilium vti adeò generali locutione, vt alia etiam comprehenderet, vel ad alia extenderetur; quod multis canonibus oſtendi poſſet, quos omitto, quia paſsim occurrũt. Exemplum ſit in cap. 1. ſeſs. 21. vbi definiens Concilium contra hæreticos Apoſtolos ordinatos eſſe ſacerdotes à Chriſto; quod hæretici negabant, ſimul etiam ſe extendit definitio Concilij ad tempus ordinationis, ſcilicet in vltima cœna, cum tamen ante Concilium Catholici nonnulli opinarentur alio tempore ordinatos fuiſſe ſacerdotes, quod tamen iam poſt Tridentinum ſine periculo fidei aſſeri non poteſt. Et ex eodem cit. canone, quia verba adeò generalia ſunt, graui nota cenſetur, qui dicit remanere ſubſtantiæ exiſtentiam cum accidentibus, quamuis de eo nullus hæreticorum error extiterit.

18 Secundo reſpondebit aliquis ſimul ad teſtimonium Concilij Tridentini, & ad alia ſupra adducta, quæ tantum faciunt mentionem vini in materia calicis, ea voce intelligi vinum lymphatum, quod eſt vinum vſuale, & à potiori ſumit denominationem, & appellatur vinum. Sed cõtra hanc ſolutionem eſt in primis: quia cõmuni appellatione, & magis communi, vini tantum nomine non intelligatur vinum mixtum aqua, ſed merum, quamuis etiam aliquando temperatum appelletur abſolutè vinum. Idque facile conſtabit ex locis ferè omnibus ſacræ Scripturæ, in quibus ponitur hæc vox *vinum*, vt in illis: *Frumẽto & vino ſtabiliui eum: Lauabit in vino ſtolam ſuam; vinum & ſiceram non bibet: guſtauit aquam vinum factam*. & ſexcenta alia: ergo cum Concilia dum aſsignant materiam, tantum meminerint vini, intelligenda ſunt de vino in magis conſueta, & propria ſignificatione, & non de vino vſuali.

Et vrgeo magis hoc exemplo: frumẽti nomine ſolent etiam intelligi alia grana præter triticum: & tamen quia communi ſacræ Scripturæ vſu intelligitur triticum, etiam ante Eugenium 4. qui expreſsit panem triticeum, certum, & indubitatum in Eccleſia fuit frumenti nomine in Concilijs, & Patribus aſsignantibus materiã corporis intelligendum eſſe triticum: ergo cũ & in ſacra Scriptura, & communi vſu loquendi, conſtet vinum abſolutè poſitum vinum merum ſignificare, & Concilia abſolutè dicant materiam calicis eſſe vinum, manifeſtè ſequitur vini nomine non intelligi temperatum, & aqua mixtum.

Quod ſi dicas Conciliorum verba ſic interpretanda de vino mixto, quia Patres dicunt aquam etiam eſſe materiam cõuertibilem, & ex Patribus licet explicare Conciliorum ſenſum. Contra eſt, quia hoc rectè diceretur, ſi Patres apertè dicerent aquam eſſe materiam immediatè conuertibilem. At cum Patrum verba nõ ſint aperta, ſed quæ explicatione etiam, & longa deductione indigeant, abſque fundamẽto prorſus ex eiuſmodi obſcuris, & ambiguis teſtimonijs contendunt Doctores oppoſitæ ſententiæ impropriare Conciliorũ verba, & à communi, receptaque ſignificatione diſtrahere. Addo, ſi Concilia clarè, & diſtinctè vinum tantum nominant, & vinum materiam eſſe dicunt conſecrationis, & ſubſtantiam vini conuerti, & Patres obſcurè loquuntur, neque ex eorum verbis colligi poteſt aquam eſſe materiam immediatè conuertibilem, quod neque illi Doctores negare poterunt, recta ratio poſtulat, vt potius Patrum teſtimonia ambigua, per verba aperta Conciliorum interpretemur, quam vt per verba Paſchaſij, aut Algeri detorqueamus verba Conciliorum. Maximè cum eadem Concilia, quę mixtionem aquæ cum vino in calice præceptam dicunt, cum ad explicandam conuerſionem deueniunt, tantum vini ſubſtãtiam conuerti dicant, nulla aquæ in ea occaſione mentione facta.

Quod valde notandum eſt, abſtinuiſſe Concilia adhuc ab ea locutione, quæ in Patribus frequens eſt, cum dicunt calicem aqua & vino mixtũ cõuerti in ſanguinem Chriſti, & ſolum in Concilijs reperiri ſubſtantiam vini conuerti. Quod ideo factum eſſe diuina prouidentia ordinante creden-

dum

dũ eſt, ne vel ea ambigua locutio, quæ anſam præberet exiſtimandi aquam in ſanguinem conuerti, in Concilijs à ſede Apoſtolica confirmatis reperiretur.

Deinde impugno eandem ſolutionem, quia ſi nomine vini in Concilijs intelligeretur vinum vſuale, & quia vinum vſuale eſt aqua mixtum, ideo cenſeretur comprehendi aqua vt materia ſacramenti, ſequeretur ex ea locutione etiam eſſe materiam conſecrationis vinum, quod haberet medietatẽ aquæ, quia etiam illud eſt vinũ vſuale; imò etiam ſi duæ partes aquæ vni vini fortis additæ eſſent, quia adhuc illud eſt vinũ vſuale, quod non admittent Doctores oppoſitæ ſententiæ, cũ additionẽ vel tertiæ partis aquæ vocet Pontifex pernicioſum errorẽ, in c. *pernicioſus*, de celeb. miſ. Et cũ de quãtitate aquæ adhibenda nõ ſit præceptũ diuinũ, ſed Eccleſiaſticũ, ſequeretur ante Põtifices, qui modiciſsima aquã præceperunt apponendã, huiuſmodi vſuale vinũ eſſe etiam aptam materiam conſecretioni. Quia Concilia, cum abſolute vinum vocant materiã conſecrationis, non indicãt parua, an magna quãtitate aquæ mixtũ ſit, ſed ſecũdũ illos Doctores tãtũ vſuale vinũ: vſuale autẽ etiã eſt, quod conſtat & medietate aquæ, & duabus partibus aquæ iuxta vini qualitatem: Patres etiã cũ dicũt calicẽ aqua mixtum, quantitatẽ non exprimunt. Quare non eſt vnde colligatur ante Pontifices taxantes quantitatẽ aquæ non poſſe conſecrari vinum adeò tẽperatũ, dummodo aqua veſtiatur accidentibus vini. Denique ſi intelligitur vinũ vſuale, ergo falſum eſt Chriſtũ cæremoniæ cauſa miſcuiſſe aquã vino, & verũ erit quod noſtri temporis Hæretici dicunt, ob tẽperaturã miſcuiſſe, nam in vino vſuali ob tẽperaturam miſcuiſſe iã à nobis dubijs præcedẽtibus oſtenſum eſt, & reijciunt Doctores cõmuni ſenſu, quãuis placuiſſe etiã eam rationem aliquibus antiquioribus non diffitear.

19 Sed accedamus iam ad cõſiderãdũ pro hac parte decretũ Eugenij 4. in Cõcil. Florent. agens enim de materia ſacramenti Euchariſtiæ, hæc habet: *Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cuius materia panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationẽ aqua modiciſsima admiſceri debet. Aqua autẽ ideò admiſcetur, quoniã iuxta teſtimonia Sanctorũ Patrũ creditur ipſum Dñm in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentũ.* Hæc Eugenius. Ecce vbi Eugenius diſtinctè vtriuſque conſecrationis materiã aſsignãs tantũ dixit eſſe panẽ triticeum, & vinũ de vite, nec dixit aquã eſſe materiã, ſed vino, quod dixerat eſſe materiã, aquã apponẽdã eſſe. Qua loquendi forma non tantum nõ dixit, neque indicauit aquam eſſe materiã, ſed illam excluſit. Expendo enim non dixiſſe Eugeniũ, cui tamen, in qua locutione illa particula *tamen* indicare vtcũque poterat aquã etiã pertinere ad materiã, ſed dixit, cui ante conſecrationẽ modiciſsima aqua eſt adhibenda, indicans illã non pertinere ad materiam. Et vrgeo magis, quia cũ idẽ Eugenius rationẽ redderet, cur modiciſsima aqua adhibenda ſit, & miſcenda vino, vbi locus erat explicandi illã eſſe materiã etiã cũ vino, nequaquã eam rationẽ reddidit, ſed quia Chriſtũ feciſſe Patres docuerũt, & etiã ratione ſignificationis.

20 Sed ad hoc argumentum, reſponderi poteſt ex decreto Eugenij ſolum colligi vinũ eſſe materiã neceſſariam, ſine qua non fieret conſecratio: non tamen effici ſolũ vinũ eſſe materiã, ita vt aqua coniũcta vino manens in ſpecie aquæ non ſit etiam materia. Sed cõtra hãc ſolutionẽ eſt, in primis quia ex ſimili modo loquendi Eugenij in alijs ſacramentis circa materiã, formã, & miniſtrũ, colligunt Doctores Catholici ita eam, quã vocauit materiã, ſiue ſit integralis, ſiue eſſentialis, eſſe materiã, vt non liceat addere aliquid aliud, quod ſit materia, forma, vel miniſter. Percurramus ſingula. Agens de Baptiſmo dicit materiam eſſe aquã verã, & naturalẽ. Nulli vnquã venit in mentẽ aſſeri poſſe aliã aquã non naturalẽ eſſe etiã materiã, neque poſſe naturali aquæ addi aquã roſaceã, ita vt ſit materia cõiuncta cũ aqua naturali. Similiter in ſacramento Confirmationis dixit materiã eſſe chriſma ex oleo oliuæ, & balſamo confectum.

Et quãuis dubitauerint aliqui Scholaſtici, an tàm oleũ, quam Balſamũ ſint eſsẽtialis materia, vel balſamũ ſit tantũ integralis, ob textũ in cap. 1. de ſacramentis non iterandis: attamen nullus auſus eſt dicere aliquid aliud, præter id quod expreſſũ eſt eſſe materiã aliquomodo. Similiter in ſacramento Pœnitentiæ appellauit materiã tres actus Pœnitentis, Confeſsionẽ, Contritionẽ, & ſatisfactionẽ, & in ſacramẽto ordinis illud, per cuius traditionẽ cõfertur ordo, quã traditionem in ſingulis ordinibus aſſignat: & in omnibus iſtis nullus cum fũdamento dicere poteſt aliquid vltra illud,

quod

Digitized by Google

quod vocat materiam; ad eam pertinere. Et in hoc eodem ſacramento Euchariſtiæ ex eo tantum, quod dixit materiam corporis eſſe panem triticeum, ſemper intellexit Eccleſia, & ſibi perſuaſit ita declaraſſe Eugenium materiam cõſecrationis corporis, vt nulla alia, vel ſimul cum illa, vel ſeorſim poſsit eſſe materia: & ex eodem fundamẽto perſuaſum ſemper in Eccleſia fuit, & indubitatũ alia grana hordei, & auenæ, quę miſceri ſolent ſemini tritici, & vna cum illo efficere panem vſualem, ſi non ſint ea grana eſſentialiter conuerſa in triticum, nõ recipere conſecrationem, etiã ſi ſimul ſint cum farina tritici, & vnum panem vſualem conficiant: ergo idem dicendum eſt de aqua mixta vino. Et vrgeri poteſt hoc argumentum ex his, quæ docet idem Eugenius de miniſtro. Eo enim ipſo, quod dicit in Confeſsione, Euchariſtia, Vnctione miniſtrum eſſe ſacerdotem, intellexit Eccleſia ita eſſe ſacerdotem miniſtrum, vt non ſit alius. Et quia in Confirmatione, & Ordine poterat eſſe ex commiſsione alius, quam Epiſcopus miniſter eorum ſacramẽtorum, ideo notanter dixit eorum ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, vt eo intelligeremur eſſe poſſe alium ex commiſſione, & niſi ea forma loquendi vſus fuiſſet, nullus cum fundamento diceret alium quam Epiſcopum eſſe miniſtrum: ergo cũ hic abſolutè dixit materiam eſſe vinum de vite, in quo non includitur aqua, cum poſtea dicat addendam eſſe aquam, debemus intelligere ſic aſsignaſſe materiam calicis, vt nihil aliud ſit materia.

Et vrgeo adhuc magis deſumpto argumento ex forma. Ex eo enim quod in ſacramentis dixit verba eſſe formam, quæ perficiuntur, intellexit Eccleſia in nullo alio poſſe formam conſtitui, & vt error damnatur doctrina, quæ docet poſſe abſolutionem in ſcriptis dari, quia ſcriptura non ſũt verba. Et niſi in ſacramento Matrimonij dixiſſet regulariter verbis perfici, quã particula limitauit propoſitionem vniuerſalem, quã in principio dixerat ſacramenta perfici verbis vt forma, intelligeremus in Matrimonio perficiendo nihil aliud loco verborum ſubſtitui poſſe. Ergo cum expreſſerit vinum eſſe materiam, & nihil addiderit, quo intelligamus aquam eſſe materiam ſimul cum vino, planè dicendum eſt non eſſe materiam conſecrabilem, niſi conuertatur in vinum, & abſque vllo fundamento in Eugenio affirmari eſſe materiam conſecrabilem in ſua ſpecie manentem. Et quidem, niſi iſto modo accipiantur Eugenij verba, nihil certi haberi poteſt de materia neceſsaria, aut ſola ſacramentorum, aut ſaltem concedendum erit ex vi Eugeniani decreti non ſatis conſtare, ſed adiungendam vlterius eſſe traditionem Eccleſiæ, & communem ſenſum, quod tamen abſurdè dicetur. Quia Eugenius volens tradere Græcis doctrinam exactam de ſacramentis, quam tenebat Eccleſia Latina, nequaquam eo inſufficienti modo tradidiſſet, vt neceſſarium ipſis eſſet iterum recurrere ad traditionem Eccleſiæ, & communem ſenſum, vt Eugenij doctrinam intelligerent.

21 Huic tamen argumento dicet quis: quamuis non dixerit Eugenius aquam eſſe materiam, adhuc inferri poſſe ſufficienter vt opinionem probabilem: ſi enim expreſsiſſet, nõ tantum eſſet opinio probabilis, ſed de fide. Deinde quia multa omiſit Eugenius circa materiam, & formam ſacramentorum, & non obſtante decreto Eugenij, in vtranque partem diſputantur à Theologis. Nam cum de matrimonio agit, nihil dixit de materia, & forma. Similiter cum agit de ſacramento cõfirmationis, quamuis dixerit materiam eſſe chriſma ex oleo, & balſamo, aliqui Theologi probabiliter contendunt Balſamum nõ eſſe materiam neceſſariam, ſed integralem. Similiter cum exprimeret formam conſecrationis ſanguinis, exprimit omnia illa verba, quæ dicuntur in Eccleſia Latina, & tamen dubitant Theologi an omnia illa pertineant ad formam, & probabilius iudicatur non pertinere. Similiter de miniſtro baptiſmi agens dixit illum eſſe ſacerdotem, & in caſu neceſsitatis eſſe laicum, & etiam paganum: & tamen extra caſum etiam neceſsitatis eſt idoneus miniſter laicus.

Addo ego in horum confirmationẽ circa materiam ſacramenti Pœnitẽtiæ Cõcilium Tridentinum expreſsiſſe eſſe confitenda peccata mortalia, & circunſtantias, quæ mutãt ſpeciem, & nihil amplius dixit de peccatis explicandis: & eo non obſtante maior pars Theologorũ docet etiã circũſtantias notabiliter aggrauantes eſſe materiã neceſſario explicandã in confeſsione. Ergo ex eo quod Eugenius expreſſerit vinum de vite eſſe materiam calicis, non poteſt inferri illam ſolam eſſe materiã, maximè adiuncta Patrum authoritate dicentium.

tium.

nũm aquam conuerti in vinum; quæ authoritates Patrum ſi adeſſent in alijs materijs, etiam pari modo extenderentur Eugenij berba; at quia non adſunt, ideò accipiuntur, vt ſonant ſine extenſione vlla

22 Sed contra hanc ſolutionem, quia multa inuoluit, multa etiam dicenda ſunt, & breuiter omnia refellenda. Fateor, ſi Eugenius apertè aquam vocaret materiam, fore rem de fide, ſicut ſi dixiſſet expreſſe non eſſe materiam: erraret qui affirmaret eſſe materiam: tamen ex eo quod in exacta doctrina de ſacramentis non vocauit materiam, colligimus merito ſententiam, quæ materiam eſſe dicit, nullum habere fundamentum in Eugenio, neque in Concilijs, ſed merè voluntariam eſſe. Neque ea, quæ in exemplum adducũtur, quidquam obſtant rationi noſtræ. Non quidem exemplum ex doctrina Matrimonij deſumptum. Quia in primis, quod attinet ad formam, qua perficitur matrimoniũ expreſſa eſt ab Eugenio, & dixit regulariter eſſe verba: & ita non licet dicere aliquid aliud eſſe formam qua perficiatur. Materiam quidem tacuit, & nihil expreſſit: & quia tacuit, diſputationi relicta res eſt, at ſi expreſſiſſet, non eſſet diſputationi locus, quod contendimus argumento noſtro.

Similiter dico de materia ſacramenti Cõfirmationis. Siluit Eugenius quæ eſſet eſſentialis, quæ integralis: & ita de eo diſputari vtcumque poteſt: at non ſubeſt diſputationi an aliud præter Balſamum, & oleum oliuæ ſit materia, vel aliud oleum, vel aliud loco balſami. Quod autem nos contendimus eſt expreſſa ſemel materia, forma, aut miniſtro ab Eugenio, non licere aliquid aliud deſignare etiam pro materia acceſſoria. Idem etiam dico de tertio exemplo ex forma conſecrationis calicis deſumpto. Appoſuit enim Eugenius omnia verba formæ, quamuis non explicuerit quid ſit eſſentiale in illa, quid integrale: & illud ſolum ſatis eſt, vt dici non poſſit alia verba addi poſſe pro forma. Id autem, quod de miniſtro Baptiſmi adducitur, non eſt ad rem. Quia ſufficienter indicauit Eugenius etiam extra caſum neceſſitatis eſſe idoneum miniſtrum laicum, & paganum. Cum enim aſsignauit ſacerdotem miniſtrum baptiſmi, non omnino abſolutè dixit, ſed cui ex officio competit: quibus deſignauit legitimum miniſtrũ, qui ſine peccato baptizaret: & his ſufficienter oſtendit illam limitationem, quam poſtea addidit de caſu neceſsitatis, non limitare idoneum miniſtrum, ſed legitimum, & qui ſine peccato baptizaret in eo caſu, extra illum vero cum peccato.

Vltimum, quod nos addidimus, & maiorem vim habere videtur, explicari facile poteſt. Concedo enim Tridentinum ſeſſione 12. c. 5. dixiſſe omnia peccata mortalia eſſe confitenda, quo probabiliter Theologi iudicant incluſam grauitatẽ notabilem etiam peccati cuiuſuis mortalis, cũ iudicium in eo foro ferri debeat cauſa integrè cognita, quantum humanus modus patitur; & ideò non ſine fundamento in Cõcilio, ſed potius cum magno fundamento aſſeritur circunſtantias aggrauantes eſſe explicandas, neque id neceſſe fuit amplius declarare. At quia de circunſtantijs mutantibus ſpeciem fuit ſpecialis error, vt ex Concilio colligitur: ideò de illis expreſſã mentionem fecit, quamuis ſufficienter incluſum erat in prima illa vniuerſali propoſitione, qua definierat omnia peccata mortalia eſſe confitenda. Nam circunſtantia quæ mutat ſpeciem, diuerſum mortale peccatum eſt ab alio, licet in vno, & eodem actu. Ex quo conſtat ex illo ad noſtrum caſum nullum argumentum deſumi poſſe. Nec vero quod additur de adiuncta Patrum authoritate alicuius momenti eſt, ſed facile refellitur. Nam ſi Patrum conſenſus eſſet, vel ſaltem plurium, vel etiam aliquorum apertus ſenſus aquam immediatè conuerti in vinum, dici poſſet Eugenium explicandum iuxta mentem Patrum. At cum eorum, & paucisſimorum verba ambigua ſint, & facilem explicationem habeant, non poteſt ex eorum paucorũ obſcuris verbis aliter explicari Eugenij decretum, quam verba ipſa præſeferunt, quod amplius refelletur ex dicendis.

23 Sed rurſus reſponderi poteſt adhuc in ipſo decreto Eugenij fundamentũ eſſe oppoſitæ ſententiæ. Eugenius enim explicans materiam calicis dixit eſſe vinum de vite, quo explicuit materiam eſſentialem, & ſine qua non eſſet ſacramentum. At deinde dicens: *Cui ante conſecrationem modicisſima aqua eſt adhibenda, quia Chriſtus iuxta teſtimonia Sanctorum Patrum creditur, inſtituiſſe hoc ſacramentum in vino aqua mixto;* eo modo loquendi indicauit, non quidem aquam eſſe materiam eſſentialem, ſed integralem.

Sed vt hanc ſolutionem impugnem, oſten-

Digitized by Google

oſtendendum eſt ex verbis Eugenij, nec leuiter colligi poſſe doctrinam hanc materiæ eſſentialis, & integralis: ſed vel colligi vtrãque eſſe neceſſariã materiã, vel aquam nullo modo eſſe materiam. Idque oſtendo primum, quia ratio, quã reddit Eugenius ex facto Chriſti, non probat eſſe materiã, cum multa fecerit Chriſtus in conſecratione ſui corporis & ſanguinis, multa protulerit, quæ à nobis quidem ideo ex præcepto fiunt, & tamen non pertinent neque ad materiam, neque ad formã: ergo ex ea ratione Eugenij non poteſt colligi aquam vllo modo eſſe materiam.

Quod ſi dicas eſſe rationem ſufficientẽ adiuncta Patrũ authoritate. Cõtra hoc dico: ſi teſtimonia Patrũ eſſent aperta, rectè diceretur illorũ teſtimonijs explicãdũ Eugenium, vt ſupra dicebam. At cũ verba Patrum non ſint aperta, ſed facillime explicabilia, vt oſtendã infra, non poſſunt aliquam vim addere rationi Eugenij, vt ex ea colligatur, vel leuiter deſignatio aquæ tanquã materiæ etiam integralis. Quare cum ex verbis Eugenij non colligatur, & aliàs Patrum teſtimonia ſint ambigua, nõ poteſt dici eſſe aliquod huius opinionis fũdamentum in Eugenio. Et vrgeo magis argumẽto deſumpto ex verbis, in quibus explicat materiã tritici iſto pacto. Eugenius dixit materiã eſſe panẽ triticeum, haud dubiè panem vſualem intelligens, in quo ſæpè aliorum ſeminum grana ſunt admixta: & omnes ferè antiqui Patres, atque Concilia, cum de materia conſecrationis corporis meminerunt, tantum dixerunt frumentum eſſe materiã, quo nomine etiã alia grana comprehenduntur ex vſu probatorum ſcriptorum.

Quibus cõmoti nonnulli ex antiquis Scholaſticis dixerunt non eſſe certũ alia genera frumenti non eſſe materiam aptã conſecrationi. Et quia Eugenius dixit materiã eſſe panem triticeũ, cenſuit Eccleſiæ communis ſenſus per verba Eugenij limitandam Patrũ, & Conciliorũ locutionem ad ſpeciẽ tritici, & nullus dixit per Patres, & antiquiora Concilia eſſe declaranda Eugenij verba: cũ tamen eo ipſo quod Eugenius panẽ nominauit, & vſualem intellexit, videbatur locũ reliquiſſe opinãdi etiã alia ſemina addita tritico eſſe materiã. Quod ſi poſt Eugeniũ Caietanus, & Alanus dixerunt propter hæc adhuc non eſſe certũ triticũ eſſe materiã neceſſariã neceſſitate ſacramẽti: attamen ea opinio grauiter notatur à Theologis. Quod ſi iſti Doctores, contra quos diſputamus, volũt ex ſimili fundamẽto philoſophari in materia aquæ, philoſophentur quidẽ per me: at cum eadem improbabilitate, & nota, qua digni ſunt Caietanus, & Alanus, cũ idẽ dicũt de materia cõſecrationis corporis, quod iſti de materia calicis. Nam ſi verba Patrũ, & antiquorũ Conciliorũ tantũ attendas, longè maius fundamentũ habent Caietanus, & Alanus, vt dicant alia ſemina vnà cũ tritico eſſe poſſe materiã, cum rariſsimi Patres tritici meminerint, ſed frumenti, & in pane vſuali, quẽ dixit Eugenius eſſe materiã, ea cõprehendi ſoleant: paucisſimi autem ſint, qui aquã dixerint cõuerti in ſanguinem, & qui facile explicari poſſunt de mediata conuerſione, ſicut & explicantur limitatè Patres, qui appellant frumentum materiã conſecrationis corporis. Sicut ergo illorum Patrũ, & Conciliorũ communis, & frequens locutio non eſt ſufficiens, vt extendamus verba Eugenij circa materia corporis: multo minus verba paucorũ Patrum, eaque ambigua, quidquam valere poſſunt, vt extendamus locutionem Eugenij.

24. Deinde vlterius probo eã diſtinctionem materiæ nullum in eo decreto habere fundamentum, quia neque fundari poteſt in eo, quod dixit ſtatim Eugenius, quia creditur iuxta teſtimonia Sanctorũ Patrum Chriſtum hoc ſacramentũ in vino aqua mixto inſtituiſſe. Si enim fiat vis aut expendatur verbum inſtituendi, nihil ex eo colligi poteſt, quia verbum illud ibi idem ſignificat quod facere, ſicut intellexit, & expreſsit Trident. ſeſs. 22. c. 7. ibi: *Quia Christus ſic feciſſe creditur.* Tum etiam quia ſicut Eugenius aquã apponendã in calice refert ad inſtitutionem Chriſti, ita etiã vinum, æquè enim dicit in vino aqua mixto hoc ſacramentũ inſtituiſſe: ergo ibi nõ eſt aliquid vnde colligatur inſtituiſſe in vino tanquam in materia integrali. Rurſus probo fingi eam diſtinctionem ſine fundamento in Eugenio. Quia Eugenius, quando alia etiã integraliter pertinet ad materiã, & formam ſacramentorum, ea retulit, licet nõ explicuerit, an integralia, an eſſentialia ſint, vt videre eſt iuxta aliquorũ ſententiam in materia Confirmationis, quam dixit eſſe chriſma ex oleo, & balſamo, & in Pœnitentia, vbi dixit eſſe quaſi materiam tres actus pœnitentis: & in forma ſanguinis omnia verba retulit, quibus vti-

tur Eccleſia Latina, quorum aliqua eſſentialia ſunt, alia integralia. Mirum autem eſt ſolum in hac materia integrali conſecrationis calicis abſtinuiſſe Eugenium à verbo materiæ, qui tam expreſsè etiam alias materias integrales nominauit, & appellauit materias.

Præterea neque ea diſtinctio colligi poteſt ex decreto Eugenij, quamuis illi adiungas Patrum locutiones. Nam Patres in illis teſtimonijs, quæ iſti proferunt, & infra referemus, eodem modo loquuntur de vino & aqua mixtis, & æquè affirmant conuerti in ſanguinem. Quare neque ex eorum verbis colligi poteſt vlla ratione vinum conuerti in ſanguinem vt eſſentialem materiam, aquam vero vt integralem.

25 Denique reijcitur eadem diſtinctio materiæ: quia ex his, quæ Eccleſia fecit, aut fieri præcepit in aliquibus caſibus, colligimus quid in ſimilibus faciendum ſit. At Eccleſia, cũ in alicuius ſacramenti confectione defuit aliqua materia etiam integralis, ſuppleri iuſsit quod omiſſum fuerat. Sic enim in cap. 1. de ſacrament. non iter. cum in vnctione, quæ eſt materia proxima Confirmationis, defuiſſet Balſamum, & ſolum facta eſſet cum oleo (admitto enim oſtendendæ veritatis gratia exemplum, quo etiam iſti Doctores vtuntur, quamuis ego aliter exiſtimem, vt ſuo loco dicendum eſt) iuſsit Pontifex ſuppleri cautè, quod incaute fuerat prætermiſſum. Et D. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad 6. ex eo quod fractio in ſacrificio miſſæ, ſi caſu omittatur, non ſit iteranda, colligit nulla ratione pertinere ad ſacrificium Miſſæ, neque vt partem integralem, quaſi ſupponens eſſe iterandum, quod ad integritatem pertinet, ſi omittatur. Quod ſi quis omittat per obliuionem infuſionem aquæ in calicem, etiam ſi ante ſumptionem ſacrificij recordetur omiſiſſe: imo & ſi ſciat non eſſe appoſitam aquam naturalẽ, ſed roſaceam, non iubetur ante ſumptionẽ repetere, & apponere alias ſpecies, & illas conſecrare, vt ſuppleatur defectus aquæ, ſicut præcipitur fieri in alijs defectibus occurrentibus. Ergo ſignum eſt nunquã Eccleſiam iudicaſſe aquæ infuſionem cum vino ad materiam pertinere. Quod ſiquis reſpondeat ideò non iubere iterum conſecrari, alias ſpecies cũ vera aqua, quãdo ei⁹ defectus deprehenditur in Miſſa, quia cũ vinum ſit materia ſubſtantialis, & ſufficiẽs, confectus eſt calix, & ſacrificiũ integrum eſſentialiter.

26 Contra eſt, quia etiam ex eorum ſententia per vnctionem olei tantũ, quod dicunt eſſe materiam eſſentialẽ, confectum fuerat integre eſſentialiter ſacramentũ cõfirmationis, & nihilominus ſuppleri præcipitur, ex eo quod Balſamũ pertinet ad materiã, licet integralẽ, & non neceſſariã neceſsitate ſacramenti: ergo ſi Eccleſia cenſuiſſet aquã eſſe aliquo modo materiã huius ſacramenti, occurriſſet huiuſmodi defectui, qui non minus frequenter poteſt cõtingere in Miſſa, quam alij, quibus occurrit Miſſale Romanum, & conſuluiſſet nõ tantũ eſſentiæ, ſed etiam integritati materiæ ſacramẽti. Non ſolũ autẽ repeti nõ iubet, ſed potius in cap. 4. de defectibus vini n. 7. hæc habet: *Si autẽ celebrans ante conſecrationẽ calicis aduertat nõ fuiſſe appoſitam aquã, ſtatim apponat eam, & proferat verba cõſecrationis. Si id aduertat poſt conſecrationẽ calicis, nullo modo apponat, quia nõ eſt de neceſsitate ſacramenti.* Hęc ibi,

Quod ſi iterum dicas, integritati materiæ Cõfirmationis potuiſſe optimè cõſuli ſupplendo vnctionẽ tantũ Balſami: at non poſſe ſic ſuppleri defectũ aquæ, quia revera aqua nõ eſt materia conſecrabilis ſeorſim à vino: & ita eſſet neceſſariũ iterũ denuo vinũ apponere, & cõſecrare, quod fruſtra fieret, cum ſolũ in ſpecie vini eſſet perfectũ integrũ ſacrificiũ, & aliàs bis fieret cõſecratio ſanguinis.

Contra eſt, in primis valde incertum eſſe, ſi Balſamum eſt materia tantũ integralis, ſupplendũ fuiſſe defectũ per vnctionẽ ſolius balſami ſine oleo, ſed iterũ vngi debere cũ oleo, etiã & balſamo, & ſic etiã in iſto caſu fieri deberet. Quãuis enim integre ſacrificiũ confectũ fuerit, ſicut in alio caſu erat confectũ ſacramẽtũ Confirmationis: at nõ integra fuit materia, ſicut in Cõfirmationis ſacramẽto, & ideo ſuplẽda eſt. Neque ea ſpecialis ratio, quæ aſsignatur, eſt alicuius momẽti. Tum, quia ſi regulas Miſſalis Romani cõſulas, ſæpè contingit aliquã ſpeciẽ ob aliquẽ defectũ occurrẽtẽ bis apponi, alia tãtũ ſemel appoſita, neque Eccleſia iudicauit vnquam hoc obſtare rationi ſacrificij. Sic cõſtat ex cap. 3. de defectibus panis, n. 6. & 7. & c. 4. de defectib⁹ vini, n. 5. & 6. Licet enim diuinũ præceptũ naturale ſit de cõſecrãda vtraq; ſpecie panis & vini ad integritatẽ ſacrificij, ita vt in vna tãtũ ſpecie nõ ſit ratio ſacrificij, vt ſuo loco dicemus

dicemus: at quod tantum vna ſpecies vini conſecretur cum vnica ſpecie panis, vel è conuerſo: non eſt adeò neceſſarium, vt tollat obligationem repetendi conſecrationem ſpeciei vini cum mixtione aquæ, ſi eius admixtio tanquam materiæ huius ſacramenti eſt neceſſaria ex præcepto diuino.

Et vrgeo magis hoc argumentum. Ponamus aliquem ſiue conſulto, ſiue per obliuionem omiſiſſe partem formæ ſanguinis, ab illis ſcilicet verbis *noui, & æterni*, quid faciendum ſit in iſto caſu decernit regula Miſſalis cap. 5. de defectibus formæ, num. 2. *Si tamen certò ei conſtet ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſsitate Sacramenti, id eſt formam conſecrationis, ſeu partē eius, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur. Si verò valde probabiliter dubitet ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſsitate ſacramenti, non reſumat, ſed procedat vlterius.* Hæc ibi, expendat Lector prius dictum eſſe in Rubrica, *Si omiſſum ſit quod cōmuniter dicitur in conſecratione.* Et ſaltem habemus ex ea rubrica etiam quod nō eſt eſſentiale, ſi omiſſum ſit, eſſe ſupplendum: quod noſtro inſtituto ſatis eſt.

26 Quintò probatur ex Eccleſiæ præcepto: quia Pontifices, & Concilia, præcipuè Tridentinum dicunt mixtionem aquæ cum vino eſſe de præcepto Eccleſiaſtico: ergo docent aquam non eſſe materiam aliquomodo huius ſacramenti. Conſequētiam probo: quia ex eo quod aqua de præcepto Eccleſiaſtico miſceatur, planè ſequitur non poſſe eſſe materiam: quia ſi eſſet materia: ergo habuit poteſtatem Eccleſia miſcendi, & non miſcendi, potuiſſetque omittere mixtionem, & præceptum de illa: ergo habuit poteſtatem Eccleſia faciēdi aquam materiam ſacramenti Euchariſtiæ adiunctam vino. At hoc verè dici non poteſt, tum quia hæc poteſtas, cum ſit rei facti, admitti non poteſt ſine magno fūdamento, ex quo conſtet relictam eſſe Eccleſiæ hanc poteſtatem, & non debet aſſeri in re tanta ex leuibus coniecturis, obſcuris, & ambiguis teſtimonijs, quæ facilem explicationem habent: maximè cum ſtet in oppoſitum omnis Doctorum Scholaſticorum ſenſus, tribus aut quatuor exceptis.

Tum etiam, quia Tridentinum ſeſſ. 21. capit. 7. loquens de communione ſub vtraque ſpecie, apertè definit Eccleſiam tātum habere poteſtatem, vt in ſacramentorum diſpenſatione, ſalua eorum ſubſtantia decernat quod expedire iudicauerit. At efficere aquam materiam conſecrationis ſimul cum vino non pertinet ad diſpenſationem huius ſacramenti, ad quam tantum habet Eccleſia poteſtatem ex definitione Cōcilij, ſed ad ipſam materiam.

27 Quod ſiquis dicat Concilium tantum definire Eccleſiam non habere poteſtatem aliquid ſtatuendi circa ſacramenta, niſi ſalua manente ſubſtantia. At quāuis Eccleſia effecerit aquam materiam ſimul cum vino, præcipiens illam miſceri, ſaluam relinquit ſubſtantiam conſecrationis, cum maneat materia vini ſemper neceſſaria: aqua autem ſolum ſit acceſſoria, cum ſine ea poſsit conſiſtere conſecratio.

Sed contra eſt. Tum, quia Conciliū apertè expreſsit circa quid ſe extenderet poteſtas Eccleſiæ in ſacramentis, ſcilicet circa diſpenſationem & vſum. Additio autem materiæ, quamuis acceſſoriæ, non eſt diſpēſatio, & vſus Euchariſtiæ, de quo tantum Concilium loquebatur, cum ageret de poteſtate Eccleſiæ ad prohibendū laicis vſum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie.

Tum etiam, quia ex eo ſequeretur etiam poſſe dici Eccleſiam habere poteſtatem addendi aliquod granum ſpeciei tritici tanquam materiam acceſſoriam, & etiā aquæ Baptiſmi, & chriſmati, & oleo infirmorum, dummodo ſalua maneat eorum ſubſtantia, & materia neceſſaria: nec enim maiori cum fundamento poterit affirmari de vno ſacramento, quam de alio.

28 Quod ſi rurſus quis dicat accepiſſe Eccleſiam poteſtatem à Chriſto in hac parte, vt præciperet mixtionem aquæ: poſito autem per Eccleſiam aquæ miſcendæ præcepto, Chriſtum illam feciſſe materiam ſub conditione eius præcepti, ſi ſtatueretur ab Eccleſia.

Contra eſt, tum quia quis non videt hæc omnia aſſeri pro libito: & ita, qua facilitate dicuntur, eadem etiam refelluntur. Vnde enim conſtat hæc conditionalis Chriſti inſtitutio? Et eodem modo dicere poſſet quis de additione alicuius alterius materiæ, vt dicebamus modo. Quare ſi ſemel admittatur præceptum de miſcenda aqua non eſſe diuinum, ſed Eccleſiaſticum, quod admitti debet, vt conformius Concilio Tridētino, dici non poteſt aquā

vllo modo eſſe materiam conſecrationis.

29 Deniquè reſponderi poteſt præceptum de miſcenda aqua eſſe diuinum, vt docent Alexander Alenſis, 4. part. quæſt. 10. memb. 4. art. 1. §. 6. in ſolut. argum. Hoſius in Confeſ. fidei cap. 14. Caſtro de Hæreſibus, verb. Euchariſtia, Hæreſi 7. Alanus lib. 1. de Euchariſtia cap. 13. Valentia diſp. 6. generali quæſt. 2. puncto 1. ante 5. concluſ. inclinat Baronius tomo 1. anno 51. num. 144. vbi non tam vocat Apoſtolicam, quam Dominicam traditionem, ſequitur Henriquez lib. 8. cap. 12. num. 4. in commentario litera Z. Et videtur docuiſſe Cyprianus, epiſt. 63. qui dicit Chriſtum, & effeciſſe, & docuiſſe mixtionem aquæ exemplo ; & Magiſterio; & etiam inſtructos nos à Deo eſſe id facere. Quo dicendi modo indicare videtur Chriſto inſpirante, & mandante miſceri. Item dicit: Deo inſpirante atquè mandante præceptum eſſe. Item dicit, niſi faciamus id, quod Chriſtus fecit, non obſeruari à nobis, quod mandatum eſt, & recedere à diuino magiſterio. Præterea Carthaginenſe 3. cap. 24. Africanũ, cap. 4. vocant Domini traditionem, & Aurelianenſe 4. cap. 4. inquit non aliud offerendum, quàm quod in mandatis Sacratiſſimis Saluator inſtituit; cum tamen præmiſiſſet vinum aqua miſcendum eſſe. Accedit Concilium Vvormatienſe, cap. 4. vbi dicit Chriſtum hoc ſacrificium ſuis diſcipulis commendaſſe, panem, & calicem præbuiſſe, explicans autem contentum in calice, expreſsit vinum aqua mixtum. Deniquè 6. Synodus cap. 32. dicit mixtionem hanc diuinitus traditam.

30 Sed nequè hæc ſolutio placet. Lõgè enim verius eſt mixtionem aquæ eſſe ex præcepto Eccleſiæ, & ex conſequenti poſſe Eccleſiam iuſta de cauſa in eo præcepto diſpenſare. Sic enim expreſſe docet Guillel. Durand. in rationali lib. 4. c. 30. num. 18. Magiſter in 4. diſt. 11. c. 7. Scotus eadem diſt. quæſt. 6. in fine. Gabriel in Canon. Miſſæ, lect. 35. Thomas de Argẽtina, diſt. 11. 2. part. quæſt. 1. art. 1. in fine Durandus eadem diſt. 5. Baſſolis diſt. 8. quæſt. 1. art. 3. propè finem. Ricard diſt. 11. art. 3. quæſt. 1. Soto diſt. 9. quæſt. 1. art. 6. Suarez diſp. 45. ſect. 3. poſt 3. concluſ. Gabriel Vazquez, diſp. 179. cap. 2. qui referunt duos Ledeſmas, & Palatium, & Sebaſtianus Perez. in quæſt. de mixtione aquæ, num. 2. & 3. Ioannes Azor, tomo 1. Inſtitut. moral. lib. 10. cap. 30. quæſtion. 1. §. altera quæſtio AEgidius in hac quæſt. 74. art. 7. concluſ. 2. num. 135. Didacus Nuño in eodem articulo, concluſ. 2. probabilem putat, & inter modernos communem. Ochogauia de Sacramento Euchariſt. quæſt. 10. concluſ. 2. Sic etiam docuere Pontifices, & Cõcilia. Nam Alexander 1. epiſt. 1. cap. 4. dicit ſe à Patribus accepiſſe, & Iulius Primus in cap. *cum omne* de conſ. diſt. 2. inquit iuxta Canonum præcepta, & 6. Synodus loco citato quod diuinitus traditum dixerat, ſtatim explicuit traditum ab Apoſtolis, Bracharenſe 3. cap. 2. inquit, ſicut quidam Doctor ediſſerit, eo nomine intelligens Cyprianum, vt admonet Decreti Gregoriani Cenſores, in dicto capite *cum omne* Triburienſe, capite 19. à Patribus acceptum cum Alexandro primo docet ; & Eugenius 4. in Concilio Florentino ſolum reprehendit Græcos, quod à communi Eccleſiæ obſeruantia diſcreparent. Sed apertè Concilium Tridentinum, ſeſs. 22. cap. 7. inquit ab Eccleſia præceptum eſſe Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent. Si enim ab Eccleſia primarie conſtitutum non eſſet, ſed à Chriſto, non diceret abſolute Concilium Eccleſiam præcepiſſe; alias etiam dicere poſſet Eccleſiam præcepiſſe, vt in vino fieret cõſecratio. Quod quidẽ teſtimonium difficile eneruari poteſt, cum tam diligens fuerit Concilium Tridentinum in explicando, quid eſſet ex Eccleſiaſtico, vel Diuino præcepto, vt conſtat cum agit de obligatione ex diuino præcepto, quæ Paſtoribus incumbit de curando grege, & docendo ſeſſion. 23. capit. 1. de reformat. & de præcepto confeſsionis ſeſsion. 14. capit. 5. & exemptione Clericorum à laicis ſeſsion. 25. capit. 20. de reformat. vbi vtrumque exprimit diuinum, & humanum. Immo cum ſeſ. 13. ageret de præparatione ad Euchariſtiam per confeſsionem facienda, eãque diceret eſſe ex præcepto, quod expreſsit Paulus; quia incertum eſt, vtrùm illud diuinum ſit, an humanum, vtrumque reticuit Concilium, & diſputationi Scholaſticorum reliquit, prohibens tamen Canone vltimo, nequis dicat non eſſe præmittẽdam confeſsionem ante Euchariſtiam. Quare cum Tridentinum dixit mixtionem aquæ præceptam ab Eccleſia, non tantum dixit, quod certum erat, vt reſpondet Valentia, ſed certum

ſuit non eſſe aliud præceptum. Et denique impugnatur eadem ſolutio, quia non eſt vnde colligatur hoc eſſe præceptum à Chriſto. Valentia illis verbis contineri dicit. *Hoc facite in meam commemorationem*, quod ad omnia, quæ in oblatione fiunt, extenditur.

Sed non placet, quia hinc etiam liceret inferre illis verbis etiam præcipi à Chriſto cõſecrationẽ in Azymo, & ita eſſe ex præcepto diuino. Quod ſi dicas eſſe longè diuerſam rationem, vt illud colligatur, hoc verò non. Quia cum Chriſtus repræſentari paſsionem ſuam præceperit, & in paſsione ſanguis, & aqua profluxerint ex Chriſti latere, indicari videtur præcipi etiam mixtionem aquæ cum vino, vt ea effluxio repræſentetur. Sed hoc nullius momenti eſt. Tùm, quia etiam eſt ſpecialis ratio, vt pane Azymo repræſentetur Chriſti puritas. Tum etiam ex eo ſequeretur mixtionem aquæ eſſe etiam neceſſariam neceſsitate Sacramenti, quia commemoratio Paſsionis Chriſti neceſſaria eſt in hoc ſacrificio. Neque etiam eiuſmodi præceptum colligi poteſt ex traditione Patrum, vel Conciliorum. Quamuis enim Gabriel Vazquez concedat Cyprianum in ea fuiſſe ſententia; attamen, ſi attentè conſiderentur verba Cypriani, nunquam dixit eſſe mandatum diuinũ, neque Chriſtum mandaſſe, ſed tradidiſſe exemplo, & magiſterio. Id autem non conuincit mandatum Chriſti, ſicut ablutio pedum in cœna Domini ex magiſterio, & exemplo Chriſti eſt, non tamen inde ſequitur eſſe ex Chriſti mandato. In principio quidem Epiſtolæ tantum dixit Cyprianus in genere non eſſe recedendum ab eo, quod Chriſtus Magiſter, & præcepit, & geſsit. Statim, cum accedit ad agendum in ſpeciali de miniſtrandis in calice, dicit aliquos non ea facere, quæ Chriſtus huius ſacrificij author, & Doctor fecit, & docuit. Poſtea in eadem col. 2 cum ſcribit faciendum eſſe, quod Domino inſpirante, atque mandante præcipitur, rationem exponit, quare ipſe de ea reſcribat Epiſtolam, ne videatur arrogare ſibi munus docendi, præter id quod vnum modeſtum decebat, & dicit ſe excuſatum eſſe, quia Deus inſpirat, & præcipit Prælatis, vt doceant, & ideo Deo obtemperare debere. Vel facilius multò dici poteſt, ſi attentè legatur Cyprianus, intentum eius in ea Epiſtola eſſe contra eos, qui non apponebant vinum, ſed aquã; & ita de appoſitione vini intelligi debet, quod dicit de præcepto, non verò de mixtione aquæ. Vnde eadem Epiſtola, col. 6. cum agit ſpecialiter de mixtione aquæ, & miſcendi rationibus, nullam præcepti mentionem facit. Neque etiam eſſe præceptum diuinum colligitur ex Concilijs Carthaginenſi, & Africano. Reſpondet enim Vazquez illa verba: *Sicut Dominus tradidit*, non eſſe referenda ad omne id, quod præceſſerat, ſed tantum ad ea, quæ ſunt de neceſsitate materiæ. Sed non ſatis mihi probatur. Expreſsè enim Carthaginenſe Concilium, à quo alia deſumpſerunt inquit: *In Sacramentis corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit*. Et explicans quæ tradiderit inquit: *Hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum*. Quare facilius reſpondeo dici Chriſtum tradidiſſe opere, & exemplo, quia ſic ipſe fuit in inſtitutione Euchariſtiæ. Quod ſi dicas Patres eodem modo dicere Chriſtum tradidiſſe tam mixtionem aquę quam oblationem in pane, & vino. At hoc ſecundum non tantum fecit, ſed etiam præcepit. Ergo, & primum. Illis ergo verbis: *Sicut Chriſtus tradidit*, non intelligitur traditio per factum, & exemplum. Reſpondetur tamen Chriſtum vtrumque tradidiſſe exemplo, & facto ipſo, non autem eodem modo tradidiſſe oblationem vini, & aquæ mixtionem, declarauit Eccleſia dicens hoc vltimum eſſe præceptum Eccleſiaſticum.

Sexto probatur argumento petito à rationibus Theologicis, quæ ſunt quinque, aut ſex pro hac ſententia non contemnendæ. Quarum prima, & præcipua deducitur ex dictis. Quia in materia Sacramentorum non eſt aliquid aſſerendum circa materiam, formam, & miniſtros, niſi quod ex inſtitutione conſtiterit, vel per Sacras literas, vel Conciliorum definitiones, vel Eccleſiæ traditionem, & Patrum vnanimem conſenſum, & Theologorum. At neque ex ſacra Scriptura, neque Concilijs, neque Pontificibus, nec Patribus, nec Theologis conſtat aquam eſſe materiam acceſſoriam conſecrationis. Nam Theologi ſtant in contrarium paucis exceptis, Innocentius, & Eugenius nobis apertè ſuffragantur, Concilia nobis fauent, vt hactenus viſum eſt. Ex Patribus autem nullum eſſe qui repugnet oſtẽdam ſtatim.

Er-

Ergo hæc communis ſententia eſt ſine dubitatione vera.

32 Secunda ratio ſumitur ab abſurdo. Quia ſequitur poſſe manere Chriſtum ſub ſpeciebus aquæ tantũ. Pone enim conſecratam eſſe aquam mixtam vino, ante quam aqua tranſeat in vinum, & aquam ob debilitatem vini, & quantitatem eius manere inconuerſam in vinum, nihil enim horum repugnat; da etiam ſeparari vinũ, vel acetum fieri, remaneret aqua conſecrata, & Chriſtus ſub ſpeciebus aquæ. Sed reſponderi poſſet à Doctoribus tertię ſententiæ aquam, vt conuertatur in ſanguinem, exigere, vt ſit vino coniuncta, & ita ſicut à principio ſeparata à vino non admittit conſecrationem, nequè eſt capax illius, ita etiam poſtea ſeparata à vino, aut illo corrupto non retinet conſecrationem. Sed in primis omnia hæc voluntariè dicuntur. Si enim eſt materia capax conſecrationis, aqua etiam non conuerſa in vinum, vnde colligunt neque conſecrari poſſe, neque retinere conſecrationem, ſine vino? Ex eo enim quod Chriſtus vinum Lymphatum conſecrauerit, non id efficitur, cum etiam conſecrauerit panem azymum, & tamen panis fermentatus etiam ſit materia.

Deinde, ſi colligunt ex eo, quod docet vera ſententia, tādiu ibi manere Chriſtum, quamdiù poſſent perſeuerare accidentia vini, cur ergo in hac locutione cõmuni Doctores illi nomine vini tantum intelligunt ſola accidentia vini, & in Conciliorum locutionibus, cum definiunt manere dumtaxat accidẽtia vini, intelligunt, ſimul accidentia vini, & aquæ? Hæc quidem omnia conuincunt ſine fundamento dici, ſed ſolùm voluntariè, aquam conuerti immediatè in ſanguinem, & ita eius opinionis defenſio neceſſe eſt careat conformitate, & conſtantia, quæ eſt propria tantum veritatis.

33 Tertia ratio. Si aqua eſt immediatè materia conſecrationis ſimul cum vino, ergò etiam ſi in dolio, vel in vaſe mixta ſit aqua, ante quam offeratur in calice, tranſibit in ſanguinem, quod tamen ipſi non admittunt, ſed dicunt eſſe neceſſariam conditionem, vt aqua iuncta vino tranſeat immediatè in ſanguinem, quod fuerit in calicem iniecta ad oblationem, & non aliter. Sed in primis hoc voluntariũ eſt. Quod enim calix aqua & vino mixtus offeratur, potuit forſam eſſe præceptũ Diuinum, quamuis nos ſentiamus eſſe Eccleſiaſticum. At quod hoc tempore, vel illo aqua tantum infundatur, vt conuertatur, non videtur colligi cum fundamento. Etſi attendamus Chriſti factum, licèt certum omninò ſit vinum temperatum conſecratum, at aquam tunc miſcuiſſe non eſt certum, ſed multi Scholaſtici antiqui, inter quos eſt Durandus, & inter recentiores Petrus Iturozqui Nauarrus in partit. cap. 11. Epiſt. 1. ad Cor. fol. mihi 42. pag. 1. cenſent mixtum fuiſſe vinum aqua à principio Cœnæ, ſicut moris erat. Omninò ergo voluntariè id aſſeritur. Sed admitto ſolutionem, vt magis vrgeam Doctores oppoſitæ ſententiæ, & inquiro, ſi aqua mixta fuerit in vaſe, & poſtea mittatur vinum iam ante mixtum in calicem, & aqua nondum conuerſa ſit in vinum, & conſecretur calix: quid fiat de illa aqua? Vinum conſecrari dubitari non poteſt, cum ſit idonea materia ſine aqua, ſicut panis triticeus conſecraretur, etiam ſi haberet aliorum ſeminum admixta grana non conuerſa in triticum, ex communi omniũ Doctorum ſententia, ſine controuerſia, & etiam Innocentij in dicto lib. 4. cap. 30. aqua autem ex iſtorum Doctorum ſententia remanet inconuerſa. Tum ſic, ergo ruunt omnia fundamenta contrariæ ſententiæ deſumpta ex ea locutione Patrum, quod totum, quod eſt in calice, tranſit in ſanguinem, cum non totum tranſeat in eo caſu, qui valde frequens eſſe poteſt. Ruũt etiam fundamenta deſumpta ex ratione, & veritate formæ, hic eſt ſanguis, cum non totum ibi contentum ſit ſanguis, vt deducam ſtatim: & etiam argumenta deſumpta ex adoratione, cum non totum ſit adorandum. Quare vel eorum argumenta inſtantiam patiuntur manifeſtam in ipſorum doctrina, vel illis admittendum eſt aquam, etiam ſi infundatur ante tempus oblationis, & in vaſe, aut dolio, tranſire in ſanguinem.

34 Quarta etiam ratio afferri ſolet non contemnenda, ex eo deſumpta, quod Eugenius 4. præcepit modicißimã aquã eſſe adhibendam. Si enim non ideò adhiberetur, vt tempore conſecrationis cõuerſa ſit in vinũ (hanc enim eſſe eius præcepti rationem docent Theologi Scholaſtici,) nulla eſſet ratio cur tam parua quantitas apponeretur, neque cur reiectum eſſet quod de tertia parte aquę miſcenda ſtatuerat Cõciliũ Triburiẽſe, & neq; eſſet ratio,

cur pernicioſum errorem appellaret Innocentius, quod plus de aqua, quam de vino apponeretur in calice, vt habetur in cap. Pernicioſus error, de celebration. Miſſar. In quo enim eſſet pernicioſus error, niſi quia periculum erat, ne fieret conſecratio, ſi tantam aquæ miſceretur?

35 Quinta ratio. Si quidquam obſtaret, quo minus aqua non conuerteretur immediatè in vinum, maximè quod ſi aqua remaneret in calice, & non conuerſa in vinum, & ideo non eſſet conuertenda in ſanguinem Chriſti, non verificarentur verba conſecrationis, vt oppoſitæ ſententiæ Doctores contendunt. Sed quod remaneat in ſua ſpecie adiuncta vino non reddit falſam formam. Ergo non eſt dicendum aquam immediatè tranſire in ſanguinem. Minor propoſitio explicanda, & confirmanda eſt etiam ex his, quæ admittunt Doctores tertiæ ſententiæ. In primis pone, farinæ tritici admixta eſſe grana alterius ſpeciei, quæ maneant inconuerſa in triticum, quod fieri nõ repugnat, tunc vera eſſet forma conſecrationis corporis ex communi omnium ſententia nullo diſcrepante. Et tamen tunc verba non verificarentur ratione totius contenti ſub illis ſpeciebus, ſi quidem remaneret ibi ſubſtantia aliorum ſeminum inconuerſa; & nihilominus eſſet vera forma conſecrationis.

Id etiam in pane quem Chriſtus conſecrauit accidiſſe non repugnat. Tunc ſane verum eſſet Chriſtum nihil aliud comedendum, aut ſumendum diſcipulis tradidiſſe, præter corpus? Nequaquam. Vt conſecratum quidem nihil amplius traderetur, at cum eo conſecrato ſimul ſumerent aliud non conſecratum, quod non obſtaret veritati verborum conſecrationis. Eodem etiam modo diſſeri poteſt in eo, quod paulo ſupra dicebamus, cum aqua non eſt conuerſa in vinum, & non fuit infuſa in oblatione, ſed antea in vaſe. Eo enim modo, quo illi vera eſſe tunc verba conſecrationis dixerint, & ſub illis ſpeciebus propinari ſanguinem Chriſti, dicemus & nos eſſe veram formam à Chriſto prolatam, quamuis aqua remaneret in ſpecie aquæ. Item pone conſecrari muſtum, quod eſſe materiam aptam conſecrationi oſtendi ſuprà, cui in muſto ſunt admixtæ multæ partes terrenæ ſubſtantiæ, quæ nõ tranſubſtantiantur ex omnium ſententia, explicandum etiam illis eſt, quomodo ſint vera verba. Item pone conſecrari panem, cuius vna pars ſit corrupta, alia vero non, vera nihilominus erit conſecratio ratione partis incorruptæ. Item pone vino admixtam eſſe aquam roſaceam, illamque non eſſe conuerſam in vinum, & tunc conſecrari, vinum ſolum tranſubſtantiaretur. Vnde Miſſale Romanum iubet ſumi ad integritatem ſacrificij, ſibi perſuaſum habens conſecrationem valere, & fuiſſe vera verba conſecrationis. Et tamen aqua roſacea in ſanguinem non tranſit ex omnium ſententia. Quomodo ergo dicent illi eſſe vera verba, & quod eſt in calice tranſubſtantiari, & nihil propinari, niſi ſanguinem Chriſti, dicemus, & nos quando non tranſubſtantiatur aqua, quia non eſt in vinum cõuerſa. Quod ſi dicant ex intentione miniſtri verba determinari ad aquam, quæ calici infunditur ex ritu Eccleſiæ, & ideò illam tantum ſubijci verbis conſecrationis, etiam ego dicam intentionem miniſtri tendere in id, quod ſubiectum eſt conſecrationi, tanquam materia idonea, non eſt autem idonea materia aqua nondum in vinum conuerſa.

Vltima ratio, quæ cæteras confirmat deſumitur ex illa propoſitione excluſiua, quam ſub anathemate diffinit Tridentina Synodus, Seſsion. 13. canone 2. dicens: *Si quis dixerit, & c. manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini anathema ſit.* Quæ cum excluſiua ſit, exponitur per has duas exponentes, ſcilicet facta conſecratione manent ſpecies, ſiue accidentia panis, & vini: & nulla alia manent: ſi autem aqua conuerteretur immediate in ſanguinem, iam vltra accidentia panis, & vini remanerent alia, ſcilicet accidentia aquæ: ergo anathema dicitur ei qui huiuſmodi accidentia aquæ fatetur remanere, vltra accidentia panis, & vini.

36 Deinde pro ſecunda parte, quæ ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ: nimirum, quod aqua prius conuertatur in vinum, & ſic tranſeat in ſanguinem, quamuis dependeat ex illa quæſtione philoſophica, vtrum aqua conuertatur in vinum, vt conſtat ex d. capit. *cum Marthæ*, nihilominus huiuſmodi mutationem fieri, docent Innocentius in locis ſupra citatis, & cathecíſmus Pij Quinti: & probat Vazquius vbi ſupra ratione philoſophica ſumpta ex Ariſtotele, libro

pri-

primo de generatione, textu 88. dicente, ſi parum liquoris magnæ parti alterius infundatur, cum vtrumquè agendi, & patiendi facultate polleat, minus tranſire in poteſtatem imperantis, & illud augeri; efficitur autem vnum mixtum, quando vtrumquè eſt pari virium æqualitate præditum: ergo modica aqua appoſita maiori quantitati vini, naturaliter in illud tranſmutatur.

Suadetur etiam ab inconuenienti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod aliàs gutta vini infuſſa magnæ quantitati aquæ poſſet conſecrari: ſi quidem ſecundum aduerſarios non miſcentur: quod tamen abſurdum eſt, & ab Eccleſiæ ſenſu alienum.

Deinde alterum eſt, quod accinatium eſſet materia apta conſecrationi, qui re vera eſt ibi aliquid vini, quod tamen eſt contra communem Doctorum ſententiam. Nec obſtat, quod ea mixtio deberet fieri ſecundum minima: in aqua autem non datur minimum. Nam eadem ratione probaretur nunquam poſſe fieri mixtionem liquorum inter ſe: quod manifeſtæ experientiæ repugnat. Præter quam quod dari in aqua minimum phiſicum, & naturale continuum: licet non ſeparatum à reliquis partibus communiter recepta philoſophia traddit: & nos docuimus, lib. 11. methaphiſecæ, articulo ſecundo circa finem.

37 Ad primum autem in contrarium dicendum eſt verum eſſe, quod contentum in calice Chriſtus dixit eſſe ſuum ſanguinem: ita tamen, vt ſi aqua iam erat conuerſa in vinum, verba illa verificarentur de toto contento in calice: ſi autem non eſſet conuerſa, vera quidem eſſent ratione materiæ idoneæ, etiam ſi aquæ ſubſtantia remaneret in conuerſa. Et vt non ſolum probabiliter, ſed euidenter oſtendatur debilitas huius argumenti, ſic cõſideremus. Quis certò affirmare audeat panem, in quo Chriſtus confecit ſuum corpus, ſiquidem erat panis vſualis azymus, adeò fuiſſe defæcatum, vt nullum granum haberet alterius fœminæ non conuerſum in panis ſubſtantiam? Nullus certè. Veroſimile ergo eſt in eo pane, ſub cuius ſpeciebus ſuum corpus tradebat Diſcipulis comedendum, fuiſſe etiam, & accidentia, & ſubſtantiam aliorum fœminum inconuertibilem in corpus Chriſti. Et eo non obſtante dicitur verè Chriſtum, id quod in manibus habebat, conuertiſſe, & dediſſe diſcipulis manducandum, quia, ſcilicet, totum id, quod erat conuertibile, conuerterat, & ideo vera fuerunt verba. Idem ergo in iſto caſu dici poteſt, ſi aqua fuit cõuerſa, de toto verificari, ſin minus, de materia tantum conuertibili, idquè ſatis fuit, vt verè protulerit. Quare cum vrgent: Chriſtus omne quod erat in calice per modum potus, in ſanguinem ſuum conuertit, & hoc omnino certum eſt, cum dixerit illum potum, quem propinabat eſſe ſuũ ſanguinem. At conuerſam eſſe aquam in vinum non eſt certum, cum multi negent conuerti, aut multo tempore indigeat ad conuerſionem. Ergo potius dicendum eſt immediatè conuerti in ſanguinem, ne reducamus veritatem verborum ad opinionem incertam.

Reſpondetur. Si vera verba eſſe non poſſent, niſi totum, quod in calice continebatur, conuerteretur in ſanguinem, meritò admittendum eſſet aquam immediatè tranſire etiam in ſanguinem, ne verborum veritatem reduceremus ad principium incertum, & ne ſæpè irrita maneret conſecratio. At iam oſtendimus vera eſſe verba, etiam ſi non omne, quod in calice continetur, conuertatur in ſanguinem, & multis exemplis demonſtrauimus. Vnde non reuocamus veritatem verborum Chriſti ad principium aliquod incertum, imo ad certiſsimum reducimus. Certum enim omnino eſt omne contentum in calice, quod eſt idonea materia conſecrationis, conuerti, & de eo tantum Chriſtum verè dixiſſe eſſe ſuum ſanguinem: non tamen certum eſt de omni, quod in calice continetur abſolutè loquendo dixiſſe Chriſtum eſſe ſuũ ſanguinem; ſed ſideſt, de quo diſputamus modo, cum tamen vera fuerint Chriſti verba, etiam ſi ibi contineretur aqua non conuerſa in vinum, & quæ non eſt idonea materia.

38 Atquè ex his iam facile conſtat, quomodo intelligendus ſit modus loquendi, qui reperitur in nonnullis lithurgijs, quem etiam pro ſe afferunt Doctores iſti. Nam in quadam oratione poſt conſecrationem petitur, vt calix, ſiue quod eſt in calice conuertatur in ſanguinem, quo ſignificari videtur non vinũ tantum, ſed vinum, & aquam conuerti. In lithurgia Baſilij ſic eſt: *Efficiat calicem hunc ſanguinem pre-*

Digitized by Google

tioſum Domini, &c. Eadem repetit Marcus Epheſius in lib. de corpore, & ſanguinis Chriſti. Clemens Romanus ſic habet: *Vt oſtendat hunc panem corpus Chriſti, & hunc calicem ſanguinem Chriſti tui.* Chryſoſtomus ſic: *Fac quod eſt in calice iſto pretioſum ſanguinem Chriſti tui.* Conſtat autem ex dictis, quando demus illa oratione peti conuerſionem calicis in ſanguinem, quod tamen non ita eſt, vt dicam ſtatim, ea verba ſic intelligi, vt petatur conuerti in ſanguinem Chriſti quod eſt in calice, aptum, ſcilicet, conſecrationi. Et idem omnino ſenſus eſſet, quamuis expreſsè diceretur, omne quod eſt in calice; intelligendum enim eſſet de materia conſecrabili, vt ratione vltima allatis exemplis euidenter oſtenſum eſt. Vnde ſicut non eſt certum aquam conuerti in vinum, ita non eſt certum de ſide totum, quod eſt in calice peti orationibus illis, vt conuertatur in ſanguinem, ſed tantum id quod fuerit conſecrationis materia. Et ſicut illæ orationes, & petitiones veræ eſſent, quamuis in calice eſſet aqua roſacea nondum in vinum conuerſa; ita etiam, licet aqua infuſa cæremoniæ cauſa non ſit conuerſa. Sed addo, id quod latius explicamus infra agentes de forma, illa oratione id peti, non vt quod eſt in calice fiat ſanguis, ſed vt ſanguis Chriſti, qui iam eſt in calice, oſtendatur eſſe ſanguis Chriſti ex effectu gratiæ. In quo ſenſu non eſt ad rem, de qua agitur, modus loquendi eius deprecationis.

39 Secundo loco obijciunt modum loquendi Græcorum Patrum, quatenus dicunt calicem mixtum aqua, & vino tranſire in ſanguinem Chriſti. Damaſcenus libr. 4. de fide, cap. 14. ibi: *Verbum ergo Dei, quod hæc omnia poteſt, non poteſt panem ſui ipſius corpus facere, & vinum, & aquam ſanguinem?* Irenæus lib. 5. cap. 2. *Quando ergo, & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis, & ſanguinis Chriſti.* Gregorius Nyſſenus, quem refert Claudius Sainctes lib. de ſacrific. Miſſæ, fol. 74. *Omne corpus ex nutrimento ſubſiſtit, quod quidem nutrimentum ex cibo conſtat, & potu; cibus autem eſt panis, & potus ex aqua vino mixta.* Et tandem concludit: *Hæc autem tribuit virtute benedictionis rerum, quæ videntur, naturam commutans.* Nicolaus Methonenſis oratione aduerſus eos, qui irritant in hoc myſterio: *Quid requiris curſum, & ordinem naturæ panis tranſmutationis in corpus Chriſti, & aquam, vinique in ſanguinem?* Eadem etiam locutio eſt in lithurgijs ſupra citatis. Clemens enim habet: *Similiter, & calicem miſcens ex vino, & aqua & ſanctificans, tradidit eis. Dicens, &c.* Alia lithurgia, quam refert ipſe Methonenſis habet: *Similiter, & calicem mixtum aqua, & vino ſanctificauit.* Proclus Archiepiſcopus Cõſtantinopolitanus in traditione diuinæ Miſſæ: *Per has igitur preces Spiritus ſancti aduentum expectabant, vt eius diuina præſentia propoſitum panem, & vinum aqua permixtum, ipſum illud corpus, & ſanguinem Saluatoris efficeret.* Iuſtinus Apol. 2. pro Chriſtianis, circa finem: *Dant vnicuique eorum, qui adſunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt; & ad eos, qui adſunt, perferuntur; & hic cibus apud nos Euchariſtia nominatur.* Vbi Iuſtinus poſt conſecrationem docet manere ſpecies non ſolum vini, ſed etiam aquæ, quas exprimit vini, & aquæ nomine. Samonus Gazenſis in Dialogo cum quodam Sarraceno: *Sed quare Chriſtus ſub ſpecie panis vini, & aquæ abditum ſuum corpus, & ſanguinem potius ad ſumendum tradidit, quam ſub alia materia?* Reſpondet: *Quia inter omnes alios cibos panis locum ſibi vendicat primum; itidem, & inter potiones aqua, & vinum primas tenent.* Sanctus Germanus in ſua Theorica: *Propoſuit in ſancta menſa, inquiens omnibus, bibite ſanguinem meum pro vino mixto vobis.* Clemens Alexandrinus libr. 2. Pædagogi, capit. 2. vbi poſtquam egiſſet de temperatura vini, & aquæ, ſignificante temperaturam Verbi, & carnis, ſubdit: *Atque temperatum quidem vinum pulchre vehit ad finem. Spiritus autem deducit ad incorruptionem; amborum autem temperatura, potus, ſcilicet, & Verbi dicitur Euchariſtia.* Eundem etiam modum loquendi probant ex Latinis Patribus, Alexander Primus epiſtol. 1. ad omnes Orthodoxos, & eſt in capit. 1. de conſecration. diſtinction. 2. *Non enim debet in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum offeratur, quia vtrumque ex latere eius in paſſione ſua profluxiſſe legitur.* Vbi indicat vinum, & aquam offerri; & non offertur niſi per conſecrationem, ex quo ſequitur conuerti in ſua ſpecie manentem. Eadem repetit Martinus Bracarenſis in ſua collectione. Cyprianus epiſtol. 63. poſtquam dixit in calice Domini vinum, & aquam

cum-

contineri, & in vino oſtendi ſanguinem Chriſti, in aqua populum, addit: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo neque vinum ſolum.* Et poſtea: *Calix Domini non eſt aqua ſola, neque vinum ſolum, niſi vtrumque permiſceatur.* Ambroſius, qui doctoribus iſtis loqui videtur apertiùs, cuius etiam teſtimonium refertur à Gaufredo loco citato, lib. 4. de ſacrament. cap. 4. inquit: *Vinum, & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis.* Et cap. 5. *Ante verba Chriſti calix eſt vini, & aquæ plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur.* Hieronymus in Matthæum, capit. 26. & refertur etiam à Gaufredo. *Formans ſanguinem ſuum in calice vino, & aqua mixto.* Amalarius de diuinis officijs, lib. 3. cap. 34. *Hic vedimus naturam ſimplicem panis, & vini mixti verti in naturam rationabilem corporis, & ſanguinis Chriſti.* Vbi expendenda eſt illa particula: *Simplicem naturam panis.* Cui oppoſuit vinum mixtum; eius enim non eſt natura ſimplex, ſed compoſita vino, & aqua.

Ad ſecundum reſpondetur, Patres abſolutè dicere, calicem mixtum aqua, & vino conſecrari, vt oſtendant materiam, qua in ſui initio conſtat calix conſecrandus, non quia cenſeant aquam immediate tranſire in ſanguinem, neque id eorum verbis, vel leuiter indicatur. Dicunt etiam aquam, & vinum conuerti, ſed aquam mediate, quia apud eos erat communis animi conceptio eam in vinum conuerti, vt ſcribit Catechiſmus Romanus. Vnde Cyprianus, cuius teſtimonium magnifaciunt Doctores iſti, ſatis indicauit aquam in vinum conuerti, inquit enim column. 6. *Quod copulatio, & coniunctio aquæ cum vino in calice Domini ſic miſcetur, vt commixtio illa non poſſit ab inuicem ſeparari.* Ecce fundamentum oppoſitum illi fundamento medicorum, quod refert Innocentius in dicto cap. *cum Marthæ*, qui dicebant mixtionem aquæ cum vino poſſe artificio ſeparari. Sed vt oſtendamus aperte horum teſtimoniorum debilitatem, in primis etiam Doctores, qui expreſſe ſentiunt aquam mediate tantum tranſire in vinum, hac locutione vtuntur calicem aqua, & vino mixtum conſecrari. Quis enim dubitare poteſt vinum temperatum, etiam ſi aqua verſa ſit in vinum, vere, proprie, & in rigore appellari vinum mixtum, & temperatum; non enim eſt merum. Quis hoc neget? Ergo ex eo, quod Patres dicant conſecrari calicem mixtum aqua, & vino, non ſequitur eos ſentire aquam immediate conuerti, cum etiam, qui dicunt non conuerti, eam propoſitionem admittant, & vera ſit, quamuis aqua ſit in vinum conuerſa. Atque ideo vocauit Amalarius panem ſimplicem, & oppoſuit vino mixto, quia non eſt vinum purum, & à principio duæ naturæ coniunctæ fuerunt.

Deinde etiam in noſtra opinione verè, & in rigore affirmatur calicem Domini non eſſe vinum ſolum, neque aquam ſolam, vt inquit Alexander, Cyprianus, & alij. Quis hoc dubitet, cum vtrumque infundi debeat in calice? Quomodo ergo ex iſta locutione volunt aquã immediate conuerti? Ea namque ſolum deſignatur materia calicis in principio oblationis, nõ quæ ſit tempore conſecrationis, vt doceatur non eſſe vinum merum, quod conſecratur, ſed temperatum, quod vt dixi, fatendum eſt, etiam ſi aqua ſit in vinum conuerſa. Præterea inquiro ab iſtis, an iſtæ locutiones Patrum veræ ſint, ſiue aqua ſit conuerſa in vinum, ſiue non, vel tantum, cum non eſt conuerſa. Si primum, ergo, ſi verificantur etiam facta aquæ conuerſione in vinum, non probatur ex illis locutionibus aquam immediatè conuerti. Si verò non verificantur, niſi quando aqua non eſt conuerſa in vinum, ergo ex iſtorum Patrum locutione aqua nunquam tranſit in vinum, nam illæ locutiones vniformes, & generales ſunt. Et ita ſi ex illis colligitur immediata aquæ conuerſio, etiam colligitur nunquam in vinum conuerti. Quare, ſi his teſtimonijs Patrum Doctores iſti volunt efficere probabiliorem opinionem de aquæ immediata conuerſione, etiam efficiunt probabiliorem ſententiam medicorum aſſerentium nunquam conuerti in vinum; quod tamen fundamentum minus probabile iudicat Innocentius in dicto capite, & oppoſitum dicit ſine controuerſia eſſe dicto lib. 4. de altar. myſt. cap. 10. Similiter etiam verè dicitur ante conſecrationem eſſe vinum, & aquam, vt loquitur Ambroſius, ideo quidem, quia vtrumque infuſum eſt à principio: at ex ea locutione non colligitur ad eius verificationem requiri, vt imediatè ante cõſecrationem ſit adhuc vnumquodque in ſua ſpecie, aliàs ex ea etiam locutione inferri poſſet nunquam conuerti, vt dicebamus.

41 Cæterùm ſolutionem hanc, quæ manifeſte, vt credo, demonſtrata eſt, impugnant Doctores tertiæ ſententiæ diuerſimode. Primò, quia Patres, cùm dicunt aquam in ſanguinem conuerti, indicant ſe loqui de aqua manente in ſpecie aquæ. Tum, quia nonnulli dicunt mixtum ex vino, & aqua conuerti, quorum teſtimonia iam adduximus. Tum etiam, quia alij expreſsè loquuntur de aqua, prout non eſt vinum, & de ea aſſirmant conuerſionem; loquuntur enim de aqua expreſsè, Auguſtinus in lib. de Baptiſmo, cuius teſtimonium eſt in epiſtol. Gaufredi: *Aqua mittitur in calicem, & fit ſanguis conſecratione Verbi Cæleſtis*: & Amalarius dicto lib. 3. cap. 26. citat ex Auguſtino, tractat. 65. ſuper Ioannem hæc verba. *Ille ſanguis in remiſsionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum, & hac, & lauacrum præſtat, & potum*: Paſchaſius in libro de corpore Chriſti, capite 21. *Licet prius vinum, & aqua commiſceantur, poſt conſecrationem tamen non niſi ſanguis bibitur.* Et poſt pauca: *Non dubium, quin ſub hoc myſterio bibimus aquam, de qua dictum eſt: Qui biberit aquam, quam ego dabo ei; propterea non inconuenienter etiam ob hoc aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertitur in ſanguinem.* Quod teſtimonium refert etiam Gaufredus loco citato. Hildebertus Cenomanenſis, qui etiam citatur à Gaufredo: *Aqua in ſanguinem vertitur, vt populus, qui per aquam ſignificatur, in melius ſe mutatum intelligat.* Author libri, qui dicitur Gemma animæ, lib. 1. cap. 34. *Ideo autem hoc ſacrificium de aqua ſit, quia aqua de Chriſti latere exiuit.* Et poſtea: *Sine aqua autem hoc ſacrificium non conficitur.*

Tum denique, quia alij etiam Patres dicunt tria conuerti in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſcilicet, panem, vinum, & aquam. Sic Paſchaſius loco citato: *Hac de cauſa in hoc ſacramento aqua admittitur, vt tria hæc tribus iſtis conſecrentur myſtice rebus.* Hildebertus in lib. de concor. Veteris, & Noui teſtamenti, ſic cecinit.

Fit cibus hic ex pane caro; Deus ex elementis,
Myſterio ſimplex, vtilitate triplex.

Algerus, qui etiam refertur à Gaufredo: *Sed licet immenſa Domini tria conſtituantur munera, ſunt tamen duo, per quam ſacrificatur, eſt aqua mixta prius vino, ſed quando ſumitur, non niſi ſanguis erit, quo anima intus alatur.* Hugo de Sancto Victore in libello de Canone myſtici libaminis, cap. 6. *Tria apponimus, panem, vinum, & aquam, cuius tripartita cauſa eſt, &c.* Independenter ergo à conuerſione aquæ in vinum ſtatuunt conuerſionem eius in ſanguinem.

42 Hæc propoſui, non quia difficilem explicationem habeant, aut noua aliqua indigeant ſolutione, ſed ne omittamus aliquid eorum, quæ Doctores tertiæ ſententiæ contra communem obijciunt. Negamus ergo Patres loqui de aqua manente in ſpecie aquæ, neque id probant teſtimonia, quæ in impugnatione continentur. Non prima, vt ſatis conſtat ex dictis. Dicunt enim mixtum vinum conuerti, quia ex vtroquè confectus eſt calix, non quia exiſtiment aquam immediatè conuerti. Exemplum manifeſtum accipe. Probabilior, & communior opinio iudicatur: elementa non manere formaliter in mixto, & nihilominus hęc locutio eſt vera, humanum corpus eſt mixtum ex elementis, & etiam, hoc mixtum ex elementis conuertitur in cadauer; nequè hęc locutio indicat, aut conuincit elementa manere in propria ſubſtantia in mixto, nequè immediatè conuerti in cadauer, ſed mediate. Ex eo ergo, quod Patres dicant mixtum ex vino, & aqua conuerti in ſanguinem, non ſequitur eos ſentire aquā immediatè conuerti, ſiquidem ea loquutio ſecundum rigorem, & communem vſum, poteſt eſſe vera, etiam de conuerſione mediata. Quod ſi inſtes, ſi acetum, aut oleum mixtum ſit vino, non diceretur calicem mixtum ex vino, & aceto, vel ex oleo conſecrari.

Reſpondeo: Si materia admixta vino eſſet conuertibilis in vinum, pari modo dici poſſet calicem, ſic mixtum conſecrari. Quod ſi non eſſet conuertibilis, falſa eſſet propoſitio. Exemplum accipe. Aqua roſacea non eſt materia conſecrationis, etiā ſi infundatur à Sacerdote; at ſi conuerſa ſit in vinum, rectè dicitur calix mixtus ex aqua roſacea, & vino, eſt conſecratus, vt colligi poteſt ex regula Miſſalis de defectu materiæ. Sic ergo in noſtro caſu. Nequè magis conuincunt, quæ afferuntur in ſecunda probatione. Patres enim ſeorſim aquam nominant, vt materiā ex qua calicis deſignent. Multi enim ex eis euertere volebant eorum pernicioſum errorem, qui aquam excludebant à calicis confectione, & ideo expreſsè aquam no-

mi-

minant. Ex quo non rectè colligitur immediata conuerſio. De humano namque corpore dixit Deus: *Terra es, & in terram ibis*, cum tamen non ſit immediatè terra, ſed ex terra formatum. Neque maiorem vim habet tertia probatio. Tria enim dicunt Patres conuerti in corpus, & ſanguinem, quia tria apponuntur in conuerſionis initio, & ita verum eſt illa tranſire, ſed quædam immediatè: aliud verò, ſcilicet, aquam mediatè: & quod in aliquo caſu non conuertatur aqua, non obſtat illi locutioni, quæ explicat quod frequentiſsimè fit, quia ſupponunt Patres pro conſtanti aquam in vinum conuerti,

43 Secundo impugnant prædictam ſolutionem, quia Patres non vtcumque dicunt aquam in ſanguinem conuerti, ſed omnem aquam, quæ continetur in calice, aut non manere aquam in calice, quod valde aduertendum dicunt. Probant autẽ ita dicere Patres, ex eo quod in oratione poſt conſecrationem, quæ habetur in nonnullis Lithurgijs, petatur vt calix fiat ſanguis Chriſti, vt iam retulimus. Sed iam cõſtat quomodo ſit intelligenda illa Patrum locutio in ea oratione. Neque enim dicũt totum quod eſt in calice, ſed, quod eſt in calice, illis verbis intelligentes, quod eſt apta materia conſecrationi.

44 Denique impugnant eandem ſolutionem. Quia certum eſt Patres dicere aquam, & vinum conuerti in ſanguinẽ, id enim eorum verba apertè ſonant; & tamen nec leuiter inſinuant conuerti aquam in vinum. Ergo independenter ab ea conuerſione intelligendi ſunt. Patres autem independenter ab ea conuerſione aquæ in vinum docere conuerti, probant duabus coniecturis.

Prima eſt, quod tempore Triburienſis Concilij tertia pars aquæ adhibebatur, & tamen eo tempore perſuaſum in Eccleſia fuit ex Patrum teſtimonijs aquã in ſanguinem conuerti, cum tamen tertiam partem aquæ in vinum conuerſam eſſe cõſtare non poſſet.

Secunda coniectura eſt, quia Miſſale Romanum præcipit in nonnullis caſibus, cum deprehenditur poſt conſecrationem, & ſumptionem hoſtiæ non eſſe materiam conſecrationis in calice, vt infundatur vinum, & aqua, & ſtatim conſecrentur. Signum ergo eſt Eccleſiam ſibi perſuaſiſſe non eſſe neceſſarium ad conſecrationem aquæ, vt tranſeat in vinum, aliàs expectare iuberet parumper.

Reſpondetur Patres aſſerere aquam conuerti in ſanguinem, ſupponentes tamẽ iuxta communem ſenſum conuerti in vinum. Quem eſſe eorum communem ſenſum, & ſuppoſitionem colligo, tum quia Innocentius in d. cap. *Cum Marthæ*, ita docet cum hanc noſtram ſententiam antiquam in Eccleſia magis probat eius explicato fundamento, vt iam in ſecunda probatione deduxi. Tum etiam, quia Catechiſmus Romanus inquit, ideò modicam aquam eſſe adhibendam, quia ſcriptorum Eccleſiaſticorum iudicio atque ſententia aqua conuertitur in vinum. Quo nomine non ſignificantur tantum Doctores ſcholaſtici, ſed etiam Eccleſiæ Patres, vt ex alijs locis Catechiſmi conſtat inter ſe collatis. Sentit ergo hanc eſſe inter Patres communem ſuppoſitionem. Nec verò coniecturæ, quæ in contrarium adducuntur, ſunt maioris momenti. Errarunt ſiquidem Triburienſes in eo decreto, & contra conſuetudinem receptam in vniuerſali Eccleſia ſtatuit illa prouincia, vt dicit Gloſſa in d. cap. *pernicioſus, error* 13. de celebratione Miſſæ. Quare vnius ſolius prouinciæ decretum non poteſt quidquam obſtare communi Eccleſiæ ſenſui.

Deinde dico, quamuis tertiam partem infundi iuſſerint Triburienſes, nihil obfuiſſe ſacramento, cum adhuc remaneret materia neceſſaria, & vera forma. Nec maiorem vim habet ſecunda conjectura. Nam quia Eccleſia ſemper attendit ad integritatem ſacrificij, quę maioris longè cõſiderationis eſt, quam quod aqua non cõuerſa in vinum non conuertatur in ſanguinem, cum ſit in vino ſufficiens materia ad veritatem verborum, & quia aqua additur tantum ratione ſignificationis ex præcepto ſolum Eccleſiæ, ideò iubet ſtatim ſine mora conſecrari. Quam Eccleſiæ mentem aptè colligimus, ex eo quod præcipit fieri, quando deprehenditur vinum mixtum fuiſſe aqua roſacea, & odorifera; neque enim iubet alium conſecrari, ſed illum ſumi, quã tamen aquam roſaceam nondum eſſe conuerſam in vinum ſæpè poteſt accidere, ſed manentem in ſua ſpecie ſibi veſtitam accidentibus vini. Curat etiam Eccleſia, vt quoad fieri poſsit, euitetur ſcandalum populi ex defectu, quod in celebratione accidit.

45 Ad vltimum petitum a rationibus reſpondetur ad primam quidem di-

co

co, conſecrationem nunquam reddi incertam, conſecratur enim vinum, & ſi aqua nõ fuerit in vinum conuerſa, remanet in ſua ſubſtantia. Si autem regulas ab Eccleſia præſcriptas teneamus, iam erit facta conuerſio tempore conſecrationis. Illud, quod ex Triburienſi, & ſpeciali caſu adducitur, iam ſuprà explicatum eſt. Nec verò ob id incidimus in eam ſententiam, quam Innocentius minus probabilem indicat. Nam illa affirmat abſolute manere ſemper aquam in propria ſubſtantia, & ideò nunquam conuerti in ſanguinem, quod à noſtra ſententia valde differt. Idem etiam argumentum fieri poſſet in panis materia, reddi, ſcilicet, in certam conſecrationem, cum veroſimilius ſit quamcunque tritici farinam habere aliorum ſeminum farinam admiſtam. Nec credendum eſt Chriſtum tantum aquæ miſcuiſſe, vt non potuerit ante conſecrationem in vinum conuerti, cũ ea admiſtio non fuerit ob temperantiam, vt ſupradictum eſt, ſed ob myſterium, idquod oſtendunt Eccleſię de ea cæremonia præcepta. Addo etiam, vt dixi paulò ſupra, ſicut certum fuit Chriſtum, quod in calice erat materia conſecrationis, conuertiſſe in vinum, non autem omne, ſi forte non erat aqua in vinum conuerſa: ita etiam eodem modo certum eſt totum, quod vt legitima materia ſubijcitur verbis ſacerdotis, tranſſubſtantiari: de toto verò in calice contento, ſi aqua non eſt conuerſa in vinum, non eſt certum neque in Chriſti, neque in ſacerdotis facto, ſed de hoc diſputamus.

46 Ad ſecundam quod multis modis inſtari poteſt, vt dictum eſt in vltima probatione noſtræ ſententiæ. Reſpondet ergo Suarez determinari formam ex intentione rite conſecrantis, vt verba pro ea tantũ materia ſupponant, quæ eſt apta conſecrationi.

Dico etiam vera eſſe verba de eo, quod præcipuè tribuit denominationem calici, etiam ſi ſit aliquid alterius ſpeciei admiſtum; eius enim, quod ita parum eſt, vt non poſsit calici denominationem tribuere, nulla habetur ratio, dicitur enim. *Hic eſt calix.* Vndè, licèt totum illud poculum communi vſu appellatur vinum, non tamen pronomine illo denotatur, niſi quod tribuit calici denominationem, & eſt conſecrationis materia.

Ad tertiam reſpondetur, nihil conuincere. Ad illud enim, quod de adoratione dicitur, reſpondeo adorationem conſtare affectu interiori, & ſigno adorationis. Affectus tendit in excellentiam eius, cui adoratio defertur, & ſignum exterius tendit in illum, cui intelligitur excellentia cõiuncta ex apprehenſione adorantis. Affectus ergo adorantis calicem fertur in Chriſtum Dominum ibi verè contentum, non in aquam remanentem, licet ſignum adorationis exterius feratur in ſpecies, quæ conſecratæ ſunt. Atque idem argumentum fieri poteſt in exemplis ſupra adductis, & in vino miſto cum aqua odorifera nondum conuerſa. Quibus etiam inſtatur idquod de ieiunio obijcitur. Omiſſa ergo ſolutione Gabrielis aſſerentis quod, ſi certò conſtaret aquam non eſſe conuerſam in vinũ, non poſſet iterum conſecrare, & ſumere eo die, reſpondemus præceptum de ſumenda Euchariſtia à ieiunis eſſe Eccleſiaſticũ tantum.

Quare intelligendum eſt iuxta Eccleſiæ ſenſum, non eſt autem veroſimile Eccleſiam velle, vt ſoluatur ieiunium ex eo, quod aliquis per modum vnius potus cum ſanguine Chriſti ſumat parum aquæ, quæ, quia nondum fuit conuerſa in vinũ, remanet in propria ſubſtantia. Aliàs idem periculum eſſet quotidie in ſumenda ſpecie panis, ſicut in ſpecie vini, ſi ſpeciei panis eſſet admiſta alia farina diuerſi ſeminis & nondum conuerſa in ſubſtantiam tritici, quod longè veroſimilius eſt frequẽtius euenire poſſe. Atque hæc Eccleſiæ mens manifeſtè colligitur ex quadam regula Miſſalis Romani de defectu vini, n. 5. ibi: *Si hoc aduertat poſt ſumptionẽ corporis, vel huiuſmodi aquæ, apponat aliam hoſtiam iterũ conſecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat vtrumque, & conſecret, & ſumat, quamuis non ſit ieiunus.* Quod à fortiori habet locum in noſtro caſu.

QVAE

Digitized by Google

QVAESTIO LXXV.

De conuerſione panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti: in octo Articulos diuiſa.

IN hac quæſtione proſequitur Diu. Thom. inceptam doctrinam de Euchariſtia, conſiderans illam ex parte materiæ remotæ in ordine ad conuerſionem, ſeu transſubſtanciationem in corpus, & ſanguinem Chriſti, & quoniam præſentia corporis, & ſanguinis, eſt terminus illius actionis, vel ſe tenet ex parte termini ad quē eſt, quæ eſt ſimul fundamentū à quo reliqua dependent, prius de illa agit in primo articulo: deinde in ſecundo de termino à quo conuerſionis, qui eſt ſubſtantia panis, & vini. In tertio de actione per quam terminus à quo deſinit. In quarto de actione qua terminus ad quem incipit. In quinto de permanentia accidentium ſubſtantiæ conuerſæ cum termino ad quem conuerſionis. In ſexto, poſito quod accidentia maneant, vtrum maneat etiam forma termini conuerſi. In ſeptimo de duratione conuerſionis, & tandē in octauo de modo loquendi circa conuerſionem: & ſic abſoluit exactè præfatam conſiderationem, quæ à nobis explicanda, & proponenda eſt.

ART. I.

Vtrùm in hoc ſacramento ſit corpus Chriſti ſecundum veritatem?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod in hoc ſacramento non ſit corpus Chriſti ſecundum veritatem, ſed ſolum ſecundum figuram, vel ſicut in ſigno. Dicitur enim Ioann. 6 quod cum Dominus dixiſſet, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. multi ex diſcipulis eius audientes, dixerunt. Durus eſt hic ſermo: quibus ipſe dixit, Spiritus eſt qui viuificat, caro nō prodeſt quicquam: quaſi diceret, ſecundum expoſitionem Auguſtin. * ſuper Pſalm. 98. Spiritaliter intelligite quod locutus ſum: non hoc corpus

[Margin: *Su. q. 65. a 3. co. pr. & inf. q. 76. per tot. et 4. diſ. 10 a. 1. 1. et d. 11. pr. et 4. cō. c. 61. et 1. Cor. 11. le. 5 col. 2. et 4.*]

[Margin: *non procul à me. expoſit. t. 8.*]

pus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent: ſacramentum autem quod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum, viuificabit vos: caro autem non prodeſt quicquam.

2 Præterea, Dominus dicit Matth. vltim. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quod exponens Auguſtin. * dicit. Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus. Sed tamen & hic nobiſcum eſt veritas Domini: corpus enim in quo reſurrexit, in vno loco opportet eſſe, veritas autem eius vbique diffuſa eſt. Non ergo ſecundum veritatem eſt corpus Chriſti in hoc ſacramento, ſed ſolum ſicut in ſigno.

Refertur hoc de cõſ. d. 2. c. 45.

3 Præterea. Nullum corpus poteſt eſſe ſimul in pluribus locis: cum nec Angelo hoc conueniat, tali enim ratione poſſet eſſe vbique. Sed corpus Chriſti eſt verum corpus & eſt in cœlo. Ergo videtur, quod non ſit ſecundum veritatem in ſacramento altaris, ſed ſolum ſicut in ſigno.

4 Præterea. Sacramenta Eccleſiæ ad vtilitatem fidelium ordinantur. Sed ſecundum Gregor. * in quadam homil. regulus reprehenditur quod quærebat corporalem Chriſti præſentiam: Apoſtoli etiam impediebãtur recipere Spiritum ſanctum, propter hoc quod affecti erant ad eius præſentiam corporalem: vt Auguſtin. * dicit ſuper illud Ioann. 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Non ergo Chriſtus ſecundum præſentiam corporalem eſt in ſacramento Altaris.

de regulo id habet Gre h. 28 in euang.

tr. 94. in Ioan. à me to. 9.

Sed contra eſt, quod Hilar. * dicit in octauo de Trinitat. de veritate carnis, & ſanguinis Chriſti, non eſt relictus ambigendi locus: nunc enim, & ipſius Domini profeſsione, & fide noſtra caro eius verê eſt cibus & ſanguis eius veré eſt potus. Et Ambroſ. * dicit 6. de ſacramentis. Sicut verus Dei filius eſt Dominus Ieſus Chriſtus, ita vera Chriſti caro eſt, quam accipimus, & verus ſanguis eſt eius potus.

Inter prin. & me. lib.

c. 1. in pri. tom. 4.

Reſpondeo dicendum, quod verum corpus Chriſti, & ſanguinem eſſe in hoc ſacramento, neque ſenſu, neque intellectu deprehendi poteſt: ſed ſola fide, quæ auctoritati diuinæ innititur. Vnde ſuper illud Lucæ 22. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus. Non dubites an hoc verum ſit, ſed potius ſuſcipe verba Saluatoris in fide: cum enim ſit veritas, non mentitur. Hoc autem conueniens eſt. Primo quidem perfectioni nouæ legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum ſacrificium paſsionis Chriſti continebant ſolum in figura: ſecundum illud Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem. Et ideô opportuit, vt aliquid plus haberet ſacrificium nouæ legis â Chriſto inſtitutum; vt ſcilicet contineret ipſum Chriſtum paſſum, nõ ſolum in ſignificatione, vel figura, ſed etiam in rei veritate. Et ideô hoc ſacramentum, quod ipſum Chriſtum realiter continet (vt Dionyſ. dicit 3. capit. eccleſiaſtic. hierarch.) eſt perfectiuum omnium aliorum ſacramentorum, in quibus virtus Chriſti participatur. Secundo hoc competit charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra, corpus verum noſtræ naturæ aſſumpſit. Et quia maxime proprium amicitiæ eſt conuiuere amicis (vt Philoſophus dicit 9. ethicor. *) ſui præſentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens Matth. 24. Vbi fuerit corpus,

c. 4. et li. 8. c. 5. t. 5.

illuc

illuc congregabuntur & aquilæ. Interim tamen nec ſua præſentia corporali nos in hac peregrinatione deſtituit; ſed per veritatem corporis, & ſanguinis ſui, nos ſibi coniungit in hoc ſacramento. Vndê ipſe dicit Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Vndê hoc ſacramentum eſt maximæ charitatis ſignum, & noſtræ ſpei ſublenamentum, ex tam familiari coniunctione Chriſti ad nos. Tertiò hoc competit perfectioni fidei, quæ ſicut eſt de diuinitate Chriſti, ita eſt de eius humanitate: ſecundum illud Ioann. 4. Creditis in Deum, & in me credite. Et quia fides eſt inuiſibilium, ſicut diuinitatem ſuam nobis exhibet Chriſtus inuiſibiliter. ita & in hoc ſacramento carnem ſuam nobis exhibet inuiſibili modo. Quæ quidam non attendentes, poſuerunt corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe in hoc ſacramento, niſi ſicut in ſigno: quod eſt tanquam hæreticum abijciendum, vtpote verbis Chriſti cõtrarium. Vnde & Berengarius †, qui primus huius erroris auctor fuerat, poſtea coactus eſt ſuum errorem reuocare, & veritatem fidei confiteri.

hĕtur de cõſ. di. 2. ca. ego Berẽgarius.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hac auctoritate prædicti hęretici * occaſionem errandi ſumpſerunt male verba Auguſtin. intelligentes. Cum enim Auguſtin. † dicit. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis: non intendit excludere veritatem corporis Chriſti: * ſed quôd non erat manducandum in hac ſpecie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem quod ſubdit, Sacramentum quod vobis commendaui ſpiritualiter intellectum, viuificabit vos: non intendit quôd corpus Chriſti ſit in hoc ſacramento ſolum ſecũdum myſticam ſignificationem: ſed ſpiritualiter dici, ideſt inuiſibiliter, & per virtutem Spiritus ſancti. Vnde ſuper Ioann. † exponens idquod dicitur, Caro non prodeſt quicquam dicit. Sed quomodo illi intellexerũt, carnem quippe ſic intellexerunt mãducandam, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, nõ quomodo ſpiritu vegetatur: accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimũ. Nam ſi caro nihil prodeſſet, verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.

præcipuè cita. in ſi. co.

in expoſit. Pſ. 98. to. 8.

vt patet ex verbis præcedẽtibus locũ citat.

tra. 27. in euãg. Io. interpr. et in ill. t. 9.

Ad ſecundum dicendum, quod verbum illud Auguſt. * & omnia ſimilia ſunt intelligenda de corpore Chriſti, ſecundum quod videtur in propria ſpecie (ſecundum quod etiam ipſe Dominus dicit Matthæi 26. Me autem non ſemper habebitis). Inuiſibiliter tamen ſub ſpeciebus huius ſacramenti eſt, vbicunque hoc ſacramentum perficitur.

cit. in argum. 2.

Ad tertium dicendum, quôd corpus Chriſti non eſt eo modo in hoc ſacramento, ſicut corpus in loco, quod ſuis dimenſionibus loco commenſuratur: ſed quodam ſpeciali * modo, qui eſt proprius huic ſacramento. Vnde dicimus, quod corpus Chriſti eſt in diuerſis altaribus, non ſicut in diuerſis locis, ſed ſicut in ſacramento. Per quod non intelligimus, quod Chriſtus ſit ibi ſolum ſicut in ſigno; licet ſacramentũ ſit in genere ſigni: ſed intelligimus corpus Chriſti hic eſſe (ſicut dictum eſt †) ſecundum modum proprium huic ſacramento.

al. ſpirituali.

in co. art. 27. in Io. parũ ant. me. to. 9.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de præſentia corporis Chriſti, prout eſt præſens per modum corporis; ideſt, prout eſt in ſua ſpecie viſibili: non autem prout eſt ſpiritualiter, ideſt, inuiſibili modo, & virtute ſpiritus. Vndê Auguſtin. * dicit ſuper Ioann. Si intelle-

xiſti

xiſti ſpiritualiter verbi verba Chriſti de carne ſua, ſpiritus & vita tibi ſunt: ſi intellexiſti carnaliter, etiam ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.

¶ RESponſum Angelici Doctoris eſt affirmatiuum, & certum ſecundum fidem, nimirum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in Euchariſtia non veluti in ſigno, vt hæretici adſtruunt, ſed vere, realiter, & ſubſtantialiter, quod ſemper credidit Eccleſia Catholica, & tradidit in pluribus Concilijs, & nouiſsime in Tridentino ſeſsion. 13. capit. 1. & canon. 2. idque accepit præſertim ex illis verbis à Chriſto Domino prolatis, quæ referuntur Lucæ 22. *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. accedente vnanimi conſenſu Patrum Eccleſiæ Latinæ, & Grecæ & totius populi Chriſtiani vna cum atteſtatione per miracula quæ ſunt à Deo patrata in teſtimonium huius veritatis.

Contra quam opponunt hæretici aliqua argumenta, quibus contendunt repugnare rationi naturali, talem præſentiam, & quamuis non repugnet rationi naturali: tamen repugnare teſtimonijs ſacræ Scripturæ: verum ea omnia euidenter ſoluuntur à controuertiſtis, ſolumque interim aduerto contra Scotum, Durandum Vvaldenſem, Martinum de Ledeſma, & alios hanc veritatem, quamuis ſit ardua difficilis, & per diuinam reuelationem tradita, non eſſe articulum ſpecialem fidei: quia huiuſmodi articulus tantum ſupponit in Eccleſia pro illa veritate quæ creditur nõ propter operationem veluti cũque, ſed gratia ſui, & tanquam principium vniuerſaliſſimum, & digniſsimum à quo alia credibilia dependent: veritas autem illa de qua loquimur non creditur iſto modo, ſed potius propter operationem, ideſt propter vſum, & ſpecialem adorationem: & vt quædam veritas particularis: quam proinde Diuus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 1. articulo 8. ad 6. ad articulum omnipotentiæ, quatenus opus miraculoſum eſt: quatenus verò eſt ſignum ſanctificatiuum, ad articulum ad quem pertinet credere alios effectus gratiæ, ſiue de Deo ſanctificatore, reducit.

Pulchra aduertẽtia contra Luteranos.

Deinde operæpretium eſt aduertere de fide quoque certum eſſe (quidquid Luterani obmurmurent) corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in hoc ſacramento non ſolum quando actu ſumitur à fidelibus, ſed etiam permanenter poſt peractam conſecrationem manere ſub accidentibus panis, & vini: quòd diffinit Tridentinum ſeſsione præallegata can. 4. & colligit Eccleſia ex præfatis verbis inſtitutionis, quibus Chriſtus Dominus abſolute, & ſine limitatione dixit corpus, & ſanguinem ſuũ eſſe ſub accidentibus panis, & vini independenter ab eo quod ſumatur, vel non ſumatur: ac proinde cum verba illa, mox vt prolata fuerint, neceſſarium eſt ante ſumptionem adeſſe corpus, & ſanguinẽ Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini.

Ex quo omnes Theologi conſequenter inferunt tamdiu corpus & ſanguinem ſub dictis accidentibus permanere, quamdiu ſub eiſdem eſſent ſubſtantiæ, loco quarum corpus, & ſanguinis ſuccedũt. Nec contra hoc dogma habent hæretici argumentum alicuius momenti. Si autem inquiras an etiam ſit de fide quod ſub hac numero hoſtia ſint modo prædicto corpus & ſanguis? Reſpondeo nõ eſſe quidem de fide contineri ſub hac numero hoſtia: bene tamen ſub hoſtia ritè conſecrata, & ſub hac, ſi ritè fuerit conſecrata: vt diffiniuit Gregorius vndecimus relatus in directorio Inquiſitorum parte 2. cap. 10. Neque ex hoc licèt inferre hanc numero hoſtiam non poſſe adorari niſi ſub hac conditione, nimirũ, ſi ritè conſecrata ſit. Nam ad actum abſolutum adorationis ſufficit virtualis, vel implicita conditio legitimæ conſecrationis, ratione cuius interpretamur, quod ſi adorans ſciret non eſſe ibi Chriſtum, talem hoſtiam non adoraret. Neque eſt neceſſarium quod obiectum religionis infuſæ proponatur per fidem ſupernaturalem, quantum ad omnes circunſtantias: vt contingit in miſericordia infuſa, ad cuius actum non præcedit cognitio ſupernaturalis fidei per quam cognoſcat largitor eleemoſynæ: iſtum numero eleemoſynam petentem eſſe vere pauperem: ſed ſufficit lumine ſupernaturali cognoſcere bonum eſſe ſuccurrere indigenti, relinquendo alias circunſtantias, & conditiones examinandas ex vi alterius luminis, & cognitionis.

Igitur ſicut cum iuditio prudentiæ naturalis, vel infuſæ quod hic petens eleemoſynam eſt egenus, ſtat optime affectus abſolutus miſericordiæ ſubueniendi

illi,

illi, cui iudicio ſufficit veritas practica, licet poſsit ſubeſſe falſum ſpeculatiuè : ita cum iuditio prudentiæ, quod hæc hoſtia quæ à ſacerdote proponitur adoranda populo, ſit ritè conſecrata, quod eſt verum practice, quia ita eſſe, eſt conforme rectæ rationi in qua conformitate conſiſtit veritas practica, ſtat optime affectus abſolutus religionis, quo hanc hoſtiam ſic propoſitam adorandam, de facto adoramus: imò & adorari tenemur: quia de eius conſecratione ſine probabili ratione aut fundamento rationabili dubitare non poſſumus, nec debemus.

ART. II.

Vtrùm in hoc ſacramento remaneat ſubſtantia panis, & vini poſt conſecrationem?

Inf. a. 6. co et q. 77. a. 1. et 5. et 4. d. 11. q. 1. a 1 q. 1. et d 12. q. 1. a 1 q. 3. cor. c 6. pri. et quo 7. a. 9. et quo. 9 a 5. ad 3. et 1 Co. 1 … lc. 4. co. 6. co … 5. co. 5.

AD ſecundum ſic proceditur Videtur, quod in hoc ſacramento remaneat ſubſtantia panis, & vini poſt conſecrationem. Dicit enim Damaſcen.* in 4. lib. Quia conſuetudo eſt hominibus comedere panem, & vinum bibere, coniugauit eis Deus diuinitatem, & fecit ea corpus, & ſanguinem ſuum : & ita panis communicationis non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati. Sed coniugatio eſt rerum actu exiſtentium. Ergo panis & vinum ſimul ſunt in hoc ſacramento cum corpore, & ſanguine Chriſti.

**lib. 4. c. 14. in me.*

2 Præterea. Inter Eccleſiæ ſacramenta debet eſſe conformitas. Sed in alijs ſacramentis, ſubſtantia materiæ manet, ſicut in baptiſmo ſubſtantia aquæ, & in confirmatione ſubſtantia chriſmatis. Ergo, & in hoc ſacramento ſubſtantia panis, & vini manet.

3 Præterea. Panis & vinum aſſumuntur in hoc ſacramento, in quantum ſignificant eccleſiaſticam vnitatem : prout vnus panis fit ex multis granis, & vnum vinum ex multis racemis : vt Auguſtin.* dicit in libr. de Symbolo. Sed hoc pertinet ad ſubſtantiam panis, & vini. Ergo ſubſtantia panis, & vini remanet in hoc ſacramento.

**tra. 26 in Io. in me … et ſi. 10. …*

Sed contra eſt, quod Ambroſ. *dicit in libr. de ſacramentis. Licet figura panis, & vini videatur : tamen nihil aliud quam caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt.

Colligitur ex l. 4. c. … c. 4. et l. 6 c. 1. t. 4. refertur, de coſe. d. 2 … Omnia

Reſpondeo dicendum, quod quidam poſuerunt poſt conſecrationem, ſubſtantiam panis, & vini in hoc ſacramento remanere. Sed hæc poſitio ſtare non poteſt. Primo quidem : quia per hanc poſitionem, tollitur veritas huius ſacramenti, ad quam pertinet, vt verum corpus Chriſti in hoc ſacramento exiſtat; quod quidem ibi non eſt ante conſecrationem. Non autem aliquid poteſt eſſe alicubi vbi prius non erat, niſi vel per loci mutationem, vel per alterius conuerſionem in ipſum: ſicut in domo aliqua de nouo incipit eſſe ignis, aut quia illud defertur aut ibi generatur. Manifeſtum eſt autem, quod corpus Chriſti non incipit eſſe in hoc ſacramento per motum localem. Primo quidem, quia ſequeretur quod deſineret eſſe in cęlo : non enim quod localiter mouetur, peruenit de nouo ad aliquem locum, niſi deſerat priorem. Secundo, quia omne cor-

pus

Digitized by Google

pus localiter motum, pertranſit omnia media; quod hic dici non poteſt. Tertio, quia impoſsibile eſt, quod vnus motus eiuſdem corporis localiter moti terminetur ſimul ad diuerſa loca: cum tamen in pluribus locis corpus Chriſti ſub hoc ſacramẽto ſimul eſſe incipiat: & ideò relinquitur, quod nõ poſsit aliter corpus Chriſti incipere eſſe de nouo in hoc ſacramẽto, niſi per conuerſionẽ ſubſtantiæ panis in ipſum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuerſione nõ manet. Vnde relinquitur, quod ſalua veritate huius ſacramenti, ſubſtantia panis poſt cõſecrationẽ remanere non poſsit. Secundo, quia hæc poſitio contrariatur formæ huius ſacramenti, in qua dicitur, hoc eſt corpus meũ: quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia panis ibi remaneret: nunquã enim ſubſtãtia panis eſt corpus Chriſti: ſed potius eſſet dicẽdu, hic eſt corpus meum. Tertio, quia contrariatur venerationi huius ſacramenti, ſi aliqua ſubſtantia creata eſſet ibi, quę nõ poſſet adoratione latriæ adorari. Quarto, quia cõtrariatur ritui Eccleſiæ, ſecundũ quẽ poſt corporalem cibũ non liceat ſumere corpus Chriſti: cũ tamẽ poſt vnã hoſtiã conſecratam liceat ſumere aliam. Vnde hæc poſitio vitanda eſt tanquam hæretica.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus coniugauit diuinitatem ſuã, id eſt, diuinam virtutem, pani & vino, non vt remaneant in hoc ſacramento, ſed vt faciat inde corpus, & ſanguinem ſuum.

Ad ſecundum dicendũ, quod in alijs ſacramẽtis non eſt ipſe Chriſtus realiter, ſicut in hoc ſacramẽto. Et ideò in alijs ſacramẽtis manet ſubſtantia materiæ, non autem in iſto.

Ad tertium dicendum, quod ſpecies quæ remanẽt in hoc ſacramẽto, (vt infra dicetur *) ſufficiũt ad ſignificationem huius ſacramenti; nam per accidentia cognoſcitur ratio ſubſtantiæ.

* q. 77. a. 3 & 4.

2 RESPONSUM Angelici Doctoris eſt negatiuum, & certum ſecundum fidem: quod ſuadet quadrupliciter. Primo, quia corpus, & ſanguis Chriſti vere & realiter ſunt in hoc ſacramento: atqui non poſſunt eſſe niſi per hoc quod ſubſtantiæ panis & vini conuertatur in ipſa: eo quod nihil poteſt incipere eſſe alicubi, niſi vel per motum localem, vel per conuerſionem alterius in ipſum: corpus autem & ſanguis Chriſti nequeunt poni in Euchariſtia primo modo: vtpote quia neque deſerunt locum quem habent in cœlo, neque tranſeũt per medium: & quia ſimul conſtituuntur in pluribus ſacramentis loco diſtantibus: ergo neceſſe eſt quod ibi ponantur ſecundo modo: atque adeo, quod ſubſtantia panis, & vini non remaneat poſt conſecrationem.

Secundo, quia huiuſmodi permanentia ſubſtantiæ panis, & vini eſt contraria formæ Euchariſtiæ, in qua dicitur: *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei;* quæ forma redderetur falſa, ſi ſubſtantia panis, & vini remaneret ibi: ſiquidem ſubſtantia panis non eſt corpus Chriſti, neque que ſubſtantia vini eſt ſanguis Chriſti: potiuſque tunc dicendum foret, hic eſt corpus meum, quam hoc eſt corpus meum: ergo.

Tertio, quia permanentia huiuſmodi ſubſtantiarum in hoſtia conſecrata repugnat adorationi latriæ, quã exhibemus huic ſacramento; in quo totum, quod ſub ſpeciebus continetur, adoramus cultu latriæ: cuius tamen adorationis incapaces ſunt ſubſtantiæ panis, & vini: ergo ſignũ eſt illas ibi non contineri.

Quarto, & vltimo, quia huiuſmodi permanentia contrariatur ritui Eccleſiæ prohibentis ſumere corpus Chriſti poſt corporalem cibum, vel potum, non autem prohibet poſt vnam hoſtiam conſecratam ſumi aliam: igitur ſignum eſt, quod ſentit ſub accidentibus panis, & vini, nullam ſubſtantiam cibantem corporis, vel refrigerantem per modum potus ibi permanere.

Dubium eſt. An ex ſola veritate verborum conſecrationis colligatur deſitio ſubſtantiæ panis, & vini?

IN hoc dubio omiſſo errore ſectariorum noſtri temporis, & antiqui, exiſtimantium ſimul permanere ſubſtantiam panis, & vini in hoc ſacramento cum reali præſentia Chriſti: eoquod exiſtimabant talem ſubſtantiam penetrari cum corpore, ſiue ſanguine Chriſti, vel vt alijs videbatur, per verba conſecrationis deſtruebatur propria ſubſiſtentia panis, & vini, & ſubſtantiæ ipſæ vniebantur hypoſtatice Chriſto Domino: inter Catholicos duæ verſantur ſententiæ.

Prima negans eſt, quam ſequuntur Scotus in 4. d. 11. q. 4. Durandus q. 3. & Paludanus d. 12. q. 3. ibidem exiſtimãtes deſinere quidem per verba conſecrationis ibi eſſe ſubſtantiam panis, & vini, non tamen huiuſmodi deſitionem efficaciter colligi ex vi dictæ conſecrationis propter tria. Tum quia quando duæ ſubſtantiæ ſunt ſimul poteſt ex intentione loquẽtis pronomen *hoc*, vel *hic*, determinari ad demonſtrãdã vnã, & non aliã, maxime ad determinandã principaliorem: vt patet in vaſe continente vinum, & in crumena cõtinente aurum: de illo namque verè dicimus hoc eſt vinum, & de iſta, hoc eſt aurum, quamuis etiam poſſemus vere aſſirmare *hoc eſt vas*, & hęc eſt crumena: igitur quamuis ſubſtantia panis, & vini eſſent ſimul in hoc ſacramento cũ corpore, & ſanguine Chriſti vere diceretur, *hoc eſt corpus Chriſti*, deſignando ex intentione loquentis id quod principalius ibi eſt nimirũ corpus Chriſti contentum. Tum etiam quia dato quod Deus miraculoſe cum ſubſtantia panis triticei poneret ſub illius accidentibus ſubſtantiã panis hordeacei proprijs accidentibus denudatam, ſiue per modum penetrationis vtriuſque, ſiue per modum contenti & continentis: tunc poſſet ſolus panis triticeus conſecrari: eoquod non deſinit eſſe materia conſecrationis ex coniũctione ad hordeaceum: ergo tunc verificarentur verba conſecrationis: quamuis pronomen *hoc*, non demonſtraret omne contentum ſub illis accidentibus niſi ſolam ſubſtantiam panis triticei: nam ſubſtantia panis hordeacei eſt inconſecrabilis vt ſupra dictum eſt. Tum denique quia alias pariter ex vi eorumdem verborum conſecrationis colligeretur deſitio omniũ partium & modorum ſubſtantialium, ſiue pertinentiũ ad ſubſtantiam panis ſiue vini, quod tamen falſum eſſe patet, quia probabile eſt manere ibi exiſtentiã panis & vini ſuſtinendo probabilem ſententiam philoſophorũ aſſerentium accidentia exiſtere per eandem exiſtentiam ſubſtantiæ in qua ſubiectantur: ergo, & antecedens.

3 Secunda ſententia eſt affirmatiua, & communiter à Theologis recepta, quam etiam docet Catechiſmus Romanus agens de hoc ſacramento, quæ proinde a nobis ſtatuitur pro concluſione, & quidẽ quantum ad id in quo opponitur ſectarijs admittentibus præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia ſimul cum ſubſtantia panis & vini eſt certa ſecundum fidem, vtpotè diffinita ab Eccleſia in Concilio Romano ſub Gregor. VII. in Lateranenſi, ſub Innocent. III. in Conſtantienſi ſub Martin. V. in Florentin. ſub Eugen. IIII. & in Trident. ſeſ. 13. can. 2. & ſufficienter conuincitur rationibus adductis ab Angelico Doctore.

Quantum vero ad id in quo directè opponitur auctoribus primæ ſentẽtiæ eſt ita certa, vt oppoſitum ſine aliqua temeritate defendi non poſsit, vtpotè quia eſt cõmuni omniũ Theologorũ conſenſu probata exceptis illis paucis citatis pro prima ſententia. Nec non in Catechiſmi Romani auctoritate ſuffulta.

Deinde probatur, quia eſt conformior Concilio Tridentino in d. ſeſs. 13. c. 4. vbi ſic habet: *Quoniam autem Chriſtus redemptor noſter corpus ſuum, quod ſub ſpecie panis offerebat verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit id, quod nunc de nouo hæc ſancta Synodus declarat per conſecrationẽ panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtan-*

tiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius.

Igitur ſentit Concilium ex veritate verborum conſecrationis quibus hoc ſacramentum conficitur colligi deſitionẽ ſubſtantiæ panis & vini: ſiquidem ex eiſdem verbis deduxit Concilium per conſecrationẽ fieri conuerſionẽ totius ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti.

Vltimo, quia alias verba huiuſmodi falſificarentur: quod nullatenus eſt admittendum: ergo. Sequela oſtenditur dupliciter. Tum quia quando aliqua ſubſtantia extranea aliquibus accidentibus eſt ſimul cum ſubſtantia propria huiuſmodi accidentium: talia accidentia per ſe demonſtrant propriam ſubſtanciã, & non alienã, niſi propria expellatur: vt patet ſi Angelus ſit in corpore humano: tunc enim non vere diceremus *hic eſt Angelus*, oſtendendo per pronomen *hic*, totum illud aggregatũ: ergo ſimiliter in noſtro caſu hæc propoſitio eſſet falſa, *hoc eſt corpus meum*: ſi ly *eſt* ſignificet identitatem inter prædicatum, & ſubiectum vt reuera ſignificat, & ſi ibi permaneat proprium ſubiectum accidentium panis: ac per conſequens vt ſit vera, oportet proprium ſubiectum accidentium quæ ſenſu percipiuntur, ab illo contextu relegari. Tum etiam, quia quando duæ ſubſtātiæ quarum vna non ſe habet vt continens reſpectu alterius, continentur ſub aliquo contento ſenſibili, pronomen *hoc*, habet vim termini collectiui demonſtrantis totã collectionem inconfuſo ibi contentam; quam proinde demõſtrat per modũ vnius: quod conſtat exemplo crumenæ plenæ auro, & argento: nec enim tunc vere, mõſtrata crumena, diceremus, *hoc eſt aurum*, quia prædicaremus partem de toto, ſed dicendum eſt, hoc eſt aurum, & argentum: ergo pariter ſi ſub accidentibus panis continerentur ſubſtantia panis & ſubſtantia corporis Chriſti; cum neutra ex natura rei ſit reſpectu alterius continens: non vere diceretur, *hoc eſt corpus meum*, quia tunc hæc propoſitio faceret hunc ſenſum: totum contentum ſub his ſpeciebus eſt corpus meum: qui ſenſus eſt falſus, cum etiam ibi eſſet ſubſtā tia panis: imo haud demonſtrant accidentia panis ex natura ſua tanquam eius ſignum naturale: ac per conſequens pronomẽ *hoc*, potius demonſtraret ſubſtantiam panis, & fieret ſenſus hic, quod eſt ſubſtantia panis, eſt corpus meum, qui planè eſt falſus.

4 Ad primum in contrarium reſpondetur negando antecedens ſi abſolutè & vniuerſaliter accipiatur: ſolum enim eſt verum quando vna ex illis ſubſtantijs eſt continens alterius, vt in exemplis adductis: in noſtro autem caſu ſi ſubſtantia panis maneret cum corpore Chriſti, neutra eſſet continens alteram. Si vrgeas, quid ſi corpus Chriſti maneat non ſolum, vt contentum ſub accidentibus panis, ſed etiam ſub ipſa ſubſtantia panis, vt continente, ſicut aurum eſt in crumena, & vinum in vaſe, cur tunc eſſent falſa verba conſecrationis?

Reſpõdetur ad argumẽta in cõtrarium adducta.

Reſpondetur, quod hæretici contra quos procedit ratio Angelici Doctoris non dixerunt permanere in Euchariſtia ſubſtantiam panis vt continentem corpus Chriſti, ſed vt penetratiue ſe habentem vel vnitam hypoſtatice Chriſto, vnde quatenus hæc ratio procedit, contra illos non inſtatur.

Sed admiſſo ſubſtanciam panis manere ibi vt continentem, ad huc non ſufficeret vt verificarentur verba conſecrationis, quia non permaueret vt inſtituta à natura, vel arte ad continendum, quod neceſſarium erat, vt pronomen *hoc*, abſolute prolatum potius deſignaret corpus Chriſti cõtentum: cum autem ex beneplacito Dei ordinata eſſet tunc ad continendum, hoc nõ ſufficit, quia accidentia ſenſibilia potius demonſtrant proprium ſubiectum cuius ſunt ſignum naturale, quã illud cuius ſunt ſignum ad placitum.

Ratio autem & doctrina tradita à Diuo Thoma potiſsima verum habet, quando exterius apparent accidentia, ſiue ſigna vnius ſubſtantiæ dumtaxat, & non vtriuſque.

Ad ſecundum dicendum eſt, quod in illo euentu panis triticeus non eſſet conſecrabilis propter impedimentum adiuncti panis hordeacei, ratione cuius forma redderetur falſa.

Quod ſi admittamus illum conſecrari, ex vi ipſius conſecrationis diſſolueretur talis vnio ſubſtantiæ panis hordeacei cum accidentibus tritici, & ab illis relegaretur.

Niſi malis dicere, quod accidentia illa cum ſint propria ſubſtantiæ panis

tritici, & non hordeacei, demonſtrarent ſolam propriam ſubſtantiam, & non extraneam, ideſt hordeaceam etiam ſi ibi adeſſet, ac perconſequens non falſificaretur forma conſecrationis. Secus autem in noſtro caſu contingeret.

5 Ad tertium admiſſa ſequela nego minorem: colligitur enim ex adducto decreto Concilij Tridentini nihil ſubſtantiæ panis, aut vini remanere poſt conſecrationem, maximè adiungendo verba canonis ſecundi: quibus diffinitur aſſertio Angelici Doctoris ſub anathemate dum dicitur: in ſacramento Euchariſtiæ non manere ſubſtantiam panis & vini, vna cum corpore & ſanguine Domini, ſed fieri mirabilem illam conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, *manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini*; ideſt accidentibus quæ Concilium vocat ſpecies iuxta vſitatum morem Theologorum, quæ propoſitio, quia excluſiua eſt, petit ad ſui veritatem, vt nihil aliud panis, aut vini, præter ſola accidentia remaneat in Euchariſtia poſt dictam conuerſionem, ex quibus colligo falſitatem plurium opinionum, quę in hac parte fuerunt.

In primis namque colligitur falſam & hæreticam eſſe ſententiam aſſerentium in hoc ſacramento manere poſt perfectam conſecrationem formam panis; quam aliqui tribuunt Scoto diſtinction. 11. quæſtion. 6. Maiori quæſtione prima, & Gabrieli quęſtione ſecunda, & lectione vigeſimaquinta in canonem: ſed immerito, quia iſti auctores non de forma ſubſtantiali, ſed tantum accidentali loquebantur, vt ex eorum patet contextu.

Deinde colligitur falſam quoque & hæreticam eſſe opinionem Durandi vbi ſupra aſſerentis manere in hoc ſacramento materiam panis, vt ſic ſaluaret commune ſubiectum ſub vtroque termino conuerſionis, & myſterium conuerſionis panis in corpus Chriſti hac via faceret magis intelligibile: ſed hęreticam eſſe hanc poſitionem non ſolum poſt Concilium Tridentinum vtpotè eius decreto adducto contrariam; ſed etiam temporibus Durandi, conſtat ex eoquod tunc iam erat de fide transſubſtantiari panem in corpus Chriſti; tum ex diffinitione Concilij Lateranenſis ſub Innocentio Tertio.

Tum etiam ex aperta traditione Sanctorum Patrum: nihilominus ipſe Durandus hæreticus non fuit, quia more ſolito hanc poſitionem adſtruxit ſine contumacia, & cum ſubiectione ad Eccleſiam.

Colligo tertio; falſam & erroneam eſſe opinionem Godofredi quodlibeto octauo, quæſtione 16. aſſerentis manere poſt conſecrationem in Euchariſtia ſubſiſtentiam panis deſtructa integra eius natura: eoquod huiuſmodi ſubſiſtentia non eſt accidens, ſed modus quidem ſubſtantialis.

Concilium autem Tridentinum in dicto canone diffinit ſola accidentia panis remanere: eadem ratione deſtruitur opinio Vaſqueſij prima parte quæſtione quarta articulo ſecundo, dubio ſecundo in priori ęditione aſſerentis manere exiſtentiam panis eoquod exiſtimabat iuxta philoſophiam accidentia exiſtere per eandem exiſtentiam ſubſtantiæ, cuius ſunt accidentia, ſed quia hæc poſitio cum dicto decreto Concilij Tridentini cohærere congruenter non poteſt, eoquod neque exiſtentia ſubſtantiæ eſt accidens prędicamentale, ſed actus ipſius ſubſtãtiæ, ſiue modus quidam ſubſtantialis; propterea ſuſtineri non poteſt illam manere in hoc ſacramẽto poſt conſecrationem ſine periculo errandi; quam propterea poſitionem videns idem Vaſquetius re melius inſpecta, contrariam, vel non ſatis conformem dicto decreto Concilij, merito poſtea in poſteriori ædi-tione retractauit.

Colligo quarto; falſam quoque & magis temerariam, & periculoſam eſſe opinionem aliorum aſſerentium manere in Euchariſtia poſt conſecrationem gradum genericum ſubſtantiæ panis; ſiue gradum indiuidualem abſque communi generico, & differentiali, quam Enriquus quodlibeto 9. quæſtion. 9. & quodlibeto 11. quæſtione quarta, Ricardus articulo dezimo quarto, Vvaldenſis tomo ſecundo ſacramento, capit. 48. & 69. ſatis indicarunt: & quod magis eſt Caietanus in articulo tertio, & quarto ſequenti illam ſatis inſinuauit: dum ait manere in Euchariſtia id quod erat panis: *Et illud relatiuum quod*, referre eandem ſubſtantiam panis: & hanc tranſire in corpus Chriſti.

Magis inquam hanc opinionem eſſe

temerariam, & periculoſam patet; tum quia magis prædictæ diſſinitioni Concilij contrariatur. Et quia magis pugnat cum his quæ fides de huiuſmodi conuerſione, & tranſubſtantiatione docet: etenim docet totam ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti: & totam deſinere eſſe: & manere eius dumtaxat accidentia.

Si autem aliquis gradus ſubſtantiæ panis maneret: neque tota conuerteretur, aut deſineret eſſe: quia quod permanet, neque conuertitur in aliud, neque deſinit eſſe: & iam aliquid vltra accidentia panis remaneret. Et tandem quia pugnat cum principijs naturalibus philoſophiæ, & methaphiſicæ, quæ docent, quod mutata eſſentia rei, nequit manere eadem numero entitas, vt potè quæ per eſſenciam in eſſe huius entitatis conſtituitur. Et quod deſtructa prima ſubſtancia neceſſe eſt deſtrui omnia quæ cum illa identificantur: vt deſtructo Petro, neceſſe eſt deſtrui rationem animalis, & rationalis, & indiuidui, tam generici, quam ſpecifici, ideſt huius hominis, & huius animalis, quæ omnia cum illo, & in illo realiter identificantur, & ſola ratione diſtinguntur: ſi autem facta conuerſione ſubſtantiæ panis, quãtum ad gradum genericum, & ſpecificum in corpus Chriſti, maneret gradus indiuidualis genericus, ideſt hoc indiuiduum ſubſtantiæ, vel corporis, in conuerſum prædicta naturalia principia deficerent: ergo neutiquam talis poſitio eſt ſubſtinenda.

*

ART. III.

Vtrùm ſubſtantia panis vel vini poſt conſecrationem huius ſacramenti annihiletur?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod ſubſtantia panis poſt conſecrationem huius ſacramenti, annihiletur, aut in priſtinã materiam reſoluatur. Quod enim eſt aliquid corporale, oportet alicubi eſſe. Sed ſubſtantia panis, quæ eſt quiddam corporale, non manet in hoc ſacramento (vt dictum eſt†) nec etiam eſt dare aliquem locum vbi ſit. Ergo non eſt aliquid poſt conſecrationem. Igitur aut eſt annihilata, aut in præiacentem materiam reſoluta.

4. d. 11. q. 1. a. 2. & 4. cont. c. 63. & quo. 5. a. 11. & quo. 9 a. 5. ad 3 & 1. Cor. 11. le. 5. col. 5

† ar. prac.

2 Prætereа, illud quod eſt terminus â quo, in qualibet mutatione nõ remanet, niſi forte in potentia materiæ: ſicut cum ex aere ſit ignis, forma aeris non manet niſi in potentia materiæ: & ſimiliter quando ex albo fit nigrum. Sed in hoc ſacramento ſubſtãtia panis, aut vini ſe habet ſicut terminus â quo, corpus autem vel ſanguis Chriſti ſicut terminus ad quem. Dicit enim * Amb. in lib. de Officijs, Ante benedictionem alia ſpecies nominatur; poſt benedictionem corpus Chriſti ſignificatur. Ergo facta conſecratione, ſubſtantia panis, vel vini non manet: niſi forte reſoluta in ſuam materiam.

in lib. de his qui myſterijs initiãtur, ca. 9 â me t. 4. refertur de conſe. d. 2. c. ante.

3 Pre-

3 Præterea. Opportet alterum contradictoriorum eſſe verum. Sed hæc eſt falſa, Facta conſecratione, ſubſtantia panis vel vini eſt aliquid. Ergo hæc eſt vera, ſubſtantia panis vel vini eſt nihil.

l. 83. q. q. 21. in me. to. 4. Sed contra eſt, quod Auguſtin.† dicit in lib. 83. quæſtion. Deus non eſt cauſa tendendi in non eſſe. Sed hoc ſacramentum diuina virtute perficitur. Ergo in hoc ſacramento non annihilatur ſubſtantia panis, aut vini.

Reſpondeo dicendum, quod quia ſubſtantia panis, vel vini, non manet in hoc ſacramento, quidam impoſsibile reputantes, quod ſubſtantia panis, vel vini in corpus, vel ſanguinem Chriſti conuertatur, poſuerunt quod per conſecrationem ſubſtantia panis, vel vini, vel reſoluitur in præiacentem materiam, vel quod annihiletur. Præiacens autem materia, in quam corpora mixta reſolui poſſunt, ſunt quatuor elementa. Non enim poteſt reſolutio fieri in materiam primam, ita quod ſine forma exiſtat: quia materia ſine forma eſſe non poteſt. Cum autem poſt conſecrationem, nihil ſub ſpeciebus ſacramenti remaneat niſi corpus, & ſanguis Chriſti: opportebit dicere, quod elementa, in quæ reſoluta eſt ſubſtantia panis, vel vini, inde diſcedant per motum localem: quod ſenſu perciperetur.

Similiter etiam ſubſtantia panis vel vini manet vſque ad vltimũ inſtans conſecrationis. In vltimo autem inſtanti conſecrationis iam eſt ibi ſubſtantia corporis vel ſanguinis Chriſti; ſicut in vltimo inſtanti generationis iam ineſt forma. Vnde non erit dare aliquod inſtans, in quo ſit ibi præiacens materia. Non enim poteſt dici, quod paulatim ſubſtantia panis vel vini reſoluatur in præiacentem materiam, vel ſucceſsiue egrediatur de loco ſpecierum: quia ſi hoc inciperet fieri in vltimo inſtanti ſuę conſecrationis; ſimul ſub aliqua parte hoſtiæ eſſet corpus Chriſti cum ſubſtãtia panis: quod eſt contra prædicta*. *in iſto art. & præc.* Si verò hoc incipiat fieri ante conſecrationem, erit dare aliquod tempus, in quo ſub aliqua parte hoſtiæ, neque erit ſubſtantia panis: neque erit corpus Chriſti: quod eſt inconueniens, & hoc ipſimet perpendiſſe videntur. Vndè poſuerunt aliud ſub diſiunctione, ſcilicet quod vel annihiletur, vel in præiacentem materiam reſoluatur. Sed nec hoc poteſt eſſe: quia non eſt dare aliquem modum, quo corpus Chriſti verum eſſe incipiat in hoc ſacramento, niſi per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum; quę quidem conuerſio tollitur, poſita vel annihilatione ſubſtantiæ panis, vel reſolutione in præiacentem materiam. Similiter etiam non eſt dare, vnde talis reſolutio, vel annihilatio in hoc ſacramento cauſetur, cum effectus ſacramenti ſignificetur per formam: neutrum autem horum ſignificatur per hæc verba formæ. Hoc eſt corpus meum Vnde patet prædictam poſitionem eſſe falſam.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubſtantia panis vel vini facta conſecratione, neque ſub ſpeciebus ſacramenti manet, neque alibi. Non tamen ſequitur, quod annihiletur: conuertitur enim in corpus Chriſti. Sicut non ſequitur. Si aer ex quo generatus eſt ignis, non ſit ibi, vel alibi, quod ſit annihilatus.

T 3 Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum dicendum, quod forma, quæ eſt terminus à quo, non conuertitur in aliam formam, ſed vna forma ſuccedit alteri in ſubiecto: & ideo prima forma nō remanet niſi in potentia materiæ. Sed hic ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti, vt ſupra dictum eſt *. Vnde ratio non ſequitur.

In cor. ar. & in præ.

Ad tertium dicendum, quod licét poſt conſecrationem hæc ſit falſa. Subſtantia panis eſt aliquid: id tamen in quod ſubſtantia panis eſt conuerſa, eſt aliquid. Et ideo ſubſtantia panis non eſt annihilata.

6 VISO, & ſuppoſito dogmate fidei circa deſitionem ſubſtātiæ totius panis, & vini in hoc ſacramento, quam relinquit Diuus Thomas probatam ex præcedenti articulo, in hoc ad maiorem declarationem huius mirabilis conuerſionis, inquirit modum huius deſitionis, ſit ne annihilatio, vel alterius generis deſtructio? Eiuſque reſponſum eſt negatiuum quantum ad annihilationem, quod probat quatuor rationibus; quas ſtatim dubio ſequenti examinabimus.

Dubium eſt. An ſubſtantia panis, & vini in hoc ſacramento deſinant eſſe per annihilationem?

(*)

7 IN quo diuiduntur Theologi in duas ſententias. Prima affirmans eſt, cuius primus author fuit Scotus in dicta diſtinct. 11. quæſt. 4 circa medium; ibique omnes eius ſequaces eandem amplectuntur. Gabriel quæſt. 1. & in Canon. lection. 40. Maior eadem diſtinct. 11. quæſt. 1. Ocamus quæſt. 6. dubio 7. Angelus verbo *Eucharistia* numero 31. eandem quoque Albertus diſtinct. 10 art. 6. probabiliorem exiſtimat: & Durandus ſimiliter ſupponendo totam ſubſtātiā panis deſinere: nam ipſe putat materiā manere panis, & ideò non fieri annihilationē panis, ſed corruptionem.

Vtraque igitur antiquorum ſchola, ſcilicet Scotiſtarum, & Nominalium hanc ſententiam tanquam domeſticam alendam, conſeruandam, & defendendam ſuſcepit: & quamuis in explicando modum, ac differentiam huius annihilationis ab alijs, nonnihil hi auctores differant inter ſe: verumtamen omnes conueniunt hanc panis, & vini deſitionem veram eſſe annihilationem.

Cuius fundamenta ad hæc tria reducuntur. Primum eſt petitum ex ipſa diffinitione annihilationis; quæ eſt deſitio totius entis: & cuius terminus eſt nihil: ſed totum hoc inuenitur in deſitione ſubſtantiæ panis, dum fit conuerſio illius in corpus Chriſti: ſiquidem & tota ſubſtantia panis deſinit eſſe, nihilque illius manet, vt ſupponimus ſecundum fidem; & aliàs non deſinit ex vi alicuius actionis poſsitiuæ per quam deſtruatur, ſed per ſolam ſuſpenſionem diuini concurſus quo cōſeruabatur: ergo ſaluatur quidquid requiritur tā ex parte termini, quam ex par-

Digitized by Google

ex parte modi ad annihilationem. Nec valet dicere deficere hic ad annihilationē ex parte termini, quia, ſcilicet manent accidentia panis per ſuſpenſionem concurſus, conſeruando ſolā ſubſtantiā, non erit annihilatio accidentiū, quia manet aliquid illorū ſcilicet ſubiectum. Non inquam valet hęc ſolutio, nec eſt ſufficiens inſtantia argumēti facti: nā accidentia ſunt omnino extrinſeca ſubſtantiæ, ac proinde non mutāt modum deſitionis, vel productionis illius: vndè ſi Deus ſub ſpeciebus cōſecratis, & præexiſtentibus accidentibus, integram ſubſtantiam panis produceret, eſſet creatio, quia eſſet productio ſubſtantię ex nihilo: igitur pariter deſitio toti⁹ ſubſtātiæ panis manētib⁹ accidētibus erit annihilatio: ſubſtātia autē nō eſt ita extrinſeca omnino accidentibus, quim ſit aliquid illorū, quia dependent ab illa, vt ab ſubiecto de cuius potentia educūtur, & in qua virtualiter continentur: quapropter deſtructio accidentis manente ſubiecto non eſt annihilatio, ſed corruptio accidentis, & accidētalis manente eodem ſubiecto, vt materia ex qua educitur accidens.

Secundum eſt, quia annihilatio opponitur creationi, & correſpondet illi: ergo ſicut omnis productio rei ſine vllo ſubiecto præſupppoſito eſt creatio: licet contingat accidens, vel formam præſupponi ad illa: ita deſitio totius entis vſque ad primū ſubiectū, id eſt quę nullū ſubiectum relinquit in tali ente, quod deſinit eſſe, erit annihilatio: ergo cum talis ſit deſitio ſubſtantiæ panis in hoc ſacramento, proculdubio erit annihilatio.

Tertium eſt, quia annihilatio fit per ſuſpenſionem illius actionis qua conſeruatur à Deo res, quæ annihilatur: ſed ſubſtantia panis in hoc ſacramento deſinit eſſe per ſuſpenſionē actionis conſeruatiuæ, qua Deus illam conſeruabat, quæ actio proculdubio eſt creatiua: nam ſubſtantia conſeruatur à Deo per actionem creatiuam: ergo deſinit per ſuſpenſionem eiuſdem actionis: ergo per annihilationem: hæc vltima conſequentia patet, quia annihilatio nihil aliud eſt quam ſuſpenſio concurſus creatiui: & ſicut corruptio opponitur generationi, ſeu conſeruationi formæ in ſubiecto: ita annihilatio actioni creatiuæ.

8 Secunda ſententia negans eſt, quam communiter tuentur Scholaſtici cū Magiſtro in 4. diſtinct. 11. & Theologi cum Diuo Thoma in hoc articulo, vt Albertus, Bonauentura, Ricardus, Capreolus, & Paludanus in dicta diſtinction. 11. Soto diſtinct. 9. quæſt. 2. art. 4. Alenſis 4. parte quæſtione 38. membro tertio, Altiſiodorenſis libro 4. ſummæ tractatu 5. capit. 2. Hugo Victorinus libr. 2. de ſacramentis parte octaua. cap. nono. Enriquus quodlibeto 9. quæſtione 9, & quodlibeto 11. quæſtione 4. Innocentius lib. 4. de Euchariſtia cap. 20. Caietanus in commentario huius articuli tertij, Suarius diſp. 50. ſectione 7. & Vazquius diſp. 183. cap. 2.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur quatuor rationibus quibus vtitur Diu. Thomas in hoc articulo, quæ proculdubio efficaces ſunt, & earum efficatia ex ſequenti diſcurſu patebit. Prima, igitur eſt, quam tangit in argumento *ſed contra*, & deſumit ex Auguſtino lib. 83. quæſtionum q. 21. nimirum, quod Deus non eſt cauſa tendendi in non eſſe: ſed hoc ſacramentum diuina virtute perficitur, ita vt ſit ſpeciale opus diuinæ virtutis, & omnipotentiæ: ergo in illo nulla entitas, ſiue ſubſtantia annihilatur.

Conſequentia patet: nam alias dum Deus ſuam omnipotentiam, & magnificētiam oſtendere intendit, aliquid annihilaret, & reduceret ad non eſſe, quod primæ intentioni contrariatur.

Quæ ratio eadem eſt cum illa, quam adducit D. Thom. 1. part. quæſt. 104. ad probandum quod Deus de facto nullam rem in nihilum redigit: eo quod naturæ creaturarum reſpectu naturalium, & gratiæ manifeſtatio reſpectu mirabilium, oſtendit quod nulla res redigitur in nihilū: etenim ex rebus naturalibus, aut materiales ſunt, aut immateriales; ſi materiales, remanet in eis materia: ſi autem immateriales, remanet tota ſubſtantia earum, vtpotè quæ non habet potentiam ad non eſſe. Ex mirabilibus autē patet, quia non pertinet ad gratiæ manifeſtationem annihilatio: vtpote quia diuina bonitas, & potentia magis oſtenditur conſeruando: igitur cū hoc ſacramentum ſit de mirabilibus, & maximum in hoc ordine, in quo Deus ſuā gratiam, & omnipotentiam manifeſtare intendit, non debuit ſubſtantiam panis annihilare: immo incongrua de facto eſſet eius annihilatio.

Secunda ratio eſt, qua vtitur in corpore art. ſub hac forma: in hoc ſacramēto reperitur vera totalis cōuerſio ſubſtātię panis &

Digitized by Google

vini in corpus, & ſanguinem Chriſti: ſed huiuſmodi conuerſio ſaluari non poſſet, ſi ſubſtantia panis, & vini annihilaretur: ergo. Min. patet, quia conuerſio totalis in ſuo proprio conceptu importat non ſolum ſucceſsionem, & ordinem duarum rerum, ſed inſuper addit, quod vna res tranſeat in alteram, ita vt quidquid erat entitatis in vna re tranſeat in illud quod eſt entitatis alterius: poſsita autem annihilatione panis & vini ſolum eſſet ibi ordo & ſucceſſio duarum ſubſtantiarum, & non tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam: nam ſi eſſet tranſitus ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, iam deſtrueretur terminus annihilationis, qui debet eſſe ipſum nihil: & non aliqua entitas poſsitiua.

Neque valet inſtantia quæ adduci ſolet de corruptione hominis, & generatione cadaueris: quæ eſt conuerſio formalis formæ hominis in formam cadaueris, & tamen entitas formę humanæ non tranſit in entitaté formæ cadaueris: ergo de ratione conuerſionis formalis non eſt tranſitus vnius rei in aliam: ergo neque de ratione conuerſionis totalis, &c. Non inquam valet, quia forma hominis cum ſit anima rationalis, quæ manet ſeparata à corpore, neutiquam conuertitur in formam cadaueris ſuccedentem.

In alijs autem formis corruptibilibus, & generabilibus, licèt poſſem⁹ admittere formalem conuerſionem naturaliter vnius formæ in aliam, verbi gratia formæ Leonis in formam cadaueris, & formæ ligni in formam ignis: de cuius conuerſionis intrinſeca ratione etiam eſſet quod entitas illius formæ, quæ conuertitur, tranſeat in entitatem illius inquam conuertitur, Diu. autem Thomas hic ad ſecundum nõ formalem conuerſionem admittit naturaliter, ſed ſolam ſimplicem ſucceſsionem vnius formæ reſpectu alterius.

Tertia ratio eſt, quam ſubdit Diuus Thomas ad calcem corporis articuli dicens: quod quidquid in hoc ſacramento efficitur, debet ſignificari per verba conſecrationis: eo quod effectus vniuſcuiuſque ſacramenti, ſignificatur per eius formã: verba autẽ conſecrationis nullatenus ſignificant panẽ, & vinũ annihilari: ergo non fit eorũ annihilatio. Min. declaratur ſic: per verba conſecrationis ſignificatur expreſſe & formaliter conuerſio, quia illud pronomen *hoc*, à principio neque ſignificat determinate ſubſtantiam panis, neque corpus Chriſti niſi pro futuro inſtanti conuerſionis: ſed tantũ ſignificat ſingulare vaguũ, ideſt contentũ ſub his ſpeciebus abſtrahendo à duobus ſingularibus determinatis, ſcilicet à ſubſtantia panis, & à corpore Chriſti: vndè ſenſus formalis, & expreſſus verborũ cõſecrationis eſt: hoc quod continetur ſub his ſpeciebus, per iſtã mutatione cum antea fuerit ſubſtantia panis, modo ſit corpus Chriſti, nõ quomodocunque, ſed effectũ ex pane per conuerſione panis in ipſum: quod hic apellatur à Caiet. corpus Chriſti quod erat panis: & ſic expreſſe huiuſmodi verba ſignificant cõuerſioné, & tranſitum ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, implicitè autẽ ſignificant deſitioné ſubſtantiæ panis: annihilationẽ vero nullatenus, ideſt, neque expreſſe, neque implicitè ſignificant.

Dices: etiam ſi pronomen *hoc*, à principio ſignificet illud ſingulare vaguũ, & poſtea in fine propoſitionis demonſtret determinate corpus Chriſti: totũ hoc poteſt verificari etiam poſsita annihilatione ſubſtãtiæ panis: verificabitur enim, quod contentum ſub ſpeciebus ſit corpus Chriſti: ergo. Reſpondetur nihilominus hac ratione efficacẽ eſſe ſuppoſita conuerſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, quam ex fide Catholica ſupponit D. Th. in iſta, & priori ratione: ſuppoſita nãque illa manifeſte colligitur ex verbis conſecrationis Chriſtũ eſſe in hoc ſacramẽto per conuerſioné, quã proinde ſignificant verba conſecrationis: & cõſequẽter excludunt annihilationem ſubſtantiæ conuerſæ.

10 Vltima ratio eſt quæ colligitur ex eodẽ D. Th. in ſolut. ad 3. quod contendebat, vt probaret deſitionẽ panis eſſe annihilationem, quia ſubſtantia panis poſt conſecrationẽ nihil eſt. Et reſpondet Angelic. Doct. quod licèt ſubſtãtia panis poſt cõſecrationem non ſit aliquid: id tamen in quod ſubſtãtia panis eſt conuerſa, aliquid eſt: & propterea ſubſtãtia panis nõ eſt annihilata. Ex quibus talis deducitur ratio: annihilatio eſt deſitio ad purũ, & ſimpliciter nihil terminata, vt conſtãt ex ipſius nominis etymologia: neque nõ a paritate creationis, quæ eſt productio rei ex pure, & ſimpliciter nihilo: ſed deſitio panis, & vini in hoc ſacramẽto non tẽdit per ſe in purẽ, & ſimpliciter nihil: ergo non eſt annihilatio.

Conſequentia eſt bona: & min. probatur, quia licet deſitio panis, & vini tendat ad nihil ſubſtantiæ panis & vini: verumtamen

men per ſe primo tendit ad aliquid, nimirum ad corpus, & ſanguinem Chriſti, in quæ panis, & vinum conuertuntur. Fatemur itaquè ſubſtantiam panis abire in nihil panis, ſiquidè nihil omnino ipſius remane: non tamen abit in nihil ſimpliciter, ſiquidem ex vi conſecrationis, & conuerſionis in corpus Chriſti tranſit: quare eiſdem rationibus probatur non annihilare panem, quibus conuincitur illum conuerti in corpus Chriſti.

Quæ ratio amplius confirmatur, & declaratur: id quod cõuertitur in aliud, ex vi talis cõuerſionis defininit eſſe, & terminatur in illud in quod conuertitur, vt perſpicuum eſt: ergo non deſinit in pure nihil. Tunc vltra: ſed ſubſtantia panis, & vini conuertuntur à ſacerdote in corpus, & ſanguinem Chriſti: igitur non in nihil deſinunt, ſed in corpus, & ſanguinem Chriſti: ac per conſequens non annihilantur à ſacerdote, ſed conuertuntur, & quidem quã do ſacerdos conſecrat, non dicitur facere nihil, ſed aliquid, idquè primario, & ex eo quod facit ſic, prouenit deſtructio panis, & vini: igitur nulla ibi interuenit annihilatio.

Dices: ſi Deus deſtrueret animam rationalem in illo inſtanti in quo ex homine fit cadauer, tunc illa deſitio animæ eſſet vera annihilatio, & tamen non terminaretur ad pure, & ſimpliciter nihil, ſed ad nihil animæ, & Deus non diceretur tunc facere nihil abſolute, & ſimpliciter, ſiquidem faceret cadauer, vt ſuppono: ergo tam ratio, quàm eius explicatio nullã habent efficaciam.

Reſpondeo, illam deſitionem animæ eſſe veram annihilationem, quia per ſe ad pure, & ſimpliciter, nihil terminaretur, vt ad terminum primario principaliter intentum, & deſineret anima per ſe, & formaliter ex vi ſolius ſuſpenſionis diuini concurſus: per accidẽſquè eſſet, quod poſtea productio cadaueris ſubſequatur: in noſtro vero caſu ſubſtantia panis, & vini non ſic deſinunt, ſed per conuerſionem poſitiuam ad ſubſtãtiam corporis, & ſanguinis Chriſti per ſe primo terminatam.

11 De cenſura autem contrariæ opinionis, & de certitudine noſtræ ſententiæ, etiam non nullum eſt diſidium inter eius authores: nam Sotus vbiſupra inquit huiuſmodi opinionem de annihilatione panis, & vini, non poſſe abſquè errorẽ in fide ſuſtineri: Vazquius verò in dicta diſputation. 183. capite primo inquit illam fauere hæreticis, & eis arma miniſtrare ad deſtruendam mirabilem conuerſionem ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, quam fides Catholica profitetur: qui proinde ſæpius, teſte Vvaldenſe tomo ſecundo, capite 68. hoc argumento aduerſus Catholicos vtuntur, quod impoſſibilis ſit conuerſio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, eo quod ſubſtantia panis, & vini deſineret eſſe totaliter: ac proinde annihilaretur: quod autem annihilatur non poteſt in aliud conuerti: imò, & D. Thomas initio corporis huius articuli ſic exorditur: quia ſubſtantia panis, & vini non manet in hoc ſacramento; quidam impoſſibile reputantes illam conuerti in corpus, vel ſanguinẽ Chriſti, poſſuerunt, quod poſt conſecrationem ſubſtantiæ panis, vel vini, reſoluitur in præiacentem materiam, vel quod annihiletur: apud quos; nimirum ſectarios antiquos hæc erat bona conſequentia: ſubſtantia panis annihilatur: ergo non conuertitur in corpus Chriſti: & ab oppoſito conſequentis: ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti: ergo non annihilatur. Suarius verò inquit dictam opinionẽ de annihilatione panis, & vini eſſe falſam ſed nulla dignam maiori cenſura: eo quod Innocentius vbiſupra illam ait eſſe probabilem, & probabilibus inniti fundamentis: ſed quia nequè aſſertum Innocẽtij eſt diffinitio fidei, ſed dictum priuati Doctoris: propterea licitum manet vnicuiquè in ſuo ſenſu abundare: & meo iudicio dicta opinio periculoſa eſt, quia ſine periculo errandi circa conuerſionem quæ fit in hoc ſacramento, ſuſtineri non poteſt.

12 Ad fundamentum autem primum adductum pro illa reſpondet Suarius proptèrea panem non annihilari, quia manent accidentia, quę ſunt aliquid illius: nec non quia ſubſtantia panis deſinit non per ſolam ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui, ſed etiam per poſitiuam actionem, qua accidentia ſeparantur à ſubſtantia: quæ quidem diſtincta eſt ab actione qua corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus. Eãdem ſolutionem, quo ad primam partem adhibet Martinus de Ledeſma prima parte quæſtione 16. articulo 4. quæ videtur habere fundamẽtum in Diuo Thoma, prima parte in dicta quęſtione 104. articulo quarto in ſolutione ad tertium, vbi inquit accidentia, quando corrumpuntur, & de-

ſi-

ſinunt eſſe in ſubiecto, non annihilari: nõ quia aliqua pars eorum maneat: ſed quia manent in potentia materiæ, vel ſubiecti. Sed vtraque ſolutio eſt inſufficiens: & quidem prima ſufficienter manet cõfutata diſcurſu facto inter arguẽdũ primo loco.

Secunda vero quam ſuperaddit Suarius pluribus rationibus impugnatur à Vazquio in dict. capit. 2. num. 13. quarũ ſumma hæc eſt: quamuis ſubſtantia panis non deſinat præciſſe ex vi ſolius ſuſpenſionis concurſus cõſeruatiui: vtpotè quia deſinit ex vi actionis conuerſiuæ: nunquam tamen deſinit per actionem diſtinctam ab illa, qua corpus Chriſti ponitur, ſub ſpeciebus nempè per ſeparationem accidentium à ſubiecto: alioquim non ſaluaretur vera conuerſio ſubſtantialis: quia hæc non eſt ſola ſucceſsio duarum ſubſtantiarum ſub vno tertio: ſed verus tranſitus vnius in alteram, ita vt entitas vnius conuertatur in entitatem alterius: igitur ſubſtantia panis non deſinit ex vi ſeparationis poſitiuæ, ſed ex vi actionis conuerſiuę ſui in corpus Chriſti: & dato quod deſineret eſſe ad ſeparationem accidentium, adhuc in doctrina huius authoris, non deſineret ex vi actionis poſsitiuæ: ſed ex vi alterius actionis negatiuæ habentis pro termino à quo eſſe panis; & pro termino ad quem non eſſe eiuſdem: quod apud hunc authorem ſufficit ad conſtituendam diſtinctam, & ſpecialem actionem. Quare ſuſtinenda eſt ſolutio Angelici Doctoris, huiuſque aſsignata.

Ad ſecũdũ admiſſo antecedẽte diſtingo conſequens pro ſecunda parte: deſitio totius entis, vſquè ad primum ſubiectũ erit annihilatio: ſi termine tur, & ſiſtat in pure, & ſimpliciter nihilo, concedo: ſin minus, nego conſequentiam: & quia in noſtro caſu deſitio ſubſtantiæ panis fit ex vi conuerſionis, quæ primo, & per ſe terminatur ad corpus Chriſti, ex conſequenti autem deſtruit ſubſtantiam panis, illam in corpus Chriſti conuertendo, propterea non eſt annihilatio. Neque tamen talis deſitio panis deſinit eſſe annihilatio, quia remanent accidentia, vt falſo Martinus de Ledeſma, & Suarius putarunt: ſed quia non deſinit, neque terminatur in pure, & ſimpliciter nihil, nam etiam manentibus accidentibus, ſi tota ſubſtantia panis deſtrueretur, ita vt nõ ſuccederet illi corpus Chriſti ex vi conuerſionis panis in ipſum, ſine dubio annihilaretur: ſicut econtra talis ſubſtantia ſic deſtructa ſi produceretur iterum ſub eiſdem accidentibus, re vera crearetur.

13 Dices verum eſſe, quod tota hæc conuerſio adæquate ſumpta non terminatur formaliter, & primario ad pure nihil, ſed ad corpus Chriſti, ac proinde ſic adæquate ſumpta non eſt annihilatio: tamen annihilatio erit ſumpta in adæquate: nimirum quantum ad illam mutationem, qua deſinit ſubſtantia panis: vtpote quia hæc mutatio fit de eſſe ſubſtantiæ panis, ad non eſſe illius totaliter, & ſimpliciter: ſicut altera mutatio ibi interueniens fit de non eſſe corporis Chriſti, ad eſſe illius.

Huic obiectioni vno ex duobus modis poſſumus reſpondere. Primo quidem negando ſuppoſitum, hoc eſt dari talem mutationem condiſtinctam ab illa, quę terminatur ad corpus Chriſti: quamuis enim in generatione, & corruptione naturali, v. g. ignis ex ligno interueniant quatuor termini, & duæ mutationes: eo quod forma corrupti non conducit, nec ordinatur per ſe ad formam geniti, ſed potius eſt illi impedimentum: quod proinde prius prioritate cauſæ materialis eſt remouendum, & expellendum ab agente naturali: ad quam expulſionem requiritur ſpecialis mutatio, diſtincta ab illa, quæ verſatur inter non eſſe ignis, & eſſe ignis: verumtamen in hac mirabili conuerſione propter ſui eminentiam vnica tantum interuenit mutatio, quę eminenter, ſeu ęquiualenter eſt duplex, id eſt gerit vicem duplicis mutationis: nam cum panis ex diuina inſtitutione, & ordinatione deſeruiat, conducat, & ordinetur ad corpus Chriſti, vt ad terminum in quem eſt conuertendus: eadem mutatio, quę primario, & formaliter terminatur ad eſſe corporis Chriſti, ex conſequenti, & ſecundario terminatur ad non eſſe panis: ac proinde eademmet mutatio eſt poſitio corporis Chriſti, & deſtructio, vel deſitio ſubſtantię panis.

Secundo reſpondetur admiſſa hac duplici mutatione realiter diſtincta, vna ſcilicet poſsitiua, & altera negatiua: adhuc iſta negatiua, quę habet pro termino à quo eſſe panis, & pro termino ad quem non eſſe eiuſdem, non poteſt dici proprie annihilatio, eo quod ex parte ſui habet connexionem per ſe cum altera mutatione poſsitiua, per quam ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus; & eius terminus, ſcilicet non eſſe panis habet connexionẽ

cum

cum termino mutationis poſsitiuæ, qui eſt corpus Xpi: & hoc obſtat annihilationi; de cuiꝰ propria ratione eſt, vt taliter terminetur ad ſimpliciter nihil; quod neq; ipſa, neq; eius terminus habeat annexã poſsitiuã mutationem, vel terminum poſsitiuum: Quemadmodum etiam contingit in generatione naturali vbi licet forma corrupti deſinat eſſe per mutationem negatiuam; quę primo & per ſe terminatur ad non eſſe illius, tamen hæc non eſt annihilatio, quia habet annexam alteram mutationem poſſitiuam ad eſſe geniti per ſe primo terminatam.

Ad tertium nego minorem, quia vt conſtat ex dictis, ſubſtantia panis in noſtro caſu non per ſuſpenſionem ſolam actionis conſeruatiuæ, ſed per conuerſionem in corpus Chriſti deſinit eſſe.

ART. IIII.

Vtrùm panis poſsit conuerti in corpus Chriſti?

Inf. art. 6. co. et a. 8. cor. et ad 3 et 4. d. 11 q. 1. a. 1. q 2. ad 1: et q. 3. ad 3. & a. 3. q. 1 per to. et 4 cõ. c. 63 et quol. 5. a. 11. Et op. 2. c. 8. et 1. Co. 11. le. 4. co. 6. et le. 5. col. 3. l. 3. te. 6. to. 2. in ca. de ſubſt. to. 1.

AD quartum ſic proceditur: Videtur, quod panis non poſsit conuerti in corpus Chriſti. Conuerſio enim quædam mutatio eſt. Sed omni mutationi oportet eſſe aliquod ſubiectum quod prius eſt in potentia, & poſtea eſt in actu: vt enim dicitur 3. * Phyſ. Motus eſt actus exiſtentis in potentia. Non eſt autem dare aliquod ſubiectum ſubſtantiæ panis, & corporis Chriſti: quia de ratione ſubſtantiæ eſt, quod ſit non in ſubiecto: vt dicitur in prædicamentis *. Non ergo poteſt eſſe quod tota ſubſtantia panis conuertatur in corpus Chriſti.

2 Præterea. Forma illius, in quod aliquid conuertitur de nouo incipit eſſe in materia eius, quod in ipſum conuertitur: ſicut cum aer conuertitur in ignem prius non exiſtentem, forma ignis incipit de nouo eſſe in materia aeris: & ſimiliter cum cibus conuertitur in hominem prius non exiſtentem, forma hominis incipit eſſe de nouo in materia cibi. Si ergo panis conuertitur in corpus Chriſti; neceſſe eſt quod forma corporis Chriſti, de nouo incipiat eſſe in materia panis; quod eſt falſum. Non ergo panis conuertitur in ſubſtãtiam corporis Chriſti.

3 Præterea. Ea quæ ſunt ſecundum ſe diuerſa, nunquam vnum eorum fit alterum: ſicut albedo nunquam fit nigredo; ſed ſubiectum albedinis fit ſubiectum nigredinis: vt dicitur in primo * Phyſicorum. *li. 1. tex. 42 et ſeq 10. 2.* Sed ſicut duæ formæ contrariæ ſunt ſecundum ſe diuerſæ (vtpotè principia formalis differentiæ exiſtentes) ita duæ materiæ ſignatæ ſunt ſecundum ſe diuerſæ, vtpote exiſtentes principia materialis diſtinctionis. Ergo non poteſt eſſe, quod hæc materia panis fiat hæc materia; qua indiuiduatur corpus Chriſti: Et ita non poteſt eſſe, quod ſubſtantia huius panis conuertatur in ſubſtantiam corporis Chriſti.

Sed contra eſt, quod Euſeb. * Emiſſ. dicit. Nouum tibi, & impoſsibile eſſe non debet, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena, & mortalia conuertuntur.

Ex ho. 5. refertur de cõ. d. 2. ca. 35. quia corpus aſſumptũ in med. a 1. hui. q. Ar. 2. huiꝰ q.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupradictum eſt *, cum in hoc ſacramento ſit verum corpus Chriſti, nec incipiat ibi eſſe de nouo per motum localem: cum etiam nec corpus Chriſti ſit ibi ſicut in loco, (vt ex dictis patet) neceſſe eſt dicere quod inci-

incipiat ibi eſſe per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Hęc tamen conuerſio non eſt ſimilis conuerſionibus naturalibus, ſed eſt omnino ſupernaturalis, ſola Dei virtute effecta. Vnde Ambr.* dicit in lib. de ſacramẽtis. Liquet quod præter naturæ ordinem Virgo generauit; & hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine eſt, Quid ergo quęris naturę ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine? Et ſuper illud Ioan. 6 verba quæ ego locutus ſum vobis (ſcilicet de hoc ſacramento) ſpiritus, & vita ſunt, dicit* Chryſoſt. ideſt ſpiritualia ſunt, nihil habẽtia carnale, neque conſequentiam naturalem. ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate, quæ in terris eſt à legibus quę hic poſitæ ſunt. Manifeſtum eſt enim quod omne agens agit in quantum eſt actu. Quodlibet autem agens creatum eſt determinatum in ſuo actu, cum ſit determinati generis, & ſpeciei: & ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur ſuper aliquem determinatum actum determinatio autem cuiuslibet rei in eſſe actuali, eſt per eius formã. Vnde nullum agens naturale ſeu creatũ poteſt agere niſi ad immutationem formę, & propter hoc omnis conuerſio, quæ fit ſecundum leges naturæ, eſt formalis. Sed Deus eſt actus infinitus (vt in prima parte habitũ eſt *) vnde eius actio ſe extendit ad totam naturam entis. Non igitur ſolum poteſt perficere conuerſionem formalem, vt ſcilicet diuerſę formę ſibi in eodem ſubiecto ſuccedant: ſed conuerſionem totius entis, vt ſcilicet tota ſubſtantia huius conuertatur in totam ſubſtantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc ſacramento: nã tota ſubſtantia panis conuertitur in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini, in totam ſubſtantiam ſanguinis Chriſti. Vnde

In lib. de his qui myſteriis initiantur, c. 9. parũ am. t. 4.

Ho. 46 in Io. non mul tũ ant. me. tom. 3.

q. 7 ar. 1. et q. 25 a. 2

hæc conuerſio non eſt formalis, ſed ſubſtantialis: nec cõtinetur inter ſpecies motus naturalis, ſed proprio nomine poteſt dici tranſſubſtantiatio.

Ad primum ergo dicendũ, quod obiectio procedit de mutatione formali: quia formæ propriũ eſt in materia vel ſubiecto eſſe. Non autem habet locum in cõuerſione totius ſubſtantiæ. Vnde cũ hæc conuerſio ſubſtantialis, importet quendam ordinẽ ſubſtantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, eſt ſicut in ſubiecto in vtraque ſubſtantia, ſicut ordo, & numerus.

Ad ſecundum dicendum, quod illa obiectio procedit de cõuerſione formali ſeu mutatione: quia oportet ſicut dictum eſt *, formã eſſe in materia vel ſubiecto. Nõ autem habet locum in conuerſione totius ſubſtãtię, cuius non eſt accipere aliquod ſubiectum. *a. 3*

Ad tertium dicendum, quod virtute agentis finiti non poteſt forma in formam mutari, nec materia in materiam: ſed virtute agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens) põt talis conuerſio fieri. Quia vtrique formæ & vtrique materiæ eſt communis natura entis, & idquod eſt entitatis in vna, poteſt actor entis conuertere in idquod eſt entitatis in altera, ſublato eo, per quod ab illa diſtinguebatur.

14 Reſponſum Angelici Doctoris eſt, neceſſarium eſſe quod corpus Chriſti incipiat eſſe in hoc ſacramento per conuerſionẽ panis in ipſum: & hoc effici debere ſola ſupernaturali Dei virtute mediante mutatione ſupernaturali non formali, ſed ſubſtantiali totali: quæ proprie, & congruenter dicitur tranſſubſtantiatio. Hoc aſſertum probat Angelicus præceptor quoad ſingulas partes hoc diſcurſu: in hoc ſacramento, eſt verum Chriſti corpus, vt oſtenſum fuit art. 1. hui. qq., & nõ incipit eſſe ibi poſt motũ localem, vt pro-

probatum relinquitur, art. 2. ergo cum nõ ſit alius modus incipiendi, cõſequens eſt, quod incipiat eſſe ibi per conuerſionem panis in ipſum.

Tunc vltra: ſed hæc conuerſio eſt totalis, & ſubſtantialis, ideſt per quam tota ſubſtantia panis tranſit in corpus Chriſti: & cum aliàs agens naturale non poſsit totam ſubſtantiam vnius rei, in aliam totaliter conuertere: vtpote cujus actiuitas eſt limitata; quia conſequuta ad formam ſpecificam: limitata inquam ad immutandam ſolum vnam formam in aliam in eodem ſubiecto: propterea huiuſmodi conuerſionis efficientia ad ſolum agens increatum, & ſuper naturale, cuius virtus, & forma eſt purus actus, ac proinde non limitata, poteſt pertinere: vtpote quod ſua infinita virtute poteſt agere in quálibet rem, & in quamcumquè eius partem; non quidem vt author naturæ, quia ſic agit iuxta communem rerum curſum, & ſe agentibus naturalibus attemperando, ſed vt author eſt ſuper naturalis, non alligatus naturæ legibus; & cum huiuſmodi conuerſio totam ſubſtantiam panis, & vini tranſmutet totaliter in ſanguinem, & corpus Chriſti, nullo alio nomine aptiori, aut congruentiori potuit nominari, & ſignificari, quam nomine iſto transſubſtantiationis.

In quo diſcurſu ſancti Doctoris tria ſunt, quæ ingerunt difficultatem; nimirum, an interueniat in Euchariſtia vera conuerſio ſubſtantialis: Deinde an illa ſit vera actio; & tandem quis ſit eius terminus formalis? Quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt diſcutienda.

(333)

Dubium primum eſt: An in hoc ſacramento interueniat vera conuerſio ſubſtantialis, quæ & congruenter dicatur transſubſtantiatio?

§ IN hoc dubio cum ſolis hæreticis, & ſectarijs, ad arenam deſcendimus, qui & veram conuerſionem in Euchariſtia, & nomen transſubſtantiationis auerſantur, quos non ſemel Eccleſia in ſuis Concilijs confutauit. Nam in Concilio Romano ſub Gregorio damnatus fuit Berengarius, & in Lateranenſi in cap. *firmiter* de ſumma Trinitate, & in Florentino damnatur Vviclephus, in Tridentino autem locis ſupra citatis damnantur ſectarij noſtri temporis ex Lutheri, & Caluini ſtirpe pullulantes; qui omnes realem præſentiam Chriſti in hoc ſacramento negantes, vel præſentiam ſubſtantiæ panis affirmantes, pariter conuerſionem panis in Chriſti corpus negarunt, imò & impoſsibilem exiſtimarunt. Idquè ſuadent. Primo, quia conuerſio ſubſtantialis, eſt ſubſtantialis mutatio: ac proinde ſi terminaretur ad corpus Chriſti, deberet illud ſubſtantialiter immutare: ergo corpus Chriſti ex vi illius deberet adquirere aliquod eſſe ſubſtantiale, & incipere eſſe ſubſtantialiter: ſi quidem terminus ſubſtantialis mutationis debet mutari, & incipere ſubſtantialiter.

Tunc vltra: ſed corpus Chriſti non poteſt in Euchariſtia adquirere eſſe ſubſtantiale, ſiquidem illud iam habet ante talem conuerſionem: & aliàs nullum eſſe poteſt adquiri per aliquam mutationē, quod ad ipſam præſuponatur: ergo.

Secundo, quia ſi ob aliquam rationem ponenda eſſet iſta conuerſio, maximè propter ſaluandam veritatem verborum conſecrationis: ſed ex hoc capite non de-

debet poni: ergo. Min. patet quia ſi ſubſtãtia panis expelleretur à proprijs accidentibus, per motum localem aut alia via: & ſimul ſub eiſdem accidentibus poneretur corpus Chriſti per motum localẽ, vel per creationem, vel per reproductionem, ſiue per aliam actionem, quæ non eſſet conuerſio, verum eſſe dicere tunc: *hoc eſt corpus meum*, id eſt, contentum ſub his ſpeciebus panis eſt corpus meum: ergo.

Tertio probatur labefactando fundamentum Angelici Doctoris, nimirum quo vtitur ad oſtendam huiuſmodi conuerſionem dicens: nihil poteſt eſſe alicubi vbi prius non erat, niſi vel per loci mutationem, vel per conuerſionem alterius in ipſum: ſicut ignis incipit eſſe in hac domo, vel quia huc defertur, vel quia ibi generatur, ſed corpus Chriſti incipit eſſe in hoc ſacramento vbi antea non erat, & non per motum localem, quia quod localiter mouetur, non peruenit de nouo ad vnum locum, niſi deſerendo priorem, & tranſeundo per media omnia, & tendendo ad vnum determinatum locum: quæ tria in præſenti nequeunt verificari de corpore Chriſti, quod neque deſerit cœlum, neque tranſit per media, qui ſubito ponitur in hoc ſacramento, & in multis ſacramentis ſimul conſtituitur: ergo ponitur per conuerſionem panis in ipſum.

Hoc autem fundamentum deficiens eſſe probatur, quia tam maior, quam minor præmiſſa ſunt falſæ: maior quidem, nã non enumerat ſufficienter omnes modos quibus vna res poteſt incipere eſſe vbi antea non erat: ſiquidem præter motum localem, & conuerſionem dantur alij modi, ſcilicet generatio, reproductio, creatio, & aliæ actiones per quas res incipit eſſe, vbi antea non erat: ac proinde per vnam ex illis poſſet corpus Chriſti eſſe de nouo in hoc ſacramento.

Minoris etiam falſitas patet, quia licet naturaliter loquendo non poſsit vnũ corpus moueri ex vno loco in aliũ, quin deſerat priorem: tamen ſupernaturaliter non repugnat vnum corpus ſimul eſſe in multis locis: à qua aſſertione non pendet poſsibilitas ſiue veritas conuerſionis panis in corpus Chriſti: quam profitetur Catholica fides fieri per virtutem Dei ſupernaturalis authoris.

Vltimo probatur incongruum, & ineptum eſſe nomen tranſubſtantiationis: eo quod in re tam graui, quæ eſt vnum ex potiſsimis fidei noſtræ myſterijs, non eſt loquendum ad libitum, ſed iuxta communem phraſim ſacræ Scripturæ, Conciliorum, & ſanctorum Patrum: ſed neque in ſacra Scriptura, neque in Concilijs, nec in ſanctis Patribus, vſque ad Concilium Lateranenſe reperitur nomen tranſubſtãtiationis: ergo non licet vti illo: ſed potius eſt omnino relegandum, vtpote nouum, incongruum, barbarum, & à Concilio Lateranenſe confictum.

17 Sed his non obſtantibus vera & catholica ſententia, ac proinde tenenda pro concluſione à nobis eſt, quod in hoc ſacramento fit mirabilis, & vera ſubſtantialis conuerſio ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti: quæ proinde congruenter tranſubſtãtiatio nuncupatur.

Prima pars, huius aſſertionis eſt certum dogma fidei, quod licet non adſtruatur expreſſe in ſacra Scriptura, habetur tamen ex Apoſtolica traditione ex qua Eccleſia ab initio docuit ita eſſe intelligenda verba conſecrationis, & in vero ſenſu intellecta illam veritatem continere. Quæ proinde non eſt noua in Eccleſia, vt ſine fundamento volunt Scotus in quarto diſtinction. 10, quæſtione 1. & diſtinction 11. quæſtione tertia, & Gabriel lectione 41. ſuper Canon: ſed eſt antiqua, & in corde Eccleſiæ ab initio impreſſa, & in pluribus Concilijs confirmata, & approbata: vt in Romano relato ſub Gregorio Septimo, & in Florentino ſub Eugenio Quarto, & in Lateranenſi ſub Innocentio Tertio: & nouiſsimè in Tridentino ſeſsione decimaquarta, capite quarto, ſub his verbis: *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit; idque nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius, quæ conuerſio conuenienter, & proprie à ſancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata.* Deinde probatur ex teſtimonijs ſanctorum Patrum, qui licet non vtantur his nominibus formalibus conuerſionis, & tranſubſtantiationis: ſub æquiualentibus tamen nimirũm tranſmutationis, migrationis, tranſitus, tranſfuſionis, & transformationis vtẽ

tem

tes hanc veritatem tanquam Apoſtolicam & Eccleſiaſticam traditionem commendarunt.

De quorum numero ſunt Cyprianus ſermone de cœna Domini, & Damaſcenus libro quarto, capite quarto, & Chryſoſtomus homilia 43. in Matthæum, explicant hanc conuerſionem nomine tranſmutationis: & ſub eodem nomine conuerſionis explicant illam Ambroſius libro quarto de ſacramentis, capite 5. & libro 9. de myſterijs capit. 9. & Theophylactus, Matthæi 22. & Marci 14. qui etiam Ioannis ſexto, vtitur nomine transformationis, Gaudentius Epiſcopus Brixienſis tractatu 2. in Exodum vtitur nomine tranſitus dicens: *De pane effici corpus, & de vino ſanguinem: per eum qui tranſit in illum*, &c. & Euſebius Emiſenus homilia 5. de paſchate inquit panem tranſire in naturam Dominici corporis, & Anſelmus epiſtola de corpore, & ſanguine Domini dixit panem migrare in corpus Chriſti, & tandem Fulbertus epiſtola ad Berengarium ait panem trãſfundi, &c.

Tertio probatur ex verbis ipſis conſecrationis, quę ad ſui veritatem poſtulant, quod tota ſubſtantia panis deſinat eſſe ſub accidentibus, & quod ſub eiſdem ponatur de nouo corpus Chriſti, vt oſtenſum eſt articulo primo, & ſecundo huius quæſtionis.

Rurſus, deſitio ſubſtantiæ panis per ſe ordinatur, vt loco panis ſubrogetur corpus Chriſti, vt incompoſsibile cum pane: vt infra oſtendemus: ergo ex huiuſmodi verbis rectè colligitur vera conuerſio ſubſtantialis habens omnes conditiones requiſitas ad rationem veræ conuerſionis.

Conſequentia probatur, quia ad rationem verę conuerſionis ſubſtantialis tres tantum conditiones requiruntur nimirum quod ſit tranſitus vnius rei in alteram verſans inter illas tanquam inter duos terminos poſsitiuos, quarum vna ſit terminus à quo, & altera ſit terminus ad quem.

Secunda conditio eſt, quod terminus a quo conuerſionis aliquo modo deſinat eſſe, & terminus ad quem aliquo etiam modo incipiat eſſe de nouo: eo quod hæc eſt natura conuerſionis vt terminus ad quem fiat aliquo modo mediante illa, &c.

Tertia conditio eſt, quod ſit inter vtrumque terminum conuerſionis connexio per repugnantiam: alioquin ſi talis repugnantia inter illos non eſſet, non haberet vnus rationem termini à quo, neque alter haberet rationem termini ad quem: ſed diſparate ſe haberent; ſicut ſi Deus modo annihilaret Petrum in hoc loco, & in eodem inſtanti produceret Paulum in eodem loco, vel alibi, non ſaluaretur vera conuerſio Petri in Paulum propter defectum prędictæ connexionis.

Alia vero quarta conditio, quam aliqui Neotherici ſuper addunt, nimirum quod detur aliquod tertium cõmune vtrique termino circa quod, vel ſub quo ſibi ſuccedant, & repugnent, non eſt neceſſaria ad rationem communem veræ conuerſionis, quia nulla apparet repugnãtia, quod Deus mediante vera conuerſione transmutet totam ſubſtãtiam panis cũ accidentibus in Angelum, vel è contra, & tamen tunc nullum daretur tertium commune vtrique termino.

Fateor tamen illud dari de facto, & eſſe neceſſarium ſuppoſita inſtitutione Chriſti Domini, qui voluit vt conuerſio Euchariſtica ſignificaretur per verba ad ſenſum oſtenſiua rei in quam fit talis cõuerſio: ob quam rationem pronomen demonſtrans non poteſt verificari niſi maneat aliquid ſub quo, vel in quo ſubrogetur ſubſtantia in quam conuerſio fit.

Quæ hinc ſolet diuidi multipliciter iuxta multiplicitatem rei ad quam terminatur: vndè alia eſt ſubſtantialis; alia accidentalis, alia materialis, alia formalis partialis, & tandem alia totalis ex vi cuius tota entitas ſubſtantialis termini à quo, tranſit in ſubſtantiam termini ad quem: & talis eſt Euchariſtica: quæ omnes conditiones ſignificantur, & efficiuntur per verba conſecrationis vt perſpicuum eſt: ergo per illa fit vera ſubſtantialis, & totalis conuerſio.

Minor patet diſcurrendo per ſingulas. Nam per huiuſmodi verba conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum*, ſignificatur, & efficitur quod ſubſtantia panis tranſit in ſubſtantiam corporis Chriſti: nec nõ quod ſubſtantia panis deſinit eſſe ſub accidentibus, in quibus loco illius ſubrogatur corpus Chriſti, tanquam terminus incompoſsibilis cum pane: & quod contentum ſub ſpeciebus, quod à principio prolationis verborum erat panis, in fine eſt corpus Chriſti: ergo.

Quarto probatur. Ratione articuli

Digitized by Google

ticuli ad hanc formam reducta : corpus Chriſti ex vi conſecrationis incipit eſſe ſub ſpeciebus panis : & non per motum localem, vt probat D. Th. ſuo diſcurſu: neque per aliam actionem: quia hęc vltra conuerſionem ſubſtantialem, neque de lege ordinaria in ordine gratiæ, neque de potentia abſoluta ex ſuppoſitione diuinæ inſtitutionis eſt poſſibilis: ergo per ſubſtantialem conuerſionem, &c.

Quæ ratio ſic formata & explicata nullam patitur inſtantiam: & illa vtitur D. Thom. nedum in hoc art. ſed etiam lib. 4 contra Gent. c. 63. & in 4. d. 11. q. 1. ar. q. 1. eſtimat. c. & eam probant D. Bonauet. ibid art. 1. q. 2. & 3. & Claud. Sainctes repetit. 7. c. 2. circa fin. & Catechiſmus Pij V. tractatu de Euchariſtia inquit eadem ratione vſos fuiſſe Patres Eccleſiæ in Concilijs vt hanc veritatem Catholicam diffinirent.

19 Deinde ſecunda pars noſtræ aſſertionis ſtatuitur in eodem gradu certitudinis, & probatur vindicando hoc nomen *tranſubſtantiatio*, ab iniurijs, & opprobrijs, quibus Lutherus, Caluinus, & eorũ ſectarij illud laceſsire auſi ſunt, appellando illud, nouum, barbarum, portentoſum, & à Concilio Lateranenſi confictum : à quibus iniurijs, & opprobrijs illud defendunt optime Soto diſtinctione nona citata, quæſtione ſecunda, articulo quarto, & Caſtro verbo *Euchariſtia*, hæreſi 5 & Suar. ſectione nuper allegata, concluſione ſecunda: & præterquam quod ſufficienter maneret probata hæc pars authoritate Concilij Tridentini in cap. quarto nu percitato verborum pondere nomen tranſubſtantiationis approbantis: probatur in quam vlterius duabus rationibus, altera quidem à priori quæ ſic procedit : ſicut vnaquæque Reſpublica habet auctoritatem imponendi noua nomina ad nouas, aut etiam antiquas res ſignificandas: ita & multo magis Reſpublica Chriſtiana, & Eccleſia Chriſti, maxime Spiritu ſancto edocta, ſeu inſpirata : ſic enim Euangeliſtæ glorificationem illam tranſeuntem corporis Chriſti Domini in monte Thabor diſcipulis oſtenſam, transfigurationem appellarunt : & Eccleſia vnionem Verbi diuini cum carne aſſumpta incarnationem appellauit : & in Antiochia ſectatores Chriſti, primum Chriſtianos vocauit : neque non in Concilio Nizeno appellauit Omouſyon, ideſt, conſubſtantialem, diuinum Filium, vt hoc nomine eius æqualitatem, & vnitatem in eſſentia cum Patre ſignificaret : & in Concilio Epheſino vocauit beatam VIRGINEM *THEOTOCOS*, ideſt veram Dei Genitricem. ergo eadem Eccleſia pari auctoritate gaudens, & pariter Spiritu ſancto edocta in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio, legitimè nomen tranſubſtantiationis invenit, & impoſuit ad propriè, & congruenter Euchariſticam conuerſionem ſignificandam.

Altera verò ratio deſumitur ex congruentia, quam nomen ipſum habet cum re ſignificata : nam dicta conuerſio reuera eſt tranſitus ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti totaliter: huiuſmodi autem tranſitus ſubſtantialis vnius ſubſtantiæ in aliam proprijſsime, & conuenientiſsimè dicitur tranſubſtantiatio : quemadmodum tranſitus vnius formæ in aliam manente eodèm ſubiecto, ſiue conuerſio formalis, cuiuſmodi fuit illa qua Chriſtus Dominus aquam in Canaa Galileæ in vinum miraculoſe conuertit : aut etiam qualis eſt illa qua lignum naturaliter in ignem conuertitur, conuenienter à Philoſophis appellatur transformatio: ergo, &c.

20 Ad primum in contrarium admiſſo antecedente cum prima conſequẽtia neganda eſt minor ſubſumpta; quia ex dicendis dubio 3. conſtabit quo pacto corpus Chriſti incipiat habere aliquo modo nouum eſſe ſub ſpeciebus.

Ad ſecundum neganda eſt minor. Ad cuius probationem nego antecedens, quia ſi corpus Chriſti inciperet eſſe alio modo, quam per ſubſtantialem conuerſionem in hoc ſacramento, non ſignificaretur per verba conſecrationis de facto à Chriſto inſtituta : quæ cum ſint ſignum practicum, debent efficere quod ſignificant, & ſignificare quod efficiunt : cum ergo neque efficiant, neque efficere poſſint quod corpus Chriſti ſit ibi per creationem vt ſupponimus ex prima parte, quæſtione quadrageſima quinta : neque per motum localem : quia per illum vt ſic adductum ibi corpus Chriſti non pugnaret cum ſubſtantia panis, cum qua penetratiue

ſaltem

ſaltem poſſet ibi eſſe ſimul: ac proinde non deſtrueretur ſubſtantia panis: cuius tamen deſtructio neceſſaria eſt ad veritatem verborum conſecrationis: vnde talis deſtructio non poteſt ſequi niſi expoſitione corporis Chriſti per conuerſionem.

Ad tertium admiſſa maiori nego minorem: ad cuius probationes reſpondetur rationem Angelici Doctoris vno ex duobus modi defendi ab eius diſcipulis: a quibuſdam enim, quos ſequitur Nuño art. 2. difficultate 3. dicitur, eius maiorem præmiſſam enumerare omnes modos etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam quibus corpus Chriſti poteſt incipere eſſe ſub ſpeciebus.

Alijs vero de quorum numero ſũt Caietanus, Sotus, & Ledeſma vbi ſupra placet illam ſolum procedere in ordine ad potentiam ordinariam Dei in lege gratiæ: & quidem vterque modus ſuſtineri poteſt, & iuxta vtrumque ſufficienter à prædictis obiectionibus ratio Angelici Doctoris vindicatur. Iuxta primũ, ſi dicamus quod ſuppoſita Chriſti inſtitutione, & ordinatione Dei, qua voluit cõſtituere Chriſtum ſub ſpeciebus modo ſignificabili per talia verba conſecrationis, nullatenus potuit alia via, vel per aliam actionẽ niſi per conuerſionem ſubſtantialem illud ibi conſtituere. Iuxta ſecundũ vero dicendum eſt, quod licet abſolutè poſſet Deus ponere corpus Chriſti ſub ſpeciebus alia via, & per aliam actionem: tamen attenta lege ordinaria in ordine gratiæ impoſſibile ſunt corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento niſi per conuerſionem, quia iſte modus eſt magis proportionatus, & attemperatus ipſis rebus, & ſi aliter eſſet neceſſariũ nouũ miraculum ad deſtruendam ſubſtãtiam panis, et admouendũ corpus Chriſti localiter: Deus autẽ dum ſupernaturaliter in ordine gratię operatur, attemperat ſe naturæ rerũ meliori modo, quo poteſt, & eligit media magis proportionata eis, quibus natura vtitur: ob quam rationẽ quando pauit in deſerto quinque millia hominũ non creauit panes & piſces de nouo, licet potuiſſet, ſed ex quinque panibus, & duobus piſcibus alios produxit, & multiplicauit: ita ſimiliter in noſtro caſu, licet multis alijs modis potuiſſet in Euchariſtia Chriſti corpus conſtituere; de facto tamẽ elegit magis aptũ, & proportionatũ attenta ſuaui prouidentia, qui procul dubio eſt modus conuerſionis.

Ad vltimũ reſpondetur, fatendo quidẽ nomen tranſſubſtantiationis nouũ eſſe in Eccleſia a temporibus, nimirũ Concilij, Lateranenſis, a quo fuit impoſitum, ſed nõ confictũ, neque incongruũ, neque barbarum, neque portentoſum: ſed ab Eccleſia in vniuerſali Concilio repreſentata, & cõgregata, legitimaque authoritate gaudente, & Spiritu ſancto edocta inuentũ, & impoſitum, vtpotè congruentiſſimũ, & aptiſſimum ad ſignificandã ſubſtantialẽ tranſmutationem panis in Chriſti corpus.

Dubium ſecundum eſt. An huiuſmodi conuerſio, ſiue trãſſubſtantiatio ſit aliqua vera actio?

21 IN Hoc dubio cũ paucis Neothericis eſt nobis diſceptatio, qui vt effugerent vim huius cõmuniſsimi argumenti: conuerſio Euchariſtica eſt vera actio noua: ergo aliquid fit de nouo per illam: ſed non corpus Chriſti cum iam ſupponatur productum in rerum natura, imò cõcurrit vt principium ad talem actionem, neque aliqua alia ſubſtantia, cum non appareat, neque aliquod accidens, quia alias talis conuerſio non eſſet actio ſubſtantialis, neque tranſſubſtantiatio: ſiquidem terminaretur in aliquod accidẽs, ſiue concretum accidentale, &c. coacti ſunt negare talem conuerſionem eſſe veram actionem.

De horum numero eſt Vazquius hic diſp. 181. cap. 11. qui vt vim propoſiti argumenti effugeret, in hanc nouam opinionem incidit, vt exiſtimaret Euchariſticam conuerſionem non eſſe veram actionem, ſed quandam extrinſecam denominationem, ſeu relationem rationis, quã panis dicitur conuerſus, & corpus Chriſti dicitur pani ſuccedere. Ad quam opinationẽ ſibi perſuadendam, occaſionem ſumpſit ex quibuſdam teſtimonijs, ac verbis Angelici Doctoris, quia vt inquit ſapiens Prouerbiorum. 18. *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.*

Igitur primum fundamentũ ſumit ex D. Tho. in ſolutione ad 1. huius art. & in 4. diſt. 11. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ad 1. & art. 4. quæſtiuncula 1. in quibus, & alijs

ſimilibus locis ait Angelicus Doctor con-
uerſionem eſſe relationẽ ordinis, & ſucceſ
ſionis, ſecundum quam vna ſubſtantia dici
tur ſuccedere alteri, & non eſſe motũ, &c.
cum ergo huiuſmodi conuerſio nec ſit mo
tus, neque vera actio, ſed ſola relatio, ſine
incõuenienti poteſt habere pro termino ad
quẽ, corpus & ſanguinẽ Chriſti: quia ſuc-
cedunt pani & vino.

22 Secundũ eſt ex impoſſibilitate ve
ræ actionis in huiuſmodi conuerſione: etete-
nim quod impoſſibilis ſit actio in hoc caſu
ſuadetur ex duplici capite. Tum, quia im-
poſſibilis eſt actio, cui eſt impoſſibile ſubie-
ctum: ſiquidem de eſſentia actionis eſt re-
ſpicere ſubiectũ, at qui huius actionis nul-
lum poteſt aſsignari ſubiectũ, neque enim
poteſt eſſe ſubſtancia panis, quia in inſtãti
in quo ſit tranſubſtantiatio, non eſt ſub-
ſtãtia panis, quia deſinit eſſe per primũ ſui
non eſſe: nec corpus Chriſti: ſiquidẽ hoc
manet ſubſtantialiter immutatũ. ſubiectũ
autem actionis ſubſtantialis, neceſſario de
bet mutari, neque poſſunt eſſe accidentia,
quia actio ſubſtantialis petit pro ſubiecto
ſubſtantiam.

Tum etiam, quia implicat talem actio
nem terminari ad corpus Chriſti, eo quod
humanitas Chriſti concurrit effectiuè vt
organum, & inſtrumentũ coniunctum di-
uinitatis, ſimul cum verbis conſecrationis
à miniſtro prolatis ad conuerſionem factã
in hoc ſacramento: ad illam autem nõ poſ-
ſet cõcurrere humanitas Chriſti, ſi eſſet ac
tio terminata in eius corpus: etenim neque
poſſet concurrere moraliter ad illã, ſcilicet
mouendo Deum, vt producat, vel conſer-
uet media illa corpus Chriſti, vtpote quod
à ſe ipſo, & ab ipſa humanitate nequit depẽ
dere. Neque phiſice, quia implicat aliquã
rẽ phiſice cõcurrere, ſiue ad ſui primã pro-
ductionẽ, ſiue ad ſui cõſeruationẽ, ſiue ad
ſui reproductionem, eo quod inter cauſam,
& effectum debet realis diſtinctio, & rela-
tiua oppoſitio prioris, & poſterioris inter
uenire.

Quæ ratio amplius cõfirmatur, &
declaratur ex eo quod implicat eũdẽ nume
ro effectũ à duab⁹ cauſis totalib⁹ per duas
actiones adæquatas ſimul phiſice prouent
re, vt cõſtat ex principijs philoſophiæ, igi
tur implicat corpus Chriſti in Euchariſtia
produci, vel conſeruari aliqua actione to-
tali etiam à ſolo Deo (nedũ à ſe ipſo vt in-
ſtrumento) ſiquidẽ extra Euchariſtiam in
cœlo producitur, & cõſeruatur à Deo per
aliã actionem totalem.

Tertium eſt, quia admiſſo huiuſmodi
actionẽ eſſe poſſibilem, adhuc eſt inepta ad
cõſtituendam conuerſionẽ Euchariſticã:
propter tria. Tũ, quia vel hæc actio eſt ea-
dem cũ illa qua corpus Chriſti conſeruatur
in cœlo, vel diuerſa: ſed neque eſt eadem,
quia illa per quam conſeruatur in cœlo nõ
eſt cõuerſiua. Neque eſt diuerſa, quia nul
la actio productiua, ſiue conſeruatiua cor-
poris Chriſti poteſt eſſe cauſa deſitionis
panis, neque poteſt cõnecti cũ ſuſpenſione
actionis conſeruatiuæ panis: ſiquidẽ cor-
pus Chriſti, ſiue exiſtat naturaliter, ſiue mi
raculoſe ex vi actionis qua ponitur ſub ac
cidentibus non repugnat, neque eſt incom
poſſibilis cum ſubſtancia panis: quod tamẽ
requirebatur ad conuerſionem.

Tum etiã quia ſuſtantia corporis Chri-
ſti ſecundũ ſe nõ habet formaliter deſtrue
re ſubſtantiã panis, ſed id tantũ habet ex or
dine quẽ accipit in Euchariſtia ad acciden
tia panis, ſub quibus ſubrogatur loco ſub-
ſtantiæ panis: ergo neque actio producti-
ua corporis Chriſti ſecũdũ ſe eſt, quæ for
maliter ratione ſui infert ſuſpenſionẽ actio
nis cõſeruatiuæ panis: niſi ad ſũmum actio
productiua prędicti ordinis ad acidẽtia pa
nis: igitur ſi aliqua actio productiua eſſet
cõuerſio, proculdubio eſſet illa actio pro-
ductiua dicti ordinis, & nõ cõſeruatio, ſeu
productio corporis Chriſti ſecũdũ ſe.

Tum denique, quia actio ſubſtantialis
productiua corporis Chriſti nõ poteſt ha
bere eundẽ terminũ, quem habet cõuerſio
ſubſtantialis Euchariſtica, vtpote quia a-
ctio illa neceſſario attingit, tã corpus, quã
animam, & vnionẽ ad verbũ, ſiquidem ta-
lis actio conſeruatiua corporis Chriſti, to-
tum conſeruat in Euchariſtia, quod eſt vni
tum corpori Chriſti: conuerſio autẽ Eu-
chariſtica ſolũ terminatur ad corpus Chri
ſti tanquam ad terminum formalem, quia il
lud ſolũ eſt ſub accidẽtibus panis ex vi ver
borum, iuxta decretum Tridentini ſeſsio-
ne 13. cap. 4. & can. 2. ergo huiuſmodi cõ-
uerſio non poteſt eſſe actio productiua, ſi-
ue conſeruatiua corporis Chriſti in Eucha
riſtia.

Quartum deſumitur ex alio capite, ni
mirum quia talis actio nõ videtur neceſſa-
ria ad ſaluandam, & intelligendam veram
conuerſionem panis in corpus Chriſti: er-
go cum alias pluribus inconuenientibus,
ac difficultatibus ſit inuoluta, nullatenus
eſt admittenda.

Antece-

Antecedens oſtēditur dupliciter. Primo, quia ad ſaluandam veram conuerſionē ſufficit id quod ſufficit ad veritatē verborum conſecrationis, vtpote ex qua Concilium Trid. vbi ſupra collegit dari in hoc ſacramento verā conuerſionē, & trāſubſtātiationē panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: ad hoc autē non requiri verā actionē, ſed ſufficere ſucceſsionē, & ordinē vnius ſubſtantiæ ad alterā patet, quia ſenſus verborum eſt, contentū ſub iſtis ſpeciebus eſt corpus Chriſti: hoc autem ſufficiēter verificatur penes hoc quod corp⁹ Chriſti ſuccedat ſub accidentibus ſubſtātiæ panis ſecluſa omni productione: ergo.

Secundo, quia ad eſſe ſacramentale Chriſti ſub ſpeciebus illud ſufficit, & requiritur, quod ſufficit, & requiritur ad idem in facto eſſe, quod & in omnibus alijs compoſitis verum eſt: vtpote quia idem eſt eſſe, quod fit, & quod poſtea conſeruatur: vt autem Chriſtus conſeruetur ſub ſpeciebus ſacramentalibus non requiritur aliqua actio vel productio ad ipſum terminata, ſed ſuppoſita illa actione qua conſeruatur in cœlo ſufficit vnitio media qua vniatur accidētibus: ſicut producta & cōſeruata anima rationali per creationem, vt forma alimēti cōuertatur in ipſam, nō requiritur productio noua ipſius animæ, ſed ſolum ſufficit quod forma alimenti deſinat eſſe, & loco illius ſuccedat anima in eadē materia, & vniuerſaliter loquendo ad fieri cuiuſcūque compoſiti, cuius extrema ſupponuntur iā producta, ſolum requiritur actio vnitiua eorūdem extremorum: ergo cum corpus Chriſti, & ſpecies panis ſupponantur producta, ad fieri huius compoſiti ſacramentalis reſultantis per conuerſionem, & transſubſtātiationem non erit neceſſaria noua productio corporis Chriſti, ſed ſufficiet eiuſdem corporis Chriſti antea producti conſtitutio, & ſubrogatio ſub accidentibus panis.

24 Secunda ſententia, & cōmuniter à Theologis recepta aſſerit huiuſmodi conuerſionem Euchariſticā, in aliqua vera actione conſiſtere, ſiue illa ſit aductiua, vt volunt Scotiſtę, & Nominales, ſiue ſit productiua, vel cōſeruatiua, vt adſtruunt Thomiſtæ, & alij recentiores: de quorū numero ſunt Ricardus in 4. diſt. 11. art. 1. quæſtione 1. Paludanus quæſt. 2. artic. 1. Capreolus ibidem ad ſecundum Durandi contra ſecundam, Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 63. & Suarius hic diſp. 50. cap. 3.

Pro cuius ſententiæ declaratione.

Quod conuerſio ſit vera actio defendit contra communis ſententiæ Vazquium.

Dico primo: conuerſio Euchariſtica eſt vera actio realis, qua corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis conſtituitur. Hæc cōcluſio ſtatuitur aduerſus authores prioris ſententiæ tanquam omnino certa, & modo loquendi Conciliorum, & ſanctorū Patrum magis conſona,

Suadeturque primo ex ipſius Patribus, qui explicant huiuſmodi conuerſionē per verba faciendi, efficiendi, & tranſmutādi: quæ proculdubio veram actionem ſignificant: ergo.

Maior patet, nam Ciprianus ſermone de cena Domini, ait: *Panem in carnem, & vinum in ſanguinem mutari:* & ſubdit ſtatim: *Panis iſte non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Dei factus eſt caro.* Ambroſius lib. 4. de ſacramentis cap. 4. ſic ait: *Panis iſte panis communis eſt ante verba ſacramentorum, vbi aduenerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti:* ergo didiſciſti, *quod ex pane fiat corpus Chriſti, &c.* Auguſtinus in libro de baptiſmo, & habetur cap. *vtrum ſub figura,* de conſecratione diſtinctione 2. *Ex ſubſtantia panis efficitur: & vinū fit ſanguis Chriſti cōſecratione verbi cœleſtis,* Damaſcenus lib. 4. cap. 14. inquit: *Panem, & vinum, carnem & ſanguinem ſuum fecit.* Gaudentius Briſiēſis Epiſcopus tractatu 2. in Exodum, ait: *De pane effici corpus:* & Concilium Tridentinum vbi ſupra, inquit, ſubſtantiam mutari in ſubſtantiam: mutatio autem, ſiue motus prout ab alio, vere eſt actio: ergo.

Secundo probatur, quia panem eſſe conuerſum in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem, eſt effectus realis de facto in rerum natura, qui ante conſecrationem nō exiſtebat: ſed nullus effectus realis de facto exiſtens in rerum natura poteſt dari ſine vera actione per quam talis effectus extra ſuam cauſam ponatur: vbi enim eſt aliquid factum, neceſſe quoque eſt eſſe fieri: ergo in conuerſione Euchariſtica neceſſe eſt veram, & realem actionem reperiri.

Tertio probatur ex eo quod neceſſaria ſit huiuſmodi actio ad ſaluandam conuenienter conuerſionem panis in corpus Chriſti taliter quod ex vi illius incipiat eſſe, & conſtitui corpus Chriſti ſub accidentibus panis tanquam aliquid omnino incōpoſibile cum ſubſtantia panis: & in hoc ſaluatur conuerſio, vt conſtat ex conditionibus ſuperius aſsignatis: ergo.

Maior patet, quia omnis alia conuerſio formalis per quam ponitur terminus ad quem ſuccedens termino à quo, ſiue vna forma in ſubiecto alterius, vt repugnans cum illa fit per veram actionem: & in omni actione naturali per quam huiuſmodi terminus ad quem ſuccedit termino à quo, & illum expellit à ſubiecto, ſaluatur ratio conuerſionis: ergo cum hoc ipſum præſtet conuerſio Euchariſtica, nõ eſt cur non ſit vera actio conuerſiua.

Quarto, quia licet in huiuſmodi conuerſione interueniat ordo ſucceſsionis, & denominatio quædam extrinſeca à qua dicatur vna ſubſtantia conuerſa, & altera in quam fit conuerſio, vt patet inductiuè, at qui denominatio illa, & reſpectus non poſſunt reperiri ſine actione vera: quia omnis denominatio extrinſeca, & omnis relatio ordinis, ſiue rationis ſit, ſiue realis, quæ inter aliqua non erat antea, & modo eſt, requirit fundamentum, rationem, vel conditionem fundandi de nouo, vt ex metaphiſicis ſuppono, ſed quando perficitur Euchariſtia eſt relatio ordinis inter ſubſtantiã corporis Chriſti, quæ incipit ibi eſſe, & inter ſubſtanciam panis quæ deſinit, & denominatur de nouo panis conuerſus in corpus Chriſti, & corpus Chriſti denominatur id in quod fit de nouo conuerſio, vt ipſe Vazquius fatetur: ergo tenetur aſsignare nouum fundamentum, vel nouam rationem ſiue conditionem fundandi: hoc autem nõ poteſt eſſe aliud niſi noua actio, ex vi cuius fiat hoc quod eſt corpus Chriſti ſuccedere pani, & panem conuerti in Chriſti corpus: quæ ſunt extrema de nouo relata, ſiue denominata: ergo.

Quinto probatur, nam inter terminũ ad quem, & terminum à quo, conuerſionis debet eſſe formalis repugnantia, ita vt terminus ad quem ſuccedens termino à quo repugnet cũ illo: hæc autem repugnantia inter illos terminos ſibi ſuccedentes nõ intelligitur niſi per hoc quod corpus Chriſti ponatur in Euchariſtia ſub aliqua ſpeciali ratione ſub qua antea nõ erat: vtpotè quia antea non habebat prædictam repugnantiam: hoc autem percipi non poteſt ſine aliqua actione, vel productione: ergo.

Neque ſufficit ſolutio Vazquij dicẽtis hanc repugnantiam conſiſtere in ſola veritate verborum conſecrationis, ex vi quorum ponitur Chriſti corpus vt impoſſibile formaliter cum ſubſtãtia panis: nam ad ſaluandã cõuerſionẽ quæ de facto reperitur in Euchariſtia, requiritur quod ex parte obiecti ſignificati per verba, ponatur aliqua repugnantia; hæc autẽ poni nõ poteſt niſi ponatur actio, vnde oriatur: ergo. Minor cum conſequẽtia eſt nota: & maior oſtenditur dupliciter. Tũ, quia licet Corpus Chriſti habeat repugnãtiã cũ pane ex virtute verborũ conſecrationis, hoc tamẽ nõ intelligitur formaliter, & imediate, ſed cauſaliter, & mediate, in quantũ. ſ. verba faciunt quod ſignificant, ideſt quia efficiunt corpus vt repugnans cum pane. Tũ etiã, quia ſi non daretur alia repugnãtia inter panẽ, & corpus Chriſti vltra veritatem verborũ, nõ eſſet conuerſio panis in corpus, quoniã poſitio corporis non eſſet cauſa deſitionis panis, quod tamẽ neceſſarium eſt ad verã conuerſionem, & tranſubſtantiationẽ: ergo. &c. Maior patet, quia verba conſecrationis tãtũ ſignificant quod cõtentũ ſub ſpeciebus panis ſit corpus: diſtinctionẽ vero illã panis nõ ſignificant niſi indirectè, & arguitiuè, in quantum corpus Chriſti nõ poteſt ſignificari incluſum ſub his accidentibus, niſi quatenus deeſt propria ſubſtantia illorũ: hoc autẽ formaliter nõ eſt ſubſtantiã panis conuerſã eſſe in ſubſtantiã corporis Chriſti: ac proinde neceſſariũ eſt fateri præter veritatẽ verborum dari ex parte rei ſignificatæ aliquid ratione cuius vna ſubſtãtia ſit cõuerſa in alterã, & pugnans cum illa.

Sexto probatur, quia ſi Chriſtus Dñs protuliſſet hæc verba, corpus meũ, & non panis ſit contentũ ſub his accidẽtibus: procul dubio nõ eſſet cõuerſio, quia tantũ cõcomitãter ſe haberent poni corpus ſub accidentibus, & panẽ deſinere eſſe ſub eiſdẽ: & ſimiliter ſi ita diceret, poſito meo corpore ſub iſtis accidẽtibus, nõ ſit ibi panis: tũc ex veritate verborũ corpus ſignificatũ eſſet ratio extrinſeca, quare nõ eſſet ibi panis: & tamẽ nõ eſſet tunc cõuerſio, ſed eodẽ prorſus modo ſe haberet res in præſenti, ſi veritas verborũ, vt vult Vazquius, non cauſat in rebus ipſis quod vnũ ſit cauſa alterius: ergo ad ſaluã huiuſmodi conuerſionẽ nõ ſufficit vnũ eſſe cauſam alterius prout cõtẽtũ in ſignificatione verborũ: ſed vlterius requiritur quod in rebus ipſis prout diſtinctis à veritate verborũ detur repugnãtia, per quam vnum ſit cauſa deſitionis alterius.

26 Quæ omnia amplius confirmantur. Primo quidem, quia cauſalis eſt vera, & illa vtitur Concilium vbi ſupra:

quia

quia corpus Chriſti eſt in hoſtia, & ſignificatur eſſe ibi, non eſt ibi panis: ergo ante deſitionẽ panis fuit ibi adductum prius natura Chriſti corpus: ergo fuit aliquod adducens phiſicum per actionem veram ſaltem adductiuam, quæ nequit eſſe ſignificatio: hæc enim tantum eſt agens morale, quæ actio adductiua ſufficit ad ſaluandam rationem cõuerſionis: ergo.

Neque valet dicere, quòd ipſe Chriſtus per applicationem voluntatis ſe ponit ibi, ſicut Angelus: quia ponitur ex vi conſecrationis, &c.

Secundo, nam corpus Chriſti ex vi conſecrationis accipit aliquod prædicatũ reale de nouo ſaltem extrinſecum, & reſpectiuum, ſcilicet incipiens eſſe ſub ſpeciebus: ſed hoc non poteſt prouenire à pane deſinente, quoniam panis deſinens, etiam vt incompoſſibilis, non eſt congrua forma ad conſtituendum hoc concretum, ſiue denominatiuum, nimirum exiſtens ſub ſpeciebus, vel incipiẽs exiſtere ſub ſpeciebus: vtpotè quod à forma eiuſdem nominis cõſtitui debet: ergo non à forma deſinente: ergo ab aliqua actione: quæ non poteſt eſſe alia niſi conuerſiua.

Tertio, nam duplex mutatio hîc interuenit, ſiue vna quæ æquiualenter eſt duplex: vt ſuperius dictum eſt, nimirum in pane tranſitus de eſſe ad non eſſe: & in corpore Chriſti tranſitus de non eſſe ad eſſe hic, ſcilicet ſub ſpeciebus: hæc enim eſt diffinitio mutationis, ſed mutatio vt ab alio, eſt actio: ergo. Si dicas ſolum reperiri hîc vnam mutationem, nimirum illam qua panis tranſit de eſſe ad non eſſe: ergo iam iſte tranſitus, ſiue deſitio panis prout ab alio erit actio. Tunc vltra; ſed non eſt actio annihilatiua, vtpote dependens, & prouenìens à ſacerdote, & à verbis conſecrationis, tanquam ab inſtrumento, quod reſpectu annihilationis dari non poteſt: vt ſupponimus ex prima parte quæſt. 45. & ex his quæ docuimus ſupra quæſt. 13. art. 2. ergo neceſſe eſt illã eſſe actionẽ conuerſiuã: ratione cuius verificatur quod verba cõſecrationis faciunt quod ſignificant: facere autem et agere importat veram actionem: ergo.

27 Dico ſecundo: huiuſmodi actio reſpectũ Dei eſt formaliter immanens, & tantum virtualiter tranſiens. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Suariũ in dicta ſectiõ. 3. aſſerentẽ hanc actionẽ cõuerſiuã formaliter nõ eſſe in Deo, ſed eſſe aliquid creatũ in ipſo effectu, per quod depẽdet à ſua cauſa. Quã probat ex communi doctrina in alijs locis ab ipſo tradita de creatione, & alijs actionibus Dei ad extra, quas exiſtimat eſſe extra Deum, & formaliter tranſeuntes. Tũ etiã, quia actio nihil aliud eſt, quã emanatio effectus ab agente vt ſic: ſed hæc emanatio eſt in effectu ipſo conuerſionis. Tum denique, quoniã hæc actio conuerſiua procedit à verbis cõſecrationis, vt ab inſtrumento: ergo neceſſe eſt illam eſſe quid creatum extra Deum: alioquin ſi eſſet formaliter in Deo, quo pacto poſſet ab inſtrumento creato dependere?

Falſo negat Suari⁹ illam eſſe actionem Dei immanentem.

Sed noſtra concluſio probatur ex his quæ docuimus to. 2. metaphiſicæ li. 11. q. 1. art. 5. & 1. p. q. 23. vbi oſtendimus actiones Dei, quibus ad extra operatur formaliter eſſe immanentes, & virtualiter duntaxat tranſeuntes: & idem diximus de operationibus Angelici: eo quod hæc eſt expreſſa ſententia Angelici Doctoris opuſc. 2. artic. 13. & lib. 2. contra gentes. c. 1. & 18. & 1. p q. 14. art. 8. & q. 19. art. 4. & q. 25. articul. 1. & in pluribus alijs locis aſſerentis Deum, & Angelũ operari ad extra per intelligere, & velle: quæ ſunt formaliter actiones intellectus, & voluntatis, ac proinde formaliter immanentes.

Deinde quia potentia quæ eſt purus actus (ait D. Th.) identificat ſibi ſuã actualem operationẽ, quia cũ ſit purus actus nõ indiget actione media, ſed per ſe ipſã eſt efficax: & potẽs operari, ſicut res quæ eſt ſumme actualis, ſe ipſa exiſtit ſine alia ſuperaddita exiſtentia: ergo cũ potentia Dei ſit purus actus ſicut ipſe Deus erit ſua operatio, ſicut Deus eſt ſuũ eſſe. Rurſus vtitur D. T. alia ratione, nimirũ quia omnis actio, vel eſt complementũ potentiæ per modũ formæ actuantis illã intrinſece, vel ſaltem per modũ finis actuãtis illã extrinſece: ſed nihil extra Deũ poteſt eſſe eius finis, aut actualitas: ergo nulla diuina operatio poteſt eſſe extra ipſum Deum.

Ex quibus reſpõdetur ad fundamenta Suarij. Ad primum quidẽ negatur aſſumptum. Ad ſecũdũ vero diſtinguẽda eſt maior, actio nihil aliud eſt quã emanatio effectus ab agẽte, reſpectu potentiæ cuius eſt finis, & cõplementũ concedo: ſecus vero reſpectu potentiæ cuius neque eſt finis, neque complementũ: quia ratione neque motus cœli cauſatus ab Angelo motore, prout ab illo eſt propriè actio illius: quia iſte motus nõ cõparatur ad potẽtiã angeli vt ſi

nis, & eius cōplementū à quo perficiatur: niſi tantū vt effectus extrinſecus: & tunc motus vt ab alio eſt actio, quando ad eius potentiam actiuam comparatur vt finis, ſiue complementum.

Vnde ſimiliter in præſenti quamuis conuerſio ſiue tranſſubſtantiatio actiua ſit actio Dei, & formaliter in illo exiſtens: tamen conuerſio, & tranſſubſtantiatio paſſiua, quam ipſe Suarius etiam admittit vbi ſupra concluſ. 3. ratione cuius ſubſtantia panis manet conuerſa in Chriſti corpus ad potentiam diuinam a qua dimanat vt ab agente principali non vt actio proprie, ſed vt effectus duntaxat comparatur.

Ad primū nego antecedens: nam duplex actio hic interuenit, ſicut & in quibuſcumque alijs effectibus ſiue naturalibus, ſiue miraculoſis quos Deus producit medijs cauſis ſecundis: vna quidem eſt ipſius Dei vt agētis principalis, & hæc eſt formaliter in Deo, quia eſt eius intelligere practicum, ſiue imperiū quo producit res ad extra. Alia vero eſt actio ipſius cauſæ ſecundæ, vel ipſius inſtrumenti: & hæc cum ſit formaliter tranſiens recipitur in paſſo, ſiue in effectu, neque inſtrumentum dicitur cooperari Deo ad operationem huius mirabilis conuerſionis, vel alterius miraculi, quia influat in operationem ipſam Dei actiue ſumptam: ſed quia influit in effectū illius, qui in noſtro caſu poteſt dici paſſiua conuerſio, ſiue tranſſubſtantiatio.

28 Ad primum pro prima ſententia reſpondetur mentem, & intentum Angelici Doctoris in locis adductis tantum fuiſſe quod conuerſio hæc non ſit actio, vel motus ſupponens ſubiectum commune vtrique termino, ſicut ſupponunt actiones, & motus naturales: & dum inquit eſſe ſucceſsionem inter terminum à quo, & ad quem, explicuit conuerſionem actiuam per aliquid connotatum ſe tenens ex parte effectus, & conuerſionis paſsiuæ; aliquin nunquam negauit ſanctus Doctor huiuſmodi conuerſionem eſſe actionem formalem: quin potius in corpore huius articuli, & in ſolutione ad tertium docet apertè actionem agentis infiniti neceſſariam eſſe ad præſentem conuerſionem: & infra articulo octauo proponit aliquas conditiones in quibus conuerſio Euchariſtica conuenit cum creatione, & tranſmutatione naturali, & alias in quibus differt: & non diſtinguit illam ab alijs penes hoc quod non ſit actio: & quæſtione 78. artic. 8. ſubdit verba conſecrationis concurrere inſtrumentaliter ad conuerſionē panis in corpus Chriſti, & ideò huiuſmodi conuerſionem non eſſe prolationem verborum, quia prolatio præterquam quod eſt inſtrumentum reſpectu illius, eſt quædam operatio ſenſibilis, & naturalis: conuerſio autem actio eſt ſupernaturalis, & inſenſibilis.

Ad ſecundum nego antecedens. Ad cuius primam probationem reſpondetur actionem ex proprio conceptu non reſpicere ſubiectum in quo, ſiue inhæſionis, ſed à quo ſiue denominationis: atque adeò poſſemus negare maiorem. Sed illa admiſſa neganda eſt minor, quia ſubiectum huius conuerſionis eſt corpus Chriſti, ſicut & eſt ſubiectum præſentiæ ſacramentalis: ſi vero Diuus Thomas aliquando inueniatur docuiſſe Chriſti corpus in Euchariſtia manere immotum, debet intelligi de mutatione corruptiua, ſiue deperditiua, vel de illa per quam abſolutè tranſeat de eſſe ad non eſſe.

Ad ſecundam negāda eſt minor, quia vt ex dicendis dubio ſequenti patebit ſub aliqua ratione corpus Chriſti eſt terminus huius actionis, & ſub alia eſt principiū inſtrumentale illius.

Ad tertiam nego antecedens. Ad cuius primam, & ſecundam probationem dicendum eſt hāc actionem eſſe diuerſam ab illa, qua Chriſti corpus conſeruatur in cœlo, & eſſe cauſam defitionis panis, quia cōſtituit ibi corpus Chriſti, vt repugnans cū ſubſtantia panis.

Ad tertium reſpondetur, quod hæc actio tantum attingit vt terminum ad quē, illud quod ex vi verborum eſt ſub accidentibus panis & vini: ac proinde corpus & ſanguinem Chriſti, & ideò habet eundem terminum, quem habet conuerſio: reliqua autem quæ ibi ſunt per naturalē concomitantiam à ſolo Deo cauſantur, & conſeruātur.

Ad quartum principale reſpondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum eſt non ſaluari veritatem practicam verborum ſine conuerſione panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem: hæc autem conuerſio non poteſt conſiſtere ſine actione per quam aliquomodo incipiant eſſe ſub ſpeciebus panis & vini, prout ponitur ab Eccleſia, & Patribus, nimirum ita vt corpus & ſanguis dicatur fieri, reproduci, &c. ex vi verborum.

Vnde

Digitized by Google

Vnde ſi talis actio non daretur, & ſine illa poneretur corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, verum eſſet dicere vtcumque *Hoc eſt corpus meum*; non tamen veritate practica effecta ab ipſis verbis conſecrationis conuertentibus panem in corpus Chriſti in ſenſu intellecto à Patribus Eccleſiæ.

Ad ſecundam probationem reſpondetur admiſſa maiori negando minorem: nam ſicut ad hoc vt dicatur alimentum cō uerti in hominem, non requiritur productio animæ rationalis ex vi illius actionis, ſed ſufficit vnitio animæ cum materia: ita vt dicatur coniunctum ex ſubſtantia, & accidentibus panis conuerti in agregatum ex corpore Chriſti, & ſpeciebus panis, nō eſſet formaliter loquendo neceſſaria productio corporis Chriſti facta ex vi illius conuerſionis: bene tamen ad conuerſionē panis in corpus Chriſti neceſſaria eſt actio ad ipſum terminata: propter cuius defectum neque alimentum, neque forma embrionis conuertitur in animam rationalē: ſicut propter defectū deſitionis animæ rationalis non conuertitur ipſa in formam cadaueris. Quæ autem, & qualis ſit huiuſmodi actio conuerſiua, dependet ex his quæ dicturi ſumus de eius termino, nam vnaquæque actio à termino ad quem ſpecificatur, & per illum innoteſcit. Quod iā dub. 3. pergimus declarare.

Dubium tertium eſt: quid habeat pro termino ad quem conuerſio hæc Euchariſtica, ſiue transſubſtantiatio?

Expēdūtur variæ ſententiæ circa terminum conuerſionis.

IN hoc dubio quatuor cardinales ſētentiæ verſantur, ad quas plures alij modi dicendi referuntur. Quarum prima aſſerit terminum huius actionis conuerſiuæ non eſſe corpus Chriſti ſecundum ſuum eſſe abſolutum, & ſubſtantiale, ſed quatenus cōſtituitur præſens ſub ſpeciebus, ita vt formalis terminus huius actionis ſit præſentia localis corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Quam propterea actionē vocant adductiuam authores huius ſententiæ, potius quam productiuam; ita Scotus in 4. d. 11. q. 4. & quodlibeto 10. q. 1. & ex eius ſectarioribus Tartaretus, & Lichetus ibid. Guillelmus de rubione q. 1. art. 3. & Guillelmus Pariſienſis tractatu de Euchariſtia, §. 1. & ex nominalibus Maior q. 1. Ocamus q. 6. & Mayronius quæſt. penul. Aliacenſis quæſt. 6. ex Neotheoricis autē Heſellanus lib. de corpore Chriſti folio 177. Belarminus lib. 3. de Euchariſtia capit. 18. & Claudius Saiñetes lib. de Euchariſtia repetitione ſeptima, qui illam ſuadēt tripliciter.

Primo quidem, quia terminus formalis conuerſionis eſt ille, qui ſufficit ad veritatem verborum cōſecrationis; ſed ad hāc ſatis eſt, quod fiat corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus panis, expulſa ſubſtantia panis, vt conſtat; nec enim amplius requiritur ad veritatem verborum conſecrationis; ergo corpus Chriſti vt ſtat ſub præſentia accidentali ad ſpecies eſt formalis terminus conuerſionis.

Secundo, quia ita corpus Chriſti eſt terminus ad quem conuerſionis ſecundum eam rationem, quæ adquiritur per actionem conuerſiuam, & ſecundum quā ex vi talis actionis incipit de nouo eſſe; corpus autem Chriſti tantum adquirit ex vi conuerſionis præſentiam accidentalem ad ſpecies loco ſubſtantiæ panis; & nullum aliud eſſe ſubſtantiale adquirit, vtpote quia ſecundū omne eſſe ſubſtantiale præexiſtebat; ergo.

Tertio, quia quando corrumpuntur ſpecies ſacramentales deſinit eſſe id quod fuit terminus formalis ad quem actionis cōuerſiuæ; eo quod tunc deſinit eſſe ſacramētum Euchariſtiæ, quod fuerat cōfectū per cōuerſionem; ac per cōſequens neceſſariū eſt deſinere formalē terminū cōuerſionis: ſed non deſinit eſſe corpus Chriſti ſecūdū ſuū eſſe ſubſtātiale abſolutū, niſi ſolū quatenus erat præſens ſpeciebus ſacramentalibus: ergo vt ſic eſt terminus ad quē huius conuerſionis. Et cū aliàs talis cōuerſio nihil producat ſubſtantiale in corpore Chriſti, quod antea non habebat, nō erit cōuerſio productiua, ſed tātū adductiua, ad quā ſufficit quod terminus ad quem incipiat eſſe de nouo præſens vbi antea nō erat loco termini à quo, qui deſinit eſſe ibi. Neque requiritur quod ſubſtātia, quæ adducitur, deſerat locū quē antea habebat, & per verū motū localem acquirat locū ſubſtātiæ, cui ſuccedit; ſed ſufficit quod ſubſtātia quæ exiſtebat in vno loco, incipiat eſſe de nouo etiam in loco alterius.

31 Secunda ſententia aſſerit huiuſmodi actionem conuerſiuam eſſe ſubſtantialem actionem, non ſolum q̄ ſubſtantia, ſed etiam in ſubſtantiam terminatam, non tamen eſſe productionem ipſius corporis Chriſti, ſed conſeruationem duntaxat, & ideò eſſe actionem conſeruatiuam ipſius Chriſti virtute verborum continuatam, ſiue repetitam. Quam tenuit Gabriel in quarto diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. dubio 2. & lectione 40. ſuper canon: & illā amplectitur Suarius in dicta diſp. 40. ſectione 4. qui pro ea citat Angelicum Doctorem art. 3. huius quæſtionis, Altiſiodorenſem lib. 4 ſummæ tractatu 5. cap. 2. Ricardum 14. diſt. 11. art. 1. quæſt. 1. Paludanum quæſt. 2. art. 1. Bonauenturam diſtinct. 10. art. 2. quæſt. 1. Alenſem 4. part. quæſt. 34. membro 3. artic. 1. Henrichum quodlibeto 9. quæſt. 9. Marſilium in eodē 4. diſt. 11. quæſt. 8. Capreolum ibidem ad ſecundum Durandi contra ſecundam, & Ferrarienſem quarto contra gentes c. 63. quos tamen Vazquius diſp. 181. capit. 5. inquit non fuiſſe huius ſententiæ. Quod cum ex his (ait ille) quidam dicant hanc conuerſionem non eſſe ſimilem acquiſitioni noui loci, quid obſecro referre poteſt, vt exiſtimemus eos ſenſiſſe ſubſtantiam ipſius corporis, & ſanguinis Chriſti per hanc conuerſionem produci, vel conſeruari? Præterea quod ſanctus Doctor dicat hanc conuerſionem aſsimilari creationi, quia non eſt ex aliquo ſubiecto, non ſufficit vt arbitremur eum exiſtimaſſe eſſe veram creationem, & conſeruationem ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti: vt etiā exponentes illius ſententiam clarius oſtēdemus.

Sed ipſe Suarius ſuam ſententiam ſuadet quadrupliciter. Primo, quia adſtruentes hanc conuerſionem eſſe actionē ſubſtantialem, & terminum eius eſſe ſubſtantiam nō poſſunt aliter probabilius, & commodius id explicare, niſi dicendo illam eſſe conſeruationem corporis, & ſanguinis Chriſti, ita vt illa produceret de nouo in rerum natura niſi iam inueniret producta: & hoc videtur ſentire D. Thomas in quarto diſt. 11. art. 2. quæſt. 1. & in hac quæſt. art. 3. in corpore, & ad tertium art. 8. dum inquit hanc actionem non eſſe ex præſuppoſito ſubiecto, & in hoc aſsimilari creationi, & ideo eſſe productiuam, & inſuper conueni e cum conuerſione formali: differre tamen ab illa, quia terminus conuerſionis formalis eſt forma: terminus vero ad quem huius cōuerſionis eſt tota ſubſtantia: ergo cum hæc conuerſio ſit actio ſubſtantialis, & non adductiua, erit productiua: & cū nō producat de nouo ipſā ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, circa quam verſatur immediatè, & formaliter non poteſt non eſſe conſeruatiua illius.

32 Secundo ex teſtimonijs Patrū antiquorum quibus hæc ſententia eſt valde conſentanea: nam Patres vbique explicant hoc myſterium per verba quæ indicant actionem, ſiue effectionem ſubſtantialem, ad ſubſtantiam terminatam: Ciprianus enim in ſermone de cœna Domini dixit: *Panem in carnem, & vinum in ſanguinem mutari*: & infra: *Panis iſte non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Dei factus eſt caro*, & clarius inferius: *Qui vſque hodie* (de Chriſto loquitur) *veraciſsimum, & ſanctiſsimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & pie ſumentibus diuidit.* Vbi alludit ad illa verba canonis Miſſæ: *Hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, benedicis, & præſtas nobis.* &c. Et Ambroſius lib. 4. de ſacramentis, cap. 4. *Panis iſte panis communis eſt ante verba ſacramentorum, vbi aduenit cōſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* & infra: *Ergo didiciſti quod ex pane fiat corpus Chriſti.* Auguſtinus cap. *vtrum ſub figura*, de conſecratione diſt. 2 dicit, per Spiritum ſanctū potentialiter creari, & ex ſubſtantia panis effici. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. *Panem, & vinum carnem, & ſanguinem ſuum fecit.* Gaudentius tractatu 2. in Exodū de pane effici corpus. Adelman. epiſtola ad Berengariū: *Chriſtus per hos ſacerdotes, corpus, & ſanguinem ſuum creat.* Nota ſunt illa eſſe verba Hieronymi, quæ infra agentes de forma latius tractabimus: *Sacerdotes ore ſuo corpus Chriſti conficiunt.* Vnde Beſſar lib. de verbis conſecrationis: *Tota* (inquit) *Trinitas, hoc corpus altaris creat.* Quæ ſane verba omnia non loci acquiſitionē, ſed ſubſtantialem actionem, & mutationem indicant.

Secundo aliquando ex parte termini ad quem, hoc clarius explicat Euſebius Emiſſenus homilia quinta, de paſchate dicens, creaturas in Dominici corpus tranſire naturam. Et Concilium Tridentinum, dixit vbi ſupra, ſubſtantiam mutari in ſubſtantiam. Vnde ſepius ſancti Patres vtuntur exemplis conuerſionum ſubſtantialium ad hoc myſterium explicandum, vt Ambroſius vbi ſupra vtitur exemplo

vtens

virgæ conuerſæ in colubrum, Cyrillus Hieroſolymitanus chatecheſi quarta, & Ciprianus epiſt. 63. vtuntur exemplo cõuerſionis aquæ in vinum. Auguſtinus relatus ab Valdenſi tomo 2. cap. 83. vtitur exemplo conuerſionis vxoris Loth in ſtatuã ſalis. Damaſcenus, Anſelmus, & Ireneus lib. 4. cap. 34. & Theophilactus ſuper Ioannis 6. id explicant per conuerſiones naturales: nimirum alimenti in ſubſtãtiam viuentis, terræ in ſubſtantiam arboris, & ſeminis in herbam, deinde in ſpicam, & tandem in fructum perfectum: & alia plura ſunt quæ congerit Innocentius lib. 4. de Euchariſtia cap. 7.

33 Tertio arguit Suarius retorquendo argumentum Scoti, nimirum quia verba ſufficienter verificantur per actionem adductiuam, &c. nam melius, ac proprius verificantur per actionem productiuam, vel quaſi productiuam: ergo licet cõcedamus vtrumque modum eſſe poſsibilẽ, tamen non rectè Scotus infert fieri priori modo, ſed potius inferendum eſt fieri poſteriori modo. Conſequentia eſt nota. Et antecedens declaratur, ex eo quod omnes mutationes miraculoſas, quas à Deo factas legimus poſſemus quoad omnia quæ ſenſibiliter fiunt ſaluare per tranſmutationem localem, v. g. tranſmutatio vxoris Loth in ſtatuã ſalis, & conuerſio aquę in vinũ in Cana Gallileæ poſſent verificari, ſi forma præexiſtens alibi ſalis, ſiue vini eſſet ibi adducta aliunde, & altera forma ſcilicet vxoris Loth, ſiue aquæ eſſet in alium locum tranſlata, & nihilominus fatemur has tranſmutationes fuiſſe factas per conuerſionem ſubſtantiæ: imò in hoc diſtinguit Auguſtinus lib. 18. de ciuitate cap. 18. veras Dei conuerſiones ab apparentibus Dæmonis: ergo à fortiori idẽ dicendum eſt de hac conuerſione Euchariſtica, quam propriſsimo, & perfectiſsimo modo fieri oportet.

Quarto probatur ratione Theologica, quã in hac parte ait Suarius eſſe præcipuam: nimirum quia per ſolam actionẽ adductiuam non explicatur vera conuerſio ſubſtantialis, & tranſſubſtantiatio, ſed ſolum tranſlocatio quædam: at qui de fide eſt hanc eſſe veram conuerſionem: & valde conſentaneum fidei eſt, aſſerere illã eſſe ſubſtantiarum conuerſionem: hoc enim indicat nomen tranſſubſtantiationis, & conuerſionis ſubſtantiæ in ſubſtantiã, quo vtuntur Concilia: quando enim vna ſubſtantia ſolum ſuccedit loco alterius, nõ poteſt propriè dici quod vna conuertatur in aliam: ergo hoc myſterium non ſatis explicatur per ſolam adductionem.

Tunc vltra, ſed non poteſt præter adductionem cogitari alia actio ſubſtantialis niſi productiua, vel conſeruatiua ad ſenſum huius ſententiæ, eo quod omnes alios modos adſtruendi huiuſmodi actionem ſubſtãtialem verſantem circa corpus Chriſti producendo in illo aliquem nouum modum ſubſtantialem, vel nihil de facto producendo, putat à ſe ſufficienter relinqui cõfutatos: ergo hæc actio conſeruatiua, vel per modum conſeruationis actualis eſt ſuſtinenda: eo quod ſufficienter, & congruẽter in illa ſaluatur vera ratio tranſſubſtantiationis: vtpotè quia eſt actio influẽs verũ eſſe ſubſtãtiale in terminum ad quem: quæ inſuper et ex ſua ſpecifica ratione ſufficiens eſſet ad producendam rem, etiam ſi alibi non eſſet: & alias cum ſola actio antiqua ſubſtantialis qua Chriſti corpus conſeruatur in cœlo non videatur ſufficiens ad conſeruandum illud prout eſt in hoc ſacramento; quoniam hic exiſtit modo præter naturali corpori: vnaquæque autẽ res vt conſeruetur ſine modo naturali, maiorem, & ſpecialiorem influxum requirit ab agente, quia neceſſe eſt vt agens ſuppleat ſua efficacia defectum naturalis modi: mutato autem influxu cauſæ agentis, neceſſe eſt mutari actionem. Id patet in accidente conſeruato extra ſubiectum, quod proculdubio conſeruatur diſtincta actione ab illa qua conſeruatur in ſubiecto: igitur de primo ad vltimum hæc actio eſt conſeruatio corporis Chriſti, non eadem qua conſeruatur, in cœlo cotinuata per verba conſecrationis: vt volebat Gabriel primus author huius ſententiæ: ſed alia longè diuerſa, nimirum ſupernaturali, qua conſeruatur prout eſt in hoc ſacramento: & hanc ponit Suarius temperans, & ad meliorem ſenſum ſententiam Gabrielis reducens.

34 Tertia ſententia eſt aliorum, qui dicunt proprium, ac formalem terminum huius conuerſionis eſſe ipſam ſubſtãtiam corporis Chriſti, ſine aliqua mutatione in ipſo facta, & ſine aliquo modo de nouo producto in ipſo: & nihilominus hanc actionem eſſe ſubſtantialem, & non adductiuã, ſed productiuã, quia terminatur ad corpus Chriſti ſub aliqua ratione formali diſtincta ab illa ſub qua terminaretur ad illud creatio, aut etiam generatio: quam vi-

dentur

dentur tueri Henriquez, & Ricardus in locis prælegatis: & tenent Caietanus, Nuño circa hunc art. 4. & Ioannes Vincentius in manuſcriptis ad eundem art. codicibus. Sed quia tota ſubſtantia corporis Chriſti præexiſtit ante conſecrationem: ideò difficile viſum fuit explicare quo pacto poſsit eſſe terminus nouæ actionis productiuæ: vnde diuiſi ſunt in varios modos explicandi hanc ſententiam.

Vincentius enim ait actionem conuerſiuam non eſſe productionem actualem de facto ſui termini, quia inuenit illum iam productum, ſed eſſe productiuam veluti in actu primo, ad eum modum quo dicimus abſolutionem ſacramentalem quando actu non infert gratiã pœnitenti, quia inuenit eum iam iuſtificatum, ſimpliciter eſſe abſolutionem non actu producentem gratiam ſed aptitudine, quia quantum eſt de ſe produceret gratiam, ſi non inueniret productam.

Caietanus vero Ricardus, & alij dicunt ſubſtantiam corporis Chriſti poſſe conſiderari dupliciter: nimirum vel ſecundum ſe, & hoc modo præexiſtere, & non eſſe terminum illius actionis: vel prout id, quod erat panis, nunc incipit eſſe corpus Chriſti, & hoc modo inquiunt non præexiſtere, ſed fieri per hanc actionem conuerſiuam.

Nuño autem, & alij recentiores Thomiſtæ dicunt ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti terminare hanc actionem conuerſiuam ſub diuerſa ratione, non quam de nouo accipiat, ſed quam in ſe iam habebat, ab illa ſub qua terminauit generationem.

Quod explicant exemplo actionum creatiuæ, generatiuæ, & formatiuæ qualis fuit illa per quam corpus Adami fuit à Deo de luto formatum. Manifeſtum namque eſt has tres actiones productiuas eſſe diuerſas ſpecie, & poſſe ad idem corpus ſubſtantiale hominis v.g. terminari, ſine eo quod in ipſo aliquem modum ſuperadditũ producant: ſed quia terminarentur ad illud, vel cum diuerſo modo tendendi ex parte ipſius actionis, vel ſub diuerſis gradibus, & formalitatibus eidẽ corpori eſſentialibus v.g. creatio ſub ratione entis, generatio ſub ratione ſpecifica humani corporis: formatio vero ſub ratione generica, & c ita & conuerſio illa eſt actio productiua ſpecie diuerſa à generatione eiuſdem corporis Chriſti, qua de facto fuit genitum, & à creatione qua poſſet creari, & à formatione qua potuiſſet formari immediate à Deo de luto: quia licet productiua ſit, & immediate verſans circa corpus Chriſti: illud tamen attingit vel cum diuerſo modo tendẽdi, vel ſub diuerſo gradu, ſcilicet generico corporeitatis, vel ſub diuerſa formalitate ipſi eſſentiali ab illis, ſub quibus aliæ actiones illud attingunt, aut attingerent.

Quorum fundamentum eſt, quia hoc eis videtur neceſſarium, vt fateantur hanc conuerſionem eſſe actionem ſubſtantialem verſantem immediate circa corpus Chriſti, & de ſe productiuam, nihil tamen de facto in illo producentem de nouo, neque illud intrinſece immutantem, quia prout eſt in hoc ſacramento, corpus Chriſti eſt, omnino incapax mutationis, præterquam quod localis, ad motum ſpecierum, vt Diuus Thomas in tota hac quæſtione ſupponere videtur: id autem congruenter ſaluari non poteſt ponendo illam eſſe actionem adductiuam, vel creatiuam, aut conſeruatiuam: ergo aſtruenda eſt huiuſmodi actio ſubſtantialiter productiua, nihil de facto producens de nouo, ſed præexiſtens corpus attingens ſub diuerſa ratione, prout vnuſquiſque ex prælatis authoribus explicat in ſuo ſenſu abundans.

35 Quarta ſententia eſt aliorum, qui vt propoſitam effugiant difficultatem admittunt hanc conuerſionem eſſe actionem ſubſtantialem productiuam, & de facto producere in Chriſti corpore aliquem nouum modum ſubſtantialem, vel accidẽtalem, cum quo & ſub quo terminare poſſit actionem nouam productiuam. Quam tuentur Soto in 4. diſt. 9. q. 2. & 4. Palacios ibi. d. 11. diſp. 1. Paludanus d. 11. q. 3. art. 2. Ledeſma quæſt. 16. art. 1. dub. vltimo. Capreol. ibidem ad primum, & tertium Scoti contra primam, Alanus lib. 1. à cap. 34. Claudius Sainctes lib. de Euchariſtia repetitione 4. cap. 4. & repetition. 7. cap. 6. & alij recentiores: qui etiam diuerſimode aſsignant illum modum ſuperadditũ, vt ſic explicent quo pacto corpus Chriſti ratione illius poſsit terminare nouam productionẽ procedentem à ſe ipſo inſtrumentaliter effectiuè medijs verbis conſecrationis, cum præexiſtat tali actioni ſecũdum omnem realitatem ſubſtantialem ipſi intrinſecam.

Alij enim de quorum numero eſt Soto dicunt hunc modum ſuperadditũ corporis Chriſti, eſſe ſubſtantialem per quem

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantialiter vnitur cum ſpeciebus panis, & illas ſubſtentat gerendo vicem ſubſtantiæ panis, vt contentum ſub eiſdem, ſeclusa tamen omni inhærentia.

Alij vero dicunt hunc modum de nouo per conuerſionem productum ad eadẽ munera præſtanda, eſſe quidem accidentarium ſecundum ſe: tamen comparatum cũ termino à quo poſſe dici ſubſtantialem: eo quod ita pugnat cum ſubſtantia panis, vt per oppoſitum cum ea ipſam deſtruat, & in ſe ipſum conuertat.

Quorum fundamentum eſt, quia ab eodem habet hæc actio, quod ſit conuerſio, & quod ſit ſubſtantialis conuerſio: ſed à termino à quo, qui conuertitur, habet quod ſit conuerſio: ergo ab illo habere debet, quod ſit ſubſtantialis.

Alij denique aſsignãt pro termino ad quem huius actionis productiuæ modũ ſuperaditum ſubſtantialem modificantem ipſum corpus Chriſti, & præſtantem illi hos effectus: nimirũ vt diſtinguat ipſum tanquam productum à ſe ipſo, vt producẽte, deinde vt corpus ſemel productum à Deo, iterum reproducatur ab eodem, & ſimul in multis ſacramentis eſſe. Præterea vt terminetur hæc conuerſio pro ea parte qua eſt actio ſupernaturalis Dei ad extra: & tandem vt ſubſtantialiter, & formaliter in facto eſſe ſit incompoſſibile cum ſubſtantia panis: vtpote quia omnes iſtæ conditiones debent in præſenti reperiri ad ſaluandam conuerſionẽ hanc eſſe productionem ſubſtantialem, quã debet terminare corpus Chriſti, ac proinde ſecundum aliquam formalitatem, quæ in ipſo antecedenter non præexiſtat. Et quia hæc ſententia eſt veritati, & Angelico Doctori conformior. Pro eius declaratione.

Impugnantur authores primæ ſententiæ.

36 Dico primo. Huiuſmodi conuerſio non poteſt eſſe actio adductiua ad ſolam præſentiam localem formaliter terminata.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primę ſententiæ. Et ſuadetur primo; quia ſecundum modum loquendi Conciliorum, & Patrum, & ſecundum cõmunem Theologorum conſenſum huiuſmodi actio conuerſiua eſt ſubſtantialis, atque tranſſubſtanciatio: ergo eius terminus formalis ad quem, debet eſſe aliquid ſubſtantiale: quando quidem actio ſicut ſumit ſpeciem à termino ad quem, ita & ſumit ab illo denominationem: ergo talis terminus non poteſt eſſe præſentia accidentalis ad ſpecies ſacramentales.

Huic argumento dupliciter reſpõdent Scotiſtę. Primo quidem negando primam conſequentiam: nam ad ſaluandã actionem ſubſtantialem in huiuſmodi conuerſione, dicunt ſufficere terminum à quo eſſe ſubſtantialem: eo quod præcipuum locum tenet in conuerſione: ſiquidem ille eſt qui dicitur conuerti, ac proinde ab illo debet accipere mutatio conuerſiua denominationem potius, quam à termino ad quem.

Secundo reſpondent negando ſecũdam conſequentiam: eo quod admiſſo Euchariſticam conuerſionem ſumere ſpeciẽ, ac denominationem à termino ad quem, & hunc debere eſſe ſubſtantialem, adhuc nõ ſequitur illum non eſſe præſentiam localẽ ad ſpecies ſumptam in concreto: nam terminus ad quem huius conuerſionis nõ eſt ſola præſentia localis corporis Chriſti veluti in abſtracto, quæ vt ſic eſt accidens, ſed eſt ipſum corpus Chriſti præſens ſpeciebus, quod vt ſic aliquid ſubſtãtiale eſt: à quo proinde poteſt conuerſio ſubſtantialis denominari.

Sed neutra ſolutio eneruat vim argumenti facti. Non quidem prima, quia non ſatis conſonat Concilio Tridentino ſeſsione 13. cap. 4. quod infert hanc conuerſionem conuenienter, & proprie appellari ab Eccleſia tranſſubſtantionem: ex eo quod tota ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti conuertatur: ac proinde exigit Concilium ad tranſſubſtantiationem, quod etiam terminus ad quem ſit ſubſtantialis: & merito nam ſicut hoc nomen tranſlocatio, & transformatio, denotat tranſitum de vno loco in alterum, ſiue de vna forma in alteram: ac per conſequẽs ex vi ſuæ ſignificationis petit, quod nedũ terminus à quo, ſit locus, ſed etiam terminus ad quem: & ſimiliter transformatio petit, quod non ſolum terminus à quo, ſed etiam terminus ad quem ſit forma: ita pariter hoc nomen *tranſſubſtantiatio*, quod eſt ſimilis compoſitionis ex præpoſitione *trans*, & ly *ſubſtantiatio*, denotat tranſitum ab vna ſubſtantia in aliam: ac per conſequens petit, quod non ſolum terminus à quo, ſed etiam terminus ad quem ſit ſubſtãtia.

Cuius ratio à priori eſt, quod conuerſio per ſe, & eſſentialiter eſt actio poſitiua; omnis autem actio poſitiua primo. &

per

per ſe reſpicit terminum ad quem: vtpotè quem primario ac principaliter intendit: terminum autem à quo reſpicit ſecũdario: & minus principaliter intendit, quatenus ſcilicet non poteſt componi cum termino principalius intento: ergo principalius cõparatur reſpectu conuerſionis terminus ad quem, quam terminus à quo: vnde ortum habuit, quod ab illo ſpeciem acciperet conuerſio, ac per conſequens & denominationem: neque ergo conuerſio dici ſubſtantialis, ſi eius terminus ad quem accidentalis ſit: ergo. &c. Et ſanè ſi præſentia corporis Chriſti ad ſpecies eſſet terminus à quo per ſe non eſſet ſubſtantia panis, ſed præſentia, quam panis ſub ſuis accidentibus habebat: ergo neque ex parte termini à quo formaliter ſumpti eſſet ſubſtantialis conuerſio.

37 Neque ſecunda, quia actio qua ponitur, vel transfertur ſubſtantia Angeli ex vno loco in alium non terminatur ad præſentiam Angeli in abſtracto, ſed ad ſubſtantiam Angeli, vt ſtat ſub præſentia locali: & tamen illa actio non eſt ſubſtantialis: neq; tranſitus ille ſubſtãtialis poteſt dici, & trãsſubſtantiatio, & non alia ratione niſi; quia quamuis ad ſubſtantiã Angeli terminetur, terminatur tamen ad ipſam materialiter, vt ſtat videlicet ſub accidentali præſentia: ergo ſimiliter licet actio conuerſiua ſecundũ Scotum non terminetur ad præſentiã, ſed ad corpus Chriſti, vt ſtat ſub præſẽtia, hoc non erit ſatis vt ſit ſubſtãtialis, & transſubſtantiatio: ob eandẽ rationẽ, quia ſcilicet ad ſubſtantiã terminatur materialiter.

Idem argumentũ ſit à paritate productionis quanti, calidi, & cuiuscumque concreti accidentalis: in quibus terminus eſt accidens in ſubſtantia exiſtes, & nihilominus huiuſmodi mutationes non ſunt ſubſtantiales. Quod amplius vrgetur ſic; quãdo dicitur in prædicta ſolutione ſubſtantia corporis Chriſti ingredi terminum huius conuerſionis, vel ingreditur vt aliquid productum per ipſam ſub aliqua ratione ſubſtantiali: vel tãm quã ſub omni ratione ſubſtantiali improductum, præcisse vt ſubiectum recipiens præſentiam accidentalẽ ad ſpecies. Si primum reſpondeatur, dicetur conſequenter terminum formalem primarium, quem inquirimus, eſſe corpus Chriſti ſub ea ſubſtantiali ratione, quado quidem ſub illa eſt prius terminans, & ſufficienter ad ſpecificandam, & ſaluanda ſubſtantiale conuerſionem, & ipſam, nec vt præſens accidentaliter eſſe terminum ſecũdarium. Si autem ſecundum reſpondeatur, vt tenetur reſpondere Scotus: ecce efficaciam impugnationis, quam proſequor ſic: ſupponi ad rationem producta per actionem, mutationem, vel tranſitum, non ſufficit vt talis actio, mutatio, ſeu tranſitus, ſubſtantialis appelletur, vt patet in productione quantitatis, dum augetur viuens, & in productione *vbi* in Angelo, quando Angelus localiter mouetur: & ratio eſt, quoniam illud quod ſic ſupponitur materialiter ſe habet ad actionem, ſpeciem non tribuens: ergo neq; denominationem: ergo. &c.

Secundo ſuadetur, quia huiuſmodi præſentia poſita ab his authoribus pro termino formali cõuerſionis eſt præſentia localis, qua conſtituitur corpus Chriſti indiuiſibiliter ſub ſpeciebus panis: actio enim adductiua talem terminum petit: ſed huiuſmodi præſentia non ſufficit ad ſaluandam veram conuerſionem panis in corpus Chriſti, neque abſolute, neque prout ponitur à Concilijs, & Patribus: ergo.

Probatur minor, quantum ad primam partem ſic, ad rationem conuerſionis abſolute loquendo vt millies repetitum eſt, debet terminus ad quem habere incompoſſibilitatem formalem cũ termino à quo: at corpus Chriſti vt præciſſe præſens præſentia locali ſub ſpeciebus panis non habet illam incompoſſibilitatem cum ſubſtantia panis: etenim optimè poſſunt componi ſubſtantia glorioſa corporis Chriſti in eodem loco ſub eiſdẽ accidentibus, ſicut poteſt ſubſtantia Angeli modo eſſe ſimul cum ſubſtãtia panis non conſecrati ſub accidentibus panis: ergo ex poſitione corporis Chriſti ſolum ſub prædicta præſentia nõ ſaluatur vera conuerſio abſolutè loquendo. Quod vero neque ſaluetur prout aſſeritur à Concilijs, & Patribus prout dicebatur in ſecũda parte minoris primi ſillogiſmi, oſtendo hoc modo. Concilia, & Patres, vt in ſuperioribus viſum eſt affirmant conuerſionem Eucharistiæ conſiſtere in eo quod panis conuertatur in corpus Chriſti, & in ſubſtantiam corporis & vinum in ſanguinem, ita vt ex pane fiat corpus, & ex vino ſanguis: ſed ſi terminus formalis conuerſionis ſit præſentia illa, taliter quod corpus in ſe ſub nulla ratione ſubſtantiali fiat (vt inquit Scotus) non ſaluantur locutiones illæ, ſed omnino redduntur falſæ, & fiet ex pane præſentia ad ſpecies, & in præſentiã fiet conuerſio: ergo. &c.

Tertio terminus formalis noſtræ conuerſionis futurꝰ eſt ille, qui ſufficiat ad verificanda verba conſecrationis, vt arguit Scotus, neque poteſt negari, cum Tridentinum ex veritate verborum colligat præſentem conuerſionem: ſed præſentia dicta ad ſpecies ſacramentales non ſufficit ad verificanda verba conſecrationis: nam vt verba ſint vera, debet conſtitui ſub ſpeciebus, vt demonſtrabile per eaſdem: non autem eſt demonſtrabile per ipſas, cũ ſub illis colocatur ex vi præſentiæ, ſicut neque eſſet demonſtrabilis Angelus poſitus præſens localiter tantum ſub eiſdem accidentibus: ergo. &c.

38 Dieo ſecundo: neque huiuſmodi cõuerſio Euchariſtica poteſt habere modum actionis creatiuæ, vel conſeruatiuæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundę ſententiæ. Et ſuadetur, quia aut hæc conſeruatio eſt antiqua actio; qua Deus Chriſti corpus conſeruat in cœlo, vt adſtruebat Gabriel: aut eſt noua, & ſupernaturalis conſeruatio, quam adſtruit Suarius: atqui prima eſſe non poteſt, quia eſt actio naturalis terminata primo, & per ſe ad totam Chriſti humanitatem, non ponẽs Chriſtum, vt formaliter incompoſibilẽ cũ ſubſtãtia panis modo indiuiſibili, ac inextenſo: actio autem, quæ ad tranſubſtãtiationem, & conuerſionem Euchariſtiæ pertinet eſt ſupernaturalis ab agente ſupernaturali procedens terminata formaliter non ad totam humanitatem, ſed ad partem eius nempe ad corpus, vt deducitur ex verbis conſecrationis, & ad corpus vt repugnans cum ſubſtantia panis, & exiſtens indiuiſibili, & inextenſo modo: ergo antiqua, & naturalis conſeruatio, nequit eſſe actio illa, quam diximus ad conuerſionem ſacramentalem pertinere.

Neque ſecunda propter tria. Primo, quia conſeruatio eſt continuatum fieri: ergo ſi hic eſt diſtincta, & noua conſeruatio ab illa, qua corpus & ſanguis conſeruantur in cęlo, erit nouum fieri eorumdem in hoc ſacramento, ac proinde noua actio.

Secundo conſeruatio rei reſpectu alicubi, ſupponit eandem rem ibi, vbi illam conſeruat: ergo antequam intelligamus corpus & ſanguinem conſeruari in Euchariſtia, debemus intelligere actionẽ conſtituentem ipſã ibi, adductiuã, vel productiuam.

Tertio, quia conſeruatio corporis, & ſanguinis, vt haberet rationem conuerſionis, deberet attingere corpus, & ſanguinem vt pugnantia cum ſubſtantia panis & vini, vt ſæpè dictum eſt: ſed corpus, & ſanguis ex vi ſuæ productionis non acceperunt talem repugnantiam, vt omnes fatentur: ergo per hanc conuerſionem eam debent accipere: at actio, quæ tribuit aliquid, quod antea non ſupponebatur, vera productio eſt, & non cõſeruatio: ergo. Quæ omnia confirmantur, quia conſeruatio in ſenſu quem impugnamus, non explicat, qua ratione ſaluetur conuerſio panis in corpus, & vini in ſanguinẽ, eo modo quo vidimus aſſeri ab Eccleſia, & Patrĩbus: ſiquidem ex vi ſolius conſeruationis in prædicta conſideratione, non poteſt dici corpus fieri, produci, &c. Suarius autẽ actionem ponit propter modum loquendi Eccleſiæ, & Patrũ: ergo debet ponere nouam productionem, & non conſeruationẽ ſolam: præterquam quod militat aduerſus huiuſmodi conſeruationem communis ratio, qua oſtendimus dubio præcedenti debere dari veram, & nouam actionem in hac conuerſione: quia nimirum vbi datur nouus effectus, nouum quoque fieri debet dari: ergo noua actio, quæ verè ſit actio, & productio, & non ſolum conſeruatio rei iã productæ: igitur cum in hoc ſacramento detur nouus effectus, neceſſe eſt darĩ nouam actionem à conuerſione diſtinctam.

Dico tertio: non poteſt eſſe terminus ad quem huius conuerſionis ſolũ Chriſti corpus, vel ſanguis ſine aliquo modo ſuperaddito de nouo producto per talem actionem conuerſiuam.

Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus authores tertiæ ſententiæ. Et ſuadetur primo, nam ſecundum Auguſtinum, Ambroſium, Damaſcenum, & alios Patres ſuperiꝰ relatos corpus Chriſti fit ex pane: ſed ſi iſta actio conuerſiua non eſſet factiua, ſiue productio, non fieret corpus ex pane, quia factum vt ſic eſt concretum ab actione factiua, ſiue faciente: ergo neceſſe eſt corpus Chriſti fieri ſecũdum aliquid, quod antea non præſupponatur in ipſo.

Secundo probatur, nam impoſſibile eſt idem efficere, ſeu conſeruare ſe ipſum, & actionem pendere effectiuè à ſuo termino: vtpotè cum hoc deroget primis philoſophiæ principijs: quia ſi idem poſſet effi-

cere

cere ſe ipſum, exiſteret antequã fieret: ergo impoſsibile eſt idẽ Chriſti corpus ſubſtantialiter efficere, ſeu conſeruare ſe ipſum. Si autem terminaret nude ſumptum hanc actionem conuerſiuam, ad quam ipſum concurrit effectiuè inſtrumentaliter media cõſecratione, reuera ſubſtantialiter efficeret, ſeu conſeruaret ſe ipſum: ergo dicendũ eſt non poſſe ſic talem actionem terminare.

Huic argumento reſpondet Suari⁹ in dicta ſectione 4. videns illud pariter aduerſus ſuam ſententiã, atque aduerſus hãc tertiam militare, diſtinguendo antecedens ſic: impoſsibile quidem eſſe, idem efficere ſeu conſeruare ſe ipſum ſecundũ primam rationem exiſtendi, vel ſecundum primã dependentiam, ſiue primum influxum cauſæ efficientis, per quam ſufficienter conſtituitur, vel conſeruatur in rerũ natura: & hoc eſt quod demonſtrant philoſophiæ principia: quia cauſa efficiens ſupponitur exiſtens, & independens à ſuo effectu.

Qua ratione D. Thom infra quæſtione 78. art. 4. ad ſecundum fatetur non potuiſſe corpus Chriſti eſſe inſtrumẽtum ad ſui primam formationem ex matre: & in hoc ſenſu eſt efficax ratio argumentandi ab effectibus ad cauſas efficientes. Secus vero poſtquam res ſemel ſufficienter exiſtit per actionem, & influxum totalem vnius cauſæ: tunc enim non eſt inconueniẽs quod per aliam actionem diſtinctam, iterũ fiat ſeu conſeruetur: ſic enim non inconuenit, quod eadem res vt iam facta, poſsit eſſe inſtrumentum ad hanc actionem: quia ceſſat tota ratio quæ obſtare videbatur, vt pote cum res illa ſupponatur exiſtens ante ſecundam actionem: & aliunde vnaquæq; res habet potentiam obedientialẽ, vt Deus poſsit vti illa, vt inſtrumento ad omnẽ ſubſequentem actionẽ: & ita contingit in hoc myſterio, vt Chriſti corpus iam præexiſtens ex vi ſuæ productionis, effectiue inſtrumentaliter concurrat ad hanc ſecundã productionem ſui, ſiue conſeruationem.

Sed neque hæc ſolutio eneruat vim noſtri argumenti: nam licet non ſit repugnantia in Chriſti corpore adhuc concurſum præſtandum ob defectum exiſtentiæ: bene tamen ex natura, & conditione ipſius actionis productiuæ, quę petit producere de nouo terminum ad quem reſpectu cuius dicitur productio noua, ſiue noua cõſeruatio, vt iam concluſione præcedẽte ſatis oſtendimus arguendo contra hunc authorem.

Tertio probatur ab inconuenienti duplici, vel triplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod alias poſſet idem corpus ſemel creatum accipere eſſe de nouo per generationem: ſiquidẽ admittitur poſſe reproduci: conſequẽs autem eſſe falſum patet, quia non præſupponitur terminus a quo generationis, ſcilicet non eſſe talis corporis, aut priuatio formæ illius.

Secundum eſt, quod alias poſſet hoſtia ſemel conſecrata iterum conſecrari, & ſemel baptizatus poſſet rite, & valide iterum baptizari: ſiquidem ſemel productum poteſt idem numero reproduci, & actum agi: conſequens autẽ eſſe falſũ patet, quia propterea prohibetur in iure de conſecratione, diſt. 4, cap. *non licet*, & ſequentibus tã quam grauiſsimum peccatum, tam ex parte dantis, quam ex parte recipientis iteratio baptiſmi: qui propterea plectuntur pœna irregularitatis ex communi ſententia Theologorum in 4. diſt. 5 & 6. fundata in cap. 1. Concilij Lateranenſis ſub Alexandro tertio. Cuius prohibitionis ratio à priori eſt, quia talis iteratio baptiſmi (& idem pariter currit in conſecrationis iteratione ſupra eandẽ hoſtiam) eſt contra ſubſtantiam, & ſimul contra reuerentiam ſacramenti, quod fieri tẽtatur in ſubiecto incapaci.

Tertium eſt, quod alias conditio immutabilitatis poſset ſaluari in termino conuerſionis: ac proinde non repugnaret Deo eſſe terminum conuerſionis: nam ſi repugnaret, maximè ex attributo immutabilitatis: ex hoc enim principio probat Diuus Thomas ſupra quæſt. 2. contra Eutichetẽ humanitatem Chriſti non poſſe conuerti in deitatem, quia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ſed hoc attributum ſecundũ aduerſarios poteſt ſaluari in termino conuerſionis, ſiquidẽ vindicatur ab õni intrinſeca mutatione, quod non repugnat immutabilitati per eſsentiam: ergo neque eſſe terminum conuerſionis.

Quod amplius ſic declaratur, aut hæc conuerſio mutat intrinſece terminum ad quem, ſcilicet corpus Chriſti, aut ſolum ponit in illo denominationẽ extrinſecam terminantis deſitionem panis: ſi primum, iam hæc conuerſio ponit in Chriſti corpore aliquem intrinſecum modũ realem: ſi ſecundum, hoc non repugnat Deo, quia extrinſeca

ſeca denominatio, ſiue reſpectus rationis nõ repugnat immutabilitati per eſſentiã, vt patet in incarnatione diuini verbi, quod ſine reali ſui mutatione vnitum fuit ſubſtãtialiter, & factum fuit terminus vnionis realis, & actionis aſſumptiuæ.

Si dicas ideò repugnare Deo eſſe terminum conuerſionis, non quia immutabilis præciſſe, ſed quia compatibilis cũ creaturis: vtpote quibus eſt præſens per eſſentiam. Contrà hoc eſt, quòd D. Thomas vbi ſuprà arguit propterea humanitatem nõ potuiſſe conuerti in deitatem, quia hæc ingenerabilis, & incorruptibilis eſt.

Tum etiam, quia licet deitas nõ ſit incompatibilis cum creatura vtcumque; bene tamen cum creatura conuerſa in ipſam: ac proinde ex hoc capite non repugnaret Deo eſſe terminum ad quem conuerſionis, ſi iſte poſſet ab omni intrinſeca, & reali mutatione purgari.

39 Vltimo probatur impugnando ſigillatim tres modos recenſitos defẽdẽdi, & explicandi iſtam ſententiam. Et quidem falſitas primi, quem ſequitur Vincentius inde manifeſtè colligitur; quòd de ratione intrinſeca actionis vt ſic, eſt quod ſit actualis influxus; & ſi ſit productiua, de eſſentia illius eſt, quod ſit actuale facere, & producere in actu ſecundo, & non tantum eſſe actiuam in actu primo, ſiue quantum eſt de ſe: ſicut de conceptu relationis eſt, quod ſit actualis reſpectus, & ratio referendi in actu exercito, & non tantum quod ſit relatiua in actu primo, aut aptitudinalis ratio referendi: ergo eo ipſo quòd ponamus conuerſionem eſſe actionem, ſiue productionem, debemus dicere illam eſſe actualem productionem alicuius termini, & actu terminari ad aliquid quod per ipſam actualiter fiat: vnde ſi repugnet aliquid actualiter fieri per ipſam, repugnabit quoq; & actio productiua.

Neque exemplum abſolutionis eſt ad propoſitum, nam abſolutio non eſt actio habens pro termino immediato gratiã remiſſiuam peccatorum, ſed eſt inſtrumentũ à quo huiuſmodi actio egreditur tanquam ab actu primo: actus autem primus nõ petit actu influere, ſed tantum poſſe influere.

Eodemque argumento ſufficiẽter manet impugnatus tertius modus dicendi: vtpote quia ab hoc primo verbo tenus diſcriminatur: ſolum enim adſtruit actionẽ hãc conuerſiuam eſſe productiuam, quantum eſt de ſe, & veluti in actu primo; quia produceret Chriſti corpus ſi illud non inueniret iam productum: de facto tamẽ nihil producere in illo: ac proinde ponit productionem, ſine eo quod aliquis terminus actu per illam fiat: quę eſt manifeſta implicatio in adiecto.

Pariterque paucis mutatis refutari poteſt eiſdem rationibus, quibus refutauimus ſententiam aſſerentium hanc actionẽ eſſe cõſeruatiuam, quia in re neque ab iſta videtur differre, cum ponat hanc actionem eſſe productiuam, & terminari ad corpus Chriſti ſub diuerſa ratione formali ab illa ſub qua terminat generationem: nihil tamen de nouo producere in illo, quod antea non præexiſteret in ipſo: in quibus cõditionibus vix poteſt à noua conſeruatione diſcriminari: neque aliæ apparent rationes diſcriminandi vnam actionem ab altera.

40 Deinde ſecundus modus dicẽdi Caietani, vt à nobis impugnetur, prius eſt explicandus, & eiuſdem authoris mens aperienda, non omnibus in hac parte ſatis perſpicua. Neque enim in hoc, quod Caietanus tam in illo 4. art. quam in præcedẽte ſæpius dixerit manere poſt conſecrationem, quod erat panis, voluit aut ſenſit materiam panis poſt conſecrationem manere ſub ſpeciebus in corpore Chriſti: qui fuit error Durandi in 4. d. 11. q. 3. eo quod vt miſterium conuerſionis panis in corpus Chriſti, faceret intelligibile, dixit debere manere idem ſubiectum ſub vtroque termino conuerſionis: imò & hanc eſſe conditionem intrinſecam conuerſionis propriè ſumptæ, quo errore nonnulli Caietanum immerito inſimulant, cum opinionem Durandi vt erroneam damnet in art. 2. huius quæſtionis, & meritò quia non ſolum his temporibus eſt erronea, ſiue hæretica poſt quam Concilium Trident. ſeſſione 13, canon. 2. ſub anathemate diffiniuit in hoc ſacramento fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, *[illegible] panis & vini*: ſed etiam temporibus ipſius Durandi, vt ſuprà, vidimus erat hæretica, quia iam tũc præceſſerat diffinitio Concilij Lateranenſis ſub Innocẽtio 3. de tranſſubſtantiatione panis in corpus Chriſti.

Neque etiam ſentit Caietanus cum Henrico quodlibeto 9. quæſtione 9. & quodlibeto 11. quæſt. 4. aliquid ſubſtantię

panis manere in corpore Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, nimirum hoc indiuiduum genericum ſubſtantiæ, quod fuit panis, vt falſo volunt Soto diſt. 9. quæſt. 2. artic. 4. Ledeſma quæſt. 16. art. 4. & Suarius hic diſp. 49. ſectione 4. quia neque in hunc errorem potuit Caietanus incidere, qui neque ignorabat prædictam Concilij Lateranenſis diffinitionem, neque ipſum potuit latere expreſſa ſententia Angelici Doctoris in hoc art. 4. & art. 2. & 3. præcedente, & art. 8. ſequenti negãtis in tranſmutatione, quæ fit in hoc ſacramento, manere aliquid commune vtrique termino præter accidentia panis, & vini. Sed neque ſentit cum Scoto hanc actionem habere pro termino corpus Chriſti vt præſens ſub ſpeciebus, & vt contentum ſub illis: neque ex modo loquendi Caietani id apparenter poteſt colligi: ac proinde ſine vlla apparientia id collegit fuiſſe de mente Caietani Suarius hic diſp. 50. actione 4. §. *alter modus eſt*. Igitur dum Caietanus ait, id quod erat panis incipere per conuerſionem, eſſe corpus Chriſti, neque deſignat materiam panis, aut aliquam entitatem indiuiduam ſubſtantialem quæ prius fuerat panis, manere in termino ad quem huius conuerſionis vt quid intrinſecum in illo: ſed duntaxat vt extrinſecus connotatũ, ita vt terminus ad quem huius conuerſionis ſit Chriſti corpus, vt factum ex pane, in quo vt ſic, neque inuoluitur aliquid ſubſtantiæ panis, neque ſola præſentia localis ſub ſpeciebus: ſed ipſummet corpus Chriſti vt connotãs panem deſinentem tanquam terminum à quo. Et ita ſe explicat hic. §. *pro ſolutione*, & §. *neque obſtat dictis*: vbi expreſſe ait terminum ad quem conuerſionis eſſe hũc, ſcilicet quod erat panis, eſſe de nouo corpus Chriſti: ſubditque idem inſtans huius mutationis ſubſtantialis eſſe primum eſſe termini ad quem, & deſitionis termini a quo.

41 Quare cum hæc ſit legitima mens Caietani, in hoc ſenſu, eius modus dicendi impugnatur. Primo, quia productio ignis, verbi gratia, cũ ſit ex præſuppoſito ſubiecto per ſe petit facere tranſitũ ab vna forma in alteram: & tamen forma ex qua non refundit nouitatem in terminum ad quem: ergo neque panis ex quo ſit tranſitus in conuerſione Euchariſtica refundit aliquam nouitatem in Chriſti corpus: ratione cuius poſsit hanc nouam actionem terminare.

Rurſus, & ad conuerſionem panis in corpus Chriſti, quæ eſt totius in totum materialiter concurrit panis, quia formaliter, & proxime concurrit negatio corporis Chriſti in pane, quod vt conuertatur debet eſſe ſub negatione illius in quod conuertitur. Neque eſt cur in conuerſione formarum priuatio ſit per ſe terminus a quo, proximus, & non in conuerſione totali, cum vtrobique per ſe requiratur talis negatio: ergo vtrobique concurrit vt terminus a quo, vel conditio tantum.

Tertio, quia conuerſio pomi, vel alterius alimenti in Corpus Chriſti, vel ſi Deus inſtitueret hoc ſacramentum in alio cibo, eſſet eiuſdem ſpeciei formaliter cum conuerſione panis in corpus Chriſti: ſiquidem vtraque habet eundem terminum ad quem, & diuerſitas terminorum a quibus materialiter ſe habet, vt in omnibus conuerſionibus formarum inductione patet: ergo. Confirmatur, quia fieri ex parte termini accipit denominationem extrinſecã ex termino a quo: ergo non ponit nouitatem intrinſecam in termino ad quẽ. Antecedens patet, nam aliàs iuſtificatio Angeli, & hominis, & productio ignis ex ligno, & ſtupa differrent ſpecie: ſiquidem terminus a quo inuolueretur in terminis ad quos, quod tamen eſt falſum: ergo.

Quarto, quia fieri eſt paſsio, & conſequenter via: ergo præter fieri debet dari terminus productus, ſeu tranſſubſtantiatus: ergo mediat inter fieri, & corpus Chriſti ſecundum ſe aliquis modus productus.

Quinto, quia corpus factum dicitur ab actione recepta: ergo vt præuenit actionem nihil habet diſtinctum ab actione productiua: alias eſſet terminus ratione ipſius productionis, & hæc eſſet formalis terminus ipſius.

Sexto, quod ſit homo productus per creationem, aut generationem, nullum modum diſtinctum ſupra ſubſtantiam hominis addit: ergo neque quod ſit factum ex pane.

Septimo conuerſio in triduo perſeuerans vſque ad reſurrectionem, vel ante triduum perſeuerans vſque ad mortẽ, eſſet eiuſdem rationis cum iſta quæ eſt modo: & tamen non haberet pro termino factum ex pane, hoc enim eſſet cadauer, reſurgens vere eſt compoſitum ex corpore, & anima, quæ non ſunt facta ex pane, vel e contra: ergo.

Dico

42 Dico vltimo, terminus ad quẽ huius conuerſionis eſt corpus Chriſti ſub modo quodam ſubſtantiali de nouo per conuerſionem producto, ratione cuius Chriſti corpus differt à ſe ipſo, vt producente, & poteſt re produci, & ſimul in multis ſacramentis conſtitui: & fit incompoſſibile cum ſubſtantia panis.

Hæc concluſio, quæ ſtatuitur pro authoribus quartæ ſententiæ, præter quam quod à ſufficienti aliarum impugnatione manet probata: confirmatur amplius ex eo, quod talis modus ſubſtantialis eſt omnino ad effectus recenſitos requiſitus: quod ſic oſtendo per ſingulos diſcurrẽdo.

De primo namque patet, nam ſuppoſito, quod Chriſti corpus per ſacramentum ſit non ſolum moraliter, ſed etiam phiſice productum: vtramque enim cauſalitatem ſupra tribuimus ſacramentis, cùm de illis in genere ageremus: neceſſe eſt diſtingui realiter cauſam phiſice producentem ab effectu producto: ergo cum in hoc ſacramento non ſolùm ſpecies, & verba conſecrationis, ſed etiam ipſe Chriſtus, & eius humanitas, quoad animam, & corpus phiſice concurrant ad hanc actionem, neceſſe eſt in termino ad quẽ ſcilicet in Chriſti corpore aliquem modum produci, ratione cuius à ſe ipſo producente realiter diſtinguatur.

Similiter ad ſecundum, & tertium effectum præſtandum requiri talem modum patet; quia ſine illo impoſsibile eſt idem Chriſti corpus adæquate productum à Deo, iterum reproduci alia productione adæquata, & multis alijs adęquatis, ſimul in diuerſis ſacramentis, ſine aliquo modo ſuper addito ipſum immutante: neque non impoſsibile videtur actionem ſuper naturalem productiuam dari ſine termino ſupernaturali producto: qui nequit eſſe corpus Chriſti, ſecundum ſuã naturam, ſed ſecundum aliquem ſuper naturalem modum ei ſuper additum. Eo vel maxime, quod eadẽ ratio indiuiſa manens non poteſt plures effectus formales, etiam ſecundarios præſtare, aut fundare: ac proinde, neque corpus Chriſti ſub vnica ratione ſubſtantiæ poteſt plures pręſentias ſacramẽtales in hoſtijs diſtãtib⁹ locis fundare. Et tãdẽ quod requiratur ad vltimũ effectũ, ſcilicet incõpoſsibilitatis, probatur, quia præter repugnantiã quę per ipſam actionem conuerſiuam datur inter Chriſti corpus, & ſubſtantiam panis, (hæc enim eſt tantum in genere cauſæ efficientis, & in fieri:) datur etiam alia phiſica repugnantia, & oppoſitio inter illa in facto eſſe, & in genere cauſę formalis; ſicut in conuerſione formali frigiditatis in calorem per calefactionem qua producitur calor, opponitur frigiditati calor in genere cauſæ efficientis, & in fieri: non vero in genere cauſæ formalis, & in facto eſſe: hanc enim oppoſitionem exercet calor per intrinſeca prædicata habita ex vi calefactionis: ergo vt corpus Chriſti habeat aliquid ſubſtantiale, quo formaliter, & in facto eſſe, & ſubſtantialiter repugnet ſubſtantiæ panis: quando quidem per propria prædicata hoc non habet, debet poni aliquid aliud ſubſtantiale ei ſuper additum, vt ex pane factum, quod cum pane pugnet: pugna namquè facta quatenus ex pane, ſi eſſe ex pane, nihil incompoſsibile ſit, eſt voce tenus, & facta ex vi actionis, qua corpus reproducitur, eſt què in fieri, & in genere cauſæ efficientis: ac tandem facta per actionem, qua corpus ſuſtentat accidentia panis, vel per aliumi modum accidentalem, quo adeſt illis, & ſub illis continetur; accidentalis eſt, quæ ad terminum ſecundarium huius conuerſionis pertinet: & à poſteriori indicat terminum formalem primarium.

43 Explico magis hoc exemplo conuerſionis formæ ſubſtantialis ligni in formam ſubſtantialem ignis: in hac conuerſione fit forma ignis ex forma ligni, vt ex termino à quo, eſtque inter terminum ad quem, & à quo intrinſeca repugnantia formalis in facto eſſe, & ſubſtantialis; ac per conſequens non præciſſe, quia forma ignis fit ex forma ligni, & terminat actionem, qua fit, & ſubrrogatur vtcumque loco formæ præcedentis in eadem materia; ſed quoniam inſuper habet aliquid ſubſtantiale in materia incompoſsibile cum forma præcedenti; ad quod ſubſtantiale conſequuntur alij effectus accidentales pugnantes cum effectibus formæ ligni; ſic in noſtro caſu cum tota ſubſtantia panis conuertatur in corpus Chriſti, aſſerendum eſt corpus pugnare cum ſubſtantia conuerſa formaliter ſubſtantialiter in facto eſſe, per hoc quod ſubſtantialiter conſtituatur pãs ſine ſub accidentibus; ita vt repugnet ſimul eſſe ibi ſubſtantiam panis ad

quam poſitionem ſubſtantialem conſequi tur, quod accidentia panis ſuſtentetur à corpore, ſuſtentatione oppoſita priori à pane prouenienti: & illud ſit per modum ſubſtantialem, quem ſuperaddendum dico.

Vltimo probatur ſatisfaciendo obiectionibus relatis, quibus Suarius, & Vazquius vbi ſupra, hunc modum ſubſtantialem ſuper additum corpori Chriſti tollere conantur. Primo namque obijciunt, quod ſequeretur corpus Chriſti mutari in hoc ſacramento ſubſtantialiter, & habere aliquem modum intrinſecum, quem non habet in cœlo: quod tamen non videtur eſſe admittendum: ergo.

Secundo, quia ſequeretur, quod ſubſtantia panis conuerteretur in illum modum, ſiquidem terminus à quo conuertitur in terminum formalem ad quem: ſed neque hoc dici poteſt, quia contradicit Concilio Tridentino decernenti panem conuerti in corpus Chriſti, & hac ratione refutauimus opinionem Scoti aſſerentis terminum formalem ad quem huius conuerſionis eſſe localem præſentiam ad ſpecies, vel aliquem modum accidentalem, ſiue actionem egredientem à corpore Chriſti, circa ſpecies: ergo.

Tertio, quia terminus formalis conuerſionis eſt ille, qui ſufficit, & requiritur ad veritatem verborum conſecrationis: vt autem verba conſecrationis verificentur ſolum requiritur iuxta Concilium Tridentinum, quod ſubſtantia panis conuertatur in ipſum Chriſti corpus, abſque aliquo modo ſuperaddito, de quo nulla ſit mentio in Concilio: ergo.

Sed ab his obiectionibus facili negotio noſtra aſſertio vindicatur. Ad primam enim admiſſa ſequela neganda eſt minor, quia in omni ſententia dicendum eſt Chriſti corpus ex vi conuerſionis habere aliquid reale in Euchariſtia, quod non habet in cœlo, ſiue illud ſit actio, per quam conſeruat ſpecies ſacramentales, ſiue actio qua re producitur, vel conſeruatur, vel adducitur, ſiue ſit modus præſentiæ localis ſub ſpeciebus: vnde ſicut hoc habet, in quo nullum inconueniens reperitur à præfatis authoribus, cur non habebit abſque inconuenienti noſtrum modum ſubſtantialem? hoc enim genere mutationis, quæ neque corruptiua, neque deperditiua, eſt non inconuenit Chriſti corpus mutari.

Ad ſecundam nego ſequelam: ſolum enim ſequitur, quod ſubſtantia panis conuertatur in corpus Chriſti, vt ſtat ſub illo modo: qui aut ingreditur rationem formalem termini conuerſionis, vt conditio intrinſeca, & inſupplebilis: aut tamquam ratio formalis terminandi: ſicut ratio entis, eſt ratio formalis ſub qua creatur Angelus, exiſtentia verò, eſt conditio intrinſeca: igitur ſiue ingrediatur, primo, vel ſecundo modo, verificatur panem conuerti in corpus Chriſti: ſiquidem corpus eſt, quod ſit ex pane, ſicut verificatur Angelum eſſe productum per creationem, quamuis ſub ratione entis. Neque ſimile argumentum cõuincit falſitatis opinionem Scoti, ſe ſolo, niſi alijs circumſtantijs adiunctis, aut niſi quatenus retorquetur ad hominem aduerſus illos Neothericos, qui eo contra Scotum vtebantur.

Ad tertiam admiſſa maiori, nego minorem, quia licet Concilium Tridentinum, non meminerit expreſſe illius modi: alioquin eſſet de fide noſtra concluſio: quod nos nequaquam intendimus: veruntamen virtualiter, & implicite appoſuit illum, vtpote neceſſarium ad veritatem verborum conſecrationis, & ad ſaluandam veram conuerſionem, quia non poteſt corpus Chriſti, eſſe id in quod panis conuertitur, niſi recipiat talem modum.

44. Ad primum pro prima ſententia reſpondetur admiſſa maiori diſtinguendo minorem, ad hunc ſenſum; nimirum, quod ad veritatem verborum cõſecrationis ſufficit corpus Chriſti fieri præſens ſub ſpeciebus panis, expulſa ſubſtantia panis, nõ vtcumque, ſed propter incompoſſibilitatem corporis Chriſti cum pane: hæc autẽ incompoſſibilitas oritur ex dicto modo ſubſtantiali ſuper addito: & non ex ſola præſentia locali, aut ex alio modo accidentali, vt probatum eſt. Quibus addimus hanc oppoſitionem, ſiue repugnantiam inter corpus Chriſti, & ſubſtantiam panis, non tantum eſſe ex natura rei, & in ordine ad potentiam ordinariam, vt præfati recentiores exiſtimant, ſed etiam eſſentialem, & neceſſariam in ordine ad potentiam Dei abſolutam; quia non inconuenit ſi dicamus modum iſtum ſupernaturalem corpori Chriſti ſuper additum, qui formaliter ſubſtantialiter, & in facto eſſe opponitur ſubſtantiæ panis, eſſe talis naturæ, & conditionis, vt eſſentialiter, & non ſolum connaturaliter pugnet cum pane: nãq; ſic melius, & congruentius ſaluatur

natur

Digitized by Google

gatur eſſentia conuerſionis panis in corpus Chriſti: nam conuerſio, vt ſic in ſuo conceptu eſſentialiter importat duplicem mutationem eſſentialiter connexam, aut vnam quæ virtualiter, & eminenter ſit duplex: alteram quidem per quam terminus ad quem incipiat eſſe, alteram vero per quam terminus à quo deſinat abſolute. Vnde ſi miraculoſe contingeret formam leonis, v. g. introduci in eamdem materiã, in qua erat forma equi. & hæc permaneret ibidem, aut alibi, tunc neutiquam ſaluaretur vera conuerſio propter defectum deſitionis abſolutè termini à quo; nimirum formæ præexiſtentis.

Ad ſecundum nego minorem, quia dictum eſt corpus Chriſti, per actionem conuerſiuam adquirere primario dictum modum ſupernaturalem ſubſtantialem, qui proinde eſt terminus formalis primarius illius: ſecundario adquirit præſentiã localem ad ſpecies, quæ eſt terminus ſecundarius conuerſionis.

Ad tertium nego minorem pro ſecunda parte: nam tunc deſinit eſſe Chriſti corpus, non quidem ſecundum ſuam ſubſtantiam abſolutam: bene tamen, quantũ ad iſtum modum ſubſtantialem, quo informabatur, & cuius informationem amittit per corruptionem ſpecierum ſacramentali.

45 Ad primum ex adductis à Suario pro ſecunda ſententia reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicendum eſt, quod D. Thomas, nihil minus intendit in locis citatis, quam adſtruere actionem conuerſiuã eſſe creationem, vel conſeruationem: ſolum enim intendit, vt ex contextu patet, hanc actionem in aliquibus conditionibus aſsimilari creationi, nimirum quatenus ſubſtantialis eſt, & ad totam ſubſtantiam, & non ex præſuppoſito ſubiecto communi permanente ſub vtroque termino, terminatam.

Ad ſecundum reſpondetur, ex Patribus ſolum haberi hanc actionem eſſe productionem, & effectionem ſubſtantialem: quæ locutio congruenter nequit ſaluari, ſine eo quod per talem actionem, aliquid ſubſtantiale producatur de nouo in corpore Chriſti.

Ad tertium reſpondetur, illud quidẽ non noſtræ ſententiæ, ſed Scoticæ dumtaxat officere opinioni.

Ad quartum eadem eſt ſolutio; nimirum, quod refutat quidem actionem adductiuam, confirmatque actionem ſubſtantialem productiuam in conuerſione Euchariſtica, ſed non refutat actionem productiuam modi ſubſtantialis, neque conuincit actionem creatiuam, ſiue conſeruatiuam.

Ex quibus etiam patens eſt ſolutio ad fundamentum contrariæ ſententiæ.

ART. V.

Vtrùm in hoc ſacramento remaneant accidentia panis, & vini poſt conuerſionem?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod in hoc ſacramento non remaneãt accidentia panis, & vini. Remoto enim priori, remouetur, & poſterius. Sed ſubſtantia eſt naturaliter prior accidente, vt probatur ſeptimo * Metaphyſicorum. Cum igitur facta conſecratione, non remaneat ſubſtantia panis in hoc ſacramento, videtur quod non poſsint remanere accidẽtia eius. *ſupr. ar. 2. ad 3. & infr. q. 76. a. 1. ad 3. & 4. d. 12. q. 1. ar. 1. q. 2. & d. 12. q. 1. ad 1. Cor. 11. lc. 5. to. 2. & fin. & col. 6. 2. 2. q. 10. a. 1. ad 1.*

2 Præterea, In ſacramento veritatis non debet eſſe aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de ſubſtantia. Videtur ergo, quod decipiatur humanum iudicium, ſi remanentibus accidentibus, ſubſtantia panis non remaneat. Non ergo hoc eſt cõueniens huic ſacramento.

3 Præterea. Quamuis fides noſtra non ſit ſubiecta rationi, non tamẽ eſt cõtra rationem, ſed ſupra ipſam: vt in principio huius operis dictum eſt. † Sed ratio noſtra habet ortum à ſenſu; ergo fides noſtra non debet eſſe contra ſenſum. Eſt autem contra *† l. 7. tex. 4. to. 3.*

ſenſum, dum ſenſus indicat eſſe panem, & fides credit eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti. Non ergo hoc eſt conueniens huic ſacramento, quod accidentia panis ſubiecta ſenſibus maneant, & ſubſtantia panis non maneat.

4 Præterea, Illud quod manet cõuerſione facta, videtur eſſe ſubiectũ mutationis. Si ergo accidentia panis manent conuerſione facta, videtur quod ipſa accidentia ſint conuerſionis ſubiectum. Quod eſt impoſibile: nam accidentis non eſt accidens. Non ergo in hoc ſacramẽto debent remanere accidentia panis & vini.

Sed cõtra eſt, quod Aguſtinus * dicit in libro ſent. Proſperi, Nos in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, ideſt carnem & ſanguinem, honoramus. *Refertur de conſ. d. 2. ca nos autem.*

Reſpondeo dicẽdum, quod ſenſu apparet, facta conſecratione, omnia accidentia panis, & vini remanere. Quod quidem rationabiliter per diuinam prouidentiam fit. Primo quidem, quia non eſt conſuetum hominibus, ſed horribile carnem hominis comedere, & ſanguinem bibere. Et ideô proponuntur nobis caro, & ſanguis Chriſti ſumenda ſub ſpeciebus illorum, quæ frequentius in vſum hominis veniunt, ſcilicet panis, & vini. Secundo, ne hoc ſacramentum ab infidelibus irrideretur, ſi ſub ſpecie propria, Dominum noſtrum manducaremus. Tertio, vt dum inuiſibiliter corpus, & ſanguinem Domini noſtri ſumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut dicitur in libro * de cauſis, Effectus plus dependent â cauſa prima. Et ideô virtute Dei, qui eſt cauſa prima omnium, fieri poteſt vt remaneant poſteriora, prioribus ſublatis. *In propoſit. 1 h. betur hic lib. inter op. Ariſ. to. 3.*

Ad ſecundum dicendum, quod in hoc ſacramento nulla eſt deceptio: ſunt enim ibi ſecundum rei veritatem accidentia, quæ ſenſibus diiudicantur. Intellectus autem, cuius eſt proprium obiectum ſubſtantia (vt dicitur in tertio de anima *) per fidem â deceptione præſeruatur. *li. 3. tex. 26. t. 2.*

Et ſic patet reſponſio ad tertiũ. Nam fides non eſt contra ſenſum, ſed eſt de eo, ad quod ſenſus non attingit.

Ad quartum dicendum, quod hæc conuerſio non proprie habet ſubiectum, vt dictum eſt. * Sed tamen accidentia quæ remanent, habent aliquam ſimilitudinem ſubiecti. *a. 3. hui. q. ad 1. & 2.*

46 Concluſio affirmans eſt, & certa ſecundum fidem, vtpote diffinita ſæpius ab Eccleſia, nimitum in Concilio Lateranenſi, cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate, in Florentino in decreto Eugenij, & nouiſsime in Tridentino Seſs. 13. can. 2. aduertendum tamen eſt has diffinitiones ſolum cadere formaliter, & expræſſe, ſupra accidentia ſenſibilia, quæ communiter vocantur ſpecies: non vero ſupra inſenſibilia, vt ſunt relationes immediate fundatæ in ſubſtantia: neque ſupra accidentia, quæ ſunt proprietates à ſubſtantia naturaliter dimanantes: nam de illis certum eſt non permanere, quia eſſentialiter dependent à ſubſtantia in conſeruari: de iſtis vero licet certum ſit, quod permaneant, quia ſubiectantur in ſubſtantia panis mediante quantitate, ac per conſequens cum quantitas perſeueret, ipſæ quoque proprietates, v. g. virtus nutriendi, & ſimiles perſeuerant, quæ neque eſſentialiter à ſubſtantia in conſeruari dependent: non tamen earum permanentia eſt certa de fide, quia neque eſt expræſſa, neque intenta a prædictis Eccleſiæ diffinitionibus.

ART.

ART. VI.

Vtrum facta conſecratione, remaneat in hoc ſacramento forma ſubſtantialis panis?

infr q. 77. ar. 1. & 6. cor. & 4. diſ. 11. q. 1. art. 1. q. 2 & d. 12. q. 1. art. 2. q. 3. co. & quol. 9. art. 5. ad 3. & 1. Cor. 11. lc. 4. fin.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod facta conſecratione, remaneat in hoc ſacramento forma ſubſtantialis panis. Dictum eſt enim †, quod facta conſecratione, remanent accidētia. Sed cum panis ſit quoddam artificiale, etiam forma eius eſt accidens. Ergo remanet facta conſecratione.

† art. præc.

2 Præterea. Forma corporis Chriſti eſt anima: dicitur enim in 2. de anima *, quod anima eſt actus corporis Phyſici, potentia vitam habentis. Sed non poteſt dici quod forma ſubſtantialis panis conuertitur in animam. Ergo videtur, quod remaneat facta conſecratione.

** l. 2. text. 4. & 6. to. 2.*

3 Præterea, propria operatio rei ſequitur formam ſubſtantialē eius. Sed illud quod remanet in hoc ſacramento, nutrit, & omnem operationem facit, quam faceret panis exiſtens. Ergo forma ſubſtantialis panis remanet in hoc ſacramento facta cōſecratione.

Sed contra, forma ſubſtantialis panis eſt de ſubſtantia panis. Sed ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti: ſicut dictum eſt *. Ergo forma ſubſtantialis panis non manet.

** ar. 2. & 4. hui. q.*

Reſpondeo dicendum, quod quidam poſuerunt, quod facta conſecratione non ſolum remanent accidentia panis, ſed etiam forma ſubſtātialis eius. Sed hoc eſſe non poteſt. Primo quidem, quia ſi forma ſubſtantialis panis remaneret, nihil de pane conuerteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia. Et ita ſequeretur quod non conuerteretur in corpus Chriſti totum, ſed in eius materiam quod repugnat formæ ſacramenti, qua dicitur, hoc eſt corpus meum. Secundo, quia ſi forma ſubſtantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut â materia ſeparata. Primum autē eſſe non poteſt: quia ſi remaneret in materia panis, tunc tota ſubſtantia panis remaneret: quod eſt contra prędicta. *In alia autem materia remanere non poſſet: quia propria forma, non eſt niſi in materia. Si autem remaneret â materia ſeparata, iam eſſet forma intelligibilis actu, & etiam intelligens; nam omnes formæ â materia ſeparatæ, ſunt tales. Tertio, eſſet inconueniens huic ſacramento. Nam accidentia panis in hoc ſacramento remanent, vt ſub eis videatur corpus Chriſti: non autem ſub propria ſpecie, ſicut ſupra dictum eſt. * Et ideo dicendum eſt, quod forma ſubſtantialis panis non remanet.

** a. 2. huius quæſt.*

** a. præc.*

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet arte fieri aliquid cuius forma non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis: ſicut arte poſſunt produci ranæ, ſerpentes, talem enim formam nō producit ars virtute prō propria, ſed virtute naturalium principiorū. Et hoc modo producit formam ſubſtantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam.

Ad ſecundum dicendum, quod anima eſt forma corporis, dans ei totum ordinem eſſe perfecti, ſcilicet eſſe, & eſſe corporeum, & eſſe animatum: & ſic de alijs. Conuer-

titur igitur forma panis in formam corporis Chriſti, ſecundum quod dat eſſe corporeum; non autem ſecũdum, quod dat eſſe animatum tali anima.

Ad tertium dicendum, quod operationum panis, quædam conſequuntur ipſum ratione accidentiũ, ſicut immutare ſenſum. Et tales operationes inueniuntur in ſpeciebus panis poſt conſecrationem propter illa accidentia, quæ remanent. Quædam autem operationes conſequuntur panem, vel ratione materiæ, ſicut quod conuertatur in aliquid; vel ratione formæ ſubſtantialis, ſicut eſt operatio conſequens ſpeciem eius; puta quod confirmat cor hominis. Et tales operationes inueniuntur in hoc ſacramento: non propter formam, vel materiam quæ remaneat; ſed quia miraculosè conferuntur ipſis accidentibus, vt infra dicetur. *q.77.ar 3.5 & 6*

Concluſio eſt negatiua, ob rationes ſuperius adductas, & à D. Thom. hic iterum repetitas, nimirum, quia tota ſubſtantia panis tranſit in corpus Chriſti: & quia facta conſecratione ſolum remanent accidentia panis: & inſuper quia talis forma, neque maneret in materia alio quin tota ſubſtantia panis remaneret: quod eſt contra fidẽ: neque in alia materia quia propria forma non eſt niſi in materia propria: neque maneret ſeparata a materia: alioquin eſſet forma intellectualis, & conſequenter non panis.

XXXXX

ART. VII.

Vtrùm iſta conuerſio fiat in inſtanti?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod iſta conuerſio non fiat in inſtanti, ſed ſit ſucceſsiua. In hac enim conuerſione prius eſt ſubſtantia panis, & poſtea ſubſtantia corporis Chriſti. Non ergo vtrumque eſt in eodem inſtanti, ſed in duobus inſtantibus. Sed inter quælibet duo inſtantia eſt tempus medium. Ergo opportet quod hæc conuerſio fiat ſecundum ſucceſſionem temporis, quod eſt inter vltimum inſtans, quo ibi eſt panis; & primum inſtans, quo ibi eſt corpus Chriſti. *Sup. a. 1. co. & inf. q.78.a.2 & 5. cor. & 4. d. 11 q. 1. ar. 2. co. & a. 3. q. 2. per tot. & 4. cont. c. 72*

2 Præterea. In omni conuerſione eſt fieri, & factum eſſe. Sed hæc duo non ſunt ſimul: quia quod fit, non eſt; quod autem factum eſt, iam eſt. Ergo in hac cõuerſione eſt prius, & poſterius; & ita opportet quod nõ ſit inſtantanea, ſed ſucceſsiua.

3 Pręterea, Ambr. * dicit in lib. de ſacram. quod iſtud ſacramẽtum, Chriſti ſermone conficitur. Sed ſermo Chriſti ſucceſsiuê profertur. Ergo hæc conuerſio fit ſucceſsiuè. *lib. 4. c. 4 par. in à prin. to. 4*

Sed contra eſt, quod hæc conuerſio perficitur virtute infinita, cuius eſt ſubito operari.

Reſpondeo dicẽdũ, quod aliqua mutatio eſt inſtantanea triplici ratione. Vno quidem modo ex parte formæ, quę eſt terminus mutationis. Si enim ſit aliqua forma, quæ recipiat

ma-

magis, & minus, ſucceſsiue acquiritur ſubiecto: ſicut ſanitas. Et ideo quia forma ſubſtantialis non recipit magis, & minus, inde eſt quod ſubito fit eius introductio in materia. Alio modo ex parte ſubiecti, quod quandoque ſucceſsiuè præparatur ad ſuſceptionem formæ: & ideo aqua ſucceſsiue calefit. Quando vero ipſum ſubiectum eſt in vltima diſpoſitione ad formam, ſubito recipit ipſam: ſicut diaphanum ſubito illuminatur. Tertio modo ex parte agentis, quod eſt infinitæ virtutis. Vnde ſtatim poteſt materiam ad formam diſponere: ſicut dicitur Marc. 7. quod cum Chriſtus dixiſſet, Ephetha, quod eſt adaperire, ſtatim apertæ ſunt aures hominis & ſolutum eſt vinculum linguæ eius. Ex his tribus rationibus hæc conuerſio eſt inſtantanea. Primo quidem quia ſubſtantia corporis Chriſti, ad quã terminatur iſta conuerſio, non ſuſcipit magis neque minus. Secundo, quia in hac conuerſione non eſt aliquod ſubiectum; quod ſucceſsiue præparetur. Tertio, quia agitur Dei virtute infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam non ſimpliciter concedunt, quod inter quælibet duo inſtantia ſit tempus medium. Dicunt enim quod hoc habet locum in duobus inſtantibus, quæ referuntur ad eumdem motum, non autem in duobus inſtantibus, quæ referuntur ad diuerſa. Vnde inter inſtans quod menſurat finem quietis, & aliud inſtans quod menſurat principium motus, non eſt tempus medium. Sed in hoc decipiuntur: quia vnitas temporis, & inſtantis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur ſecundum quoſcumque motus, ſed ſecundum primum motum cæli, qui eſt menſura omnis motus, & quietis. Et ideo alij hoc concedunt in tempore, quod menſurat motum dependẽtem ex motu cæli. Sunt autẽ quidã motus ex motu cęli non dependentes, nec ab eo menſurati: ſicut in prima parte dictum eſt * de motibus angelorum, vnde inter duo inſtantia illis motibus reſpondentia, non eſt tempus medium. Sed hoc non habet locum in propoſito: quia quamuis iſta conuerſio ſecundum ſe non habeat ordinem ad motum cæli, conſequitur tamẽ prolationem verborum, quam neceſſe eſt motu cœli menſurari. Et ideo neceſſe eſt inter quælibet duo inſtantia circa iſtam conuerſionem ſignata, eſſe tempus medium. Quidam ergo dicunt, quod inſtans, in quo vltimo eſt panis, & inſtans, in quo primo eſt corpus Chriſti, ſunt quidem duo per comparationem ad menſurata, ſed ſunt vnum per comparationem ad tempus menſurans, ſicut cũ duæ lineæ ſe contingunt, ſunt duo puncta ex parte duarum linearum, vnum autem punctum ex parte loci continentis. Sed hoc non eſt ſimile, quia inſtans, & tempus, particularibus motibus non eſt menſura intrinſeca, ſicut linea & punctus corporibus, ſed ſolum extrinſeca, ſicut corporibus locus. Vnde alij dicunt, quod eſt idem inſtans re; ſed aliud ratione. Sed ſecundum hoc ſequeretur, quod realiter oppoſita eſſent ſimul, nam diuerſitas rationis non variat aliquid ex parte rei. Et ideo dicendum eſt, quod hæc conuerſio (ſicut dictum eſt *) perficitur per verba Chriſti, quæ à Sacerdote proferuntur; ita quod vltimum inſtans prolationis verborum; eſt primum inſtans, in quo eſt in ſacramento corpus Chriſti, In toto autem tempore præcedente, eſt ibi ſubſtantia panis; cuius temporis non eſt acci-

p p q. 53 art. 3

in corp. art.

pere aliquod inſtans, proximê præcedens vltimum: quia tempus non componitur ex inſtantibus conſequenter ſe habentibus, vt probatur 6. * Phyſic. Et ideô eſt quidem dare primum inſtans, in quo eſt corpus Chriſti; non eſt autem dare vltimum inſtans, in quo ſit ſubſtantia panis: ſed eſt dare vltimum tempus. Et idẽ eſt in mutationibus naturalibus, vt patet per Philoſ. in 8. Phyſic. *

à orig. li. per totum text. 10. 2.

text. 72. to. 2.

Ad ſecundum dicendum, quod in mutationibus inſtantaneis ſimul eſt fieri, & factum eſſe; ſicut ſimul eſt illuminari, & illuminatum eſſe. Dicitur enim in talibus factum eſſe, ſecundum quod iam eſt; fieri autem ſecundum quod ante non fuit.

Ad tertium dicendum, quod iſta conuerſio (ſicut dictum eſt *) ſit in vltimo inſtanti prolationis verborum: tunc enim completur verborum ſignificatio, quæ eſt efficax in ſacramentorum formis. Et ideô non ſequitur quod iſta conuerſio ſit ſucceſsiua.

In ſol. ad 1. in iſte art.

RESponſum Angelici Doctoris eſt affirmatiuum, eo quod ſubſtantia corporis Chriſti ad quam terminatur iſta conuerſio non ſuſcipit magis neque minus.

Secundo, quia in hac conuerſione non eſt aliquod ſubiectum, quod indigeat ſucceſsiua præparatione.

Tertio, quia agitur Dei virtute infinita: & ex hoc triplici capite contingit mutationem eſſe inſtantaneam.

ART. VIII

Vtrùm hæc ſit falſa, ex pane ſit corpus Chriſti?

AD octauum ſic proceditur. Videtur quod hæc ſit falſa. Ex pane ſit corpus Chriſti. Omne enim id ex quo ſit aliquid, etiam dicitur, quod ſit illud. ſed non conuertitur: dicimus enim, quod ex albo ſit nigrum, & quod album ſit nigrum: & licet dicamus, quod homo fiat niger, non tamen dicimus, quod ex homine fiat nigrum, vt patet in 1. Phyſicor. * Si ergo verum eſt, quod ex pane fiat corpus Chriſti, verum erit dicere, quod panis fiat corpus Chriſti. Quod videtur eſſe falſum: quia panis non eſt ſubiectum factionis, ſed magis eſt terminus. Ergo nõ verê dicitur, quod ex pane fiat corpus Chriſti.

4. d. 11. q. 2. art. 4.

cap. 5.

2 Præterea, Fieri terminatur ad eſſe vel ad factum eſſe. Sed hæc numquam eſt vera, Panis eſt corpus Chriſti, vel panis eſt factus corpus Chriſti, vel etiam, Panis erit corpus Chriſti. Ergo videtur, quod nec etiam hęc ſit vera, Ex pane ſit corpus Chriſti.

3 Præterea, Omne id, ex quo ſit aliquid, conuertitur in id quod ſit ex eo. Sed hæc videtur eſſe falſa, Panis conuertitur in corpus Chriſti, quia hæc conuerſio videtur eſſe miraculoſior, quâm creatio mundi, in qua tamen non dicitur, quod non

ens

ens conuertitur in ens. Ergo videtur, quod etiam hæc ſit falſa, Ex pane fit corpus Chriſti.

4 Præterea, Illud ex quo fit aliquid, poteſt eſſe illud. Sed hæc eſt falſa, Panis poteſt eſſe corpus Chriſti. Ergo & hæc eſt falſa, Ex pane fit corpus Chriſti.

li. 4. c. 4. circ. princ. to. 4.

Sed contra eſt, quod Ambr. † dicit in libro de ſacramentis, Vbi accedit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.

Reſpondeo dicendum, quod hæc conuerſio panis in corpus Chriſti, quantum ad aliquid, conuenit cum creatione, & cum tranſmutatione naturali: & quantum ad aliquid, differt ab vtroquê. Eſt enim commune his tribus ordo terminorum, ſcilicet vt poſt hoc ſit hoc (in creatione enim eſt, eſſe poſt non eſſe, in hoc ſacramẽto, corpus Chriſti poſt ſubſtantiam panis; in tranſmutatione naturali album poſt nigrum, vel ignis poſt aerem) & quod prædicti termini non ſint ſimul. Conuenit autem conuerſio, de qua nunc loquimur, cum creatione: quia in neutra earum eſt aliquod commune ſubiectum vtriquê extremorum, cuius contrarium apparet in omni tranſmutatione naturali. Conuenit vero hæc conuerſio cum tranſmutatione naturali in duobus, licet non ſimiliter. Primo quidem, quia in vtraquê vnum extremorum tranſit in aliud (ſicut panis in corpus Chriſti, & aer in ignẽ) non autem non ens conuertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit vtrobiquã: nam in hoc ſacramento tota ſubſtantia panis tranſit in totum corpus Chriſti, ſed in tranſmutatione naturali materia vnius ſuſcipit formã alterius, priori forma depoſita. Secundo conueniunt in hoc, quôd vtrobiquê remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione. Differenter tamen: nam in tranſmutatione naturali remanet eadem materia, vel ſubiectum: in hoc autem ſacramento remanent eadem accidentia. Et ex his poteſt accipi qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo prædictorum trium extrema ſunt ſimul, ideo in nullo eorum poteſt vnum extremum de alio prædicari per verbum ſubſtantiuum præſentis temporis: non enim dicimus, non ens eſt ens, vel panis eſt corpus Chriſti, vel aer eſt ignis, vel album eſt nigrum. Propter ordinem vero extremorum poſſumus vti in omnibus hac præpoſitione ex, quæ ordinem deſignat: poſſumus enim veré, & propriê dicere, quod ex non ente fit ens, & ex pane corpus Chriſti, & ex aere ignis, vel ex albo nigrum. Quia vero in creatione vnum extremorum non tranſit in alterum, non poſſumus in creatione vti verbo conuerſionis, vt dicamus, quod non ens conuertitur in ens. Quo tamen verbo vti poſſumus in hoc ſacramento, ſicut & in tranſmutatione naturali. Sed quia in hoc ſacramento tota ſubſtantia in totam ſubſtantiam mutatur: propter hoc hæc conuerſio propriê tranſubſtantiatio vocatur. Rurſus, quia huius conuerſionis non eſt accipere aliquod ſubiectum, ea quæ verificantur in conuerſione naturali ratione ſubiecti, non ſunt cõcedenda in hac conuerſione. Et primo quidem manifeſtum eſt, quod potentia ad oppoſitum, conſequitur ſubiectum, ratione cuius dicimus, quod album poteſt eſſe nigrum, & aer poteſt eſſe ignis: licet hæc non ſit ita propria, ſicut prima. Nam ſubiectum albi (in quo eſt potentia ad nigredinem) eſt tota ſubſtantia albi: non enim albedo eſt pars eius: ſubiectum autem formę aeris, eſt pars eius. Vnde cum dicitur, aer poteſt eſſe ignis, verificatur ratione partis per ſynecdochẽ.

Sed

Sed in hac conuerſione, & ſimiliter in creatione, quia nullum eſt ſubiectum, non dicitur quod vnum extremum poſsit eſſe aliud: ſicut quod non ens poſsit eſſe ens, vel quod panis poſsit eſſe corpus Chriſti. Et eadem ratione non poteſt proprie dici, quod de nõ ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Chriſti: quia hæc præpoſitio, de, deſignat cauſam conſubſtantialem, quæ quidem conſubſtantialitas extremorum in tranſmutationibus naturalibus attenditur penes conuenientiam in ſubiecto. Et ſimili ratione non conceditur, quod panis erit corpus Chriſti, vel quod fiat corpus Chriſti: ſicut neque conceditur in creatione, quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens: quia hic modus loquendi verificatur in tranſmutationibus naturalibus ratione ſubiecti: puta, cum dicimus, quod album fit nigrum, vel album erit nigrum. Quia tamen in hoc ſacramento facta conuerſione, aliquid idem manet, ſcilicet acciden- a.5. huius q. tia panis (vt ſupra dictum eſt *) ſecundum quamdam ſimilitudinem aliquæ harum locutionum poſſunt concedi, ſcilicet quod panis ſit corpus Chriſti, vel panis erit corpus Chriſti, vel de pane fit corpus Chriſti: vt nomine panis non intelligatur ſubſtãtia panis, ſed in vniuerſali hoc quod ſub ſpeciebus panis continetur, ſub quibus prius continetur ſubſtantia panis, & poſtea corpus Chriſti.

Ad primum ergo dicendum, quod illud, ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat ſimul ſubiectum cum vno extremorum tranſmutationis, ſicut cum dicitur, ex albo fit nigrum: & ſic etiam dici poteſt, hoc fit illud, id eſt, album fit nigrum. Quandoque vero importat ſolum oppoſitum, vel extremum: ſicut cum dicitur, Ex mane fit dies, & ſic non conceditur, quod hoc fiat illud, id eſt, quod mane fiat dies. Et ita etiam in propoſito, licet proprie dicatur, quod ex pane fiat corpus Chriſti: non tamen proprie dicitur, quod panis fiat corpus Chriſti, niſi ſecundum quamdam ſimilitudinem, vt dictum eſt. * In corp. ar.

Ad ſecundum dicendum, quod illud ex quo fit aliquid, quandoque erit illud, propter ſubiectum, quod importatur. Et ideô cum huius conuerſionis non ſit aliquod ſubiectum, non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quod in hac conuerſione ſunt plura difficiliora, quàm in creatione, in qua hoc ſolum difficile eſt; quod aliquid fit ex nihilo: quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ cauſæ, quæ nihil aliud præſupponit. Sed in hac conuerſione non ſolum eſt difficile, quod hoc totum conuertitur in illud totum; ita quod nihil prioris remaneat (quod non pertineat ad communem modum productionis alicuius cauſæ:) ſed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remaneant corrupta ſubſtantia, & multa alia, de quibus in ſequentibus agetur. * Tamen verbum con- q. 75.77. uerſionis recipitur in hoc ſacramento, non autem in creatione: ſicut dictum eſt. † in corp. ar.

Ad quartum dicendum, quod ſicut dictum eſt. Potentia pertinet ad ſubiectum, quod non eſt accipere in hac conuerſione. Et ideô non conceditur, quod panis poſsit eſſe corpus Chriſti: non enim hæc conuerſio fit per potentiam paſsiuam creaturæ, ſed per ſolam potentiam actiuam creatoris.

47 IN hoc articulo explicat Diuus Thomas, modum loquendi, quem ſeruare debemus, circa Euchariſticam conuerſionem: quod

quod præſtat duabus concluſionibus. Prima eſt: vere dicere poſſumus: ex pane fit corpus Chriſti: ſicut etiam dicimus, quod ex nonente fit ens, & ex albo fit nigrum. Secunda eſt: aliquo modo cōcedi poſſunt iſtæ propoſitiones: panis eſt corpus Chriſti; & panis erit corpus Chriſti, & de pane fit corpus Chriſti: ideſt per quamdam ſimilitudinem huius conuerſionis ad naturales tranſmutationes: ſicut enim in iſtis manet idem ſubiectum commune vtriquè termino: ita in illa manet aliquid commune: nimirum accidentia.

Ex hac doctrina ſancti Doctoris tres regulas colligunt Theologi, iuxta quas admittendæ, ſiue negandæ ſunt propoſitiones de hac conuerſione panis in corpus Chriſti. Prima eſt: propoſitiones ſignificantes ſucceſsionem terminorum, ſiue trāſitum vnius terminari in alterum ſunt veræ, & ſimpliciter concedendæ: cuiuſmodi ſunt ex pane fit corpus, & panis conuertitur in corpus Chriſti: eo quòd illa particula, *ex*, non dicit determinate habitudinem cauſæ, vel principij, ſed ample dicit ſucceſſionis habitudinem, vel termini à quo: & ideò dicimus ex nocte fieri diem, & ex nihilo fieri cœlum. Similiter in alia propoſitione nihil aliud denotatur, quam habitudo, & ſucceſsio terminorum inter ſe: hæc autem re vera interuenit inter ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti: igitur huiuſmodi locutiones veræ ſunt, & ſimpliciter admittendæ: Vnde & valde vſitatæ ſunt apud ſanctos Patres.

Secunda regula eſt: propoſitiones quæ ſignificant ſubiectū ſubſtantiale cōmune vtriquè termino, ſeu cauſam materialē cōmunem; ſunt impropriæ, falſæ in rigore, & ſimpliciter negandæ: ac proinde ſi alicubi apud Patres inueniantur, pie, & cum addito explicandæ. Cuius generis ſunt hæc, dè pane fit caro Chriſti, quia illa particula, *de* in rigore denotat conſubſtantialitatem, atquè aliquam materiam, vel ſubſtantiam panis communicari corpori Chriſti: quod in hac conuerſione eſt falſum: eo quòd nullum manet ſubiectū commune vtriquè termino: & hæc propoſitio: *panis fit caro, & vinum fit ſanguis*, vtpotè quæ in tranſmutatione naturali verificatur ratione ſubiecti cōmunis, ſiue totalis, vt in tranſmutatione accidentali, per quam calidum fit frigidum, & albū fit nigrum, vbi ſunt dictæ propoſitiones propriſſimæ; in tranſmutatione autē ſubſtantiali, etiam formali verificantur ratione eiuſdem ſubiecti partialis hoc eſt materiæ, & ideo ſunt minus propriæ: habent tamen ſufficiens fundamentum, vt ſimpliciter admittantur: in quo ſenſu dicitur, Ioan. 2. *cum vidiſſet aquam vinum factā*: at qui in conuerſione totali qualis eſt Euchariſtica vbi vna ſubſtantia, totaliter trāſit in aliam, ac proinde nullum ſubiectum commune manet, in rigore non ſunt propriæ locutiones, ac proinde nequè ſimpliciter admittendæ, niſi cum grano ſalis, & cum aliquo addito; aut per quamdam ſimilitudinem, vt explicuit D. Th. in calce huius articuli, id eſt, in vno ex tribus ſenſib⁹; nimirum, vel quatenus ſignificetur in illis non quidem panem proprium, & naturalē effici corpus Chriſti; ſed corpus effici panem methaphorice, id eſt cibum ſpiritualiter reficientem hominem, qui ſub forma panis datur, in quo ſenſu dicitur corpus Chriſti eſſe panem cœleſtem, & 1. ad Corinth. 11. inquit Paulus: *Quotieſcumquè manducabitis panem hunc, &c.* vel quatenus in illis ſignificetur panem fieri corpus tranſitiue; ideſt tranſire in corpus, vel tandem propterea, quod manet etiam aliquid commune vtrique termino, nempe accidentia; & ita fiat ſenſus, quod contentum ſub aacidentibus vage, eſt corpus Chriſti, quod quidem à principio erat panis; in fine autem conuerſionis eſt Chriſti corpus.

48 Vnde tertia regula eſt, quod propoſitiones ſignificantes aliquid commune vtrique termino manere, aut affirmantes de corpore Chriſti, id quod erat ante conſecrationem, eatenus vere ſunt, & concedendæ, quatenus ſumuntur non pro aliqua ſubſtantia indiuidua determinate, ſed abſtratiue pro aliquo indiuiduo vago, ideſt pro re cōtenta panis, aut vini. Cuius ratio eſt, quia præter accidentia nulla res indiuidua manet in hac conuerſione communis vtrique termino; ipſa autē accidentia in recto, & proprie de nullo terminorū, ideſt neque de ſubſtātia panis: neque de corpore Chriſti prædicātur; & alias termini huius cōuerſionis cōueniūt in ratione cōtēti ſub his accidētib⁹. Vnde ad hūc ſenſum exponēdæ ſunt iſtæ locutiones; nimirū: *panis, & vinū poſt cōſecrationē ſunt verū corpus, & ſanguis Chriſti.* Quæ habetur in c. *ego, Berengarius* de cōſecratione diſt. 2. *Et panis fit corpus, & vinū fit ſanguis cōſecratione*, & alię ſimiles; quæ habētur apud Innoc. lib. 4. de Euchariſt. c. 6. apud Damaſc. lib. 4. de fide c. 14. & apud alios Patres ſuperi⁹ citatos.

QVAESTIO

Digitized by Google

QVAESTIO LXXVI.

De modo, quo Christus eſt in hoc ſacramento, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm totus Christus contineatur ſub hoc ſacramento?

Inf. q. 97. a. 1. ad 3. & 4. d. 10. art. 2. & quæſt. 7. a. 8. & Ioa. 6. lec. 6. fin.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod non totus Chriſtus contineatur ſub hoc ſacramento. Chriſtus enim incipit eſſe in hoc ſacramento per conuerſionem panis, & vini; ſicut dictum eſt. * Sed manifeſtum eſt, quod panis, & vinum non poſſunt conuerti, neque in diuinitatem Chriſti, neque in eius animam. Cum ergo Chriſtus exiſtat ex tribus ſubſtantijs, ſcilicet diuinitate, anima, & corpore (vt ſupra dictum eſt †) videtur, quod totus Chriſtus non ſit ſub hoc ſacramento.

q. 75. a. 4. quæſt. 1. q. 74. a. 8.

2 Præterea, Chriſtus eſt in hoc ſacramento, ſecundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo, & potu conſiſtit ſicut ſupra dictũ eſt. * Sed Dominus dicit Ioann. 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ergo ſolum caro, & ſanguis Chriſti continentur in hoc ſacramento. Sunt autem multæ aliæ partes corporis Chriſti: puta, nerui, oſſa, & alia huiuſmodi. Non ergo totus Chriſtus continetur ſub hoc ſacramento.

2 Præterea, Corpus maioris quantitatis non poteſt totum contineri ſub minoris quantitatis mẽſura. Sed menſura panis, & vini conſecrati, eſt multo minor, quàm propria menſura corporis Chriſti. Non poteſt ergo eſſe, quod totus Chriſtus ſub hoc ſacramento contineatur.

Sed contra eſt, quod Ambr. † dicit in libr. de Offic. In illo ſacramento Chriſtus eſt.

referitur de conſ. d. 2. c. ante bened. & c. in ſacr. & habetur de his qui myſterijs initiantur, c. 9.

Reſpondeo dicendum, quod omnino neceſſe eſt confiteri ſecundum fidem catholicam, quod totus Chriſtus ſit in hoc Sacramento. Sciendũ tamen, quod aliquid Chriſti eſt in hoc ſacramento dupliciter. Vno modo quaſi ex vi ſacramenti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi qui-

quidem ſacramenti eſt ſub ſpeciebus huius ſacramenti id in quod directe conuertitur ſubſtantia panis, & vini præexiſtens. prout ſignificatur per verba formæ quæ ſunt effectiua in hoc ſacramento: ſicut & in cæteris mutationibus: puta cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, vel, Hic eſt ſãguis meus. Ex naturali autem cõcomitantia eſt in hoc ſacramento illud, quod realiter eſt coniunctum ei, in quod prædicta conuerſio terminatur. Si enim aliqua duo ſunt realiter coniuncta, vbicumque eſt vnum realiter, oportet & aliud eſſe. Sola enim operatione animæ diſcernũtur quę realiter ſunt coniuncta.

Ad primum ergo dicendum, quod quia conuerſio panis & vini nõ terminatur ad diuinitatem, vel animam Chriſti, conſequens eſt quod diuinitas, vel anima Chriſti ſit in hoc ſacramẽto nõ ex vi ſacramẽti, ſed ex reali concomitãtia. Quia enim diuinitas corpus aſſumptum numquã depoſuit, vbicumque eſt corpus Chriſti, neceſſe eſt & eius diuinitatem eſſe: & ideo in hoc ſacramento neceſſe eſt eſſe diuinitatem Chriſti, concomitantem eius corpus. Vnde in Synod. Epheſ.* legitur, Participes efficimur corporis, & ſanguinis Chriſti, non vt communem carnem percipientes, nec viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, ſed vere viuificatricem. & ipſius verbi propriam factam. Anima vero realiter ſeparata fuit â corpore, vt ſupra dictum eſt†. Et ideo ſi in illo triduo mortis fuiſſet hoc ſacramentum celebratum, non fuiſſet ibi anima Chriſti, nec ex vi ſacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, vt dicitur Rom. 6. anima eius ſemper eſt realiter corpori eius vnita. Et ideo in hoc ſacramento corpus quidem Chriſti eſt ex vi ſacramenti: anima autem Chriſti ex reali concomitantia.

habetur in Conc. Eph. 1. l. ep. ad Neſt. à m. illius, et refertur de co ſid. 2. c. neceſſar.

q. 50. a. 2. 3. & 4.

Ad ſecundum dicendũ, quod ex vi ſacramenti ſub hoc ſacramento continetur quãtum ad ſpecies panis non ſolum caro, ſed totum corpus Chriſti, ſcilicet oſſa, nerui, & alia huiuſmodi. Et hoc apparet ex forma huius ſacramenti: in qua non dicitur, hæc eſt caro mea, ſed; hoc eſt corpus meum. Et ideo cum Dominus dixit Ioan. 6. Caro mea vere eſt cibus: caro ponitur ibi pro toto corpore, quia ſecundum cõſuetudinem humanam videtur eſſe magis manducationi accommodata: prout ſcilicet homines carnibus animalium veſcũtur communiter, non autem oſsibus vel alijs huiuſmodi.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt†, facta conuerſione panis in corpus Chriſti, vel vini in ſanguinem, accidentia vtriuſq; manent. Ex quo patet, quod dimẽſiones panis vel vini, non conuertuntur in dimenſiones corporis Chriſti, ſed ſubſtantia in ſubſtantiam. Et ſic ſubſtantia corporis Chriſti, vel ſãguinis, eſt ſub hoc ſacramento ex vi ſacramenti: non autem dimenſiones corporis, vel ſanguinis Chriſti. Vnde patet, quod corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modum ſubſtantiæ, & non per modum quantitatis. Propria autem totalitas ſubſtantiæ continetur indifferenter in parua, vel magna quantitate: ſicut tota natura aeris in magno, vel paruo aere, & tota natura hominis in magno, vel paruo homine. Vnde, & tota ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti continetur in hoc ſacramento poſt conſecrationẽ, ſicut ante conſecrationem continebatur ibi tota ſubſtantia panis, & vini.

q. 75. a. 5.

Reſ-

RESponſum Angelici Doctoris, eſt, certum eſſe ſecundum fidem Catholicam, quod totus Chriſtus eſt in hoc ſacramento: cum hoc tamen diſcrimine, quod aliquid Chriſti eſt ex vi ſacrameti; nimirum id, in quod directe conuertitur ſubſtantia panis, & vini, prout ſignificatur per verba conſecrationis, quæ faciunt quod ſignificant: aliquid vero eſt ex naturali concomitantia: nimirum id quod realiter eſt coniunctum ei, in quod conuerſio terminatur. Ex qua doctrina infert in ſolutionibus argumentorum contineri ſub ſpeciebus panis ex vi ſacramenti ſolum corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſolum ſanguinem; reliqua verò, ſcilicet diuinitatem, & animam contineri per concomitantiam.

ART. II.

Vtrùm totus Chriſtus contineatur ſub vtraquè ſpecie huius ſacramenti?

(? ¿ ?)

infr. q. 78. a. 6. ad 2. & q. 79. a. 1. ad 3. & q. 80. ar. 12. ad 3 & 4. d. 11 q. 2. a. 1. q. 1. ad 2 & Ioa. 6. le. 7. co. 2 & 1. Cor. 11. le. 6. co. 2.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd non ſub vtraquê ſpecie huius ſacramenti totus Chriſtus contineatur. Hoc enim ſacramentum ad ſalutem fidelium ordinatur, non virtute ſpecierum, ſed virtute eius, quod ſub ſpeciebus continetur: quia ſpecies erant etiam ante conſecrationem, ex qua eſt virtus huius ſacramenti. Si ergo nihil continetur ſub vna ſpecie, quod non contineatur ſub alia, ſed totus Chriſtus continetur ſub vtraquè: videtur, quod altera illarum ſuperfluat in hoc ſacramento.

2 Præterea, Dictum eſt † quôd ſub nomine carnis omnes aliæ partes corporis continentur: ſicut oſſa, nerui, & alia huiuſmodi. *art. præc.* Sed ſanguis eſt vna partium humani corporis: ſicut patet per Ariſtotel. in lib. * de anima. Si ergo ſanguis Chriſti cõtinetur ſub ſpecie panis, ſicut continentur ibi aliæ partes corporis, non deberet ſeorſum ſanguis conſecrari, ſicut nequê ſeorſum conſecratur aliqua alia pars corporis. *libr. 3. de gen ani. c. 2. 10. 4.*

3 Præterea, Quod iam factũ eſt, iterum fieri non poteſt. Sed corpus Chriſti iã incepit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationem panis. Ergo non poteſt eſſe, quod de nouo incipiat eſſe per conſecrationem vini. Et ita ſub ſpecie vini non continebitur corpus Chriſti, & per conſequens, nec totus Chriſtus. Nõ ergo ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur.

Sed contra eſt, quod 1. Cor. 11. ſuper illud, Et calicem, dicit * gloſſ. quod ſub vtraque ſpecie, ſcilicet panis, & vini idem ſumitur. Et ita videtur ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus eſſe. *gloſſ. ordi. ſup. illud, Accipite, & manducate.*

Reſpondeo dicendum, certiſsime tenendum eſſe, quod ſub vtraque ſpecie ſacramenti, totus eſt Chriſtus, aliter tamen, & aliter. Nam ſub ſpeciebus panis eſt quidem corpus Chriſti ex vi ſacramenti; ſanguis autem, ex reali concomitantia, ſicut ſupra dictum eſt de anima, & diuinitate Chriſti. * Sub ſpeciebus verô vini, eſt quidem ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti: corpus autem Chriſti ex reali concomitantia, ſicut anima, & diuinitas: eo quod nunc ſanguis Chriſti non eſt ab eius corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſsionis, & mortis. *art. præc. ad 1.* Vnde ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum celebratum ſub ſpeciebus panis, fuiſſet corpus Chriſti, ſine ſanguine, & ſub ſpeciebus vini,

ſan-

ſanguis ſine corpore, ſicut erat in rei veritate.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie, non tamen fruſtra. Nam primo quidem hoc valet ad repræſentandum paſsionem Chriſti, in qua ſeorſum fuit ſanguis à corpore ſeparatus: vnde & in forma conſecrationis ſanguinis fit mentio de eius effuſione. Secundo, hoc eſt conueniens vſui huius ſacramenti; vt ſeorſum exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſanguis in potum. Tertio, quantum ad effectum, ſecundum quod ſupra dictum q.74 a.1. eſt, * quod corpus exhibetur pro ſalute corporis; & ſanguis pro ſalute animæ.

Ad ſecundum dicendum, quod in paſsione Chriſti (cuius hoc ſacramentum eſt memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab inuicem ſeparatæ, ſicut ſanguis; ſed corpus indiſſolutum permanſit. ſecundum quod legitur Exod.12. Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc ſacramento ſeorſum conſecratur ſanguis à corpore; no autem aliqua alia pars ab alia.

Ad tertium dicendum; quod ſicut dictum * eſt, corpus Chriſti non in corp. ar. eſt ſub ſpecie vini ex vi ſacramenti, ſed ex reali concomitantia. Et ideo per conſecrationem vini, non fit ibi corpus Chriſti per ſe, ſed concomitanter.

1 Concluſio eſt affirmatiua, & certiſsime tenenda; nimirum, quod ſub ſpeciebus panis ſit totus Chriſtus, quantum ad totam ſuam ſubſtantiam, & ſimiliter ſub ſpeciebus vini, verùm cùm hoc diſcrimine, quod ſub ſpeciebus panis eſt ſubſtantia corporis ex vi ſacramenti, & ſanguis per concomitantiam: econtrà verò ſub ſpeciebus vini, ſanguis eſt ex vi ſacramenti, & corpus per concomitantiam.

Hinc colligit Diu. Thomas, quod ſi in triduo mortis Chriſti fieret conſecratio, nullo modo contineretur ſanguis ſub ſpeciebus panis, neque corpus ſub ſpeciebus vini, quia tunc corpus, & ſanguis erant ab inuicem ſeparata; & propterea nõ dabatur locus concomitantiæ, quæ in reali coniunctione fundatur.

Circa doctrinam hanc vtriuſque articuli duo præcipue ſunt, quæ à Theologis in controuerſiam vocantur, vt explicent illum duplicem modum aſsignatum a Diuo Thoma, & approbatum poſtea à Concilio Tridentino Seſsion.13.cap.3. exiſtendi Chriſti in hoc ſacramento, ſcilicet ex vi ſacramenti, & per commitantiam: nimirum quę contineantur in hoc ſacramento ex vi ſacramenti, & quę per concomitantiam: quę proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt diſcutienda.

Dubium primum eſt, quid ſit in ſacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis ex vi verborum; & quid ſub ſpeciebus vini?

2 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio, conueniunt quidem in aſſerendo ſub ſpeciebus panis ex vi verborum; ſeu quod idem eſt ex vi ſacramenti contineri totum Chriſti corpus: eo quod id continetur ex vi verborum conſecrationis, quod formaliter, & expreſſe per illa ſignificatur: per verba autem conſecrationis expreſſe ſignificatur Chriſti corpus in quod fit conuerſio. Tum etiam, quia hæc propoſitio eſt diſfinita de fide à Cõcilio Tridentino in loco nuper allegato: & ſatis per ſe nota eſt ſuppoſita veritate huius miſterij: quia verba formę conſecrationis panis, nihil aliud expreſsius, & immediatius ſignificãt, vel ad ſuam veritatẽ requirunt, quã quod Chri-

Digitized by Google

Christi corpus ſit ibi loco panis, qui in ipſum conuertitur.

Diſcriminantur autem in explicando, quid nomine corporis Chriſti intelligatur in hac catholica ſuppoſitione, in ſex modos dicendi.

Varij modi explicandi corpus poſitum ex vi verborum, recenſentur.

Primus fuit Gabrielis ſuper Canon, lectione 42. Marſilij in 4. quæſt. 8. art. 1. & Maioris, diſt. 10. quæſt. 5. aſſerentium, corpus, quod ex vi verborum eſt ſub ſpeciebus panis, eſſe non aliquid compoſitū ex materia, & accidentibus, ſed ſolam materiam primam, quem dicendi modum ſibi perſuadent. Primo: quia corpus Chriſti, quod ponitur ex vi verborum eſt pars ex qua ſimul cum anima fit compoſitio phiſica per ſe: ergo eſt ſola materia prima. Conſequentia patet, quia ſi eſſet aliquid aliud, ſimul cum materia, non fieret vnum per ſe ex ipſo, & anima, vt conſtat ex principijs Philoſophiæ.

Secundo, quia idem corpus Chriſti manſit in triduo, quod erat viuum: & idem poneretur in triduo ex vi verborum conſecrationis, quod ponitur modo: ſola autem materia manet in Chriſto homine, viuo, & mortuo, vtpote cum per mortem fiat reſolutio, vſque ad ipſam materiam primam: ergo.

Secundus eſt Ægidij theoremate 28. & duobus ſequentibus, & quorundam iuniorum aſſerentium nomine corporis intelligi non ſolam materiam, ſed materiam cum quantitate, & alijs accidentibus.

Quorum fundamentum eſt, quia in communi modo loquendi, licet aliquando accipiatur corpus pro toto compoſito ex materia, & anima: communius tamen accipitur pro altera parte compoſiti humani, prout diſtinguitur ab anima.

Vnde communiter, dicitur hominem conſtare corpore, & anima: & verbum diuinum accepiſſe humanitatem conſtantem anima, & corpore, & Athanaſius in ſimbolo: *Anima, & caro eſt homo*: Et Tridentinum vbi ſupra vtitur eadem phraſi dicens, corpus poni ſub ſpeciebus panis vna cum anima: ſed corpus ex vi verborum, animam vero per concomitantiam partium inter ſe: ergo in verbis conſecrationis corpus vſurpatur pro parte condiſtincta ab anima: & cum alijs etiam debeat condiſtingui ab omni alia forma ſubſtantiali: reliquum eſt, vt accipiatur pro materia includente quantitatem, & qualitates ſenſibiles; vtpote ſine quibus nō poteſt intelligi in ratione corporis humani, debitā organizationem habentis.

Quæ ratio amplius confirmatur ex D. Thoma, hic art. 2. ad ſecundum dicente, corpus quod ponitur ſub ſpeciebus panis ex vi verborum, includere carnes, oſſa, neruos, & alia huiuſmodi; ſed per quantitatem conſtituitur corpus formaliter in ratione talis: nam effectus formalis quantitatis eſt ſic partes corporis organici conſtituere, & diſtinguere: ergo corpus, quod ponitur ex vi verborum, non ſolum dicit materiam, ſed etiam quantitatem.

3 Tertius eſt Paludani in 4. d. 11. q. 3. art. 3. aſſerentis conuerſionem panis fieri in corpus Chriſti, non in corpus, prout eſt genus, ſeu ſpecies, ſubalterna in prædicamento ſubſtantiæ, neque in corpus de prædicamento quantitatis, neque in corpus, prout conſtatur ex materia, & quantitate, ſed prout eſt compoſitum ex materia, & anima rationali; non quidem ita, vt fiat conuerſio in animam, quatenus dat materiæ eſſe corporis; quo pacto ſola ratione differt à ſe ipſa, prout tribuit eſſe viuentis, & animalis, ſed ita, vt fiat ſolum ratione materiæ in totum compoſitum ex materia, & anima; quam quidem ſententiam ipſe nulla ratione confirmat; poteſt tamen confirmari eadem ratione, qua prima Marſilij, Gabrielis, & Maioris; a qua parum, aut nihil diſcriminari videtur.

Quartus eſt Scoti in eodem 4. d. 11. q. 3. & Enrici, quodlibeto 4. q. 3. & quodlibeto 12. q. 10. aſſerentium nomine corporis importari materiam cum forma quadam corporeitatis, quæ manet eadem in homine viuo, & mortuo.

Quorum fundamentum eſt, quia os, & caro quantum ex eorum accidentibus, & proprietatibus poſſumus iudicare, differunt ſubſtantialiter; ergo per aliquam formam ſubſtantialem; hæc autem non poteſt eſſe anima præſertim in homine, cuius anima eſt eadem in omnibus partibus; quibus proinde confert idem eſſe ſubſtantiale; ergo debet eſſe forma corporeitatis, integrata ex pluribus formis partialibus diuerſæ rationis.

Quod confirmant tripliciter, primo; nā caro, & os in ratione talium præciſſe manent eadem viua, & mortua; ergo non habent præciſſe ab entitate animæ rationē carnis, & oſsis, ſed à forma quæ ſēper manet.

Secūdo, quia forma corporeitatis, quæ fuit in corpore Chriſti in triduo, non fuit

pro-

Tertio, nam idem numero corpus Chriſti fuit mortuum, & viuum: idemque eſſet in hoſtia conſacrata à Chriſto, ſi ſeruaretur in triduo; & idem, ſi de nouo fieret in eodem tempore conſecratio: igitur eadem eſt forma numero ſemper, ſiquidem ſola materia non ſufficit, vt idemnumero per maneat: alioquim idē quoque numero perſeueraret poſt innumerabiles mutationes: quod omnino eſt falsū, & in intelligibile.

Quintus aſſerit nomine corporis denotari compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali non ſecundum gradum communem, ſed disiunctim ex corpore viuo, & mortuo, ita vt neutrum ſignificetur determinatè, ſed hoc, vel illud disiunctim: ita vt ad veritatem illius propoſitionis, *hoc eſt corpus meum*, non requiratur determinate anima rationalis, neque determinate forma cadaueris, ſed vnā, vel altera quatenus conueniunt in hoc quod eſt conferre eſſe corporeum humanū, ac proinde quod de facto ponatur anima, vt tribuit eſſe animatum, non prouenit ex mera, & ſola ſignificatione verborum, ſed ex eoquod de facto corpus Chriſti exiſtit animatum in cœlo: & ſimiliter quod in triduo poneretur corpus Chriſti mortuum, non proueniret ex vi verborum, quæ tantū exigebant formā in determinate ſuficiētem ad tribuē dum eſſe corporeum humanum.

Hanc tuentur Capreolus in 4. d. 10. q. 2. a. 3. Nuno in commentario huius art. 1. & Vazq: diſp. 186. c. 3. & alij iuniores Thomiſtę, qui illā ſuadent 1. ex D. T. q. præced. a. 6. ad 2. dicente: cōuertitur igitur forma panis in formam corporis Chriſti ſecundum quod dat eſſe corporeum, nō autem ſecundum quod dat eſſe animatum tali anima: & art. 2. huius qq. ſubdit quod, ſi in triduo fieret conſecratio, eſſet in Euchariſtia corpus Chriſti mortuum: ergo in ſententia Angelici Doctoris corpus quod eſt in Euchariſtia ex vi verborum habet eſſe per animam, & per formam cadaueris, non quatenus tales ſunt, ſed quatenus conueniunt in hoc quod vnaquæque habet tribuere materiæ rationem corporis humani: quod vtrique commune eſt.

Secundo id probant, quia ſic philoſophando, rectè omnia principia philoſophica, & Theologica inter ſe cohærent: quantū ad præſens attinet, vt facile conſideráti patebit: ergo ſic eſt philoſophādū.

Sextus eſt modus dicendi Dominici de Soto in 4. d. 10. q. 1. art. 1. Martini de Ledeſma, 1. p. 4. q. 17. art. 1. dub. 3. Valentiæ hic, & aliorum aſſerentiū nomine corporis in verbis conſecrationis ſignificari materiam primam, vt accipientem ab anima eſſe corpus humanum, taliter quod ſola materia importetur in recto, anima verò in obliquo. Nam materia prima vt connotans in obliquo vnionem cum anima dante eſſe corporeum humanū eſt id pro quo accipitur corpus poſitum, ex vi ſacramenti ſub ſpeciebus panis: ergo ſola materia ſic connotans vnionem cum anima conſtituitur ex vi verborum in hoc ſacramento: vnio autem & anima quæ à materia cōnotātur, ponūtur per realē cōcomitantiā.

Antecedens probatur, quia in communi modo loquendi corpus dicitur altera pars viuētis in qua recipitur anima: vulgo namque dicimus hominem conſtare anima & corpore: ergo non eſt cur in eodē ſenſu non accipiatur corpus in verbis conſecrationis. Imò ſic accipi ſatis denotat Cōcilium Tridentinum vbiſupra dicens animam eſſe in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis propter naturalem connexionem qua partes Chriſti hominis, ſcilicet anima, & corpus inter ſe copulantur, & cum alias nomine corporis in præſentiarum non poſsit intelligi materia prima nuda; neque cum forma aliqua accidentali, neque cum forma ſubſtantiali corporeitatis: fit conſequens vt debeat intelligi materia prima, vt connotans animam tribuentem illi eſſe corporeum.

5 Sed pro veritatis declaratione: dico primo, nomine corporis in verbis cōſecrationis intelligitur corpus de prædicamento ſubſtātiæ, illud ſcilicet quod eſt cōmune viuētibus, & nō viuētibus: ita vt ex vi verborū ponatur ſub ſpeciebus panis indiuiduū genericū, ideſt cōtrahens huiuſmodi rationē genericā corporis cōmunem viuētibus, & nō viuentibus. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſex priores modos dicēdi, & defenditur à Caiet. q. præced. a. 6. circa ſolut. ad 2. & Suar. diſp. 51. ſect. 4. imò hæc videtur eſſe legitima ſententia Capreoli, & Palud. in locis preallegatis: eſtque expræſſa Durādi in 4. d. 10. q. 2. Dionyſ. Carthuſ. d. 11. q. 1. & Ferrar. 4. cont. gent. c. 64. Suadetur primo, quia videtur expræſſa Angelici Doct. in locis nuper citatis, quorū ſenſus manifeſtus eſt iſte quē intēdit nr̄a aſertio, neq; in alio ſēſu poſsūt præfata teſtimonia congruēter explicari. *Mens auctoris ſtabilitur.*

Secūdo, quia illud corpus ponitur ſub

ſpeciebus panis ex vi verborum, quod expræſſe, & formaliter per verba ipſa conſecrationis ſignificatur, vt dictũ eſt: & de quo verba ipſa verificãtur: atqui hæc verba: *hoc eſt corpus meum* expreſſe ſignificant hoc corpus, quod eſt indiuiduum generis corporis communis viuentibus, & non viuentibus, ſicũt *hoc animal*, ſignificat ex vi verborum indiuiduum genericum animalis, quod explicat gradum genericum animalis, & non ſpecificũ: quãuis in re numquam reperiatur huiuſmodi indiuiduum animalis, niſi coniunctum, & identificatum cum aliqua natura ſpecificã videlicet hominis, vel leonis, &c. ergo huiuſmodi indiuiduum genericum corporis, eſt quod ponitur ſub ſpeciebus panis ex vi verborum præciſſe; licet in re ſit coniũctum cum gradu ſpecifico talis viuentis, aut talis non viuentis, ſcilicet cadaueris: quæ propterea formæ tribuentes tales gradus ſpecificos ponentur ſub ſpeciebus panis per realem concomitantiam.

Tertio probatur labefactando omnes alios modos dicendi, & eorum fundamenta. Primus namque deficit propterea quod corpus quod in Euchariſtia ponitur ex vi verborum debet eſſe organicum, cõſtans carne, neruis, & oſsibus. Rurſus, aut eſt viuum, vel mortuum, inſuper eſt corpus humanum: de quo abſolute & ſimpliciter verificetur quod ſit corpus: atqui ſola materia nude cõſiderata, neque eſt corpus organicum, humanum, neque viuum, aut mortuũ: neque ſimpliciter & abſolutẽ dicitur corp⁹: ergo nõ poteſt nomine corporis in præſẽti accipi ſola materia prima.

Vnde ad primum fundamentum huius opinionis negandum eſt antecedẽs: & ſimiliter ad ſecundũ. Neque enim in triduo manſit idẽ corpus Chriſti abſolute, & ſecundũ gradũ ſpecificũ, vtpote, quia tũc erat cõpoſitũ ex forma longè diuerſa, nimirũ ex forma cadaueris, licet in vtroque ſtatu maneat idem quantum ad gradum genericum corporis.

Impugnãtur omnes modi dicẽdi ſuprarecenſiti.

6 Deinde ſecunda opinio Egidij etiã deficit propter tria. Tum quia admittit quantitatẽ, & qualitates ſenſibiles recipi immediatè in materia prima: quod derogat principijs noſtrę Thomiſticæ philoſophię: tum etiam quia alias conuerſio panis in corpus Chriſti terminatur formaliter in aliquod accidens, ſcilicet in formam illam accidentalem, quæ cõſtituit corpus; quod derogat eſſentiæ conuerſionis ſubſtantialis, & transſubſtantiationis. Tum denique, nam ſequeretur quãtitatem & qualitates ſenſibiles eſſe in Euchariſtia ex vi verborum: ſiquidem conſtituunt ſecundum Egidium formaliter, & intrinſece in ratione organici, corpus. Quod tamen non eſt admittendum: ergo. Neque oppoſitum conuincit eius fundamentum: nam licet aliquando, & minus proprie accipiatur, maxime extra ſcholas corpus pro vna parte compoſiti phiſici, ſcilicet pro materia: tamen propriè & ſtrictè ac riguroſe ſumptum nõ accipitur niſi pro compoſito phiſico ex materia, & forma ſecundum gradum genericum corporeitatis ratione cuius poteſt dici pars reſpectu totius metaphiſici: quod ex gradu generico, & ſpecifico conſtituitur: & ſic debet accipi in verbis conſecrationis. Confirmatio autem adducta pro eadẽ ſententia nullius eſt momenti; quia tribuere carnes, oſſa, & neruos, non eſt effectus formalis quantitatis: quæ tantum habet tribuere extẽſionem partibus ſubſtantiæ.

Deinde tertia opinio Paludani eadem ratione refutatur, qua relinquitur refutata opinio Gabrielis, & Maioris, vtpote a qua verbo tenus diſcriminatur: conuenit namque cum illa in eo quod ponit cõuerſionem fieri in corpus Chriſti ratione ſolius materiæ: quamuis admittat ſupponere huiuſmodi corpus pro toto compoſito ex materia, & anima rationali: ex quo tamen animam rationalem excludit à termino ad quem huius conuerſionis poſsitum ex vi verborum, videtur ſolam materiam relinquere ponẽdam ex vi verborũ.

Quartus autem modus dicendi Scoti multipliciter impugnatur: primo, nam quælibet forma ſubſtantialis poſsita in materia tribuit ipſi eſſe corporeum: nã quælibet vnitur materiæ: ex qua vnione neceſſarium eſt reſultare ſubſtantiam corpoream: alioquin ſubſtantia habens eſſe incorporeum incapax eſt compoſitionis ex materia, & forma: vt ex philoſophia ſupponimus: ergo in ſubſtantia corporea ſuperflua eſt ſpecialis forma corporeitatis, à qua proueniat gradus corporis: ad quem præſtandum, ſufficit forma ſpecifica vnita materiæ; verbi gratia, in homine anima rationalis tribuit materiæ gradum corporis, & in Leone eius anima tribuit eundem gradum: & ſic de ſingulis: ergo.

Secundo, quia forma iſta corporeitatis,

quam

quam conſtituunt aduerſarij coeuam materiæ, quæcunque illa ſit, non facit cũ materia vnum ens completum, aliàs forma ſubſtantialis poſtea ſuperueniens non faceret compoſitionem per ſe cum ſubiecto præexiſtente; conſtituto ſcilicet ex prædicta forma corporeitatis & materiæ; quod tamen eſt manifeſte falſum: ac proinde debet facere ens incompletum: ergo pereũte forma ſpecifica in leone, v. g. poteſt manere materia cũ ſola illa forma, vt admittit contraria ſententia. Conſequentia probatur, quia propter ſuam incompletionẽ materia non poteſt manere nuda, & ſpoliata omni forma: ergo ſi actuata per formã corporeitatis adhuc manet incõpleta, cõſequẽs eſt quod nõ poſsit manere cũ ſola illa, abſente anima leonis, v. g. vel equi, &c.

Tertio, nã ſi illa forma corporeitatis cõſtituit vnũ ens incõpletũ cũ materia, ſequitur quod quando arbor abſcinditur, relinquatur in illa ſola forma corporeitatis: ac per conſequẽs arbor ſic abſciſſa erit ens incõpletũ: quod tamẽ eſſe falſum patet, quia nõ eſt ratio ob quã talis arbor nõ ſit ens tã completum, ſicut ferrum, vel lignum, vel lapis, &c. ergo.

Ex quibus patẽs fit ſolutio ad fundamẽtũ aduerſariorũ. Ad quod admiſſo antecedente, & prima cõſequẽtia: neganda eſt minor: nã anima rationalis, licet vt quod ſit eiuſdẽ omnino rationis, formaliter tamẽ & vt quo eminẽter pręhabet diuerſos gradus ſubſtantiales, ſcilicet corporis, viuẽtis, ſenſibilis, & rationalis, quos tribuit materiæ, & cõſtituit in partibus corporis diuerſitatẽ ſubſtantialem. Ad primã cõfirmationẽ nego antecedẽs: nã teſte Ariſtot. lib. 1. de generat. animal. c. 2, caro & facies æquiuoce dicitur de mortua & viua: vnde magis cõuincitur falſitatis oppoſita ſententia: nã ſi ab eadẽ forma ſemper manente proueniret ſubſtantia carnis & faciei, eadẽ eſſet vniuoce caro viua, & mortua, & ſimiliter eadẽ eſſet facies viua, & mortua. Ad ſecundã dicendũ eſt vno ex duobus modis, nimirũ quod forma corporeitatis quæ fuit producta de nouo in triduo in corpore Chriſti, (& idem dicendũ eſt de quacũq; forma cadaueris) aut fuit producta a virtute elemẽti prædominantis in tali mixto, reſpectu cuiꝰ alię cauſę extrinſecæ vt iugulatio, ſuſpenſio vel ſimiles, tantũ concurrũt vt excitantes virtutem elementi prædominantis. Aut quod verius eſt, talis forma cauſatur ab aliqua cauſa vniuerſali ſupplente tunc defectum cauſæ particularis.

Ad tertiam reſpondetur in illis caſibus idem corpus Chriſti eſſe quantũ ad materiam primam, ſubſiſtentiam, & exiſtẽtiam, non tamen quantum ad formam. Vnde neceſſe eſt admittere Verbum diuinum aſſumpſiſſe in morte Chriſti nouam formam, nimirum cadaueris, & tunc potuiſſe vere affirmari de Deo quod eſſet cadauer: neque enim hoc reputatur inconueniens: nam licet Damaſcenus dicat: quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit, hoc eſt intelligendum de his, quæ aſſumpſit per modũ permanentis & à principio; ſecus vero de illis quæ aſſumpſit per modum tranſeuntis, & propter aliud: cuiuſmodi eſt forma illa cadaueris quam aſſumpſit in triduo. Neque inconuenit ſimiliter Deum dici cadauer per idiomatum comunicationem, ſicut dicitur paſus, & mortuus.

8 Deinde quintus etiam deficit à veritate, & eius falſitas oſtenditur primo, nã *Quintꝰ modus dicendi reycitur.*
ex illo ſequitur de facto poni animã rationalẽ ex vi verborũ, eo quod licet verba de ſe nõ ſignificent corpus viuũ magis quam mortuum, cæterum exigunt ad ſui veritatem, vt ponatur illud corpus quod de facto fuerit corpus Chriſti: de facto autẽ corpus Chriſti eſt viuũ, & animatũ anima rationali: conſequens autem eſt contra intentum huius ſententiæ: ergo: & antecedens.

Secundo, nam ſi in triduo mortis poneretur in Euchariſtia materia prima, non cum forma cadaueris quam habebat Chriſti corpus in ſepulchro, ſed cũ alia numero diſtincta, nõ eſſet illud corpus Chriſti, quia non eſſet idem compoſitum ſubſtãtiale, ſed aliud ratione diſtinctæ formæ: ergo neque modo de facto poneretur idem corpus Chriſti, quod eſt in cœlo, ſi poneretur in Euchariſtia eius materia non cũ forma rationali, ſed cum forma cadaueris: ergo verba conſecrationis non verificarentur, ſiquidem non poneretur idem corpus Chriſti ſed aliud: ergo de facto ponitur ex vi verborum anima rationalis, ſi corpus ſupponat pro compoſito ſubſtantiali.

Tertio, nam licet verba conſecrationis de ſe non poſtulent poni corpus Chriſti magnum, vel paruum, de facto tamen ponitur corpus Chriſti magnum, quia de facto eſt magnum: & ſimiliter de facto ex vi verborum præputium ponitur, licet in cœna Dominica non fuerit poſitum in ſa-

ſacramento confecto à Chriſto, tunc enim non erat in corpore Chriſti & modo eſt in illo: ergo pariter quamuis Verba poſſent verificari in triduo ponendo corpus mortuum modo tamen non verificarentur niſi ponerent illud viuum ſi corpus ſignificet compoſitum, quod ponit prædicta opinio, & nõ ſolam materiam. Probatur conſequẽtia quia nunc illud corpus conſtat ex anima rationali, ſicut ex præputio, & alijs partibꝰ: ergo ſicut iſtæ partes ponũtur modo ex vi verborum quia de facto reperiuntur in Chriſto, ita &c. Neque valet dicere quod in triduo poneretur forma cadaueris & quod modo ponatur forma rationalis: nõ tamẽ probatur his argumẽtis illas poni quatenus tales ſunt ſpecifice, ſed tantum quod vnaquæque ponatur ſecundũ quod tribuit eſſe corporis humani: quia ſolum ſub hac ratione, & diſiunctiue exiguntur ad veritatem verborum. Nam ex hoc ſequeretur iam poni de facto ex vi verborũ animam rationalem prout tribuit eſſe corporeum determinatè, & non diſiunctim: ſi quidem ex vi verborum non ſolum ponitur corpus organicum in cõmuni, ſed hoc numero corpus in particulari, quod conſtituitur per hanc numero formam rationalem: ergo ex vi verborum ponitur determinate hęc numero forma rationalis, & nõ ſolum forma corporis organici in communi, vel diſiunctim iſta, vel illa, vt præfati authores intendunt, ac proinde coinciderent cum authoribus noſtræ ſententię aſſerentis poni ex vi verborum de facto nõ ſolum materiam, ſed etiam animam rationalem prout tribuit gradum genericũ corporeitatis,

Reÿcitur ...tus mo...s dicẽdi

Denique ſextus modus dicendi deficit, primo quidem quia conuerſio Euchariſtica cum ſit totalis, debet habere terminum totalem, & per ſe ſubſiſtentem: igitur non ſolam materiam primam: quæ etiam vt connotans formam eſt entitas partialis, & non ſubſiſtens.

Secundo quia ſecundum fidem certũ eſt poni ex vi verborum carnem in Euchariſtia: de qua propterea dixit Chriſtus caro mea vere eſt cibus: ſed caro conſtituitur per formam ſubſtantialem: ergo & hæc ponitur ex vi verborum.

Tertio, quia verba conſecrationis nõ verificantur de materia, ſed de concreto ſubſtãtiali quod eſt corpus: cõcretũ autẽ ſubſtantiale eſt compoſitum ex materia, & forma, & maximè corpus humanũ quod non poteſt per ſolam materiã conſtitui, niſi ex materia, & forma: ergo vtraque ponitur ex vi verborum.

Vindicatur ab obiectionibus aduerſariorum auctoris concluſio.

9 Vltimo probatur noſtra concluſio, vindicando illam a tribus obiectionibus, quibus impugnari ſolet ab aduerſarijs. Prima eſt quia ſi ex vi verborum poneretur hæc numero forma particularis; non ſolũ quantum ad gradum genericum ſed etiam quantum ad ſpecificum poneretur: ſiquidem non ſolum gradus ſpecificus ponitur propter coniunctionẽ realem, ſed propter identitatem formalem quam habet cum forma: hæc autem non eſt concomitantia de qua loquitur Conciliũ: quod tamen negandum eſt, ergo.

Secunda eſt, quia anima rationalis prout dat eſſe corporeum, & eſſe animatũ & rationale eſt eadem entitas indiuiſibilis realiter: ergo implicat quod fiat per verba ſecundũ vnam rationem, & non ſecundum omnes, productio enim à verbis orta terminatur ad rẽ prout eſt a parte rei: erg. ſi attingit animam ſecundum vnam rationem, neceſſum eſt eã attingere ſecundũ omnes.

Tertia eſt, quia Chriſtus Dominus media anima rationali cõcurrit phiſice ad producendum corpus quod ſignificatur ex vi verborum; vt conſtat ex dictis: ergo ex parte corporis producti non poteſt importari anima rationalis ſecundum aliquã formalitatem, patet conſequentia quia anima rationalis ſecundum omnẽ ſui formalitatẽ, & virtualitatẽ qua tribuit eſſe corporis humani eſt eadẽ entitatiue: ergo ſi per ſuã entitatẽ eſt cauſa efficiẽs corporis, implicat quod corpus productũ cõſtituatur per eãdẽ ſub aliqua ratione: eo quod inter cauſam efficientem, & formam cõſtitutiuã effectus producti, nedũ virtualis, ſed realis diſtinctio debet reperiri.

Ad primã igitur reſpõdetur negando ſequelã; eo quod licet gradꝰ ſpecificꝰ & genericꝰ realiter idẽtificẽtur; ſufficit tamẽ virtualis diſtintio, ſeu rationis ratiocinatę inter illos; vt vnus ponatur ex vi verborum nẽpè genericus, & alter nempè ſpecificus ponatur per concomitantiã, quę abſtrahit à reali coniunctione, & reali idẽtitate. Ad ſecundã admiſſo antecedente neganda eſt cõſequẽtia propter eãdẽ rationẽ. Ad tertiã admiſſo antecedẽte negãda ſimiliter eſt cõſequẽtia; nã ſufficit ex parte termini ponere modũ illũ ſuperadditũ corpori Chriſti à nobis ſuperiꝰ aſsignatũ; vt ſaluetur ſufficiẽs diſtinctio inter ipſum vt producẽs, & vt productum.

Dico

10 Dico primo. Corpus Chriſti quod ponitur ex vi verborum integratur carne, oſſibus, neruis, vnguibus, capillis, dentibus, præputio, & omnibus eis quæ pertinent ad integritatem, & perfectionē corporis Chriſti. Et ratio eſt, quia omnia ſunt per ſe, & determinate de ſubſtantiali perfectione corporis humani: vnde colligitur quare hæc ponantur, ſeu cōponantur ex vi Verborū in Euchariſtia: ſecus verò anima rationalis, quæ de facto eſt in Xpo.

Dices: ergo ſanguis ponitur ſub ſpeciebus panis ex vi verborū: ſiquidē etiam eſt de integritate corporis humani. Nego cōſequētiam: tū quia etiā corpus exāgue eſt corpus humanū: tū etiam, quia licet eſſet ſanguis de integritate corporis humani: inſtitutio huius ſacramenti, & ſacrificij petit diuiſionem corporis à ſanguine: ac proinde ſanguinem non poni formaliter ex vi ſignificationis corporis.

Secunda concluſio ſanguis Chriſti eſt ex vi verborum ſub ſpeciebus vini. Hæc concluſio videtur expræſſe diffinita in Concil. Trident. ſeſ. 13. cap. 3. vbi agens Conciliū de termino conſecrationis ait, corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborū. Et probatur cōcluſio illud ponitur ex vi verborum in conſecratione quod expreſſe ſignificatur per verba conſecrationis: ſiquidem verba efficiunt quod ſignificant: ſed verba conſecrationis calicis expræſſe ſignificant ſanguinē Chriſti. ergo. Sed inquires an totus ſanguis Chriſti ſit in hoc ſacramento ex vi verborū. Reſpondeo affirmatiue: & ratio eſt, quia in Conc. Trid. loco ſupra citato, abſolute dicitur ſanguinem Chriſti ex vi Verborum eſſe in calice: ſed propoſitio in definita æquiualet vniuerſali: ergo totus ſanguis ex vi verborum eſt in hoc ſacramento. Si obijcias ſolum ponitur in calice ex vi verborū ſanguis Chriſti, qui in eius paſsione fuit effuſus: vt patet in forma conſecrationis in qua dicitur: *Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur*, ſed in paſsione Chriſti non fuit effuſus totus eius ſanguis: ergo ſanguis qui non fuit effuſus non erit ibi ex vi verborū, ſed ſolū per concomitantiam. Reſpondeo primo probabilius eſſe totum ſanguinem Chriſti fuiſſe effuſum in eius paſsione: & licet nō fuerit totus ſanguis effuſus per ſynedochē tamen verificari poteſt de toto ſanguine illa particula *qui pro vobis effundetur*: vnde ſecundo reſpondeo negando maiorē: nam licet non fuiſſet effuſus totus ſanguis in paſſione, totus tamen poneretur ex vi verborū, quia quāuis in forma conſecrationis calicis ponatur illa particula *qui pro vobis effundetur*, non ponitur vt per eā limitetur quantitas ſanguinis conſecrandi, ſed vt ſignificetur eius valor, & quod inſtitutū eſt hoc ſacramentū vt rememoratiuum paſsionis, & mortis Chriſti. Ex ſupradictis infero quod ſi conſecratio ſanguinis fieret in triduo, ſanguis qui pro tūc eſſet diſperſus diſcontinuus poneretur ex vi verborum.

Quæſito an totus ſaguis Xpi ſit in hoc ſacramēto ex vi verborū ſit ſatis.

Cuius duplex eſt ratio: prima quia verba conſecrationis vini ponunt ſanguinem ſicut ipſe eſt aparte rei: ſicuti etiam verba conſecrationis panis ponunt corpus Chriſti eomodo quo eſt aparte rei: qua propter ſi in triduo fieret conſecratio panis poneretur corpus Chriſti exangue: ſed in triduo ſanguis Chriſti fuit diſperſus, & diſcōtinuus: ergo ſimiliter poneretur per cōſecrationem.

Secunda quia verba id tantum efficiunt quod expræſſe eſt neceſſariū ad ſaluandā eorū veritatem. Hæc autem optime ſaluaretur, etiam ſi ſanguis poneretur ſub ſpeciebus vini diſcontinuus & diſperſus: ergo.

Dices ſequi ex noſtra ſententia falſificari formā conſecrationis: ſi partes ſanguinis ſint diſcontinuæ: ſiquidem tunc non erit verum dicere, *hic eſt ſanguis meus*, ſed iſti ſunt *ſanguines mei*. Nego ſequelam quia per verba conſecrationis denotatur vnus numero ſanguis vnitate ſumpta a diuino Verbo, cui omnes illæ partes ſanguinis etiam diſcontinuæ remanerent vnitæ: & cōſequenter verificarentur verba conſecrationis. Si iterum dicas; partes ſanguinis diſperſæ, & diſcontinuæ ſuppoſito quod in triduo fieret conſecratio ponerētur ſimul; ſiquidem ponerentur loco vini: ergo eo ipſo continuarentur, quia res liquidæ, & eiuſdem ſpeciei quæ antea erant in diuerſis locis, ſi poſtea ponantur ſimul ſtatim continuantur.

Iterum nego conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia res illę liquidæ, & eiuſdē ſpeciei ſemper ſeruant eūdē modū exiſtendi connaturalem, & connaturale eſt eis quod poſitæ ſimul in diſtātes ſtatim cōtinuentur; partes vero ſanguinis in Euchariſtia exiſtunt modo ſpirituali, & præter naturali, & propterea etiā ſi ſint ſimul ſub eiſdem ſpeciebus, ratione modi exiſtendi indiuiſibilis, & ſacramentalis non continuantur propter rationes ſupra dictas.

Dubium ſecundum eſt. Quæ res ſint in hoc ſacramento per concomitantiam?

Reſpōdetur duplici concluſione.

11 AD quod reſpondeo cum cōmuni ſententia Theologorum duabus concluſionibus. Prima eſt: ſanguis Chriſti continetur per concomitantiã ſub ſpeciebus panis, & corpus ſub ſpeciebus vini, & anima rationalis ſub vtraque ſpecie per cōcomitantiam. Quia fides de hoc myſterio congruentiſsime explicatur per hunc duplicem modum conſtituendi aliquid in hoc ſacramento: propterea Concil. Trident. ſeſs, 13. ca. 3. hanc diſtinctionem aſsignauit, non quaſi illam quoad modum loquendi de fide certam diſſiniens, ſed rem ſolam quæ directe ad doctrinam fidei pertinet, ſcilicet totum Chriſtum ſub ſingulis ſpeciebus contineri: ſed intendit tradere altiorem modum loquendi, quo huiuſmodi myſterium declararetur: quare in merito non ſine ſacrilegio, & perfidia Lutherus vt referunt Coclæus lib. 2. miſcelanearum cap. 9. & Ruardus art. 15. irriſit hanc diſtinctionem de his quæ exiſtunt in hoc ſacramēto ex vi verborum, & de his quæ exiſtunt per concomitantiam.

Nos am n eam cum communi Scholaſticorum conſenſu recipimus, & approbamus, vtpotè à Tridentino Concilio traditam, & commendatam. Vndè cum iuxta eam diſtinctionem explicuerimus dubio præcedenti ea quæ in hoc ſacramento continentur ex vi Verborum, reſtat vt in hoc explicemus ea, quæ per concomitantiam continentur. Triaque aſſerimus in hac cōcluſione contineri per concomitantiam ſub ſpecie panis, nimirum ſanguinem, & animam rationalem: & alia duo ſub ſpecie vini, nimirum corpus, & eandem animam rationalem, intellige ſpecifice ſumptam: alioquin quantum ad gradum corporeitatis iam diximus, ex vi verborum ſimul cũ corpore ſub ſpecie panis cõtineri.

In quo ſenſu noſtra concluſio ſuadetur tripliciter. Primo, quià eſt expræſſe diffinita à Tridentino in dict. cap. tertio vbi poſtquam numerauit ea quæ ſunt in hoc ſacramento ex vi verborum, ſubiungit dicens: *Ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur.*

Secundo probatur ratione, qua vititur Diuus Thomas in art. 1. ſub hac forma: illud eſt in hoc ſacramento per concomitantiam, quod realiter eſt coniunctum cum eo, in quod conuerſio Euchariſtica terminatur: eoquod quando aliqua duo ſunt realiter coniuncta neceſſe eſt realiter eſſe vnum, vbi eſt aliud, ſed corpus Chriſti prout nunc exiſtit, habet ſibi realiter coniunctum ſanguinem; & ſimiliter ſanguis habet ſibi realiter coniunctum corpus: & vtrique eſt realiter coniuncta anima rationalis: ergo ſanguis Chriſti, & anima continentur per concomitantiam ſub ſpeciebus panis, &c.

Satisfit duabus obiectionibus cōtra propoſitam cōcluſionem

12 Tertio ſuadetur ſatisfaciendo duabus obiectionibus, quæ obſtare videntur. Prima eſt, quod ex ratione Angelici Doctoris ſequatur humanitatem Chriſti Domini eſſe realiter non ſolum in hoc ſacramento, & in cœlo, ſed vbique, ſiquidem realiter eſt coniuncta diuino Verbo, quod eſt vbique, Conſequens autem eſt hæreticum dogma ſectariorum, qui Vbiquiſtæ appellabantur, eoquod humanitatem Chriſti immenſitate præditam, & vbique exiſtentem conſtituebant: vt vidimus ſup. q. 13. art 1, ergo.

Secunda eſt, quia nulla realis vnio apparet inter corpus, & ſanguinem præter localem continentiam, qua ſanguis eſt intra venas corporis tanquam intra vas: hãc autem coniunctionem ſolam non ſufficere ad concomitantiam ſacramentalem patet; quia quando Chriſtus Dominus conſecrauit, non poſuit etiam per concomitantiam in hoc ſacramento cibum, quem habebat in ſtomacho, & ſaliuam, quam habebat in ore: eoquod hæc non erant eius corpori realiter vnita, ſed in illo contenta localiter tãquã ſupoſita diſtincta: ergo, &c.

Ad primã nihilominus obiectionẽ reſpōdetur dictã rationẽ nō debere intelligi de illis, quæ ſunt coniuncta qualitercũque,

ſed

ſed ſolum de illis, inter quę eſt coniunctio adæquata, ita vt vnum non latius ſe extendat, quam aliud, neque pluribus alijs poſsit coniungi, quam aliud: quo pacto, anima rationalis & eius intellectus ſunt vnita: humanitas vero & Verbum diuinum non ſic vniuntur adæquatè, quoniam diuinum Verbum pluribus alijs rebus vniri poteſt, vtpote quia plures alias naturas poteſt ſuppoſitare: & ideo non ſequitur quod humanitas aſſumpta ſit, vbicumque fuerit diuinum Verbum: bene tamen ſequitur quod vbicumque eſt humanitas ſit Verbum quia in illis, quæ ſunt vnita inadæquatè, vbicumque eſt minus, debet eſſe maius, ſed non è contra: quemadmodum vbicumque eſt caput Petri, & eius anima rationalis, non tamen è contra, vbicunque eſt anima rationalis Petri, eſt eius caput cum quo realiter eſt vnita: nam alias caput eſſet in pede: quod eſt abſurdum.

Ad ſecūdā verò reſpōdetur dupliciter: nimirum, aut negando maiorem: nam ſanguis informatur anima rationali, vt diximus dubio præcedenti: & conſequenter continuatur corpori mediantibus partibus craſſioribus, quas medici fibras appellant, cum quibus continuatur ſanguis, & illæ continuantur cum venis: quam continuationem neque habet cibus in ſtomacho, neque ſaliua in ore. Aut etiam negando ſimiliter maiorem ex alio capite, nimirum quia licet ſanguis, neque animæ rationalis informationem, neque dictam continationem cum corpore habeat: verumtamen quia pertinet ad veritatem, & integritatem humani corporis, ideo fatendum eſt illum eſſe per concomitantiam ſub ſpeciebus panis: ſecus autem cibum, ſaliuam, & alia excremēta: quæ neutiquam pertinent ad humani corporis integritatem, & veritatem.

Vnde ob eaſdem rationes, nimirum, quia alij tres humores informantur anima rationali, vel ſaltē pertinēt ad humanitatē, & integritatem corporis humani, propterea ſunt etiam in hoc ſacramento per concomitantiam ſub vtraque ſpecie.

Sed rogabis, quid ſi conſecratio fieret in triduo, in quo corpus Chriſti fuit omnino ex angue?

Reſpondeo quidem primo cum Diuo Thoma in hoc articulo 2 ad calcem corporis dicente, quod tunc ſub ſpeciebus panis fuiſſet corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpeciebus vini fuiſſet ſanguis ſine corpore, ſicut in rei veritate erat.

Eo quod concomitantia ſacramentalis prouenit ex reali vnione, & coniunctione: tempore autem mortis Chriſti, corpus & ſangnis non habuerunt realem coniunctionem inter ſe, ſed potius fuerunt ab inuicem ſeparata: igitur ſi tunc fieret conſecratio, neque corpus Chriſti eſſet per concomitantiam ſub ſpeciebus vini, neque ſanguis ſub ſpeciebus panis.

Poteſt ſecundo reſponderi iuxta probabilem ſententiam aſſerentium nō fuiſſe eſſuſum totum ſanguinem in Paſsione Chriſti, ſed aliquem in corpore manſiſſe: quod ſi conſecratio fieret in triduo, poneretur ſub ſpeciebus panis per concomitantiam ſolus ille ſanguis qui manſit corpori vnitus, & ſub ſpecie vini poneretur per concomitantiam ipſum corpus.

Cuius ratio eſt, quia ſub ſpeciebus vini ex vi verborum ponitur omnis ſanguis Chriſti: ergo cum corpus Chriſti pro tunc haberet realem coniunctionem cum aliquo ſanguine, ad poſitionem huius ex vi verborum, poneretur quoque corpus per concomitantiam.

13 Dico ſecundo. Etiam in hoc ſacramento ſub vtraque ſpecie ſunt diuinitas, ſuppoſitum Verbi, & modus vnionis hypoſtaticæ.

Hæc concluſio etiam eſt communiter a Theologis recepta, & quantum ad primam partem, ſcilicet de diuinitate, eſt de fide, vtpote diſſinita à Tridentino in loco nuper allegato, & ratione hac conuincitur: nimirum quia totus Chriſtus continetur ſub vtraque ſpecie: Chriſtus autem includit diuinitatem: igitur, & diuinitas eſt ſub vtraque ſpecie: non quidem ex vi ſacramenti, vt conſtat ex ſuperius dictis: ſed per concomitantiam.

Et eadem ratione conuincitur ſecunda pars concluſionis, nimirum de ſuppoſito diuini Verbi: quæ colligitur etiam ex Tridentino vbi ſupra, quod nomine diuinitatis proculdubio & perſonam Verbi comprehendit, alioquin diminutè proceſſiſſet non explicans modum exiſtendi ſuppoſiti diuini ſub ſpeciebus. Et accedit optima ratio: ſuppoſitum namque Verbi non ſignificatur expreſſe per verba conſecrationis: ſed hoc neceſſarium erat vt poneretur ex vi ſacramenti: ergo non ſic ponitur: & cum alias reuera ponatur: ſiquidem eſt realiter vnitum

corpori, & ſanguini, quæ ex vi Verborũ ponuntur, ſit conſequens, quod ponatur per concomitantiam. Sed obijcies quod verba conſecrationis ſignificant ſuppoſitum Verbi: ergo non eſt cur non ponatur ex vi Verborum.

Antecedens probatur tripliciter: primo quia ly *meũ* profertur nomine Chriſti, & in ipſius perſona: ergo ipſam ſignificat.

Secundo, quia ly *corpus* ſignificat naturam ſubſtantialem ſubſiſtentem, & ly *hoc* idem demonſtrat: ſed non eſt ſubſtantia creata: ergo increata.

Tertio, quia ex parte termini à quo conuerſionis deſinit formaliter natura, & ſubſiſtentia panis: ergo ex parte termini ad quem formaliter ponitur corpus, & ſubſiſtentia corporis: ac proinde ſubſiſtentia formaliter ſignificatur per verba.

Sed huic obiectioni reſpondetur negando antecedens, eo quod vt ſuppoſitum, vel perſona Verbi ſignificaretur ex vi Verborum verba deberent eſſe hæc: hæc perſona, vel hoc ſuppoſitum Verbi, vel hoc eſt vnitum ſuppoſito, vel perſona Verbi.

Et ad primam probationem, dicitur ly meum non referre ſuppoſitum, ſed partem humanitatis aſſiſtentem ſub ſpeciebus panis: ergo optimè verificaretur ſi corpus prout eſt in ſacramento non eſſet vnitum Verbo, neque ſubſiſtens diuina ſubſiſtentia ſicut appellatur corpus diui Petri materia quæ fuit vnita animæ illius, licet poſtea alia ſubſiſtentia, & alia forma actuetur.

14 Et addo quod ly meum, licet ſignificaret expreſſe corpus terminari perſona loquente, non tamen quod terminatur vbicumque eſt, ſed alicubi nempe in cœlo: atq; adeò ſi per poſsibile, vel impoſſibile in cœlo ſubſiſteret ſubſiſtẽtia diuina: & in Euchariſtia, creata, dici poſſet corpus Chriſti, & diuina perſona perſonatũ.

Ad ſecundam probationem patet per hæc dicendo: quod neque per ly corpus ſignificatur ſubſiſtentia cum ſignificetur pars humanitatis: cuius non eſt ſubſiſtere: neque ly hoc demonſtrat ſubſiſtentiam, ſed prædictam partem: & ſanè Verbum dicitur aſſumpſiſſe corpus: & tamen non dicitur aſſumpſiſſe ſubſiſtentiam: ergo ſignũ eſt nomine corporis non importari ſubſiſtentiam. Et admiſſo illam importari nihil deduceretur ad hoc contra nos, nã poſſemus dicere importari ſubſiſtentiã indeterminate, vel creatã, vel increatam: ſicut importat eſſe mortuum, vel viuum: ac per conſequens non poneretur ex vi Verborũ ſubſiſtentia increata ſicut neque corpus viuum.

Ad tertiam admiſſo antecedente nego conſequentiã: quia ex parte termini ad quẽ formaliter ſolũ ponitur quod ſignificatur expræſſe per verba: & inſtantia eſt in eo quod diximus ſupra de termino à quo huius conuerſionis ex parte cuius importatur in recto formaliter forma panis, & tamen ex parte termini ad quem nulla forma importatur in recto, ſecundum aliquos.

Denique pro tertia parte probatur noſtra concluſio eodem argumento: nam ad conſtitutionem Chriſti pertinet modus vnionis hypoſtaticæ, & non ponitur ex vi ſacramenti, quoniam non ſignificatur expræſſe per verba vt conſtat: ergo ponitur per concomitantiam.

Sed hanc partem negat Nuño hic difficult. 1. dicens contineri in hoc ſacramento ex vi verborum corpus vt vnitũ Verbo, ac per conſequens aliquis ordo ad ipſum verbum, qui ordo erit modus vnionis. Quod ſibi perſuadet primo ex Tridentino aſſerente, diuinitatem cõtineri in hoc ſacramento concomitanter propter vnionem hypoſtaticam ad ipſum: ergo corpus vnitum præſupponitur ex vi ſacramenti, quod ſcilicet ſit corpus ſuppoſiti diuini.

Secundo ex Effeſino, & refertur de conſecratione diſt. 2. cap. *neceſſario*, vbi dicitur, quod in iſto ſacramento recipimus carnem Chriſti verè viuificatricem, & ipſius Verbi propriam factam: ergo cum ſit viuificatrix, & Verbi propria ex vi modi vnionis ad verbum conſequens ſit quod modus ille ſit in ſacramento Euchariſtiæ ex vi ſacramenti. Sed verior eſt noſtra aſſertio propter rationem ſupra factam: quoniam videlicet quod corpus ſit vnitum in Euchariſtia Verbo diuino, ſeu modus vnionis, vel habitudo ad Verbum non exprimitur in ſignificatione verborum: ly enim *meum*, tantum exprimit, vt dixi, partẽ humanitatis, ad quod ſaluãdũ in eo modo loquendi nõ requiritur ſignificari vnionẽ ad diuinũ ſuppoſitũ in Euchariſtia exercitã: ſed ſatis eſt, vel quod præceſſerit immediate in re ipſa, vel ad ſũmũ, quod reipſa ſit vnitũ ſuppoſito Chriſti in cœlo.

Vnde ad primũ fundamentũ cõtrariũ negatur conſequentia: ex illo enim antecedente

dēnte ſolū deducitur, quod revera ſit vnitū in Euchariſtia corpus ſuppoſito diuini Verbi, vt ideò diuinitas ſit ibidē per realē connexionē, & per concomitantiā.

Ad ſecūdū negatur ſimiliter cōſeq. propter duo: tū quia vt caro Chriſti ſit viuificatrix in hoc ſacramēto, & Verbi propria, nō eſt opus vt vnio ex vi ſacramēti ponatur, ſed ſufficit, quod id formaliter ponatur à parte rei, & ſpecificatiuè habeat vim viuificādi, & ſit verbi proprium: quemadmodum vt hoc ſacramentum adoretur cultu latriæ, non oportet quod ratio adorandi ponatur ex vi verborum.

Tum etiam quoniam ſi reipſa corpus eſſet ſeparatum à diuino ſuppoſito, poſſet dici viuificans: eoquod conferret illi De⁹ virtutem inſtrumentalem ad viuificandum, vt confert multoties corporibus ſanctorum poſt mortem: eſſetque proprium diuini Verbi factum, ad ſc̄um quo corpus ſancti Petri, vel Dominici, dicitur modo proprium vniuſcuiuſque illorum.

15 Si autem inquiras vtrum Pater, & Spiritus ſanctus ſint etiam ſub ſpeciebus conſecratis per concomitantiam? (ſupponimus namque vt indubitatum nō eſſe ibi ex vi ſacramēti) Ad hoc diuiſi ſunt Theologi in duos modos dicendi.

Alij enim affirmatiuè reſpondent, de quorum numero ſunt Suarius diſput. 51. ſect. 6. circa finē, & Vazquius diſputatione 185. cap. 2. ſequuti non nullos ex antiquis Scholaſticis, in modo loquendi. Idque probant ex eoquod Pater, & Spiritus ſanctus ſunt idem realiter cum diuinitate: ergo propter hanc identitatem omni alio ſecluſo debent eſſe per realem concomitantiā vbi eſt diuinitas: diuinitas autem eſt in hoc ſacramento per concomitantiam, vt dictum eſt: ergo. Et confirmant, quia Pater, & Spiritus ſanctus ratione ſuæ immenſitatis ſunt intimè in perſona Verbi: ergo etiam debent eſſe in Euchariſtia hac ſola ratione: ideſt quamuis non eſſent perſonæ immenſæ comparatæ ad corpus, & ſanguinem, neque operarentur aliquid in hæc: ſicut ſolo illo titulo dicetur in materia de incarnatione eſſe in humanitate Chriſti ſpeciali modo. Et fauet Diuus Thomas opuſculo 63. cap. 1. docens, quod Pater totum quod habet cum Spiritu ſancto, dedit in hoc ſacramento: ergo ex mente ſancti Doctoris ſunt iſtæ duæ perſonæ ſpeciali modo in ipſo ſacramento.

Animaduertunt vero prædicti authores Verbo diuino in Euchariſtia conuenire plures denominationes, quæ non conueniunt Patri, & Spiritui ſancto, vt manducari, conſecrari, & offerri: quoniā iſtæ, & ſimiles ſolum per idiomatum communicationē verificari poſſūt de perſona diuina, non communicat autem in idiomatibus natura humana cum Patre, & Spiritu ſancto: cum per ipſorum perſonalitates non terminetur.

Item animaduertunt ſecundo, non deſignari in Euchariſtia Patrem, & Spiritum ſanctum pro nomine *hoc*, licet ibi ſint concomitanter, quia tali pro nomine deſignatur id quod ſuſtentat accidentia: ſolum autem Verbum eſt ſuppoſitum ſuſtentans corpus, & ſanguinem, quibus competit ſuſtentare accidentia.

Et hinc ſoluunt fundamenta oppoſitā modi dicendi. Quem cōmuniter tuentur Thomiſtæ aſſerentes Patrem, & Spiritum ſanctum eſſe in hoc ſacramento dumtaxat ratione immenſitatis ſicut in omnibus alijs rebus vniuerſi: neque non modo ſpecialiori, ſcilicet quatenus ſimul cum filio aſsiſtunt ibi ad operandos effectus mirabiles ordinis gratiæ: atque per conſubſtātialitatē, ideſt quatenus ſunt conſubſtantiales filio, & per circūinſeſſionē in ipſo, per quam vna perſona dicitur eſſe in alia: nihilominus negantes eſſe modo ſacramentali de quo eſt ſermo, nempe per concomitantiam.

16 In quam ſententiam adducuntur primo authoritate, tum Concilij Tridentini, quod enumerans omnia ſubſtantialia, quæ ſunt in Euchariſtia, nullam mentionem fecit Patris, & Spiritus ſancti, & hoc argumentum licet negatiuum, in re tā grauī, magni debet eſſe momenti, & vrgetur, nam Concilium docet diuinitatem eſſe in Euchariſtia propter ineffabilem vnionem, quam habet cum corpore, & anima Chriſti: ſed Pater, & Spiritu ſanctus non habēt huiuſmodi vnionem: ergo. Tum etiā authoritate D. Tho. infra q. 79. ad 3. art. 7. vbi inquit quod ſub hoſtia nōn eſt niſi totus Chriſtus, cum ergo Pater, & Spiritus ſanctus non pertineant ad totalitatē Chriſti non erunt ſub hoſtia.

Secundo, quia eſſe in hoc ſacramento ſacramentali modo, qui dicitur per concomitantiā tantū cōuenit illis rebus quę aliquo modo pertinent ad cōſtitutionē Chriſti, & ſic inter ſe connectuntur: at duæ

illę diuinæ Perſonæ, licet connectantur cum diuinitate, & cum perſona Verbi, tamen nullo modo pertinent ad conſtitutionem Chriſti: ergo. Et confirmatur nam hac ratione docetur in myſterio incarnationis non eſſe in humanitate prædictas perſonas ſpeciali modo: ergo neque in præſenti.

Tertio, nam quod eſt in hoc ſacramento concomitanter concomitantia immediata, vel mediata, dicitur offerri; manducari, adorari, &c. Vt patet in Deitate; ſuppoſito Verbi, & aliquibus accidentibus Chriſti: ſed prædictæ locutiones non verificantur de illis duabus Trinitatis perſonis: ergo.

Aduerto tamen quod ſi authores primæ ſententiæ affirmarent quod eſſe per concomitantiam tantum importat eſſe vtcumque connexum cum Chriſto, non de facili poſsit conuinci, quia ad modum loquendi videtur reduci ab ipſis quæſtio. Sed nihilominus melius, & proprius videntur loqui Thomiſtæ, quod & ipſorum fundamenta oſtendunt: ex quibus facile contraria ſoluuntur: ſolum enim probant quod nos non inficimur: non verò probāt quod dictæ duæ perſonæ ſint modo ſacramentali per concomitantiam in Euchariſtia: ſiquidem modus iſte importat quod illud, quod eſt iſto modo pertineat ad conſtitutionem termini totalis conuerſionis.

Dum autem Diu. Thom. & alij Patres innuunt totam Trinitatem eſſe in Euchariſtia, aut loquuntur quantum ad eſſentialia, in quibus omnes perſonæ conueniunt: aut ſi de notionalibus loquantur intelligendi ſunt de modo exiſtendi per conſubſtantialitatem, vel circum inſeſionem, ſed non de modo exiſtendi ſacramentali, de quo ſermonem facimus.

ART. III.

Vtrùm ſit totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum panis, vel vini?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod non ſit totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum panis vel vini. Species enim illę diuidi poſſunt in infinitum. Si ergo Chriſtus totus eſt ſub qualibet parte ſpecierum prædictarum, ſequeretur quod infinities eſſet in hoc ſacramento; quod eſt inconueniens: nam infinitum repugnat non ſolum naturæ, ſed etiam gratiæ.

4.d.10.a 3.q 3 et 12.q.1.a 3.q 2 a 3 et 4.tex. cap 67. et quoli. 4.a. 8.c.fin.

2 Præterea. Corpus Chriſti, cum ſit organicum, habet partes determinate diſtantes: eſt enim de ratione organici corporis, determinata diſtantia ſingularum partium ab inuicem; ſicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc non poſſet eſſe ſi ſub qualibet parte ſpecierum eſſet totus Chriſtus: opporteret enim, quod ſub qualibet parte eſſet quælibet pars: & ita vbi eſſet vna pars, eſſet & alia. Non ergo poteſt eſſe, quod totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte hoſtiæ, vel vini contenti in calice.

3 Præterea. Corpus Chriſti ſemper veram retinet corporis naturam, nec vnquam mutatur in ſpiritum.

ſitum. Sed de ratione corporis eſt vt ſit quantitas poſitionem habens: vt patet in * Prædicamentis. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet, quod diuerſæ partes in diuerſis partibus loci exiſtant. Non ergo poteſt eſſe (vt videtur) quod totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum.

in cap. de quantitate, to. 1.

Sed contra eſt, quod Auguſt. * dicit in quodam ſermone, Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulas minuitur; ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

refertur de conſ. d. 2. c. ſinguli.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex ſupra dictis patet *, quia in hoc ſacramento ſubſtantia corporis Chriſti eſt ex vi ſacramenti; quantitas autem dimenſiua ex vi realis concomitantiæ: ideo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modum ſubſtantię, ideſt per modum quo ſubſtātia eſt ſub dimenſionibus, non autem per modum dimenſionum, ideſt nō per modum illum, quo quantitas dimenſiua alicuius corporis, eſt ſub quantitate dimenſiua loci. Manifeſtum eſt autem, quod natura ſubſtantiæ tota eſt ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur: ſicut ſub qualibet parte aeris eſt tota natura aeris, & ſub qualibet parte panis eſt tota natura panis. Et hoc indifferēter, ſiue ſint dimenſiones actu diuiſæ (ſicut cum aer diuiditur, vel panis ſecatur) vel etiam ſint actu indiuiſæ, diuiſibiles vero potentia. Et ideo manifeſtum eſt, quod totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum panis, etiam hoſtia integra manente, & non ſolum cum frangitur: ſicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine, quæ apparet in ſpeculo, quæ apparet vna in ſpeculo integro: in ſpeculo autem fracto, apparent ſingulæ in ſingulis partibus. Quod quidē nō eſt omnino ſimile, quia multiplicatio huiuſmodi imaginum accidit in ſpeculo fracto propter diuerſas reflexiones ad diuerſas partes ſpeculi: hic autem non eſt niſi vna conſecratio, propter quam corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento.

ar. 1. huius q. & a. præced.

Ad primum ergo dicendum, quod numerus ſequitur diuiſionem. Et ideo quamdiu quantitas manet indiuiſa actu, neque ſubſtantia alicuius rei eſt pluries ſub dimēſionibus proprijs, neque corpus Chriſti ſub dimēſionibus panis; & per conſequens neque infinities, ſed toties in quot partes diuiditur.

Ad ſecūdum dicendum, quod illa determinata diſtantia partium in corpore organico, fundatur ſuper quantitate dimenſiua ipſius: ipſa autem natura ſubſtantiæ, pręcedit etiā quantitatē dimenſiuā. Et ideô quia conuerſio ſubſtātiæ panis directê terminatur ad ſubſtantiā corporis Chriſti, ſecundum cuius modū proprie, & directê eſt in hoc ſacramento corpus Chriſti, talis diſtantia partiū eſt quidem in ipſo corpore Chriſti vero, ſed non ſecundum hāc diſtantiā comparatur ad hoc ſacramētum, ſed ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ, ſicut dictum eſt *.

In cor. ar. & a. 1. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de natura corporis, quam habet ſecundū quantitatem dimenſiuam. Dictum eſt autē †, quod corpus Chriſti cōparatur ad hoc ſacramentum, non ratione quantitatis dimenſiuę, ſed ratione ſuę ſubſtātię, ſicut dictum eſt *.

In cor. & a. 1. huius q.

in cor. ar.

RESponſum D. Thom. eſt quod totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum, non ſolum quādo franguntur, & diſcontinuantur ſpecies, ſed etiam dum integræ, & continuæ permanent. Quod probat ſanctus Doctor ratione infra adducenda, & examinanda: & quidem quantum ad primam partē tanquā de fide ſuppoſita fuit ſupra q. 74 ex Concilio Florentino, & Tridentino. Vnde in præſenti tantum eſt diſputandum

de

Digitized by Google

de veritate ipſius quantum ad ſecundariã: atque cum in hoſtia in ſententia probabili, & communi præter partes dentur etiam indiuiſibilia cõtinuatiua, & terminatiua; videndum quoque eſt an ſit ſub his Chriſtus Dominus. Quæ ſub vnico dubio comprehenduntur.

Dubium eſt: An totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte, & ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ continuæ conſecratæ?

17 Qvod dubium in duas diuidĩtur partes, vt ipſe titul⁹ preſefert. In prima vidẽdum eſt, an totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte hoſtiæ conſecratæ: in qua duæ verſantur ſententiæ Theologorum. Prima negans eſt quam tuentur Albertus in 4. d. 13. art. 11. Altiſiodorenſis lib. 4 ſummæ tractatu 5. c. 2. & Alexander Alenſis 4. p. q. 40. memb. 3. art. 5. Bonauentura in 4. d. 10. art. 1. q. 1. & Gabriel lect. 80. ſuper canon dubio 2. qui tamen authores diuerſimode, & ex diuerſis motiuis, eam defendunt: duo enim priores exiſtimarunt totum Chriſtum eſſe actu in tota hoſtia indiuiſa, in partibus vero tantum eſſe in potentia, quoad vſque ad actũ reducantur media diuiſione. Et mouentur ex eo quod ante diuiſionem hoſtiæ ſignificatur Chriſtus per modum vnius cibi, & poſt diuiſionem vt plures: ergo ante diuiſionem eſt in omnibus partibus vnus & poſt diuiſionem plures: igitur non actu ſub ſingulis partibus vnitis, alioquim eſſet pluries, & ad modum plurium ciborũ. & hoc ipſum confirmant, nã ita philoſophando non cogimur dicere corpus quantum eſſe totum, & totaliter in qualibet parte abſque vlla extenſione in ordine ad locum, quod eſt omnium difficilimũ in hoc myſterio, & ex alia parte ſaluamus veritatem formæ conſecrationis, & modum loquendi Conciliorum, quæ docent Chriſtũ contineri in ſingulis partibus, non abſolute, ſed facta ſeparatione, ac ſi dicerent non contineri ita ante ſeparationem: ergo. Poſtiores autem docuerunt totum Chriſtum eſſe in partibus continuis, ſed non in omnibus: exceperunt enim eas in quibus ſeparatis à toto non poſsit ſubſtantia panis cõſeruari.

Diuiditur dubium in duas partes.

Et horum ſententia quatenus à primis deſentit probabitur poſtea quãdo probetur noſtra determinatio: quatenus vero cum illis conuenit, & aſſerit in partibus minoribus minimis non aſsiſtere Chriſtum: oſtenditur hac ratione, corpus Chriſti nequit eſſe niſi vbi erat ſubſtantia panis ante conuerſionem: ergo nequit eſſe totaliter niſi vbi totaliter erat ſubſtantia panis, ſed ſubſtantia panis non erat, neque conſeruabatur tota ſub partibus minoribus minimis: ergo. &c.

Et vterque modus dicendi poteſt adhuc confirmari ſimul ex duobus inconuenientibus, quæ ex oppoſita ſententia deducuntur. Primum eſt, nam ſequitur quod totus Chriſtus habeat infinitas præſentias actu in hoc ſacramento: ſiquidem partes proportionales actu infinitæ ſunt: ac proinde ſi cuilibet eſt Chriſtus præſens totaliter, neceſſarium eſt habere præſentias actu infinitas, at hoc conſequens eſt contra ea, quæ docuimus in methaphiſica, vbi negauimus dari infinitum in actu: ergo.

Secundum eſt, nam ſequeretur partes corporis Chriſti eſſe inter ſe confuſas, ita vt vbi eſt vna, ſit alia, ac ſubinde caput vbi pedes, quod apparet falſum: ergo. Patet ſequela, nam ſi totus Chriſtus eſt in vna minima parte, ibi eſt caput & pedes: ſed in tam minima parte nequit percipi quo modo non confundantur pedes, & caput per exiſtentiam vnius, vbi eſt aliud: ergo.

18 Secunda ſententia affirmans eſt, nimirum totum Chriſtum contineri ſub omnibus partibus continuis hoſtiæ etiam minoribus minimis admiſſo dari minimũ in homogeneis, vt verior philoſophia docet: quam tuentur Diuus Thomas hic Scotus, Ricardus, Paludanus, Maior, & communiter Scholaſtici in quarto diſtinct. 10. Marſilius quæſt. 7. art. 1. Henricus quodlibeto 1. q. 4. Erueus quodlibeto 1. art. 3. Hugo Victorinus lib. 2. de ſacramentis part. 8. cap. 11. Innocentius lib. 4. de Euchariſtia cap. 8. Suarius diſputat. 53. ſectione 2. & Vazquius diſputatione 188. cap. 3. Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & pro prima parte, ſiue contra primam ſententiam probatur, quia

Adſtruitur ſecunda ſẽtentia affirmatiua.

de

de fide eſt, vt vidimus ex Concilijs totum Chriſtum eſſe ſub qualibet parte hoſtiæ conſecratæ facta ſeparatione: ergo etiam antea erat ſub qualibet parte: patet conſequentia, ſi antea non erat, non apparet quia via poſt ſeparationem fiat ibi præſens: tūc enim non eſt noua conſecratio, & ſeparatio, vt de ſe conſtat: ergo nō habet vim cōſtituendi Chriſtum vbi non erat.

Proponitur obiectio contra dicta.

Secunda pars probatur contra ſecundam ſententiam, quia admiſſa philoſophia docente dari minimum in his rebus non poteſt tamen admitti ſi doceat in parte minori minima coniuncta toti non conſeruari formam ſubſtantialem minimi: alias in pane, verbi gratia pars minor minima exiſtens in toto, aut eſſet ſine aliqua forma, quod repugnat, aut haberet aliam formam diſtinctam à forma panis, quæ maneret ſimul cum corpore Chriſti facta conſecratione, quod abſurdius eſt: igitur in dicta parte etiā poteſt exiſtere corpus Chriſti, quādo quidē poſt eſt eſſe vbi erat ante conuerſionem ſubſtantiæ panis: & cum non exiſtat partialiter, quantū eſt ex parte ſua eſſet ibi diuiſibiliter; quod concedi non poteſt: ergo eſt ibi totaliter.

Poteſtque amplius vtraque pars cōcluſionis confirmari ex Tridentino, quod ſeſſione 13. capit. 3. ait ſine reſtrictione ſub ſpeciebus panis, & vini, & ſub qualibet parte eſſe totum Chriſtum: & ex D. Thoma, qui vtitur hac ratione, corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per conuerſionem panis in ipſum: ergo debet habere modum præſentiæ, quem ſubſtantia panis habebat ſub propria quantitate, & reliquis accidentibus: cum prædictæ ſubſtantiæ ſuccedant in officio ſuſtentandi accidentia, at ſubſtātia panis ante conuerſionem ſic ſe habet, quod tota erat in tota hoſtia, & tota inqualibet parte, etiam minori minima: ergo totum corpus Chriſti eſt ſub tota quantitate hoſtiæ, & totum ſub qualibet parte etiam minori minima: ergo.

Sed obijcies, quod licet verum ſit ante conſecrationem totam ſubſtantiam panis eſſe ſub qualibet parte ſpecierum totalitate eſſentiali, quia quælibet pars panis eſſentialiter eſt panis, ſicut quælibet pars aquæ eſſentialiter eſt aqua: falſum tamen eſt quod ſit ſub qualibet parte totalitate entitatiua: non enim tota entitas panis, quæ eſt in tota hoſtia ante conſecrationē eſt tota inqualibet parte: alias ſubſtantia panis eſſet ibi modo indiuiſibili, ſicut anima rationalis eſt in corpore: quod tamen non eſt admittenduum: ergo ex paritate & proportione facta à Diuo Thoma, non requiritur totā entitatem corporis Chriſti eſſe ſub qualibet parte ſpecierum totalitate entitatiua: de qua procedit præſens diſputatio.

19 Huic obiectioni facile reſponderēt illi authores, qui tenent ſubſtantiam corpoream, & materialem nullas habere partes in ſe, niſi prouenientes à quantitate: & ideò totam eſſe ſub tota quantitate, & totā ſub qualibet parte: verum quia nos oppoſitum docuimus libr. 5. metaphiſicæ, quæſtione 3. articul. 1. aliter reſpondendum iudicauimus: nimirum quod ſi ſemel corpus Chriſti ſit inqualibet parte ſpecierum panis totalitate eſſentiali, vt concedit argumentum: ſequitur etiam illud eſſe totalitate entitatiua, eo quod totalitas eſſentialis totius etherogenei, qualis eſt corporis humani, non poteſt eſſe vbi ſolum fuerit pars entitatis: ſiquidem non quælibet pars hominis, verbi gratia eſt homo, ſed vbi fuerit tota entitas: in hoc enim differt totum etherogeneum ab homogeneo, vnde ſicut ratio Angelici Doctoris probat totum corpus Chriſti eſſe ſub qualibet parte ſpecierum cum totalitate eſſentiali, pariter conuincit, & illud eſſe ſub qualibet parte totalitate entitatiua: ac proinde negandum eſt antecedens pro ſecunda parte.

Reſpondetur ad argumenta primi modi defēdēdi priorem ſententiam.

Ad fundamentum autem adductum, pro authoribus primi modi defēdēdi priorem ſententiam. Reſpondetur negando cōſequentiam, quæ manifeſtè inſtatur in anima rationi: hæc enim licet exigatur ab vnitate corporis humani, non propter hoc tamen deſinit eſſe ſemel adęquate in vno corpore, & tota inqualibet parte ipſius: ita in noſtro caſu licet vnitas vnius cibi ſpiritualis, qualis eſt vna hoſtia continua, petat quod in illa repreſentetur Chriſtus, & cōtineatur per modum vnius cibi, & vt ſemel adæquate ibi exiſtens in toto: non tamen propter hoc tollitur quo minus ſimul ſit in qualibet parte, nam hic modus exiſtendi poſſibilis eſt; & ab hoc myſterio exactus.

Ad confirmationem dicendum eſt, quod licet ſit difficillimum hoc percipere, tamen percipiendum eſt iuxta regulas fidei, fieri poſſe ab authore ſupernaturali, ſicut percipimus animam rationalem eſſe totam in toto corpore, & totam inqualibet

Neque

parte, & Angelum in toto ſpatio diuiſibili, & totum in qualibet ipſius parte.

Neque aſsignando oppoſitum modum exiſtendi ſaluamus modum loquendi Concilij, vt probatum eſt: imò neque ſaluamus veritatem formæ, quoniam verba conſecrationis æquè feruntur ſuper totam materiam præſentem, & ſuper quamcumque eius partem, ac proinde poſtulant ad ſui veritatem quod tota illa, & quælibet eius pars in corpus Chriſti conuertatur, & cum aliàs non petant cõuertere vnam partem in caput, & alteram in brachia: conſequens eſt, quod exigant conuertere quamcumque partem in totum Chriſtum.

Reſpondetur ad argumenta ſecũdi modi dicendi. Ad fundamentum pro authoribus ſecundi modi dicendi, reſp. neg. minorem, iam enim oſtẽdimus ſub qualibet parte minori minima ſaluari naturam panis.

Ad confirmationem verò reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus: non enim ſequitur primum, quia ſicut anima rationalis non deſinit eſſe tota in qualibet parte humani corporis, licet eius partes habeãt infinitatem, & quidem non minorem, quam partes vnius hoſtiæ: ita neque natura panis deſinet eſſe ſub omnibus partibus propriæ quantitatis propter huiuſmodi infinitatem: & conſequenter neque propter illam Chriſtus deſinet eſſe ſub omnibus partibus hoſtiæ: imò & Diuus Thomas in hoc articulo in ſolutione ad primum eandem ſoluit difficultatem dicens: *Quod numerus ſequitur diuiſionem, & ideo quandiu quantitas manet indiuiſa actu, neque ſubſtantia alicuius rei eſt pluries ſub dimẽſionibus proprijs, neque corpus Chriſti ſub dimenſionibus panis: & per conſequens neque infinities, ſed toties, in quot partes diuiditur.* Hæc Angelicus Doctor, quaſi diceret, ſicut ante diuiſionem licet ſint infinitæ partes in hoſtia, non tamen dicitur hoſtia illa abſolute, & ſimpliciter plures res, ſed vna, quia partes illæ quandiu ſunt vnitæ, non ſunt per ſe, ſed per eſſe totius, integrantes idem totum, ita quamuis totus Chriſtus ſit præſens indiuiſibiliter omnibus partibus hoſtiæ continuæ, præſentia illa non dicetur abſolutè, & ſimpliciter plures, ſed vna integrata ex pluribus præſentijs, ad eum modum, quo quantitas cui corpus Chriſti eſt præſens; integratur ex ſuis partibus, vnde ſicut non eſt inconueniens admittere hanc infinitudinem partium in quantitate hoſtiæ, quæ appellatur in potentia, vel ſyncathegorematica, ita neque erit inconueniens admittere ſimul infinitudine in præſentia quã corpus Chriſti ſit præſens dimenſionibus panis, ſiue huiuſmo infinitudo appelletur in potentia, vel ſy cathegorematica, vel quocumque alio n mine nuncupetur.

Neque ſequitur ſecundum incon ueniens, ſi nomine confuſionis intelliga tur indiſtinctio partium in ordine ad ſ quia licet loquendo de exiſtentia in ord ne ad locum quantitatis, quæ dicitur v catio, caput Chriſti ſit vbi ſunt pede & è contra: cum hoc tamen optimè ſt vnam partem eſſe extra aliam in ordine ſe ſubſtantialiter, & entitatiuè, per interpoſitionem corporis inter vtramque.

20 Circa ſecundam partem dub diuiſi etiam ſunt Theologi in duas ſenten tias. Prima negat Chriſtum contine ſub punctis indiuiſibilibus hoſtiæ, qua tenent Albertus in quarto diſtinction 13. articul. 10. Scotus diſtinctione 1 quæſtione 9. & diſtinctione 11. quæſtio ne 4. Ricardus diſtinctione 10. articul. quæſtione 2. Aegidius theoremate 1 & 20. de Euchariſtia, & Vazquius diſpu tatione citata cap. 4.

Quorum fundamenta ad hæc du reducuntur. Primum procedit ſic à pri ri, ſubſtantia panis non erat ſub indiuiſibilibus ante conſecrationem: ergo corpu Chriſti non eſt ſub illis poſt conſecrationem. Conſequentia eſt nota, nam corpus Chriſti ſuccedit loco ſubſtantiæ panis, ac proinde ſolum eſt vbi erat pani ſubſtantia. Et antecedens probatur ſubſtantia panis eſt extenſa, & diuiſibili entitatiue: ergo non poteſt eſſe ſub indiuiſibili propter improportionem.

Secundum ab inconuenienti: ſequitur enim primo, quod facta diuiſione hoſtiæ conſecratæ incipiat corpus Chriſti d nouo eſſe vbi antea non erat, videlicet in ſuperficiebus terminantibus vtramqu partem hoſtiæ diuiſæ. Conſequens autem falſum eſt, nam per ſolam diuiſionem ſine noua conſecratione non poteſt corpus incipere eſſe nouiter, vt ſupra dictum eſt. Et ſequela probatur, quoniam illæ duæ ſuperficies quibus terminatur de nouo duæ medietates hoſtiæ quæ antea erant continuæ ſunt nouiter productæ per diuiſionem: ergo non erant antea, ac per conſequens non erat in eis corpus Chriſti, poſtea verò negari non poteſt in eis eſſe, ſi

ſemel

ſemel admittantur poſſe eſſe ſub indiuiſibilibus.

Secundo ſequitur poſſe ſacerdotem conſecrare ſolam exteriorem ſuperficiem hoſtiæ, ſicut poteſt conſecrare quamlibet partem, quam maluerit alijs non conſecratis, ſiquidem iuxta oppoſitam ſententiam eſt materia capax conſecrationis: hoc autem manifeſte eſt falſum, & indecens apparet: ergo.

Secunda ſententia affirmatiua adſtruitur.

Secunda ſententia affirmans eſt quam tuentur Capreolus in quarto diſtinctione 10. quæſtione 4. articulo tertio ad ſecundum Scoti contra primam, Sotus in eodem quarto diſtinctione 49. quæſtione 4. articulo ſexto, Nuño in commentario huius articuli, & Suarius diſputatione 52. capit. 3.

Quæ veritati ac Angelico Doctori conformior eſt, & ideo ſtatuitur à nobis pro concluſione aduerſus authores prioris ſententiæ. Et ſuadetur primo, quia ante conſecrationem natura panis erat ſub indiuiſibilibus propriæ quantitatis: corpus autem Chriſti ſuccedit poſt conſecrationem vbicumque erat natura panis ante conſecrationem: ergo ſuccedit etiam ſub indiuiſibilibus.

Minor eſt certa. Maior autem probatur dupliciter. Tum ad hominem contra Vazquium ipſe enim f[illegible]etur ſubſtantiam panis eſſe ex ſe omnino indiuiſibilem: ergo nihil prohibet ne ſit ſub indiuiſibilibus quantitatis.

Tum etiam, quia quantitas panis inhæret ſubſtantiæ panis: ergo etiam indiuiſibilia quantitatis inhærent eidem ſubſtantiæ: quantitas enim ſubſtantiæ inhæret, quia accidens eſt: cum igitur indiuiſibilia quantitatis, ſint etiam accidentia, licet incompleta, neceſſarium eſt eidem inherere ſubſtantiæ: ergo corpus Chriſti gerens vicem ſubſtantiæ ſuſtentat indiuiſibilia quantitatis: ac per conſequens eſt illi præſens: etenim propter hæc eſt præſens partibus.

Proponitur obiectio quædam.

Dices, quod ante conſecrationem non erat ſub indiuiſibilibus quantitatis ſubſtantia panis, ſed indiuiſibilia talis ſubſtantiæ illis correſpondentia, & proportionata: ac ſubinde poſt conſecrationem ad ſummum erunt indiuiſibilia ſubſtantiæ corporis Chriſti ſub indiuiſibilibus ſpecierum, & non tota ſubſtantia corporis.

Sed contra eſt, tum, quia non eſt communiter receptũ dari in ſubſtantia indiuiſibilia ſubſtantialia correſpondentia indiuiſibilibus quantitatis: multi enim hanc philoſophiam negant.

Tum etiam, quia illis admiſsis adhuc concluditur noſtrum intentum, quia ſi indiuiſibilia ſubſtantiæ corporis Chriſti ſunt ſub indiuiſibilibus quantitatis panis per optimam conſequentiam deducitur in præſenti materia ipſam ſubſtantiam corporis eſſe ſub eiſdem indiuiſibilibus quantitatis: etenim ſubſtantia corporis Chriſti eſt ſub quantitate indiuiſibili modo, ad modum quo anima rationalis eſt in corpore, & Angelus in loco diuiſibili: ergo vbi fuerit aliquid ſubſtantiæ corporis, licet illud indiuiſibile ſit, erit tota ſubſtantia, ſicut vbi fuerit aliquid animæ, & aliquid Angeli, neceſſarium eſt eſſe totam animam, & totum Angelum.

Explicatur hoc magis, quod ante conſecrationem in ſententia concedente ſubſtantiæ panis indiuiſibilia ſubſtantialia, non ſit ſub indiuiſibili quantitatis tota ſubſtantia panis eſt, quoniam huiuſmodi ſubſtantia etiam quantum ad eſſentialia talis ſubſtantiæ, non eſt in prædicta opinione ſub proprijs dimenſionibus indiuiſibili modo entitatiue, at corpus Chriſti poſt conſecrationem eſt ſub accidentibus modo entitatiue indiuiſibili infra explicando, qui non opponitur dictis in prima dubij parte: ergo.

Secundo probatur eadem concluſio: corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis præſentia continua, ſicut anima eſt præſens omnibus partibus materiæ, & Angelus toti huic gimnaſio, neque oppoſitum aliqua ratione ſuaderi poteſt: ergo eſt præſens indiuiſibilibus ſpeciebus: patet conſequentia, quia alias præſentia illa eſſet diſcontinua, ſicut eſt diſcontinua quantitas, cuius partes non copulantur medio indiuiſibili: & ſicut eſſet diſcontinua præſentia, quam habet anima reſpectu materiæ, & Angelus reſpectu loci: ſi præſentia vtriuſque non contingeret indiuiſibilia.

Et idem argumentum fit à paritate durationis Angelicæ coexiſtentis continue vni horę noſtri temporis, quæ eo ipſo coexiſtit etiam inſtantibus eius: ad quod nihil momenti reſpondent aduerſarij: poſſemus tamen reſpondere pro

illis

illis continuam fore Chriſti præſentiam, & ſi tota eius ſubſtantia non eſſet ſub indiuiſibili ſpecierum, ſed per hoc quod indiuiſibilia ipſius ſubſtantiæ eſſent ſub indiuiſibilibus quantitatis: ſicut modo de facto ſubſtantia panis ante conſecrationem continuè eſt ſub proprijs dimenſionibus: quamuis in illa admittantur partes, & indiuiſibilia: & dicatur partē non eſſe ſub indiuiſibili quantitatis, ſed ſimile indiuiſibile ſubſtantiale: & ita diſcurrendo, & tribuendo corpori Chriſti præſentiam omnino ſimilem ei, quam habet ſubſtantia panis ſub propria quantitate in prædicta opinione, & non illi, quam habet anima in ordine ad corpus. Facile quoque diſſolui poſſet prior ratio ſi defenderemus ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe ſub indiuiſibilibus quantitatis panis, ſed non totam, & adæquatè, niſi inadæquate ratione indiuiſibilium: de quo tamen modo non diſputamus.

22 Ad primum autem in contrarium reſpondetur negando antecedens: conſtat enim ex dictis, ſubſtantiam panis ante conſecrationem eſſe ſub indiuiſibilibus quantitatis, quoniam hæc illi inhærebant. Poteſt reſponderi, ſecundo etiam iuxta dicta admiſſo antecedente negando conſequentiam: quoniam ſubſtantia panis, & eſt entitatiuè diuiſibilis, & modo diuiſibili ſub proprijs dimenſionibus: corpus autem Chriſti eſt ſub ſpeciebus modo indiuiſibili, & propterea capax eſt exiſtendi ſub indiuiſibilibus quantitatis earum.

Ad ſecundum negatur ſequi aliquod ex inconuenientibus adductis. Et quidem primum vitatur ſufficienter vno ex tribus modis. Primo dicendo, quod facta diuiſione hoſtiæ, ſi nouæ reſultent ſuperficies, non eſt in eis corpus Chriſti propter rationem factam ibi: nempe quia non poteſt Chriſtus incipere eſſe ſacramentaliter alicubi, niſi in vi conſecrationis nouæ: neque abſurdum eſt ibi non eſſe, ſicut in contraria ſententia ibi non eſt, neq; fuit ſub indiuiſibilibus quando à principio conſecratur hoſtia.

Secundo dicendo, quod in eodem caſu incipit eſſe corpus Chriſti ex vi prioris conſecrationis in nouis terminatiuis: ſicut enim prima conſecratio habet vim, vt facta diuiſione hoſtiæ ſemel conſecratæ reſultent plura ſacramenta, ita habet virtutem vt conſtituatur corpus ſub terminatiuis reſultantibus: eo quod pertinent ad hoſtiam, in qua Chriſtus eſt.

Tertio negando, quod ante fractionem hoſtiæ non eſſet corpus Chriſti ſub illis indiuiſibilibus, quæ poſtea terminant hoſtiam; erãt etenim eadem indiuiſibilia, quæ poſt diuiſionem ſunt terminatiua, cum eis quæ antea erant continuatiua, quia diuiſio fit per corpus ſecundum aliquam corporis deperditionem: per id nempè quod mediabat inter duas ſuperficies, quemadmodum ſi linea diuideretur, diuiſio fieret per partem, quæ mediat inter duo puncta, ac proinde puncta quæ continuabant lineam vnicam, poſtea terminant duas: vnde non ſequitur incipere de nouo, corpus Chriſti eſſe ſub indiuiſibilibus, ſub quibus ante diuiſionem hoſtiæ, non erat.

Pariterque vitatur ſecundum inconueniens: vel admiſſa ſequela, negando contineri in conſequenti aliquid abſurdi: vel negando ſequelam, quoniam cum ſub indiuiſibilibus quantitatis non continuetur entitas panis in ſententia tribuente ſubſtantiæ diſtinctionem partium copulatarum indiuiſibilibus ſubſtantialibus, nequeunt primo, & per ſe indiuiſibilia conſecrari, licet conſequtiuè, & quaſi ſecundario poſsint ſimul cum partibus, vt probatum eſt ſupra.

ART.

ART. IIII.

Vtrum tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti ſit in hoc ſacramento?

4. d. 10. a. 2. q. 3. & 4. & d. 12. q. 1. ar. 2. q. 1. conc. 4. cont. c. 63. 64. & 67. Et quo. 7. ar. 8. cor.

AD quartum ſic proceditur. Videtur; quod non tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti ſit in hoc ſacramento. Dictum eſt enim, * quod totum corpus Chriſti continetur ſub qualibet parte hoſtiæ conſecratæ. Sed nulla quantitas dimenſiua, tota continetur in aliquo toto, & in qualibet parte eius. Ergo eſt impoſſibile, quod tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti, contineatur in hoc ſacramento.

2 Præterea, Impoſſibile eſt, duas quantitates dimenſiuas eſſe ſimul, etiam ſi vna ſit ſeparata; & alia in corpore naturali: vt patet per Philoſophum * in 3. metaphyſ. Sed in hoc ſacramento remanet quantitas dimenſiua panis, vt ſenſu apparet. Non ergo eſt ibi quantitas dimenſiua corporis Chriſti.

ar. præc. l. 3. tex. 9. 10. 3.

3 Præterea, Si duæ quantitates dimenſiuæ inæquales iuxta ſe ponantur, maior extenditur vltra minorem. Sed quantitas dimenſiua corporis Chriſti, eſt multo maior, quam quantitas dimenſiua hoſtiæ conſecratæ, ſecundum omnem dimenſionem. Si ergo in hoc ſacramento ſit quantitas dimenſiua corporis Chriſti cum quantitate dimenſiua hoſtiæ: quantitas dimenſiua corporis Chriſti extendetur vltra quantitatem hoſtiæ, quę tamen non eſt ſine ſubſtantia corporis Chriſti. Ergo ſubſtantia corporis Chriſti erit in hoc ſacramento, etiam pręter ſpecies panis. Quod eſt inconueniens: cum ſubſtantia corporis Chriſti non ſit in hoc ſacramento, niſi per conſecrationem panis, vt dictum eſt. * Impoſſibile ergo videtur, quod tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti ſit in hoc ſacramento.

a. 2. hui. q.

Sed contra eſt, quod quantitas dimenſiua corporis alicuius, non ſeparatur ſecundum eſſe â ſubſtantia eius. Sed in hoc ſacramento eſt tota ſubſtantia corporis Chriſti, vt ſupra habitum * eſt. Ergo tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti eſt in hoc ſacramento.

art. præced.

Reſpondeo dicendum; quod (ſicut ſupra dictum eſt *) dupliciter aliquid Chriſti eſt in hoc ſacramento. Vno modo ex vi ſacramenti, alio modo ex reali concomitantia. Ex vi quidem ſacramenti quantitas dimenſiua corporis Chriſti non eſt in hoc ſacramento. Ex vi enim ſacramenti eſt in hoc ſacramento illud, in quod directe conuerſio terminatur. Conuerſio autem, quę fit in hoc ſacramento, directe terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti, non autem ad dimenſiones eius. Quod patet ex hoc, quod quantitas dimenſiua panis remanet facta conſecratione, ſola ſubſtantia panis tranſeunte. Quia tamen ſubſtantia corporis Chriſti, realiter non diuiditur * a ſua quantitate dimen-

art. 1. huius q. ad 3.

* al. denudatur.

Z ſi-

ſiua, & ab alijs accidentibus: inde eſt; quod ex vi realis concomitantiæ, eſt in hoc ſacramento tota quantitas dimenſiua corporis Chriſti, & omnia accidentia eius.

Ad primum ergo dicendum, quod modus eſſendi cuiuslibet rei determinatur ſecundum id, quod eſt ei per ſe, non autem ſecundum id, quod eſt ei per accidens; ſicut corpus eſt in viſu, ſecundum quod eſt album, non autem ſecundum quod eſt dulce, licet idem corpus ſit album, & dulce. Vnde & dulcedo eſt in viſu ſecundum modum albedinis, non ſecundum modum dulcedinis. Quia igitur ex vi huius ſacramenti eſt in altari ſubſtantia corporis Chriſti, quantitas autem dimenſiua eius eſt ibi concomitanter, & quaſi per accidens: ideo quantitas dimenſiua corporis Chriſti eſt in hoc ſacramento, non ſecundum proprium modum (vt ſcilicet ſit tota in toto, & ſingulæ partes in ſingulis partibus) ſed per modum ſubſtantiæ, cuius natura eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.

Ad ſecundum dicendum, quod duę quantitates dimenſiuæ, non poſſunt naturaliter ſimul eſſe in eodem, ita quod vtraque ſit ibi ſecundum proprium modum quantitatis dimenſiuæ. In hoc autem ſacramento quantitas dimenſiua panis eſt, ſecundum proprium modum, ſcilicet ſecundum commenſurationem quandam, non autem quantitas dimenſiua corporis Chriſti: ſed eſt ibi per modum ſubſtantię, vt dictum eſt. * *in 10. ar. & 2. 1.*

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimenſiua corporis Chriſti non eſt in hoc ſacramento ſecundum modum commenſurationis, qui eſt proprius quantitati: ad quem pertinet, quod maior quantitas extendatur vltra minorem, ſed eſt ibi per modum iam dictum. † *in corp. ar.*

RESponſum Angelici Doctoris eſt totam quantitatem Chriſti Domini, & omnia alia accidentia ipſius eſſe in Euchariſtia: non tamen ex vi ſacramenti, ſed per realem concomitantiam. Pro cuius doctrinæ explicatione ſequens dubium diſputatur.

Dubium eſt: An quantitas Chriſti Domini ſit in Euchariſtia? quomodo, & quid de alijs accidentibus ſit dicendum?

* * *

23 HOc dubium duas continet partes, vt ipſe titulus præ ſe fert. *Status controuerſiæ.*

In quarum prima diuiſi ſunt Theologi in duas ſententias. Prima negat quantitatem Chriſti Domini eſſe in hoc ſacramento, quam tuentur nonnulli Theologi, exiſtimantes, neque quantitatem, neque accidentia illa, quæ quantitatem in modo extenſionis conſequuntur eſſe in hoc ſacramento.

Illamque ſuadent tripliciter. Primo, quia corpus Chriſti eſt in Euchariſtia modo indiuiſibili, & inextenſo: ergo non habet quantitatem: antecedens ſtatutum eſt, articulo præcedenti, & infra amplius oſtendetur, & conſequentia probatur: nam de eſſentia quantitatis eſt diuiſibilitas, & extenſio: ergo. Si reſpondeatur cum D. Thoma ad ſecundum, etiam quantitatem corporis Chriſti eſſe in hoc ſacramento modo indiuiſibili, & inextenſo. Contra eſt, quia iſte modus exiſtendi indiuiſibi-

Digitized by Google

ſibilis, & in extenſus repugnat eſſentialiter quantitati: quia de eſſentia quantitatis eſt extenſio, & diuiſibilitas: ergo nequit conuenire quantitati.

Si dicatur extenſionem, & diuiſibilitatem partium eſſe duplicem: alterã in ordine ad ſe, ſeu ad totum, quæ intrinſeca appellatur: alterã verò in ordine ad locum, quæ extrinſeca eſt: & ex his priorẽ conſiſtere in hoc, quod partes ad inuicem diſtinguantur per interpoſitionem aliarum partium: poſteriorem autem in hoc, quod vna pars correſpondeat vni loco extrinſeco, & altera alteri, ita vt neutra ſit in loco alterius: atquè primam conuenire eſſentialiter quantitati, & ſecundam: ei autem non repugnat modus exiſtendi indiuiſibilis, quem habet corpus Chriſti, & eius quantitas in hoc ſacramẽto, quo coexiſtit totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte: iſte enim modus ſolũ opponitur poſteriori modo extenſionis, & diuiſibilitatis, qui de eſſentia quantitatis non eſt.

Contra quia implicat quantitatẽ habere partes in ordine ad ſe, & non habere illas in ordine ad locum: ergo ſolutio eſt nulla. Antecedens probatur pars corporis Chriſti quantitati, verbi gratia, caput coexiſtit: ergo vel eidẽ parti loci cui coexiſtit præſens, vel alteri: ſi alteri habetur intentum: ſi idẽ caput, & pedes coexiſtunt inter ſe: & conſequenter non ſunt adinuicem extenſæ in ordine ad ſe, ita vt vna pars ſit extra aliam. Probatur hæc conſequentia: nam quæ coexiſtunt vni tertio coexiſtunt inter ſe.

Confirmatur, quia rei eſſentialiter indiuiſibili, & in extenſæ, verbi gratia Angelo non poteſt conuenire modus exiſtendi diuiſibilis, & extenſus: ergo nequè è contra rei eſſentialiter diuiſibili, qualis eſt quantitas, non poteſt competere modus exiſtendi indiuiſibilis, & in extenſus: ergo.

Secundò, quia extenſio, & diuiſibilitas in ordine ad locum eſt inſeparabilis eſſentialiter à quantitate: ergo implicat, quod alicubi ponatur à Deo quantitas, ſine diuiſibilitate, & extenſione in ordine ad locum: ac per conſequens cum in Euchariſtia quantitas Chriſti Domini non poſsit habere extenſionem, & diuiſibilitatem hanc, non potuit ibi conſtitui, ſed cõſtituta fuit ſubſtantia, ſine quantitate. antecedens probatur, illa extenſio, & diuiſibilitas eſt effectus formalis quantitatis, & eſt quantitas in ſubiecto capaci ipſius: at implicat quod forma priuetur ſuo effectu formali, dum eſt in ſubiecto capaci: etenim nihil aliud eſt effectus formalis formæ, quam coniunctum ex forma, & ſubiecto capaci.

24 Secundo probatur idem antecedens: ratio figuræ inſeparabilis eſt eſſentialiter à quantitate: eſt namque figura terminus intrinſecus quantitatis finitæ: ac proinde implicat, quod intelligatur quantitas finita ſine figura: ergo etiam actualis extenſio, & diuiſibilitas partium in ordine ad locum. Probatur conſequentia nam figura non poteſt intelligi, ſine diſtantia locali inter partes: etenim ex diuerſa poſitione partium in ordine ad locũ reſultat diuerſa figura, vt conſtat in homine ſtante, & ſedente: ergo.

Tertio, & vltimo arguitur: quia ſi quantitas corporis Chriſti eſſet in hoc ſacramento, deberet eſſe modo indiuiſibili in ordine ad locum, vt dictum eſt, ſed nõ eſt hoc modo: ergo. Probatur minor, ſi iſtũ modũ exiſtendi participaret, maximè propter rationem D. Thomæ, ad primum & ſecundum: nempè quia non eſt in hoc ſacramento per ſe primo, ſed per accidens & conſequenter ad ſubſtantiam, & ita eſt ad modum ſubſtantiæ: ſed hæc ratio eſt inſufficiens: ergo. Minor probatur, primò, quia anima rationalis eſt in loco per accidens ratione corporis, quod eſt in loco per ſe; & tamen inde non ſequitur quod anima rationalis ſit in loco diuiſibiliter, ſicut corpus: ergo id quod eſt per accidens alicubi, non ſequitur modum eſſendi eius, quod ibi eſt per ſe amiſſo modo exiſtendi ſibi connaturali.

Secundo, quia Verbum diuinum eſt in Euchariſtia, per concomitantiam cum corpore Chriſti ſubſtantiali: & tamen nõ propterea eſt ad modum ſubſtantiæ corporeæ: ergo.

Tertio in creatione, vel generatione ſubſtantiæ materialis quantitas creatur, & generatur per concomitantiam: & nihilominus affert proprium modum naturalem eſſendi, & ipſum communicat ipſi ſubſtantiæ: ergo.

Quarto, quia rectè poſſet fieri ſi Deus vellet, quod Chriſti corpus eſſet in hoſtia modo indiuiſibili, quamuis quãtitas eſſet ibi per ſe primo ex vi verborum: vt ſi forma cõſecrationis eſſet hæc: *Hoc eſt corpus*

Digitized by Google

meum quantum: ergo quod quãtitas ſit, vel non ſit in hoc ſacramento per cõcomitãtiã ſeu per accidens: impertinens eſt ad inferẽdũ corpus Chriſti, & eius quãtitatem eſſe modo indiuiſibili in Euchariſtia.

Sẽtẽtia affirmatiua ſtabilitur pro cõcluſione.

Sed his non obſtantibus ſententia affirmans ſtatuitur à nobis pro cõcluſione, vt cõmuniter recepta ex D. Th. à plurimis Theologis, de quorũ numero ſunt Caiet. in hoc art. 4. Soto, & Ledeſma vbi ſupra, & cõmuniter Scholaſtici in 4. d. 10.

Et probatur primo ex Trid. Seſſ. 13. c. 3. diffiniente, quod totus, & integer Chriſtus cõtinetur ſub qualibet ſpecie: vbi põderãda eſt particula, *integer*, quæ abſq; dubio denotat Chriſtũ Dominũ quãtũ ad integritatẽm ſubſtantialem, & accidentalem etiã, ideſt ſecũdũ omnẽ quã habet a parte rei in cœlo, eſſe in Euchariſtia: ergo ex Tridentino colligitur noſtra cõcluſio: vnde communiter habetur, vt certa, taliter quod oppoſita ſit cenſenda, non ſolum temeraria, ſed erronea, vel ſaltim errori proxima.

Secundo, quia quãtitas eſt aliquid realiter cõiunctũ ſubſtantiæ corporis Chriſti, ſine depẽdẽtia ab aliquo extrinſeco: ſicut depẽdent accidẽtia illa, quæ dicunt habitudinẽ ad locũ, quẽ habet Chriſtus in cœlo: ergo nõ poteſt nõ eſſe in hoc ſacramẽto, vbi eſt ſubſtãtia corporis Chriſti. Probo conſequẽtiã, quia nõ alia ratione diuinitas eſt realiter ſub ſpeciebus panis, & ſanguis etiã, niſi quia ſunt aliquid realiter cõiũctũ & vnitũ corpori Chriſti, ſine determinata habitudine ad extrinſecũ: ergo erit quãtitas ob eandẽ rationẽ, quæ eſt D Th. Si dicas: quãtitatẽ habere modũ repugnãtẽ, vt ſit ſub ſpeciebus, quẽ nõ habent diuinitas & ſanguis: cõſtabit ſolutio, & ſimul impugnatio ex ſolutione contrariorum argumentorum.

25 Ad primũ ergo reſpõdetur, ſicut inter arguẽdũ, vſque ad vltimã replicã; ad quã negatur, quod quãtitas Chriſti, vel aliqua quãtitatis pars coexiſtat in hoc ſacramento loco, vel parti loci, nõ enim habent extẽſionẽ in ordine ad illũ. Et adhuc admiſſo, quod Chriſti caput coexiſteret alicui parti loci, & eidẽ coexiſteret pes, nõ ſequeretur pedẽ, & caput coexiſtere inter ſe, ſed coexiſtere vni tertio, ſicut ex eo quod ego, & Antichriſtus coexiſtamus æternitati non infertur coexiſtere inter nos.

Ad cõfirmationẽ negatur cõſequẽtia, & ratio diſparitatis eſt, quod diuiſibilitas, & extenſio in ordine ad locũ ſupponit eſſentialiter extẽſionẽ, & diuiſibilitatẽ partiũ in ordine ad ſe, & nõ è contra, ac per cõſequens repugnat illã priorẽ eſſe, ſine hac poſteriori, vnde nõ mirũ nõ poſſe cõmunicari Angelo, qui prorſus incapax eſt extẽſionis, & diuiſibilitatis partiũ in ordine ad ſe, cæterum cum prior extenſio non habeat repugnanciam, vt ſit ſine poſteriori recte poteſt quantitas Chriſti eſſe in Euchariſtia modo indiuiſibili in ordine ad locum, & ſimul diuiſibili in ordine ad ſe, hic nãq; repugnãtiã eſſẽtialẽ nõ habet cũ illo.

Ad ſecundum, quod eſt replica contra dicta negatur antecedens.

Ad cuius primam probationẽ reſpondetur extẽſionẽ in ordine ad locũ eſſe effectũ ſecũdariũ quãtitatis, & non primariũ quãuis ergo implicet formã poſſe cõſtitui in ſubiecto, & nõ cõmunicare effectũ primarium, non tamen repugnat poni quin conferat effectum ſecundarium, vt mille exemplis oſtendi poteſt, ac proinde optime valet quantitas Chriſti poni in ipſius ſubſtãtia quin illã actu extẽdat in ordine ad locum, imò cũ oppoſito modo: ſicut lapis, qui eſſentialiter eſt in potentia ad deſcenſum, poteſt conſtitui actu ſub aſcenſu.

Dices; etiã eſt effectus ſecundarius gratiæ habitualis facere filiũ adoptiuũ; & tamen neque de potentia abſoluta priuari poteſt tali effectu; ſi ponatur in perſona extranea à Deo, quæ eſt ſubiectum capax talis effectus: ergo quamuis extenſio in ordine ad locum ſit effectus ſecundarius quantitatis, non poterit ab eo abſolui, quamdiu quantitas ſit in ſubiecto capaci talis effectus, at ſubſtantia Chriſti capax eſt huius effectus; eſt enim eademmet in Euchariſtia, quæ in cœlo: ergo.

Reſpondetur tranſeat antecedens; & nego conſequentiam, quia gratia habitualis ſe ipſa, & non per aliquid à ſe diſtinctũ confert illum effectum ſecũdariũ, qui ſecundarius dicitur, eo quod non primo loco tribuitur: at vero quantitas non per ſe ipſam, ſed per aliquem modum à ſe diſtinctum tribuit ſubiecto extenſionem in ordine ad locum: atquè adeo cum poſsit a Deo illo priuari, licet ſubiectum ſit capax prædictæ extenſionis, eam non habebit, quia nõ habet modũ formæ a quo effectus prouenit formaliter actu: ſicut ſi diceremus effectũ ſecũdarium animæ rationalis eſſe

reddes

reddere ſubiectum in quo eſt intellectiuũ proxime, quãuis ſi eſt etiã in ſubiecto capaci talis effectus illum nõ conferret ſi priuaretur à Deo potentia intellectiua: & hoc propter rationem dictam: videlicet quoniam careret anima intellectu, a quo formaliter prouenit effectus ille: & idem exemplum adeſt in ſententia Thomiſtarum aſſerentium exiſtere eſſe effectum ſecundarium formæ: ſi enim poneretur forma per impoſsibile, ſine exiſtentia in materia, licet materia cum forma ſit capax exiſtendi, in illo caſu non exiſteret.

Satis fit cuidã interrogationi

Sed rogabis: vnde conſtat quantitatem non per ſuam entitatem conferre extenſionem actualem in ordine ad locum ad differẽtiam gratiæ habitualis. Reſpondeo: colligi à poſteriori ex noſtro miſterio: & à priori, quia non eſt quare non ſic contingat.

26 Ad ſecundam probationẽ eiuſdẽ antecedentis ſecundi argumenti, dicendum eſt, quod ſicut eſt duplex extenſio ita eſt duplex ratio figuræ: alia quæ ſequitur extenſionem partium in ordine ad ſe, & alia extenſionem partium in ordine ad locum: figura ergo in ſecunda acceptione eſt inſeparabilis de quacumque potentia à quantitate: ſecus autem in ſecunda.

Ad tertium principale negatur minor: ad probationem conceſſa maiori contra Durandum, Suarium, & Vazquium, qui deſerunt rationem Diu. Thomæ, negatur etiam minor. Ad cuius primam probationem, & ſecundam ſimul reſpondetur animam rationalem non habere potentiã, vt ſit in loco ad modũ, quo eſt in ipſo corpus: neque diuinum Verbum ad modum eſſendi ſubſtantiæ corporeæ: atque adeo nequeunt imitari id ratione cuius alicubi dicuntur eſſe: quantitas vero priuata extenſione in ordine ad locum capax eſt eſſendi indiuiſibiliter in ordine ad illum: ac proinde diſpar eſt ratio.

Ad tertiam omiſsis aliorum ſolutionibus reſpondeo in generatione, vel creatione ſubſtantiæ corporeæ relinqui res ſecundum connaturalem exigentiam: ac ſubinde, cum ſubſtantia corporea connaturaliter petat quantitatem, ratione cuius extendatur, etiam in ordine ad locum, vt hac via recipiat alia, quæ hanc extenſionem ſupponunt, ideo quantitas habet vtrumque extenſionis modum, quia vtrumque connaturaliter producta petit: neque hoc exiſtimo poſſe negari ab illis, qui opinantur ſubſtantiam prædictam eſſe indiuiſibilem intra proprium genus: etenim cum hoc componunt eſſe capacem extenſionis, & per hoc eam diſtinguunt ab incorporea: vnde debent aſſerere ex natura ſua exigere extenſionem in ordine ad ſe, & in ordine ad locum: at quoniam in hoc ſacramento ſubſtantia corporis Chriſti non producitur connaturaliter, vt ipſa poſtulabat, ſed ſuper naturaliter; vt immediatè ſit ſub ſpeciebus ſacramentalibus ad modum, quo anima eſt in corpore, & Angelus in loco diuiſibili, idcirco quantitas Chriſti, quæ ponitur ſub ſpeciebus panis, ratione talis ſubſtantiæ ponitur, ſequens modum illius.

Vnde patet ad vltimam probationem: dico enim, quod etiam ſi forma conſecrationis eſſet hæc: *Hoc eſt corpus meum quantum*, poſſemus dicere quantitatem Chriſti eſſe in hoc ſacramento, ſicut modo eſt: etenim tunc ly, *quantum* nominaret quantitatem præciſe, ſecundum rationem eſſentialem, & effectum primarium poſitum conſequenter ad rationem ſubſtantiæ ſub dimenſionibus.

27 Et ſi contra hæc omnia obijcias, non poſſe Deum conſtituere, vel producere ſubſtantiam corpoream, ſub alienis accidentibus ad modum ſubſtantiæ ſpiritualis: cum hic modus eſſendi repugnet non minus, quam quod ſubſtantia ſpiritualis ponatur, vel producatur ad modum ſubſtantiæ corporeæ, quia oppoſitorum eadem eſt ratio.

Soluitur obiectio propoſita

Reſpondetur negando aſſumptum: videmus namque Deum poſſe creare rem quæ poſtulabat ex natura ſua generari: non tamen poſſe facere, quod generetur anima, vel Angelus, quæ petunt creari: & ſic in alijs multis: ita in præſenti: & hoc exiſtimo prouenire ex eo, quod cum Deus ſit ſumma perfectio, æquum eſt habere potentiam, vt eleuet res ad perfectiorem ſtatum quem de ſe poſtulabant: non autem vt a connaturali ſtatu deijciat.

28 Circa ſecundam partem, Vaz

quius diſputatione 186. capite quarto, ait quantitatem, & accidentia, quę ſunt de ratione corporis, aut ſanguinis humani, vt ſic, eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, & vini, quam ſententiam inquit aduerſans Suario non fuiſſe Gabrielis, neque aliorum nominalium; quoniam ſi dicebant, vt ſuperius vidimus ſolam materiam primam eſſe in hoc ſacramento ex vi verborum, & non aliquam formam ſubſtantialem, aut accidentalem, neque compoſitum ex materia, & tali forma accidentali: quo pacto potuerunt dicere nihilominus quantitatem eſſe ſub ſpeciebus panis ex vi verborum? fatetur tamen ſe AEgidio theoremate 28. ex parte conſentire, quatenus ibi aſſerit eſſe in hoc ſacramento ex vi verborum, aliquem modum ipſius quantitatis corporis Chriſti: ipſe tamen Vazquius inquit non tantum modum, ſed & quantitatem ipſam, & eius effectum formalem poni in hoc ſacramento ex vi verborum: quantitatem inquam, ſiue quæ eſt in corpore Chriſti viuo, ſiue quæ eſt in corpore mortuo.

Huius fundamentum eſt, quia corpus Chriſti exiſtens in hoc ſacramento ex vi verborum eſt organicum, & ethereogeneum, habens manus, caput, pedes, figuram, &c. ergo pariter ex vi verborum eſt, id quod eſt de eſſentia talis corporis organici, & ethereogenei: tunc vltra: ſed de eſſentia corporis organici, & thereogenei eſt quantitas; vtpote, quia organizatio formaliter prouenit à quantitate: ergo quantitas eſt ibi ex vi ſacramenti.

Quæ ratio maxime habet vim in ſententia probabili aſſerente ſubſtantiam corpoream ante quantitatem, nullam extenſionem, ſiue diſtinctionem, aut diuiſionem partium habere; ſed eſſe omnino indiuiſibilem in ordine ad ſe, ſicut animam rationalem.

Quæ ſententia habet magnum fundamentum in Diu. Thom. quatenus in hoc articulo infert quantitatem Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis modo indiuiſibili, ex eo quod ſit ibi ad modum ſubſtantiæ panis de cuius ratione eſt indiuiſibilitas: ergo per quantitatem habet ſubſtantia Chriſti formaliter eſſe diuiſibiliter, & extenſe cum diſtinctione partium in ordine ad ſe: ac per conſequens, & habet eſſe corpus organicum.

Sed his non obſtantibus verior ſententia aſſerit quantitatem, & reliqua accidentia quæ quantitatem conſequuntur, neque dependent determinate à loco cœleſti in quo phiſice exiſtit corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento per concomitantiam, & non ex vi verborum. Quam tenent Diuus Thomas in hoc articulo quarto, Caietanus, Soto, & Ledeſma ſupra relati, & Suarius diſputatione 51. ſectione 5. *Verior ſententia ſtatuitur pro cōcluſione*

Et ideo à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur primo: ex Tridentino Seſsione decima tertia, capite quarto, vbi decernitur, per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis quæ conuerſio proprie transſubſtantiatio appellatur: ergo ex natura talis actionis quæ ſubſtantialis eſt, colligitur quod ſolum ad ſubſtantialem terminum per ſe debeat terminari: ergo non ad quantitatem, aut alia accidentia.

Secundo probatur ratione, qua Diuus Thomas vtitur in hoc articulo, quæ ſi recte perpendatur conuincit non ſolum quantitatem determinate, vt vult Vazquius, ſed etiam vage ſumptam pro quantitate corporis viui, vel mortui eſſe per concomitantiam in hoc ſacramento, nam ex contextu litteræ conſtat, quod in eo ſenſu in quo Diuus Thomas fatetur corpus eſſe ex vi ſacramenti, negat quantitatem eſſe ſic: corpus autem quod ex vi verborum ponitur in ſententia eiuſdem ſancti Doctoris eſt viui, vel mortui disiunctim: ergo quantitas, quæ non ponitur ex vi ſacramenti, ſed per concomitantiam, eſt quantitas vage ſumpta, & non tantum hæc determinate. Ratio autem ſic procedit: in hoc ſacramento ex vi verborū eſt illud, ad quod directe conuerſio terminatur, conuerſio autem directe terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti, & non ad dimenſiones eius: ergo. Probatur minor in qua eſt difficultas, primo: terminus ad quem per ſe loquendo talis eſt, qualis terminus a quo, at ex parte termini à quo ſola ſubſtantia panis deſinit eſſe: ergo ex parte termini ad quem conuerſionis ſola ſubſtantia per ſe terminat conuerſionem, ac proinde ſola ipſa ponitur ex vi ſacramenti.

Tertio conuerſio formaliter, & directe terminatur ad id quod expreſſe ſignificant verba conſecrationis, ſed verba conſecrationis non ſignificant expræſſe quantitatem, tum quoniam diuerſam ſignificationem habent hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ab iſtis; *hoc eſt corpus meum quantum*, hæc autem poſteriora expræſſe ſignificant quantitatem; priora ergo non ſic quantitatē ſignificabunt; Tum quia ſi ſubſtantia corporis Chriſti poneretur in hoc ſacramento, ſine quantitate, adhuc eſſet verum dicere, *hoc eſt corpus meum*; vt conſtat: ad verborum igitur ſignificationem non requiritur quantitas: ergo, &c.

Vltimo: conuerſio vini in ſanguinē, vt Vazquius ipſe fatetur, & ſequaces, nō terminatur formaliter, niſi ad aliquid ſubſtantiale, & non ad quantitatem ſanguinis Chriſti, neque in determinate; atque adeò quantitas ſanguinis non conſtituere tur ex vi ſacramenti, ſed concomitanter, ſolum: ergo ſimiliter conuerſio panis in corpus terminabitur ad aliquid ſubſtantiale, & non ad quantitatem, probatur cōſequentia: nam in ſententia illius Doctoris ſubſtantia accipit partes à quantitate, ac ſubinde ſicut corpus, quod eſt ſubſtantia ethereogenea accipit partes diſſimilares à quantitate; ita ſanguis, qui eſt ſubſtantia homogenea debet accipere partes ſimilares à quantitate, Igitur ſicut hoc non obſtante ad quantitatem ſanguinis non terminatur formaliter conuerſio vini in ſanguinem; ſic non terminabitur conuerſio panis in corpus ad quantitatem, quapropter quemadmodum Vazquius debet dicere ſanguinem, prout in hoc ſacramento ex vi ſacramenti non dicere partes quātitatiuas ſimilares, ſed aliquid ſubſtantiale, quod eſt radix partium ſimilarium; dicat idem de corpore, nempe eſſe aliquid ſubſtantiale, & verum profecto affirmabit, cum corpus ſit pars humanitatis, quæ ſubſtantia completa eſt.

Reſpondetur ad argumētā prioris ſententia. Ex quibus ad fundamentum adductum pro priori ſententia reſpondetur diſtinguendo maiorem de organizatione ſubſtantiali, aut accidentali: & de ſubſtantiali quidem verum eſt, quod corpus Chriſti organicum ex vi verborum eſt in hoc ſacramento: ſecus autem de accidentali, quæ prouenit à quantitate: ſubſtantialis vero organizatio non à quantitate prouenit, ſed à ſubſtantia ipſa, prout eſt radix quantitatis.

Ad confirmationem reſpondetur, quod in ea opinione, de cujus veritate, aut probabilitate alibi iudicium fecimus, debet affirmari corpus exiſtens in Euchariſtia ex vi ſacramenti non eſſe corpus formaliter ſumptum, ſed radicaliter: quia cum eius defenſores ex vna parte concedant terminum conuerſionis eſſe tantum aliquid ſubſtantiale; & ex alia parte non admittant aliquam formalem diſtinctionem partium, ſine actuali quantitate, diſtinctioque iſta formalis partium ſit de ratione corporis humani, & organici; vt ſic formaliter ſumpti: coguntur ad aſſerendum corpus duntaxat radicaliter ſumptum conſtitui ex vi ſacramenti.

Sed nos qui illam opinionem non ſequimur, ſed oppoſitam, quæ in corpore ſubſtantiali, & organico agnoſcit diſtinctionem partium antecedenter ad quantitatem, & independenter ab illa; ingenue fatemur corpus humanum, & organicum formaliter ſumptum poni in hoc ſacramento ex vi verborum; quantiaatem autem ſolum per concomitantiam.

30 Deinde ſecunda pars concluſionis, quæ de alijs accidentibus procedit, aſſerit omnia illa quæ non pendent determinate à loco cœleſti, poni in hoc ſacramento, non ex vi verborum, ſed per concomitantiam, quæ verò à tali loco dependent, nullo modo in ſacramento conſtituuntur. Totius huius aſſerti ratio eſt manifeſta, ſiquidem accidentia primi generis ſunt realiter coniuncta corpori Chriſti, & ad ipſum pertinentia, & non ſignificantur formaliter per verba: ergo ſunt in Euchariſtia per concomitantiam realem: nullum enim eſt impedimentum ad hoc, ſæcus vero de accidentibus ſecundi generis; quæ cum eſſentialiter connectantur cum loco cœleſti, vt præſentia ad ipſum verbi gratia impedita ſunt ne conſtituantur in Euchariſtia. Vtrum vero ponantur dicta accidentia, per eamdem actionem, per quam ponitur ſubſtantia corporis; vel per aliam? Parum refert; veruntamen exiſtimo poni, per eamdem actionem, diuerſimode tamen: nam ſubſtantia corporis ponitur per illam directe, & primario: accidentia vero indirecte, concomitanter, & ſecū

dario; quemadmodum etiam in naturalibus contingit, imo debitum eſt naturæ ipſius actionis, quæ communicat eſſentiam, ſiue formam ſubſtantialem: vt illam communicet primario: accidentia vero, & proprietates conſequutas, communicet conſequenter, & ſecundario.

ART. V.

Vtrum corpus Chriſti ſit in hoc ſacramento, ſicut in loco?

inf. ar. 6. a. & ad 1. & 4. d. 10 a. 1. ad 5. 6 7 & 8 & a. 3. q. 2 ad 2. & 4. con. 6. 54. fin. Et quo. 1. ar. 22. ad 2.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod corpus Chriſti ſit in hoc ſacramento ſicut in loco. Eſſe enim in aliquo definitiue, vel circumſcriptiue, eſt pars eius quod eſt eſſe in loco. Sed corpus Chriſti videtur eſſe definitiue in hoc ſacramẽto (quia ita eſt vbi ſunt ſpecies panis vel vini, quod non eſt in alio loco altaris.) Videtur etiam ibi eſſe circumſcriptiue; quia ita continetur ſuperficie hoſtiæ conſecratæ, quod nec excedit, nec exceditur. Ergo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento, ſicut in loco.

2 Præterea, Locus ſpecierum panis non eſt vacuus (natura enim non patitur vacuum) nec eſt ibi ſubſtantia panis, vt ſupra habitum * eſt, ſed eſt ibi ſolum corpus Chriſti. Ergo corpus Chriſti replet locum illum. Sed omne quod replet locum aliquem, eſt in eo localiter. Ergo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento localiter.

q. prec. a. 1. 2. & 5.

3 Præterea, Sicut dictum eſt, * in hoc ſacramento eſt corpus Chriſti cum ſua quantitate dimenſiua, & cum omnibus ſuis accidentibus. Sed eſſe in loco eſt accidens corporis; vnde & ibi connumeratur inter nouem genera accidentium. Ergo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento localiter.

a. prec. & 3. hui.

Sed contra eſt, quod opportet locum, & locatum eſſe æqualia, vt patet per Philoſ. * in 4. Phyſic. Sed locus vbi eſt hoc ſacramentum, eſt multo minor, quam corpus Chriſti. Ergo corpus Chriſti non eſt in hoc ſacramento, ſicut in loco.

l. 4. Phy. te. 30. to. 25

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut iam dictum eſt * corpus Chriſti non eſt in hoc ſacramento, ſecundũ proprium modum quantitatis dimenſiuæ, ſed magis ſecundum modum ſubſtantiæ. Omne autem corpus locatum eſt in loco ſecundum modum quantitatis dimenſiuæ, in quantum ſcilicet, commenſuratur loco ſecundum ſuam quantitatem dimẽſiuam. Vnde relinquitur, quod corpus Chriſti non eſt in hoc ſacramento, ſicut in loco, ſed per modum ſubſtantiæ: eo ſcilicet modo, quo ſubſtantia continetur à dimenſionibus. Succedit enim ſubſtantia corporis Chriſti in hoc ſacramento ſubſtantiæ panis. Vnde ſicut ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ, ita nec ſubſtantia corporis Chriſti: non tamen ſubſtantia corporis Chriſti eſt ſubiectum illarum dimenſionum, ſicut erat ſubſtantia panis. Et ideo ſubſtantia panis ratione ſuarum dimenſionum localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum illum mediantibus proprijs dimenſionibus. Subſtantia autem corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus alienis, ita quod è conuerſo dimẽſiones pro-

a. 3. hui. q.

Digitized by Google

priæ corporis Chriſti comparantur ad locum illum mediante ſubſtantia: quod eſt contra rationem corporis locati. Vnde nullo modo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento localiter.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus Chriſti non eſt in hoc ſacramento definitiue: quia ſic non eſſet alibi, quàm in hoc altari, vbi conficitur hoc ſacramentum: cum tamen ſit, & in cœlo in propria ſpecie, & in multis alijs altaribus ſub ſpecie ſacramenti. Similiter etiam patet, quod non eſt in hoc ſacramento circumſcriptiue: quia non eſt ibi ſecundum commenſurationem propriæ quantitatis: vt dictũ eſt. * Quod autem non eſt extra ſuperficiem ſacramenti, nec eſt in alia parte altaris, non pertinet ad hoc, quod ſit ibi definitiue, vel circumſcriptiue: ſed ad hoc, quod incepit ibi eſſe per conſecrationem, & conuerſionem panis, & vini, vt ſupra dictum * eſt.

a. 3 & 4. huius q.

q. præc. a. 3. & 4.

Ad ſecundum dicendum, quod locus ille, in quo eſt corpus Chriſti, non eſt vacuus: neque tamē propriè eſt repletus ſubſtantia corporis Chriſti, quæ non eſt ibi localiter, ſicut dictum eſt. * Sed eſt repletus ſpeciebus ſacramentorum, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimenſionum, vel ſaltem miraculoſe, ſicut & miraculoſe ſubſiſtunt per modum ſubſtantiæ.

In co. art.

Ad tertium dicendum, quod accidentia corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento (ſicut ſupra dictum eſt) * ſecundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Chriſti, ſunt in hoc ſacramento, quæ ſunt ei intrinſeca. Eſſe autem in loco, eſt accidens per comparationem ad extrinſecum continens. Et ideo non oportet, quod Chriſtus ſit in hoc ſacramento ſicut in loco.

Art. præc.

31 Concluſio eſt negatiua: quã probat D. Thom. in corpore articuli, ex eo quod corpus Chriſti, vt dictum eſt in præcedentibus non eſt in Euchariſtia ad modum quantitatis dimenſiuæ, ſed ad modum ſubſtantiæ: corpus autem quod eſt in loco, eſt in illo ſecundum modum quantitatis dimenſiuæ, ſiquidem per dimenſiuam quantitatem commenſuratur loco, quod eſt de ratione locati: igitur non eſt corpus Chriſti in hoc ſacramento tamquam in loco, ſed ſicut eſt ſubſtantia panis, verbi gratia ſub propria quantitate; & cum eſſe in loco, iuxta philoſophos cõtingat dupliciter, circumſcriptiue, videlicet, & diffinitiue: ratioquè facta ſolum probet de modo eſſendi circumſcriptiuè conſiſtenti in hoc, quod totum locatum correſpondeat toti loco; & pars locati, parti loci: ideò ſanctus Thomas in ſolutione ad primum probauit, nequè eſſe diffinitiue, quia ſic eſſe in loco eſt ita eſſe ibi vt ex modo eſſendi repugnet rei, quæ diffinitiue eſt in tali loco, eſſe alibi; corpus autem Chriſti exiſtens in vna hoſtia, non ita eſt in illa, vt ei repugnet, ſimul eſſe in propria ſpecie, & in alijs plurimis hoſtijs: igitur, &c.

Pro cuius doctrinæ intelligentia, & explanatione, videndum eſt qualem preſentiam habeat corpus Chriſti in hoc ſacramento: pro quo ſequens dubium inſtituimus diſcutiendum.

Dubium eſt: An Chriſti corpus habeat ſub ſpeciebus conſecratis aliquam præſentiam realem: & an hæc ſit localis?

(? ¿ ?)

In hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo, quod Chriſti corpus, & ſanguis ſub ſpeciebus panis, & vini habeant aliquam præſentiam poſitiuam, & rea- *Status controuerſiæ.*

lem

lem ſuper additam ipſi corpori, & quę ipſum intrinſece afficit, ac denominat præſens: & hæc non eſt aliquod eſſe relatiuum prædicamentale, vt voluit Scotus, ſed tranſcendentale, in quo relatio prædimentalis indiſtantię, vel diſtantię fundatur.

Neq; huic cõmuni ſuppoſitioni obſtat, quod ex illa ſequatur, quod corpus Chriſti mutetur realiter in ſe per conſecrationem recipiendo aliquid nouum, quod cõmuniter negatur: & ſimiliter quod deperdat aliquid, quando ſpecies ſacramentales corrumpuntur: quod negauit D. Thom. art. ſequenti in fine corporis. Non inquam obſtat: etenim concedendum eſt mutari recipiendo in ſe præſentiam nouam, quia poſsitiue fiat indiſtans à loco ſpecierum; neque hoc negatur communiter, vt diximus ſupra: & pariter conſequenter aſſerendũ eſt deperdere aliquid, dum ſpecies ſacramentales corrumpuntur: cuius oppoſitũ non docuit ſanctus Doctor: ſolum enim intendit, quod corpus Chriſti non deſinat eſſe ſub ſpeciebus: neque, quod amittat præſentiam ſub illis: ita vt hęc deſitio incipiat, & origínetur ab ipſo corpore, ſed quod ab ſpeciebus incipiat, poſito tamen ab eis incipere, neceſſe eſt præfatam præſentiam perdere.

Neque ſimiliter obſtat, quod iſto modo ſecundum Angelicum Doctorem corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento præſens, ſicut erat ante conſecrationem ſubſtantia panis: at ſubſtantia panis non habet diſtinctam præſentiam ab ea quam habet ſua quantitas: ac proinde non habet intrinſecam præſentiam in ſe immediatè receptam, ratione cuius reddatur præſens, ſed dicitur præſens extrinſece à præſentia recepta in quantitate: & ſic ſentiunt multi philoſophi, & Theologi antiqui, & moderni: ergo. Non inquam obſtat, quia facilem habet ſolutionem, iuxta ea, quæ docuimus, 1. part. quęſt. 52. dum de loco Angelorum ageremus: ſi dicamus, quod ſubſtantia panis non habeat diſtinctam præſentiam localem phiſice loquendo ab illa, quam habet eius quantitas: non autem ſequitur ex hoc, quod non habeat aliam pręſentiam ſimplicem, per quam ſi à propria quantitate ſepararetur, eſſet poſsitiue diſtans ab alijs rebus, & indiſtans à loco in quo quantitas aqua ſpoliaretur, erat: & per quam eſſet ibi taliter præſens, quod non eſſet alibi, tanquam quædam pars vniuerſi, &c. Idemque dicendum eſt in noſtro caſu de ſubſtantia corporis Chriſti, quod habet ſub ſpeciebus præſentiam ſacramentalem.

32 Deinde pro certo ſtatuendum eſt in hac eadem ſuppoſitione, quod hæc præſentia ſit quidam modus tranſcendentaliter ordinatus ad id in ordine ad quod conſtituit ſubiectum, quod intrinſece afficit præſens, ſeu indiſtans formaliter ſub ſpeciebus ab earum loco: neque nõ, quod iſte modus præſentialis ſit aliquid accidẽtale pertinens ad prædicamentum *vbi* ſupernaturale, non ſolum quantum ad modum, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam; diuiſibile in ordine ad ſubiectum, & in ordine ad ſpatium: licet in ordine ad hoc quodam modo indiuiſibile ſit, ſpirituale partim, & partim materiale. Probanturque ſingulæ partes huius ſuppoſitionis. Prima quidem, quod ſit aliquod accidens, probatur: quia non pertinet ad perfectionem ſubſtantiæ corporis Chriſti per modum ſubſtantiæ conſiderati: neque intra rationem ſubſtantiæ illud complet: ſicut neque duratio: qua de cauſa aſſerimus pręſentias naturales aliarum rerum creatarũ, & ipſius corporis Chriſti in propria ſpecie conſiderati: ideſt, extra ſacramentum eſſe accidens prædicamentale: ergo, & pręſentia de qua agimus. Quod vero ad prædicamentum, *vbi*, pertineat ſaltem reductiue, oſtenditur: nam quamuis non ſit *vbicatio*, vel *vbi* relictum ex adiacentia loci: quo modo Giluertus, & ſubſequentes philoſophi diffinierunt prędicamentum, *vbi*: re vera tamen præſentem conſtituit Chriſtum in loco ſpecierum: vt aſſerit Concilium Tridentinum infra adducendum: ergo ſaltem reductiue ad prædicamentum, *vbi*, pertinebit: ſicut propter conſimilem rationẽ duratio rei ſupernaturalis, licet non relinquatur ex adiacentia temporis, per cuius reſpectum philoſophi explicuerunt prædicamentum quando; ad hoc prædicamentum attinet.

A qua tamen communi doctrina recedit Magiſter Nuño hic difficultate ſecunda dicens; modum præſentię ſacramentalis poſsitiuum, & intrinſecũ corpori Chriſti, eſſe aliquid ſubſtantiale reductiue pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ.

Quod ſibi perſuadet primo. Ex Concilio Tridentino Seſsione 13. cap. 1. aſſerente corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento ſubſtãtialiter: ergo per modũ ſubſtãtialem,

Se

Secundo ex D.Thoma, qui affirmat eſſe ad modum ſubſtantiæ, & ſicut ſubſtantia eſt ſub proprijs dimenſionibus; ſubſtantia autem non eſt ſub proprijs dimenſionibus medio aliquo modo accidentali: propterea, quia aliàs non eſſet quantitas prima paſſio ſubſtantiæ corporeæ, & ratio recipiendi alia accidentia: denique, quia potentia receptiua prædicti modi, eſt ſubſtantia; ac proinde, & modus receptus debet eſſe ſubſtantialis, quia potentia, & actus debent eſſe in eodem genere: ergo, &c.

§.3. Tertio, quia ſecundum Gilbertum Porretanum *vbi*, eſt circumſcriptio locati ex circumſcriptione loci prouenniens, at hoc nullatenus conuenit præſentiæ Chriſti in ſacramento; Chriſtus namque non circumſcribitur à loco, neque diffinitur ab illo, prout eſt in Euchariſtia, vt aſſerit Diu. Thomas in præſenti, & cum eo omnes Theologi: ergo.

Vltimo, quia *vbi*, conuenit ſubſtantijs materialibus mediâ quantitate; & ſpiritualibus media qualitate, nempe operatione; propterea ponitur inter ſex vltima prædicamenta: ſed modus eſſendi Chriſti in hoc ſacramento non competit ipſi ratione quantitatis, vel qualitatis, ſed ratione propriæ ſubſtantiæ: ergo.

Quæ omnia ſic confirmat, quia ſi præſentia hæc, eſſet accidens attinens ad prædicamentum *vbi*, non eſſet ratio, quare ratione illius non diceretur Chriſtus verè, & proprie eſſe in loco, prout in ſacramento: ſicut verè, & proprie dicitur Angelus eſſe in loco ratione præſentiæ, quam habet ad locum; quod Thomiſtæ communiter negant cum Diu. Thoma; ergo. A quibus tamen facile expeditur noſtra ſuppoſitio.

Reſpõdetur ad argumẽ contra ſuppoſitionem factam. Ad primum enim reſpondetur, quod Concilium tantum intendit ibi contra hæreticos Chriſtum Dominum non eſſe in Euchariſtia ſecundum ſignificationem, & figuram: ſed vere; & realiter ſecundum ſuam ſubſtantiam: ex quo non ſequitur modum illum ratione cuius formaliter denominatur præſens ſubſtantia Chriſti, eſſe aliquid ſubſtantiale, ſicut ex eo quod ego ſum modo in hac cathedra ſubſtantialiter, non ſequitur meam vbicationem eſſe ſubſtantiam.

Ad ſecundum reſpondetur dupliciter primo negando ſimilitudinem tenere in omnibus; ſed in his quæ tãtũ ad intentum ſancti Thomæ attinebant: ex quibus non deducitur præſentiam Chriſti eſſe ſubſtãtialem intrinſece, ſed ſolum non eſſe proprie localem, & diuiſibilem in ordine ad locum per correſpondentiam totius ad totum, & partis ad partem.

Secundo negando minorem, & aſſerendo, etiam ſubſtantiam panis habere propriam, & intrinſecam præſentiam, ratione cuius ſit præſens loco propriorum accidentium.

Vnde reſpondetur ad illas probationes duas, ad primam dicitur, illud accidens, ſicut & aliquas relationes, eſſe in ſubſtantia immediate; quomodo autem cum hoc ſtet quantitatem eſſe, primam proprietatem ſubſtantiæ, & ſubiectum aliorum accidentium? hoc ad libros de generatione ſpectat: ad ſecundam probationem dicimus inſtari in ipſa quantitate, quæ quidem eſt actus ſubſtantiẹ; & tamen non ideo eſt in eodem genere; vnde maxima illa propriam habet ſedem, ac intelligentiam in libris de anima, & nos illam explicauimus, lib. 9. Methaph. q. 2. art. 1.

Ad tertium fateor hanc præſentiam incognitam fuiſſe à philoſophis; ſed eſſe longe diuerſæ rationis ab *vbi*, quo ſubſtantia corporea circumſcribitur: & incorporea diffinitur: neque ipſius eſt aliquod exẽplum adẹquatum in creatis; quod indicauit Tridentinum loco ſupra allegato; & multis alijs in locis inquiens; ſubſtantiam eſſe ſacramentaliter præſentem ea ratione qua exprimere vix poſſumus; poſſibilem tamen eſſe nobis cognitionem illius per fidem; at cum his recte componitur pertinere ad prædicamentum *vbi*, quemadmodum pertinent ad predicamentum *quando*, durationes ſuper naturales, quẹ in mentem philoſophorũ non aſcenderunt; & ad prædicamentum actionis, productiones ſuper naturales Catholici, & non Philoſophi, fide ſuper naturali ducti, etiã reuocamus; ſimiliter in prædicamẽto *vbi*, preter præſentiã circũſcriptiuam, & diffinitiuam; hanc reducimus, quia re vera Chriſtum præſentem conſtituit, & ſi non directe, reductiue ſaltim, vt apte indicat D. Thom. in 4 d. 10. q. 1. art. 3. queſtiuncula 1. ad primum.

Ad vltimum reſpondetur, quod vbi circumſcriptiuum medio quo locatum perficitur à loco, verum eſt, quod competit ſubſtantiæ corporeẹ ratione quãtitatis, & diffinitiuũ reſultans in Angelis, v.g. quia

pere

perficiunt locum, ratione operationis, vt diximus, q. 52. 1. partis: at vero præſentia, per quam abſolute, & poſitiue redditur quæcumque res creata indiſtans, oritur immediate ab eius ſubſtantia: ſicut & duratio in tempore, euo, vel æternitate, vt ex profeſſo ibidem oſtendimus: quare bene potuit Deus ab extrinſeco communicare ſubſtantiæ corpori Chriſti præſentiam accidentalem, ratione cuius indiſtet à loco ſpecierum panis.

Vtrum autem præſentia iſta localis dici debeat (quod in confirmatione petebatur) ſub lite eſt, & forte de modo loquendi eſt quæſtio: ſed ſentiendum, & loquendum eſt cum D. Thoma: ac per conſequẽs negatiue reſpondemus: eo quod præſentia localis, ſeu eſſe in loco in communi acceptione importat eſſe, vel circumſcriptiue, vel diffinitiue: & Chriſtus nullis ex his modis eſt in ſacramento; vnde ſacramentalis præſentia eſt appellãda, per quã Chriſtus fit formaliter præſens, tum quantitati, & alijs accidentibus panis, non vt loco, ſed ad modum quo ſubſtantia panis prius erat ſub eiſdem accidentibus ſecluſa imperfectione: tum loco quantitatis panis, non per ſe locatæ, ſed modo altiori inexplicabili, vt docuit Tridentinum. Et quidem vt hæc concludam, ſi modus præſentiæ ſacramentalis ſubſtantialis eſſet, vt opinatur iſte author, non ita facile impugnaremus Scotum aſſerentem conſecrationem eſſe actionem adductiuam.

Modus præſentiæ ſuper naturalis, quoad ſubſtantiã adſtruitur.

34 Deinde: eſſe dictum modum præſentiæ ſuper naturalem, nõ ſolum quo ad modum, quod nullus negare poteſt, vt patet ex dictis, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam, vt habetur à Diuo Thoma, art. 7. ſequenti: propter quod negat poſſe ab Angelo naturali virtute cognoſci: probo ex verbis concilij, vbi ſupra diffinientis poſsibilitatem huius præſentiæ, ſola fide illuſtratos aſſequi poſſe.

Ex quibus ſic conficio argumentũ: ergo hæc præſentia eſt ſuper naturalis, quantum ad ſubſtantiam, patet conſequẽtia: nam id cuius poſsibilitas non poteſt cognoſci, niſi media diuina fide, aliquid ſuper naturale eſt, quantum ad ſubſtantiam: ergo.

Dices, non dicere concilium ſola fide, ſed cognitione per fidem illuſtrata: ſic autem etiam cognoſcimus res in ſua entitate naturali. Contra, quia ex modo loquendi in antecedentibus clare colligitur illa excluſiua: Tum, quia quando dicitur in diffinitionibus conciliorum, hoc per fidem illuſtrati aſſequimur; & eſt ſermo de rebus miſterium continentibus, vt in præſenti, aſsignatur plane fides, tamquam vnica via aſſequendi illud miſterium.

Tum, quia præceſſerat, quod illa præſentia eſt talis, quæ vix poteſt explicari, & intelligi, & ideò ad eius explicationẽ ad fidem confugiendum eſt: ergo, quia fides eſt vnica via, & medium cognoſcendi illã. Et idem ratione efficaci oſtẽditur, licet non facile: ſi enim percurramus conditiones huius præſentiæ videntur ſaluari in præſentijs localibus naturalibus omnium partium Chriſti Domini ad eundem locum indiuiſibilem; ſi omnes illæ partes penetrentur miraculoſe; quo pacto ſi haberent præſentiam duo corpora diuinitus in eodem loco penetrata: tunc enim haberent naturalem præſentiam ad eundem locum quantum ad ſubſtantiam, licet ſuper naturalem, quantum ad modum; & ita videntur ſentire aliqui Theologi, infra art. 7. dicentes naturaliter poſſe præſentiam ſacramentalem ab Angelo cognoſci ac ſubinde in ſua entitate eſſe naturalem, quã uis miraculoſe productam; in quantum illa quæ in diuerſis locis futura erant naturaliter, in eodem indiuiſibiliter exiſtunt ſuper naturaliter.

Probatur ſententia auctoris.

Nihilominus probatur noſtra ſententia, etiam de præſentia, prout afficienti animam (quod difficilius eſt) hac ratione; prædicta præſentia eſt indebita corpori, & animæ Chriſti, non tantum, quantum ad modum, ſed etiam quo ad entitatem; ergo ſuper naturalis eſt, quantum ad ſubſtãtiam. Conſequentia eſt nota, etenim quod eſt ſuper naturale, quo ad modum; quo ad modum tantum eſt in debitum naturæ: ergo ſi hæc præſentia, etiam quo ad entitatem eſt indebita; fit conſequens, quod etiã quo ad ſubſtãtiã fit ſuper naturalis; & antecedens probatur, illa præſentia corporis, & animæ Chriſti ſecundum ſuam naturam eſt quædam imitatio, vel participatio diuinæ immenſitatis, in hoc ſenſu, ſicut Deus ratione ſuæ immenſitatis eſt vbique, ita Chriſtus Dominus ex vi huius ſacramentalis præſentiæ, eſt etiã vbique ſyncathegorematicè; in hoc ſenſu, quod ex vi illius non limitatur, neque diffinitur loco; quin potius omnis huiuſ-

modi præſentiæ quæcumquè ſit, vel in quacumquè ſpecie ſumatur, non adæquata, ſed ex propria natura eſt pars alterius cui vniri poteſt, vſque ad ponendum corpus Chriſti, & eius animam vbique ſacramentaliter, propter quod docuit ſanctus Thomas ad primum, Chriſtum Dominũ in ſacramento non eſſe diffinitiue, in multis enim altaribus exiſtit ſine termino, inquit Diu. Thomas: at hic modus exiſtendi indebitus eſt corpori, & animę Chriſti; nam corpus ex ſe poſtulat eſſe circũſcriptiue, & anima diffinitiue: ergo.

35 Dices, poſſent anima, & corpus Chriſti eſſe vbiquè ſyncathegorematice, per vbicationes naturales multiplicatas a Deo ſupernaturaliter, iuxta multitudinem omnis ſpatij in quo poſſunt exiſtere; ergo ad modum exiſtendi ipſorum ſacramentaliter, vbiquè non eſt neceſſaria præſentialitas ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam, ſed ſufficit quo ad modum: quando quidem poſita miraculoſe multiplicatione naturalis præſentiæ, ſaluaretur quod eſſent in multis altaribus, ſine termino.

Sed contra eſt: quia admiſſo de potentia abſoluta corpus Chriſti eſſe ſimul circũſcriptiue in multis locis; & animam in tot diſſinitiue: quod falſum eſſe oſtendimus in methaphyſica: tamen non eſſent ſicut ſunt ex vi præſentiæ ſacramentalis, quam concedimus in præſenti; in quo conſiſtit eius ſupernaturalitas quo ad ſubſtantiam: quæuis enim præſentia ſacramentalis partialis eſt ex natura ſua in ordine ad omne ſpatium: atquè adeo quaſi virtualiter eſt immenſa ſyncathegorematicè, quatenus vel ratione ſui, vel ratione ſuæ compartis, petit eſſentialiter ponere Chriſtũ vbiquè ſacramentaliter: in caſu antecedentis vero propoſiti in obiectione, quæuis præſentia per ſe eſt finita, & adæquata, ponitquè ſubiectum diffinitiue in loco, & non eſt quaſi immenſa ex naturali exigentia, quo fit noſtram præſentiam eſſe omnino indebitam; ac proinde in ſua entitate ſupernaturalem: alias autem eſſe debita, & naturalis quantum ad ſubſtantiam: cum quælibet ſeorſum ſit proportionata, & quælibet ſeorſum, vel ſaltim aliquæ earum debeantur, & ſuper naturalis quo ad modum: in quantum non debetur vnio tot præſentialitatum ſimul.

Et per hoc patet ad rationem dubitandi inſinuatam ſupra.

36 Fateor enim poſſe miraculoſe omnes partes Chriſti ſimul exiſtere in eodem ſpatio indiuiſibili: ſed tunc non eſſent vt modo ſunt in Euchariſtia: etenim non ſunt, vt dixi, ita vt præſentia cuiuſuis partis ex natura rei ſit vnibilis, & exigat vnire cum præſentijs alijs poſsibilibus eiuſdem met partis ad omne ſpatium poſsibile; quia hoc habet ſpeciale hæc ineffabilis præſentia corporis Chriſti, & omnium quæ exiſtunt in Euchariſtia.

Præterea diuiſibilem eſſe præſentiam hanc in ordine ad ſubiectum, & ſimul in ordine ad ſpatium; quod eſt eſſe diuiſibilem ſubiectiue, & obiectiue, vt aſſeritur in quarta parte noſtræ concluſionis: probatur, & in primis eſſe diuiſibilem ſubiectiue ſic: diſtincta præſentia eſt in capite ab ea quæ eſt in pedibus: cũ poſsit hæc eſſe ſine illa, & ècontra: & ſimiliter diuerſa præſentia eſt in anima, ac eſt in materia propter eandem rationem: ergo diuiſibilis eſt præſentia ſacramentalis in ordine ad ſubiectum.

Deinde quamuis ſit indiuiſibilis in ordine ad ſpatium: eo quod conſtituat ſubiectum quod aſficit totum in toto ſpatio, & totum in ſingulis partibus, eſſe ſimul diuiſibilem, quodammodo in ordine ad idem ſpatium, oſtenditur hoc modo: præſentia quam habet corpus Chriſti in vna parte ſpecierum eſt diſtincta ab ea, quam habet in altera parte earundem ſpecierũ: ergo non eſt indiuiſibilis tota toti hoſtiæ, & tota ſingulis partibus correſpondens; ac proinde eſt diuiſibilis in ordine ad hoſtiam, & ad ſpatium hoſtiæ.

Conſequentia eſt nota: & antecedens probatur, quia vna pars huius præſentiæ poteſt ſeparari ab alia, vtràque ſeorſum manente, & de facto ſeparatur per fractionem hoſtiæ: ergo ante ſeparationem erat Chriſtus præſens vtrique parti præſentia diſtincta, & non eadem indiuiſibiliter correſpondente vtriquè; patet conſequentia, nam dici non poteſt per fractionem hoſtiæ amitti totam illam præſentiam indiuiſibilem quam Chriſtus habet in prædicta tota hoſtia, & in ſingulis partibus eius: & aliam ſimilem de nouo adquiri in qualibet parte ſeparata.

Tum, quia admitti non debet Chriſtum amittere præſentiam ad ſpecies, ſine earum corruptione: & quamdiu ſubſtantantia panis ſub ipſis conſeruaretur.

Tum etiam, quoniam cum hæc præſen-

ſentia non conueniat corpori Chriſti, niſi ſola virtute conſecrationis: ſi ſemel huiuſmodi præſentia amittatur quacunquè ex cauſa, non poteſt iterum de nouo adquiri, ſine noua conſecratione: ergo.

Adſtruitur diſcrimē inter Theologos.

37 Diſcriminantur autem primo in explicando, an præſentia hæc ſacramentalis a præſentia naturali ipſius Chriſti neceſſario dependeat, & illam præſuponat, in duas ſententias.

Prima negans eſt, quam tuentur Scotus in quarto diſtinctione decima, quæſtione quarta, Maior. quæſtione ſeptima, Soto quæſtione prima articulo ſecundo, & diſtinctione octaua, articulo quinto, Ledeſma, quæſtione decima quarta, articulo quinto, & quæſtione decima ſexta, articulo quarto dubio ſexto, & Gabriel, lectione 47. ſuper Canon.

Quorum fundamentum eſt, quia naturalis præſentia non pendet a ſacramentali, quia nullam habet connexionem cum illa, vt in omnibus nobis patet, & in corpore Chriſti ante inſtitutionem huius ſacramenti, & poſt diem iudicij, & nunc etiam contingere poſſet manere corpus Chriſti cum præſentia naturali, ſine ſacramentali ſi omnes hoſtiæ conſecratæ eodem tempore conſumarentur: ergo & èconuerſo ſacramentalis præſentia non pendet a naturali, nequè illam neceſſario ſupponit: probatur conſequentia, nam intercedit eadem ratio: ideò enim naturalis præſentia non pendet a ſacramentali, quia nullam habet habitudinem ad illam, nequè in aliquo genere cauſæ eſt effectus illius, ſed eadem eſt ratio de præſentia ſacramētali reſpectu naturalis; quia hæc non eſt cauſa illius, nequè conditio neceſſaria in aliquo genere cauſæ, vt illa ſit: vtpote cum ſint diuerſorum ordinum, nequè vna reſpicit aliam, vt ſubiectum, ſed vtraque reſpicit ipſum corpus: ac proinde diſparate ſe habent nullam habentes inter ſe connexionem.

Proponitur ſecunda ſententia affirmatiua Caietani, & aliorum.

Secunda ſententia affirmans eſt, quam tuentur Caietanus infra quæſtione 76. articulo ſecundo, Paludanus in quarto diſtinctione octaua, quæſtione prima articulo tertio, Altiſiodorenſis libro quarto ſummæ, tractatu quinto, capite quinto, quæſtione ſexta, & Suarius diſputatione 48. ſectione ſecunda.

Pro cuius ſententiæ declaratione: Dico primo, ſacramentalis preſentia non dependet ex natura rei, ſiue eſſentialiter a naturali præſentia Chriſti, vel ab eo, quod ipſe ſit prius præſens connaturaliter in alio loco.

Cuius ratio eſt manifeſta, quia poſſet Deus ponere corpus Chriſti cum præſentia ſacramentali ſub ſpeciebus, & illud ibi conſeruare, etiam ſi nullibi preſupponeretur præſens, ſed ita, dum primum produceret Chriſtum, produceret ſine connaturali præſentia, & cum ſacramentali, ſicut producit eius humanitatem, ſine connaturali ſubſiſtentia ſub increata verbi, nequè enim in hoc apparet aliqua implicatio, imò etiam ſi vellet Deus, quod actio per quam Chriſtus ſacramentaliter poneretur ſub ſpeciebus dependeret efficienter ab eodem Chriſto, poſſet poni Chriſtus in ſacramento, abſquè eo quod proprie haberet alicubi connaturalem præſentiam, ſed præciſe per hoc, quod pro aliquo priori naturæ intelligeretur exiſtens antevertens omnem præſentiam, tàm connaturalem, quàm ſacramentalem, & pro vt ſic exiſtens eleuaretur à Deo ad cauſandam ſui præſentiam; quæ enim in hoc inuenietur repugnantia?

Explicatur in quo ſit difficultas.

Sed difficultas eſt, an ex ſuppoſitione inſtitutionis quæ de facto fuit, pendeat ſacramentalis præſentia à naturali? In qua rurſus de fide eſt de facto ſic inſtitutum fuiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, vt præſentia naturalis Chriſti præceſſerit ſacramentalem in fieri, & conſeruari: conſtat enim Chriſtum Dominum in nocte cœnæ connaturaliter extra Euchariſtiam exiſtentem, Euchariſtiam inſtituiſſe, & nunc quando hoc ſacramentum conficitur, & conſeruatur exiſtere ad dextram Patris: videndum igitur eſt, verùm hæc præceſsio quæ de facto fuit, & eſt; exigatur neceſſario ab inſtitutione Euchariſtiæ.

Pro

38 Pro cuius reſolutione dico ſecundo. Præſentia ſacramētalis ipſius Chriſti neceſſario pendet in fieri ab alia præſentia eiuſdem Chriſti, vel naturali, vel ſacramentali, qua ſupponatur Chriſtus preſens ſaltim quantum ad animam: ex Chriſti inſtitutione, quæ de facto fuit, non vero quo ad conſeruari.

Quæ concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ, & probatur, quia iuxta inſtitutionem Euchariſtiæ quæ de facto eſt, præſentia ſacramentalis fit à miniſtro dependenter a Chriſto Domino, tā quam ab inſtrumento phiſico coniuncto verbo, nomine cuius miniſter incipit proferre verba conſecrationis: ergo debet Chriſtus præſupponi alibi exiſtens cum præſentia aliqua ſaltim, quantum ad animam. Probatur conſequentia: nam eo ipſo, quod miniſter nomine Chriſti proferat verba conſecrationis, debet ſupponi prius Chriſtum exiſtere non ſolum natura, ſed tempore, verba enim conſecrationis ſucceſsiue proferuntur, & non in inſtanti: ac proinde cum Chriſtus ſupponi debeat initio prolationis, ſiquidem vice ipſius, & per ſubordinationem ad ipſum incipit ſacerdos loqui, neceſſarium eſt debere ſupponi prius tempore exiſtentē, quam verba finiantur, quibus finitis perficitur ſacramentum: ergo cum aliqua præſentia ſaltim quantum ad animam, quia non poteſt Chriſtus in tempore exiſtere, ſine aliqua præſentia.

Dixi ſaltim quantum ad animam: nā non pendet præſentia ſacramentalis determinate à Chriſto habente preſentiam quātum ad totam humanitatem: etenim ſi quis conſecraret in triduo, non conſecraret nomine Chriſti, quantum ad totam humanitatem, quæ tunc non erat, diſſoluta vnione inter animam, & corpus; vnde ex vi inſtitutionis ſacramenti, ſufficiens eſt præſentia Chriſti præciſe quantum ad animam, vt nomine eius fiat cōſecratio, eſſet què ſola anima Chriſti præexiſtente, verum in rigore dicere: *Hoc eſt corpus meum*, eo quod riguroſa ſignificatio horum verborum ſolum petit, quod ſi loquens habeat de præſenti corpus, ſignificent illud, ſi vero tunc nullum habeat, ſed ſit ſola anima, intelligantur de corpore, ſub quo vltimo fuit tempore mortis in rigore, dicimus enim vere: *hoc eſt corpus D. Petri*: ſignato illo, in quo vltimo extitit anima D. Petri.

39 Dixi etiam, nō requiri, quod Chriſtus ſupponatur præſens determinate cum preſentia debita naturaliter, ſed ſatis eſt cum naturali, vel ſacramentali, altera enim, quæcumque ex his ſufficit, vt nomine Chriſti fiat conſecratio huius hoſtiæ, per verba in tempore a ſacerdote prolata, & ſubordinata Chriſto operanti, vt de ſe conſtat.

Deinde ſecunda pars noſtræ concluſionis: nimirum, quod quantum ad conſeruari a nulla alia Chriſti præſentia pendeat ita vt ſi Chriſtus deſineret eſſe in cœlo, & in alia omni hoſtia præter quam in hac, non ideo in hac deſineret eſſe: ſic oſtenditur ab oppoſito; nam ſemel facta conſecratione præſentia ſacramentalis Chriſti in hac hoſtia non pendet in conſeruari a miniſtro operante, per verba nomine Chriſti, ſed conſeruatur Chriſtus à ſolo Deo ſub ſpeciebus quamdiu ſub illis conſeruaretur propria ſubſtātia: neque ex alia parte aſsignabitur ratio, propter quam ſit aſſerendum in hac conſeruatione pendere ab alia Chriſti præſentia: ergo. *Probatur ſecunda pars concluſionis*

Dices, ſi corpus Chriſti exiſtens præſens in propria ſpecie redigeretur in cineres, poſtquā fuit hæc numero hoſtia cōſecrata, etiam redigeretur in cineres; vt eſt in hac numero hoſtia: ſed hoc nō poteſt cōtingere, niſi quia dependet, prout in hac numero hoſtia a ſe ipſo, vt præſenti in propria ſpecie: ergo: hoc argumētū etiam procedit contra primam partem concluſionis propoſitum in caſu quo, quando fit primo conſecratio, corpus Chriſti eſſet in cineres redactum in ſua connaturali præſentia.

Ad quod aliqui reſpondent in hoc caſu non poni in Euchariſtia ſub forma cinerum, quia tunc non verificarentur verba, & quando communiter aſſeritur Chriſtum habere in Euchariſtia ea quæ habet alibi, intelligendum eſt (inquiunt iſti authores) dummodo non repugnet veritati verborum, ſed melius.

Reſpondetur, quod tunc etiam in Euchariſtia poneretur, & conſeruaretur corpus Chriſti in cinerem redactum, quia hæc redactio non tollit à Corpore Chriſti, quod petit verborum veritas, licet non eſſet, & conſeruaretur ſub forma, ſub qua eſt dum viuit, vel dum eſt mortuum cum communibus accidentibus humanæ organizationis: hinc autem non infertur pendere quantum ad conſeruari in hac hoſtia

à præ

à præſentia alibi, neque apparenter, cum ad hoc non ſit fundamentum: eſt tamen, vt ſi in propria ſpecie redigatur in cineres, hoc ipſum habet in Euchariſtia; eſt enim idem numero vbique.

Reſpondetur ad argumenta prioris ſententiæ.

Ex quibus reſpondetur ad fundamentum prioris ſententiæ, quod nihil conuincit contra hanc noſtram aſſertionem, quæ procedit de ſola dependentia extrinſeca, & ſecundum inſtitutionem factam; illud vero procedit de dependentia intrinſeca, & in ordine ad potentiam Dei abſolutam; ſic enim fatemur nullam eſſe dependentiã præſentiæ ſacramentalis à naturali Chriſti, ſicut neque illius ab illa.

40 Diſcriminantur ſecundo in explicando: an vltra præſentiam hucuſque explicatam requiratur aliquid aliud ad effectus ſupra aſsignatos: nimirum vt Chriſtus demonſtretur per ſpecies, manducetur, eis manducatis, & moueatur, eis motis: etenim ſi Angelus eſſet intime præſens, vt poteſt, ſub eiſdem ſpeciebus, non poſſemus dicere hoc, Angelus eſt, mouetur Angelus ſpeciebus motis, neque quod Angelus manducatur, illis manducatis: ſignum ergo eſt aliquid amplius requiri ſupra præſentiam, ſiue indiſtantiam à loco ſpecierum, vtpote cum hæc ſola non ſufficiat ad hos effectus præſtandos.

In huius ergo explicatione diuiduntur Theologi in tres ſententias.

Prima ſententia.

Alij enim de quorum numero ſunt Scotus in 4. diſtinctione decima, quæſtione ſexta, Gabriel ibidem articulo ſecundo, & lectione 47. in Canonem, Maior, diſtinctione decima, quæſtione ſexta, Argentinas, quæſtione ſecunda, articulo vltimo, Petrus de aliaco, quæſtione quinta, articulo ſecundo, & aliqui iuniores exiſtimant ad effectus prædictos præſtandos, nihil aliud requiri præter inſeparabilem præſentiam ex pacto diuino.

Quorum fundamentum eſt, quia hoc ſatis eſt ad omnia, quæ de hoc myſterio fides docet, intelligenda, quia ſicut vnitas, & eſſe ſacramenti non opportet, vt dicat neceſſario aliquid phiſicum, præter res quę ad ſignificandum imponuntur: ita neque vnio ſacramentalis requirit propriam & phiſicam vnionem, ſed ſolum eam propinquitatem, quæ ad ſignificationem, & effectum ſacramenti ſufficiens fuerit: ergo omnis alia vnio ſuperflua eſt, & non ſatis intelligi poteſt vltra dictam præſentiam ex pacto, aut decreto Dei adiunctos.

Secunda ſententia.

41 Secunda ſententia aſſerit vltra præſentiam ſacramentalem requiri, & interuenire ad præſtandos prędictos effectus veram, & realem vnionem formalem inter Chriſtum, & ſpecies, ineffabilem tamen, & incompræhenſibilem. Quam ſequuntur Caietanus hic, & quæſtione 76. ſequenti articulo ſexto, dicitque hunc modum vnionis ineffabilem appellari à Concilio Lateranenſi, *continentis, & contenti.* Aureolus apud Capræolum, quęſtione prima, diſtinctione decima in argumentis contra primam concluſionem, & idem Caprçolus ibidem quæſtione tertia ad primum Scoti contra ſecundam, Paludanus quæſtione tertia, Sotus quęſtione prima, articulo ſexto, & diſtinctione nona quæſtione ſecunda articulo primo, Ledeſma prima parte quarti quæſtione ſexta, articulo primo, dubio quarto, Ricardus articulo decimo tertio, Alanus libro primo, capite 34. & tribus ſequentibus, Belarminius libro tertio de Euchariſtia, capite decimo octauo, & Claudius Saintes repetitione quinta, capite tertio, & repetitione nona capite ſexto. In eandemque inclinat Diu. Thomas in quarto diſtinctione vndecima, quæſtione prima articulo primo, quęſtiuncula prima ad primum, vbi ſic exponit Damaſcenum, libro quarto de fide, capite decimo quarto, dicentem: *Deum coniunxiſſe diuinitatem ſuam pani, & vino, & feciſſe ea corpus, & ſanguinem ſuum*: intelligendum eſſe, quatenus corpus Chriſti diuinitati vnitum vnione ineffabili coniungitur ſpeciebus, & infra quæſtione 73. articulo quarto, dum ait corpus Chriſti deſinere eſſe hic corruptis ſpeciebus: quia ſuccedit ſubſtantia panis: quod fieri non poſſet, niſi quia amittit vnionem, quam habet cum ſpeciebus.

Quorum fundamenta ſunt duo: Primum eſt, quia niſi intercedat hæc vnio inter corpus, & ſpecies, neutiquam poſſet corpus formaliter excludere ſubſtantiam panis, per intrinſecam incompoſsibilitatem: ſola enim præſentia realis, non eſt formaliter incompoſsibilis cum ſubſtantia, neque cum exiſtentia eius, neque cum vnione, quam cum ſuis accidentibus habet: eſt enim ibi ſubſtantia corporis Chriſti indiuiſibiliter, & per modum

ſubſtantiæ: hoc autem modo non repugnat, quod ſit intime præſens quantitati panis: conſequens autem eſt falſum, quia alias non poſſet eſſe vera conuerſio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, quia duo termini, niſi formaliter inter ſe repugnent, non poſſunt ex vi eiuſdem actionis, ſeu conuerſionis vnus in alium conuerti.

Secundum fundamentum ſumitur ex prædictis effectibus, & communicatione quadam veluti idiomatum inter ſpecies, & corpus Chriſti: nimirum quia viſis, tactis, fractis, aut motis ſpeciebus, dicitur corpus Chriſti videri, tangi, frangi, moueri: ergo naſcitur hoc ex aliqua vnione: ſicut ex ſimili communicatione inter humanitatem, & Verbum colligunt, ſancti Patres vnionem inter illa: vnde comparant ſæpe hanc compoſitionem ex carne Chriſti, & accidentibus panis, cum illa vnione ex carne & verbo, vt refert late Claudius repetitione 8. capite 4. & hoc maximè cōuincit communicatio in motu: nam motis ſpeciebus, mouetur per accidens corpus Chriſti, quod non poſſet ex natura rei fieri, niſi vera, & realis coniunctio intrinſeca intercederet: ſimile argumentum ſumi poteſt, ex eo quod corruptis ſpeciebus ſtatim deſinit eſſe ibi corpus Chriſti, propterea, quod amittit dictam vnionem, ſicut deſineret ſubſtantia panis cui corpus ſucceſsit.

Rurſus, quia ex vi huius vnionis accidentia ſeparata habent vim efficiendi, quidquid poſſent facere coniuncta ſua ſubſtantia.

42 Rurſus, quia ratione huius vnionis verè, ac propriè deſignatur corpus Chriſti dicendo, *hoc eſt corpus*, quia illud pronomen propriè non deſignat, niſi quod realiter continetur, & coniungitur cum his accidentibus ſenſibilibus.

Tertia ſententia Suarij proponitur.

Tertia ſententia eſt Suarij diſputatione 47. ſectione tertia, dicentis inter ſpecies, & Chriſtum præter ſacramentalem præſentiam interuenire realem vnionem non quidem formalem, ſed effectiuam per attractionem vnius extremi ad alterum, pro qua citat Claudium vbi ſupra. Palatiū in quarto diſtinctione vndecima, quęſtione prima, & Guillelmum Pariſienſem tractatu de Euchariſtia, §. 1.

Quæ ſententia inquit duo formaliter includere hanc vnionem effectiuam neceſſariam vltra ſacramētalem præſentiam ad præſtandos prædictos effectus, videlicet actionem, qua media corpus Chriſti, verbi gratia, vt inſtrumentū eleuatum à Deo conſeruat efficienter accidentia panis, ſupplendo concurſum, & ſubſtentationem panis, per hanc enim actionem dicitur corpus Chriſti ſubſtare accidentibus exercendo, circa ea munus ſubſtantiæ panis; verum enim, quia hæc ſuſtentatio in genere cauſæ efficientis, non eſt ſatis, vt alligetur corpus Chriſti ſpeciebus, & ſit intime ipſis coniunctum: ita vt moueatur infallibiliter motis illis: tum quia inſtrumentum diuinæ virtutis in diſtans agere poteſt, vt fert communis opinio: tum quoniam, etiam ſi præſentia cum paſſo ad agēdū requiratur, non tamen huiuſmodi præſentia per modum agentis, & paſsi ſufficiens eſt, vt ad motum paſsi, vel effectus, moueatur agens: vt patet in igne calefaciēte lignū, & in alijs multis: ideo vlterius includit prædicta vnio quamdam attractionem circa Chriſtum cauſatam ab accidentibus diuina eleuatione: in vi cuius habēt accidentia: hoc ipſo quod à propria ſubſtantia ſeparantur, vt conſtituant Chriſtū vbi ea ſunt: & illum ſecum afferant quocumquè ferantur.

Cuius fundamentum ſumit Suarius ex eo, quod ita ſe rem habere non eſt impoſſibile, & ex alia parte ita procedendo, explicatur vnio inter Chriſtum, & accidentia quæ ſufficit, & requiritur ad prędictos effectus præſtandos.

43 Sed pro explicatione veritatis. Dico primo: illud ſuper additum ad ſacramentalem præſentiam requiſitum ad præſtandos dictos effectus, nequè eſt ſolum pactum, & decretum Dei, nequè aliqua formalis vnio corporis Chriſti cum ſpeciebus.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas priores ſententias, & pro prima parte probatur, quia etiam ſi Angelus vellit ſe ſub ſpeciebus collocare, & Deus decernat hoc ita fieri, & fiat de facto: niſi aliquid aliud ex parte ipſarum rerum conſtituatur, nō verè dicetur, hoc eſt Angelus: ſed Dei extrinſecum beneplacitum per accidens omnino ſe haberet ad iſtum effectum: ergo ſic in præſenti.

Stabilitur prima concluſio contra duas piores ſententias.

Vnde licet de facto Dei pactum, ſiue decretum neceſſarium ſit, cæterum præter illud neceſſaria eſt aliqua forma, qua formaliter ſic Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus,

Digitized by Google

bus, vt ipſi conueniant formales effectus, de quibus procedit diſputatio.

Deinde pro ſecunda parte probatur concluſio, quia illa vnio formalis non ſatis explicatur, quid ſit aut in quo conſiſtat: etenim ſecluſa inhærentia ſpecierum ad corpus Chriſti cui re vera non inhærent: aut talis modus vnionis ineffabilis quo corpus Chriſti vnitur ſpeciebus ea ſuſtentando eſt ſubſtantialis: aut accidentalis: neutrum dici poteſt: ergo. Non primum; quia non explicant, quo pacto annectat ſpecies cum corpore Chriſti, ita vt per eas demonſtretur corpus, & infalibiliter moueatur ad motum ipſarũ: quod non præſtant iſti Theologi: Nec ſecundum; quia non ſtatuant, qua ratione modus inhærens vniat extrema, ſine eo quod extremum accidentale inhæreat.

Rurſus, quia ſiue talis modus ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, non eſt cur vnum extremum non habeat rationem actus, & alterum rationem potentiæ: ac proinde ex vtroquè efficitur vnum compoſitum phiſicum: quod eſt abſurdum.

Rurſus, quia mediante huiuſmodi vnione formali corpus Chriſti reciperet effectus formales accidentium, reddereturquè quantum, album &c. quod non eſt minus abſurdum quàm præcedens: ergo.

Adſtruitur ſecunda concluſio contra authores tertiæ ſententiæ. Dico ſecundo, nequè huiuſmodi vnio ſuper addita eſt effectiua ex parte ſpecierum ad modum attractionis. Sed dumtaxat, & adæquate eſt vnio effectiua ex parte corporis Chriſti.

Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus authores tertiæ ſentẽtiæ, & pro prima parte probatur, quia attractio vnius rei ad aliam fit medio motu rei attractæ, & cum illius aliquali reſiſtentia, vt patet in magnete attrahente ferrum, quo exemplo vtitur Suarius: ſed corpus Chriſti non ſic comparatur reſpectu ſpecierum ſacramentalium, nequè iſtæ habent aliquam efficientiam, circa illud: ergo.

43 Dices, non eſſe attractionem cum tanto rigore, ſed illam quæ ad colligationem ſufficit.

Sed contra eſt, ergo erit attractio per modum puræ efficientiæ ſpecierum in corpus: at per ſe pura efficientia vnius in aliud non eſt ſufficiens, vt moto vno moueatur aliud: hac enim de cauſa vltra efficientiam corporis, circa ſpecies conſtituitur ab iſto authore attractio ex parte ſpecierum, vel non eſt efficientia corporis circa ſpecies ſufficiens ad colligationem præſentem.

Dices, nequè eſſe efficientiam nudã; nequè tractum riguroſum, ſed illũ qui ad inſeparabilitatem ſufficit.

Sed contra eſt; nam non explicat, quodnam hoc ſit: & quid in corpore Chriſti alligato ponat: & inſuper hoc ipſum poteſt dici reperiri in corpore Chriſti in ordine ad ſpecies, & ſic philoſophando magis imitabitur modum, quo ſubſtantia panis erat antea ſub eis accidentibus, in quibus non ponimus naturalem tractionem ſubſtantiæ ad ſe, ſed ècontra res videtur accidere, vt explicabimus.

Probatur cõcluſio pro ſecũda parte. Deinde pro ſecunda parte probatur concluſio, quia ante conſecrationem ſubſtantia panis ſub proprijs accidentibus conſideratur indiſtans ab eorum loco, & inſuper eiſdem vnita per modum ſubiecti demonſtrabilis per ipſam, & mobilis ad ipſorum motum: & hoc idem non habet ſubſtantia, quia accidentia attrahant ea ad ſe, ſed potius quoniam ècontra ſubſtantia, accidentia ad ſuum eſſe trahit, fouendo, & conſeruando illa tamquam ſubſtantiale ſubiectum: non quidem per vnionem hypoſtaticam trahendo illa ad ſuum eſſe, & ſubſiſtere, ſicut diuinum verbum humanitatem aſſumptam traxit ad ſuum eſſe, & ſubſiſtere: ita vt humanitas aſſumpta ſubſiſtat, & exiſtat per eãdẽ Verbi diuini increatam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam: nequè enim accidentia panis capacia ſunt exiſtere, aut ſubſiſtere per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam ſubſtantiæ, qualis eſt exiſtẽtia, & ſubſiſtentia corporis Chriſti: nequè iſte modus vnionis, extra incarnationis myſteriũ ponẽdus eſt, nequè à Theologis admittitur: ſed penes hoc, quod corpus Chriſti ſubrrogatum loco ſubſtantiæ panis ſuſtentat eius accidentia, ſicut ſuſtentabat ipſa ſubſtantia panis ſecluſis imperfectionibus ſubiecti inhærentiæ, & modi inhæſionis: nequè enim inhæſiue, ſed effectiue huiuſmodi accidentia à corpore Chriſti ſuſtentantur: retinendo propriã, & connaturalem exiſtentiam, quam antea habebant, licet nõ modo connaturali, ſcilicet inhærendo ſubiecto: ergo facta cõſecratione ex vi conuerſionis expellitur ſubſtantia panis, & eius vice conſtituitur corpus Chriſti exercens, quod ipſa exercebat, licet in diuerſo genere cauſæ, vt dictum eſt: ac proinde conſtituitur, ita vt ex parte ſua petat, quod ſubſtantia panis petebat.

tebat, excepto modo cauſandi, per inhærentiam: ac per conſequens ponitur ſic mediante ſuper naturali modo: per quem in noſtra ſententia redditur incompoſsibile cum ſubſtantia panis, vt cauſatio circa accidentia attingat illa: non quomodocumque: ſed taliter quod ſint neceſſario coniuncta corpori: vnde in hac cauſatione, ſeu attractione ſaluatur vnio ad præſens requiſita.

Roboratur cocluſio ex admiſsis à Suario.

Quod amplius ſic oſtendo ex ipſa ſententia Suarij, qui admittit habere ſpecies vim attractiuam corporis Chriſti ad ſe, & medio tractu paſsiuo coniungi corpus cum ſpeciebus: ita vt feratur quocumquè ferantur ſpecies: ergo etiam ècontra poterit corpus Chriſti habere diuina virtute vim coniunctiuam, ſeu alligatiuam ſpecierũ ad ſe, & ponere hanc vim in corpore Chriſti conformius eſt ſubſtantiæ, loco cuius ſubrogatur: ergo ſic factum fuit à Deo.

Rurſus, nihil prohibet, quod hæc vis ſit prædicatum modi illius, quo conſtituitur corpus in ratione termini conuerſionis: ita vt ipſe talis ſit naturæ, quæ exigat vt impedibiliter egrediatur actio a corpore circa ſpecies non qualiſcumque actio, ſed cuius eſſentia ſit verſari circa ſpecies coniunctas agenti ſpeciali coniunctione: ſicut antea erat coniuncta ſubſtantia panis media materialitate: ergo in hac actione ſeruatur adęquate in recto, quod requiritur ad vnionem, quã inquirimus: dixi *in recto*; nam in obliquo debet importari, etiam modus ſubſtantialis, prędictus terminus, & alia.

44 Dices, quod licet ratione efficientiæ ſaluetur ſpecialis coniunctio ſufficiens, vt ſpecies demonſtrent corpus Chriſti, non tamen vt motis illis moueatur corpus, vt patet in coniunctione agentis cum paſſo: ergo, &c.

Sed contra eſt, quia ex vno diſcurro ad aliud; ſi coniunctio, verbi gratia, calefacientis cum calido per modum agentis, & paſsi non ſufficit, vt deſignato calido, dicamus, hoc eſt calefaciens, in præſenti autem ſufficit ſpecialis efficientia, quam habet corpus Chriſti in ſpecies, vt demoſtratis ſpeciebus, dicamus hoc eſt corpus Chriſti: ergo eadem ſpecialis efficientia ſufficiet ad ſpecialem coniunctionem ſpecierum cum corpore, ac proinde, vt moueatur corpus motis ſpeciebus: & quidem ſi ratione ſolius prædictæ efficientiæ ſpecies habent vim demonſtrandi corpus, cũ habeant demonſtrandi, vbicumquè poſt conſecrationem conſtituantur: neceſſarium eſt, vt ratione eiuſdem vniantur corpori, ita vt ipſum ſecum ferant.

In ſumma igitur dicimus, quod ſicut datur cognitio quæ eſſentialiter petit phiſicam coexiſtentiam obiecti, & vnio, quę eſſentialiter ſubſtantialiter alligat duo extrema per modum actus, & potentiæ: & in ſententia Suarij tractus ortus ab ſpeciebus ad corpus coniungens vtrumque: ita in noſtra, datur efficientia alligatiua, ſeu vnitiua ſpecierum cũ corpore egrediens à corpore; non enim percipio quare huiuſmodi efficientia impoſsibilis ſit.

Reſpõdetur ad argumẽta prioris ſententiæ.

45 Ex quibus ad fundamentum prioris ſententiæ ſufficienter manet reſponſum. Ad primum autem pro ſecunda ſententia reſpondetur negando antecedens; nam hæc vnio effectiua ſufficit ſupra præſentiam ſacramentalem, vt corpus Chriſti inde excludat formaliter ſubſtantiam panis: nequè ad hoc requiritur illa vnio formalis, quam dicti authores adſtruebant.

Ad ſecundum pariter reſpondetur, hanc effectiuam vnionem ex parte corporis Chriſti ad ſpecies ſufficientem eſſe ad illos effectus pręſtandos: atquè ad ſaluandam illam veluti cõmunicationem idiomatum inter corpus Chriſti, & ſpecies. Nequè de alia vnione, præter quam de iſta loquutus fuit D. Thom. in locis præallegatis.

Ad fundamentum autem tertiæ ſententiæ reſpondetur, quod illa vnio inter Chriſtum, & accidentia effectiua, ſeu alligatiua ex parte Chriſti poſsibilis, conueniens, & ſufficiens eſt ad tales effectus.

Quatenus verò inuoluit attractum actiuum ex parte ſpecierum ad corpus Chriſti, impoſsibilis, & ſaltem inepta, & incongrua eſt ad dictos effectus præſtandos.

(* * *)

ART. VI.

Vtrùm corpus Chriſti ſit mobiliter in hoc Sacramento?

Ad 10. a. 3. q. 4. & opuſ. 12. a. 34.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod corpus Chriſti ſit mobiliter in hoc ſacramento. Dicit enim Philoſophus * in ſecundo Topic. quod motis nobis mouentur ea, quæ in nobis ſunt. Quod quidem eſt verum etiam de ſpirituali ſubſtantia animæ. Sed Chriſtus eſt in hoc ſacramento, vt ſupra habitum † eſt. Ergo mouetur ad motum ipſius.

* l. 2. c. 3 in declaratione 24. loci, to. 1.

† a. 1. huius q.

2 Præterea, Veritas debet reſpondere figuræ. Sed de agno paſchali, qui erat figura huius ſacramenti, non remanebat quicquam vſquè mane, ſicut præcipitur Exod. 12. Ergo neque etiam ſi hoc ſacramentum reſeruetur in craſtinum, erit ibi corpus Chriſti. Et ita non eſt immobiliter in hoc ſacramento.

3 Præterea, Si corpus Chriſti remaneat ſub hoc ſacramēto, etiā in craſtino, pari ratione remanebit, & per totum ſequens tempus: non enim poteſt dici, quod deſinat ibi eſſe ceſſantibus ſpeciebus: quia eſſe corporis Chriſti, non dependet á ſpeciebus illis. Nō autem remanet ſub hoc ſacramento Chriſtus per totum tempus futurū. Videtur ergo, quod ſtatim in craſtino, vel poſt modicum tempus, deſinat eſſe ſub hoc ſacramento. Et ita videtur, quod Chriſtus mobiliter ſit in hoc ſacramento.

Sed contra, Impoſsibile eſt idē eſſe motum, & quietum: quia ſic cōtradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Chriſti in cœlo quietum reſidet. Non ergo eſt mobiliter in hoc ſacramento.

Reſpondeo dicendum, quod cum aliquid eſt vnum ſubiecto, & multiplex ſecundum eſſe, nihil prohibet ſecundum aliquid moueri, & ſecundum aliquid immobile permanere: ſicut corpori eſt aliud eſſe album, & aliud eſſe magnum: vnde poteſt moueri ſecundum albedinem, & permanere immobile ſecundum magnitudinem. Chriſto autem non eſt idem eſſe ſecūdum ſe, & eſſe ſub hoc ſacramento: quia per hoc quod dicimus ipſum eſſe ſub hoc ſacramēto, ſignificatur quædam habitudo eius ad hoc ſacramentum. Secundum igitur hoc eſſe non mouetur Chriſtus per ſe ſecundum locum, ſed ſolum per accidens: quia Chriſtus non eſt in hoc ſacramento, ſicut in loco, ſicut prædictum eſt. * Quod autem non eſt in loco, non mouetur per ſe in loco, ſed ſolum ad motum eius in quo eſt. Similiter autem neque per ſe mouetur ſecundum eſſe quod habet in hoc ſacramento, quacúmque alia mutatione; puta quantum ad hoc, quod deſinat eſſe ſub hoc ſacramento: quia illud quod de ſe habet eſſe indeficiens, nō poteſt eſſe deficiendi principium: ſed alio deficiente, hoc deſinit eſſe in eo: ſicut Deus, cuius eſſe eſt indeficiens, & immortale, deſinit eſſe in aliqua creatura corruptibili per hoc, quod creatura corruptibilis deſinit eſſe. Et hoc modo cum Chriſtus habeat de ſe eſſe indeficiens, & incorruptibile, non deſinit eſſe ſub ſacramen-

* ar. præc.

mento, neque per hoc, quod ipſum deſinat eſſe, neque etiam per motum localem ſui (vt ex dictis patet *) ſed ſolum per hoc, quod ſpecies huius ſacramenti deſinunt eſſe. Vnde patet, quod Chriſtus per ſe loquendo, immobiliter eſt in hoc ſacramento.

art. prae.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de motu per accidens, quo ad motum noſtrũ mouentur ea quæ in nobis ſunt. Aliter tamen ea quæ per ſe poſſunt eſſe in loco, ſicut corpora; & aliter ea quæ per ſe nõ poſſunt eſſe in loco, ſicut formæ & ſpirituales ſubſtantiæ. Ad quem modũ poteſt reduci, quod dicimus Chriſtum moueri per accidens ſecundum eſſe quod habet in hoc ſacramento, in quo non eſt ſicut in loco.

Ad ſecundum dicendum, quod hac ratione moti videntur fuiſſe quidam, ponentes, quod corpus Chriſti non remanet ſub hoc ſacramento, ſi in craſtinum reſeruetur. Contra quos Cyrillus dicit, Inſaniunt quidam, dicentes myſticam benedictionem ceſſare a ſanctificatione, ſi quæ eius reliquiæ remanſerint in diem ſubſequentem: non enim mutatur ſacratum corpus Chriſti, ſed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia, iugis in eo eſt. Sicut etiam omnes aliæ conſecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus conſecratis: propter quod non iterantur. Veritas autem licet figuræ reſpondeat, tamen figura non poteſt eam adæquare.

Ad tertium dicendum, quod corpus Chriſti remanet in hoc ſacramento, non ſolum in craſtino, ſed etiam in futuro, quouſque ſpecies ſacramentales manent. Quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis: non quia ab eis dependeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies: *per* quẽ modum Deus deſinit eſſe dominus creaturæ deſinentis.

Reſponſum Angelici Doctoris, eſt: corpus Chriſti, prout eſt in Euchariſtia non moueri per ſe motu locali, ſed per accidens: neque alia mutatione mutari. Cuius reſponſi prima pars colligitur aperte ex dictis circa articulum præcedẽtem: ibi enim diximus præſentiam illam, quæ recipitur in corpore Chriſti, localem non eſſe: ac per conſequens cum ad motum localem, quo per ſe mouetur mobile, requiratur receptio intrinſecæ præſentiæ localis, ſequitur intentum: qua propter Suarius qui vbi ſupra præfatam præſentiam localem eſſe putat, conſequenter opinatur moueri Chriſtum in Euchariſtia localiter per ſe.

Secunda vero, quod per accidens moueatur localiter ad motum ſpecierum negatur ab Scoto in 4. diſtinctione decima, & Gabriele lection. 47. ſuper canon, & Caietan, hic. Primo, quia nullum eſt vinculum inter ſpecies, & Chriſtum. Secundo: quia alias ſimul moueretur Chriſtus, & quieſceret: & ſimul moueretur contrarijs motibus. Tertio, quoniam non frangitur, neque cale fit ad fractionem, & calefactionem ſpecierum: & alia huiuſmodi: ergo neque mouetur. Quarto, quia Diu. Thomas ad calcem corporis articuli explicat hanc mutationem quæ fit in corpore Chriſti cum deſinit eſſe in hoc ſacramento, exemplo Dei deſinentis eſſe in creatura per eius mutationem: conſtat autem hanc deſitionem in Deo ſolum eſſe denominationem extrinſecam: ergo & hæc mutatio qua corpus Chriſti mutatur per accidens ad motum ſpecierum, intrinſece quidem in ſolis ſpeciebus reperitur, & tantum extrinſece denominat corpus Chriſti mutatum.

Sed vera ſententia eſt Capræoli, & Paludani in 4. diſt. 10. quęſt. 3. qui dicunt hanc mutationem, primo quidem fieri in ſpeciebus: inde autem reſultare intrinſece licet ſecundario in corpus Chriſti, & ideo dicitur per accidens illi conuenire, quamuis in ipſo re vera fiat, & ei inhæreat: & in hoc ſenſu interpretatur D. Th cuius ſententia ſic explicata eſt vera, & cõmuniter recepta: vtpote, quia de fide eſt Xpi. corp.

ſolemniter deferri in proceſsionibus, vt à fidelibus adoretur;& aſportari ad infir- mos, vt illud ſuſcipiant, ita decernit Con- cilium Tridentinum vbiſupra ; hæc au- tem ſtare non poſſunt, ſi non moueatur ad motum ſpecierum: ergo mouetur, &c.

Cuius ratio à priori eſt, quia corpus Chriſti continetur ſub ſpeciebus eo mo- do, quo continebatur ſubſtantia panis ſe- cluſa inhærentia: ſubſtantia autem panis ita continebatur, vt moueretur motis ſpe- ciebus: neque eſt cur ob ſolam inhæren- tiam tribuamus hoc ſubſtantiæ propriæ: ergo &c.

46 Ad primum autem in contra rium, reſpondetur negando antecedens, quia conſtat ex articulo præcedenti dari vinculum inter Chriſtum, & ſpecies ſuffi- ciens ad communicandum in huiuſmodi motu.

Ad ſecundum reſpondetur ratione diuerſorum, nihil obſtare, vt patet in nau- ta, & in anima rationali, quæ ad motum brachij mouetur ſurſum, & deorſum ra- tione pedis.

Ad tertium negatur conſequentia, ra tio diſcriminis conſiſtit in hoc, quod de- nominationes poſitæ in antecedenti, & ſimiles, ſunt quaſi intrinſece ſiſtentes in ſpeciebus: vnde non tranſeunt, neque per accidens in corpus Chriſti: denominatio autem conſequentis, & alia huiuſmodi, vt videri, miſceri, manducari, quæ ſunt qua- ſi tranſeuntes, & in communi modo loquē di tribuuntur ſubſtantijs propter acciden tia, ſub quibus latent: bene poſſunt prædi cari de Chriſto. Ex patribuſque. & eo- rum modo loquendi, ſumenda eſt regula, per quam diſcernamus, quæ prædicata poſ ſint ratione ſpecierum attribui Chriſto propriè: quæ verò figuratè: & quæ nullo modo ei attribui poſſunt.

Ad quartum reſpondetur exemplum illud ſolum tenere, quantum ad id in quo adducitur à Diu. Thoma: nimirum, quia ſicut deſitio Dei in creatura non poteſt in cipere à deſitione ipſius Dei, cuius eſſe eſt indeficiens: ita neque deſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus incipit ab ipſo: & in hoc eſt aliqualis ſimilitudo, ſecus vero in alijs.

Ex quo manet explicata tertia pars concluſionis, quæ intelligenda eſt de mu- tatione, quæ incipiat a corpore Chriſti, & non de mutatione incipiente a corruptio- ne ſpecierum: nam eo ipſo, quod ſpecies corrumpantur, amittit corpus Chriſti ſu- ſtentationem ſpecierum, præſentiã ad ſpe- cies, & ad ipſarum locum, & modum ſub- ſtantialem, quo formaliter opponebatur ſubſtantiæ panis: ergo patitur mutationē aliqualem originatam in deſitione ſpecie- rum: ſicut anima rationalis perdit ali- quid per abſciſsionem, vel corruptionem brachij, nempe vnionem, & præſentiam, quam habebat reſpectu brachij.

Vtrùm autem poſsit recipere alias mutationes cauſatas a ſe ipſo, vel ab alio extrinſeco agente? Dicemus articulo ſe quenti.

Hinc colligitur aduerſus eoſdem au- thores, moueri corpus Chriſti localiter per accidens ab eodem motore, a quo mo uentur ſpecies per ſe.

ART. VII.

Vtrùm corpus Chriſti prout eſt in hoc ſacramento, poſsit videri ab aliquo oculo ſaltem glorificato?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento, poſsit videri ab aliquo oculo, ſaltem glorificato. Oculus enim noſter impeditur â viſione corporis Chriſti, in hoc ſacramento exiſtentis, propter ſpecies ſacramentales ipſum circumuelantes. Sed oculus glorificatus non poteſt ab aliquo impediri, quin corpora quęlibet videat prout ſunt. Ergo oculus glorificatus poteſt vi- dere

inf. ar. 8. c. & 4. d. 10. a. 2. q. 2. ad 3. & a. 4 q. 1. per 10. & q. 4. a. 2. & inf. exp. lit. ad 1. & 2. & 4.

Digitized by Google

dere corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento.

2 Præterea, Corpora glorioſa ſanctorum, erunt configurata corpori claritatis Chriſti: vt dicitur Philip. 3. Sed oculus Chriſti videt ſe ipſum prout eſt in hoc ſacramento Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus poteſt ipſum videre.

3 Præterea, Sancti in reſurrectione erunt æquales angelis, vt dicitur Luc. 20. Sed Angeli vident corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramẽto: quia etiam dæmones inueniuntur huic ſacramento reuerentiam exhibere, & ipſum timere. Ergo pari ratione oculus glorificatus poteſt Chriſtum videre, prout eſt in hoc ſacramento.

Sed contra, Nihil idem exiſtens, poteſt ſimul ab eodem videri in diuerſis ſpeciebus. Sed oculus glorificatus ſemper videt Chriſtum, prout eſt in ſua ſpecie, ſecũdum Illud Iſai. 33. Regem in decore ſuo videbunt. Ergo videtur, quod non videat Chriſtum, prout eſt ſub ſpecie huius ſacramenti.

Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt oculus, ſcilicet corporalis propriê dictus, & intellectualis, qui per ſimilitudinem dicitur. A nullo autem oculo corporali corpus Chriſti poteſt videri, prout eſt in hoc ſacramento. Primo quidem, quia corpus viſibile per ſua accidentia immutat medium. Accidentia autem corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento mediante ſubſtantia: ita ſcilicet quod accidentia corporis Chriſti nõ habent immediatam habitudinem, nequê ad hoc ſacramentum, nequé ad corpora, quæ ipſum circumſtant. Et ideo non poſſunt immutare medium, vt ſic ab aliquo corporali oculo videri poſſint. Secundo, quia ſicut ſupra dictum eſt, * corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modũ ſubſtantiæ. Subſtantia autem in quantum huiuſmodi, non eſt viſibilis oculo corporali, neque ſubiacet alicui ſenſui, ſed nec etiam imaginationi, ſed ſoli intellectui, cuius obiectum eſt, quod quid eſt. vt dicitur in tertio de anima. * Et ideo proprie loquendo, corpus Chriſti ſecundũ modum eſſendi, quem habet in hoc ſacramento, neque ſenſu, neque imaginatione perceptibile eſt; ſed ſolo intellectu, qui dicitur oculus ſpiritualis. Percipitur autem diuerſimode â diuerſis intellectibus. Quia enim modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc ſacramento, eſt penitus ſupernaturalis a ſupernaturali intellectu, ſcilicet diuino, ſecundum ſe viſibilis eſt, & per conſequens ab intellectu beato, vel Angeli, vel hominis: qui ſecundum participatam claritatem diuini intellectus, videt ea quæ ſupernaturalia ſunt, per viſionẽ diuinæ eſſentiæ. Ab intellectu autem hominis viatoris, non poteſt conſpici, niſi per fidem, ſicut, & cætera ſupernaturalia. Sed nec etiam intellectus Angelicus ſecundum ſua naturalia ſufficit ad hoc intuendum. Vnde dæmones non poſſunt videre per intellectum Chriſtum in hoc ſacramento, niſi per fidem, cui non voluntarie aſſentiunt, ſed ad eam euidentia ſignorum conuincuntur: prout dicitur Iacobi 2. quod dæmones credunt, & contremiſcunt.

ar. 1. huius q. ad 3.

tex. 26. lo. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod oculus noſter corporeus per ſpecies ſacramentales impeditur a viſione corporis Chriſti ſub eis exiſtentis, non ſolum per modum tegumẽti, ſicut impeditur videre idquod eſt velatum quocumque corporali velamine: ſed quia corpus Chriſti non habet habitudinem ad medium quod circumſtat hoc ſacramentũ, mediãtibus proprijs accidẽtibus, ſed mediãtibus ſpeciebus ſacramẽtalibus.

Ad ſecundum dicendum, quod oculus corporalis Chriſti videt ſe ipſum ſub ſacramento exiſtentem: nõ tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi, quo eſt ſub ſacramẽto, quod pertinet ad ſolum intellectum. Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo: quia etiam ipſe oculus Chriſti eſt ſub hoc ſacramento, in quo nõ conformatur ei alius oculus glorioſus.

Ad tertiũ dicendum, quod Angelus bonus, vel malus, non poteſt aliquid videre oculo corporeo; ſed ſolum oculo intellectuali. Vnde nõ eſt ſimilis ratio, vt ex dictis patet. * *incorp.ar.*

47 RESponſum Angelici Doctoris, eſt quod medio oculo corporeo, etiam glorificato non poteſt videri corpus Chriſti, prout in Euchariſtia: neque ab oculo intellectuali relicto ſuæ naturæ, bene tamen illuſtrato per lumen ſupernaturale. Prima pars intellecta de potentia ordinaria recipitur ab omnibus: & probatur efficaciter a D. Thoma, quia accidentia Chriſti, vt exiſtentis in ſacramento, non ſunt extenſo modo: ac proinde nõ poſſunt mittere ſpecies deſeruientes viſioni oculari, quæ etiam ſi ab oculo glorificato procedat, extenſionem habet: ergo.

Prima pars cõcluſionis ſtabilitur.

Si autem intelligatur de abſoluta potentia, multi Theologi oppoſitum docent allegantes pro ſe ſanctum Doctorem in 4. docentem illud fortè fieri poſſe: ſed cum in præſenti, ſine diſt. neget, loquens de oculo glorificato, propterea in hoc quoquè ſenſu defendenda eſt eius concluſio: eo quod licet non repugnet viſio inextenſa procedens ab ſpecie, & potentia, & obiecto etiam, quæ non habeant extenſionẽ, atque adeò ex parte horum nulla ſit repugnantia: verumtamen, quia modus exiſtendi Chriſti in Euchariſtia eſt indiuiſibilis, & ſpiritualis, ac proindè incapax attingi à potentia corporea, quantumuis inextenſa, cui modo coniunctus eſt à parte rei color corporis Chriſti: propterea implicat etiam Chriſtum ab oculo corporeo attingi, ſiquidem viſio ocularis neceſſario debet terminari ad rem prout in ſe, vt ex ſcte probat, & oſtendit Suarius, diſp. 53. cap. 4. & minus bene negat Vazquius diſput. 45. cap. 2. ſequutus Scotum, & alios ex antiquis Scholaſticis. Quod ſi obijcias quod oculus corporalis Chriſti exiſtentis in Euchariſtia videt ſe ipſum, vt fatetur D. Thom. hic ad ſecundum: ergo etiã poterit videri ab alio; ſaltim de potentia abſoluta. Reſpondetur admiſſo antecedente negando conſequentiam; quia Chriſtus videt ſe ipſum in Euchariſtia eadem viſione, qua ſe intuetur in cœlo: ac proinde nõ eſt eadem ratio de alia viſione, quæ terminaretur ad ipſũ, prout eſt in Euchariſtia.

Secũda pars concluſionis, etiam communiter à Theologis recipitur, eo quod lumen intellectus ſi ſupernaturale ſit, quãtum ad ſubſtantiam habet proportionem cum Chriſto Domino, prout hic exiſtentè: igitur rectè poterit intellectus tali lumine illuſtratus, & confortatus attingere Chriſtum Dominum, & omnia quæ in ipſo ſunt in Euchariſtia, intuitiua, ſiue abſtractiua cognitione ſecundum conditionem luminis illuſtrantis.

Secunda pars cõcluſionis efficaciter probatur.

48 Alteri vero difficultati, quæ hic à Theologis moueri ſolet, nimirum quas actiones Chriſtus Dominus, prout eſt ſub ſpeciebus ſacramentalibus, & agere, & recipere valeat? Reſpondeo nõ poſſe efficere, nequè recipere ab alio extrinſeco agente eas actiones, ſiue paſsiones ad quas requiratur materialis extenſio quantitatiua: bene tamen poſſe elicere eas operationes a dicta extenſione independentes: vnde non poteſt Chriſtus, prout eſt in Euchariſtia exercere opera vegatiuæ, neque ſenſitiuæ, neq; rationalis animæ depẽdẽtia à phãtaſmatibus: bene tamẽ alia quæ non ſic dependent. Hoc autem intelligendum eſt de potentia ordinaria: nam de potentia abſoluta exiſtimo poſſe agere, & capere, quidquid fuerit capax habendi modum eſſendi indiuiſibilem, quem ipſe habet in hoc ſacramento. Quæ autem ſint huiuſmodi operationes, ſiue paſsiones facili negotio diſcurrenti per vnius cuiuſque naturam conſtabit.

Satis fit alteri difficultati.

ART.

ART. VIII

Vtrùm quando in hoc ſacramento apparet miraculoſe caro vel puer, ſit ibi verè corpus Christi?
(? ¿ ?)

4 d. 10. a. 2. q. 2. ad 3. & a. 4. q. 2 & 3. & op. 58. c. 11.

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod quando in hoc ſacramento miraculoſe apparet caro, vel puer, non ſit ibi verè corpus Chriſti. Corpus enim Chriſti deſinit eſſe ſub hoc ſacramẽto, quando deſinunt eſſe ſpecies ſacrementales: vt dictum eſt. * Sed quando apparet caro vel puer, deſinunt eſſe ſpecies ſacramentales. Ergo non eſt ibi verè corpus Chriſti.

* a. præc. ad 3. arg.

2 Præterea, Vbicumque eſt corpus Chriſti, vel eſt ibi ſub ſpecie propria, vel ſpecie ſacramenti. Sed quando tales apparitiones fiunt, manifeſtum eſt, quod non eſt ibi Chriſtus ſub ſpecie propria, (quia in hoc ſacramento totus Chriſtus continetur, qui permanet integer in forma, qua aſcendit in cœlum: cum tamen id quod miraculoſe apparet in hoc ſacramento, quandoque videatur, vt quædam parua caro; quandoque autem vt paruus puer:) manifeſtum eſt etiam, quod non eſt ibi ſub ſpecie ſacramenti, quæ eſt ſpecies panis vel vini. Ergo videtur, quod corpus Chriſti nullo modo ſit ibi.

3 Præterea, Corpus Chriſti incipit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationem, & conuerſionem, vt ſupra dictum eſt. * Sed caro, & ſanguis miraculoſe apparens, non ſunt conſecrata, nec conuerſa in verum corpus, & ſanguinem Chriſti. Non ergo ſub his ſpeciebus eſt corpus, vel ſanguis Chriſti. *q. 75. a. 3.*

Sed contra eſt, quod tali apparitione facta, eadem reuerentia exhibetur ei quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur. Quod quidem nõ fieret, ſi vere non eſſet ibi Chriſtus, cui reuerentiam latriæ exhibemus. Ergo etiam tali apparitione facta, Chriſtus eſt ſub hoc ſacramento.

Reſpondeo dicendum, quod dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc ſacramento miraculoſe videtur caro, aut ſanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſſe viderent exterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum: nulla tamen immutatione facta ex parte ſacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando vni videtur ſub ſpecie carnis, vel pueri; alijs tamen videtur, ſicut & prius ſub ſpecie panis: vel quando eidem ad horam videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, & poſtmodum ſub ſpecie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in magorum præſtigijs; quia talis ſpecies diuinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc ſcilicet, quod manifeſtetur verè corpus Chriſti eſſe ſub hoc ſacramento; ſicut etiam Chriſtus abſque deceptione apparuit diſcipulis euntibus in Emaus. Dicit enim Auguſtin. * in libr. de quæſtion. Euang. quod cum fictio noſtra refertur ad aliqua *li. 2. c. vlt. non procul à pr. to. 4.*

qua ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte ſacramenti, manifeſtum eſt, quod non deſinit Chriſtus eſſe ſub hoc ſacramento, tali apparitione facta. Quandoque vero contingit talis apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie quæ videtur, realiter exterius exiſtente. Et hoc quidem videtur eſſe quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & nõ ad horam: ſed per longum tempus ita permanet. Et in hoc caſu quidam dicunt, quod eſt propria ſpecies corporis Chriſti. Nec obſtat, quod quandoque non videtur ibi totus Chriſtus, ſed aliqua pars carnis; vel etiam videtur non in ſpecie iuuenili, ſed in effigie puerili: quia in poteſtate corporis glorioſi eſt, quod videatur ab oculo non glorificato, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem; & in effigie vel propria, vel aliena, vt infra dicetur. * Sed hoc videtur eſſe incõueniens. Primo quidem, quia corpus Chriſti, nõ poteſt in propria ſpecie videri, niſi in vno loco, in quo definitiuê continetur. Vnde cum videatur in propria ſpecie, & adoretur in cœlis, ſub propria ſpecie non videtur in hoc ſacramento.

nõ abſoluit morte præuentus: ſed vide in ſent. l. 2. di. 44. q. 2. art. 4.

Secundo, quia corpus glorioſum, quod apparet vt vult, poſt apparitionem cum voluerit diſparet: ſicut dicitur Luc. vltimo, quod Dominus ex oculis diſcipulorum euanuit. Hoc autem quod ſub ſpecie carnis in hoc ſacramento apparet, diu permanet: quinimmô legitur quandoque eſſe incluſum, & multorum epiſcoporum conſilio in pixide reſeruatum: quod nefas eſſet de Chriſto ſentire ſecundum propriam ſpeciem. Et ideo dicendum eſt, quod manentibus dimenſionibus, quæ prius fuerant, fit miraculoſe quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram, & colorem, & alia huiuſmodi) vt videatur caro vel ſanguis, aut etiam puer. Et ſicut prius dictum eſt, * hoc non eſt deceptio: quia fit in figuram cuiuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quod in ſacramento eſt verê corpus, & ſanguis Chriſti. Et ſic patet, quod remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, vt infra * dicetur, remanet vere corpus Chriſti in hoc ſacramento.

in ipſo met art. *q. ſeq. a. 2*

Ad primum ergo dicendum, quod facta tali apparitione, ſpecies ſacramentales quandoque quidem totaliter remanent in ſe ipſis, quandoque autem ſecundum id, quod eſt principale in eis: vt dictum eſt. *

in cor. ar.

Ad ſecundum dicendum, quod in huiuſmodi apparitionibus ſicut dictum eſt, * non videtur propria ſpecies Chriſti, ſed ſpecies miraculoſe formata, vel in oculis intuentium, vel etiam in ipſis ſacramentalibus dimenſionibus: vt dictum eſt. *

Ibidem. *Ibidem.*

Ad tertium dicendum, quod dimenſiones panis, & vini conſecrati manent, immutatione circa eas miraculosê facta, quantum ad alia accidentia, vt dictum eſt. *

q. 75. ad 3. & 6.

Reſponſum Angelici præceptoris, eſt duobus modis poſſe contingere, quod appareat in hoc ſacramẽto caro, ſanguis, puer, aut aliquid ſimile. Primo quidem cum immutatione facta ſolum ex parte videntis, per ſpeciem à Deo immiſſam.

Dupliciter poteſt in Euchariſtia caro ſanguis &c.

Secundo modo ex parte obiecti immitentis ſpecies. Igitur ſiue primo, ſiue ſecundo modo contingat huiuſmodi apparitio, concludit Diu. Thomas non deſinere eſſe ſub ſpeciebus ſacramẽtalibus Chriſtum Dominum, & quidem quod non deſinat, ſi primo modo fiat, patet manifeſta

ra-

Digitized by Google

ratione: nam in tali caſu nulla fit mutatio ex parte ſacramenti.

Si autem contingat ſecundo modo, etiam patet, quia tunc formatio illius rei apparentis fit ad oſtendendum eſſe ibi corpus, vel ſanguinem Chriſti, ac per conſequens debet ita fieri, vt non corrumpantur ſpecies ſacramentales requiſitæ, vt perſeueret ibi corpus, vel ſanguis Chriſti: alioquin in ipſa apparitione deſtrueretur apparitionis finis: igitur Deus format id quod apparet ex aliquibus accidentibus, quæ ſunt in quantitate, per quorum immutationem non corrumperetur propria ſubſtantia: ac proinde cum re illa apparente quæ verè neque eſt Chriſtus, neque aliquid Chriſti, retinetur corpus, ſiue ſanguis Chriſti ſub quantitate panis, vel vini.

Neque propterea eſt aliqua fallacia in huiuſmodi apparitionibus: eo quod ad veritatem huius ſacramenti figurandam, & firmādā ordinētur: quod ſatis eſt, vt mēdatium vitetur teſte parente Auguſtino libro ſecundo de quæſtionibus Euangelij, capite vltimo.

QVAESTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in hoc ſacramento, in octo Articulos diuiſa?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm accidentia remaneant ſine ſubiecto in hoc ſacramento?

Sup q. 75. a. 5 & 1. d. 47 4. c. & 4. d 12. q. 1. a. 1. & 4 con. c. 63. & 65. & quol. 3. ar. 1. & quo. 4. a. 5 & op. 2. ca. 8. & 1. Cor. 11. lec. 3. col. 5.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod accidentia non remaneant in hoc ſacramento ſine ſubiecto. Nihil enim inordinatum, aut fallax debet eſſe in hoc ſacramento veritatis. Sed accidentia eſſe ſine ſubiecto, eſt contra rerum ordinem, quem Deus naturæ indidit: videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere, cum accidentia naturaliter ſint ſigna naturæ ſubiecti. Ergo in hoc ſacramento non ſunt accidentia ſine ſubiecto.

2. Præterea, Fieri non poteſt, etiam miraculosê, quod definitio rei ab ea ſeparetur, vel quod vni rei conueniat definitio alterius rei (puta quod homo manens homo ſit animal irrationale;) ad hoc enim ſequeretur contradictoria eſſe ſimul: hoc enim quod ſignificat nomen rei, eſt definitio, vt dicitur in 4. * meta. Sed ad definitionem accidentis pertinet, quod ſit in ſubiecto: ad definitionem te. 28. t. 3. vero

vero ſubſtātiæ, quod per ſe ſubſiſtat non in ſubiecto. Nō ergo poteſt miraculoſe fieri, quod in hoc ſacramento ſint accidentia ſine ſubiecto.

3 Præterea, Accidens indiuiduatur ex ſubiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc ſacramento, ſine ſubiecto, non erunt indiuidua, ſed vniuerſalia. Quod patet eſſe falſum: quia ſic non eſſent ſenſibilia, ſed intelligibilia tantum.

4 Præterea. Accidentia per conſecrationem huius ſacramenti, non adipiſcuntur aliquam compoſitionem. Sed ante conſecrationem non erant compoſita, neque ex materia, & forma, neque ex quo eſt, & quod eſt. Ergo etiam poſt conſecrationem non ſunt compoſita altero horum modorum. Quod eſt inconueniens: quia ſic eſſent ſimpliciora quam Angeli: cum tamen hæc accidentia ſint ſenſibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc ſacramento ſine ſubiecto.

Refertur de conſ. d. 2. c. Species.

Sed contra eſt, quod Gregor. dicit in * homilia paſchali, quod ſpecies ſacramentales ſunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis, & vini. Et ita cum non remaneat ſubſtantia panis, & vini, videtur quod huiuſmodi ſpecies remaneant ſine ſubiecto.

q. 75. a. 5. & 6.

In li. de trin. ante med.

Reſpondeo dicendum, quod accidentia panis & vini, quæ ſenſu deprehenduntur in hoc ſacramento remanere poſt conſecrationem, non ſunt ſicut in ſubiecto in ſubſtantia panis & vini, quæ non manet (vt ſupra habitum eſt [illegible]) neque etiam in forma ſubſtantiali, quæ non manet: & ſi remaneret, ſubiectum eſſe non poſſet, vt patet per Boet. † in libro de trinit. Manifeſtum eſt etiam, quod huiuſmodi accidentia non ſunt in ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti, ſicut in ſubiecto: quia ſubſtantia humani corporis nullo modo poteſt his accidentibus affici: neque etiam eſt poſsibile, quod corpus Chriſti glorioſum, & impaſsibile exiſtens, alteretur ad ſuſcipiendas huiuſmodi qualitates.

Dicunt autem quidam, quod ſunt ſicut in ſubiecto in aere circumſtante. Sed nec hoc eſſe poteſt. Primo quidem, quia aer non eſt huiuſmodi accidentium ſuſceptiuus. Secundo, quia huiuſmodi accidentia non ſunt vbi eſt aer, quinimo ad motum harum ſpecierum aer depellitur. Tertiò, quia accidentia non tranſeunt de ſubiecto in ſubiectum: vt ſcilicet idem accidens numero, quod primo fuit in vno ſubiecto, poſtmodum fiat in alio. Accidens enim numerum accipit a ſubiecto: vnde non poteſt eſſe, quod idem numero manens, ſit quādoquê in hoc, quandoque in illo ſubiecto. Quarto, quia cum aer non ſpolietur accidentibus proprijs, ſimul haberet accidentia propria, & aliena. Nec poteſt dici, quod hoc fiat miraculoſe virtute conſecrationis: quia verba conſecrationis hoc non ſignificant: quę tamen non efficiunt, niſi ſuum ſignificatum. Et ideô relinquitur, quod accidentia in hoc ſacramento manent ſine ſubiecto. Quod quidē virtute diuina fieri poteſt. Cum enim effectus magis dependeat a cauſa prima, quam a cauſa ſecūda, Deus qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ, & accidentis, per ſuam infinitam virtutem conſeruare poteſt in eſſe accidens, ſubtracta ſubſtantia, per quam conſeruabatur in eſſe, ſicut per propriam cauſam: ſicut etiam alios effectus naturalium cauſarū poteſt producere, ſine naturalibus cauſis; ſicut humanum corpus formauit in vtero virginis, ſine virili ſemine.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet aliquid eſſe ordinatum ſecundum communem legem

gem naturæ, cuius tamen contrarium eſt ordinatum ſecundum ſpeciale priuilegium gratiæ; vt patet in reſuſcitatione mortuorum, & in illuminatione cæcorum: prout etiam in rebus humanis quædam aliquibus conceduntur ex ſpeciali priuilegio præter legem communem. Et ita etiam licet ſit ſecundum communem naturæ ordinem, quòd accidens ſit in ſubiecto: ex ſpeciali tamen ratione ſecundum ordinem gratię, accidentia ſunt in hoc ſacramento ſine ſubiecto, propter rationes ſupra inductas. *

In corp. ar.

Ad ſecundum dicendum, quod cum ens non ſit genus, hoc ipſum, quod eſt eſſe, non poteſt eſſe eſſentia ſubſtantiæ, vel accidentis. Non eſt ergo definitio ſubſtantiæ ens per ſe ſine ſubiecto; nec definitio accidentis, ens in ſubiecto: ſed quidditati, ſeu eſſentiæ ſubſtantiæ competit habere eſſe non in ſubiecto; quidditati autem ſiue eſſentiæ accidentis competit habere eſſe in ſubiecto. In hoc autem ſacramento non datur accidentibus, quod ex vi ſuæ eſſentiæ non ſint in ſubiecto, ſed ex diuina virtute ſuſtentante. Et ideô non deſinunt eſſe accidentia: quia nec ſeparatur ab eis definitio accidentis, quæ eſt aptitudo ad ſubiectum, quæ ſemper manet in ijs, non actualis inhærentia, nec competit eis definitio ſubſtantiæ.

Ad tertium dicendum, quod huiuſmodi accidentia acquiſierunt eſſe indiuiduum in ſubſtantia panis, & vini, qua conuerſa in corpus, & ſanguinem Chriſti, remanent virtute diuina accidentia in illo eſſe indiuiduato, quod prius habebant. Vnde ſunt ſingularia, & ſenſibilia.

Ad quartum dicendum, quod accidentia huiuſmodi, manente ſubſtantia panis, & vini, non habebant ipſa eſſe, ſicut nec alia accidentia; ſed ſubiecta eorum habebant huiuſmodi eſſe per ea: ſicut nix eſt alba per albedinem. Sed poſt conſecrationem ipſa accidentia quæ remanent, habent eſſe. vnde ſunt compoſita ex eſſe, & quod eſt (ſicut in prima parte de angelis dictum eſt *) & cum hoc habent compoſitionem partium quantitatiuarum.

1. p. q. 51. a. 2. & 3.

49 CONcluſio eſt affirmatiua; quã probat S. Doctor, optimo diſcurſu in litera vidẽdo: & quidem de eius veritate, vt iacet nullus Catholicus dubitare poteſt: imo neque hæreticus, ſi ſemel admittat quæ vſque modo dicta ſunt, circa abſentiam ſubſtantiæ panis, & vini. Fateor aliqua eſſe argumenta phiſica in contraria; & præcipua proponit, & diſſoluit, D. Thomas in præſenti.

ART. II.

Vtrum in hoc ſacramento quãtitas dimenſiua panis, vel vini, ſit aliorum accidentium ſubiectum?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod in hoc ſacramento quantitas dimenſiua panis, vel vini, non ſit aliorum accidentium ſubiectum. Subiectum enim accidentis non eſt accidens: nulla enim forma poteſt eſſe ſubiectum, cum ſubijci pertineat ad proprietatem materiæ. Sed quantitas dimenſiua eſt quoddam acci-

4. d. 12. q. 1 art. 1 q. 3. & 4. con. c. 62. co. 2. & c. 64. & 1. Cor. 11. le. 4. c. 5. fin.

Digitized by Google

accidens. Ergo quantitas dimenſiua non poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium.

2 Præterea, Sicut quantitas indiuiduatur ex ſubſtantia, ita etiam & alia accidentia. Si ergo quantitas dimenſiua panis, aut vini remanet indiuiduata ſecundum eſſe prius habitum, in quo conſeruatur: pari ratione, & alia accidentia remanent indiuiduata ſecundum eſſe, quod prius habebant in ſubſtantia. Non ergo ſunt in quantitate dimenſiua, ſicut in ſubiecto: cum omne accidens indiuiduetur per ſuum ſubiectum.

3 Præterea, Inter alia accidentia panis, & vini quæ remanent, deprehenduntur etiam ſenſu, rarum & denſum, quæ non poſſunt eſſe in quantitate dimenſiua, præter materiam exiſtente: quia rarum eſt, quod habet parum de materia ſub magnis dimenſionibus: dẽſum autem, quod habet multum de materia ſub paruis dimenſionibus, vt dicitur 4. Phyſicor. * Non ergo videtur, quod quantitas dimenſiua poſsit eſſe ſubiectum accidentium, quæ remanent in hoc ſacramento.

lib. 4. tex. 84. to. 2.

4 Præterea, Quantitas â ſubiecto ſeparata, videtur eſſe quantitas mathematica, quæ non eſt ſubiectum qualitatum ſenſibilium. Cum ergo accidentia, quæ remanent in hoc ſacramento, ſint ſenſibilia, videtur quod non poſsint eſſe in hoc ſacramento, ſicut in ſubiecto in quãtitate dimenſiua panis, & vini, remanente poſt conſecrationem.

Sed contra eſt, quod qualitates non ſunt diuiſibiles niſi per accidens, ſcilicet ratione ſubiecti. Diuiduntur autem qualitates remanentes in hoc ſacramento per diuiſionem quantitatis dimenſiuæ: ſicut patet ad ſenſum. Ergo quantitas dimẽſiua eſt ſubiectum accidentium, quæ remanent in hoc ſacramento.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere accidentia alia, quæ remanent in hoc ſacramento, eſſe ſicut in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis, vel vini remanente. Primo quidem per hoc, quod ad ſenſum apparet aliquid quantum eſſe ibi coloratum, & alijs accidentibus affectum: nec in talibus ſenſus decipitur. Secundo, quia prima diſpoſitio materiæ eſt quantitas dimenſiua: vnde & Plato * poſuit primas differentias materiæ, magnum & paruum. Et quia primum ſubiectum eſt materia, conſequens eſt, quod omnia alia accidentia referantur ad ſubiectum, mediante quantitate dimenſiua, (ſicut & primum ſubiectũ coloris dicitur eſſe ſuperficies) ratione cuius quidam poſuerunt dimenſiones eſſe ſubſtantias corporum: vt dicitur in 1. metaph. † Et quia ſubtracto ſubiecto, remanent accidentia ſecũdum eſſe, quod prius habebant, conſequens eſt, quod omnia accidentia remaneant fundata ſuper quantitatem dimenſiuam. Tertio, quia cum ſubiectum ſit principium indiuiduationis accidentium, opportet id quod ponitur aliquorum accidentium ſubiectum, eſſe aliquo modo indiuiduationis principium. Eſt enim de ratione indiuidui, quod non poſsit in pluribus eſſe. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo; quia non eſt natum eſſe in aliquo; & hoc modo formæ immateriales ſeparatæ, per ſe ſubſiſtentes, ſunt etiam per ſe ipſas indiuiduæ. Alio modo ex eo, quod forma ſubſtantialis, vel accidentalis eſt quidem nata in aliquo eſſe, non tamen in pluribus: ſicut hæc albedo, quæ eſt in hoc corpore.

apud Ariſtot. lib. 1. met. tex. 6. & 7.

lib. 1. text. 19 & ſeq. tom. 3.

Quantum igitur ad primum, materia eſt indiuiduationis principium omnibus formis inhærentibus; quia

cum

cum huiuſmodi formæ quantum eſt de ſe, ſint natæ in aliquo eſſe, ſicut in ſubiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non eſt in alio, ideò nec forma ipſa ſic exiſtens poteſt in alio eſſe.

Quantum autem ad ſecundum, dicendum eſt, quod indiuiduationis principium eſt quantitas dimenſiua. Ex hoc enim aliquid eſt natum eſſe in vno ſolo, quòd illud eſt in ſe indiuiſum, & diuiſum ab omnibus alijs. Diuiſio autem accidit ſubſtantiæ ratione quantitatis, vt dicitur in 1. phyſicor. * Et ideo ipſa quantitas dimenſiua eſt quoddam indiuiduationis principium huiuſmodi formis, in quantum ſcilicet diuerſæ formæ numero, ſunt in diuerſis partibus materiæ. Vnde & ipſa quantitas dimẽſiua ſecundum ſe habet quamdam indiuiduationem: ita quod poſſumus imaginari plures lineas eiuſdem ſpeciei, differentes poſitione, quæ cadit in ratione huius quantitatis: conuenit enim dimenſioni, quod ſit quantitas poſitionem habens. Et ideo potius quantitas dimenſiua poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium, quam è conuerſo.

lib. 1. phyſ. tex. 25. 10. a.

Ad primum ergo dicendum, quod accidens perſe non poteſt eſſe ſubiectum alterius accidentis: quia perſe non eſt. Secundum vero quod eſt in alio, vnũ accidens dicitur eſſe ſubiectum alterius, in quantum vnũ accidens recipitur in ſubiecto, alio mediante: ſicut ſuperficies dicitur eſſe ſubiectum coloris. Vnde quando accidenti datur diuinitus vt per ſe ſit, poteſt etiam per ſe alterius accidentis ſubiectum eſſe.

Ad ſecundum dicendum, quod alia accidentia etiam ſecũdum quod erant in ſubſtantia panis, in diuiduabantur mediante quantitate dimenſiua, ſicut dictum eſt. * Et ideo potius quantitas dimenſiua eſt ſubiectum aliorum accidentium remanentium in hoc ſacramento, quam è conuerſo.

In corp. a.

Ad tertium dicendum, quod rarum, & denſum ſunt quædam qualitates cõſequentes corpora, ex hoc quod habent multum, vel parum de materia ſub dimenſionibus: ſicut etiam omnia alia accidentia conſequuntur ex principijs ſubſtantiæ. Et ideò ſicut ſubtracta ſubſtantia, diuina virtute conſeruantur alia accidentia: ita ſubtracta materia, diuina virtute conſeruantur qualitates materiam conſequentes, ſicut rarum, & denſum.

Ad quartum dicendum, quod quantitas mathematica non abſtrahit à materia intelligibili, ſed à materia ſenſibili, vt dicitur 7. metaph. * Dicitur autem materia ſenſibilis ex hoc quod ſubijcitur ſenſibilibus qualitatibus. Et ideò manifeſtum eſt, quod quantitas dimenſiua quæ remanet in hoc ſacramento ſine ſubiecto, non eſt quãtitas mathematica

li. 7. c. 3 ... text. 3.

Affirmatiua etiam eſt aſſertio; & probatur in articulo tribus rationibus, & quarum prima eſt, quia ad ſenſum apparet aliquid quantum eſſe ibi coloratum, & alijs accidentibus affectum, neque in talibus ſenſus decipitur.

Secunda eſt, quia prima diſpoſitio materiæ eſt quantitas dimenſiua; & quia primum ſubiectum eſt materia, cõſequens eſt quod alia omnia accidentia referantur ad ſubiectum mediante quantitate dimenſiua, & quod ſubtracto ſubiecto maneant fundata ſuper quantitatem dimenſiuam.

Tertia eſt, quia cum ſubiectum ſit principium indiuiduationis, ad ſubiectum oportet, id quod ponitur aliquorum accidẽtium ſubiectum eſſe aliquo modo indiuiduationis principium: eſt enim de ratione indiuidui, quod non poſſit in pluribus eſſe: ipſa autem quantitas dimẽſiua eſt quoddam indiuiduationis principium; vnde poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium quam è conuerſo.

Digitized by Google

Dubium eſt, quæ accidentia panis, & vini permaneant poſt conſecrationem: & quo ordine, & modo permaneant?

Status controuerſiæ.

IN hoc dubio omnes Theologi cõueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in hoc quod aliqua accidentia panis, & vini maneant facta conſecratione: hoc enim & ſenſibus externis percipitur, & Concilia diffiniunt. Quod autem maneant ſine ſubiecto ſubſtantiali, vt ſupponit Diu. Thomas nulli catholico dubitare licet; etenim ſi nomine ſubiecti ſubſtantialis veniat intelligenda ſubſtantia panis, & vini: cum diffinitum ſit, vt conſtat ex dictis eã non permanere, ſed conuerti in corpus, & ſanguinem Chriſti, fide tenendum erit, ſine tali ſubſtantiali ſubiecto perſeuerare: atque adeo oppoſita aſſertio hæretica cẽſenda eſt. Si verò nomine ſubiecti intelligatur aliqua alia ſubſtantia extrinſeca, ſiue extranea, vt corpus Chriſti, vel aer circumſtans: cum huiuſmodi ſubſtantia, vt recte probat Diuus Thomas, non poſsit eſſe ſubiectum accidentium, de quibus loquimur, vel de potentia abſoluta, vel ſaltim ſine nouo miraculo: quod admittendum non eſt nulla vrgente neceſsitate, vt in præſenti non vrget: permanere accidentia, etiam ſine extraneo ſubiecto, erit concluſio Theologica deducta ex vna præmiſſa de fide, & alia cognita naturali ratione: vnde error eſſet oppoſitum dicere.

50 Et licet aliqui de quorum numero ſunt Sotus in quarto diſtinctione decima, quæſtione ſecunda, articulo primo, & Valentia in commentario huius articuli primi, affirment etiam in ſecundo ſenſu eſſe primo, & per ſe de fide accidentia, abſquè ſubiecto permanere: quia in Concilijs diffinitur expreſſe accidentia Euchariſtiæ, ſine ſubiecto manere, & præcipuè in Conſtancienſi contra Vvicleph cuius articulus ſecundus erat, non manere in Euchariſtia accidentia ſine ſubiecto. Non tamen mihi placet, quia Concilia tantum intendunt diffinire, quod ſufficiebat ad ſaluandam veram conuerſionem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti. ad hoc autem ſatis eſt accidentia panis, & vini non manere inhærentia propriæ ſubſtantiæ: & parum referret quod alteri ſubiecto inhærerent, vt de ſe conſtat: & quamuis Concilium Conſtancienſe damnaſſet illam propoſitionem Vvicleph; excludens omne ſubiectum, adhuc non colligitur intentum: nam non omnes propoſitiones illius hæretici damnantur ibi, vt hæreticæ: ſed aliquæ tamquam erroneæ, aliæ, vt ſcandaloſæ, &c. & non determinatur in ſingulari qua nota hæc, vel illa propoſitio notanda ſit: igitur de permanentia ſubſtantiæ panis, & vini poſt conſecrationem, & ſine ſubiecto ſubſtantiali nulla poteſt eſſe apud catholicos controuerſia.

Conueniunt ſecundo in eo, quod accidentia quæ tantum modaliter diſtingũtur à ſubſtantia panis, & vini, verbi gratia præſentia ad locum ſpecierum, relatio idẽtitatis, & ſimilia, per nullam potẽtiam poſſe manere ſine ſubiecto, quod modificant. De accidentibus vero realiter diſtinctis à ſubſtantia, de quibus procedit diſputatio, pariter fatentur omnes Theologi illa omnia permanere: & merito quia permanet quantitas, vt ſenſu percipitur: ratione vero quantitatis prædicta accidentia ſubſtantiæ inhærebant: & alias nõ eſt maior ratio, quare deſtructa ſubſtantia maneant aliqua, & non omnia: ergo omnia permanent.

51 Diſcriminantur autem primo circa gradum certitudinis huius ſuppoſitionis, alij enim cum Suario diſputatione 56. ſectione prima opinantur eſſe de fide, quod permaneant ea accidentia quæ aliquo ſenſu per ſe percipi poſſunt: & de iſtis aiunt intelligenda eſſe Concilia diffinientia permanere ſpecies: de alijs autem accidentibus, non ita ſenſibilibus, non eſſe ita cer-

Aſſignatur diſcrimen, circa certitudinem ſuppoſitionis facta.

certum, licet probabilius ſit etiam manere.

Alij vero de quorum numero ſunt Soto vbi ſupra, & Vazquius diſputatione 194. cap. primo, ſentiunt de omnibus huiuſmodi accidentibus eſſe de fide, quod permaneant, & hoc eſt vero ſimilius; eo quod ſi nomine ſpecierum non intelligantur à Concilijs accidentia realia occulta, ſed tantum illa quæ per ſe immediate aliquo ſenſu percipi poſſunt, vt vult Suarius, ſequitur eſſe de fide reliqua accidentia non manere. Sed hoc eſt contra ipſum Suarium: ergo. Probatur ſequela, quia Concilia determinant manere dumtaxat ſpecies: ergo quæ nomine ſpecierum non comprehenduntur non manent: ſicut hac ratione ſubſtantia panis & vini non manet: ſi ergo occulta accidentia nomine, & ratione ſpecierum non gaudent, de fide erit non permanere: igitur nomine ſpecierum intelliguntur omnia accidentia, quæ immediate in ſe ipſis, vel mediate in ſuo effectu ſenſu percipi valent: non enim eſt cur hoc ita non ſit, nam alias ſi hoc ita non eſſet explicuiſſent patres Cōcilij, quæ accidentia manerent, & ſpecies dicerentur, & quæ non. Et rurſus, quia accidentia omnia panis & vini talis ſunt naturæ vt poſsint ſenſu aliquo deprehendi, aut in ſe, aut in aliquo effectu ad quem ordinantur: fit conſequens verum eſſe quod intendimus.

Aſsignatur ſecundum diſcrimen inter authores circa ordinem iſtorum accidentium inter ſe.

Diſcriminantur ſecundo circa ordinem quem huiuſmodi accidentia permanentia ſeruant inter ſe: & quidem de accidentibus modalibus certum eſt vnumquodque ſubiectari immediate in re, quam modificat: de alijs autem hoc eſt de qualitatibus procedit quæſtio, in qua diuiſi ſunt Theologi in duas ſententias.

Prima eſt, quam ſequuntur nominales, vt Ochamus tractatu de Euchariſtia cap. 28. & in quarto quæſtione ſeptima, Aliaco quæſtione quinta, Maior diſtinctione 12. quæſtione 2. & Gabriel lectione 44. ſuper canon, & Marſilius in eodem 4. quæſt. nona articulo ſecundo, licet diuerſis fundamentis innitantur. Nominales enim non diſtinguentes quantitatem a re quanta, conſequenter dicunt non permanere poſt conſecrationem quantitatem ſubſtantiæ panis & vini, ſed tot quantitates, quot permanent qualitates, & non vnam omnibus communem, cui omnes inhæreant, ac proinde cum non ſit ratio quare magis hæc qualitas, verbi gratia calor ſit ſubiectum aliarum, quam è contra, ſit omnia hæc accidentia poſt conſecrationem mutare proprium modum eſſendi, & eſſe ſicut in ſententia contraria aſſeritur eſſe quantitatem ſubſtantię panis, & vini.

Marſilius vero diſtinguens quantitatem a re quanta, & admittens etiam permanere illam quantitatem quâ reddebatur ante conſecrationem quanta ſubſtantia panis: negat qualitates quantitati inhærere: eo quod nullum poteſt trahi ſignum huius inhæſionis, atque adeo affirmat omnia accidentia acquirere nouum modum per ſe eſſendi, quo immediate terminentur, & ſubſiſtant.

52 Sed hoc non obſtante ſecunda ſententia communiter à Theologis recepta cum Diuo Thoma in hoc articulo ſecundo, & cum Magiſtro in quarto diſtinctione 12. aſſerit omnes huiuſmodi qualitates immediate recipi in quantitate.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione: & ſit prima in ordine. Quæ ſic probatur, nam ſecundum veriorem philoſophiam: ſicut intellectus eſt ratio quare anima rationalis recipiat ſpecies intelligibiles, ita quantitas eſt ratio quare ſubſtantia corporea recipiat corporeas qualitates: igitur ſicut ſpecies intelligibiles immediate inhærent intellectui, & mediate animæ: ita ante conſecrationem qualitates panis, & vini immediate inhærent quātitati, & mediate ſubſtantiæ: ergo ablata ſubſtantia: quando fit conſecratio, manet quantitas ſubiectans in ſe qualitates, ſicut ſi auferretur anima, & intellectus maneret: eſſet intellectus ſpecierum intelligibilium ſubiectum: & ſic reliqua accidentia manent connexa inter ſe, dum in vno communi ſubiecto vniuntur: quod nullo alio modo poteſt rectè percipi, aut explicari. Neque per hoc aliquid proprium ſubſtantiæ tribuitur quantitati: numquam enim quantitas eſt ſubiectum omnium accidentium: cum non ſit ſubiectum ſui, neque eſt ſubiectum eorum, quæ ſubiectat vt principiū remotū ac radicale: ſubſtantia autem corporea ſibi vendicat, & eſſe ſubiectum proximum quantitatis, & ſecundum ac remotum qualitatum, & modorum qualitates modificantium.

Digitized by Google

53 Verum vero ſit dicenda quãtitas ſubiectum quo, vel quod? ſolet hic controuerti. Et mihi videtur vtrumque dici poſſe: poteſt enim dici ſubiectum *quod*, quatenus in ſe recipit accidentia: *quo* vero prout eſt ſimul ratio quare in ſubſtantia recipiantur, ad quod deſeruit exẽplum ſupra adductum: & profecto parum refert ſic vel aliter loqui; quia quæſtio eſt de ſolo modo loquendi. Sed rogabis an facta ſeparatione quantitatis à ſubſtantia, & quantitate ſic conſeruata per ſe exiſtente, interueniat nouum miraculum? in hoc quod eſt ſubiectare dicta accidentia. Quidam cum Suario ſub diſt. reſpondent aſſerentes, quod proprietates, quæ etiam dependebant ab influxu ſubſtantiæ, non manent poſtea abſque nouo miraculo, quo ſuppleatur concurſus effectiuus ſubſtantiæ. Accidentia autem communia, quæ non ſic à ſubſtantia dependent, ſine nouo miraculo perſeuerant.

Sed melius reſpondetur, nullum nouum miraculum eſſe neceſſarium, vt omnia accidentia, etiam ea quæ ſunt propriæ paſsiones ſubſtantiæ permaneant: & moueor, quia quantitas quæ conſeruatur, eſt quantitas propria panis & vini, a quã immediate oriuntur aliæ proprietates, & quæ immediate influit in ipſas: & licet hoc præſtet vt radicata in ſubſtantia, eademmet exigit hanc radicationem, & influxum ſubſtantiæ ad producenda quæcumque accidentia producit: ſed Deus conſeruat in Euchariſtia quantitatem panis, & vini ſeruando propriam exigentiam quantitatis: ergo in genere cauſæ efficientis cõfert quantitati, quidquid ſubſtantia propria illi conferebat, ac proinde ex vi miraculi, quo quantitas ſeparata à ſubſtantia conſeruatur, confertur ipſi quidquid requiritur ad omnia accidentia conſeruanda, & ea ſimul quæ ſunt propriæ paſsiones.

Tertiũ diſcrimen in quo diuiduntur authores circa modũ quo quantitas ſeparata à ſubiecto conſeruatur.

Diſcriminantur tertio in explicando modum quo quantitas ſeparata miraculoſe conſeruetur, vt ſic ſuſtentet alia accidentia, recipiat ne aliquid in ſe, vel non?

In tres modos dicendi. Primus eſt, quem ſequitur hic Caietanus ex Henrico quodlibeto 4. quæſt. 36. & quodlibeto 8. quæſtione 36., dicens, quantitatem recipere quidem in ſe quandam ſubſtantialem entitatem, per quam ſuppleantur vices propriæ ſubſtantiæ.

Quod ſibi perſuadet dupliciter. Tum, quia quantitas poſt conſecrationem non eſt violenta, ſed ſuſtinet reliqua accidentia ſine nouo miraculo, & agit, & patitur vt ſubiectum *quod*: at hæc nequeunt aduenire quantitati niſi per acceſſum nouæ ſubſtantialis entitatis: ergo.

Tum etiam ex Diuo Thoma, qui docet articulo primo ad quartum in quantitate ſeparata eſſe nouam compoſitionem ex eſſe, & quod eſt: & articulo ſecundo ad primum diuinitus dari accidentibus, vt per ſe ſint, & in quarto diſtinctione 10. quæſtione prima articulo primo quæſtiũcula tertia dari quantitati, vt per ſe ſubſiſtat: hæc autem verificari non poſſunt, vt de ſe conſtat: niſi aliqua ſubſtantialis entitas ponatur in quantitate ſeparata: ergo, &c. Eidem ſubſcribunt Ferrara quarto cõtra gentes cap. 66. & Suarius diſputatione 56. ſectione 2. eiſdem nixi fundamentis.

54 Secundus eſt, quem ſequuntur Vazquius diſputatione citata cap. 2. & alij recentiores eiuſdem Scholæ aſſerentes ſuper addi quantitati modum poſitiuum, non quidem entitatiue ſubſtantialem, ſed tantum accidentalem, ſimilem tamen modo ſubſtantiali quo ſubſtantia per ſe ſubſiſtit.

Quem ſuadent dupliciter. Primo ex anologia ad ſubſtantiã: hæc nãque dicitur non eſſe in ſubiecto ratione modi poſitiui perſeitatis, & non ſolum negatione ſubiecti: ergo cum quantitas in Euchariſtia dicatur non eſse in ſubiecto, hoc habebit ratione noui modi poſitiui, & non ſola negatione ſubiecti: alioquin etiam poſſet quis dicere ſubſtantiam eſse per ſe, & non in ſubiecto, abſque nouo modo poſitiuo ſuperaddito.

Secundo, quia humanitas Chriſti eo ipſo, quod caret modo proprio poſitiuo exiſtendi per ſe, recipit alium, quo eſt in verbo, & linea eo ipſo quod caret vno puncto, terminatur alio, & quantitas ſi ſpolietur vna figura, recipit alteram, & ſic de alijs: ergo ſimiliter quantitas Euchariſtiæ eo ipſo quod caret modo poſitiuo exiſtendi in ſubiecto, recipit alium, quo ſit ſine ſubiecto.

Tertius modus dicendi adſtruitur.

Tertius eſt, quantitatem nihil recipere præter concurſum quaſi creatiuum, quo ſine ſubiecto conſeruatur: quem ſe-

quuntur

quuntur Scotus in quarto diſtinctione 12 quæſtione 1. §, ad argumenta, Ricardus in eadem diſtinctione articulo ſecundo quæſtione ſecunda, Paludanus quæſtione prima, Soto diſtinctione 10. quæſtione ſecũda articulo ſecundo, & Marſilius quæſtione nona articulo quarto ad 4.

Pro cuius declaratione dico ſecundo: quantitatem nihil recipere præter concurſum diuinum quaſi creatiuum, quo ſine ſubiecto ab authore ſupernaturali cõſeruatur: ita vt quantitas per ſe incipiat eſſe in hoc ſacramento ſola negatione ſubiecti in qua erat abſque aliquo alio poſitiuo modo quem in ſe recipiat.

Probatur efficaciter concluſio ratione D. Thomæ.

Quæ concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos dicendi. Et ſuadetur primo ex Diuo Thoma in fine corporis articuli primi, vbi ait; quod Deus qui eſt cauſa ſubſtantiæ, & accidentis propter ſuam infinitam virtutem poteſt conſeruare accidens ſubtracta ſubſtantia, per quã conſeruabatur in eſſe: ſicut etiam alios effectus naturalium cauſarum poteſt producere ſine naturalibus cauſis: ergo ſentit poſſe ſola actione, omni alio ſecluſo entitatem quantitatis conſeruare ſine ſubſtantia, ſicut ſola actione poterat eam primo creare ſine interuentu alicuius cauſæ ſecundæ.

Secũdo, quia poſita ſola prædicta Dei actione terminata ad entitatẽ, & exiſtentiã quãtitatis ſufficienter ſaluatur quãtitatem exiſtere per ſe hoc eſt non in alio: & in hoc ſenſu eſt explicandus D. Thomas in duobus locis pro Caietano adductis: ad fundandam enim de nouo iſtam negationem; ſufficit entitas quantitatis, vt connotans concurſum conſeruatiuum Dei ſine ſubiecto, & ex alia parte ſaluatur quidquid prædicatur de quantitate Euchariſtiæ, quia vt non ſit violenta, ſufficit detineri à Deo, qui rebus violentiã non poteſt inferre.

Deinde, quia vt ſit ſubiectum connaturale *quod* aliorum accidentium ſatis eſt reliqua accidentia ei inhærere per ſibi cõnaturalem inhæſionem, & quod non detur aliud ſubiectum *quod*: inſuper vt dicatur cum Diuo Thoma eſſe in quantitate nouam compoſitionem ex eſſe, & quod eſt, non requiritur niſi quod tollatur ab illa modus inhærenti[illegible] ratione cuius ante conſecrationem, licet haberet eſſentiam, & exiſtentiam, ex quibus componebatur, non dicebatur eſſe vt *quod*, ſed ſolum vt *quo*, atque euitantur etiam mille difficultates, quas ſecum affert poſitio illius modi ſiue accidentalis, ſiue ſubſtantialis ſit: ergo.

Reijciuntur duo modi dicẽdi recenſiti

55 Tertio probatur labefactando duos priores modos dicendi. Primus enim deficit, quia id quo res ſubſiſtit per ſe, non eſt entitas, ſed modus entitatis: ergo vt quantitas ſit per ſe, & exerceat munera aſsignata à Caietano, & vt ſaluentur quæ docet Diuus Thomas de illa, non eſt opus entitatis ſubſtantialis ſuperadditæ, ſed ad ſummum aliquo modo ſubſtantiali. Item quod ſuperadditur à Caietano, ſi eſſet ſubſtantialis entitas, eſſet completa; vel incompleta. Si primum; non valeret formaliter afficere quantitem, vt per ſe ſubſiſteret: cum hoc entitati completæ repugnet, ſed eſſet ſubiectum, cui quantitas inhæreret: cuius oppoſitum ſupponimus: ſi incompleta, vel materia, vel forma: materia autem & forma non poſſunt ſeipſis immediate reddere quantitatem ſubſiſtentem: tum quia ipſæ indigent modo ſuperaddito, vt ſubſiſtant: tum etiam; quia non percipitur quo pacto quantitatem actuarent: igitur nequaquam eſt admittendã illa ſubſtantialis entitas.

Deinde ſecundus modus etiam deficit propter hoc vnicum argumentum, quia modus ille quantumcumque dicatur ſimilis modo poſitiuo, quo ſubſtantia eſt per ſe in ſua entitate, ſeu formalitate, intrinſecè eſt accidens, vt contrarij concedunt: & nullatenus eiuſdem rationis cum modo quo ſubſtantia eſt per ſe ſine ſubiecto: huius enim iudicant incapacem omnino quantitatem: at eo ipſo quod intrinſecè in ſua entitate accidens ſit; repugnat conferre rei quam modificat, quod ſit per ſe poſitiue: ergo.

Probatur minor, eo ipſo quod in ſua entitate ſit intrinſecè accidens, debet ad minus eſſentialiter petere vt *quod*, vel vt *quo* eſſe in ſubiecto: etenim hæc exigentia eſt de conceptu cuiuſuis entitatis accidentalis: ergo implicat quod conferat rei quam modificat, quod ſit poſitiue per ſe, niſi dicatur prædictam entitatem modalem affici alio modo ſuperaddito ſubſtantiali, ratione cuius talem effectum tribuat.

Explicatur hoc amplius, modus ille in omnium ſententia debet eſſe actualis extra cauſas exiſtens, vt conferat quantitati effectum de quo loquimur: ergo vel

exiſtit ſecundum exigentiam ſuæ entitatis, vel præter illam: ſi primum, exiſtit inhærendo: de ratione enim cuiuſuis entitatis accidentalis eſt exiſtere in ſubiecto: ſi ſecundum, aut exiſtit per ſe medio alio modo poſitiuo perſeitatis; aut per ſolam negationem ſubiecti: ſi hoc vltimum dicatur, idem dici poteſt de quantitate ipſa: ſi illud primum, eadem quęſtio erit de illo modo, & ſic in infinitum.

Quod ſi dicat aliquis, poſſe dare in genere cauſæ formalis formam id quod non habet: ac proinde prædictum modum poſſe tribuere quantitati eſſe per ſe, licet ipſe non ſit ſubſiſtens per ſe: adhuc non ſatisfacit, quia nulla forma poteſt tribuere effectum quem ipſa non præhabeat vt *quo*: ac proinde fingere quod ille modus accidentalis præberet vt *quo* effectum ſibi oppoſitum: idem eſſet ac fingere, quod in modo eſſendi per ſe præhaberet vt *quo*, hoc quod eſt eſſe in alio, quod quidē eſt manifeſtum figmentum: ergo.

Reſpondetur ad arg. prioris ſententiæ.

56 Ex quibus patet ad fundamēta prioris ſententiæ. Ad primum autem ſecundæ reſpondetur, quod in ſubſtantia non ponitur modus poſitiuus præciſe, vt non ſit in alio, ſed vt compleatur in ratione principij ſubſtantialis operatiui vt *quod*.

Ad ſecundum admiſſo antecedente nego conſequentiam: quia ea quæ ponuntur in antecedente ſuapte natura poſtulant terminum: quantitas autem ſuapte natura non petit terminum, quo extra ſubiectum exiſtens terminetur: vnde non oportet quod priuata proprio termino, alium acquirat. Imò ſi alium deberet recipere, re vera potius deberet eſſe modus ſubſtantialis, vt volunt Caietanus, & Ferrarienſis: eo quod ſolus iſte poteſt conferre effectum eſſendi per ſe poſitiuè, & cum aliàs probatum ſit quantitatem eſſe incapacem iſtius modi ſubſtantialis poſitiui, relinquitur quod ſola negatione ſubiecti cōnotando prædictam actionem Dei conſeruatiuam: conſeruetur, & exiſtat miraculosè extra ſubiectum ſubſtantiale.

ART. III.

Vtrum ſpecies quæ remanent in hoc ſacramento poſsint immutare aliquid extrinſecum?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies quæ remanent in hoc ſacramento, non poſsint immutare aliquid extrinſecum. *4 d. 12. q. 1 a. 2. q. 1 & 2.* Probatur enim 7 phyſic. quod formæ quæ ſunt in materia, fiunt à formis quę ſunt in materia, non autem à formis quę ſunt ſine materia: eo quod ſimile agit in ſibi ſimile. Sed ſpecies ſacramentales ſunt ſpecies ſine materia; quia remanent ſine ſubiecto, vt ex dictis patet †. *ar. 1. huius q.* Non ergo poſſunt immutare materiam exteriorem, inducendo aliquam formam.

2 Preterea, ceſſante actione principalis agētis, neceſſe eſt quod ceſſet actio inſtrumenti, ſicut quieſcente fabro, non mouetur martellus. Sed omnes formæ accidentales agunt inſtrumentaliter in virtute formę ſubſtantialis, tamquam principalis agentis. Cum ergo in hoc ſacramento nō remaneat forma ſubſtantialis panis, & vini (ſicut ſupra habitum eſt †) videtur quod formæ accidētales remanentes, agere non poſsint ad immutationem exterioris materiæ. *q. 75 ar. 5 & 6.*

3 Preterea, nihil agit vltra ſuam ſpeciem, quia effectus nō poteſt eſſe prior cauſa. Sed ſpecies ſacramētales omnes ſunt accidētia. Non ergo poſſunt exteriorē materiā immutare, ad minus ad formam ſubſtantialem.

Sed

Sed contra eſt, quod ſi non poſſent immutare exteriora corpora, non poſſent ſentiri. Sentitur enim aliquid per hoc, quod immutatur ſenſus à ſenſibili: vt dicitur 2. de anima *.

Lib. 2. tex. 51. 74. et 121. to. 2

Reſpondeo dicendum, quod quia vnumquodque agit in quantũ eſt ens actu: conſequens eſt, quod vnũquodq; ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habeat ad agere. Quia igitur ſecundum prædicta *, ſpeciebus ſacramẽtalibus datum eſt diuina virtute, vt remaneant in ſuo eſſe quod habebãt, ſubſtantia panis & vini exiſtente: cõſequens eſt, quod etiam remaneant in ſuo agere: & ideo omnem actionem, quam poterant agere, ſubſtantia panis & vini exiſtente, poſſunt etiam agere, ſubſtantia panis & vini tranſeunte in corpus & ſanguinem Chriſti. Vnde non eſt dubium, quod poſſunt immutare exteriora corpora.

Ar. 1. huius q. ad 3

Ad primum ergo dicendum, quod ſpecies ſacramentales licet ſint formæ ſine materia exiſtentes, retinent tamen idem eſſe, quod habebãt prius in materia. Et ideo ſecundum ſuum eſſe aſsimilantur formis, quæ ſunt in materia.

Ad ſecundum dicẽdum, quod ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ. Et ideo ſicut diuina virtute datur ſpeciebus ſacramentalibus, vt poſsint eſſe ſine ſubſtantia: ita datur eis vt poſsint agere ſine forma ſubſtantiali, virtute Dei, à quo ſicut à primo agẽte dependet omnis actio formæ, & ſubſtantialis, & accidentalis.

Ad tertium dicendum, quod immutatio quæ eſt ad formam ſubſtantialem, non fit à forma ſubſtantiali immediatê, ſed mediantibus qualitatibus actiuis, & paſsiuis, quæ agunt in virtute formę ſubſtantialis. Hæc autem virtus inſtrumentalis cõſeruatur in ſpeciebus ſacramentalibus diuina virtute, ſicut & prius erat. Et ideo poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter. Per quem modum aliquid poteſt agere vltra ſuam ſpeciem, non quaſi virtute propria, ſed virtute principalis agentis.

Reſponſum Diui Thomæ eſt, quod ſpecies ſeparatæ poſſunt habere omnem actionem, quam in ſubſtantijs panis & vini habere poſſent. Et ratio huius eſt, quia retinent idem eſſe: ſub intelligendum vero eſt retinere illud cum modo ſuo naturali ad actionem phiſicam accommodato: nam etiam corpus Chriſti habet ibi ſuum eſſe. Et tamen non poteſt naturaliter habere omnem actionem ſuam: quia non habet illud modo accomodato ad agendum: hoc autem non diſtincte expreſsit D. Thomas, quia per ſe facile erat ex præcedentibus articulis: quantitas enim non eſt principium agendi, ſed ſuſtentat qualitates, quæ ſunt actionum principia: qualitates autem, vt diximus, non mutant exiſtendi modum: & quamuis mutarent quoad inhærentiã, ita vt per ſe eſſent, hoc non poſſet impedire actionem: tum, quia modus per ſe exiſtendi eſt ſatis accommodatus ad agendum: tum, quia in humanitate Chriſti nihil impedit eius actiones, quod non in ſe ſubſiſtat, ſed in verbo. Vltimo, concluſio intelligendã eſt de illis actionibus, quarum principia adæquata ſunt accidentia: nam ſi quæ eſt actio, ad quam præter concurſum accidentis, requiratur immediatus concurſus formæ ſubſtantialis, aliter erit de illa philoſophandũ.

ART. IV.

Vtrum ſpecies ſacramentales poſsint corrumpi?

inf. ar. 5. c. & 4. d. 1. q. 1. art. 2. q. 3. & 4. con. c. 66.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies ſacramentales corrumpi non poſsint. Corruptio enim accidit per ſeparationem formæ à materia. Sed materia panis non remanet in hoc ſacramento, ſicut ex ſupra dictis patet.* Ergo huiuſmodi ſpecies nō poſſunt corrumpi.

q. 75. ar. 2 & 6.

2 Præterea, Nulla forma corrumpitur niſi per accidens corrupto ſubiecto: vnde formæ per ſe ſubſiſtentes, incorruptibiles ſunt, ſicut patet in ſubſtantijs ſpiritualibus. Sed ſpecies ſacramentales ſunt formæ ſine ſubiecto. Ergo corrumpi non poſſunt.

3 Præterea, Si corrumpuntur, aut hoc erit naturaliter, aut miraculosè. Sed non naturaliter, quia nō eſt ibi aſsignare aliquod corruptionis ſubiectum, quod maneat corruptione terminata. Similiter etiam nec miraculoſe, quia miracula quæ ſunt in hoc ſacramento, fiunt virtute conſecrationis, per quam ſpecies ſacramentales conſeruantur. Non eſt autem idem cauſa cōſeruationis, & corruptionis. Ergo nullo modo ſpecies ſacramentales corrumpi poſſunt.

Sed contra eſt, quod ſenſu deprehenditur, hoſtias conſecratas putreſieri, & corrumpi.

Reſpondeo dicendum, quod corruptio eſt motus ex eſſe in non eſſe. Dictum eſt autem ſupra*, quod ſpecies ſacramentales retinent idem eſſe quod prius habebant, ſubſtantia panis & vini exiſtente. *art. præc.* Et ideo ſicut eſſe horum accidentium poterat corrumpi, ſubſtantia panis & vini exiſtē te: ita etiā poteſt corrumpi, illa ſubſtantia abeunte. Poterant autem huiuſmodi accidentia primo corrūpi dupliciter. Vno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem, ſicut per alterationem qualitatum, & augmētum vel diminutionē quantitatis. Non quidem per modum augmēti vel diminutionis, qui inuenitur in ſolis corporibus animatis (qualia non ſunt ſubſtantia panis, & vini) ſed per additionem, vel diuiſionē. Nam ſicut dicitur 3. Metaph. per diuiſionem vna dimenſio corrūpitur, & fiunt duæ, per additionē autem è conuerſo, ex duabus fit vna. Et per hunc modum manifeſte poſſunt corrumpi huiuſmodi accidētia poſt conſeciationem, quia & ipſa quantitas dimenſiua remanens, poteſt diuiſionem, & additionem ſuſcipere. Et cum ſit ſubiectum qualitatum ſenſibilium (ſicut dictum eſt *) poteſt etiam eſſe ſubiectum alterationis earum: puta, ſi alteretur color, aut ſapor panis, aut vini. *Ar. 2. huius q.* Alio modo poterant corrumpi per accidens, per corruptionem ſubiecti. Et hoc modo poſſunt corrumpi etiam poſt conſecrationem. Quamuis enim ſubiectum non remaneat, remanet tamen eſſe quod habebant huiuſmodi accidentia in ſubiecto, quod quidem eſt proprium, & conforme ſubiecto. Et ideo huiuſmodi eſſe poteſt corrūpi à contrario agente, ſicut corrumpebatur ſubſtātia panis vel vini, quæ etiam non corrumpebatur niſi præcedente alteratione circa accidentia.

Diſtin-

Digitized by Google

Diſtinguendum tamen eſt inter vtrumque modum harum prædictarum corruptionum: quia cum corpus Chriſti, & ſanguis ſuccedant in hoc ſacramento ſubſtantiæ panis, & vini, ſi fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non ſuffeciſſet ad corruptionem panis & vini: propter talem immutationem non deſinit corpus & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc ſacramento; ſiue fiat immutatio ex parte qualitatis (puta, cum modicum immutatur color, aut ſapor panis vel vini); ſiue ex parte quantitatis ſicut cum diuiditur panis, aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis poſſit ſaluari natura panis, aut vini.

Si vero fiat tanta immutatio, quod fuiſſet corrupta ſubſtantia panis & vini, non remanent corpus, & ſanguis Chriſti ſub hoc ſacramento. Et hoc ſiue ex parte qualitatum, ſicut cum ita immutatur color, & ſapor, & aliæ qualitates panis & vini, quod nullo modo poſſent compati naturam panis aut vini: ſiue etiam ex parte quantitatis, puta ſi pulueri zetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, ut iam non remaneat ſpecies panis vel vini.

Ad primum ergo dicendum, quod ad corruptionem per ſe pertinet quod auferat eſſe rei; vnde in quãtum eſſe alicuius formæ eſt in materia. conſequens eſt quod per corruptionem ſeparetur forma â materia. Si vero huiuſmodi eſſe non eſſet in materia, ſimile tamen ei quod eſt in materia, poſſet per corruptionem auferri etiam materia non exiſtente: ſicut accidit in hoc ſacramento, vt ex dictis patet*.

* In corp. a.

Ad ſecundum dicendum, quod ſpecies ſacramentales, licet ſint formæ non in materia: habent tamen eſſe quod prius in materia habebant.

Ad tertium dicendum, quod corruptio illarum ſpecierum non eſt miraculoſa, ſed naturalis. Præſupponit tamen miraculum quod eſt factũ in conſecratione, ſcilicet quod illæ ſpecies ſacramentales retineant eſſe ſine ſubiecto, quod prius habebãt in ſubiecto: ſicut & cæcus miraculosê illuminatus, naturaliter videt.

Conclusio eſt; ſicut eſſe eorum accidentium corrumpi poterat à contrario, permanente ſubſtantia & ſubiecto, in quo erãt ita etiam nunc corrumpi poſſunt. Sicut concluſio pręcedentis articuli intelligitur de alijs accidentibus præter quantitatem; ita concluſio huius articuli intelligenda eſt etiam de quantitate, quam inquit Diu. Thomas corrumpi poſſe, tam per diuiſionem, & additionem, quam per alterationem, quæ ſuapte natura attingeret corruptionẽ ſubſtantiæ, ſi eſſet ibi.

ART. V.

Vtrùm ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid poſsit generari?

Ad quintum ſic proceditur. Videtur, quod ex ſpeciebus ſacramentalibus nihil poſsit generari. Quod enim generatur ex aliqua materia generatur: ex nihilo enim nihil generatur, quamuis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed ſpeciebus ſacramentalibus nõ ſubeſt aliqua materia niſi corporis Chriſti, quod eſt incorruptibile. Ergo videtur quod ex ſpeciebus ſacramentalibus nihil poſsit generari.

Inf. a. 8. ad 2. & 4. d. 12. q. 1. a. 2. q. 4. et 4. cõ. c. 66. et quol. 9. a. 5. ad 3. et 1. Co. 11. lec. 4. fin.

2 Præterea, Ea quæ non ſunt vnius generis, non poſſunt ex ſe inuicem fieri: non enim ex albedine fit linea. Sed accidens & ſubſtantia differunt genere. Cum ergo ſpecies ſacramentales ſint accidentia, videtur quod ex eis non poſsit aliqua ſubſtãtia generari.

3 Præterea, Si ex eis generetur aliqua ſubſtantia corporea, illa ſubſtãtia non erit ſine accidente. Si ergo ex ſpeciebus ſacramentalibus generetur aliqua ſubſtantia corporea, oportet quod ex accidente generetur ſubſtantia, & accidens, duo ſcilicet ex vno, quod eſt impoſsibile. Ergo impoſibile eſt, quod ex ſpeciebus ſacramentalibus aliqua ſubſtãtia corporea generetur.

Sed contra eſt, quod ad ſenſum videri poteſt ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generari, vel cineres, ſi comburantur, vel vermes, ſi putreſiant, vel pulueres, ſi conterantur.

Reſpondeo dicendum, quod cum corruptio vnius ſit generatio alterius, vt dicitur in 1. de gener. * neceſſe eſt quod ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, vt dictum eſt *. Non enim ſic corrumpuntur, vt omnino diſpereant, quaſi in nihilum redigantur, ſed manifeſtê aliquid ſenſibile eis ſuccedit. Quomodo autem ex eis aliquid generari poſsit, difficile eſt videre. Manifeſtum eſt enim, quod ex corpore, & ſanguine Chriſti, quæ ibi veraciter ſunt, non generatur aliquid, cum ſint incorruptibilia. Si autem ſubſtantia panis, aut vini remaneret in hoc ſacramento, vel eorum materia: facile eſſet aſsignare, quod ex eis generatur illud ſenſibile quod ſuccedit, vt quidam poſuerunt. Sed hoc eſt falſum, vt ſupra habitum eſt *. Et ideo quidam dixerunt, quod ea quæ generantur, non fiunt ex ſpeciebus ſacramentalibus, ſed ex aere circunſtante. Quod quidem multipliciter apparet eſſe impoſsibile. Primo, quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum, & corruptum apparet. Nulla autem alteratio, vel corruptio prius apparuit in aere circunſtante: vnde ex eo vermes, vel cineres non generantur. Secundo, quia natura aeris nõ eſt talis, quod ex eo per tales alterationes talia generentur. Tertio, quia poteſt contingere in magna quãtitate hoſtias conſecratas comburi, vel putreſieri; nec eſſet poſsibile tantum de corpore terreno ex aere generari, niſi magna, & valde ſenſibili inſpiſſatione aeris facta. Quarto, quia idem poteſt accidere corporibus ſolidis circunſtantibus (puta ferro aut lapidibus) quę integra remanẽt poſt prædictorum generationem. Vnde hæc poſitio ſtare non poteſt, quia cõtrariatur ei quod ad ſenſum apparet. Et ideo alij dixerunt, quod redit ſubſtantia panis & vini in ipſa corruptione ſpecierum, & ſic ex ſubſtantia panis & vini redeuntes generantur cineres, aut vermes, aut aliquid huiuſmodi. Sed hæc poſitio videtur eſſe impoſsibilis. Primo quidẽ, quia ſi ſubſtantia panis, & vini, conuerſa eſt in corpus & ſanguinem Chriſti (vt ſupra habitum eſt *) non poteſt ſubſtantia panis, aut vini redire, niſi corpore, aut ſanguine Chriſti iterum conuerſo in ſubſtantiam panis, vel vini, quod eſt impoſsibile: ſicut ſi aer ſit conuerſus in ignem, non poteſt aer redire, niſi iterum ignis conuertatur in aerem. Si vero ſubſtantia panis aut vini ſit annihilata, non poteſt iterum redire, quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero, niſi forte dicatur redire prædicta ſubſtantia, quia Deus de nouo creat aliam nouã ſubſtantiam loco primæ. Secundo videtur hoc eſſe impoſsibi-

Margin notes: lib. 1. tex. 17. to. 2. — art. præc. — q. 75. ar. 2. & 6. — q. 75. a. 4. & 2.

poſsibile: quia non eſt dare, quando ſubſtantia panis redeat. Manifeſtum eſt enim ex ſupra dictis*, quod manentibus ſpeciebus panis & vini, manet corpus, & ſanguis Chriſti, quę non ſunt ſimul cum ſubſtantia panis & vini in hoc ſacramento, ſecundũ præhabita.* Vnde ſubſtantia panis & vini non poteſt redire, ſpeciebus ſacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis ceſſantibus; quia iam ſubſtantia panis, & vini eſſet ſine proprijs accidentibus; quod eſt impoſsibile. Niſi forte dicatur, quod in ipſo vltimo inſtanti corruptionis ſpecierum redit non quidem ſubſtantia panis & vini (quia illud idem inſtans eſt, in quo primo habet eſſe ſubſtantiæ generatæ ex ſpeciebus) ſed materia panis, & vini, quæ magis de nouo creata diceretur quã rediens, proprie loquendo. Et ſecundum hoc poſſet ſuſtineri prædicta poſitio. Verum; quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculosê aliquid accidat in hoc ſacramento, niſi ex ipſa conſecratione, ex qua nõ eſt quod materia creetur, vel redeat; melius videtur dicendũ, quod in ipſa conſecratione miraculosê datur quantitati dimenſiuæ panis, & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum. Hoc autem eſt proprium materiæ. Et ideô ex conſequenti datur prædictę quantitati dimenſiuæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideô quicquid poſſet generari ex materia panis vel vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiua panis vel vini: non quidem nouo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti.

a. 4. hui. q. & q. 76. a. 6. ad 3.

q. 75. a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis non ſit ibi materia, ex qua aliquid generetur; quantitas tamen dimenſiua ſupplet vicem materiæ, vt dictum eſt.*

In corp. ar.

Ad ſecundum dicendum, quod illæ ſpecies ſacramẽtales; ſunt quidem accidentia; habent tamen actum, & vim ſubſtantię, vt dictum eſt*.

Ibid.

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimenſiua panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosê vim, & proprietatem ſubſtantiæ. Et ideô poteſt tranſire in vtrumque, ideſt in ſubſtantiam, & dimenſionem.

RESponſum Diui Thomæ eſt: ſicut ſpecies ſacramentales corrumpi poſſunt, vt articulo præcedente dictum eſt: ita etiam ex illis aliquid poteſt generari: quomodo autem ex illis generari poſsit, fuſius oſtendit Diuus Thomas in textu: idque ſatis difficile eſt intellectu; in ſequenti autem dubio explicandum à nobis eſt.

ART. VI.

Vtrùm ſpecies ſacramentales poſsint nutrire?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies ſacramentales non poſsint nutrire. Dicit enim Ambroſ. in lib. de ſacramentis †. Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus; ſed panis vitæ æternæ, qui animę noſtrę ſubſtantiam fulcit. Sed omne quod nutrit, vadit in corpus. Ergo panis iſte non nutrit. Et eadem ratio eſt de vino.

4. d. 12. q. 1. a. 2. q. 5. & 4. cõ. gẽ. 66. et 1. Co. 11. le. 4. † l. 5. de ſacr. ca. 4. in me. tom. 4.

2 Præterea. Sicut dicitur 2.

li. 2. te. 50. tom. 2.

de generatione *. Ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus. Species autem ſacramentales ſunt accidentia: ex quibus homo non conſtat: non enim accidens eſt pars ſubſtantiæ. Ergo videtur, quod ſpecies ſacramentales nutrire non poſſunt.

3 Præterea. Philoſophus 2.

li. 2. te. 47. tom. 2.

de Anima dicit †, quod alimentum nutrit, prout eſt ſubſtantia quædam, auget autem, prout eſt aliquid quantum. Sed ſpecies ſacramentales non ſunt ſubſtantia. Ergo non poſsũt nutrire.

Sed contra eſt, quod Apoſtol. 1. Corinthior. 11. loquens de hoc ſacramento, dicit. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Vbi

glo. ord. ibi.

dicit gloſſ. * quod notat illos, qui poſt celebrationem ſacri myſterij, & conſecrationem panis & vini, ſuas oblationes vendicabant, & alijs non communicantes, ſoli ſumebant, ita vt inde etiã inebriarentur. Quod quidem non poſſet contingere, ſi ſacramentales ſpecies non nutrirent. Ergo ſpecies ſacramentales nutriunt.

Reſpondeo dicendum, quod hæc quæſtio difficultatem non habeat: præcedenti quæſtione ſoluta. Ex hoc enim (vt dicitur ſecundo de Anima *) cibus nutrit, quod conuertitur in ſubſtantiam nutriti. Dictum eſt autem †, quod ſpecies ſacramentales poſſunt conuerti in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur. Per eamdem autem rationem poſſunt conuerti in corpus humanum, per quam poſſunt conuerti in cineres vel in vermes: & ideô manifeſtum eſt quod nutriunt. Quod autem quidam dicunt, quod non verê nutriunt, quaſi in corpus humanum conuertantur, ſed reficiunt, & confortant quadam ſenſuum immutatione (ſicut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini): ad ſenſum patet eſſe falſum. Talis enim refectio non diu ſufficit homini, cuius corpus propter continuã deperditionem reſtauratione indiget: & tamen homo diu ſuſtẽtari poſſet, ſi hoſtias & vinũ conſecratum ſumeret in magna quantitate. Similiter etiam non poteſt ſtare quod quidã dicunt, quod ſpecies ſacramentales nutriunt, propter formã ſubſtantialem panis, & vini: quę remanet: tũ quia non remanet, vt ſupra habitum eſt †: tum quia non eſt actus formæ nutrire, ſed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente forma nutrimẽti. Vndê dicitur † in 2. de anima, quod nutrimentum in principio eſt diſsimile, in fine autem ſimile.

li. 2. de ani. te. 45. et 46. to. 2.

art. præced.

q. 75. a. 6.

lib. 2. de ani. tex. 45. tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod facta conſecratione dupliciter poteſt dici panis in hoc ſacramento eſſe. Vno modo ipſæ ſpecies panis, quæ retinent nomen prioris ſubſtantiæ, vt Greg. † dicit in hom. Paſchali. Alio modo poteſt dici panis ipſum corpus Chriſti: quod eſt panis myſticus de cælo deſcendens. Ambr. ergo cum dicit †, quod iſte panis nõ trãſit in corpus, accipit panẽ ſecundo modo: quia ſcilicet corpus Chriſti non conuertitur in corpus hominis, ſed reficit mentem eius: non autem loquitur de pane, primo modo dicto.

† Refertur de cõſ. d. 2. c. Species.

lo. ci. in arg.

Ad ſecundum dicendum, quod ſpecies ſacramentales etſi non ſint ea, ex quibus corpus hominis cõſtat, tamen in ea conuertuntur, ſicut dictum eſt.

in cor. art.

Ad tertium dicendum, quod ſpecies ſacramentales, quamuis non ſint ſubſtantia, habent tamen virtutem ſubſtantiæ, ſicut dictum eſt. †

Ibid.

(?)

Con-

Conclusio eſt: ſicut ſpecies ſacramentales corrumpi poſſunt, & in ſubſtantiam, quæ ex eis generatur, conuerti: ita etiam cõuerti poſſunt in ſubſtantiam animatis: ac proinde ipſum nutrire: cuius concluſionis eadem eſt difficultas, ac antecedentis, & ideo inferius explicabitur.

ART. VII.

Vtrùm ſpecies ſacramentales frangantur in hoc ſacramento?

4. d. 10. a. 1 ad 1 & d. 12. q. 1. a. 3 q. 1. et 2. et 4. con c. 67 et op. 2 c. 8. et 1 Co. 11. le. 5. co. 6

**lib. 4. in ſum. 3. c. 2 ante med.*

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies ſacramentales non frangantur in hoc ſacramento. Dicit enim Philoſoph.* Meteor 4. quod corpora dicuntur frangibilia propter determinatam diſpoſitionem pororum: quod non poteſt attribui ſacramentalibus ſpeciebus. Ergo ſacramentales ſpecies non poſſunt frangi.

2 Præterea. Fractionem ſequitur ſonus. Sed ſpecies ſacramentales non ſunt ſonabiles. Dicit enim Philoſ. 2. de anima*, quod ſonabile eſt corpus durum, habens ſuperficiẽ lenem. Ergo ſpecies ſacramentales non franguntur.

li. 2. ex te. 77 et 78. tom. 2.

3 Præterea. Eiuſdem videtur eſſe manducari, frangi, & maſticari. Sed verum corpus Chriſti eſt quod manducatur; ſecundum illud Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem. Ergo corpus Chriſti eſt, quod frangitur, & maſticatur. Vnde in confeſsione Berengarij dicitur*: Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & corde & ore profiteor panem & vinum, quę in altari ponuntur, poſt cõſecrationem verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe; & in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Non ergo fractio debet attribui ſacramentalibus ſpeciebus.

De conſ. d. 2. c. ego Berengar.

Sed contra eſt, quod fractio fit per diuiſionem quanti. Sed nullum quantum ibi diuiditur, niſi ſpecies ſacramentales, quia neque corpus Chriſti, quod eſt incorruptibile, neque ſubſtantia panis, quæ non manet. Ergo ſpecies ſacramentales franguntur.

Reſpondeo dicendum, quod apud antiquos circa hoc multiplex opinio fuit. Quidã enim dixerunt, quod non erat in hoc ſacramẽto fractio ſecundum rei veritatem, ſed ſolum ſecundum aſpectum intuentiũ. Sed hoc non poteſt ſtare; quia in hoc ſacramento veritatis ſenſus non decipitur circa ea, quorum iudiciũ ad ipſum pertinet, inter quæ eſt fractio; per quam ex vno fiunt multa: quæ quidem ſunt ſenſibilia communia; vt patet in libro de anima†. Vnde alij dixerunt; quod erat quidem ibi vera fractio, ſine ſubiecto * exiſtente. Sed hoc etiam ſenſui contradicit. Apparet enim in hoc ſacramento aliquid quantum, prius vnum exiſtens, poſtea in multa partium, quod quidem oportet eſſe ſubiectum fractionis. Non autem poteſt dici, quod ipſum corpus Chriſti verum frangatur: Primo quidem, quia eſt incorruptibile, & impaſsibile. Secundo, quia eſt totum ſub qualibet parte. (vt ſupra habitum eſt*) quod quidem eſt contra rationẽ eius, quod frangitur. Vnde relinquitur quod fractio ſit ſicut in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis, ſicut & alia accidentia. Et ſicut

l. 2. te. 64 et 33. to. 2.

al. nõ habetur ly exiſtente.

q. 76. a. 3.

Digitized by Google

ſicut ſpecies ſacramẽtales ſunt ſacramentum corporis Chriſti veri, ita fractio huiuſmodi ſpecierum, eſt ſacramentum Dominicæ paſsionis, quæ fuit in corpore Chriſti vero.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut in ſpeciebus ſacramentalibus remanet rarum, & denſum (vt ſupradictum eſt†): ita etiam remanet ibi poroſitas, & perconſequens frangibilitas.

art. 2. huius q. ad 3.

Ad ſecundum dicendum, quod denſitatem ſequitur duritia. Et ideo ex quo in ſpeciebus ſacramentalibus remanet denſitas, cõſequẽs eſt, quod remaneat ibi duritia, & perconſequens ſonabilitas.

Ad tertium dicendum, quod illud quod manducatur in propria ſpecie, ipſum & frangitur, & maſticatur in ſua ſpecie. Corpus autem Chriſti non manducatur in ſua ſpecie, ſed in ſpecie ſacramẽtali. Vnde & ſuper illud Ioan. 6 Caro non prodeſt quidquam, dicit Aug. * Hoc eſt intelligẽdum ſecundum illos, qui carnaliter intelligebant, carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur. Et ideô ipſum corpus Chriſti non frangitur, niſi ſecundum ſpeciem ſacramentalem. Et hoc modo intelligenda eſt confeſsio† Berengarij, vt fractio & attritio dentium referatur ad ſpeciem ſacramentalem, ſub qua vere eſt corpus Chriſti.

tr. 27. in Io. in pr. et me. tom. 9.

poſt. in arg. 3

Reſponſum Angelici Doctoris eſt: diuiſio quæ fit dum ſpecies franguntur, recipitur in ipſa quantitate, ſicut in ſubiecto: ipſum autem corpus Chriſti non frangitur.

ART. VIII.

Vtrum aliquis liquor poſſit vino conſecrato commiſceri?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod vino conſecrato non poſsit aliquis liquor miſceri. Omne enim quod permiſcetur alicui, recipit qualitatẽ ipſius. Sed nullus liquor poteſt recipere qualitatem ſacramentalium ſpecierum: quia accidentia illa ſunt ſine ſubiecto, vt dictum eſt†. Ergo videtur, quod nullus liquor poſsit permiſceri ſpeciebus ſacramentalibus vini.

4. di. 12. q. 1. a. 2. q 6 & quol. 10 ar. 3.

a. 1. hui. q.

2 Præterea. Si aliquis liquor permiſceatur illis ſpeciebus, opportet quod ex his fiat aliquid vnum. Sed non poteſt fieri aliquid vnum, neque ex liquore (qui eſt ſubſtantia) & ſpeciebus ſacramentalibus, quæ ſunt accidentia: neque ex liquore & ſanguine Chriſti, qui rationi ſui incorruptibilitatis, neque additionem recipit neque diminutionẽ. Ergo nullus liquor poteſt admiſceri vino conſecrato.

3 Præterea. Si aliquis liquor admiſceatur vino conſecrato, videtur quod etiam ipſum efficiatur conſecratum: ſicut aqua quæ admiſcetur aquæ benedictæ, efficitur benedicta. Sed vinum conſecratum eſt verê ſanguis Chriſti. Ergo etiam liquor permixtus eſſet ſanguis Chriſti.

Digitized by Google

ſti. Et ita aliquid fieret ſanguis Chriſti aliter, quam per conſecrationem: quod eſt inconueniens. Non ergo vino conſecrato poteſt aliquis liquor permiſceri.

4 Præterea. Si duorum vnum totaliter corrumpatur, non erit mixtio: vt dicitur in primo * de generatione. Sed ad permixtionem cuiuſcumque liquoris, videtur corrumpi totalis ſpecies ſacramentalis vini, ita quod ſub ea deſinat eſſe ſanguis Chriſti: tum quia magnum & paruũ ſunt differentiæ quantitatis, & diuerſificant ipſam, ſicut album, & nigrũ, colorem: tum etiam quia liquor permixtus, cum non habeat obſtaculũ, videtur vndique diffundi per totum: & ita deſinit ibi eſſe ſanguis Chriſti, qui non eſt ibi ſimul cum alia ſubſtantia. Non ergo aliquis liquor poteſt permiſceri vino conſecrato.

á text 82. vſq; ad 90 tom. 2.

Sed contra eſt, quod ad ſenſum patet, alium liquorem vino permiſceri poſt conſecrationem, ſicut & ante.

Reſpondeo dicendum, quod iſtius quæſtionis veritas manifeſta eſt ex præmiſsis. * Dictum eſt enim ſupra, quod ſpecies in hoc ſacramento remanentes, ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modum eſſendi ſubſtantiæ: ita etiam conſequuntur modum agendi & patiendi: vt ſcilicet agere, & pati poſsint quicquid ageret vel pateretur ſubſtãtia, ſi ibi præſens exiſteret. Manifeſtum eſt autem, quod ſi eſſet ibi ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri. Huius tamen permixtionis diuerſus eſſet effectus, & ſecundum formam liquoris, & ſecundum quantitatem. Si enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſet diffundi per totũ vinum, totum fieret permixtum. Quod autem eſt cõmixtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt: ſed vtrumque trãſit in quoddam tertium ex his compoſitum. Vnde ſequeretur quod vinum prius exiſtens, nõ remaneret, ſed liquor permixtus eſſet alterius ſpeciei; puta, ſi permiſceretur aqua, ſolueretur ſpecies vini, & eſſet liquor alterius ſpeciei. Si autem eſſet eiuſdem ſpeciei liquor adiunctus, (puta, ſi vinum permiſceretur vino) remaneret quidem eadem ſpecies, ſed non remaneret idem numero vinum. quod declarat diuerſitas accidentium, puta, ſi vnum vinũ eſſet album, & aliud rubeum. Si vero liquor adiunctus eſſet tam paruæ quantitatis, quod non poſſet perfundi per totum, non fieret totum vinũ permixtum, ſed aliqua pars eius. Quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ: remaneret tamen eadem ſpecie, non ſolum ſi paruus liquor permixtus eſſet eiuſdem ſpeciei; ſed etiam ſi eſſet alterius ſpeciei: quia gutta aquæ multo vino permixta, tranſit in ſpeciem vini, vt dicitur in primo * de gener. Manifeſtum eſt autem ex prædictis *, quod corpus, & ſanguis Chriſti remanent in hoc ſacramento, quamdiu illę ſpecies manent eædem numero: conſecratur enim hic panis, & hoc vinum. Vnde ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcumque, quod pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti. Si verô fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quod non poſsit diffundi per totum, ſed vſque ad aliquam partem ſpecierum; deſinet eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamẽ ſub alia.

a. 1. & 2. huius qu.

te. 34. 39 et 88. to. 2

** a. 4. huius q. & q. 76 ar. 6, ad 3*

Ad primum ergo dicendum, quod Innocent. III. * dicit in quadã Decretal. quod ipſa accidentia vinũ appo-

in decre. l. 3. ti. 41. c. cũ Mar. §. Quæſiuiſti.

appoſitum videntur afficere: quia ſi aqua fuerit appoſita, vini ſaporem aſſumit. Contingit igitur accidentia mutare ſubiectum, ſicut & ſubiectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur. Hoc tamen non eſt ſic intelligendum, quaſi idem numero accidens, quod prius fuit in vino ante conſecrationem, poſtmodum fiat in vino appoſito; ſed talis permutatio fit per actionem. Nam accidentia vini remanentia, retinent actionem ſubſtantiæ ſecundum prædicta *, & ita immutando, afficiunt liquorem appoſitum. *in cor. art.*

Ad ſecundum dicendum, quod liquor appoſitus vino conſecrato nullo modo miſcetur ſubſtantiæ ſanguinis Chriſti: miſcetur tamẽ ſpeciebus ſacramentalibus. Ita tamen quod permixtione facta, corrũpuntur prædictæ ſpecies, vel in toto, vel in parte: ſecundum modum quo ſupra dictum eſt †, quod ex ſpeciebus illis poteſt aliquid generari. Et ſi quidem corrumpantur in toto, nulla iam remanet quæſtio, quia iam totum erit vniforme. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem vna dimenſio ſecundum continuitatem quantitatis, non tamen vna ſecundũ modum eſſendi, quia vna pars eius erit ſine ſubiecto, alia erit in ſubiecto. Sicut ſi aliquod corpus conſtituatur ex duobus metallis, erit vnum corpus ſecundum rationem quantitatis, non tamen vnum ſecundum ſpeciem naturæ. *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod ſicut Innocent. III. dicit in Decretal. prædicta *, Si poſt conſecrationem calicis aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non tranſit in ſanguinem, neque ſanguini commiſcetur: ſed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod ſub eis latet, vndique circumfunditur, non madidans circumfuſum. Quod quidem intelligendum eſt, quando non fit tanta permixtio liquoris extranei, quod ſanguis Chriſti deſinat eſſe ſub toto, tunc enim dicitur vndique circumfundi, non quia tangat ſanguinem Chriſti ſecundum eius proprias dimenſiones, ſed ſecundum dimenſiones ſacramẽtales, ſub quibus continetur. Nec eſt ſimile de aqua benedicta, quia illa benedictio nullam immutationem facit circa ſubſtantiã aquæ, ſicut facit conſecratio vini. *loc. cita in sol. 1. art.*

Ad quartum dicendum, quod quidã poſuerunt quod quantũcunque parua fiat extranei liquoris permixtio, ſubſtantia ſanguinis Chriſti deſinit eſſe ſub toto, & hoc ratione inducta †. Quæ tamen non cogit, quia magnum & paruum diuerſificãt quantitatem dimenſiuam, non quantum ad eius eſſentiam, ſed quantum ad determinationem menſuræ. Similiter etiam liquor appoſitus adeò poteſt eſſe paruus, quod ſua paruitate impeditur, ne diffundatur per totum, & non ſolum dimenſionibus, quæ licet ſint ſine ſubiecto, tamen obſtant alteri liquori, ſicut & ſubſtantia, ſi ibi adeſſet ſecundum ea quæ præmiſſa ſunt. *in argum.*

PRima concluſio D. Thomæ eſt, ſi ſpeciebus conſecratis tantus liquor, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei miſceretur, vt per omnẽ partẽ ſpecierũ diffunderetur, ita corrũperetur ſpecies, vt ſi vini ſubſtantia ibi eſſet, etiam corrumperetur, ac proinde ſanguis Chriſti ſub illis ſpeciebus poſt mixtionem non maneret.

Secunda cõcluſio, ſi liquor in parua quantitate miſceretur, ea ſolum pars ſpeciei corrũperetur, in qua liquor vndequaque diffunderetur. ac proinde in ea ſolum parte ſanguis deſineret eſſe.

Quæ conſonat doctrinæ articuli

culi tertij præcedētis, in quo vt vidimus docuit D. Thom. per diuiſionem, & additamētum corrumpi quantitatem, ita vt eadē numero non maneat.

Igitur ex omnibus his articulis concludimus cum ſancto Doctore species ſacramentales poſſe agere, vel pati omnes eas actiones, ſiue paſsiones poſt conſecrationem, quas poterant ante illam. Quorum omnium hæc vnica, & efficax ratio eſt: quia de accidentibus ſacramentalibus iudicandum eſt quantum ad actionem, & paſſionem, poſt conſecrationem, ſicut antea: ergo omnes actiones, & paſsiones accidentales, vel ſubſtantiales, quas ante conſecrationem agere, vel recipere poterant, pariter poſſunt agere, & recipere poſtea.

Quo ſuppoſito dumtaxat inquirendum nobis eſt, quo pacto quando ſpecies ſacramentales corrumpuntur, ſubſtantia quæ ibi ſuccedit, producatur? Pro cuius inueſtigatione ſequens dubium inſtituitur diſputandum.

Dubium eſt, quo modo, vel per quam actionem noua ſubſtantia producatur, quando ſpecies ſacramentales corrumpuntur?

IN quo dubio tres verſantur ſententiæ: prima negat omnino ex his ſpeciebus ſacramentalibus fieri generationem, vel nutritionē, quā ſequuti fuere Algerus lib. 2. de Euchariſtia cap. 1. Guitmundus lib. 2. de myſterio Euchariſtiæ, & Vvaldenſis tomo 2. de ſacramentis cap. 62. eo quod deeſt materia, ex qua fiat generatio, ſiue nutritio. Vnde ad apparētes experientias dicunt iſti auctores id, quod generari videtur, reuera nō eſſe, idquod apparet, vel ſi eſt, miraculoſe creari à Deo.

Rurſus dicunt hominem poſſe cōfortari odore, vel alteratione harum ſpecierum, non verò proprie nutriri. Tertio addunt, non decere hominem his ſpeciebus nutriri, quia opporteret aliquid earum in ſeceſſum mitti: quod valde indecens eſt.

Secunda ſententia eſt eorum, qui admittentes ex huiuſmodi ſpeciebus fieri poſſe, & de facto contingere generationē, ſiue nutritionem, dicunt hanc nouam ſubſtantiam fieri per creationem à ſolo Deo. Quam ſequuntur Scotus in 4 diſtinct. 22 quæſtion. 2. Durandus queſtion. 2. Maior quæſtion 4. Marſilius queſtion, 8, artic. 4. Gabriel lectione 45 ſuper Canon. Egidius Theoremate 44. & 45. Suarius diſputat. 58. cap. 3. & Vazquius diſputat. 185. capit. 3. *Refertur opinio Scoti, Suarij, & Vazquij dicentiū fieri ex ſpeciebus non à ſubſtātiam per creationem*

Quæ ſuadetur à ſuis authoribus: primo, quia deſitio ſpecierum ſacramentalium non eſt corruptio ſubſtantialis: ergo productio ſubſtantiæ ſubſequentis ad cuius poſitionem illa deſitio conſequitur, nō eſt ſubſtantialis generatio.

Antecedens eſt notum, nam deſitio ſpecierum terminatur ad accidens, & non ad ſubſtantiam: ergo non eſt ſubſtantialis corruptio: hæc enim debet pro termino ſubſtantiam habere: & conſequentia probatur ex communi axiomate: *generatio vnius eſt corruptio alterius*: ergo dum corruptio ſubſtantialis non eſt, nequit dari ſubſtātialis generatio, ergo relinquitur quod ſubſtantia ſuccedens ſpeciebus conſecratis, creatione producatur.

Secundo, quia tunc aliqua res per generationem producitur, quando ex præſuppoſita materia prima, agens educit formam ſubſtantialem illius rei, quæ de nouo fit, & in caſu præſenti non ſupponitur materia prima, ex qua agens poſsit educere formam ſubſtantialem vermis, vel ignis; v. g. qui ſuccedit ſpeciebus corruptis: ergo. probatur minor, quia talis materia prima, non eſt materia prima Chriſti, vt ſuppono neque aeris circunſtantis, vt probat Diu. Thomas ar. 5. neque alia materia, quæ fiat à Deo per creationem, vel per conuerſionem quantitatis in ipſam: quoniam huiuſmodi materia admiſſa, non poteſt agens naturale ex ea educere formam: eſt enim hęc materia omni diſpoſitione carens, ex materia autem indiſpoſita non valet agēs naturale formam educere; ergo.

Tertia ſententia aſſerit ex ſpeciebus ſacramentalibus huiuſmodi ſubſtantiam, quæ ſuccedit, fieri per generationem ex

ex præſuppoſito ſubiecto: hoc autem ſubiectum non eſſe materiam, ſed ſolam quantitatem ſufficere, vt ſubiectum eductionis talis formæ.

Quam communiter tuentur cum Diuo Thoma in hoc art. 5. eius diſcipuli. De quorum numero ſunt Capreolus diſtinct. 12. quæſtione vnica, ibidem Soto, Paludanus quæſtione 2. Herbeus queſt. 2. art. 3. Hiſpalenſis queſt. 1. notabili 4. Ricardus art. 2. quæſt. 2 Ferrara 4. contra gentes cap. 66. Henricus quodlibeto quæſtion, 36. Vigerius in ſumma verſu 9. de Euchariſtia, Ruardus art. 14, Caietanus, & Nuño in commentario dicti articuli quinti.

Defēditur ſētētia Thomiſtarū ſc. riverā generationē, ac nutritionem ex ſpeciebus.

Vndè pro eius declaratione dico primo: ex ſpeciebus ſacramentalibus vera fit generatio, atque etiam nutritio. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ opinionis; quam vt antiquatam, & omnino improbabilem iā Theologi a ſcholis relegarunt. Et noſtra concluſio oſtenditur, tum ratione illa communi in expoſitione litteræ adducta: nimirùm quod de accidentibus conſecratis philoſophandum eſt quātum ad actiones, & paſsiones, poſt conſecrationem; ſicut antea. Tum etiam, quia ſtultum omninò eſt experientias negare: conſtat autem experientia ex hoſtijs conſecratis vermes, & ignem generari, nō minus, quam ex nō conſecratis: in quibus effectibus non ſolum eſt externa ſpecies; ſiue apparentia, vtpote quia huiuſmodi effectus ſunt permanentes, atque eodem modo ſemper fiunt.

Per experientiam quoque conſtat effectus nutritionis: nam ſi aliquis homo integrum panem conſecratum comederet, non ſolum confortaretur, ſed etiam nutriretur, & ſaturaretur, eodem modo, atque ſi panem non conſecratum comederet. Tū denique, quia vel Deus eſt author horum effectuum: aut agens aliquod naturale: ſi primum, tam facile poteſt Deus illos vere efficere, ſicut fingere, ac proinde non eſt cur illos fingat: ſi ſecundum; agens naturale non poteſt eos fingere, aut ſimulare, neque ſunt hic plura miracula fingenda, quā ſint neceſſaria ad veritatem myſterij ſaluādam, & commendandam: ergo.

Dico ſecundo, quando ex speciebus ſacramentalibus aliqua ſubſtantia de nouo producitur; fit per veram generationem virtute agentis naturalis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ. & ſuadetur primo, quia accidentibus Euchariſtiæ conceditur id, quod concederetur, ſi proprium ſubiectum adeſſet: ſed tunc ſubſtātia ſuccedens vere generaretur virtute agentis naturalis: ergo.

Secundo, quia hæc accidentia non annihilantur in tali caſu, aliàs cum deſināt eſſe virtute naturalis agentis, naturale agens aliquid annihilaret: quod eſt fàlſum: ergo deſinunt eſſe, ita vt ſaluetur quod actio, ratione cuius deſinunt eſſe non terminetur ad purè nihil, ſed ad aliquid habens per ſe connexionem, cum eiſdem: ergo productio ſubſtātiæ ſuccedētis; nō eſt creatio quia creatio nō poteſt habere cū aliquo cōnexionē tanquam cum termino a quo, vel ex quo. Quæ ratio amplius confirmatur, quia cum non ſit quare res de nouo producta, ad cuius productionem ſequitur accidentium deſtructio, non dicatur vere genita, neque eſt cur ab hac ſententia D. Th. & communiter recepta, recedamus.

occurritur fundamētis cōtrariæ opinionis.

Vnde ad primum fundamentum pro ſecunda ſententia reſpondetur negando antecedens; vel diſtinguendo illud ſic, quod corruptio ſpecierum quantum eſt ex ſe ſit etiam ſubſtantialis ex conſequenti, nam ſpeciebus corruptis, corrumperetur neceſſario propria ſubſtātia ſi ibi eſſet: & hoc eſt ſatis vt actio ibi primo intenta ſit generatio, ſi adſit ſubiectum eductionis capax.

In cuius ſubiecti aſsignatione plures ſunt modi dicendi inter auctores noſtræ ſententiæ; omiſsis autem eis, qui nullo fundamēto fulciuntur; duos magis fundatos in medium proferam.

Primus affirmat ſubiectum illud ſubſtantialis eductionis eſſe quantitatem panis, ſic vt ſubſtantia ſubſequens; verbi gratia vermis, vel ignis cōponatur, tāquā ex partibus eſſentialibus ex quantitate panis, & forma ſubſtantiali ex tali quantitate educta. Quem tenet Ricardus, Henricus, Vigerius, & Ferrarienſis in locis nuper allegatis; habetque ipſorum iudicio magnum in Diuo Thoma fundamentum: etenim in fine corporis articuli quinti, hęc habet. *Melius videtur dicendum quod in ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſiuæ panis & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum, hoc autem eſt proprium materiæ, & ideò ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſiuæ omne illud quod ad materiam pertinet, &c.* Idem re-

petit

petit in ſolutionibus argumentorum, & 4. contra gentes, cap. 66. *Miraculosè* (inquit) *accidentibus cōfertur, quod ſubſiſtant, quod eſt proprium ſubſtantiæ, & per cōſequens quod omnia poſsint facere, & pati, quæ ſubſtantia poſsit facere, & pati, ſi ſubſtantia ad eſſet.* &c.

Denique in 4. diſtinction. 12. quæſtion. 1. articulo 2. quæſtiuncula 4. expræſsiora habet verba; concludens enim diſcurſum, ita ait, vnde ſicut dimenſionibus illis eſt datum vt ſubſiſtant, & ſubſint, & illud eſſe, quod eſt conforme eſſe prioris ſubſtātiæ, & terminationi quātitatis, & omnibus alijs accidentibus: ita etiam datur eis vt poſsint ſub eſſe, & alteri formæ naturali, & alijs accidentibus, quia de natura ſua non habent vt ſubſint tantū accidentibus, ſed etiam formæ ſubſtantiali, vt dictum eſt: & tunc vel ex conſequenti adueniet etiam materia propter concomitantiam naturalem formæ ad materiam, & hoc quodammodo redit in primum dictum, vt ſcilicet materia de nouo fiat, vel ipſi dimenſioni virtute diuina dabitur natura materiæ propter propinquitatem ad ipſam, vt ſic illud generatum ſit compoſitum ex materia & forma.

Hactenus Diuus Thomas, Fulcitur etiam ratione: quia ſubiectum eductionis formæ rei genitæ in præſenti debet eſſe illud ex quo agens naturale ſine nouo miraculo poſsit formam producere: at huiuſmodi eſt quantitas, quia quodcumque aliud aſsignetur, non poteſt ſubiectū eſſe, quin interueniat nouum miraculum: ſi enim materia creetur, vel redeat de nouo, nouum miraculum eſt, vt docet Diu. Thomas: ergo ſimiliter, ſi quantitas in materiam conuertatur, cum non ſit maior ratio illorum, quam huius.

Secundus modus eſt Capreoli, Caietani, & aliorum aſſerentium non poſſe quātitatē eſſe ſubiectum eductionis formę rei genitæ, ſed neceſſario ibi fieri de nouo materiam primam ſubſtantialem in primo inſtanti, in quo vermis, verbi gratia, vel ignis ex ſpeciebus generatur.

Et probant dupliciter primo, a priori quia quantitas nequit eſſe potentia receptiua formæ ſubſtantialis, cum ſit diuerſi generis a tali forma: ergo nō poteſt locū materiæ primæ habere. Neq; valet dicere hoc pręberè ex natura rei: non inquam valet, quia neque potentiam obedientialem ad illud habet: etenim ex re habente potētia obedientialem ad recipiendam formam ſubſtantialem, & ex forma recepta fit vnū per ſe ſubſtantiale: ſed in accidenti nō eſt ad hoc obedientia, vt de ſe patet: ergo.

Secundo ab inconuenienti. quia ſequeretur ex illa, quod vermis genitus ex ſpeciebus ſacramentalibus non eſſet eiuſdem rationis cum alio, qui ex eiſdem nō conſecratis generaretur, quod non eſſet vnum per ſe, & ſubſtantiale; quod ſi poſt varias transmutationes ſubiectum eius formam panis reciperet, non eſſe tota illa ſubſtantia conſecrabilis, quod perpetuū miraculum faceret Deus conſeruando talem quantitatem, vt ſubiectum formarum ſubſtantialium.

Quod etiam ſi quis ex ſolis ſpeciequs ſacramentalibus nutriretur, conſtaret de ſola anima tanquam parte ſubſtantialis & alia huiuſmodi: quæ abſurda videntur: ergo.

Cui modo dicendi fauet Diu. Th. art. 5. ad tertium, aſſerens quantitatem panis conſecrati, tranſire in ſubſtantiam, & dimenſionem, & art. 6. ad 2. ſubdit, non cōſtare ex ſpeciebus ſacramentalibus corpus hominis, conuerti tamen ſpecies in ea, ex quibus conſtat: vndè quando D. Thomas in locis adductis oppoſitum videtur affirmare, interpretandus eſt, vt tantum voluerit concedi quantitati, quod ratione ſui ſit ſubiectum diſpoſitionum antecedentium inſtans intrinſecum generationis, ac proinde & formæ ſubſtantialis in via, ſeu fieri conſideratæ, ratione verò materię primæ, inquam diuina virtute conuertitur, formæ ſubſtantialis receptæ, & aliarum ſubſequētium.

Ex quibus ad rationem factam pro primo modo dicendi neganda eſt min. Ad cuius probationem variè reſpondent Theologi. Alij enim cum Scoto, & Durādo, Suario, & Vazquio citatis pro ſecunda ſententia dicunt talem materiam primā produci per creationem, eo quod conuerſio debet fieri ex vi verborum conſecrationis ſub aliquo tertio communi vtrique termino, inter terminos incompoſsibiles; ſed in præſenti verba nō ſignificāt conuerſionem quantitatis panis in materiam primam neque datur tertium commune, nec materia prima, & quantitas panis ſunt inter ſe incompoſibilia: immo vt multi docent eadem quantitas numero panis remanet in ſubſtantia poſtea producta: ergo. *Præfertur ſolutio dicētiū materiā primā tunc fieri de nouo per conuerſionem quantitatis in ipſam.*

Alij verò cum D. Thoma licet reputent probabile: materiam primam crea

Cc ride

ri de nouo in vltimo inſtanti deſitionis ſpecierum: probabilius iudicant conuerſione quantitatis in ipsā produci, vt conſtat ex locis adductis : & hoc pacto dicunt dari quantitati in ipſa conſecratione, quod ſit ſubiectum ſubſequentium formarum, vtique per ſui in materiam conuerſionem. Et idcirco huic ſententiæ ſtandum eſt, quæ ſuadetur hac ratione: vitanda ſunt in præſenti noua miracula, ſi fieri poteſt: ſed ponendo materiam produci per conuerſionē dictam, & non per creationem, noua miracula vitātur: ergo. Probatur min. quia ponendo produci per creationem, neceſſariū eſt dicere in opinione communi Thomiſtarum quantitatem panis annihilari: & inſuper Deum exercere actionem ex nullo præſuppoſito, neque tanquam ſubiecto, neque tanquam termino à quo: quæ actio aliquid maius eſt, quam illa quæ aliquid ſupponit: ergo. Explicatur vis huius rationis, quia miraculum eſt, quod conuertatur quantitas in primam materiam, & quod hac conuerſione fiat: miraculum etiam eſt quod quantitas annihiletur, & materia hīc crearetur: cæterum conuerti quantitatem in materiam, hoc exigitur a priori miraculo; non tamen exigitur quod quantitas annihiletur, & materia creetur, ac ſubinde ita fieri, nouum miraculum eſſet, porrò non exigi hoc miraculum, ſcilicet materiā creari, & annihilari quantitatem patet, ex eo quod intra ordinem productionum, & deſitionum quæ in præſenti exerceri poſsūt facilius eſt quantitatem deſinere per conuerſionem, & materiam per eamdem produci, quam per annihilationem, quantitatem, & materiam per creationem: hoc ergo nouum miraculum cenſeretur: non vero illud: nam myſterium exigit id cum quo facilius conſiſtere poteſt.

Vnde ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondetur negando maiorem quantum ad duas partes; & prima falſificatur in ſententia contraria, in qua non ſignificant verba materiam creari, & tamē creari aſſerit ipſa: ita ſufficit verba ſignificare, & efficere aliquid poſtulans, vt poſtea quantitas conuertatur à Deo in materiam primam.

Secunda etiam falſa eſt, vt conſtat ex dictis tractando conuerſionis conditiones vt ſic: & conceſſa prædicta maiori quātum ad vltimam partem: dico, quantitatem & materiam in quam conuertitur, reddi incompoſibilia, vel ad modum quo ſubſtantia panis, & corpus Chriſti, vel quo, quantitas panis pugnat cum materia prima rei genitæ poſt panem, cum non poſsit de ſubiecto in ſubiectum migrare.

Ex quibus manet reſponſum ad primum fundamentum ſecundæ ſentētiæ. Ad ſecundum autem reſpōdetur iuxta doctrinam communem Thomiſtarum aſſerētium nulla accidentia corrupti manere in genito, ſed fieri reſolutionem vſque ad primam materiam; quod quia quantitas quæ conuertitur eſt à naturali agente diſpoſita, vt ſuccedat forma vermis v. g. & non alia: & ad eandem formam diſponeretur materia prima panis, ſi ſub eadem quantitate eſſet: ideò, & ſimul ratione præſentiæ huius agentis, & non alterius, cuius actio nō ceſſabit, vſque ad conſummandam generationem, materia de nouo producta eſt diſpoſita ſufficienter, vt prædictum agens hanc formam educat.

Quibus addere licet, quod ratione dictorum etiam debeatur materiæ primæ in quam fit conuerſio quidam modus ſubſtātialis ratione cuius potius ad hanc numero formam, quam ad aliam trahatur.

(? ¿ ?)

QVAE-

QVAESTIO LXXVIII.

De forma ſacramenti Euchariſtiæ, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hæc ſit forma huius ſacramenti, Hoc eſt corpus meum; *&* Hic eſt calix ſanguinis mei?

4. d. 8. q. 2 ar. 2. & 3. AD primum ſic proceditur. Videtur, quod hæc non ſit forma huius ſacramenti, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt calix ſanguinis mei. Illa enim verba videntur pertinere ad formam huius ſacramenti, quibus Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem conſecrauit. Sed Chriſtus ante benedixit panem acceptum, & poſtea dixit, accipite & comedite, hoc eſt corpus meum; (vt habetur Matth. 26.) & ſimiliter fecit de calice. Ergo prædicta verba non ſunt forma huius ſacramenti.

2 Preterea, Euſebius Emiſſenus dicit †, quod inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſuum corpus cõuertit, dicens, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam huius ſacramenti. Et eadem ratio eſt de verbis pertinentibus ad ſanguinem.

Refertur de cõſ. d. 2 c. quia corpus aſſũptũ

3 Præterea, in forma baptiſmi exprimitur perſona miniſtri, & actus eius, cũ dicitur, Ego te baptizo. Sed in præmiſſis verbis nulla fit mentio de perſona miniſtri, nec de actu eius. Ergo non eſt conueniens forma ſacramenti.

4 Præterea, forma ſacramenti ſufficit ad perfectionem ſacramenti: vnde ſacramentum baptiſmi quandoque perfici poteſt ſolis verbis formæ prolatis, omnibus alijs prætermiſſis. Si ergo prædicta verba * ſunt forma huius ſacramẽti, videtur quod aliquando poſſit hoc ſacramentum perfici his ſolis verbis prolatis, & omnibus alijs prætermiſſis, quæ in Miſſa dicuntur. Quod tamen videtur eſſe falſum: quia vbi verba alia prætermitterentur, prędicta verba * acciperentur ex perſona ſacerdotis proferẽtis, in cuius corpus & ſangui-

* in arg. 1 ſita.

* Ibid.

nem panis & vinum non conuertuntur. Non ergo prædicta verba ſunt forma huius ſacramenti.

lib. 4. c. 4. paulò à princ. tom. 4.

Sed contra eſt, quod Ambroſ. * dicit in lib. de ſacramentis. Conſecratio fit verbis, & ſermonibus Domini Ieſv: nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem ſacramentum conficitur, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos vtitur, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum.

Reſpondeo dicendum, quod hoc ſacramentum ab alijs ſacramentis differt in duobus. Primo quidem, quantum ad hoc, quod hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ: alia verô ſacramenta perficiuntur in vſu materiæ conſecratæ.

Secundo, quia in alijs ſacramentis conſecratio materiæ conſiſtit ſolum in quadam benedictione, ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quamdam ſpiritualē virtutem, quæ per miniſtrum, qui eſt inſtrumentum animatum, poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere. Sed in hoc ſacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa conuerſione ſubſtantiæ, quæ â ſolo Deo perfici poteſt. Vnde miniſter in hoc ſacramento perficiendo non habet alium actum niſi prolationem verborum. Et quia forma debet eſſe conueniens rei, ideô forma huius ſacramenti differt â formis aliorum ſacramentorum in duobus. Primo quidem, quia formæ aliorum ſacramentorum importāt vſum materię puta baptizationem vel conſignationem: ſed forma huius ſacramē ti importat ſolam conſecrationem materiæ, quę in tranſſubſtantiatione conſiſtit: puta cum dicitur, hoc eſt corpus meum; vel, Hic eſt calix ſanguinis mei. Secundo, quia formę aliorum ſacramentorum proferūtur ex perſona miniſtri; ſiue per modum exercentis actum, ſicut cum dicitur, Ego te baptizo, vel, Ego te confirmo ſiue per modum imperantis, ſicut in ſacramento ordinis dicitur, Accipe poteſtatem, &c. ſiue per modum deprecantis, ſicut cum in ſacramento Extremæ vnctionis dicitur, Per iſtam vnctionem, & noſtrā intercesſionem, &c. Sed forma huius ſacramenti profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquentis: vt detur intelligi quod miniſter in perfectione huius ſacramanti nihil agit, niſi quod profert verba Chriſti.

Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc eſt multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Chriſtus qui habebat poteſtatem excellentiæ in ſacramentis, abſque omni forma verborum hoc ſacramentū perfecit; & poſtea verba protulit, ſub quibus alij poſtmodum cōſecrarēt. Quod videntur ſonare verba Innocentij III. * dicentis, Sane dici poteſt, quod Chriſtus virtute diuina cō fecit, & poſtea formam expreſsit, ſub qua poſteri benedicerent. Sed contra hoc expręſſê ſunt verba Euangelij in quibus dicitur, quod Chriſtus benedixit: quę quidem benedictio aliquibus verbis facta eſt. Vnde prædicta verba Innocentij ſunt opinatiue magis dicta, quam determinatiuê. Quidam autem dixerunt, quod benedictio illa facta eſt quibuſdam alijs verbis nobis ignotis. Sed nec hoc ſtare poteſt: quia benedictio conſecrationis nunc perficitur per recitationem eorum quę tunc acta ſunt. Vnde ſi tunc per hæc verba non eſt facta conſecratio, nec modo fieret. Et ideo alij dixerunt, quod illa benedictio eiſdem etiam verbis facta eſt, quibus modo fit: ſed Chriſtus

Id hēt in l. 4. de ſacro altaris myſterio, c. 6. cir. fin.

Digitized by Google

ſtus ea bis protulit. Primo quidem ſecretè ad conſecrandum: ſecundo manifeſtê ad inſtruendum. Sed nec hoc ſtare poteſt: quia ſacerdos conſecrat, proferens hæc verba, non vt â Chriſto in occulta benedictione dicta, ſed vt publice prolata. Vnde cũ non habeant vim huiuſmodi verba, niſi ex Chriſti prolatione, videtur quod etiam Chriſtus manifeſte ea proferens conſecrauerit. Et ideo alij dixerunt, quod Euangeliſtæ nõ ſemper eumdem ordinem in recitando ſeruauerũt quod res ſunt geſtę: vt pa-

l. 2. colligitur ex c. 30 & 31. & 44. tom. 44 tet per Auguſtin. in * lib. de Conſenſũ Euangeliſtarum. Vnde intelligendum eſt ordinem rei geſtæ ſic exprimi poſſe: accipiens panem benedixit dicens, hoc eſt corpus meum; & deinde fregit, & dedit diſcipulis ſuis. Sed idem ſenſus haberi poteſt etiam verbis Euangelij non mutatis: nã hoc participium, dicens, concomitantiã quandam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Non autem opportet quod hæc concomitãtia intelligatur ſolum reſpectu vltimi verbi prolati: quaſi Chriſtus tunc iſta verba protulerit, quando dedit diſcipulis ſuis. Sed poteſt intelligi cõcomitantia reſpectu totius præcedẽtis; vt ſit ſenſus, dum benediceret, frãgeret, & daret diſcipulis ſuis, hęc verba dixit, accipite, &c.

Ad ſecundum dicendũ, quod in his verbis, accipite & comedite, intelligitur vſus materiæ conſecratæ: qui non eſt de neceſsitate huius ſacra-

q. 74. art. 7 mẽti (vt ſupra habitum eſt *). & ideo nec hæc verba ſunt de ſubſtantia formæ. Quia tamen ad quamdam perfectionem ſacramẽti pertinet materiæ conſecratæ vſus (ſicut operatio non eſt prima, ſed ſecunda perfectio rei), ideo per omnia iſta verba exprimitur tota perfectio huius ſacramenti: & hoc modo Euſeb. intellexit * his

lo. ci. in arg. verbis confici ſacramentum, quantũ ad primam & ſecundam perfectionem ipſius.

Ad tertium dicendum, quod in ſacramento baptiſmi, miniſter aliquẽ actum exercet circa vſum materiæ, qui eſt de eſſentia ſacramenti: quod non eſt in hoc ſacramento. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad quartum dicendum, quod quidam dixerunt, hoc ſacramentum perfici nõ poſſe, prædictis verbis prolatis, & alijs prætermiſsis, præcipue quę ſunt in canone Miſſæ. Sed hoc patet eſſe falſum, tum ex verbis Ambroſ. * ſupra inductis, tum etiã quia *in arg. ſed contr.* canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora; ſed diuerſa ſunt â diuerſis appoſita. Vnde dicendum eſt, quod ſi ſacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc ſacramentum, perficeretur hoc ſacramẽtum: quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerẽtur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiam ſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Grauiter tamen peccaret ſacerdos ſic conficiens hoc ſacramentum, vtpotê ritũ Eccleſię non ſeruans. Nec eſt ſimile de baptiſmo, quod eſt ſacramentum neceſsitatis; defectum autem huius ſacramenti poteſt ſupplere ſpiritua- *tra. 26 in Io. 10. 9 Colligitur etiam ex eo quod ex Aug. refertur de cõſ. d. 4 c. nulli* lis manducatio, ſicut Auguſtin. * dicit.

Conclusio affirmans eſt, probatque S. Doctor conuenientiam formæ huius ſacramenti ex diſcrimine quod inter illam, & formas aliorum ſacramentorum verſatur: nã cum reliqua ſacramenta perficiantur in vſu materiæ conſecratæ, aut benedictæ, habent formas denotantes, non conſecrationem, ſed vſum materiæ conſecratæ: at verò cum hoc ſacramentum perficiatur in conſecratione materiæ, habet formam non denotantem vſum illius, ſed conſecrationem.

ART. II.

Vtrum hæc ſit conueniens forma conſecrationis panis, Hoc eſt corpus meum?

Sup. q. 60. a. 8. co. & q. 85. a. 2. co. & inf. q. 83. art. 4. ad 1. & q. 84. art. 3. co. & 4. d. 8. q. 2. ar. 1. q. 1. & 2. & ar. 4. q. 3. & 1. Co. 11. le. 5. co. 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod hæc nõ ſit conueniens forma conſecrationis panis, hoc eſt corp⁹ meũ. Per formam enim ſacramenti debet exprimi ſacramenti effectus. Sed effectus, qui fit in conſecratione panis eſt conuerſio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, quæ magis exprimitur per hoc verbum, Fit, quàm per hoc verbum, Eſt. Ergo in forma conſecrationis deberet dici, hoc fit corpus meum.

2 Præterea, Ambroſ. * dicit in lib. de ſacramentis, Sermo Chriſti hoc conficit ſacramentum: quis ſermo Chriſti? hic, quod factã ſunt omnia. Iuſsit Dominus, & facta ſunt cęli & terra. Ergo & forma huius ſacramenti conuenientior eſſet per verbũ imperatiuum, vt diceretur, hoc fit corpus meum.

* l. 4. c. 4. nõ procul. à pri. to. 4.

3 Præterea, Per ſubiectum huius locutionis importatur illud quod conuertitur, ſicut per prædicatũ importatur conuerſionis terminus. Sed ſicut eſt determinatum id in quod fit conuerſio (non enim fit conuerſio niſi in corpus Chriſti) ita eſt determinatum id quod conuertitur: non enim conuertitur in corpus Chriſti niſi panis. Ergo ſicut ex parte prædicati ponitur nomen, ita ex parte ſubiecti debet poni nomen, vt dicatur, hic panis eſt corpus meum.

4 Præterea, Sicut id, in quod terminatur conuerſio, eſt determinatæ naturæ (quia eſt corpus) ita etiam eſt determinatę perſonæ. Ergo ſicut ad determinandum naturam dicitur corpus, ita ad determinandam perſonam deberet dici, hoc eſt corp⁹ Chriſti.

5 Pręterea, In verbis formæ nõ debet poni aliquid, quod non ſit de ſubſtantia eius. Inconuenienter ergo additur in quibuſdam libris hæc coniunctio, Enim, quæ nõ eſt de ſubſtantia formæ.

Sed contra eſt, quod Dominus hac forma in conſecrãdo eſt vſus, vt patet Matthęi 26.

Reſpondeo dicendum, quod hæc eſt conueniens forma conſecrationis panis. Dictũ eſt enim, * quod hæc conſecratio conſiſtit in conuerſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti. Oportet autem formam ſacramẽti ſignificare id, quod in ſacramento efficitur. Vnde & forma conſecrationis panis debet ſignificare ipſam conuerſionem panis in corpus Chriſti. In qua tria conſiderantur, ſcilicet ipſa conuerſio, & terminus à quo, & terminus ad quem. Conuerſio autẽ poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt in fieri: alio modo, vt in facto eſſe. Non autem debuit ſignificari conuerſio in hac forma, vt in fieri, ſed vt in facto eſſe. Primo quidem, quia hæc conuerſio non eſt ſucceſsiua, vt ſupra dictum eſt †, ſed inſtantanea. In huiuſmodi autem mutationibus fieri, non eſt niſi factum eſſe. Secundo, quia ita ſe habent formę ſacramentales ad ſignificandum effectum ſacramenti, ſicut ſe habent formę artificiales ad repræſentandum effectum artis. Forma autem artificialis, eſt ſimilitudo vltimi effectus, in quem fertur intẽtio artificis: ſicut

* art. præc.

† q. 75. a. 7

forma

forma artis in mente ædificatoris, eſt forma domus ædificatæ principaliter: ędificationis autem per conſequens. Vnde & in hac forma debet exprimi conuerſio, vt in facto eſſe, ad quod fertur intentio. Et quia ipſa conuerſio exprimitur in hac forma, vt in facto eſſe, neceſſe eſt quod extrema conuerſionis ſignificentur, vt ſe habent in facto eſſe conuerſionis. Tunc autem terminus ad quem, habet propriam naturam ſuæ ſubſtātiæ: ſed terminus a quo, non manet ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed ſolum ſecundum accidentia, quibus ſenſui ſubiacet, & ad ſenſum determinari poteſt. Vnde conuenienter terminus conuerſionis a quo, exprimitur per pronomen demonſtratiuum relatum ad accidentia ſenſibilia, quæ manent: terminus autem ad quem exprimitur per nomen ſignificans naturam eius, in quod fit cōuerſio. Quod quidem eſt totum corpus Chriſti, & non ſola caro eius, vt dictum eſt*. [q 76. a. 1 ad 2.] Vnde hæc forma eſt cōuenientiſsima, hoc eſt corpus meum.

Ad primum ergo dicendum, quod fieri non eſt vltimus effectus huius conſecrationis; ſed factum eſſe, vt dictum eſt*. [in cor. art.] Et ideo hoc potiꝰ exprimi debet in forma.

Ad ſecundum dicendum, quod ſermō Dei, operatus eſt in creatione rerum, qui etiam operatur in hac cōſecratione: aliter tamen, & aliter Nā hic operatur effectiue, & ſacramentaliter, ideſt, ſecundum vim ſignificationis. Et ideô opportet in hoc ſermone ſignificari vltimum effectum conſecrationis per verbum ſubſtantiuum indicatiui modi, & præſentis tēporis. Sed in creatione rerum operatus eſt ſolum effectiuè: quæ quidem efficientia eſt per imperiū ſuæ ſapientiæ. Et ideo in creatione rerū exprimitur ſermo diuinus per verbū imperatiui modi: ſecundū illud Geneſ. 1. fiat lux, & facta eſt lux.

Ad tertium dicendum, quod terminus â quo in ipſo facto eſſe cōuerſionis, non retinet naturam ſuę ſubſtantiæ, ſicut terminus ad quem. Et ideo non eſt ſimile.

Ad quartum dicendum, quod per hoc pronomen, Meum, quod includit demonſtrationem primæ perſonæ (quę eſt perſona loquentis) ſufficienter exprimitur perſona Chriſti ex cuius perſona hæc proferūtur, vt dictum eſt. [a. præ. et a. 1]

Ad quintum dicendum, quod hæc coniunctio, Enim, apponitur in hac forma ſecundum conſuetudinē Romanæ Eccleſiæ, â Beato Petro Apoſtolo deriuatam: & hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Et ideo nō eſt de forma; ſicut nec verba præcedentia formam.

IN hoc articulo inquirit D. Thom. determinatè & ſpecialiter de conuenientia formæ conſecrationis corporis: ſicut in ſequente de conuenientia formæ conſecrationis calicis.

Concludit igitur in præſenti articulo conuenientiam formæ conſecrationis corporis in eo eſſe, vt ſignificet conuerſionem, quæ fit in hoc ſacramento dum cōſecratur, quo modo autem eam denotet, & aliquo modo exprimat terminum à quo, & ad quem illius, Fuſius explicat. An autem præter illa verba, quibus Eccleſia Latina, comuniter vtitur in hac forma, aliqua alia pertineant ad eſſentiam illius, non diſputat.

Digitized by Google

ART. III.

Vtrùm hæc ſit conueniens forma conſecrationis vini, Hic eſt calix ſanguinis mei, *&c.*

4.d.8.q.2 a.2.q.1.&3 et 1.Co. 11.lec.6. co.3 4 & 5.q.76.a. 1.& 2.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod hęc non ſit conueniens forma conſecrationis vini, hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Sicut enim panis cõuertitur in corpus Chriſti ex vi conſecrationis, ita & vinum in ſanguinẽ Chriſti, ſicut ex prædictis patet*. Sed in forma conſecrationis panis, ponitur in recto corpus Chriſti, nec aliquid aliud additur. Incõuenienter ergo in hac forma ponitur ſãguis Chriſti in obliquo, & additur calix in recto, cum dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei.

2 Præterea, Non ſunt maioris efficaciæ verba quę proferuntur in conſecratione panis, quam ea quę proferuntur in conſecratione vini, cum vtraque ſint verba Chriſti. Sed ſtatim dicto, hoc eſt corpus meum, eſt perfecta conſecratio panis. Ergo ſtatim cum dictum eſt, hic eſt calix ſanguinis mei, eſt perfecta conſecratio ſanguinis: & ita ea quæ ſequuntur, non videntur eſſe de ſubſtantia formæ, præſertim cum pertineant ad proprietates huius ſacramenti.

3 Præterea, Teſtamentum nouum pertinere videtur ad internã inſpirationem: vt patet ex hoc quod Apoſtol. ad Heb 8. introducit verba quæ habentur Hier. 31. Conſummabo ſuper domum Iſrael Teſtamentũ nouum, dando leges meas in mentẽ eorum. Sacramentum autem exterius viſibiliter agitur. Inconuenienter ergo in forma ſacramenti dicitur noui Teſtamenti.

4 Præterea, Nouum dicitur aliquid ex eo quod eſt prope principium ſui eſſe. Aeternum autem non habet principium ſui eſſe. Ergo inconuenienter dicitur, noui & æterni quia videtur contradictionem implicare.

5 Præterea, Occaſiones erroris ſunt hominibus ſubtrahendæ, ſecundum illud Iſai 57. Auferte offendicula de via populi mei. Sed quidã errauerunt æſtimantes myſticê ſolũ eſſe corpus & ſanguinem Chriſti in hoc ſacramento. Ergo in hac forma inconuenienter ponitur myſterium fidei.

6 Præterea, ſupradictum eſt †, quod ſicut baptiſmus eſt ſacramentum fidei, ita Euchariſtia eſt ſacramẽtum charitatis. Ergo in hac forma magis debet poni charitas, quam fides. q.73.a.3 ad 3.

7 Præterea, Totum hoc ſacramentum, & quantum ad corpus, & quantum ad ſanguinẽ, eſt memoriale Dominicę paſsionis, ſecundum illud primæ Corinth. 11. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annũtiabitis. Non ergo magis debuit in forma conſecrationis ſanguinis, fieri mentio de paſsione Chriſti & eius fructu, quâm in forma conſecrationis corporis; præſertim cum Lucæ 22. Dominus dixerit, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.

8 Prętereà, Paſsio Chriſti (vt ſupra habitum eſt *) ad ſufficientiam *q. 48. & 49. a. 2.* profuit omnibus: quantum vero ad efficientiam, profuit multis. Debuit ergo dici, Qui effundetur pro omnibus aut pro multis, ſine hoc quod adderetur, pro vobis.

9 Præterea, Verba quibus hoc ſacramentum conficitur, efficaciam habent ex inſtitutione Chriſti. Sed nullus Euangeliſta recitat Chriſtum hæc omnia verba dixiſſe. Ergo hęc non eſt conueniens forma conſecrationis vini.

Sed contra eſt, quod Eccleſia *De celeb. miſſ. c. cũ Martha.* ab Apoſtolis inſtructa †, vtitur hac forma in conſecratione vini.

Reſpondeo dicendum, quod circa hãc formam eſt duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod de ſubſtantia formæ huius eſt hoc ſolum quod dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei: non autem ea quæ ſequuntur. Sed hoc videtur inconueniens, quia ea quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, ideſt ſanguinis Chriſti. Vnde pertinent ad *al. non habetur ly eiuſdem.* integritatem eiuſdem * locutionis. Et propter hoc ſunt alij qui melius dicunt, quod omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ vſque ad hoc, quod poſtea ſequitur, Hoc quotieſcumque feceritis: quod pertinet ad vſum huius ſacramenti: vnde nõ eſt de ſubſtãtia formæ. Et inde eſt, quod ſacerdos eodem ritu, & modo, ſcilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Luc. etiam 22 interponuntur verba ſequentia verbis pręmiſsis cum dicitur, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Dicẽdũ eſt ergo, quod omnia *poſt 2 in argum. 1.* prædicta † verba ſunt de ſubſtãtia formæ. Sed per prima verba, cũ dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur *art. præce.* ipſa cõuerſio vini in ſanguinẽ, eo modo quo dictũ eſt † in forma conſecrationis panis. Per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſsione, quæ operatur in hoc ſacramento. Quæ quidem ad tria ordinatur. Primo quidem, & principaliter ad adipiſcendam æternam hæreditatem; ſecundum illud Heb. 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti. Et ad hoc deſignandum dicitur, noui & æterni teſtamẽti. Secundo, ad iuſtitiã gratiæ, quæ eſt per fidem, ſecundum illud Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidẽ in ſanguine ipſius, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eũ, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti: & quãtum ad hoc ſubditur, myſteriũ fidei. Tertio autem ad remouendum impedimenta vtriuſque prædictorum, ſcilicet peccata, ſecundum illud Hebr. 9. Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ideſt à peccatis. Et quantum ad hoc ſubditur, Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionẽ peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod cũ dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei, eſt locutio figuratiua. Et poteſt dupliciter intelligi. Vno modo ſecundum metonymiã, qua ponitur continens pro contento, vt ſit ſẽſus, Hic eſt ſanguis meus cõtentus in calice, de quo fit hic mentio, quia ſanguis Chriſti in hoc ſacramẽto conſecratur, in quantũ eſt potus fidelium, quod nõ importatur in ratione ſãguinis: & ideo oportuit hoc deſignari per vas huic vſui accõmodatũ. Alio modo poteſt intelligi ſecũdũ metaphorã, prout per calicẽ ſimilitudinariè intelligitur paſsio Chriſti, quæ ad ſimilitudinẽ calicis inebriat (ſecũdũ illud Thr. 3. Repleuit me amaritudinibꝰ: inebriauit me abſinthio: vnde & ipſe Dñs paſsionẽ ſuã, calicẽ nominat, Matth. 26. dicẽs, Trãſeat à me calix iſte.) Vt ſit ſenſus, hic eſt calix paſſionis meæ, de qua fit mentio in ſan-

guine ſeorſum à corpore conſecrato. quia ſeparatio ſanguinis à corpore fuit per paſsionem.

Ad ſecundum dicēdum, quod quia (vt dictum eſt †) ſanguis ſeorſum conſecratus, expreſsé paſsionē Chriſti repreſentat: ideo potius in cōſecratione ſanguinis fit mentio de effectu paſsionis, quam in conſecratione corporis, quod eſt paſsionis ſubiectum. Quod etiam deſignatur in hoc quod Dominus dicit, Quod pro vobis tradetur: quaſi diceret, Quod pro vobis paſsioni ſubijcietur.

in cor. art. & q. 76. a. 2. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod Teſtamentum eſt diſpoſitio hæreditatis. Hæreditatem autem cœleſtem diſpoſuit Deus hominibus dandam per virtutē ſanguinis Ieſu Chriſti: quia vt dicitur Heb. 9 Vbi eſt Teſtamentum, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Sanguis autem Chriſti dupliciter eſt hominibus exhibitus. Primo quidem in figura, quod pertinet ad vetus Teſtamentum. Et ideo Apoſtolus ibidem concludit, Vnde nec primum Teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt. Quod patet ex hoc, quod dicitur Exod. 24. Lecto omni mādato legis à Moiſe, omnem populum aſperſit, dicens, Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. Secundo autem eſt exhibitus in rei veritate: quod pertinet ad nouum Teſtamentum. Et hoc eſt quod Apoſtolus ibidem præmittit dicens, Ideo noui Teſtamenti mediator eſt Chriſtus, vt morte intercedente, repromiſsionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. Dicitur ergo hic ſanguis noui teſtamenti, quia iam non in figura, ſed in veritate exhibetur: vnde ſubditur, Qui pro vobis effundetur. Interna autem inſpiratio ex huius ſanguinis virtute procedit, ſecundum quod paſsione Chriſti iuſtificamur.

Ad quartum dicendum, quod hoc teſtamentum eſt nouum ratione exhibitionis. Dicitur autem æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione ęternæ hæreditatis, quæ per hoc teſtamētum diſponitur. Ipſa etiam perſona Chriſti, cuius ſanguine teſtamentum diſponitur, eſt æterna.

Ad quintum dicendum, quod myſterium hic ponitur, non quidem ad excludendam rei veritatem, ſed ad oſtendendam occultationē: quia & ipſe ſanguis Chriſti occulto modo eſt in hoc ſacramento, & ipſa paſſio Chriſti occulté fuit figurata in veteri teſtamento.

Ad ſextum dicendum, quod dicitur myſterium fidei, quaſi fidei obiectum: quia quod ſanguis Chriſti ſecundum veritatem ſit in hoc ſacramento, ſola fide tenetur: ipſa etiam Chriſti paſsio per fidem iuſtificat. Baptiſmus autem dicitur ſacramentum fidei, quia eſt quædam fidei proteſtatio. Hoc autem eſt ſacramentum charitatis, quaſi figuratiuum, & effectiuum.

Ad ſeptimum dicendū, quod (ſicut dictum eſt *) ſanguis ſeorſum conſecratus à corpore, expreſsius repræſentat paſsionem Chriſti. Et ideo potius in conſecratione ſanguinis fit mentio de paſsione Chriſti, & fructu ipſius, quam in cōſecratione corporis.

in ſol. ad 2 & locis ibi citatis.

Ad octauum dicendum, quod ſanguis paſsionis Chriſti, non ſolum habet efficaciam in Iudæis electis, quibus exhibitus eſt ſanguis veteris teſtamenti, ſed etiā in Gentilibus, nec ſolum in ſacerdotibus, qui hoc conficiunt ſacramentum, vel alijs qui ſumunt, ſed etiā in illis pro quibus offertur. Et ideo ſignanter dicit, pro vobis Iudæis, & pro multis, ſcilicet Gētilibus, vel pro vobis manducātibus, & pro multis pro quibus offertur.

Ad

Ad nonum dicendum, quod Euangeliſtæ non intendebant tradere formas ſacramentorum, quas in primitiua Eccleſia oportebat eſſe occultas: vt dicit Dionyſ. * in fine Eccleſ. Hier. Sed intenderunt hiſtoriam de Chriſto texere. Et tamen hæc omnia fere verba ex diuerſis Scripturæ locis accipi poſſunt. Nam quod dicitur, hic eſt calix; habetur Luc. 22. & primæ Cor. 11. Matth. autem 26. dicitur, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quod autem additur, æterni: & iterum, Myſterium fidei: ex traditione Domini habetur, quæ ad Eccleſiam per Apoſtolos peruenit ſecundum illud 1. Cor 11 Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.

ca. 7. eccl. hier. p. 3. int. med. et fin.

Conclusio eſt, quod verba omnia, quibus pro forma vtitur Eccleſia Latina in conſecratione vini, ſunt de ſubſtantia formę Quã quam titulus articuli eſt de conuenientia formæ conſecrationis vini ſicut in præcedenti articulo, non autem de verbis pertinentibus ad eſſentiam, ſeu ſubſtantiam illius: nihilominus Diuus Thomas nihil reſpondet de conuenientia, ſed de verbis pertinentibus ad ſubſtantiam formæ. Explicans vero quo pacto omnia verba pertineant ad ſubſtantiam, non obſcure indicat conuenientiam formæ cum ait, priora verba ſignificare conuerſionem, ſicut de forma conſecrationis corporis dixerat in precedente articulo: poſteriora vero, nempè illa, *qui pro vobis, &c.* denotare effectum ſacramenti: ideò autem de verbis, quæ addi poſſent formæ cõſecrationis nihil quę ſiuit in præcedẽti articulo, quia Eccleſia Latina talibus verbis nequaquam vtitur.

ART. IIII.

Vtrum prædictis verbis formarum inſit aliqua vis creata, effectiua conſecrationis?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod prædictis verbis * formarum non inſit aliqua vis creata, effectiua conſecrationis. Dicit enim Damaſcen. * in 4 lib. Sola virtute Spiritus ſancti fit conuerſio panis in corpus Chriſti. Sed virtus Spiritus ſancti eſt virtus increata. Ergo nulla virtute creata horum verborum conficitur hoc ſacramentum.

inf. art. 5 cor. & 4 di. 1. q 1. ar. 4 q 2. a. 3 & d. 10. in expoſ. lit. ad 6. & 7. a. 2 & 3 or. th. fid. ca. 14. circa med.

2 Præterea, Opera miraculoſa non fiunt aliqua virtute creata, ſed ſola virtute diuina, vt in prima parte habitum eſt *. Sed conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, eſt opus non minus miraculoſum, quam creatio rerum, vel etiam formatio corporis Chriſti in vtero virginali, quæ quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc ſacramentum conſecratur aliqua virtute creata dictorum verborum.

1. p q. 110 ar. 4.

3 Præterea, Prædicta verba * nõ ſunt ſimplicia, ſed ex multis compoſita: nec ſimul, ſed ſucceſsiuè proferuntur. Conuerſio autem prædicta (vt ſupra dictum eſt *) fit in inſtanti, vnde oportet, quod fiat per ſimplicẽ virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

poſita in ar. 2. & 3. in arg. 1.
q. 75. a. 7

Sed contra eſt, quod Ambr. dicit in libro de ſacrament. Si tanta eſt vis in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur?

li. 4. c 4 ante med. to. 4.

tur? Et ſic quod erat panis ante conſecrationem, iam corpus Chriſti eſt poſt conſecrationem: quia ſermo Chriſti creaturam mutat.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt nullam virtutem creatam eſſe nec in prædictis verbis † [*ar 2 & 3. poſitis in argum. 1.*] ad tranſubſtantiationem faciendam, nec etiam in alijs ſacramẽtorum formis, vel etiam in ipſis ſacramentis ad inducendos ſacramentorum effectus. Quod (ſicut ſupra habitum eſt†) [*q.62.a.1. 2, 3. & 4.*] ex dictis ſanctorum repugnat, & derogat dignitati ſacramentorum nouæ legis. Vnde cum hoc ſacramentum ſit præ cæteris dignius (ſicut ſupra dictum eſt *) [*q.65.ar.3*] conſequens eſt quod in verbis formalibus huius ſacramenti, ſit quædam virtus creata ad conuerſionem huius ſacramenti faciendam: inſtrumentalis tamen, ſicut & in alijs ſacramentis, ſicut ſupra dictum eſt *. [*q.62.a.1. & 4.*] Cum enim hæc verba ex perſona Chriſti proferantur, ex eius mandato conſequuntur virtutem inſtrumentalem â Chriſto: ſicut & cætera eius facta vel dicta habent inſtrumentaliter ſalutiferam virtutẽ [*q.62.a.4.*] vt ſupra dictum eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur ſola virtute Spiritus ſancti panem in corpus Chriſti cõuerti non excluditur virtus inſtrumẽtalis, quæ eſt in forma huius ſacramẽti, ſicut cum dicitur, Solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli.

Ad ſecundum dicendũ, quod opera miraculoſa, nulla creatura poteſt facere quaſi agens principale. poteſt tamẽ ea facere inſtrumentaliter, ſicut ipſe tactus manus Chriſti ſanauit leproſum. Et per hunc modum verba Chriſti conuertunt panem in corpus Chriſti. Quod quidem fieri non potuit in conceptione corporis Chriſti, qua corpus Chriſti formabatur, vt aliquid â corpore Chriſti procedens haberet inſtrumentalem virtutem ad ipſius corporis formationem. In creatione etiam nõ fuit aliquod extremum, in quod inſtrumentalis actio creaturæ poſſet terminari. Vnde non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quod prædicta verba * quibus ſit conſecratio, ſacramentaliter operantur. [*poſita in a. 2. & 3. in arg. 1.*] Vnde vis conuerſiua, quæ eſt in formis horum ſacramentorum, conſequitur ſignificationem, quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur. Et ideo in vltimo inſtanti prolationis verborum prædicta verba conſequũtur hanc virtutem: in ordine tamen ad præcedentia. Et hæc virtus eſt ſimplex ratione ſimplicis ſignificati: licet in ipſis verbis exterius prolatis, ſit quædam compoſitio.

Reſponſum Diui Thomæ eſt in verbis formarum eſſe quandam virtutem creatam inſtrumentariam ad faciendam conuerſionem, ſicut in alijs ſacramentis ad ſuos effectus.

ART. V.

Vtrum prædictæ locutiones ſint veræ?

AD quintum ſic proceditur. [*4. d. 8. q. 2. artic. 2*] Videtur, quod prædictæ locutiones non ſint veræ. Cũ enim dicitur, hoc eſt corpus meum, ly hoc, eſt demonſtratiuum ſubſtantiæ. Sed ſecundum prædicta *, [*quæſt. 4. art. 2.*] quando profertur hoc pronomen,

hoc,

Digitized by Google

hoc, adhuc eſt ibi ſubſtantia panis: quia tranſubſtantiatio fit in vltimo inſtanti prolationis verborum. Sed hæc eſt falſa, panis eſt corpus Chriſti. Ergo hæc eſt falſa, hoc eſt corpus meum.

2 Præterea, Hoc pronomē, hoc, facit demonſtrationem ad ſenſum. Sed ſpecies ſenſibiles, quę ſunt in hoc ſacramento, neque ſunt ipſum corpus Chriſti, neque accidentia corporis Chriſti. Ergo hæc locutio non poteſt eſſe vera, hoc eſt corpus meum.

3 Præterea, Hæc verba (ſicut dictum eſt *) ſua ſignificatione efficiũt conuerſionem panis in corpus Chriſti. Sed cauſa effectiua præintelligitur effectui. Ergo ſignificatio horum verborum præintelligitur conuerſioni panis in corpus Chriſti. Sed ante conuerſionem hæc eſt falſa, hoc eſt corpus meum. Ergo ſimpliciter eſt iudicandum, quod ſit falſa. Et eadem ratio eſt de hac locutione, hic eſt calix ſanguinis mei, &c.

art. præced.

Sed contra eſt, quod hæc verba proferuntur ex perſona Chriſti, qui de ſe dicit Ioan. 14. Ego ſum veritas.

Reſpondeo dicendum, quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod in hac locutione hoc eſt corpus meum, hęc dictio, hoc, importat demonſtrationem vt conceptam & non vt exercitam, quia tota iſta locutio ſumitur materialiter, cum recitatiuê proferatur. Recitat enim ſacerdos Chriſtum dixiſſe, hoc eſt corpus meum. Sed hoc ſtare non poteſt: quia ſecundum hoc, verba hæc non applicarentur ad materiã corporalem præſentem. Dicit enim Aug. * ſuper Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramẽtũ. Et præterea ex hoc totaliter non euitatur difficultas huius quæſtionis: quia eædem rationes manẽt circa primã prolationẽ, qua Chriſtus hæc verba protulit. Quare manifeſtũ eſt, quod non materialiter, ſed ſignificatiuê ſumebantur. Et ideo dicendũ eſt, quod etiam quando proferũtur â ſacerdote, ſignificatiuê, & nõ tãtũ materialiter ſumuntur. Nec obſtat, quod ſacerdos ea recitatiuê profert, quaſi à Chriſto dicta: quia propter infinitam virtutem Chriſti, ſicut ex contactu carnis ſuę vis regeneratiua peruenit non ſolum ad illas aquas quæ Chriſtum tetigerunt, ſed ad omnes vbique terrarum, per omnia futura ſæcula: ita etiam ex prolatione ipſius Chriſti, hæc verba virtutem conſecratiuam ſunt conſecuta â quocũque ſacerdote dicantur, ac ſi Chriſtus ea præſentialiter proferret. Et ideo alij dixerunt quod hæc dictio hoc, in hac locutione facit demonſtrationem, non ad ſenſum, ſed ad intellectum, vt ſit ſenſus, hoc eſt corpus meum, ideſt ſignificatum per hoc, eſt corpus meum. Sed nec hoc ſtare poteſt: quia cum in ſacramentis hoc efficiatur quod ſignificatur, non fieret per hanc formam, vt corpus Chriſti ſit in hoc ſacramento ſecundum veritatem, ſed ſolum ſicut in ſigno, quod eſt hæreticum, vt ſupra dictum eſt *. Et ideo alij dixerũt, quod hæc dictio, hoc, facit demonſtrationem ad ſenſum: ſed intelligitur hæc demonſtratio, non pro illo inſtanti locutionis, quo profertur hæc dictio, ſed pro vltimo inſtanti locutionis, ſicut cum aliquis dicit, nunc taceo, hoc aduerbium, nunc, facit demonſtrationem pro inſtanti immediate ſequenti locutionem. Eſt enim ſenſus, ſtatim his verbis dictis, taceo. Sed nec hoc ſtare poteſt: quia ſecundum hoc, huius locutionis eſſet ſenſus, corpus meum eſt corpus meum. Quod prædicta locutio non facit, quia hoc fuit etiã ante

tract. 80. in Ioa. â med. to. 9.

q. 75. a. 1

ante prolationem verborum, vnde nec hoc prædicta locutio ſignificat. Et ideo aliter dicendum eſt, quod ſicut prædictum eſt *, hæc locutio habet virtutem factiuam conuerſionis panis in corpus Chriſti. Et ideo cõparatur ad alias locutiones, quæ habet ſolum vim ſignificatiuam, & non factiuam, ſicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ eſt factiua rei, conceptioni intellectus noſtri ſpeculatiui, quæ eſt accepta â rebus; nam voces ſunt ſigna intellectuum, ſecundum Philoſophum *. Et ideo ſicut conceptio intellectus practici non præſupponit rem conceptam, ſed facit eam, ita veritas huius locutionis non præſupponit rem ſignificatam, ſed facit eam: ſic enim ſe habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hęc autem conuerſio non fit ſucceſsiue, ſed in inſtanti, ſicut dictum eſt *. Et ideo oportet quidem intelligere prędictam locutionem ſecundum vltimum inſtans prolationis verborum: non tamen ita quod pręſupponatur ex parte ſubiecti id quod eſt terminus conuerſionis, ſcilicet quod corpus Chriſti, neque etiã illud quod fuit ante conuerſionem, ſcilicet panis, ſed id quod communiter ſe habet quantum ad vtrumque, ſcilicet contentum in generali ſub iſtis ſpeciebus. Non enim faciunt hæc verba, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, neque quod panis ſit corpus Chriſti, ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit corpus Chriſti. Et ideo ſignanter non dicit Dominus, hic panis eſt corpus meum, quod eſſet ſecundum intellectum ſecundæ opinionis, neque, hoc corpus meum eſt corpus meum, quod eſſet ſecundum intellectum tertiæ opinionis, ſed in generali, hoc eſt corpus meum, nullo nomine â parte ſubiecti, ſed ſolo pronomine, quod ſignificat ſubſtantiam in communi, ſine qualitate, ideſt forma determinata.

in iſto arti. in argu. 3. & ar. præced. ad 3.

lib. 1. peri. in prin. lib. to. 1.

ar. 2. huius quæſt. & q. 75. a. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc dictio, hoc, demonſtrat ſubſtantiam: ſed abſque determinatione propriæ naturę, ſicut dictum eſt *.

Ad ſecundum dicendũ, quod hoc pronomẽ, hoc, non demonſtrat ipſa accidentia, ſed ſubſtantiam ſub accidentibus contentam, quę primo fuit panis, & poſtea eſt corpus Chriſti. Quod licet non informetur his accidentibus, tamen ſub eis continetur.

in corp. art.

Ad tertium dicendum, quod ſignificatio huius locutionis præintelligitur rei ſignificatæ ordine naturæ, ſicut cauſa naturaliter eſt prior effectu. Non tamen ordine temporis; quia hæc cauſa ſimul habet ſecum ſuum effectum. Et hoc ſufficit ad veritatem locutionis.

Reſponſum eſt prædictas locutiones in hoc ſolum ſenſu veras eſſe, vt pronomen *hoc*, vel *hic*, in ipſis demonſtret, non corpus, neque ſanguinem Chriſti, ſed ſubſtantiam in vniuerſum ſine qualitate, hoc eſt ſine forma determinata.

ART.

ART. VI.

Vtrum forma conſecrationis panis, conſequatur ſuum effectum, antequam perficiatur forma conſecrationis vini?

4. d. 8. q. 1. ar. 4. q. 2. & d. 11. q. 2. ar 1. q. 1. ad 4. & 1. Cor. 11. le. 6. col. 1.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod forma conſecrationis panis non conſequatur ſuum effectum, quouſque perficiatur forma conſecrationis vini. Sicut enim per conſecrationem panis incipit eſſe corp⁹ Chriſti ſub hoc ſacramento; ita per conſecrationem vini incipit eſſe ſanguis. Si ergo verba conſecrationis panis haberent ſuum effectum ante cōſecrationem vini, ſequeretur quod in hoc ſacramento inciperet eſſe corpus Chriſti * ſine ſanguine, quod eſt inconueniens.

al. exangue.

2 Præterea, Vnum ſacramentũ, vnum habet complementum: vnde licet in baptiſmo ſint tres immerſiones, non tamen prima immerſio conſequitur ſuum effectum, quouſque tertia fuerit terminata. Sed totum hoc ſacramentum eſt vnum, vt ſupra dictum eſt *. Ergo verba quibus cōſecratur panis, non conſequuntur ſuum effectum, ſine verbis ſacramentalibus, quibus conſecratur vinum.

q. 73. a. 2.

3 Præterea, Ipſa forma conſecrationis panis, ſunt plura verba, quorum prima non conſequuntur effectum, niſi prolato vltimo: ſicut dictũ eſt *. Ergo pari ratione nec verba, quibus conſecratur corpus Chriſti, habent effectũ, niſi prolatis verbis, quibus ſanguis Chriſti conſecratur.

ad. 1. hui⁹ q. ad 3.

Sed contra eſt, quod ſtatim dictis verbis conſecrationis panis, hoſtia conſecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret, ſi non eſſet ibi corpus Chriſti, quia ſic ad idolatriam pertineret. Ergo verba conſecrationis panis ſuum effectum conſequuntur, antequam proferātur verba conſecrationis vini.

Reſpondeo dicendum, quod quidam antiqui doctores dixerunt quod hæ duæ formæ, ſcilicet conſecrationis panis & vini, ſe inuicem expectant in agendo: ita ſcilicet quod prima non perficit ſuum effectum, antequam proferatur ſecunda. Sed hoc ſtare non poteſt: quia ſicut dictũ eſt * ad veritatem huius locutionis, hoc eſt corpus meum, requiritur propter verbum præſentis temporis, quod res ſignificata ſimul tempore ſit cum ipſa ſignificatione locutionis: alioquin ſi in futurum expectaretur res ſignificata, apponeretur verbum futuri temporis: non autem verbum præſentis, ita ſcilicet, quod non diceretur, hoc eſt corpus meum: ſed hoc erit corpus meum. Significatio autem huius locutionis complетur ſtatim completa locutione horũ verborum: & ideo oportet rem ſignificatam ſtatim adeſſe. Quæ quidem eſt effectus huius ſacramenti: alioquin locutio non eſſet vera. Eſt etiam hæc poſitio contra ritum Eccleſiæ, quæ ſtatim poſt prolationem verborum corpus Chriſti adorat. Vnde dicendum eſt, quod prima forma non expectat ſecundam in agendo, ſed ſtatim habet ſuum effectum.

ar. 2. & [illegible] huius. q.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione videntur fuiſſe decepti illi, qui prædictam * poſitionem poſuerunt. Vnde intelligendum eſt, quod facta conſecratione panis, eſt quidem corpus Chriſti ibi

poſitam in ini. corpor.

ex

ex vi ſacramenti, & ſanguis ex reali concomitantia: ſed poſtmodum per conſecrationem vini, fit ibi é côuerſo ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti, corpus autem ex reali concomitantia. Ita quod totus Chriſtus eſt ſub
q. 76. a. 1. & 2. vtraque ſpecie, ſicut ſupradictum eſt*.

Ad ſecundum dicendum, quod hoc ſacramentum eſt vnum
q. 73. ar. 1 perfectione (vt ſupra dictum eſt*) in quantum ſcilicet conſtituitur ex duobus, ſcilicet cibo & potu: quorum utrumque per ſe habet ſuam perfectionem. Sed tres immerſiones baptiſmi ordinantur ad vnum ſimplicem effectum. Et ideô non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quod diuerſa verba, quæ ſunt in forma côſecrationis panis, conſtituũt veritatẽ vnius locutionis, non autem verba diuerſarum formarum. Et ideo non eſt ſimile.

Concluſio eſt affirmatiua, & ſecũdum fidem Catholicam certa, communique Eccleſiæ conſenſu, & traditione comprobata: eo quod Chriſti fideles docemur ſtatim poſt conſecrationem panis, Chriſtum ſub ſpecie panis adorare, & hac de cauſa Eccleſia Latina præcepit vt ſtatim ſacramentum coram toto populo eleuetur: nam in capit. *Sanè*, de celebratione Miſſarum, præcipitur, vt parrochi frequenter populum doceant: vt quoties in Miſſarum ſolemnijs hoſtia eleuatur, ſacramentum reuerenter adorent.

Circa huius quæſtionis doctrinam, ac reſolutionis Angelici Doctoris explanationem duo in controuerſiã vocantur.

Nimirùm quæ verba ſint eſſentialiter requiſita ad conſecrandum panem, & quæ ad conſecrandum vinum?

Deinde an huiuſmodi verba quæ ſunt formæ Euchariſtiæ, ſint vera, prolata à conſecrante, recitatiuè, vel ſignificatiuè.

Ad quæ proinde in eodem ordine eſt reſpondendum.

1 AD primum igitur dubium, vt reſpondeamus, ſupponendum eſt peccare illum, qui quodcumque verbum omitteret, vel mutaret ex illis, quæ Eccleſia apponere conſueuit in perficienda conſecratione: eo quod contra ritum, ac proinde contra præceptum faceret eiuſdem Eccleſiæ.

De verbis autem neceſſarijs, & ſufficientibus ad valide conficiendum ſacramentum tàm corporis, quàm ſanguinis Chriſti, diuiſi ſunt Theologi in duas ſententias.

Prima eſt Scoti in 4. diſtinct. 8. quæſt. 2, & Angeli verbo *Euchariſtia*, numero 24. aſſerentium circa verba conſecrationis panis, illa dumtaxat; *Hoc eſt corpus meum*, non eſſe quidem ſufficientia, vt panis validè conſecretur, ſed inſuper requiri illa. *qui pridie quam pateretur*, &c. Admittunt itaque iſti auctores cum alijs omnibus dicta verba: *Hoc eſt corpus meum*, eſſe neceſſaria, vt ſacramentum corporis conficiatur, ſed non eſſe ſufficientia: licet in ip-

in ipſis ſaluetur eſſentia formæ.

Quorum fundamentum eſt, quia vt verba formæ oonſecrent panem & vinum, debent ſignificare id, quod virtute illorū efficit, nimirum corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini: id autem nō ſignificarent niſi ſacerdos prius protuliſſet illa verba canonis antecedentia, *Qui pridiet quā pateretur, &c.* abſque illis namque ſacerdos non conſecraret in perſona Chriſti, quia pronomen *meum*, in conſecrationis panis: & *mei* in conſecratione vini, nō referretur ad Chriſtum, ſed ad ſacerdotem ipſum: ergo.

Quod amplius confirmatur ex Ambroſio lib. 4. de ſacrament. cap. 4. & refertur in decretis: canone *panis eſt*, de conſecratione diſt. 2. vbi ſic habet: *Quia ſermo Chriſti naturam mutat*: & infra oſtendens qui ſit ſermo iſte Chriſti, quo natura mutatur, ſubdit: *Accipite, & comedite ex hoc omnes, Hoc eſt enim corpus meum, quod pro multis confringetur*: ergo ſermo Chriſti in cōſecratione ſecundum Ambroſium non ſunt ſola illa verba: *Hoc eſt corpus meum*: ſed ſimul cum alijs adiunctis.

Præfertur ſententia cōmunis aſſerens in Sotis illis verbis, hoceſt &c. conſtitui formā conſecrationis panis

2 Secunda ſententia, nihilominus eſt communiter recepta à Theologis, quá ſequuntur Alexander 4. p. q. 10. memb. 5. § 9. qui eſt penultimus, Ricard. in 4. d. 8. art. 3. q. 1. Durād in eadem diſt. q. 2. membro 6. Gabriel lectione 38 in canonē miſſæ litera K. Soto in 4. d. 11. q. 1. art. 2. Diuus Thomas art. 1. huius quæſtionis ad 4. Caietanus ibidem, & communiter eius diſcipuli Suarius diſp. 59. ſectione 1. & Vazquius diſp. 198. aſſerentes ſola illa verba, *Hoc eſt corpus meum*: eſſe neceſſaria, & ſufficientia prolata cum debita intentione à ſacerdote, vt panis valide cōſecretur: quę proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur ratione qua vtitur D. Thom. in art. ſub hac forma: illa verba, & ſola erunt forma neceſſaria, & eſſentialis ſacramenti corporis, quæ requiruntur, & ſufficiunt ad ſignificandam conuerſionem panis in corpus Chriſti: ſed ad hoc requiruntur, & ſufficiunt prædicta illa verba: ergo.

Conſequentia eſt bona. Maior probatur, quia ſacramentum corporis ſubſiſtit per hoc, quod panis conuertatur in corpus Chriſti, ac proinde verba ſufficientia, & neceſſaria ad hanc conuerſionem ſignificandam, ſufficient & neceſſaria erunt ad perfectam conuerſionem efficiendam, cum eorum ſignificatio ſit practica: ſi ergo illa ſola verba neceſſaria ſunt, & ſufficiunt ad iſtam ſignificationem, ſufficient & neceſſaria erunt ad conuerſionem panis in corpus Chriſti. Minor probatur diſcurrendo per ſignificationem ſingulorum verborum. Primum ſcilicet *hoc*, eſt pronomen demonſtratiuum: quid autem demonſtret dicetur dubio ſequenti: in præſenti ſolum aduertendum, in vi eius debere ſignificari, vt præſens ſit id quod demonſtrat, quo fit non fieri conſecrationem ſi dicatur illud eſt corpus meum: bene tamen ſi diceretur iſtud, vel hoc, ſumptum nominaliter.

Secundum nempe *eſt*, ſignificat effectum ſignificationis permanentem, & in facto eſſe quod ita fieri debere oſtendit rectè D. Tho. in præſenti, quia ex parte prædicati vnit corpus Chriſti: quod vero veniat ex parte ſubiecti, & ſub qua ratione dicetur infra, dummodo ex eius ſignificatione inferatur non fieri conſecrationē ſi loco ipſius ponatur fit, vel aliquod aliud verbum ſignificans viam, & tendentiam.

Tertium videlicet *corpus* importat non totam humanitatem compoſitam ex anima & corpore, ſed alteram partem quæ corpus communiter dicitur, vnde ſi loco corporis dicatur ſubſtantia, non fit conſecratio: ſi vero ponatur caro ſub dubio eſt, mihi tamen placet, quod ſi per ſinedoquē accipiatur pro compoſito ex carne, & oſſibus, valide conſecrabitur: ſecus autem ſi non ſic.

Vltimum eſt ly *meum*, quod ponitur ad determinādū corpus vt ſtet pro corpore Chriſti, vt tali eſt determinatum exiſtentia ſub ſpeciebus conſtitutum à ſacerdote nomine Chriſti. Vnde inferunt Suarius, & Vazquius vbi ſupra cū alijs, quod ſi loco illius ponatur *Chriſti*, ita vt ſacerdos diceret, *Hoc eſt corpus Chriſti*, non perficeretur conſecratio. Sed verius dicunt alij, quibus, & fauet D. Thomas in 4. diſt. 8. art. 1. dum ait conuenientius dici, *Hoc eſt corpus meum*, quam corpus Chriſti. Nam huiuſmodi verba ſi proferantur ſola ſine recitatione canonis, imo & cum illa liberabuntur ſufficienter a mendatio, eo quod licet Chriſtus dixerit formaliter, *Hoc eſt corpus Chriſti*, potuit id verè dicere, & dixit de facto, rem ſignificatam, dicens, *meum*, perſpicuum igitur eſt præfatis quatuor verbis, ita ſignificantibus, & nullo alio adhibito ſignificari corpus Chriſti

vere eſſe ſub accidentibus panis prout demonſtratur per accidentia, & quatenus id in quod panis fuit conuerſus.

Vnde propter hæc exiſtimo Scotum, & Angelum docuiſſe illa ſola verba ad eſſentiam formæ pertinere, non tamen ſufficere vt ſacramentum valide conficiatur. Sed inepte quidem, nam nihil amplius requiritur ad validitatem ſacramenti, quam quod eſſentialis forma cum debita intentione applicetur materiæ requiſitæ. Vnde qui diceret illa verba: *Qui pridie quam pateretur*, eſſe neceſſaria vt ſacramentum valide conficiatur: conſequenter tenetur aſſere etiam ad eſſentiam formæ pertinere.

Ex quibus ruit fundamentum illorum, quia vt ſacerdos nomine Chriſti proferat verba; ſatis eſt, quod habeat hanc intentionem licet illam nō exprimat, ſicut Angelus, qui loquebatur Moiſi in perſona Dei verè dixit, *Ego ſum qui ſum*: quamuis non expreſſerit ſe loqui in perſona Dei.

Ad confirmationem reſpondetur, quod teſtimonium Ambroſij potius eis aduerſatur quam faueat: nam illa verba, *Qui pridie quam pateretur, &c.* non ſunt verba Chriſti, neque diriguntur ad mutandam naturam: verba igitur quæ ſunt Chriſti ordinata ad mutandam naturam panis erunt eſſentialiter requiſita ad validitatem conſecrationis.

Ex quo colligitur erraſſe Græcos ponentes alia verba, nempe, *quod pro vobis tradetur*, requiri neceſſario ad formam ſacramenti: tum propter rationem factam: tum etiam propter authoritatem Romanæ Eccleſiæ, quæ dictis verbis non vtitur: & tamen de fide eſt in illa confici verum ſacramentum corporis Chriſti.

4 In ſecunda parte huius dubij, quæ circa verba conſecrationis calicis verſatur diuiſi etiam ſunt Theologi in duas ſē tentias. Prima eſt, quam ſequuntur plures ex antiquis, & modernis aſſerentes illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, non ſolum eſſe neceſſario, & eſſentialiter requiſita, ſed etiam ſufficientia ad validitatem conſecrationis, & ad ſaluandam eſſentiam formæ: de ſubſequentibus vero verbis dicūt, aut eſſe omnino accidentalia, aut eſſe tantum de ſubſtantiali integritate, ſicut ſatiſfactio dicitur de integritate materiæ ſacramenti pœnitentiæ.

Id autem in quo conueniunt probant tripliciter. Primo ex teſtimonijs Patrum, quos adducit Suarius, adſtruentium ſolū prædicta verba eſſe neceſſario requiſita: tum etiam Euangeliſtarum, quorum nullus refert omnia illa verba, imò neque omnes ſimul: ſi autem eſſent de eſſentia formæ, retuliſſent, ſiquidem hiſtoria quā narrant continet huius ſacramenti inſtitutionem, ac proinde verba pro eſſentiali forma requiſita. Tum denique liturgiarū græcorum, ex quibus conſtat in Eccleſia Græca non fieri conſecrationem illis verbis adiunctis: & tamen affirmari non poteſt in ea Eccleſia vinum non conſecrari: ergo.

Secundo ratione, quæ colligitur ex verbis, & diſcurſu D. Thomæ ſub hac forma: hoc ſacramentum eſſentialiter conſiſtit, & perficitur in conſecratione materię, & conſecratio materiæ in conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: ergo verba ſufficientia ad ſignificandam conuerſionem hanc, ſufficient ad eſſentialem, & neceſſariam formam conſecrationis huius ſacramenti: & hac ratione dicimus ſufficere hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, pro forma ſacramenti corporis: ſed ſic eſt quod hæc verba, *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſufficiēter ſignificant conuerſionem vini in ſanguinē non minus quam hæc: *Hoc eſt corpus meū*, conuerſionem panis in corpus: ergo.

Si dicas, illa verba ſignificare conuerſionem vini abſolutè in ſanguinem, non vero in ſanguinem vt effuſum pro nobis in remiſsionem peccatorum cum circunſtātijs explicatis per alia verba ingredientia vt determinationes ſanguinis, quod requirebatur ad ſaluandam formam conuerſionis.

Contra hoc eſt, quia ad ſaluandam eſſentialem formam conſecrationis panis, nō eſt neceſſarium addere particulas, quod pro vobis tradetur, quibus determinatur prædicatum *corpus*, & explicatur traditum fuiſse *pro nobis*: ergo ſimiliter in præſenti. Patet conſequentia à paritate rationis, eo vel maxime quod ſicut ſanguis eſt effuſus pro nobis vt memoriale Dominicæ paſsionis: ita & corpus eſt traditum, & eſt paſsionis memoriale, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis panē hunc, &c.* at hoc non obſtante pro forma conſecrationis corporis ſatis fuit abſolutè ſignificari corpus, & non debuit ſignificari in ordine ad effectus noſtræ redemptionis

his: ergo idem de forma ſanguinis dicendum eſt.

5 Tertio, quia ſi verba illa ponũtur ad ſignificandum effectum ſanguinis, vt dictum eſt; & concedit D. Thomas in corpore articuli tertij, cum effectus nõ ſit de eſſentia rei vt patet, ſed aliquid conſequutum: fit plane neque illa verba eſſe de eſſentia ſigni ſacramentalis ſignificantis ſanguinem, ſed aliquid accidentale, vel ad ſummũ ſubſtãtiale ad integrans vt videtur ſentire S. Doctor dicens pertinere ad integritatem locutionis: ergo.

His moti Suarius diſputat. 60. ſectione 1. & Vazquius diſput. citata, cap. 2. & 3. aſſerunt eſſentiam formæ conſecrationis calicis ſaluari in prioribus illis verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ità vt antequam alia proferantur talis forma ſuum effectum ſortiatur. In quo ſentiunt cum Magiſtro in 4. diſt. 8. Bonauentura ibidem artic. 1. quæſt. 2. Maiore, & Aureolo ibidẽ Alenſe quæſt. 33. membro 4. art. 1. Alberto lib. de ſacrificio Miſſę, cap. vltimo Victoria in ſumma num. 74. Durando diſtinctioni citata, quęſt. 2. Scoto ibidem Gabriele lect. 53. ſuper Canon. & Soto in citata diſt. & Caiet. qui in hoc artic. 3. plane deſeruiſſe videtur ſententiam Angelici Doctoris.

6 Sed his non obſtantibus ſecunda ſententia affirmans hæc omnia verba eſſe de eſſentia; & ſubſtantia ſacramenti ſanguinis eſt D. Tho. in d. art. 3. ſequũtur Paludanus q. 3. Herbeus diſt. 10. quæſt. 2. Antoninus 3. parte tit. 13. capit. 15. §. 4. Syluester verbo *Eucharistiæ*, 1. quæſt. 6. Armilla eodem verbo num. 14. Vigueri⁹ in inſtitutionibus cap. 16. Petrus de Soto lectione 2. de Euchariſtia, & Innocentius lib. 4. de hoc myſterio cap. 5. Quæ proinde a nobis ſtatuitur pro concluſione.

Præfertur opinio adſtruens omnia ea verba quib⁹ Eccleſia vtitur eſſe neceſſaria ad ſanguinis conſecrationem.

Et probatur primo ex Diu. Thoma qui in præſenti docet dicta verba eſſe de ſubſtantia formæ: at apud ipſum idem eſt eſſe de ſubſtantia, ac de eſſentia: ergo probatur min. multipliciter: primo ex q. 60. art. 8. vbi agens de ſubſtantia formæ ſacramentorum pro eodem accipit eſſe de de ſubſtantia, ac de eſſentia, & numquam inuenitur apud ipſum non accipi pro eſſentia.

Secundo, & magis ad rem, quia hic eodem tenore quo aſſerit hæc verba: *hoc eſt corpus meum*, eſſe de ſubſtantia formæ, conſecrationis panis, aſſerit etiam *noui & æterni teſtamenti*, &c. eſſe de ſubſtantia formæ conſecrationis vini; ſed illa ſunt de eſſentia: ergo & hæc.

Tertio, quia in ſenſu in quo alij aſſerebant quatuor illa priora verba eſſe tantum de ſubſtantia conſecrationis ſanguinis, negat Diuus Thomas, ſed alij pro eodem ſumebant ſubſtantiam, & eſſentiam vt patet: ergo.

Quarto, nam alias diminute proceſsiſſet non explicans formam ſubſtantialem vt diſtinctam ab integrali vndequaq; neque ignorabat diſtinctionem hanc, quã diſcipuli eius poſtea tradiderunt, & illam adhibere noluit: ergo ſignum eſt ſenſiſſe quod intendimus.

Quinto ex ſecundo argumento cũ ſolutione probatur eadem minor quia cũ propoſuiſſet præcipuum argumẽtũ, quod pro ſe habet contraria opinio deſumptum a paritate conſecrationis panis: poterat illud facillime diſſoluere diſtinguens inter formam eſſentialem, & non eſſentialem, & dicere argumentum concludere de forma eſſentiali tantum, quod intendebat contraria opinio: hoc autem non præſtitit; ſed tradidit diſparitatem, quam nos infra proſequemur: ergo, &c.

Sexto, & expræſsius ex quarto ſententiarum, d. 8. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. ad 3. quod ſic habebat. Proprietates naturaliter conſequuntur ſubſtantiam rei: ſed illud quod conſequitur ſubſtantiam, non poteſt eſſe factiuum tranſſubſtantiationis: ergo cum illa verba; quæ ſequuntur deſignent aliquas proprietates ſanguinis, in quem fit tranſſubſtantiatio, videtur quod non ſint de forma: reſpondet, ad tertium dicendum quod quamuis illa quæ ſequuntur deſignent aliquas proprietates ſanguinis in quantum huiuſmodi, ſunt tamen eſſentiales ſanguini in quantum eſt per Paſsionem effuſus, &c. ergo.

Vltimo ad huc apertius ex commentario ſuper cap. 11. primæ ad Corinthios, lect. 6. quo in loco, tractans præſentem difficultatem inquit, ſed circa iſta verba, quibus Eccleſia vtitur in conſecratione calicis quidam opinantur quod nõ omnia ſint de neceſsitate formæ: ſed ſolum quod dicitur: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, non autem reſiduum quod ſequitur, noui & æterni teſtamenti myſterium fidei qui pro vobis: &c. ſed hoc inconuenienter dicitur, inquit Diu. Thomas: ergo apte negat ſaluari id

quod eſt de neceſsitate formæ in ſolis verbis poſitis à contraria opinione; ſed idem eſt eſſe aliquid de neceſsitate formæ, & eſſe eſſentiale formæ, vt in confeſſo eſt apud omnes: ergo.

Secundo ratione eiuſdem D. Thomę ſub hac forma: ſacramenta nouæ legis inter alia habent, quod ſint ſigna quibus fideles proteſtamur bona ſpiritualia per Chriſtum nobis a Deo collata: ergo oportuit inſtitui in noua lege aliquod ſacramẽtum, in cuius forma eſſentiali proteſtemur & confiteamur noſtram ſalutem abundantiſsimè, & perfectiſsimè prouenire nobis a virtute paſsionis Chriſti, vt de facto prouenit, ſicut inſtitutũ fuit de facto aliquod ſacramentum, nempè baptiſmus, mediante cuius forma eſſentiali proteſtamur, & confitemur Trinitatem diuinarum perſonarũ ad ingreſſum in Eccleſiam: at huiuſmodi ſacramentum eſt Euchariſtia inſtitutum ſpecialiter in recordationẽ paſsionis Chriſti: ergo opportuit vt eius eſſentialis forma ſignificaret virtutem paſsionis nobis communicatam: hæc autem virtus non explicatur, ne . ue ſignificatur, niſi medijs verbis de quibus eſt difficultas; & illis adhibitis optime manifeſtatur, vt oſtendit Diu. Thom. in dicto loco ſuper epiſtolam ad Corinthios: ergo dicta verba ſunt de eſsẽtia formæ huius ſacramenti, & non formæ ſacramenti corporis, quia per corpus non ſignificatur ita expreſſe, conſumate, & cõplete paſsio Chriſti ſicut per ſanguinem ſeparatum à corpore: effuſio enim ſanguinis eſt paſsionis conſummatio: ergo congruũ eſt quod in forma eſsẽtiali ſacramẽti ſanguinis apponantûr præfata verba.

Explicatur magis hæc ratio, nam licet verum ſit quod hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*, ſignificent conuerſionem vini in ſanguinem Chriſti abſolute: ſicut hæc: *Hoc eſt corpus meum*, conuerſionem panis in corpus: & hæc: *ego tẽ baptizo*, ſpiritualem ablutionem animæ; cæterum quia baptiſmus eſt inſtitutus non ſolum ad ſignificãdam ſpiritualem ablutionem, ſed ſimul ad proteſtandam fidem Trinitatis: forma eſſentialis baptiſmi vltra hæe verba: *ego te baptizo*, includit hæc: *In nomine Patris*, &c. ergo quia Euchariſtia non ſolum eſt inſtituta ad ſignificandum corpus, & ſanguinem Chriſti per modum cibi, & potus; ſed inſuper ad ſimul explicandam efficaciam paſsionis Chriſti nobis communicatam cum perpetuitate per modum teſtamenti noui, &c. vt congruè diximus: neceſſariũ eſt, vt in forma eſſentiali includeret etiam verba hoc ipſum exprimentia qualia ſunt illa: noui & æterni, &c. ergo illa ſunt de eſſentia ſacramenti ſanguinis, atque hinc ortũ habuit. Primo, prædicta verba determinationes eſſe prædicati ad integrãtia eſſentialiter vnam orationem, per quam complete importatur ſignatum eſſentiale adæquatum ſacramenti ſanguinis, quale eſt ſanguis cum dictis proprietatibus, vt inquit S. Doctor, ſignificatum inquam adæquatum immediatum.

Secundo, omnia illa proferri a Sacerdote eodem ritu, & modo tenendo calicem in manu, & antequam proponatur ſanguis populo adorandus.

Tertio, Concilium Colonienſe, & Patres Catheciſmi Pij Quinti hanc opinionem ſequi, & ipſum Pium Quintum, qui expunxit è cõmentario articuli verba Caietani quibus Diuũ Thomã in hac parte deſerebat.

Ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ: reſpondetur ad primam auctoritatem, illos Patres in alijs locis alia apponere verba: & ſi aliquando tantum ponunt hæc: *Hic eſt ſanguis meus*, vel equiualentia, id præſtiterunt, non curando de exacta forma, quæ tunc ad intentum non faciebat, ſicut accidit D. Thomæ in primo articulo huius quæſtionis, vbi referens formam conſecrationis vini, tantum fecit mentionem illorum verborum, & Diuo Paulo ſcribenti ad Corinthios qui neque verba in omnium ſententia retulit.

Ad ſecundam reſpondetur cum Diu. Thoma artic. 3. ad 2. non eſſe neceſſarium Euangeliſtas tradere omnes formas ſacramentorum, quæ in Eccleſia primitiua occultę erant: licèt narrarent hiſtoriam continentem ſacramentorum inſtitutionem: ſed ſatis fuit, vel quod tradiderint, vel ex traditione Domini habeantur vt ab ipſo dicta, vt contingit in præſenti.

Ad authoritatem Liturgiarum Capreolus recurrit ad diſpenſationem: Paludanus concedit illam Eccleſiam quando ſolis verbis illis vtebatur, non conſecrare ſanguinem.

Sed quidquid de his ſit reſpondetur quod temporibus D. Thomæ in liturgijs prædictis habebantur omnia verba, quæ habentur in Miſſali Romano: cuius

indi-

inditium eſt quod Angelicus Doctor in omnibus maximè verſatus; illas liturgias non adducit, & adduceret quidem ſi aliquid contra ſuam ſententiam viderentur continere: decurſu poſtea temporis, quia contraria opinio inualuit, non multum curatum eſt de appoſitione omnium verborum in relectione liturgiarum.

Et ſanè totum hoc argumentum ab authoritate, ſolui debet à Doctoribus aſſerentibus. verba de quibus agimus ad integrare ſubſtantialiter formam: nam eodem modo tenentur ſaluare quare Euangeliſtæ, & S. Patres, & Græci nõ aſſerũt formã ſubſtãtialiter integrãtẽ: ſicut efficiunt, quãdo aſsignãt formã cõſecrationis panis.

10 Ad ſecundum conſtat ex dictis in probatione noſtræ concluſionis vbi propoſuimus ſolutionem adhibitam à D. Thoma in præſenti, ſecundo loco, & ſimiliter in quarto ſententiarum, & ſuper epiſtolam ad Corinth. & nunc adhibebimus quæ in ſentẽtijs habetur, inquit enim ad ſecundum dicendum, quod cum Euchariſtiæ ſacramentum ſit memoriale Dominicæ Paſsionis in conſecratione corporis Chriſti non repræſentatur niſi paſsionis ſubſtantia, ſed in conſecratione ſanguinis repræſẽtatur paſsionis myſteriũ: nõ enim ſanguis Chriſti fuit ſeorſum niſi in paſsione: & ideò conditiones Dominicæ paſsionis exprimuntur per verba ſequentia magis in conſecratione ſanguinis, quam in cõſecratione corporis: ecce rationem traditã à Diu. Thoma quare illa verba *quod pro vobis tradetur* non ſint de eſſentia formæ ſacramenti corporis: & alia ſint de eſſentia formæ ſacramenti ſanguinis.

Neque aliquis Thomiſtarũ admittit hæc verba *quod pro vobis tradetur* eſſe de ſubſtantiali integritate formæ conſecrationis panis: plures tamen admittunt alia verba eſſe de ſubſtantiali integritate formæ conſecrationis vini: ac proinde diſcrimen quod aſsignant vt alia pertineãt ad integritatem formæ: & alia non, aſſerimus nos tenere vt alia ſint de eſſentia, & alia tantum ſint accidentalia ex mente eiuſdem ſancti Doctoris.

11 Ad tertium reſpondetur, quod licet ſignata per illa verba ſint effectus & proprietates ſanguinis: ſanguis autem cum huiuſmodi proprietatibus eſt ſignificatum eſſentiale formæ cõſecrationis propter dicta; quod quidem ſic extrinſecum eſt ſacramento: ſignificatio verò illius intrinſeca eſt ipſi: ac proinde verba ad integrandam locutionem ſic ſanguinem ſignificantia eſſentialia erunt.

Neque oppoſitum vel leuiter indicauit S. Doctor docens, illa verba pertinere ad integritatem locutionis: ex verbis nãque quæ ad integritatem locutionis pertinent, poteſt optimè eſſentialiter componi locutio; vt conſtat in verbis prioribus, quæ ad eſſentiam pertinent: & tamen locutionem ad integrant.

12 AD ſecundum dubium tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ; & vna media. Prima illarum aſſerit dicta verba ſumi tãtum recitatiuè, ſicut quãdo dicitur Matth. 5. de Chriſto; aperiens os ſuum docebat eos dicens, &c. quam defendunt Innocent. lib. 4. de myſterio Miſſæ, c. 17. Durand. in 4. d. 8, q. 2. Catherin. opuſculo, *quibus verbis Chriſtus conſecrauerit.* Picus Mirãdulanus in ſua apologia q. 10. Gabriel lect. 48. ſuper Canon, littera D. & Martin. de Ledeſma 1. p. 4. q. 19. a. 5. *Expenditur status dubitationis, & variæ sententia referũtur.*

Qui illam ſuadent dupliciter: primò quia ſenſus verborum canonis non debet interrumpi, neque ſumi æquiuocè, ſed verba antecedentia, & ſubſequentia conſecrationis dicuntur ſolum recitatiuè: ergo verba quib⁹ forma cõſtituitur: alias, & ſenſus interrũperetur, & æquiuocè caperetur.

Secũdo, quia ſi ſignificatiuè proferatur ſequitur id quod cõtinetur ſub accidẽtibus panis nõ eſſe corp⁹ Xpi, ſed ſacerdotis proferẽtis, dũ ait, *corp⁹ meũ*: hoc enim eſt ſignificatiuè loqui ſicut loqui nomine proprio. Et idẽ argumentũ fit de illis verbis: *qui pro vobis effundetur*, quæ ſignificatiuè accepta verificari non poſsunt: tũ quia ſanguis nõ eſt effundendus, ſed eſt iam effuſus: tum etiam quia denotaretur ſanguinem effundẽdum eſſe non pro ſacerdote loquente, ſed pro alijs, hęc autem falſa ſunt: ergo.

13 Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium huiuſmodi verba formę conſecrationis tãtum ſumi ſignificatiuè. Quã defendit Vazq. diſp. 200. c. 2 ſequutus Alexand. Alenſ. 4. p. memb. 4. art. 2 §. 3. Ricard. & Scot. in 4. d. 8. q. 1 Marſil. ibid. q. 6. art. 1. Ocham. quodlib. 2. q. vlt. & alios vtriuſque Scholę, ſcilicet Scoti, & Nominalium quos citat pro ſua ſententia.

Eamque probat dupliciter, primò, quoniam loqui recitatiuè, & ſignificatiuè ſimul pugnant inter ſe, etenim loqui recitatiuè eſt referre verba alterius, ita vt qui re-

citat non vtatur ſignificatione verborum, vt idem velit ipſe ſignificare quod alius ſignificauit; vndè qui refert mendacium alterius non mentitur. Loqui verò ſignificatiuè eſt vti ſignificatione verborum, ita vt loquens aſſerat quod verba ſignificāt, aſſerere autem, & non aſſerere inter ſe pugnant: ergo.

Secundo probatur, quia ſi verba accipiantur recitatiuè pronomen *hoc*, demonſtrat ſpecies conſecratas quas Chriſtus habuit in manibus, ſi vero ſignificatiue, oſtendit ſpecies quas habet ſacerdos: at hæc ſecum pugnant: ergo.

Tertia ſententia aſſerit dicta verba ſumi recitatiuè, & ſignificatiuè, quæ proculdubio eſt Angelici Doctoris in hoc art. 5. & illam tuentur Bonauent. in 4. d. 8. 2. p. diſtinctionis art. 1. q. 1. Sotus d. 11. q. 1. art. 5. Egid. theoremate 42. Suar. diſp. 58. ſect. 4. Nuño in commentario d. art. 5. & communiter diſcipuli S. Doctoris.

Sumi dicta verba ſimul ſignificatiuè, et recitatiuè verior adſtruit opinio.

Quæ proinde a nobis ſtatuitur pro concluſione: & pro prima parte nimirum quod ſumantur ſignificatiue probatur aduerſus authores primę ſententiæ: quia verba de quibus loquimur prolata tantum recitatiue oſtendunt factum corpus Chriſti & ſignificant ſolum quod idquod Chriſtus habuit in manibus erat corpus, & ſanguis ipſius: ergo ſic tantum prolata non ſignificant hoc quod conſecrans habet in manibus eſſe corpus, & ſanguinem Domini: ergo cum verba idem efficiant quod ſignificant non conficient ſacramentum Euchariſtię ex hoc pane, & ex hoc vino ſuper quæ proferuntur; hoc autem dici non poteſt: ergo dicendum eſt accipi ſignificatiue.

Et confirmatur, nam communis traditio eſt materiam debere eſſe præſentem vt conſecretur, hæc vero traditio fundatur in ſignificatione verborum quæ demonſtrant contentum ſub ſpeciebus his reſpectiue: ergo verba non ſolum recitantur vt dicta à Chriſto, ſuper materiam ſibi præſē tem tunc, ſed proferuntur aſſerendo aliquid de ſpeciebus nunc præſentibus.

Deinde pro ſecunda parte quod ſumantur recitatiue, probatur contra authores ſecundæ ſententiæ: quia ſic ſumi nihil aliud eſt quam dici, vt dicta ab alio: ſed ita contingit in præſenti: vt conſtat ex illis verbis antecedentibus in contextu canonis nimirum: *Qui pridie quam pateretur accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, gratias agens, deditque diſcipulis ſuis dicens*: ergo.

14 Ex quibus ad primum fundamentum pro prima ſententia reſpondetur, non committi æquiuocationem per hoc quod quædam verba canonis ſumantur ſolum recitatiue, & alia etiam ſignificatiuè, hoc enim textus adiuncta ratione poſtulat, & ſi hoc appelletur æquiuocatio, & interruptio ſenſus, tranſeat, ſed nego aliquid inconuenientis in eo reperiri.

Ad ſecundum negatur ſequela, licèt enim ſignificatiuè loquatur conſecrās, quia gerit perſonam Chriſti per verbum *meum*, corpus Chriſti deſignat, & exemplum iam ſupra poſitum in locutione Angeli loquentis ſignificatiuè ad Moyſem, dum dixit: ego ſum qui ſum, vbi per ly *ſum* perſona Dei ſignificabatur: ad id quod additur de illis verbis, quod *pro vobis tradetur* vel *effundetur*, plures inuenio ſolutiones, ſed magis placet aſſerere illa verba ſolū ſumi recitatiuè; quapropter quando aſſeruimus accipi verba ſignificatiuè, intelligendum eſt de ſolis illis, quæ in prima ſententia dubij præcedentis ſunt de eſſentia formæ, iuxta ſecundam autem ſententiam ibi relatam non admitto omnia verba accipi ſignificatiuè.

Ad primum verò ſecundæ ſententiæ reſpōdetur quod rectè quis poteſt referre verba alterius, & ſimul illa ſignificatiue proferre; v. g. poſſum ego dicere, Chriſtus ita nos docuit orare *Pater noſter* &c. & hæc dicens ſimul oro, ac proindè ſignificatiuè, & recitatiuè verba profero, quod non repugnat, quid enim prohibet me recitādo verbis alterius vti ſimul ſignificatiuè, quibus alter vſus eſt?

Ad ſecundum reſpondetur, quod pronomen *hoc*, ſemper oſtendit contentū ſub ſpeciebus reſpectiuè, quod ſufficit vt ſacerdos ex eiſdem referat Chriſtum dixiſſe illud eſſe corpus ſuum, & ſimul affirmet hoc quod eſt ſibi præſens, eſſe corpus Chriſti.

Pronomen hoc, ſubſtātiuè ſumitur, & contentum ſub ſpeciebꝰ vage demonſtrat.

15 Hinc facilis eſt aditus ad ſecundam dubij partem, quæ inquirit de verificatione verborum; & quia hæc dependet ex eo quod ſciamus quid demonſtret pronomen *hoc*, in quo omiſsis varijs Theologorum opinionibus: duas dūtaxat probabiliores, & ad huiuſmodi verificationē ſaluandam ſufficientes, & recenſitas a D. Thoma in d. art. 5. referre placet, quarum prima aſſerit demonſtrari dicto pronomi-

ne corpus Chriſti determinatè eo quod ſumitur adiectiuè, ita vt eius vis maneat ſuſpenſa quouſque tota propoſitio finiatur.

Hanc ſequitur Vazquius vbi ſupra cum alijs ibi ab ipſo relatis. Secunda aſſerit ſumi ſubſtantiuè, & non manere ſuſpenſam vim prædicti pronominis, ſed à principio ſignificare contentum ſub ſpeciebus in generali, & hoc contentum demonſtrare. In quam inclinat D. Th. & eam cum alijs defendit Suar. vbi ſup.

Vndè iuxta primam ſenſus verborum erit *hoc eſt corpus meum*, ideſt hoc, ſignato prædicato eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum ; quod verum eſt ſicut ſi Deus concederet his verbis, *hic eſt Angelus* virtutem ad faciendum Angelum, vera eſſet illa oratio producto Angelo ex vi verborum eo deſignato per pronomen *hic*. Et iuxta ſecundam, contentum ſub iſtis ſpeciebus; abſque determinatione propriæ naturæ vt inquit D. Thom. ad 1. (vt facilius ſaluetur non eſſe propriam propoſitionẽ identicam) eſt corpus Chriſti, quod ſimiliter verum eſſe conſtat.

Dixi conſulto *ſi aliud non obſtet*, nã quidquid ſit de eo quod monſtratur mediãte pronomine, adhuc videtur ex alio capite non poſſe illas propoſitiones verificari: caput autem propoſitum fuit a D. Tho. in d. art. argum. 3: cuius difficultas conſiſtebat in hoc, quod verba de quibus agimus media ſua ſignificatione efficiũt quod ſignificant, ac proinde eorum ſignificatum ſimul eſt effectus ipſorum: ergo & eſt poſterius ſignificatione verborum, ſicut effectus poſterior eſt ſua cauſa: igitur quando verba proferuntur nondum eſt ſignificatum per ipſa, &c.

Neque videtur ſufficiẽs ſolutio D. Thomæ dicentis ſignificationem verborum præcedere rem ſignificatam in inſtanti, non tempore, ſed naturæ, &c. quoniam ſignificatio, & veritas propoſitionis eſt quædam relatio: de cuius proinde conceptu eſt ſimultas temporis, & naturæ cum ſuo termino: ergo.

Sed hoc non obſtante indubitanter tenendum eſt oppoſitum; quis enim audeat dicere propoſitiones prolatas a prima veritate, & à ſacerdote illius etiam nomine loquente, falſas eſſe. Ad rationem dubitandi reſpondetur, quod pro illo priori naturæ intelligitur relatio tranſcendentalis ad quam ſufficit pro poſteriori ſequenti eſſe ſignificatũ per propoſitionẽ: operepretiũ autem eſt aduertere quod quando dicimus cum D. Thoma, & communi ſententia doctorum, ſignificatum per has propoſitiones debere exiſtere in eodem inſtanti reali tẽporis in quo propoſitiones ſunt, per hoc inſtans reale non intelligitur illud inſtans in quo profertur copula, ſed inſtans in quo profertur propoſitio: patet hoc, nam ſi quis proferat, Petrus eſt in hoc gymnaſio ; & poſt prolatam copulam videat loquens Petrum exeuntem, debet, ne mentiatur, ceſſare à propoſitione: ergo nõ penes iſtans prolationis copulæ, ſed penes illud in quo terminatur tota propoſitio penſanda eſt veritas. Vtrùm verò hoc inſtans dicendum ſit intrinſecũ, vel extrinſecum, ſub dubio eſt, de quo alibi: nunc autem ſufficiat ſcire fundamentum ad colligendum quando terminetur oratio, & quando ſuſpenſa maneat ; accipiendum eſſe ex adiunctis circunſtantijs.

Digitized by Google

QVAESTIO LXXIX.

De effectibus ſacramenti Euchariſtiæ, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum per hoc ſacramentum conferatur gratia?

inf. a. 4 & 4. d. 12. q. 2. a. 2. q. 1 ad 2.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod per hoc ſacramentum nō conferatur gratia. Hoc enim ſacramentum eſt nutrimentum ſpirituale. Nutrimentum autem non datur niſi viuenti. Cum ergo vita ſpiritualis ſit per gratiam, non competit hoc ſacramẽtum niſi habenti gratiam. Non ergo per hoc ſacramentum confertur gratia, vt primo habeatur. Similiter etiam nec ad hoc quod augeatur, quia augmentum ſpirituale pertinet ad ſacramentum confirmationis, vt dictum eſt *. Non ergo per hoc ſacramentum gratia confertur.

q. 72. a. 1. & 7.

2 Præterea, Hoc ſacramentum confertur, vt quædam ſpiritualis refectio. Sed refectio ſpiritualis magis videtur pertinere ad vſum gratiæ, quam ad gratiæ collationem. Ergo videtur, quod per hoc ſacramentum gratia non conferatur.

3 Præterea, Sicut ſupra dictum eſt *, in hoc ſacramento corpus Chriſti offertur pro ſalute corporis: ſanguis autem pro ſalute animæ. Sed corpus nō eſt ſubiectum gratiæ, ſed anima, vt in ſecunda parte habitum eſt *. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc ſacramentum gratia non confertur.

q. 74. a. 2. & 76. a. 2 ad 2.

1. 2. q. 110 a. 4.

Sed contra eſt, quod Domin⁹ dicit Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Sed vita ſpiritualis eſt per gratiam. Ergo per hoc ſacramentum gratia confertur.

Reſpondeo dicendum, quod effectus huius ſacramenti debet conſiderari primo quidem, & principaliter ex eo quod in hoc ſacramento continetur, quod eſt Chriſtus, qui ſicut in mundum viſibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ, (ſecūdum Ioan. 1. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt) ita in hominem ſacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, ſecundum illud Ioan. 6. Qui manducat me, viuet propter me. Vnde & Cyril. dicit *, Viuificatiuum Dei verbum, vniens ſeipſum propriæ carni, fecit ipſam viuificatiuam: decebat enim eum noſtris quodammodo vniri corporibus per ſacram eius carnem, & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & in vino. Secundo, conſideratur ex eo, quod per hoc ſacramentum repræſentatur, quod eſt paſsio Chriſti, quod ſupra dictum eſt. † Et ideo

li. 4. in Io. ca. 12. & 14.

q. 76. a. 2 ad 1. & 2 & q. 74. ar. 1.

Digitized by Google

ideo effectum, quem paſsio Chriſti
fecit in mundo, hoc ſacramentum fa
cit in homine. Vnde ſuper illud
Ioan. 19. Continuo exiuit ſanguis,
homi. 84. & aqua: dicit Chryſoſt. † Quia hinc
in Io. circa ſuſcipiunt principium ſacra myſte-
med. to. 3. ria, cum acceſſeris ad tremendum ca
licem, vt ab ipſa bibiturus Chriſti co
ſta, ita accedas. Vnde & ipſe Do-
minus dicit Matth. 26. Hic eſt ſan-
guis meus, qui pro vobis effundetur
in remiſsionem peccatorum. Ter-
tio conſideratur effectus huius ſacra
menti ex modo, quo traditur hoc ſa
cramentum, quod traditur per mo-
dum cibi & potus. Et ideo omnem
effectum, quem cibus, & potus ma-
terialis facit quantum ad vitam cor-
poralem (quod ſcilicet ſuſtentat, au
get, reparat & delectat) hoc totum
facit hoc ſacramentum quantum ad
vitam ſpiritualem. Vnde Ambr.
li. 5. c. 4. dicit in lib. * de ſacram. Iſte panis
in me. t. 4. eſt vitæ æternæ, qui animæ noſtræ
ſubſtantiam fulcit. Et Chryſoſt. di-
cit † ſuper Ioan. Præſtat ſe nobis de-
Ho 45. à ſiderantibus, & palpare, & comede-
med illius re, & amplecti. Vnde & ipſe Do-
tom. 3. minus dicit Ioan. 6. Caro mea vere
eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt po
tus. Quarto conſideratur effectus
huius ſacramenti ex ſpeciebus, in
quibus traditur hoc ſacramentum.
tra. 26. in Vnde Auguſt. † ibidem dicit, Domi
Io nõ mul nus noſter corpus & ſanguinem ſuũ
tum remo- in eis rebus commendauit, quæ ad
tè à fin. t. 9 vnum aliquid rediguntur ex multis:
namque aliud, ſcilicet panis ex mul-
tis granis in vnum conſtat: aliud ſci-
licet vinum in vnum ex multis aci-
nis confluit. Et ideo ipſe alibi dicit
tra 26. in ſuper Ioan. O ſacramentum pieta-
ter fin. & tis! ô ſignum vnitatis! o vinculum
med. illius charitatis! Et quia Chriſtus, & eius
to. 9. paſsio eſt cauſa gratiæ, & ſpiritualis
refectio, & charitas ſine gratia eſſe nõ
poteſt, ex omnibus præmiſsis mani-
feſtum eſt, quod hoc ſacramentum
gratiam confert.

Ad primum ergo dicendum,
quod hoc ſacramentũ ex ſeipſo vir-
tutẽ habet gratiã cõferendi: nec ali-
quis habet gratiã ante ſuſceptionem
huius ſacramenti, vel niſi ex aliquo
voto ipſius, vel per ſeipſũ, ſicut adul
ti: vel voto Eccleſiæ, ſicut paruuli: ſi-
cut ſupra dictũ eſt †, Vnde ex effica *q. 73. ar. 3*
cia virtutis ipſiꝰ eſt, quod etiã ex vo-
to ipſius aliquis gratiã conſequatur,
per quã ſpiritualiter viuificetur. Re-
ſtat igitur, vt cũ ipſum ſacramentum
realiter ſumitur, quod gratia augea-
tur, & vita ſpiritualis perficiatur. Ali
ter tamẽ quã per ſacramentũ confir-
mationis, in quo augetur & perfici-
tur gratia ad perſiſtendũ cõtra exte-
riores impugnationes inimicorum
Chriſti. Per hoc autẽ ſacramentũ au
getur gratia, & perficitur ſpiritualis
vita, ad hoc quod homo in ſeipſo
perfectus exiſtat per coniunctionem
ad Deum.

Ad ſecundũ dicendum, quod
hoc ſacramentũ confert gratiã ſpiri-
tualiter, cũ virtute charitatis. Vnde
Damaſ. † cõparat hoc ſacramẽtũ car *lib 4. orth.*
boni, quẽ Iſaias vidit, Iſai. 6. Carbo *fi d. c. 14. à*
enim lignũ ſimplex non eſt, ſed vni *med.*
tum igni: ita & panis communionis
nõ ſimplex panis eſt, ſed vnitus diui-
nitati. Sicut Greg † dicit in homil.
Pent. Amor Dei non eſt otioſus: ma *hom 30. in*
gna enim operatur, ſi eſt. Et ideo per *Euan. non*
hoc ſacramentũ quantũ eſt ex ſui vir *longè à pri*
tute, non ſolũ habitus gratiæ, & vir-
tutis confertur: ſed etiam excitatur
in actum, ſecundum illud 2. Cor. 5.
Charitas Chriſti vrget nos. Et in-
de eſt, quod ex virtute huius ſacra-
menti anima ſpiritualiter reficitur
per hoc quod anima ſpiritualiter de-
lectatur, & quodammodo inebria-
tur dulcedine bonitatis diuinæ: ſe-
cundum illud Cantic. 5. Comedite
amici, & bibite, & inebriamini cha-
riſsimi.

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod quia ſacramenta operantur ſalutem quam ſignificant: ideo ſecundum quamdam aſsimilationem dicitur, quod in hoc ſacramento corpus offertur pro ſalute corporis & ſanguis pro ſalute animæ, quamuis vtrumque ad ſalutem vtriuſque operetur, cum ſub vtroque totus ſit Chriſtus, vt ſupra dictum eſt *. Et licet corpus non ſit immediatum ſubiectum gratiæ: ex anima tamen redundat effectus gratię ad corpus, dum in præſenti membra noſtra exhibemus arma iuſtitiæ Deo (vt habetur Roman. 6.) & in futuro corpus noſtrum ſortietur in corruptionem, & gloriam animæ.

q.76.a.1. & 2.

RESponſum Angelici Doctoris eſt affirmatiuum, quod probatum ex illo Ioan 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: ſed ſpiritualis vita eſt per gratiam. Tũ etiam quia in hoc ſacramento continetur Chriſtus, & paſsio eius repræſẽtatur, quæ ſunt cauſa gratiæ in nobis: ergo.

ART. II.

Vtrum effectus huius ſacramẽti ſit adeptio gloriæ?

Infr. q. 80. a. 2. ad 1. & Ioa. 6.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod effectus huius ſacramenti non ſit adeptio gloriæ. Effectus enim proportionatur ſuæ cauſæ. Sed hoc ſacramentum competit viatoribus: vnde & viaticum dicitur. Cum igitur viatores nondum ſint capaces gloriæ, videtur quod hoc ſacramentum non cauſet adeptionem gloriæ.

2 Præterea, Poſita cauſa ſufficiẽti, ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc ſacramentum, qui numquam peruenient ad gloriam, vt patet per Aug. * 21. de ciuit. Dei. Nõ ergo hoc ſacramentum eſt cauſa adeptionis gloriæ.

lib. 21. c. 25. in fi. t. 5.

3 Præterea, Maius non efficitus â minori, quia nihil agit vltra ſuã ſpeciem. Sed minus eſt accipere Chriſtum ſub ſpecie aliena, quod fit in hoc ſacramento, quam frui eo in ſpecie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc ſacramentum nõ cauſat adeptionem gloriæ.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioa. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Sed vita æterna eſt vita gloriæ: Ergo effect⁹ huius ſacramenti adeptio gloriæ.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc ſacramento poteſt conſiderari, & id ex quo habet effectum, ſcilicet ipſe Chriſtus contentus, & paſsio eius repræſentata, & id per quod habet effectum, ſcilicet vſus ſacramenti, & ſpecies eius. Et quantum ad vtrumque competit huic ſacramento, quod cauſet adeptionẽ vitæ æternæ. Nam ipſe Chriſtus per ſuam paſsionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ. ſecundum illud Hebr 9. Noui teſtamẽti mediator eſt, vt morte intercedente, qui vocati ſunt, accipiant repromiſsionem ætertæ hæreditatis. Vnde & in forma huius ſacramenti dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti. Similiter etiam refectio cibi ſpiritualis, & vnitas ſignificata per ſpecies panis, & vini, habentur quidem in præſenti, ſed imperfectê: perfectê autem in ſtatu gloriæ. Vnde Auguſt. * dicit ſuper illud Ioan. 6. Caro mea vere eſt cibus, cum cibo, & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus & potus,

tract. 26. in Euang. non multũ remoiè â fine, to. 9.

tus, qui eos, â quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit in ſocietate ſanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut paſsio Chriſti, in cuius virtute hoc ſacramentum operatur, eſt quidem cauſa ſufficiens gloriæ, non tamen ita, quod ſtatim per ipſam introducamur in gloriam, ſed oportet vt prius ſimul compatiamur, vt poſtea ſimul glorificemur (ſicut dicitur Rom. 8. ita hoc ſacramentum nō ſtatim nos in gloriam introducit, ſed dat nobis virtutem perueniendi ad gloriam: & ideo viaticum dicitur. In cuius figuram legitur 3 Regum 19. quod Elias comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montē Dei Oreb.

Ad ſecundum dicendū, quod ſicut paſsio Chriſti non habet ſuum effectum in his, qui ſe ad eam non habent vt debent: ita & per hoc ſacramentum non adipiſcuntur gloriam, qui indecenter ipſum ſuſcipiūt. Vnde Auguſt.* dicit ſuper Ioan exponens illa verba, Aliud eſt ſacramentum, & aliud virtus ſacramenti. Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiā ad altare opportare. Vnde non eſt mirum, ſi illi qui innocentiam non ſeruant, effectum huius ſacramenti non conſequantur.

tract. 26. parum à me. to. 9. et gl or. ſup. illud 1. Corinth 11. Probet.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod Chriſtus ſub aliena ſpecie ſumitur, pertinet ad rationem ſacramenti, quod inſtrumentaliter agit. Nihil autem prohibet, cauſam inſtrumētalem producere potiorem effectum, vt ex ſupra dictis patet †.

q. 77. a. 3. ad 3. arg.

Concluſio affirmans eſt, & certa ſecundum fidem, quæ colligitur ex illo Ioannis 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternū*, vita autem æterna eſt vita gloriæ. Tum etiam ex eo quod in hoc ſacramento ſunt, & ipſe Chriſtus contentus, & eius paſsio repræſentata, & id per quod habet effectum, ſcilicet vſus ſacramenti, & ſpecies eius, vt dictum eſt art. præcedenti: & quantum ad hæc omnia operatur adeptionem gloriæ: nam Chriſtus per ſuam paſsionem aperuit hominibus aditum vitæ æternæ: ſimiliter refectio cibi ſpiritualis, & vnitas ſignificata per ſpecies panis & vini non habentur in præſenti vita, niſi imperfectè: perfectè autem in ſtatu gloriæ.

Igitur cum D. Thomas in tota hac quæſtione numeret ſex effectus Euchariſtiæ, qui ſūt collatio gratiæ, adeptio gloriæ, remiſsio peccati mortalis, remiſsio peccati venialis, remiſsio pœnæ pro peccatis debitæ, & præſeruatio à peccatis, ſciēdum eſt, quod licet omnes illos operetur Euchariſtia, non tamen eodem tempore, neque eodem modo, vt rectè notat Caietanus in commentario art. 1.

ART. III.

Vtrum effectus huius ſacramēti ſit remiſsio peccati mortalis?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod effectus huius ſacramenti ſit remiſsio peccati mortalis. Dicitur enim in quadam collecta, Sit hoc ſacramentum ablutio ſcelerum. Sed ſcelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc ſacramentum peccata mortalia abluuntur.

4 d. 9. a. 3. qu 2. & 6. fin & d. 12. q. 2. ar. 2. q. 2.

2 Præterea, Hoc ſacramentum agit in virtute paſsionis Chriſti, ſicut & baptiſmus. Sed per baptiſmum dimittuntur peccata mortalia: vt ſupra dictum eſt *. Ergo & per

q. 69. a. 1.

per hoc ſacramentum, præſertim cũ in forma huius ſacramenti dicatur, Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

3 Præterea, Per hoc ſacramentũ gratia confertur; vt dictum eſt †. Sed per gratiam iuſtificatur homo â peccatis mortalibus, ſecũdum illud Roman.3. iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Ergo per hoc ſacramentũ remittuntur peccata mortalia.

a.1. huius quæſt.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignê, iudicium ſibi manducat & bibit. Dicit autem gloſ. ibidem, quòd ille manducat, & bibit indigne, qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat: & talis manducat, & bibit ſibi iudicium †, id eſt damnationem. Ergo ille, qui eſt in peccato mortali, per hoc quòd accipit hoc ſacramentum, magis accumulat ſibi peccatum, quã remiſsionẽ ſui peccati cõſequatur.

glo. interli. ibid.

Reſpondeo dicendum, quod virtus huius ſacramenti poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum ſe: & ſic hoc ſacramentum habet virtutem ad remittendũ quæcumque peccata, ex paſsione Chriſti, quæ eſt fons, & cauſa remiſsionis peccatorum.

Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eũ qui recipit hoc ſacramentum, prout in eo inuenitur, vel non inuenitur impedimentum percipiendi huius ſacramẽti effectum. Quicumque autem habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiẽdi effectum huius ſacramẽti, eo quod non eſt conueniens ſuſceptor huius ſacramenti: tum quia non viuit ſpiritualiter, & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viuentis: tum quia non poteſt vniri Chriſto (quod fit per hoc ſacramentum) dum eſt in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, vt dicitur in lib. de Eccl.* dogmatibus, Si mẽs in actu peccandi eſt, grauatur magis Euchariſtiæ perceptione, quam purificetur. Vnde hoc ſacramentum in eo qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, nõ operatur remiſſionem peccati. Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſsionem peccati dupliciter. Vno modo, nõ perceptum actu, ſed voto, ſicut cum quis primo iuſtificatur â peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius cõſcientiam, & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus: ſed deuote, & reuerenter accedens, conſequetur per hoc ſacramẽtum, gratiam charitatis quæ contritionem perficiet, & remiſsionem peccati.

c.53. parũ a pr io. 3. inter opera Aug.

Ad primum ergo dicendum, quod petimus, vt hoc ſacramentum ſit ablutio ſcelerum: vel eorum, quorum conſcientiam non habemus (ſecundum illud Pſalm. 18. Ab occultis meis munda me Domine) vel vt contritio in nobis perficiatur ad ſcelerum remiſsionem, vel etiam vt nobis robur detur ad ſcelera vitanda.

Ad ſecundum dicendũ, quod baptiſmus eſt ſpiritualis generatio, quæ eſt mutatio de non eſſe ſpirituali in eſſe ſpirituale, & datur per modum ablutionis, Et ideo quantũ ad vtrumque, non inconuenienter accedit ad baptiſmum, qui habet conſciẽtiã peccati mortalis. Sed per hoc ſacramentũ homo ſumit in ſe Chriſtũ per modum ſpiritualis nutrimenti, quod nõ cõpetit mortuo in peccatis. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium dicendum, quod gratia eſt ſufficiẽs cauſa remiſsionis peccati mortalis: non tamen actu remittit peccatum mortale, niſi cum primo datur peccatori Sic autem nõ datur in hoc ſacramento. Vnde ratio non ſequitur.

Con-

Digitized by Google

Concluſio eſt: quod hoc ſacramẽtum in eo, qui ipſum percipit cũ conſcientia peccati mortalis, nõ operatur remiſsionem peccati ſicut neque gratiam: bene tamen in eo, qui cum tali conſcientia non accedit: quod cõtingit duobus modis, nimirum quãdo hoc ſacramentum non percipitur actu, ſed voto, ſicut cum quis prius iuſtificatur à peccato per contritionem cum deſiderio Euchariſtiæ explicito, vel virtuali: alio modo quando percipitur ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum non habet, ſed bona fide, vel cum ignorãtia inuincibili peccati mortalis, vel cum attritione exiſtimata contritione deuote, & reuerentur accedit ad hoc ſacramentum, tunc iſte per illud conſequitur gratiam, & remiſsionem peccati.

ART. IV.

Vtrum per hoc ſacramentum remittantur peccata venialia?

*inf. q. 87. [illegible] c. & 4. d. 12. q. 2. a. 1. q. 1. [illegible] a. 2. q. 1 per t. tra 26. in [illegible] med. [illegible] re [illegible] de [illegible] hoc ſacramentum. * 1. 2. q. 88. ar. 1. & 2.*

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod per hoc ſacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim ſacramentum, vt Aug. dicit † ſuper Ioan. eſt ſacramentum charitatis. Sed venialia peccata non contrariantur charitati, vt in ſecunda parte * habitum eſt. Cum ergo contrarium tollatur per ſuum contrarium, videtur quod peccata venialia per hoc ſacramentum non remittantur.

2 Præterea, Si peccata venialia per hoc ſacramentum remittantur, qua ratione remittitur vnum, remittuntur, & omnia. Sed non videtur, quod omnia remittantur; quia ſic frequenter aliquis eſſet abſque omni peccato veniali, contra id quod dicitur Io. 1. Si dixerimus quia peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus. Nõ ergo per hoc ſacramentũ remittitur aliquod peccatum veniale.

3 Præterea, Contraria mutuo ſe expellunt. Sed peccata venialia nõ prohibent â perceptione huius ſacramenti: dicit enim Aug. * ſuper illud Ioan 6. Patres veſtri manducauerũt manna in deſerto, & mortui ſunt. Innocentiam, inquit, ad altare portate: peccata, etſi ſunt quotidiana, nõ ſint mortifera. Ergo neque peccata venialia per hoc ſacramentum tolluntur.

tra. 26. in Io. parũ à me. t. 8.

Sed contra eſt, quod Innocentius Tertius * dicit, quod hoc ſacramentum venialia delet, & cauet mortalia.

in l. 4. de ſacro myſter. alt. ca. 1 [illegible] ante med.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc ſacramento duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſum ſacramẽtum, & res ſacramenti. Et ex vtroque apparet, quod hoc ſacramentum habet virtutem ad remiſsionem venialiũ peccatorum. Nam hoc ſacramentũ ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuũt feruorem charitatis, vt in ſecunda parte habitum eſt *. Et ideo competit huic ſacramento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Amb. * dicit in lib. de ſacram. quod iſte panis quotidianus, ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem huius ſacramenti eſt charitas, non ſolũ quantum ad habitum, ſed etiam quã tum ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, per quem peccata venialia ſoluuntur. Vnde manifeſtũ eſt, quod virtute huius ſacramẽti remittuntur peccata venialia.

2. 2. q. 24 ar. 10.

li. 5. c. 4 [illegible] me. 6. 4.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod peccata venialia, etſi non contrariantur charitati quantum ad habitum: contrariantur tamen ei, quãtum ad feruorem actus, qui excitatur per hoc ſacramentum: ratione cuius peccata venialia tolluntur.

Ad ſecundum dicendũ, quod illud verbum non eſt intelligendum quin aliqua hora poſsit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis: ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſine peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quod maior eſt virtus charitatis, cuius eſt hoc ſacramentum, quam venialium peccatorum. Nam charitas tollit per ſuum actum peccata venialia, quæ tamen non poſſunt totaliter impedire actum charitatis. Et eadem ratio eſt de hoc ſacramento.

RESpondet D. Thom. quod hoc ſacramẽtum tam per illud quod eſt ſacramentum tantum, quã per illud, quod eſt res ſacramenti operatur remiſsionem peccatorum venialium in ſubiecto diſpoſito: per ſacramẽtum quidem, quia eſt ſpecies cibi nutrientis: nutrimentum autem ſpirituale reſtaurat id quod in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia: per rem vero ſacramenti, quia eſt charitas non ſolum quantum ad habitum: ſed etiã quantum ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, & quo peccata venialia ſoluuntur.

ART. V.

Vtrum per hoc ſacramentum tota pœna peccati remittatur?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod per hoc ſacramentum tota pœna peccati remittatur. *4. d. 4. q. 2. a. 1. q. 2. ad 3. et d. 12. q. 2 ar 2. q. 3.* Homo enim per hoc ſacramentum ſuſcipit in ſe effectum paſsionis Chriſti (vt dictum eſt *) ſicut & per baptiſmum. **a. 1. & 2* Sed per baptiſmum percipit homo remiſsionem omnis pœnæ, virtute paſsionis Chriſti: quæ ſufficienter ſatisfecit pro omnibus peccatis, vt ex ſupra dictis patet *. *q. 69. a. 2* Ergo videtur, quod per hoc ſacramentum homini remittatur totus reatus pœnę.

2 Præterea, Alexander Papa dicit *, *Alex. I. in ep. ad omnes ortho. poſt mediũ illius.* Nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam corpus & ſanguis Chriſti. Sed per ſacrificia veteris legis, homo ſatisfaciebat pro peccatis ſuis: dicitur enim Leuit. 4. & 5. Si peccauerit homo, offeret hoc vel illud pro peccato ſuo, & remittetur ei. Ergo multo magis hoc ſacramentum valet ad remiſsionẽ omnis pœnæ.

3 Præterea, Conſtat quod per hoc ſacramentum aliquid de reatu pœnæ dimittitur. Vnde & in ſatisfactionem aliquibus iniungitur quod pro ſe miſſas faciant celebrari. Sed qua ratione vna pars pœnæ dimittitur, eadem ratione, & alia: cũ virtus Chriſti, quæ in hoc ſacramento continetur, ſit infinita. Ergo videtur quod per hoc ſacramentum tota pœna tollatur.

Sed contra eſt, quod ſecundũ hoc non eſſet homini alia pœna iniungenda: ſicut nec baptizato iniungitur.

Reſpondeo dicendum, quod hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium, & ſacramentum. Sed rationem ſacrificij habet, in quantum offertur: rationem autem ſacramenti, in quantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit; effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, vel in his, pro quibus

bus offertur. Si igitur conſideretur vt ſacramentum, habet effectum, dupliciter. Vno modo, directê ex vi ſacramenti, alio modo quaſi ex quadã concomitantia: ſicut & circa continentiam ſacramenti dictum eſt †. Ex vi quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciẽdum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per vnionem ad Chriſtũ, & ad membra eius: ſicut & nutrimẽtum vnitur nutrito. Sed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſsionẽ non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ: inde eſt, quod ex conſequẽti per quã dam concomitantiam ad principalẽ effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ: non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ deuotionis, & feruoris. In quantum vero eſt ſacrificium, habet vim ſatisfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit Lucæ 21. de vidua quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus miſit. Quãuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciẽdum pro omni pœna: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerẽtibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.

q. 76. ar. 1 & 2.

Ad primum ergo dicendum, quod ſacramentum baptiſmi directé ordinatur ad remiſsionem pœnę, & culpæ, non autem Euchariſtia, quia baptiſmus datur homini quaſi commorienti Chriſto; Euchariſtia autem quaſi nutriendo, & perficiendo per Chriſtũ. Vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendũ, quod alia ſacrificia & oblationes non operabantur remiſsionem totius pœnę, neque quantum ad quantitatem oblati, ſicut hoc ſacrificium, neque quantum ad deuotionẽ hominis, ex qua contingit, quod etiam hic non tollitur tota pœna.

Ad tertium dicendum, quod hoc, quod tollitur pars pœnæ, & nõ tota pœna per hoc ſacramentum, nõ contingit ex defectu virtutis Chriſti, ſed ex defectu deuotionis humanæ.

Reſponſum Angelici Doctoris eſt, quod oblatio Euchariſtiæ ex ſui quantitate ſufficit ad ſatisfaciendum pro omni pœna: nihilominus tamen hæc oblatio tantum eſt ſatisfactoria offerentibus, vel pro quibus offertur iuxta quantitatem deuotionis vniuſcuiuſque, & non pro tota pœna.

ART. VI.

Vtrum per hoc ſacramentũ præſeruetur homo à peccatis futuris?

AD ſextũ ſic proceditur. Videtur, quod per hoc ſacramẽtũ non præſeruetur homo â peccatis futuris. Multi enim digne ſumentes hoc ſacramẽtũ cadũt. Quod nõ accideret, ſi hoc ſacramẽtũ pręſeruaret â peccatis futuris. Nõ ergo effectus huius ſacramẽti eſt, â peccatis futuris pręſeruare.

4 d. 12 q. 2 a. 2. q. 2 ad 1. & d. 45. q. 2 a. 3. q. 1. ad 3.

2 Præterea, Euchariſtia eſt ſacramentum charitatis, vt ſupra dictum eſt *. Sed charitas non videtur præſeruare â peccatis futuris, quia ſemel habita poteſt amitti per peccatum, vt in ſecunda parte habitum eſt †. Ergo videtur, quod nec hoc ſacramentum præſeruet hominem â peccato.

ar. 4. huius q. ad 3.

2. 2. q. 24 ar. 11.

3 Præterea, Origo peccati in nobis, eſt lex peccati, quæ eſt in membris noſtris, vt patet per Apoſtol.

Roman.

Roman. 7. Sed mitigatio fomitis, qui eſt lex peccati, non ponitur effectus huius ſacramenti, ſed magis baptiſmi. Ergo præſeruare â peccatis futuris, non eſt effectus huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod Dominus dicit Ioann 6. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Quod quidē manifeſtum eſt, non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur, quod hoc ſacramentum præſeruet â morte ſpirituali *, quod eſt per peccatum.

al quæ eſt peccatum.

Reſpondeo dicendum, quod peccatū eſt quædam ſpiritualis mors animæ. Vnde hoc modo præſeruatur aliquis â peccato futuro, quo præſeruatur corpus â morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Vno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiua: & ſic præſeruatur â morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſeruatur per arma, quibus munitur corp⁹. Vtroque autem modo hoc ſacramētum præſeruat â peccato. Nam primo quidem per hoc quod Chriſto coniungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina: ſecundum illud Pſalm. 103. Panis cor hominis confirmat, & Auguſt. * dicit ſuper Ioan. Securus accede, panis eſt, non venenum. Alio modo, in quantum eſt quoddā ſignum paſsionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Vnde Chryſ. * dicit ſuper Ioan. Vt leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus, terribiles effecti diabolo.

trac 26 in Ioa. â med. to. 9.

hom. 45. in Io. â me. illius to. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus huius ſacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem, ſicut contingit de quaSlibet cauſa actiua, quod eius effectus recipitur in materia ſecundum modum materiæ. Homo autem in ſtatu viæ eſt huius conditionis, quod liberum arbitrium eius poteſt flecti in bonum, & malum. Vnde licet hoc ſacramentum, quantum eſt de ſe, habeat virtutem præſeruatiuam â peccato, non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi.

Ad ſecundum dicendū, quod etiam charitas quantum eſt in ſe, præſeruat hominem â peccato: ſecundū illud Rom. 13. Dilectio proximi malum non operatur, Sed ex mutabilitate liberi arbitrij contingit, quod aliquis poſt habitam charitatem peccat ſicut & poſt ſuſceptionem huius ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod licet hoc ſacramentum non directê ordinetur ad diminutionē fomitis, diminuit tamē fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem, quia ſicut Auguſtinus dicit in lib. 83. * Quæſtionum, Augmētū charitatis eſt diminutio cupiditatis. Directê autem confirmat cor hominis in bono: per quod etiam præſeruatur homo â peccato.

q. 36 paulò â pr. t. 4.

RESpondet D. Thom, præſeruari hominem à peccatis futuris per hoc ſacramentum dupliciter, nimirum quatenus per gratiam tāquam ſpiritualis cibus, & medicina roborat ſpiritualem vitam hominis: & quatenus vt ſignum paſsionis Chriſti per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem.

ART.

ART. VII.

Vtrum hoc ſacramentum proſit alijs, quam ſumentibus?

ſup. q. 78. a. 3. ad 8. & præſenti q. ar. 5. co & 4. d. 12. q. 2. a 2 q. 2. ad 4 & diſt. 45. q. 2 a 3. q. 1. ad 3. Io. 6. l. 6. fi.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſacramentum non proſit niſi ſumenti. Hoc enim ſacramentum eſt vnius generis cum alijs ſacramentis, vtpote alijs condiuiſum. Sed alia ſacramenta non proſunt niſi ſumentibus: ſicut effectum baptiſmi non ſuſcipit niſi baptizatus. Ergo nec hoc ſacramentum prodeſt alijs niſi ſumenti.

2 Præterea, Effectus huius ſacramenti eſt adeptio gratiæ, & gloriæ, & remiſsio culpæ ad minus venialis. Si ergo hoc ſacramentum haberet effectum in alijs, quam in ſumentibus, poſſet cõtingere, quod aliquis adipiſceretur, & gratiam, & gloriã, & remiſsionem culpæ, abſque actione, & paſsione propria, alio ſumente, vel offerente hoc ſacramentum.

3 Præterea, Multiplicata cauſa multiplicatur effectus. Si ergo hoc ſacramentum prodeſſet alijs, quam ſumentibus, ſequeretur quod magis prodeſſet alicui, ſi multi ſumerent hoc ſacramentum, multis hoſtijs in vna miſſa conſecratis. Quod non habet Eccleſiæ conſuetudo, vt ſcilicet multi communicent pro alicuius ſalute. Non ergo videtur, quod hoc ſacramentum proſit non ſumenti.

Sed contra eſt, quod in celebratione huius ſacramenti fit pro multis alijs deprecatio. Quod fruſtra fieret, niſi hoc ſacramentũ alijs prodeſſet. Hoc ergo ſacramentum non ſolum ſumentibus prodeſt.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut prius dictum eſt *) hoc ſacramentum non ſolum eſt ſacramentũ, ſed etiam eſt ſacrificium. In quantum enim in hoc ſacramento repræſentatur paſsio Chriſti, qua Chriſtus obtulit ſe hoſtiam Deo, vt dicitur Epheſ. 5. habet rationem ſacrificij: in quantum vero in hoc ſacramento traditur inuiſibilis gratia ſub viſibili ſpecie, habet rationem ſacramenti. Sic ergo hoc ſacramentum ſumentibus quidem prodeſt, & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij: quia pro omnibus ſumentibus offertur. Dicitur enim in canone Miſſæ, Quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur. Sed alijs qui nõ ſumunt, prodeſt per modum ſacrificij, in quantum pro ſalute eorum offertur. Vnde & in canone Miſſæ dicitur, Memento Domine famulorum famularũque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptionẽ animarum ſuarũ, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ. Et vtrumque modum proficiendi Dominus expreſsit, dicens Matth. 26. & Luc. 22. Qui pro vobis, ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet alijs, effũdetur in remiſsionem peccatorum. *ar. 5. huius q.*

Ad primum ergo dicendum, quod hoc ſacramentum præ alijs habet, quod eſt ſacrificium. Et ideo nõ eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendũ, quod ſicut paſsio Chriſti prodeſt quidem omnibus, quantum ad ſufficientiam & ad remiſsionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, ſed effectũ nõ

Digitized by Google

habet niſi in illis, qui paſsioni Chriſti coniunguntur per fidem, & charitatem: ita & hoc ſacrificium, quod eſt memoriale Dominicæ paſsionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramento per fidem, & charitatem. Vnde & Auguſt. * dicit ad Renatum, Quis offerat corpus Chriſti niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti? Vnde & in canone Miſſæ non oratur pro his, qui ſunt extra Eccleſiam: illis tamen prodeſt plus, vel minus, ſecundum modum deuotionis eorum.

in li. de anima, & eius origine c. 9 to. 7.

Ad tertium dicendum, quod ſumptio pertinet ad rationem ſacramenti, ſed oblatio pertinet ad rationem ſacrificij. Et ideo ex hoc, quod aliquis ſumit corpus Chriſti, vel etiã plures, non accreſcit alijs aliquod iuuamentum. Similiter etiam ex hoc quod ſacerdos plures hoſtias conſecrat in vna miſſa, non multiplicatur effectus huius ſacramenti, quia non eſt niſi vnum ſacrificium. Nihil enim plus eſt virtutis in multis hoſtijs conſecratis, quam in vna, cum ſub omnibus, & ſub vna non ſit niſi totus Chriſtus. Vnde nec ſi aliquis ſimul in vna miſſa multas hoſtias cõſecratas ſumat, participabit maiorẽ effectum ſacramenti. In pluribus vero miſsis multiplicatur ſacrificij oblatio. Et ideo multiplicatur effectus ſacrificij, & ſacramenti.

RESponſum Angelici Doctoris eſt, quod ratione ſacramẽti prodeſt ſumentibus, quibus & conſert gratiam: non ſumentibus vero prodeſt per modum ſacrificij in quantum pro ſalute eorum offertur.

ART. VIII.

Vtrum per veniale peccatum impediatur effectus huius ſacramenti?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod per veniale peccatum non impediatur effectus huius ſacramenti. Dicit enim Auguſt. * ſuper illud Ioan. 6. Patres veſtri manducauerunt manna, &c. Panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata etſi ſunt quotidiana, non ſint mortifera. Ex quo patet, quod venialia peccata, quæ quotidiana dicuntur, ſpiritualem manducationem non impediunt. Sed ſpiritualiter manducantes, effectum huius ſacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius ſacramenti.

4. d. 12. q. 2. ar. 1. q. 3. & a. 2. q. 1. ad 2.

tract. 26. in Io. post med. to. 9. & hẽtur de conſec. d. 2. c. 64.

2 Præterea, Hoc ſacramentum non eſt minoris virtutis, quam baptiſmus. Sed effectum baptiſmi (ſicut ſupra dictum eſt *) impedit ſola fictio, ad quam non pertinent peccata venialia, quia ſicut Sap. 1. dicitur Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neque effectum huius ſacramenti impediunt peccata venialia.

q. 69. a. 9

3 Præterea, Nihil quod remouetur per actionem alicuius cauſæ, poteſt impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc ſacramentum. Ergo non impediunt eius effectum.

Sed contra eſt, quod Damaſc. dicit in 4. lib. * ignis eius quod in nobis

ort. f. c. 14 à med.

bis eſt deſiderij, aſſumens eam quæ ex carbone, id eſt ex hoc ſacramento ignitionem, comburat noſtra peccata, & illuminet corda noſtra, vt participatione diuini ignis, igniamur, & deificemur. Sed ignis noſtri deſiderij, vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt feruorem charitatis, vt in ſecunda parte habitum eſt*. Ergo peccata venialia impediunt effectum huius ſacramenti.

1.2. q. 81 a. 4. & 2. 2. q. 24. a. 10.

Reſpondeo dicendum, quod peccata venialia dupliciter accipi poſſunt. Vno modo, prout ſunt præterita. Alio modo, prout ſunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius ſacramenti. Poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia cōmiſſa, deuotê accedat ad hoc ſacramentum, & plenarié huius ſacramēti conſequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius ſacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim *, quod effectus huius ſacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis: ſed etiā quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur ſi aliquis accedat ad hoc ſacramētum, per peccata venialia mente diſtractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.

a. 1. & 2. huius. q.

Ad primum ergo dicendum, quod ille, qui cum actu venialis peccati ad hoc ſacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, ſed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius ſacramēti percipit, non autem actualem.

Ad ſecundum dicendū, quod baptiſmus non ita ordinatur ad actualem effectum, id eſt feruorem Charitatis, ſicut hoc ſacramentum. Nam baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio per quam acquiritur prima perfectio quæ eſt habitus vel forma. Hoc autem ſacramentum eſt ſpiritualis mādueatio, quæ habet actualem delectationem.

Ad tertium dicendum, quod illa ratio procedit de venialibus præteritis, quæ per hoc ſacramentum tolluntur.

RESpondet D. Thomas per peccata venialia præterita non impediri effectum huius ſacramēti, ſicut neque gratiam: per peccata autem venialia actu exercita impediri quidem non effectum habitualis gratiæ & charitatis, vel eius augmentum, ſed alium effectum, nimirum actualem refectionem ſpiritualis dulcedinis: hæc enim impeditur in illo, qui accedit ad hoc ſacramentum mente diſtractus, per peccata venialia.

17 Circa doctrinam huius quæſtionis tres difficultates ſeſe offerunt enodandæ.

Prima eſt. An Euchariſtia in aliquo caſu cauſet primam gratiam?

Secunda eſt: quam diſpoſitionem requirat in ſuſcipiente ad cauſandam gratiam propriam, hoc eſt ad quam fuit inſtituta?

Tertia eſt : quando talem gratiam operetur?

Ad quas eodem ordine eſt reſpondendum.

AD primam igitur plures, de quorum numero ſunt Canus libro 12. de locis cap. 13. Corduba lib. 1. queſtione 3, Gabriel lectione 85. ſuper Canon, Ruardus Thaper artic. 16. Durandus in 4. diſtinct. 12. quæſtione 4. & Vazquius diſputatio 228, capit. 2. Reſpondēt negatiuè moti hoc fundamento non contemnendo: quia ſacramētis nihil eſt concedendum præter id quod conſtat, vel ex ſacra Scriptura, vel ex Cōcilijs, vel ex Patribus, vel ex eorum inſtitutione: quod autem Euchariſtia conferat primam gratiam ex nullo capite cōſtat, etenim in Scriptura, Concilijs & Patribus nullum inuenitur verbum hoc indicans: neque ex eius inſtitutione apparet: quia cum hoc ſacramentum ſit inſtitutum ad modum cibi corporalis, ſicut iſte in nullo caſu, neque per accidens applicatur mortuo, ita neque Euchariſtia in aliquo caſu poteſt applicari vtiliter mortuo ſpiritualiter, ſed ſicut cibus corporalis operetur ſuū effectum, debet ſemper, & in omni euentu ſumi à viuente corporaliter, ita & hic cibus ſpiritualis debet ſemper ſumi a viuente ſpiritualiter, hoc eſt ab habente gratiam vt operetur ſuum effectum: ergo neque ex inſtitutione huius ſacramenti poteſt colligi quod cauſet aliquando primam gratiā, ſed potius oppoſitum colligitur.

Quod amplius confirmant: nam ſacramenta nouæ legis in nullo euentu cauſant niſi quod ſignificant, & quod habent cauſare ex ſua inſtitutione: ſed Euchariſtia nullo modo ſignificat primam gratiā, neque ad illam cauſandam fuit inſtituta: alias eſſet ſacramentum mortuorum, & nō viuorum: ergo,

18 Alij vero de quorum numero ſunt Paludanus in 4. diſtinct. 9. quæſtion. 1, Ricardus art. 2. quæſt. 1. Petrus de Soto lection. 12. de Euchariſtia, Scotus d. diſtinct. 9. quæſt. vnica, Alenſis queſt. 46 membro 3. art. 2. Palacios in eadem diſtinctione 9. quæſt. 4. Diu. Antoninus 3. parte titulo 14. c. 12. §. 6. Sylueſt. Victor. & alij quos citat, & ſequitur Suarius hic diſp. 63. ſect. 1. Reſpōdent affirmatiuè quibus aſſentior: & dico quod ſi quis accedat ad Euchariſtiam atritus, & ignorans inuincibiliter ſe eſſe in peccato mortali, vel quia poſt factam ſufficientem diligentiam nullius peccati mortalis recordatur, vel quia eo inuento acceſsit ad ſacramentum pœnitentiæ, & ſine culpa ipſum recipit informe: vel ſi accedat cum attritione de peccato mortali exiſtimata contritione nō habens copiam confeſſoris: tunc ſumendo Euchariſtiam ex vi illius recipiet primam gratiam, qua delebitur eius peccatum mortale.

Statuitur vt verior ſentētia admitens Euchariſtiam dare primā gratiā in aliquo caſu cōtra Vazquium.

Dixi ex vi *illius*: ad denotandum quod non ſolum Deus intuitu Euchariſtię receptæ miſericorditer conferet huic homini auxilium medio quo habeat contritionem & iuſtificetur; vt dicunt authores contrariæ opinionis interprætantes Angelicum Doctorem in hoc art. 3. ſed quod ipſa Euchariſtia ex propria virtute, & ex opere operato huic homini ſic recipienti conferet primam gratiam remiſsiuam peccati mortalis.

In quam ſententiam adducor primo propter authoritatem Angelici Doctoris, nedum in dict. art. 3. huius quæſtionis ſed etiam in 4. diſt. 9 quæſt. 1. art. 3 quæſtiuncula ſecunda: vbi ait in caſu noſtræ concluſionis, quod talis homo ſumēs Euchariſtiam non peccat, ſed magis ex vi ſacramenti conſequitur remiſsionem peccati, & diſtinctione 12. quæſtione 2. artic. 2 quæſtiuncula 2. ad primum, & ad tertium, vbi inquit, quod aliquis cum peccato mortali, ſine eius tamen conſcientia ſi deuote accedat ad Euchariſtiam, conſequetur veniam peccati: quæ verba nullam admittūt interprætationem.

Secundo propter hanc rationem ſumptam a paritate cum alijs ſacramentis mortuorum: hæc enim quamuis ex ſua inſtitutione habeant ſupponere ſubiectum mortuum, & primam gratiam cauſare: tamen ſi aliquando inueniant ſubiectum cū vita gratiæ, cauſant in illo virtute propria, & ex opere operato ſecundam gratiam: ergo pariter Euchariſtia, licet ſit ſacramentum

tum viuorum habens ex propria inſtitutione ſupponere ſubiectum viuum, poterit virtute propria, & ex opere operato cauſare primam gratiam, aliquando, nimirum in caſibus concluſionis. Conſequentia patet, quia vtriuſque eadem eſt ratio: imò & efficacior videtur eſſe in hoc ſacramento, in quo continetur fons gratiæ, præterquamquod congruum, & debitum eſt, vt homini bona fide accedenti, & ſufficienter probato, & attrito, gratiam tribuat. Nam ſicut contraria opinio docet eſſe congruentiam, vt in prædicto caſu Deus miſericorditer peccatum remittat: ita & noſtra ſententia affirmat eandem cõgruentiam eſſe ſufficientem, vt dicamus Euchariſtiam conferre primam gratiam tunc virtute propria, & ex opere operato.

Ad fundamentum autem aduerſariorum reſpondetur illud tantum conuincere quod Euchariſtia per ſe ex propria inſtitutione non habeat remittere peccatum mortale, & cauſare primam gratiã: cum quo tamen ſtat, quod per accidens in aliquo euentu illam cauſet: ſicut & ſacramẽta mortuorum in aliquo euentu, & per accidens cauſant ſecundam gratiam, quamuis per ſe, & ex ſua inſtitutione tantum habeant cauſare primam.

20 Neque opportet, quod Euchariſtia imitetur in omnibus cibum corporalem, ſicut neque baptiſmus imitatur generationem naturalem in omnibus, licet inſtitutus ſit ad modum illius; vndè licet per naturalem generationem in nullo euentu cauſetur augmentum vitæ: benè tamen per baptiſmum poteſt cauſari per accidens: &c. Diſcrimen igitur inter vtrumque cibum conſiſtit in hoc, quod ſpiritualis conuertit ſubiectum, cui applicatur in ſe, & quando applicatur in caſu concluſionis non applicatur ſubiecto omnino mortuo: ſed aliqualiter viuenti per actus ſupernaturales fidei, ſpei, & attritionis: materialis autem cibus conuertitur in ſubiectum à quo ſumitur: vndè ſi applicetur ſubiecto carenti potentia conuerſiua vitali, neutiquam poterit illi prodeſſe.

Si dicas: ergo Euchariſtia non petit ſubiectum in gratia: ac proinde debuit inſtitui, vt ſacramentum mortuorum, & non viuorum. Reſpondetur negando conſequentiam, vel diſtinguendo ſic conſequens; nimirùm, quod Euchariſtia per ſe, & ex vi inſtitutionis petit ſubiectum viuum vita gratiæ, quia fuit inſtituta ad modũ cibi corporalis quãtũ ad hoc, quod per ſe habet ſupponere ſubiectum viuens; & applicari viuenti; hoc tamen non tollit, quin in aliquo caſu per accidens producat primam gratiam, per id in quo differt à cibo corporali, & ipſum non imitatur.

Ad confirmationem neganda eſt maior iuxta dicta de ſacramentis mortuorum.

21 AD ſecundam difficultatem quantum attinet ad diſpoſitionem requiſitam vt Euchariſtia cauſet perfectiorem effectum quamdiu durat in ſtomacho, dicendum eſt requiri actum maioris ſiue intenſioris deuotionis, & feruentioris charitatis continuatum, vel de nouo elicitum: ad poſitionem enim huiuſmodi actus feruentioris, abundantiorem quoque gratiam cauſabũt ſpecies ſacramentales durantes in ſtomacho, vt ſtatim dicemus. *Expeditur ſtatus ſecũdæ difficultatis.*

Quantum verò attinet ad diſpoſitionem requiſitam vt Euchariſtia cauſet primam gratiam per accidens, iam conſtat ex dictis quæ, & qualis debeat eſſe talis diſpoſitio.

Quare difficultas ſolum eſt in præſenti circa diſpoſitionem requiſitam ad hoc vt Euchariſtia cauſet proprium effectum, hoc eſt augmentum gratiæ cibantis ac nutrientis.

In qua duæ verſantur ſententiæ. Prima eſt illorum qui dicunt non ſufficere ſtatum gratiæ habitualis in ſuſcipiente, ſed vlterius requiri aliquam actualem deuotionem. Quam ſequuntur Alenſis 4. p. quæſt. 41. membro 3. art. 2. Antoninus 2. parte tit. 13. capite 6. §. 8. Bonauentura in quarto diſtinct. 14. art. 2. quæſtione 1. Durandus quæſt. 4. art. 2. Paludanus quæſtione 1. articulo 2. Syluester verbo *Euchariſtia* circa finem, Caietanus in hoc art. 8. & Petrus de Soto lectione 12. de Euchariſtia, & eandem ſequutus fuit Diuus Thomas in eodem quarto diſtinctio. 12. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 3.

Quorum fundamentum eſt duplex, vnum quidem deſumptum ex teſtimonijs Sanctorum Patrum vt Baſilij lib. 1. de baptiſmo cap. vltimo, & in regulis breuibus in 172. & Auguſtini lib. de Eccleſiaſticis

dogmatibus c. 53. & tractatu 26. in Ioannem. & Anſelmi ſuper ſecundam ad Corinthios 11., & aliorum qui vbicumque loquuntur deſumentibus hoc ſacramentum dicunt requiri nedum vt in ipſa ſumptione non peccet venialiter, ſed inſuper requiri aliquem poſitiuum actum deuotionis, vel charitatis.

Secundum deſumitur ex proportione cibi corporalis, qui non cauſat effectum in manducante niſi manducans aliquam actionem poſitiuam exerceat: ergo ſimiliter Euchariſtia non cauſat ſuum effectum in manducante, niſi dependenter ab aliqua actione poſitiua manducantis.

Quæ amplius confirmantur ab inconuenienti quod videtur ſequi ex oppoſita ſententia: nimirùm quod aliàs poſſet quis peccare venialiter in ſumptione Euchariſtiæ, & ſimul creſcere in gratia & feruore charitatis, quia ſunt effectus huius ſacramenti: hoc autem abſurdum videtur: ergo.

22 Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium ſufficere ſtatum gratiæ habitualis, ſine aliqua alia diſpoſitione ſiue poſitiua, ſiue negatiua, vt hoc ſacramẽtum ſuum effectum, ideſt augmentum gratiæ nutrientis cauſet: ita vt licèt communicans ſit mente diſtractus, & actu venialiter peccans nihilominus ſi habeat gratiam habitualem, recipiet huiuſmodi augmentum quo ſpiritualiter nutriatur.

Hanc tenent expræſsè Diu. Thomas in hoc articulo 8. Gabriel lectio, 85 in Canon Adrianus quæſt, 1, de Euchariſtia Soto in 4. diſtinct. 12. quæſtione 2. articulo 8. Ledeſma quæſt. 20. art, 1, dubio 4. Victoria in ſuma nu. 66. Suar. diſp. 63. ſect. 3. & Vazqu. diſputatione 207 capite 2.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et probatur primo ex Concilio Tridentino ſeſsione 13. capit. 7 vbi ad effectum huius ſacramenti recipiẽdum, ad eiuſquè dignam ſumptionem nihil aliud requirit niſi ſtatũ gratiæ, & ſacramentalem confeſsionem peccati mortalis, & ita inquit Concilium per hoc adimpleri præceptum illud Pauli primæ ad Corinthios 11. *probet ſeipſum homo.*

Secundo probatur hac ratione: nã augmentum gratiæ nutrientis in facto eſſe conſideratum non habet repugnantiam cum carentia actualis deuotionis: neque cum peccato veniali: poteſt enim compati cum illis: ac proinde illa non erunt impedimentum, quominus Euchariſtia prædictum augmentum conferat, ſi aliud nõ obſtet: aliud autem non obſtare, patet ex ſolutione fundamentorum contrariæ ſententiæ.

23 Ad quorum primum reſpondetur Patres illos loqui non de diſpoſitione ſufficienti, & neceſſaria, ſolum, ſed de illa quę vtilior, ac decens eſt dignitatem tanti ſacramenti, & conducit ad alios fructus illius percipiendos.

Ad ſecundum nego conſequentiam, diſparitas eſt quod cibus materialis eſt omnino mortuus, ac perconſequens indiget actione viuentis, vt in eius ſubſtantiam conuertatur: Euchariſtia verò eſt cibus ſpiritualis, & viuus animam in ſe ſpiritualiter conuertens: qui propterea nulla actione poſitiua ex parte animæ concomitante indiget.

Ad confirmationem admiſſa ſequela neganda eſt minor: nullum enim abſurdum eſt quod manducans ſimul peccet venialiter, & ex opere operato recipiat augmentum gratiæ,

24 AD tertiam difficultatem omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo quod Euchariſtia cauſat effectum gratiæ in eo inſtanti, ſiue intrinſeco, ſiue extrinſeco (de quo modo nõ diſputamus) terminatiuo ipſius manducationis; in quo eſt verum dicere quod manducatur, & quod eſt recepta in ſtomacho, vel ventriculo, huius ratio eſt, quia gratia huius ſacramenti promiſſa eſt manducanti, vel deglutienti illud per modum nutrimenti: ergo non recipit huiuſmodi gratiã niſi ille qui verè & complętè manducat illud. *Status tertiæ difficultatis declarat in quo Doctores cõueniunt.*

Ex quo licèt colligere primo, quod qui detinet ſpecies ſacramentales in ore, vſque ad earum corruptionem, vel euomit illas antequam deglutiantur, non recipit effectum huius ſacramẽti. Licèt colligere ſecundo, quod ſi aliqua pars ſpecierum deglutiatur, cæteris corruptis in ore, vel foras per vomitum expulſis ſatis erit ad effectum huius ſacramenti recipiendum: eo quod in quacumque parte ſpecierum eſt totus

Digitized by Google

tus Chriſtus, & illa in ordine ad reliquas conſtituit vnum conuiuium per modum cibi; vel potus. Non tamen licèt ex hoc inferre, quod ſi plures particulæ ſucceſsiuè ſumantur in eodem ſacrificio, vel communione, plures gratiæ partiales producātur in recipiente: quoniam tunc omnes dictæ particulæ efficiunt refectionem vnam moraliter per modum cibi, vel potus: atque adeò reliquæ particulæ poſt primam receptæ, iam inueniunt productum effectum ſibi correſpondentem: quem tamen producerent, ſi non inuenirent productū: vt contingeret in caſu quo ſumens primā particulam hoſtiæ conſecratæ in peccato mortali, & poſtea ante ſumptionem ſecundæ particulæ habeat contritionem, vel attritionem exiſtimatam contritionem, ſecunda particula cauſabit per accidens quidem cum attritione primam gratiam; cum attritione verò per ſe conferet augmentū gratiæ: cum contritione inquam præhabita ſi enim contritio in eodem inſtanti terminatiuò manducationis ſecundæ particulæ haberetur, primam quoque gratiam cum illa etiam abundantiorem conferret.

25 Diſcriminantur verò in explicando vtrum poſt completam manducationem ſpecierum toto tempore quo incorruptæ permanent in ſtomacho Chriſtum continentes, conferant augmentum gratiæ, in duas ſententias, quarum vna eſt negans; quam tuentur Soto in 4. diſtinction. 11. queſtione 2. artic. 1. Ledeſma quæſt. 20. art, 1. Victoria in ſumma numer, 706. Suarius diſp. 79. ſectione 7. & Vazquius diſputat, 202. cap. 2. quam probant tripliciter.

Primò, authoritate Angelici Doctoris quæſt. ſequenti art. 8. ad 6. vbi docet effectum huius ſacramenti perfici in ipſa ſumptione, in qua requiritur maxima deuotio, quia tunc perficitur effectus ſacramenti.

Secundo ratione a priori, quia nimirùm gratia quæ confertur in Euchariſtia non eſt promiſſa niſi manducanti, & bibenti: atqui eo tempore quo poſt ſumptionem permanent ſpecies in ſtomacho, neque manducantur, neque bibuntur.

Tertio ab inconuenienti, quadruplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia.

Primum eſt, quod ſi quis in peccato mortali communicet, & poſtea prorumpat in actum contritionis antequam ſpecies corrumpantur recipiet fructum huius ſacramenti.

Secundum eſt, quod eſſet vtilius, & melius ſumere magnam quantitatem ſpecierum, & habere debiliorem calorem in ſtomacho. Tertium eſt, quod peccet ſpecialiter ille, qui licèt Chriſtum manducauerit dignè, tamen indignè ipſe in ſe conſeruat, apponendo impedimentum influxui gratię.

Quartum eſt; quod gratia augeretur neceſſariò toto illo tempore quo ſpecies ſunt in ſtomacho: appoſita enim diſpoſitione ſufficiente, & requiſita gratiæ habitualis præexiſtentis à principio: nulla alia requiritur, vt Euchariſtia illam augeat magis ac magis, ſi adhoc habet vim ex ſe: quæ tamen videntur abſurda nullatenus admittenda: ergo, &c.

26 Secunda, nihilominus ſententia, & à nobis tenenda affirmans eſt, quam tuentur Gabriel in dicta lectione 85. Maior in quarto diſtinctione 9. quæſtione 1. Paludanus diſtinct. 17. quæſtion. 8. Ruardus art, 15. & Caietanus in artic. 1. huius quæſtionis, & vt probabilem defendunt etiam Nuño ibidem, & Suarius in dicta ſectione 7. concluſ. 3.

Præfertur opinio dicētiū Euchariſtiā toto tēpore, quo durat in ſtomacho conferre gratiā aduerſus Suariū et Vazqu.

Et probatur quia hoc ſacramentum fuit inſtitutum ad modum cibi corporalis, qui operatur non ſolum in inſtāti terminatiuo ſumptionis, ſed etiam in toto tēpore quo eius virtus in ſtomacho durat: ſi adſint cœtera requiſita: ideſt ſi recipiens apponat neceſſariam diſpoſitionem eliciēdo, ſcilicet aliquem actum deuotionis, & charitatis.

Neque valet dicere Euchariſtiam non aſsimilari cibo corporali in omnibus non enim aſsimilatur illi in eoquod ſicut cibus corporeus vt proſit, debet prius corrumpi, ſic ſpecies ſacramentales, &cet. ac per conſequens, neque aſsimilabitur in eoquod ſicut cibus corporeus prodeſt, quamdiu durat in ſtomacho, ita & ſpecies ſacramentales, &c. Non inquam valet quia in illa conditione corruptionis, & ſimilibus apparet ratio ob quam Euchariſtia nō debeat imitari cibum corporalem, cœterum in hac conditione de qua diſputamus nulla apparet ratio quare non debeat imitari illum: & alias cedit in magnam dignitatem huius ſacramenti quod ſic illum imitetur: fideleſque ad eiuſdem deuotionem maximè excitat: ergo

Digitized by Google

non eſt cur talis conditio ſit ei denegan-da.

Ad primum autem fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod D. Thomas ibi affirmat vnum, quod eſt certum, nempè in ipſa ſumptione percipi ſacramenti effectum; & ideo opportere tunc ſumentē eſſe ieiunum, quod intēdebat S. Doctor: per hoc tamen non negat aliud, quod eſt incertum, ſcilicet poſtea etiam poſſe fructum percipi, ſi communicans ſe diſponat: & propter incertitudinem, tam diſpoſitionis, quam opinionis huius non eſt præceptum ieiunij, vſque dum ſpecies conſumātur: eſt autem optimum Conciliū, & quod antiquitus ſeruabatur, vt adnotauit ibi D. Thomas.

Ad ſecundum reſpondetur effectum qui in Euchariſtia confertur eſſe promiſſum manducanti, vt conditioni applicanti, cibo autem mādueato, vt rationi formali, & virtuti agendi: vnde ſemel applicatus hic ſpiritualis cibus agit dum durat; ſi ponatur diſpoſitio ex parte ſubiecti, de qua ſtatim.

Ad tertium ex inconuenientibus deſumptum reſpondetur: Ad primū quod illud non eſt inconueniens. Ad ſecundum quod per accidens eſt eſſe meliora illa, & non per ſe: etenim per ſe ſtatū attenditur ad meliorem ſubiecti diſpoſitionem. Ad tertium negatur ſequela: ſumens enim Euchariſtiam non debet tollere obicem pro omni tēpore, ſed tantum quādo primo communicat: & obex ſubſequutus tantum impedit effectum, quem homo non tenetur vitare. Ad primum principale reſpondetur: negando ſimiliter ſequi augeri neceſſario gratiam toto illo tempore: quoniam diſpoſitio ſubiecti ad effectum Euchariſtiæ nouiter recipiendum, debet attendi penes aliquem actum ſubiecti.

Itaque, vt diximus ſupra, Euchariſtia quamdiu durat in ſtomacho cauſabit ſuū effectū, hoc eſt maiorem, aut minorē gratiā, ſi adſint requiſita, hoc eſt maior, ac maior diſpoſitio ſubiecti conſiſtens in intenſiori, vel feruentiori actu de nouo producto, vel in eodem actu continuato, ac magis durante: & poſita huiuſmodi diſpoſitione ſit quaſi magis propinquum hoc agens, quod primo cauſauit totum, quod potuit pro tunc: ſicut lucidum applicatum ſpatio cauſat in primo inſtanti totam lucem, quam pro tunc poteſt: cæterum ſi magis applicetur, maiorem quoque lucem diffundet: ita Euchariſtia ſi per maiorem diſpoſitionem ſubiecti fiat quaſi magis propinqua, maiorem quoque, & nouum cauſet effectum gratiæ.

QVAE.

QVAESTIO LXXX.

De vſu, ſeu ſumptione huius ſacramenti in communi, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum diſtingui debeant duo modi manducandi corpus Chriſti?

Inf. a. 2. 3. cc. & 4. d. 9 a. 1 q. 1. ad . & q. 3 per tot. & Io. 6. li. 7. col. . & 2. & 1 Co. 11. le. 7. co. 3. ſi. et op. 58 ca. 17. 18. 19. & 20.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod non debeant diſtingui duo modi manducandi corpus Chriſti, ſcilicet ſacramentaliter, & ſpiritualiter. Sicut enim baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio (ſecundum illud Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.) ita etiam hoc ſacramentum eſt ſpiritualis cibus, vnde Dominus de hoc ſacramento loquens, dicit Ioan. 6. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sed circa baptiſmum non diſtinguitur duplex modus ſumendi, ſcilicet ſacramentalis, & ſpiritualis. Ergo neque circa hoc ſacramentum debet hæc diſtinctio adhiberi.

2 Præterea, Ea quorum vnum eſt propter alterum, non debent ad inuicem diuidi: quia vnum ab alio ſpeciem trahit. Sed ſacramentalis manducatio ordinatur ad ſpirituale͂, ſicut ad finem. Non ergo debet ſacramentalis manducatio co͂tra ſpiritualem diuidi.

3 Præterea, ea, quorum vnu͂ poteſt eſſe ſine altero, non debent contra ſe diuidi. Sed videtur quod nullus poſſit manducare ſpiritualiter, niſi etiam ſacramentaliter manducet: alioquin antiqui patres hoc ſacramentum ſpiritualiter manducaſſent. Fruſtra etiam eſſet ſacramentalis manducatio, ſi ſine ea ſpiritualis eſſe poſſet. Non igitur conuenienter diſtinguitur circa hoc ſacramentu͂ duplex manducatio, ſcilicet ſacramentalis, & ſpiritualis.

Sed contra eſt, quod ſuper illud 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indigne, &c. dicit gloſ.* Duos dicimus eſſe modos manducandi: vnu͂ ſacramentalem, & alium ſpirituale͂. gl. or. ibid.

Reſpondeo dicendum, quod in ſumptione huius ſacramenti duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum ſacramentum, & effectus ipſius: de quorum vtroque iam ſupra dictum eſt †. q. præced. Perfectus igitur modus ſume͂di hoc ſacramentum ſuſcipit, quod percipit eius effectum. Contingit autem qua͂doq; (ſicut ſupra dictu͂ eſt *) quod aliquis impeditur â percipie͂do effectu huius ſacrame͂ti. (q. præc. ar. 3. 7. & 8.) Et talis ſumptio huius ſacrame͂ti eſt imperfecta. Sicut igitur perfectu͂ co͂tra imperfectu͂ diuiditur: ita ſacramentalis manducatio, per quam ſumitur ſolum ſacramentum ſine effectu ipſius, diuiditur

contra ſpiritualem manducationem per quam quis percipit effectum huius ſacramenti, quo ſpiritualiter homo Chriſto coniungitur per fidem, & charitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam circa baptiſmum, & alia huiuſmodi ſacramenta ſimilis diſtinctio adhibetur. Nam quidam ſuſcipiunt tantum ſacramētum, quidam vero ſacramentum, & rem ſacramenti. In hoc tamen differunt, quia cū alia ſacramenta perficiantur in vſu materiæ, percipere ſacramentum, eſt ipſa perfectio ſacramenti. Hoc autem ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ: & ideo vterque vſus eſt conſequens hoc ſacramentum. In baptiſmo etiam, & in alijs ſacramentis characterem imprimentibus, illi qui accipiunt ſacramentū, recipiunt aliquem ſpiritualem effectum, ſcilicet characterem: quod nō accidit id hoc ſacramento. Et ideo magis in hoc ſacramento diſtinguitur vſus ſacramentalis â ſpirituali, quam in baptiſmo.

Ad ſecundum dicendū, quod ſacramentalis manducatio, quæ pertingit ad ſpiritualem, non diuiditur contra ſpiritualem, ſed includitur ab ea. Sed illa ſacramentalis manducatio cōtra ſpiritualem diuiditur, quæ effectum non conſequitur, ſicut imperfectum quod nō pertingit ad perfectionem ſpeciei, diuiditur contra perfectum.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) effectus ſacramenti poteſt ab aliquo percipi, ſi ſacramentum habeat in voto, quamuis non accipiat in re. Et ideo ſicut aliqui baptizantur baptiſmo flaminis propter deſiderium baptiſmi, antequam baptizentur baptiſmo aquæ: ita etiam aliqui manducant ſpiritualiter hoc ſacramentum, antequam ſacramentaliter ſumant. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo propter deſiderium ſumendi ipſum ſacramentum: & hoc modo dicuntur baptizari, & manducare ſpiritualiter & non ſacramentaliter, illi qui deſiderant ſumere hæc ſacramenta iam inſtituta. Alio modo propter figuram, ſicut dicit Apoſt. 1. Corint. 10. Quod antiqui patres baptizati ſunt in nube, & in mari, & quod ſpiritualem eſcam manducauerunt, & ſpiritualem potum biberunt. Nec tamen fruſtra adhibetur ſacramentalis manducatio, quia plenius inducit ſacramenti effectum ipſa ſacramēti ſuſceptio quam ſolum deſideriū: ſicut ſupra circa baptiſmum dictum eſt *.

q 66. art. 11. q. 68. a. 1. q. 73. a. 3.

q. 69. a. 4. ad 2 & q. 66 a. 11. & 12.

In hoc articulo docet D. Thom hoc ſacramentum poſſe manducari imperfectè, & perfecte: perfecte quidem manducatur, quando percipitur ſimul cum ſacramento effectus ſacramenti: imperfecte vero, quando non percipitur effectus: & hic ſecundus modus manducandi appellatur ſacramentalis: primus autem ſpiritualis, & ſacramentalis ſimul, quibus accedit doctrina eiuſdem Angelici Doctoris articulo ſequenti probata in Concilio Tridentino ſeſsione 13. cap. 8. quod datur alius modus manducandi, nempè ſacramentalis, qui contingit iuſtis, quando fide viua deſiderant efficaciter ſuſcipere realiter hoc ſacramentum.

ART.

ART. II.

Vtrum ſolius hominis ſit hoc ſacramentum ſpirituali ter ſumere?

4. d. 9. a. 2 q. 2. & 5. & 1. Cor. 11 lec. 7. co. 3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod non ſolius hominis ſit hoc ſacramentum ſpiritualiter ſumere, ſed etiam Angelorum. Quia ſuper illud Pſalm. 77. Panem Angelorum manducauit homo, dicit gloſ. id eſt corpus Chriſti, qui eſt vere cibus Angelorum. Sed hoc non eſſet, ſi Angeli ſpiritualiter Chriſtum non manducarent. Ergo Angeli ſpiritualiter Chriſtum manducant.

tra. 26 in Ioan. to. 9.

2 Præterea, Aug. * dicit ſuper Ioan. Hunc cibum, & potum, ſocietatem uult intelligi corporis, & mẽbrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis. Sed ad iſtam ſocietatẽ non ſolum pertinent homines, ſed etiam ſancti Angeli. Ergo ſancti Angeli ſpiritualiter manducant.

3 Præterea, Aug in lib. de Verbis Domini dicit, Spiritualiter manducandus eſt Chriſtus, quoniam ipſe dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed hoc conuenit non ſolum hominibus, ſed etiã ſanctis Angelis: in quibus per charitatẽ eſt Chriſtus, & ipſi in eo. Ergo videtur, quod ſpiritualiter manducare, non ſolum ſit hominum, ſed etiam Angelorum.

tr. 26. Io. p. rum poſt med. to. 9. refertur de conſ. 2. ca. Panem de altari.

Sed contra eſt, quod Aug. * dicit ſuper Ioan, Panem de altari ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate. Sed Angelorum non eſt accedere ad altare, tamquam aliquid inde ſumpturi. Ergo Angelorum non eſt ſpiritualiter manducare.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc ſacramento continetur ipſe Chriſtus, non quidem in ſpecie propria, ſed in ſpecie ſacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare ſpiritualiter ipſum Chriſtum. Vno modo prout in ſua ſpecie conſiſtit. Et hoc modo angeli manducant ſpiritualiter ipſum Chriſtum, in quantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta (quem panem expectamus in patria) nõ per fidem, ſicut nos ei hic vnimur. Alio modo contingit ſpiritualiter manducare Chriſtum, prout eſt ſub ſpeciebus huius ſacramenti: in quantũ ſcilicet aliquis credit in Chriſtum cũ deſiderio ſumendi hoc ſacramentũ. Et hoc non ſolum eſt ſpiritualiter manducare Chriſtum, ſed etiam ſpiritualiter manducare hoc ſacramentum, quod non competit angelis. Et ideo licet angeli ſpiritualiter manducent Chriſtum: non tamen conuenit eis ſpiritualiter manducare hoc ſacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod ſumptio Chriſti ſub hoc ſacramento, ordinatur ſicut ad finem ad fruitionẽ patriæ, qua angeli eo fruũtur. Et quia ea quæ ſunt ad finem, deriuantur à fine: inde eſt quod iſta manducatio Chriſti, qua eum ſumimus ſub ſacramento, quodammodo deriuatur ab illa manducatione, qua angeli fruuntur Chriſto in patria. Et ideo dicitur homo manducare panẽ angelorum, quia primo & principaliter eſt angelorum, qui eo fruuntur in ſpecie propria: ſecundario autem eſt hominum, qui Chriſtum ſub ſacramento accipiunt.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum dicendũ, quod ad ſocietatem corporis myſtici pertinent quidem, & homines, & Angeli, ſed homines per fidem· Angeli autem per manifeſtam viſionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in ſpeculo, & in ænigmate. Et ideo proprie loquendo, non Angelis, ſed hominibus conuenit manducare ſpiritualiter hoc ſacramentum.

Ad tertium dicendum, quod Chriſtus manet in hominibus ſecundum præſentem ſtatum per fidem, ſed in Angelis beatis eſt per manifeſtam viſionem. Et ideo non eſt ſimile, ſicut dictum eſt.* *In ſolut. præced. art. 1. et 2. in iſto art.*

RESponſum D. Thom. eſt, ſoli homini competit hoc ſacramentũ ſpiritualiter manducare: Angeli enim neque poſſunt ſuſcipere hoc ſacramentum, neque deſiderare efficaciter illud ſibi coniungere: eoquod ſpirituales ſunt, & ſacramentum corporeum, medio corporeo motu applicari debet ſumenti.

ART. III.

Vtrum ſolus homo iuſtus poſsit Chriſtum ſacramentaliter manducare?

4. d. 9 a. 2 q. 1. et 2. et a. 3 q. 2. c. ſi. & d. 12. q. 1. a. 2. q. 2. co.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod nullus poſſit manducare Chriſtum ſacramentaliter, niſi homo iuſtus. Dicit enim Auguſt.* in lib. de remed. pœnitentiæ, Vt quid paras dentem, & ventrem? crede, & manducabis. Credere enim in eum, hoc eſt panem viuum manducare. Sed peccator non credit in eum, quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum, vt in ſecunda parte habitum eſt *. Ergo peccator nõ poteſt manducare hoc ſacramentũ, quod eſt panis viuus. *2. 2. q. 4 a. 5.*

**tract. 25 in Io. parũ ante me. to. 9. refertur de cõſ. d. 2. ca. vt quid paras.*

2 Præterea, Hoc ſacramentum maxime dicitur eſſe ſacramentum charitatis, vt ſupra dictum eſt †. Sed ſicut infideles priuantur fide, ita omnes peccatores priuantur charitate. Infideles autem non videntur poſſe ſacramentaliter ſumere hoc ſacramẽtum cum in forma huius ſacramenti dicatur, myſterium fidei. Ergo pari ratione neque aliquis peccator poteſt corpus Chriſti ſacramentaliter manducare. *q. præc. a. 4. ad 3. arg.*

5 Præterea, Peccator magis eſt abominabilis Deo, quam creatura irrationalis. Dicit enim in Pſal. 48. de homine peccatore. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Sed animal brutum (puta, mus aut canis) non poteſt ſumere hoc ſacramentum: ſicut etiã non poteſt ſumere ſacramentum baptiſmi. Ergo videtur, quod pari ratione neque peccatores hoc ſacramentum manducent.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Ioan. 6. (Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt) dicit Auguſt.* Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apoſt. Iudicium ſibi manducat, & bibit. Sed non moriuntur ſumendo niſi peccatores. Ergo peccatores corpus Chriſti ſacramentaliter manducant, & non ſolum iuſti. *tract. 26. in Ioan. parũ à me. ſuper illud: Ego ſũ panis vitæ, to. 9.*

Reſpondeo dicendum, quod circa hoc quidam antiqui errauerunt, dicentes quod corpus Chriſti nec etiam ſacramentaliter â peccatoribus ſumitur: ſed quam cito labijs peccatoris contingitur, tam cito

ſub

ſub ſpeciebus ſacramentalibus deſinit eſſe corpus Chriſti. Sed hoc eſt erroneum: derogat enim veritati huius ſacramenti, ad quam pertinet (ſicut ſupra dictum eſt *) quod manentibus ſpeciebus corpus Chriſti ſub eis eſſe non deſinat. Species autem manent, quamdiu ſubſtantia panis maneret, ſi ibi adeſſet, vt ſupra dictũ eſt †. Manifeſtum eſt autem, quod ſubſtantia panis aſſumpta à peccatore, non ſtatim eſſe deſinit, ſed manet quamdiu per calorem naturalem digeratur. Vnde tamdiu corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramẽtalibus manet à peccatoribus ſumptis. Vnde dicendum eſt, quod peccator ſacramentaliter corpus Chriſti manducare poteſt, & non ſolum iuſtus.

q. 76. a. 6. a. 3. & q. 77. art 8.
†*q. 77. a. 5. & 8. & aliys eiuſdem q.*

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa, & ſimilia ſunt intelligenda de ſpirituali manducatione, quæ peccatoribus non conuenit. Et ideo ex prauo intellectu horum verborum videtur prædictus error proceſſiſſe, dum neſcierunt diſtinguere inter corporalem, & ſpiritualem mãducationem.

Ad ſecundum dicendũ, quod etiam ſi infidelis ſumat ſpecies ſacramentales, corpus Chriſti ſub ſacramento ſumit. Vnde manducat Chriſtum ſacramentaliter, ſi ly ſacramentaliter determinat verbum ex parte manducati. Si autem ex parte manducantis, tunc proprie loquẽdo, non manducat ſacramentaliter: quia non vtitur eo quod accipit, vt ſacramento, ſed vt ſimplici cibo, niſi forte infidelis intenderet recipere illud quod Eccleſia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc ſacramentum.

Ad tertium dicendum, quod etiam ſi mus, vel canis hoſtiam conſecratam manducet, ſubſtantia corporis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quandiu ſpecies illę manent: hoc eſt, quandiu ſubſtantia panis maneret, ſicut etiam ſi proijceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Chriſti, qui voluit à peccatoribus crucifigi abſque diminutione ſuæ dignitatis: præſertim cum mus, aut canis non tangat ipſum corpus Chriſti, ſecundum propriam ſpeciem, ſed ſolum ſecundum ſpecies ſacramentales. Quidam autem dixerunt, quod ſtatim cum ſacramentum tangitur à mure, vel cane, deſinit ibi eſſe corp⁹ Chriſti. Quod etiam derogat veritati ſacramenti, ſicut ſupra dictum eſt †. *in cor. artĩ.*

Nec tamen dicendũ eſt, quod animal brutum ſacramentaliter corpus Chriſti manducet: quia non eſt natum vti eo vt ſacramento. Vnde non ſacramentaliter, ſed per accidens corpus Chriſti manducat, ſicut manducaret ille, qui ſumeret hoſtiã conſecratam, neſciens eam eſſe conſecratam. Et quia id quod eſt per accidens, non cadit in diuiſione alicuius generis: ideo hic modus manducandi corpus Chriſti, non ponitur tertius præter ſacramentalem, & ſpiritualem.

Concluſio eſt: hominem peccatorem poſſe Euchariſtiam ſacramẽtaliter manducare, id eſt poſſe hoc ſacramentum ſumere, quamuis eius fructum non percipiat: vt patet ex illo primæ ad Corinthios 11. *Iudicium ſibi manducat*, &c.

ART.

ART. IIII.

Vtrum peccator ſumens corpus Chriſti ſacramentaliter, peccet?

inf.a.7.et 8.co.& 4 d,9.ar.3. q.1.& 2. & a.4.q. 2.cor. & 1.Cor.11 le.7.co.2

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod peccator ſumens corpus Chriſti ſacramentaliter, non peccet. Non enim eſt maioris dignitatis Chriſtus ſub ſpecie propria. Sed peccatores tangentes corpus Chriſti ſub ſpecie propria, non peccabant, quin etiam veniam peccatorum conſequebantur, ſicut legitur Luc. 7. de muliere peccatrice, & Matth. 14. dicitur, Quicũque tetigerunt fimbriam veſtimenti eius, ſalui facti ſunt. Ergo non peccant, ſed magis ſalutem conſequuntur, ſacramentum corporis Chriſti ſumendo.

2 Præterea, Hoc ſacramentum, ſicut & alia, eſt quædam ſpiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad ſalutem: ſecundũ illud Matthæi 9. Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Infirmi autem vel male habentes ſpiritualiter, ſunt peccatores. Ergo hoc ſacramentum abſque culpa ſumere poſſunt.

3 Præterea, Hoc ſacramentum cum in ſe Chriſtum contineat, eſt de maximis bonis. Maxima autem bona (ſecundum Auguſt. † in lib. de libero arbit.) ſunt quibvs nullus male poteſt vti. Nullus autem peccat, niſi per abuſum alicuius rei. Ergo nullus peccator ſumens hoc ſacramentum peccat.

li.2.c.19 non longè à pr.to.1.

4 Præterea, Sicut hoc ſacramentum ſentitur guſtu & tactu, ita & viſu. Si ergo peccator ex eo, quod ſumit hoc ſacramentum, peccet, videtur etiam quod peccaret videndo. Quod patet eſſe falſum, cum Eccleſia omnibus hoc ſacramentum videndum, & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc ſacramentum.

5 Præterea, Contingit quãdoque, quod aliquis peccator non habet conſcientiam ſui peccati. Nec tamen talis peccare videtur, corpus Chriſti ſumendo, quia ſecundũ hoc, omnes peccarent qui ſumunt, quaſi periculo ſe exponentes, cum Apoſtolus dicit 1. Corin. 4. Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Non ergo videtur, quod peccatori cedat in culpam, ſi hoc ſacramentum ſumat.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignê, iudicium ſibi manducat & bibit, ideſt condemnationem. Dicit autem gloſſa ibidem, quod indigne manducat & bibit qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat. Ergo qui eſt in peccato mortali, ſi hoc ſacramentum accipiat, damnationem acquirit, mortaliter peccans.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc ſacramento ſicut in alijs, id quod eſt ſacramentum, eſt ſignũ eius, quod eſt res ſacramenti. Duplex autem eſt res huius ſacramenti, ſicut ſupra dictum eſt *. Vna quidem, quæ eſt ſignificata, & contenta, ſcilicet ipſe Chriſtus, alia autem eſt ſignificata, & non contenta, ſcilicet corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas ſanctorum. Quicumque ergo hoc ſacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto vnitum, & membris eius incorporatum. Quod quidẽ fit per *qu.73.6.*

fidem

Digitized by Google

fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifeſtum eſt, quod quicumque cum peccato mortali hoc ſacramentum ſumit, falſitatem in hoc ſacramento committit: & ideo incurrit ſacrilegium, tanquam ſacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus in propria ſpecie apparens, non exhibebat ſe tangēdum hominibus in ſignū ſpiritualis vnionis ad ipſum, ſicut exhibetur ſumendus in hoc ſacramento. Et ideo peccatores eum in propria ſpecię tāgentes, non incurrebant crimen falſitatis circa diuina, ſicut peccatores ſumentes hoc ſacramentum. Et præterea Chriſtus adhuc gerebat ſimilitudinem carnis peccati: & ideo conuenienter ſe peccatoribus tangendū exhibebat. Sed remota ſimilitudine carnis peccati per gloriam reſurrectionis, ſe tangi prohibuit â muliere, quæ defectum fidei circa ipſum patiebatur, ſecundum illud Ioan. 20. Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, ſcilicet in corde tuo, vt Aug. exponit *. Et ideo peccatores qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Chriſtum, repelluntur â contactu huius ſacramenti.

trac. 121. in Io. â med. illius innuitur to. 9.

Ad ſecundum dicendū, quod non quælibet medicina competit ſecundum quemlibet ſtatum infirmitatis. Nam medicina, quæ datur iam liberatis â febre, ad confortationem, noceret, ſi daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptiſmus, & pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem ſacramē tum eſt medicina confortatiua, quæ non debet dari niſi liberatis â peccato.

Ad tertium dicendū, quod maxima bona intelligit Auguſtinus * virtutes animæ, quibus nullus male vtitur, quaſi principijs mali vſus. Vtitur tamen eis aliquis male, quaſi obiectis mali vſus, vt patet in his, qui de virtutibus ſuperbiunt. Ita & hoc ſacramentum quantum eſt ex ſe, non eſt principium mali vſus, ſed obiectum. Vnde Auguſt. † dicit, Multi indigne accipiūt corpus Chriſti: per quod docemur, quam cauendum ſit male accipere bonum. Ecce enim per bonum factum eſt malum, dum male accipitur bonum, ſicut ē contra, Apoſtolo per malum factum eſt bonum, cum bene accepit malū, ſcilicet cum ſtimulum Satanæ patiēter portauit.

Loco in [illegible] gum. cit.

tra 62 in Io. circa â pr. & tra. 6. ad c. 1. Io 1 9. de conſ. di. 2. c. 66.

Ad quartum dicendum, quod per viſum non accipitur ipſum corpus Chriſti, ſed ſolum ſacramentum eius. quia ſcilicet non pertingit viſus ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ſolum ad ſpecies ſacramentales, vt ſupra dictum eſt †. Sed ille qui manducat, non ſolum ſumit ſpecies ſacramentales, ſed etiam ipſum Chriſtum, qui eſt ſub eis. Et ideo â viſione corporis Chriſti nullus prohibetur, qui ſit ſacramentum Chriſti conſecutus, ſcilicet baptiſmum. Non baptizati autem non ſunt admittendi etiam ad inſpectionem huius ſacramenti, vt patet per Dionyſ. † in lib. Eccleſiaſt. hierarch. Sed ad manducationem nō ſunt admittendi, niſi ſoli illi, qui non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam realiter ſunt Chriſto coniuncti.

q. 76. a. [illegible]

c. 7. eccleſ. hier. p. 3. paulo ãpr.

Ad quintum dicendum, quod hoc non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter. Vno modo per culpam ſuam: vel quia per ignorantiam iuris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum (puta, ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem

Digitized by Google

nem non eſſe peccatum mortale) vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius: contra id quod Apoſtolus dicit primæ Corinth. 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. Alio modo poteſt contingere ſine culpa ipſius: puta cum doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus. Et in tali caſu non peccat ſumendo corpus Chriſti, quia homo per certitudinē ſcire non poteſt, vtrum ſit vere contritus. Sufficit enim, ſi in ſe ſigna cōtritionis inueniat, puta ſi doleat de præteritis, & proponat cauere de futuris. Si vero ignorat hoc quod fecit, eſſe actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excuſat (puta ſi acceſsit ad non ſuam, quam credebat eſſe ſuā) non eſt ex hoc dicēdus peccator. Similiter etiam ſi totaliter eſt peccatum oblitus, ſufficit ad eius deletionem generalis cōtritio, vt infra dicetur. † Vnde iam non eſt dicēdus peccator.

Non cōplevit morte præuentus.

RESponſum D. Thom, eſt peccare illum, qui ita in peccato mortali Euchariſtiam ſumat: etenim violat tantum ſacramentum.

28 Circa quod conueniunt omnes Doctores peccare mortaliter, eum qui communicat exiſtens in peccato mortali: & eo grauius, quo peccatum grauius fuerit.

Ex quo tamen non ſequitur peccare venialiter eum, qui in peccato veniali communicat: quoniam huiuſmodi peccatum, neque in toto, neque in parte impedit effectum huius ſacramenti. Secus autē contingere ſentiunt aliqui Theologi probabiliter: de qua opinione paulò ante iudicium fecimus: ſiquis actu peccet venialiter quando ſumit Euchariſtiam, vt ſi tūc verbum ocioſum proferret, peccatum veniale (aiunt illi) erit cōmunicare, eo quod communicans apponit impedimentum feruori charitatis, qui ex opere operato cauſatur ab Euchariſtia, & ſic debet, qui hoc ſacramentum ſuſcipit, ne venialiter peccet carere peccato veniali actuali.

Si autem inquiras, qua via debeat peccator mortale peccatum à ſe repellere ante communionem: An ſola contritione, vel confeſsione ſacramentali? Reſpondeo, quod tenetur accedere ad ſacramentalem confeſsionem, & hoc fuit ſemper, nedum Eccleſiaſtici, vt vult Caietanus, ſed diuini iuris præceptum: quod Concilium Trident. ſeſs. 13. cap. 7. reducit ad illa verba Pauli 1. ad Corinthios 11. *Probet autē ſeipſum homo*, in quibus diuinum traditur, & commendatur præceptum. Opere pretium eſt aduertere hoc eſſe intelligendum per ſe, & regulariter, nam per accidens in aliquibus caſibus licitum eſt peccatori cōmunicare, non præmiſſa confeſsione, vt quando non eſt copia confeſſarij, & ex alia parte adeſt iuſta, & rationabilis cauſa ſumendi Euchariſtiam, v. g quando eſt aliquis peccator in articulo mortis, & non eſt ſacerdos à quo abſolui poſsit: adeſt tamen diaconus, qui Euchariſtiam miniſtrare valet: tunc omiſſa confeſsione debet cōteri. & Euchariſtiæ ſacramentum ſumere: item eſt ſacerdos, vel laicus in peccato mortali, & non eſt confeſſarij copia: et ſi non accedat ad Euchariſtiam incurret infamiam: tunc poteſt. & debet de peccato dolere. & Euchariſtiam ſumere, & ſic in alijs caſibus.

Quos omnes ex dicto cap. 7. Concilij Tridentini colligitur reducendos fore ad duas radices, nimirum quando deeſt copia idonei confeſſarij, qui vel ex officio, vel ex priuilegio ſacramentalem confeſsionem poſsit audire: & quando adeſt vrgens neceſsitas: quæ etiam reducitur ad duo capita: nimirum ſi inſtet mortis periculum, & non adſit ſacerdos vllus, ſed diaconus qui miniſtrare poſsit ſacramentum, vt dictum eſt, vel quando inſtat præceptum, aut obligatio aliqua totius populi audiendi miſſam, vel communicandi in aliqua congregatione, aut celebrandi, aut ratione ipſius, qui communicaturus eſt, & non poteſt celebrationem, aut communionem ſine nota infamiæ prætermittere, quos latè expendit Vazquius diſputat. 208. cap. 1. & 2.

Omnes caſus in quibus licet Euchariſtiā ſumere abſque præuia cōfeſsione ad duas radices reducūtur.

Rurſus

29 Rurſus notandum eſt ex illis verbis Concilij ſub ſequentibus in eodem cap. 7. *quod ſi neceſsitate vrgente ſacerdos abſque præuia confeſsione celebrauerit, quam primum confiteatur*: ſacerdotem celebrantem in his caſibus conſcium peccati mortalis prætermiſſa confeſsione, teneri quàm primum confiteri nouo præcepto Eccleſiaſtico Tridentini in præfatis verbis contento: ſi tamen ex malitia extra illos caſus ſine præuia confeſsione celebret, non debet ſtatim confiteri. & pariter ſi poſt ſumptum ſacramentum peccati recordetur: aut ſi nõ celebret ſed laicorum more communicet: & idem de laicis dicendum eſt etiam in prędictis caſibus, in quibus licet non præmiſſa confeſsione communicare.

Quorum omnium ratio eſt, quia hæc obligatio confitendi ſtatim ortum habet ex dicto nouo præcepto Concilij Tridentini, quod expreſſe, & ſtricte loquitur de ſolo ſacerdote celebrante abſque præuia confeſsione, ne prætextu illo, diu differret confeſsionem, & in peccato celebraret, ſed elapſa illa occaſione confeſſarium quæreret: nam qui ſcienter habita copia noluit confiteri, non indigebat hoc nouo præcepto, cum ſatis deberet eſſe diuinum de præmittenda confeſsione.

Et ſi roges an ſi quis poſt ſumptam debite Euchariſtiam, recordetur peccati mortalis non dum confeſsi, an teneatur illud confiteri prius quam iterum ad communionem accedat, vel non?

30 Reſpondeo vtrumque eſſe probabile, ſed affirmatiuam partem potius conſulerem. De illo autem, qui dubitat ſe peccaſse mortaliter: & de illo qui certus de peccato, dubitat, an ſit confeſsus tale peccatum: eſt dubium, an debeat per ſe confiteri antequam ad hoc ſacramentum accedat.

In quo dicendum eſt, quod ſi iſte nequeat probabiliter ſaltim dubium deponere, tenetur confeſsionem præmittere propter periculum, cui ſe exponit ſumendi infructuoſe Euchariſtiam; ſi vero illud deponat, poterit ad Euchariſtiam accedere.

Vltimo aduertite poſse dari neutralitatem, vt tenet maior Theologorũ pars: quod eſt aſserere poſse aliquem Euchariſtiam ſumere, & tamen nec recipere ipſius effectũ, neque peccare: etenim poteſt quis accedere inuincibiliter putans eſse in gratia, & non eſse in gratia: & poteſt accedere ſine aliquo dolore: tunc neque peccat, neque iuſtificatur: item ſi inuincibili ignorantia laborans exiſtimet, ad ſuſcipiẽdam Euchariſtiam non requiri maiorem diſpoſitionem, quam ad recitandum: in hoc etiam caſu idem contingeret.

ART. V.

Vtrum accedere ad hoc ſacramentum cum conſcientia peccati, ſit grauiſsimum omnium peccatorum?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod accedere ad hoc ſacramentum cum conſcientia peccati, ſit grauiſsimum omnium peccatorum. [*4. d. 9. art. q. 3. & 1. Co. 10. lec. 5. co. 3.*] Dicit enim Apoſtolus primæ ad Corinth. 11. Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini, gloſ. ibidem*, Hoc eſt, ac ſi Chriſtum occiderit, punietur. [*gl. interlin. ibi. in ſententio.*] Sed peccatum Chriſtum occidentium, videtur fuiſſe grauiſsimum. Ergo & hoc peccatum, quo aliquis cum conſcientia peccati ad menſam Chriſti accedit, videtur eſſe grauiſsimum.

2 Præterea, Hieronymus dicit in quadam epiſtol. Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? dic ſacerdos, dic clerice, qualiter eiſdem labijs filium Dei oſcularis, quibus oſculatus es labia meretricis. Cum Iuda, oſculo Filium hominis tradis. Et ſic videtur forni-

cator ad menſam Chriſti accedens peccare, ſicut Iudas peccauit, cuius peccatum fuit grauiſsimum. Sed multa alia peccata ſunt grauiora quã peccatum fornicationis, & præcipue peccatum infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatoris ad menſam Chriſti accedentis peccatum eſt grauiſsimum.

3 Præterea, Magis eſt abominabilis Deo immunditia ſpiritualis, quam corporalis. Sed ſi quis proijceret corpus Chriſti in lutum, vel ſterquilinium, grauiſsimum reputaretur eius peccatum. Ergo grauius peccat, ſi ipſum ſumat cum peccato: quod eſt immunditia ſpiritualis. Ergo hoc peccatum eſt grauiſſimum.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Ioan. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum nõ haberent, dicit Auguſtinus †, hoc intelligendum eſſe de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Et ita videtur, hoc peccatum nõ eſſe grauiſsimum, ſed magis peccatum infidelitatis.

tra. 89. in Ioan. inter me. & pri. to. 9.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut in ſecunda parte dictum eſt *) dupliciter aliquod peccatum poteſt dici grauius alio. Vno modo per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte obiecti. Et ſecundum hoc, quanto id contra quod peccatur, eſt maius, tanto peccatum eſt grauius. Et quia diuinitas Chriſti eſt maior humanitate ipſius, & ipſa humanitas eſt potior quam ſacramenta humanitatis: inde eſt quod grauiſsima peccata ſunt, quæ committuntur in ipſam diuinitatem, ſicut eſt peccatum infidelitatis, & blaſphemiæ. Secundario autem ſunt grauia peccata, quæ committuntur in humanitatem Chriſti. Vnde & Matthæi 12. dicitur, Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Tertio autem loco ſunt peccata, quæ committuntur contra ſacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti. Et poſt hæc ſunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem vnum peccatum eſt grauius alio ex parte peccantis: puta, peccatum quod eſt ex ignorantia, vel infirmitate, eſt leuius peccato quod eſt ex contemptu, vel ex certa ſcientia. Et eadem ratio eſt de alijs circunſtantijs. Et ſecundum hoc, iſtud peccatum in quibuſdam poteſt eſſe grauius, ſicut in his qui ex actuali contemptu, cum conſciẽtia peccati ad hoc ſacramentum accedunt. In quibuſdam vero minus graue: puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conſcientia peccati ad hoc ſacramentum accedunt. Sic ergo patet quod hoc peccatum eſt multis alijs grauius ſecundum ſuam ſpeciem: non tamen eſt omniũ grauiſsimum.

1. 2. q. 73 a 6. & 2. 2. q. 73. a. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum indigne ſumentium hoc ſacramentum, comparatur peccato occidentium Chriſtum, ſecundum ſimilitudinem (quia vtrumque committitur contra corpus Chriſti) non tamen ſecundum criminis quantitatem. Peccatum enim occidentium Chriſtum, fuit multo grauius. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Chriſti in ſpecie propria: hoc autem peccatum eſt contra corpus Chriſti, in ſpecie ſacramenti. Secundo, quia illud peccatum proceſsit ex intentione nocendi Chriſto, non autem hoc peccatum.

Ad ſecundũ dicendum, quod forni-

fornicator accipiens corpus Chriſti, comparatur Iudæ Chriſtum oſculanti, quantum ad ſimilitudinem criminis (quia vterque ex ſigno charitatis Chriſtum offendit) non tamen quantum ad criminis quantitatem: ſicut etiam prius dictum eſt *. *in ſolution. præced.* Hæc tamen criminis ſimilitudo non minus competit alijs peccatoribus, quam fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur contra charitatem Chriſti, cuius ſignum eſt hoc ſacramentum; & tanto magis, quanto peccata ſunt grauiora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius ſacramenti: in quantum ſcilicet per hoc peccatum ſpiritus maxime carni ſubijcitur, & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc ſacramento. Plus tamen ponderat impedimentum ipſius charitatis, quam feruoris eius. Vnde & peccatum infidelitatis, quod funditus ſeparat hominem ab Ecclesiæ vnitate, ſimpliciter loquendo, maxime hominem ineptum reddit ad ſuſceptionem huius ſacramenti, quod eſt ſacramentum eccleſiaſticæ vnitatis, vt ſupra dictum eſt. * Vnde & grauius *q. 79. a. 1 & qu. 73. a. 4. co.* peccat infidelis accipiens hoc ſacramentum, quam fidelis peccator: & magis contemnit Chriſtum, ſecundum quod eſt ſub hoc ſacramento, præſertim ſi non credat Chriſtum vere ſub hoc ſacramento eſſe: quia quantum eſt in ſe, diminuit ſanctitatem huius ſacramenti, & virtutem Chriſti operantis in hoc ſacramento, quod eſt contemnere ipſum ſacramentum in ſeipſo. Fidelis autem, qui conſcientia peccati ſumit, contemnit hoc ſacramentum, non in ſeipſo, ſed quantum ad vſum, indigne accipiens. Vnde & Apoſtolus primæ Corinth. 11. aſsignans rationem huius peccati dicit, Non dijudicans corpus Domini, id eſt, non diſcernens ipſum ab alijs cibis, quod maxime facit ille, qui non credit Chriſtum eſſe ſub hoc ſacramento.

Ad tertium dicendum, quod ille qui proijceret hoc ſacramentum excedit. Primo quidem, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic ſacramento, quod non intendit peccator indigne corpus Chriſti accipiens. Secundo, quia homo peccator eſt capax gratiæ, vnde etiam magis eſt aptus ad ſuſcipiẽdum hoc ſacramentum, quam quæcumque alia irrationalis creatura. Vnde maxime inordinate vteretur hoc ſacramento, qui proijceret ipſum canibus ad manducandum, vel qui proijceret in lutum conculcandum.

Concluſio Diui Thomæ eſt, hoc peccatum non eſſe omnium grauiſsimum: grauiora namque ſũt que contra Deum in ſe committuntur: eſſe tamen ex ſua ſpecie grauius peccatis commiſsis in proximos, & ſi per accidens ratione nocumenti poſsit eſſe minus graue.

ART. VI.

Vtrum ſacerdos debeat denegare corpus Chriſti peccatori petenti?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdos debeat denegare corpus Chriſti peccatori petenti. Non enim eſt faciendum contra Chriſti præceptũ, propter vitandum ſcandalum, vel infamiam alicuius. Sed Dominus præcepit Matth. 7. Nolite ſanctum dare canibus. Maxime autem datur ſanctum canibus, cum hoc ſacramentũ peccatoribus exhibetnr. Ergo neque propter vitandum ſcãdalum, neque propter vitãdam infamiam alicuius, debet hoc ſacramentum peccatori petenti dari.

inf. q. 81. a. 2. co. & ad 2. & 4 d. 9. ar. 5. q. 1. per to & q. 2. co. & quo. 5. a. 12.

2 Præterea, de duobus malis minus malum eſt eligendum. Sed minꝰ malum eſſe videtur, ſi peccator infametur, vel etiam ſi ei hoſtia non conſecrata detur, quam ſi ſumens corpus Chriſti, mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius eſſe eligendum, quod vel infametur peccator petens corpus Chriſti, vel etiam quod detur ei hoſtia non conſecrata.

3 Præterea, Corpus Chriſti interdum datur ſuſpectis de crimine, ad eorum manifeſtationem: legitur enim in Decret. * 2. quæſt. 4. Sæpe contingit, vt in monaſterijs monachorum furta perpetrentur. Idcirco ſtatuimus, vt quando ipſi fratres de talibus expurgare ſe debent, Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex præſentibus fratribus: & ſic expleta Miſſa, omnes communicentur in hæc verba, Corpus Chriſti ſit tibi hodie ad probationem, & infra * Si Epiſcopo aut presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, pro ſingulis Miſſam celebrare debet, & communicari, & de ſingulis ſibi imputatis, innocentem ſe oſtendere. Sed peccatores occultos non oportet manifeſtari, quia ſi frontem verecundiæ abiecerint liberius peccabunt, vt Auguſtinus dicit in libro de verbis Domini. Ergo peccatoribus occultis non eſt corpus Chriſti dandum, etiam ſi petant.

in decr. 2. q. 4. c. 24 ſæpe cõtingit.

cap. 27.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Pſalm. 21. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, dicit Auguſtinus,* Non prohibebat diſpenſator pingues terræ, id eſt, peccatores menſam Domini manducare.

Refertur de conſ. d. 2. ca. Non probibeat. to. 9.

Reſpondeo dicendum, quod circa peccatores diſtinguendum eſt. Quidam enim ſunt occulti, quidam vero manifeſti, ſcilicet per euidentiam facti: ſicut publici vſurarij, aut publici raptores: vel etiam per aliquod iudicium eccleſiaſticum, vel ſeculare. Manifeſtis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus ſacra communio dari. Vnde Cypr. ſcribit,† ad quemdam, Pro dilectione tua conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de hiſtrionibus, & mago illo, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore perſeuerat: an talibus ſacra communio cum cæteris Chriſtianis debeat dari. Puto nec maieſtati diuinæ, nec Euangelicæ diſciplinæ congruere, vt pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Si vero non ſunt manifeſti peccatores, ſed occulti: non poteſt eis petentibus ſacra communio denegari. Cum enim quilibet Chriſtianus ex hoc

li. 1 epiſt. epiſt. 10. in prin.

Digitized by Google

hoc ipſo quod eſt baptizatus, ſit admiſſus ad Dominicam menſam, non poteſt ei ius ſuũ tolli, niſi pro aliqua cauſa manifeſta. Vnde ſuper illud 1. Corinth 5, Si is qui frater nominatur inter vos, &c. dicit gloſ. Auguſt. * Nos â communione quemquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſpõte confeſſum, aut in aliquo iudicio eccleſiaſtico, vel ſeculari, nominatũ atque conuictum. Poteſt tamen ſacerdos, qui eſt conſcius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad menſam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Eccleſiæ reconcilientur. Nam poſt pœnitentiam, & reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non eſt communio deneganda, præcipue in articulo mortis. Vnde in concilio Carthaginenſi legitur, * Scenicis atque hiſtrionibus, cæteriſque huiuſmodi perſonis, vel apoſtatis conuerſis ad Deum, reconciliatio non negetur.

In lib. de medici. pœni. c. 3. in me. to. 9.

in conc. 3. Carthagi. can 35.

Ad primum ergo dicendum, quod ſancta prohibentur dari canibus, id eſt, peccatoribus manifeſtis. Sed occulta non poſſunt publice puniri, ſed ſunt diuino iudicio reſeruãda.

Ad ſecundum dicendum, quod licet peius ſit peccatori occulto peccare mortaliter, ſumendo corpus Chriſti, quam infamari: tamen ſacerdoti miniſtranti corpus Chriſti, peius eſt peccare mortaliter, infamando iniuſte peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere, vt alium liberet â peccato. Vnde Auguſtinus dicit * in lib, quæſt. ſuper Geneſ Periculoſiſsime admittitur hæc compenſatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat. Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad menſam Domini accedere. Hõſtia tamen non conſecrata nullo modo debet dari loco conſecratæ, quiâ ſacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idolatrare illos, qui credunt eſſe hoſtiam conſecratam, ſiue alios præſentes, ſiue etiam ipſum ſumentem: quia vt Auguſt. dicit †, Nemo carnem Chriſti manducet, niſi prius adoret. Vnde extra de celebratione Miſſæ † cap. de homine, dicitur Licet is qui pro ſui criminis conſcientia reputet ſe indignum, peccet grauiter, ſi ſe ingerat irreuerenter ad illud: grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare.

in qu. 42. to. 4.

in pſ. 98. cir. me. ex poſi. t. 8.

in dec. l. 3. ti. 41 c. 7. in fi.

Ad tertium dicendum, quod decreta illa ſunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa †, Ferri candentis, vel aquæ feruẽtis examinatione, confeſsionem extorqueri â quolibet, ſacri canones non concedunt. Spontanea enim cõfeſsione, vel teſtium approbatione, publica delicta commiſſa ſunt regimini noſtro iudicare: occulta vero & incognita, illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Et idem habetur extra de purgationibus † cap. ex tuarum. In omnibus enim talibus eſſe videtur Dei tentatio, vnde ſine peccato fieri non poſſunt. Et grauius videretur, ſi in hoc ſacramento, quod eſt inſtitutum ad remedium ſalutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Vnde nullo modo corpus Chriſti debet dari alicui ſuſpecto de crimine, quaſi ad examinationem.

Refertur de conſ. di. 2. q. 4. ca. 21. conſulu. iſti.

in dec. li. 5. ti. 34. c. 8. Ex tuarum.

COnclusio eſt, quod licet peccator grauiter peccet communicando: non ideo ipſi petenti eſt deneganda Eucharistia publice, niſi talis, ſit publicus peccator, ſcilicet publicatus, vel ex vi publici facti: vt ſi ſit publicus raptor, vel publicus vſurarius, vel ex vi publici iudicij, Eccleſiaſtici, ſeu ſecularis.

Circa quam doctrinam licet plura diſputent Theologi: eorum omnium tamen reſolutio eſt, quæ colligitur ex contextu ſancti Doctoris, videlicet publico peccatori negandum eſt publice hoc ſacramentum, & ſecreto, ſecrete tantum: quis autem dicatur publicus, & quo in loco: alibi tractatur: hic tamen ſolum eſt aduertendum doctrinam hanc eſſe intelligendam, antequam corrigatur, & pœniteat: ſi enim conſtiterit ſacerdoti peccatorem publicum eſſe emendatum poterit ei Eucharistiam præbere, & publice, ſi publice conſtet de eius emendatione: ſecrete vero, ſi ſecreta fuerit eius correctio.

ART. VII.

Vtrum nocturna pollutio aliquem impediat à ſumptione huius ſacramenti?

2.2. quæſ. 15. a. 5. & 4. d. 9. ar. 4. q. 2. & ver. q. 28 ar. 3. ad 6.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod nocturna pollutio non impediat aliquem à ſumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur à ſumptione corporis Christi, niſi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit ſine peccato: dicit enim August. * 12. ſup. Geneſ. ad lit. Ipſa phantaſia, quæ fit in cogitatione ſermocinantis, cum expreſſa fuerit in viſione ſomniantis, vt inter illam, & veram coniunctionem corporum non diſcernatur: continuo mouetur caro, & ſequitur quod eum motum ſequi ſolet, cum hoc tam ſine peccato à vigilantibus dicitur, quod vt diceretur, proculdubio cogitatum eſt. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab eius ſacramenti ſumptione.

li. 12. ca. 15. in me. 10. 3.

2 Præterea, Greg. dicit † in epiſtol. ad Auguſtinum epiſcopum Anglorum. Si quis ſua coniuge non cupidine voluptatis captus, ſed tantum procreandorum liberorū gratia vtitur, ille profecto ſiue de ingreſſu Eccleſiæ, ſiue de ſumendo corporis Dominici myſterio, ſuo eſt iudicio relinquendus, quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne poſitus, neſcit ardere. Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, ſi ſit ſine peccato, non prohibet hominem a ſumptione corporis Christi. Multo igitur min⁹ prohibet nocturna pollutio dormientis.

inſin. li. 12 regiſtr. ad 10. interrogationem. Aug. c. 10 non longe à fi. & habetur 33. q. 5 c. 7 poſtme.

3. Præterea, Nocturna pollutio videtur ſolam immunditiam corporalem habere. Sed aliæ immunditiæ corporales, quæ ſecundum legē impediebant ab ingreſſu Sanctorum, in noua lege non impediunt a ſumptione huius ſacramenti, ſicut de muliere pariente, vel menſtruata, vel fluxum ſanguinis patiente, ſcribit beatus Gregor † Auguſtino Anglorum Epiſcopo. Ergo videtur, quod neque etiam nocturna pollutio impediat hominem a ſumptione huius ſacramenti.

loco māc dicto parum antè ... c. 10.

4 Præterea, Peccatum veniale non impedit hominem a ſumptione huius ſacramenti, ſed nec etiam peccatum mortale poſt pœnitentiam. Sed dato quod nocturna pullutio prouenerit ex aliquo peccato præcedenti (ſiue crapulæ, ſiue turpium cogitationum) plerumque tale peccatum eſt veniale: & ſi aliquan-

aliquando ſit mortale, poteſt contingere quod de mane pœnitet, & peccatum ſuum confitetur. Ergo videtur, quod nō debeat impediri á ſumptione huius ſacramenti.

5 Præterea, Grauius peccatum eſt homicidij, quam fornicationis. Sed ſi aliquis de nocte ſomniet ſe homicidium perpetrare, aut furtū, aut quodcumque aliud peccatum, non propter hoc impeditur â ſumptione corporis Chriſti. Ergo videtur, quod multo minus fornicatio ſomniata cum pollutione ſubſequente, impediat á ſumptione huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod Leuit. 15 dicitur, Vir, de quo egreditur ſemen coitus, immundus erit vſque ad veſperum. Sed immundis non patet aditus ad ſacramenta. Ergo videtur, quod propter pollutionem nocturnam aliquis impediatur â ſumptione huius ſacramenti, quod eſt maximum ſacramentum.

Reſpondeo dicendum, quod circa pollutionem nocturnam duo poſſunt conſiderari, Vnum quidem, ratione cuius ex neceſsitate impedit hominem â ſumptione huius ſacramenti. Aliud autem, ratione cuius non ex neceſsitate impedit hominē ab huiuſmodi ſacramenti perceptione, ſed ex quadam congruentia. Ex neceſsitate quidem impedit hominem ab huius ſacramenti perceptione ſolum peccatum mortale. Et quãuis nocturna ipſa pollutio ſecundum ſe conſiderata, peccatum mortale eſſe non poſsit: nihilominus tamen ratione ſuæ cauſæ quãdoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo conſideranda eſt cauſa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim prouenit â cauſa extrinſeca ſpirituali, ſcilicet ex dæmonum illuſione, qui ſicut in prima parte habitum eſt *, phantaſma commouere poſſunt, ex quorum apparitione pollutio interdum ſubſequitur. Quandoque vero prouenit pollutio ex cauſa intrinſeca ſpirituali, ſcilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex cauſa intrinſeca corporali, vel ex ſuperfluitate ſiue debilitate naturæ, ſiue etiam ex ſuperfluitate cibi, vel potus.

q. 111. a. 5.

Quælibet autem harum trium cauſarum poteſt, & ſine peccato, & cum peccato veniali, vel mortali exiſtere. Etſi quidem ſit ſine peccato, vel cum peccato veniali, non ex neceſsitate impedit ſumptionem huius ſacramenti: ita ſcilicet, quod homo ſumendo ſit reus corporis & ſanguinis Domini. Si vero ſit cum peccato mortali, impedit ex neceſſitate. Illuſio enim dæmonum quandoque prouenit ex præcedenti negligentia præparationis ad deuotionem, quæ poteſt eſſe, & mortale, & veniale peccatum. Quandoque vero prouenit ex ſola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem â ſumptione huius ſacramenti. Vnde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem ſemper in feſtis, in quibus erat communicandum: ſeniores comperto, quod nulla cauſa ab ipſo præceſſerat, decreuerūt quod propter hoc á communione non ceſſaret, & ita ceſſauit illuſio dæmonū. Similiter etiam præcedentes cogitationes laſciuæ, quandoque poſſunt eſſe omnino ſine peccato: puta cum aliquis cauſa lectionis, vel diſputationis cogitur de talibus cogitare. Et ſi hoc ſit ſine concupiſcentia, & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, ſed honeſtæ: ex quibus tamen pollutio ſequi poteſt, ſicut patet ex auctoritate Auguſt. * ſupra inducta. Quandoque vero præcedentes cogitationes ſunt ex concupiſcentia, & delectatione: et ſi adſit conſenſus, erit peccatum mortale:

In arg. 18

tale:

Digitized by Google

tale: ſi autem deſit, erit veniale. Similiter etiam, & cauſa corporalis quandoque eſt ſine peccato: puta cum eſt ex infirmitate naturæ. Vnde & quidam etiam in vigilando abſque peccato fluxum ſeminis patiuntur. Vel etiam ſi ſit ex ſuperfluitate naturæ: ſicut enim contingit ſanguinem fluere abſque peccato, ita & ſemen quod eſt ſuperfluitas ſanguinis, ſecundum Philoſophum *. Quandoque vero eſt cum peccato, puta cum prouenit ex ſuperfluitate cibi, vel potus: & hoc etiam poteſt eſſe peccatum veniale, vel mortale, licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem conſenſus, quam circa ſumptionem cibi, & potus. Vnde & Gregorius *ſcribens Auguſtino Anglorum epiſcopo dicit, ceſſandũ eſſe â communione, quando ex turpibus cogitationibus prouenit: non autem quando prouenit ex ſuperfluitate cibi, vel potus, præſertim ſi neceſsitas adſit. Sic igitur ex cauſa pollutionis conſiderari poteſt, vtrum nocturna pollutio impediat ex neceſsitate ſumptionẽ huius ſacramenti. Ex quadam vero congruentia impedit quantũ ad duo: quorum vnum ſemper accidit, ſcilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reuerentiam ſacramẽti, non decet ad altare accedere (vnde & volentes tangere aliquid ſacrum, manus lauant) niſi forte talis immunditia ſit perpetua, vel diuturna: ſicut eſt lepra, vel fluxus ſãguinis, vel aliquid huiuſmodi. Aliud autem eſt euagatio mentis quæ ſequitur pollutionẽ nocturnam, præcipue quando cũ turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate prouenit, poſtponi debet propter aliquam neceſsitatem, puta vt Greg. dicit †, cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſteriũ pro eo quod ſacerdos alius deeſt, ipſa neceſsitas compellit.

l. 1. de gen. ani. c. 18. â me. & c. 19 parũ â prin.

loco cit. in a. 1. & 2. ca 11. & habetur 33. qu. 4. c. vir cum propria.

loco iãnũc dicto ad interrog. 11 Aug. cap. 11.

Ad primum ergo dicendum, quod ex neceſsitate quidem non impeditur homo â ſumptione huius ſacramenti, niſi propter peccatum mortale, ſed ex quadam conuenientia poteſt homo impediri propter alias cauſas, ſicut dictum eſt *.

in corp. art.

Ad ſecundum dicendũ, quod coitus coniugalis ſi ſit ſine peccato (puta, ſi fiat cauſa prolis generandæ, vel cauſa reddendi debitum) non alia ratione impedit ſumptionem huius ſacramenti, niſi ſicut dictum eſt † de pollutione nocturna, quæ accidit ſine peccato, ſcilicet propter immũditiam corporalem, & mentis diſtractionem. Ratione cuius Hieron. † dicit ſuper Matth. Si panes propoſitionis ab his, qui vxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cœlo deſcendit, nõ poteſt ab his, qui coniugalibus paulo ante hæſere complexibus, violari atque contingi? non quod nuptias cõdemnemus, ſed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus vacare â carnalibus operibus debeamus. Sed quia hoc ſecundum congruitatem, & non ſecundum neceſsitatem eſt intelligendum, Gregorius *dicit, quod talis eſt ſuo iudicio relinquendus. Si vero non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere (vt ibidem Greg. ſubdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc ſacramentum.

in corp. art.

Refertur 33. q. 4. c. Scias.

loco citat. in arg, & habẽtur 33. q. 4 cap. vir cum propria.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Greg. dicit † in epiſtola ſupra dicta ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, in veteri Teſtamento aliqui polluti dicebantur figuraliter, quod populus nouæ legis ſpiritualiter intelligit. Vnde huiuſmodi corporales immũditiæ, ſi ſint perpetuę, vel diuturnæ, non impediunt ſumptionem huius ſacramenti ſalutaris, ſicut impediebant acceſſum ad ſa-

in ſi. regiſtri ad interrog. â med.

cramen

Digitized by Google

cramēta figuralia. Si vero cito per trāſeant (ſicut immunditia pollutionis nocturnæ) ex quadam congruentia impediunt ſūptionem huius ſacramenti, per illum diem, quo hoc accidit. Vnde & Deutero. 23. dicitur, Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aqua.

Ad quartum dicendum, quod licet per contritionem & confeſsionem auferatur reatus culpæ: non tamen aufertur corporalis immundi- tia, & diſtractio mentis ex pollutione conſecuta.

Ad quintum dicendum, quod ſomnium homicidij nō inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantum diſtractionem mentis, ſicut fornicatio ſomniata, propter delectationis intentionem. Si tamen ſomnium homicidij proueniat ex cauſa, quæ eſt peccatum, præſertim mortale, impedit â ſumptione huius ſacramenti, ratione ſuæ cauſæ.

CONcluſio eſt· nocturnam pollutionem peccaminoſam mortaliter, præmiſſa ipſius ſacramentali confeſsione, & ſimiliter pollutionem non peccaminoſam mortalem impedire communionem, non ſub peccato, vel ex præcepto prohibente, ſed ex quadam decentia, ob reuerentiam debitam huic ſacramento.

Circa quam dubitari ſolet, an ſaltem ſit peccatum veniale communicare in his caſibus: & licet vtraque pars ſit probabilis, tamen conſulendum eſt tali homini patienti dictam nocturnam pollutionem, vt à communione pro eo die abſtineat ex decentia, & humilitate, niſi rationalis cauſa, aut neceſsitas ad oppoſitum moueat.

ART. VIII.

Vtrum cibus, vel potus præaſſumptus impediat ſumptionem huius ſacramenti?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod cibus, vel potus præaſſumptus non impediat ſumptionem huius ſacramenti. Hoc enim ſacramentum eſt â Domino inſtitutum in cœna. Sed Dominus poſtquam cœnauit, hoc ſacramentum diſcipulis ſuis tradidit: ſicut patet Luc. 22. & primæ Cor. 11. Ergo videtur quod etiam poſt alios cibos aſſumptos nos debeamus ſumere hoc ſacramentum.

Inf. art. 9 ad 2. & 2.2. q. 174. a. 6. ad 2. & 4. d. 8. q. 1. a. 4. q. 1 et 2. & 1. Co. 11 lec. 4. co. 4.

2 Præterea, Primæ Corint 11. dicitur, Cum conuenitis ad manducandum, ſcilicet corpus Domini, inuicem expectate: ſi quis autem eſurit, domi manducet. Et ita videtur quod poſtquam aliquis domi manducauerit, poſsit in Eccleſia corpus Chriſti manducare.

3 Præterea, In Concil. Carthaginenſ. legitur, & habetur de conſecrat. diſt. 1. * Sacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibūs celebrentur excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur. Ergo ſaltē illa die aliquis poteſt corpus Chriſti poſt alios cibos ſumere.

In concil. 3. Cart. can. 29. & habetur de cōſe. d. 1. ca. ſacramēta altaris.

4 Præterea, ſumptio aquæ, vel medicinæ, vel alterius cibi, vel potus in minima quantitate, vel reliquiarum cibi in ore manētiū, neque

Digitized by Google

ieiunium Eccleſiæ ſoluit, neque ſobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quod aliquis reuerenter ſumat hoc ſacramentum. Ergo per prędicta nõ impeditur aliquis â ſumptione hui° ſacramenti.

5. Præterea, Quidam de nocte profunda comedunt aut bibunt, & forte totam noctem inſomnem ducentes, de mane percipiunt ſacra myſteria, nondum plene digeſti. Minus autem impediretur ſobrietas hominis, ſi in manè parum comederet & poſtea circa nonam ſumeret hoc ſacramentum: cum etiam ſit quandoque maior diſtantia temporis. Ergo videtur, quod talis cibi præaſſũptio non impediat hominem ab hoc ſacramento.

6. Præterea, Non minor reuerẽtia debetur huic ſacramento iam ſũpto, quam ante ſumptionem. Sed ſumpto ſacramento licet cibum, aut potum ſumere. Ergo & ante ſumptionem.

Epi 118. ca. 6 ante me. to. 2. Sed contra eſt, quod Auguſt.† dicit in lib. reſponſionum ad Ianuarium, Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti, prius in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi.

Reſpondeo dicendum, quod aliquid impedit ſumptionem huius ſacramenti dupliciter. Vno modo ſecundum ſe: ſicut peccatũ mortale, quod habet repugnantiam ad ſignificatum huius ſacramenti, vt ſupra dictum eſt *. *2. præc. & q. 4. huius 9.* Alio modo propter prohibitionem Eccleſiæ. Et ſic impeditur aliquis â ſumptione hui° ſacramenti poſt cibum & potum aſſumptum, triplici ratione. Primo quidem, ſicut Aug. * dicit in honorẽ *Epi. 118. ca. 6. ante med. to. 2.* huius ſacramenti, vt ſcilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo, vel potu infectum.

Secundo, propter ſignificationem, vt ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus (qui eſt res hui° ſacramẽti) & charitas eius, debet primo fũdari in cordibus noſtris: ſecũdũ illud Matth. Quærite primum regnũ Dei. Tertio, propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingũt ex hoc quod homines inordinate cibis vtuntur: ſicut & Apoſtolus dicit primæ Cor. 11. Alius quidem eſurit, alius autẽ ebrius eſt. Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui ſtatim communicandi ſunt etiam poſt cibum; ſi de eorũ periculo dubitatur, ne ſine communione diſcedant, quia neceſsitas legẽ non habet. Vnde dicitur de conſecr. diſtinct. 2. Præsbyter infirmũ ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur. *de conſ. d. 2. ca. Presbyt.*

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Aug. * in eodem lib. dicit, Neque quia poſt cibos Dominus dedit, propterea pranſi aut cœnati fratres ad hoc ſacramentum accipiendum conuenire debent, aut menſis ſuis miſcere: ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit, & emendat. *Ep 117. c. 6. in me. t. 2.* Namq; Saluator, quo vehementius commẽdaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorũ. Et ideo nõ præcepit, quod deinceps tali ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſia diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc * modum. *Alias* locũ

Ad ſecundum dicendũ, quod illud verbum in gl. ſic exponitur†: Si quis eſuriẽs, & impatiẽs non vult expectare alios, manducet domi cibos ſuos, id eſt, pane terreno paſcatur, nec poſt Euchariſtiam ſumat. *ex gl. interl. ibi. colligitur.*

Ad tertium dicendum, quod capitulum illud loquitur ſecundum conſuetudinem aliquando apud aliquos obſeruatam, vt in repreſentationem Dominicæ cœnæ illo die â non ieiunis corpus Chriſti ſumeretur.

meretur. Sed nunc hoc abrogatum eſt, quia ſicut Aug.† in lib. prædicto dicit, Per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur, vt ſcilicet corpus Chriſti a ieiunis ſumatur.

in ep. 118 ca. 6. ante med. to. 2.

Ad quartum dicendum, quod (ſicut in ſecũda parte habitũ eſt†) duplex eſt ieiuniũ. Primum eſt ieiuniũ naturæ, quod importat priuationem cuiuſcumque præaſſumpti per modum cibi, vel potus, & tale ieiunium requiritur ad hoc ſacramentum, propter prædicta*. Et ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parua quantitate, licet hoc ſacramentu accipere. Nec refert vtrum aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem huius ſacramenti, quia non traijciuntur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. Et eadem ratio eſt de reliquijs aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traijciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſaliuæ, quod vitiari non poteſt. Aliud autem eſt ieiunium Eccleſiæ, quod inſtituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per prædicta non impeditur, quia prædicta nõ multum nutriunt, ſed magis ad alterandum ſumuntur.

2. 2. queſ. 147. a. 6 ad 2. arg.

in cor. art.

Ad quintum dicẽdum, quod cum dicitur, quod hoc ſacramẽtum prius, quam alij cibi, debet in os Chriſtiani intrare, non eſt intelligendum abſolute reſpectu totius temporis: alioquin qui ſemel comediſſet, vel bibiſſet, numquam poſſet poſtea hoc ſacramentum accipere, ſed eſt intelligendum quantum ad eundem diẽ. Et licet principium diei ſecundum diuerſos diuerſimode ſumatur: nam quidam a meridie, quidam ab occaſu, quidam a media nocte, quidam ab ortu ſolis diem incipiunt: Eccleſia tamen Romana diem a media nocte incipit. Et ideo ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere ſacramẽtum poteſt vero, ſi ante mediam noctem. Nec refert vtrum poſt cibum vel potum aſſumptum dormierit, aut etiã digeſtus ſit, quantum ad rationẽ præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomneitatẽ, vel indigeſtionem. Ex quibus ſi mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem huius ſacramenti.

Ad ſextum dicendum, quod maxima deuotio requiritur in ipſa ſumptione huius ſacramenti, quia tunc percipitur ſacramenti effectus, quæ quidem deuotio magis impeditur per præcedentia, quam per ſequẽtia: & ideo magis eſt inſtitutum, quod homines ieiunent ante ſumptionem huius ſacramenti, quã poſt. Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumptionem huius ſacramenti, & reliquos cibos. Vnde & in miſſa, oratio gratiarum actionis poſt communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas priuatas orationes dicũt. Secundum tamen antiquos canones ſtatutum fuit â Papa Clemente (vt habetur de conſec. diſt. 2.†) Si mane Dominica portio editur, vſque ad ſextam ieiunent miniſtri, qui eam ſũpſerunt, & ſi tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperũ. Antiquitus enim rarius miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum maiori præparatione: nunc autem, quia oportet frequentius ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſeruari: & ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum.

de conſ. diſt. 2. c. tribus gradibus. &

Reſpon-

RESponſum ſancti Doctoris eſt, impedire quidem quando præaſſumitur per modum cibi, vel potius frangentis naturale ieiunium ob præceptum Eccleſiaſticum, quod eſt de non ſumenda Euchariſtia niſi à ieiunis.

ART. IX.

Vtrum non habentes vſum rationis, debeant ſuſcipere hoc ſacramentum?

[4.d.3.ar. 5.q.3.& 4.&d.23 q.2.a.2.q. 4.co. & Io.6.le.7 co.1.] AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod non habẽtes vſum rationis, non debeant hoc ſacramentum ſuſcipere. Requiritur enim quod aliquis ad hoc ſacramentum cum deuotione, & præcedente ſui examinatione accedat, [ca 3.eccl. hie.p.2.] ſecundum illud 1. Cor. 11. Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Sed hoc non poteſt eſſe in his, qui carẽt vſu rationis. Ergo non debet eis hoc ſacramentũ dari.

2 Præterea, inter alios qui carẽt vſu rationis, ſunt etiã arreptitij, qui energumeni dicuntur. Sed tales etiam ab inſpectione huius ſacramẽti arcentur, ſecundum Dionyſ. * in lib. eccl. hier. Ergo carentibus vſu rationis, hoc ſacramentum dari non debet.

3 Præterea, Inter alios carentes vſu rationis, maxime pueri videntur eſſe innocentes. Sed pueris hoc ſacramentum non exhibetur. Ergo multo minus alijs carentibus vſu rationis.

Sed contra eſt, quod legitur in concilio Arauſicano † (& habetur in Decret. 26. q. 6. c. qui recedũt.) Amẽtibus quæcumque pietatis ſunt, conferenda ſunt. [can 3. habetur decẽ ſec. d. 2. c. quirecedũt] Et ita eſt eis conferendum hoc ſacramentum: quod eſt ſacramentum pietatis.

Reſpondeo dicendum, quod aliqui dicuntur non habere vſum rationis dupliciter. Vno modo, quia habent debilem vſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales poſſunt aliquam deuotionẽ huius ſacramenti concipere, non eſt eis hoc ſacramentũ denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter vſum rationis. Aut igitur numquã habuerunt vſum rationis, ſed ſic à natiuitate permanſerunt, & ſic talibus non eſt hoc ſacramentum exhibendũ, quia in eis nullomodo præceſsit huius ſacramenti deuotio. Aut non ſemper caruerunt vſu rationis: & tunc ſi prius, quãdo erant compotes ſuæ mẽtis, apparuit in eis deuotio huius ſacramenti, debet eis in articulo mortis hoc ſacramentum exhiberi: niſi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Vnde in Concilio Carthaginenſi legitur † (& habetur in Decret. 26. [In conci. 4 Carth ca. 76 & habetur 26. q. 6. ca. is qui pœnitentiã] quæſtio ſecun.) Is qui pœnitentiã in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phręneſim conuerſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & ſi cõtinuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.

Ad primum ergo dicendum, quod carentes vſu rationis poſſunt deuotionem ad ſacramentum habere, quantum ad aliquos quidem præſentem, quantum ad alios autem prę teritam.

Ad

Ad ſecundū dicendum, quod Dionyſ.† loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, in quibus ſcilicet nondum eſt vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, eſt eadem ratio, & de alijs amentibus. Vnde Caſianus dicit, Eis qui ab immundis vexantur ſpiritibus, communionem ſacroſanctam â ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam.

loco citat. in arg.

Ad tertium dicendum, quod eadem ratio eſt de pueris recenter natis, & de amentibus, qui numquam habuerunt vſum rationis, vnde talibus non ſunt ſacra myſteria danda. Quamuis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quod Dioniſ. 2. †cœleſt. hier. dicit, baptizatis eſſe ſacram communionem dandam: non intelligentes quod Dionyſ. ibi loquitur de baptiſmo adultorum, Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiūtur, propter hoc quod Dominus Dicit Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, quia ſicut Auguſtin⁹ * ſcribit Bonifacio, Tunc vnuſquiſque fidelium corporis & ſanguinis Domini particeps ſit, ſcilicet ſpiritualiter: quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur. Sed quando iam pueri incipiunt aliqualē vſum rationis habere, vt poſsint deuotionem concipere huius ſacramēti, tunc poteſt eis hoc ſacramentum conferri.

c. 2. in p. 2. in ſi.

refertur de conſ. d. 4. c. nulli.

CONcluſio eſt: habentibus vſum rationis imperfectum, vel aliter quod aliqualem deuotionem Euchariſtiæ valeant concipere: poteſt Euchariſtia miniſtrari: carentibus vero rationis vſu totaliter à natiuitate, nequaquam: ſecus autem ſi in articulo mortis eo careant; & ante quā rationem perdunt dederunt ſigna deuotionis circa hoc ſacramentum: tunc enim ſi non adſit periculum vomitus, vel ſpuitionis, poteſt his communio dari.

ART. X.

Vtrum liceat quotidie hoc ſacramentum ſuſcipere?

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod non liceat quotidie hoc ſacramentum ſuſcipere. Sicut enim baptiſmus repreſentat Dominicā paſsionem, ita & hoc ſacramentum. Sed non licet pluries baptizari, ſed ſemel tantum, quia Chriſtus ſemel tantum pro peccatis noſtris mortuus eſt, vt dicitur 1. Petr. 3. Ergo videtur quod non liceat hoc ſacramentum quotidie ſuſcipere.

4. d. 12. q. 3. ar. 1. & 1. Co. 11. lē. 7. co. 5.

2 Præterea, Veritas debet reſpōdere figuræ: Sed agnus Paſchalis, qui fuit figura præcipua huis ſacramenti (vt ſupra dictum eſt*) non manducabatur, niſi ſemel in anno. Semel etiā in anno eccleſia celebrat Chriſti paſſionem, cuius hoc ſacramentum eſt memoriale. Ergo videtur, quod non liceat quotidie ſumere hoc ſacramētum, ſed ſolum ſemel in anno.

q. 73. a. 6.

4 Præterea, Huic ſacramento in quo totus Chriſtus continetur, maxima reuerentia debetur. Ad reuerentiā autem pertinet, quod aliquis ab hoc ſacramento abſtineat. Vnde & laudatur Centurio, qui dixit Matthæi 8. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Et Petrus, qui dicit Luc. 5. Exi â me, quia homo peccator

torſum Domine. Ergo non eſt laudabile, quod homo quotidie hoc ſacramentum ſuſcipiat.

4 Præterea, Si eſſet laudabile, frequenter hoc ſacramentum accipere, quanto frequentius ſumeretur, tanto eſſet laudabilius. Sed maior eſſet frequentia, ſi homo pluries in die ſumeret hoc ſacramentum. Ergo eſſet laudabile, quod homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet Eccleſiæ conſuetudo. Non ergo videtur eſſe laudabile, quod aliquis quotidie hoc ſacramentum accipiat.

5 Præterea, Eccleſia intendit ſuis ſtatutis fidelium vtilitati prouidere. Sed ex ſtatuto Eccleſiæ fideles tenentur ſolum ſemel communicare in anno: vnde dicitur * extra de pœnitent. & remiſ. Omnis vtriuſq; ſexus fidelis ſuſcipiat reuerenter, ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprij ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum. Non ergo eſt laudabile, quod quotidie hoc ſacramentum ſumatur.

in dec. li. 5 tit. 38 ca. omnis vtriuſq; eſt c. 8. in ſerm. 28 parũ ante me. t. 10.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de verbis Domini, Iſte panis quotidianus eſt: accipe quotidie, vt quotidie tibi poſit.

Reſpondeo dicendum, quod circa vſum huius ſacramenti duo poſſunt conſiderari. Vnum quidẽ ex parte ipſius ſacramenti, cuius virtus eſt hominibus ſalutaris. Et ideo vtile eſt quotidie ipſum ſumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Ambroſ. dixit in lib. de ſacramentis, Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſsionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere: qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinã. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione, & reuerentia ad hoc ſacramentum accedat. Et ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratũ inueniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat. Vnde Aug. * cum dixiſſet, Accipe quotidie vt quotidie tibi proſit: ſubiungit, Sic viue, vt quotidie merearis recipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ: non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc ſacramentum accedere, ſed quotieſcũque ſe ad illud homo inuenerit præparatum. Vnde in lib. † de eccl. dog. dicitur, Quotidie euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.

l. 4. c. 6. à me. t. 4. de conſ. di. 2. c. 4.

in ſer. 28. de verb. domin. parũ ante me. t. 10.

c. 53. impe. habetur libic inter opera Aug. to. 3. habetur de conſ. d. 2. c. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod per ſacramentum baptiſmi cõfiguratur homo morti Chriſti, in ſe ſuſcipiens eius characterem: & ideo ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt; ita ſolum ſemel debet homo baptizari. Sed per hoc ſacramentũ non recipit homo Chriſti characterem, ſed ipſũ Chriſtum, cuius virtus manet in æternum. Vnde Heb. 10 dicitur, Vna oblatio conſumauit in ſempiternum ſanctificatos. Et ideo quia quotidie homo indiget ſalutifera Chriſti virtute, quotidie poteſt laudabiliter hoc ſacramentum ſuſcipere. Et quia præcipue baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, ideo ſicut homo ſemel carnaliter naſcitur, ita debet ſemel ſpiritualiter renaſci per baptiſmum, vt Auguſt. † dicit ſuper illud Ioan. 3. Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Sed hoc ſacramentum eſt cibus ſpiritualis: vnde ſicut cibus corporalis quotidie ſumitur, ita & hoc ſacramentum quotidie ſumere, laudabile eſt. Vnde Dominus Lucæ 11. docet petere, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. In cuius expoſitione Auguſtin. dicit in lib. † de

tra. 9. in euan. Io. nõ multũ ante me. to. 9.

in ſer. 28. de ver. domini à me. to. 10.

verbis

Digitized by Google

verbis Domini, Si quotidie accipis, ſcilicet hoc ſacramentum, quotidie tibi eſt hodie, tibi quotidie Chriſtus reſurgit: hodie enim eſt tibi quicumque dies, quo tibi Chriſtus reſurgit.

Ad ſecundũ dicendum, quod agnus Paſchalis præcipue fuit figura huius ſacramenti, quantũ ad paſſionem Chriſti, quæ repræſentatur per hoc ſacramentum. Et ideo ſemel tãtum in anno ſumebatur, quia Chriſtꝰ ſemel mortuus eſt: & propter hoc etiam Eccleſia celebrat ſemel in anno memoriam paſſionis Chriſti. Sed in hoc ſacramento traditur nobis memoriale paſſionis Chriſti per modũ cibi, qui quotidie ſumitur. Et ideo quantum ad hoc ſignificatur per mãna, quod quotidie dabatur populo in deſerto.

Ad tertium dicendum, quod reuerentia huius ſacramenti habet timorem amori coniunctum (vnde timor reuerentiæ ad Deum, dicit timor filialis, vt in ſecunda † parte dictum eſt) ex amore enim prouocatur deſiderium ſumendi, ex timore autem conſurgit humilitas reuerendi. Et ideo vtrumque pertinet ad reuerentiam huius ſacramenti, & quod quotidie ſumatur, & quod aliquando abſtineatur. Vnde Aug. dicit †, Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiam, alius contra, faciat vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendũ. Neque enim litigauerunt inter ſe Zachæus, & ille Centurio, cũ alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum, alter dixit, Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ambo Saluatorẽ honorificantes, quãuis non vno modo: amor tamen, & ſpes, ad quæ ſemper ſcriptura nos prouocat, præferũtur timori, Vnde & cum Petrus dixiſſet, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, reſpondit Ieſus, Noli timere.

1. p. q. 67 a. 4. ad 2. & 2. 2. q. 19. ar. 9. & alijs.

Epi. 118. c. 3. t. 2.

Ad quartum dicendum, quod quia Dominus dicit, Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie, nõ eſt pluries in die communicandum, vt ſaltem per hoc quod aliquis ſemel in die communicat, repræſentetur vnitas paſſionis Chriſti.

Ad quintum dicendum, quod ſecundum diuerſum ſtatum Eccleſiæ, diuerſa circa hoc ſtatuta emanauerunt. Nam in primitiua Eccleſia, quãdo magna vigebat deuotio fidei Chriſtianæ, ſtatutum fuit vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus * Papa dicit, Peracta conſecratione, omnes communicẽt, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet eccleſia. Poſtmodũ vero diminuto fidei feruore, Fauianus Papa † indulſit, vt ſi non frequentiũs, ſaltem ter in anno, omnes communicent, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini. Soter. † etiam Papa in cœna Domini dicit eſſe communicandum, vt habetur in decretis de conſ. diſtin. 2. Poſtmodum propter iniquitatis abũdantiam refrigeſcente charitate multorum, ſtatuit Innocentius III. † vt ſaltem ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha, fideles communicent. Conſulitur tamen in lib. * de eccleſ. dógmatibus, omnibus diebus Dominicis eſſe communicandum.

in epiſt. ſua 1. in me. illius & habetur de cõſec. d. 1. c. Epiſcopus.

de conſ. di. 2. c. etſi non frequẽtius.

in ep. ad epiſ. Italiæ de conſ. d. 2. c. in cœna.

Inno. III. In conc. Later. c. 2.

c. 53. circa pr. habetur liber hic inter opera Aug. t. 3.

Reſponſum D. Th. eſt, ſi attendatur ad id, quod ſe tenet ex parte ſacramenti, vtile eſt quotidie ipſum ſumere: ſi vero ad id quod requiritur ex parte ſumentis, ſi ſubiectum ſe quotidie præparatum inueniat, vtiliſſimum etiam erit quotidie cõmunicare: quia tamen in pluribus: & multoties multa impedimenta occurrunt: vtile non eſt omnibus hominibus quotidie ad hoc ſacramentum accedere: ſed quoties ſe præparatos inuenerint.

ART. XI.

Vtrum liceat omnino à communione ceſſare?

4.d.12.q.3 art.2. & præc. in argum.3. AD vndecimum ſic proceditur. Videtur, quod liceat ceſſare omnino à communione. Laudatur enim Centurio de hoc quod dicit Matthæi octauo, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: cui comparatur ille qui reputat à communione ſibi eſſe abſtinendum, vt dictum eſt *. Cum ergo nunquam legatur Chriſtum in eius domum veniſſe, videtur quod liceat alicui toto tempore vitæ ſuę à communione abſtinere.

2 Præterea, Cuilibet licet abſtinere ab his, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis. Sed hoc ſacramentum non eſt de neceſſitate ſalutis, vt ſupra dictũ eſt *. *q.73.a.3* Ergo licet à ſumptione huius ſacramẽti omnino ceſſare.

3 Præterea, Peccatores non tenentur communicare. *habetur de conſ. di.2. c. etſi nõ frequentius.* Vnde Fabianus Papa † cum dixiſſet, Ter in anno omnes communicent, adiunxit, niſi forte quis maioribus criminibus impediatur. Si ergo illi, qui non ſunt in peccato, tenentur communicare, videtur quod melioris cõditionis ſint peccatores, quam iuſti: quod eſt inconueniens. Ergo videtur, quod etiam iuſtis liceat à cõmunione ceſſare.

Sed contra eſt, quod Dominus dicit Ioann. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eiꝰ ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt †, *a.1. huius q. & q.73 a.3. ad 2.* duplex eſt modus percipiendi hoc ſacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis. Manifeſtum eſt autem, quod omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare: quia hoc eſt Chriſto incorporari, vt ſupra dictum eſt. † *q.73.a.3* Spiritualis autem manducatio includit votum, ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum, vt ſupra dictum eſt *. *ibid.* Et ideo ſine voto percipiendi hoc ſacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus. Fruſtra autem eſſet votum niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet. Et ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini, dicentis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. Ex ſtatuto autem Eccleſiæ * *c. omnis vtriuſq. ſexus.* ſunt determinata tempora exequendi Chriſti præceptum.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Gregor. * *in 1 p. c. 6 cir. pri.* dicit in paſtorali, illa eſt vera humilitas, cum ad reſpuendum, quod vtiliter præcipitur, pertinax non eſt. Et ideo non poteſt eſſe laudabilis humilitas, ſi cõtra præceptum Chriſti, & Eccleſiæ, aliquis omnino à communione abſtineat. Neque enim Centurioni præceptũ fuit, vt Chriſtum in ſua domo reciperet.

Ad ſecundum dicendũ, quod hoc ſacramentum dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut baptiſmus: quantũ ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc ſacramento, non autem ſine ſacramento baptiſmi: quantum vero ad adultos, vtrumque eſt neceſſitatis.

Ad tertium dicendum, quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc, quod repelluntur à perceptione huius ſacramenti: vnde

per

per hoc non ſunt melioris conditionis. Et licet in peccatis permanentes non excuſentur propter hoc a tranſgreſsione præcepti: pœnitentes tamen, qui, vt Innoc. dicit *, ſecundũ conſilium ſacerdotis abſtinent, excuſantur.

Innoce. in Conc. Lat. can. 21. et habetur l. 5. dec. tit. 38. c. 12.

CONcluſio D. Thom. eſt, non eſſe licitum omnino à communione ceſſare, cum communionis ſuſceptio ſit ſub præcepto Eccleſiaſtico & diuino.

ART. XII.

Vtrum liceat ſumere corpus Chriſti ſine ſanguine?

Inf. q. 82. a. 4. & 4. d. 12. q. 3. ar. 1. q. 2.

AD duodecimum ſic proceditur. Videtur, quod non liceat ſumere corpus Chriſti ſine ſanguine. Dicit enim Gelaſius Papa *, & habetur de conſec. diſtinct. 2. Comperimus, quod quidã ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, a calice ſacrati cruoris abſtinent: qui proculdubio, quoniã neſcio quã ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceãtur. Nõ ergo licet ſumere corpus Chriſti ſine eius ſanguine.

de conſ. di. 2. c. comperimus.

2 Præterea, Ad perfectionem huius ſacramenti concurrit, & manducatio corporis, & potatio ſanguinis, vt ſupra habitum eſt *. Si ergo ſumatur corpus ſine ſanguine, erit ſacramentum imperfectum, quod ad ſacrilegium pertinere videtur. Vnde ibidẽ Gelaſ. † ſubdit, Quia diuiſio vnius eiuſdemque myſterij ſine grandi ſacrilegio prouenire non poteſt.

q. 74. a. 1. & 76. ar. 2. ad arg. 1.
loc. cit. in a. g. 1.

3 Præterea, Hoc ſacramentum celebratur in memoriam dominicę paſsionis, vt ſupra dictum eſt *, & ſumitur pro animæ ſalute. Sed paſsio Chriſti magis exprimitur in ſanguine, quam in corpore: ſanguis etiam pro ſalute animæ offertur, vt ſupra habitum eſt *. Potius ergo eſſet abſtinendum â ſumptione corporis, quam â ſumptione ſanguinis. Ergo accedentes ad hoc ſacramentum, nõ debent ſumere corpus Chriſti ſine eius ſanguine.

q. 94. a. 1. & 76. a. 1. ad 1.
q. 76. a. 1. ad 1.

Sed contra eſt multarum Eccleſiarum vſus, in quibus populo communicanti datur corpus Chriſti ſumendum, non autem ſanguis.

Reſpondeo dicendum, quod circa vſum huius ſacramẽti duo poſſunt conſiderari. Vnum ex parte ipſius ſacramenti: aliud ex parte ſumentium. Ex parte quidem ipſius ſacramenti conuenit, quod vtrumque ſumatur, ſcilicet & corpus & ſanguis; quia in vtroque conſiſtit perfectio ſacramenti. Et ideo quia ad ſacerdotem pertinet hoc ſacramentũ conſecrare & perficere, nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſãguine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tanti myſterij. Quod præcipue poſſet accidere in ſanguinis ſumptione: qui quidem ſi incaute ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia creuit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes & iuuenes & paruuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, vt cautelam debitam circa vſum huius ſacramenti adhibeant: ideo prouide in quibuſdam eccleſijs obſeruatur, vt populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolum â ſacerdote ſumatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Gelaſius loquitur quantum ad ſacerdotes, qui ſicut totum conſecrant ſacramentum, ita etiam toti communicare debent. Vt enim legitur in Concilio Toletano,* Quale erit ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?

Conc. Tol. 12. ca. 5. d. 2. c. relatum.

Ad ſecundũ dicendum, quod perfectio huius ſacramenti non eſt in vſu fidelium, ſed in conſecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni huius ſacramenti, ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine, dummodo ſacerdos conſecrans ſumat vtrumque.

Ad tertium dicendum, quod repreſentatio Dominicæ paſsionis agitur in ipſa conſecratione huius ſacramenti, in qua non debet corpus ſine ſanguine conſecrari. Poteſt autem à populo corpus ſine ſanguine ſumi. Nec exinde ſequitur aliquod detrimentum: quia ſacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit: & ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur, vt ſupra habitum eſt.

q. 76. a. 2

31 RESponſum Diui Thomæ eſt: ex parte huius ſacramenti conuenire, quod nõ ſumatur vna ſpecies ſine altera: cum in vtraque conſiſtat ſacramenti perfectio: & ideo à ſacerdotibus, ad quos pertinet illud perfectè conficere, non poteſt vna ſpecies ſine altera ſumi: at vero quia ex parte reliquorum communicantiũ inter quos ſunt ſenes, iuuenes, & paruuli, neque requiſita cautela adhiberi poteſt, ne aliquid ſanguinis effundatur, quod in maximam ſacramenti iniuriam vergit, ideò licitum eſſe non ſacerdotibus ſpeciem ſolã panis ſumere ſine ſanguine.

In commentario huius articuli fuſo tramite reſpondet Caietanus triplici quæſtioni: quarum tamen ſolutio ad hanc ſummam reducenda eſt.

Prima quæſtio eſt: an communio ſub vtraque ſpecie ſit in præcepto?

Secunda eſt: an vtilius ſit ſumere Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, quam ſub ſpecie panis tantum?

Tertia eſt, an expediat Eccleſiæ Chriſti, quod populus communicet ſub vtraque ſpecie?

32 AD primam reſpondet Caietanus, quod communio ſub vtraq; ſpecie nõ eſt neceſſaria omnibus adultis, cũ nullum ad hoc habeatur præceptũ, nullaque ad hoc ratio cogat, & innumeræ Chriſti Eccleſiæ, cum Eccleſiarum omnium Magiſtra Romanà oppoſitum doceant, ac faciant.

AD ſecundam reſpondet Caietanus negatiuè motus authoritate Angelici Doctoris in calce huius articuli 12. dicentis, quod poteſt corpus à populo ſine ſanguine ſumi, neque exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia ſacerdos in perſona omniũ ſanguinem offert, & ſumit, & ſub vtraque ſpecie continetur.

Sed Nuño in commentario huius articuli cum alijs vtramque partem probabiliter defendit. Nos vero iam ſuperius partem affirmatiuam defenſanimus: & nũc eandem breuiter confirmamus, eoquod cum

cum ſpecies ſola, v. g. panis non habet ex proprio modo ſignificandi plenitudinem, & ſacietatem conuiuij ſpiritualis, ſed tantum ſacietatem per modum cibi: acproinde in illa non ſaluatur adæquata ratio conuiuij ſpiritualis animam ſatiantis: ergo non habet efficere prædictam plenitudinem, & ſacietatem cibantem animam, vt adæquatum conuiuium: aduenięte autem altera ſpecie ſcilicet vini, aduenit quod requiritur ad ſignificandum plenum conuiuium, ac per conſequens ad efficiendum plenum conuiuium, plenequè ſatiās: ergo plus ſatietatis, ac ſubinde gratiæ producitur per vtramque, quam per vnam ſolam: cuius exemplum eſt in conuiuio materiali.

Si dicas probare hoc argumentum, quod per ſe formaliter non producat vna ſpecies ſola totum, quod vtraque ſimul: non vero quod non producat totum per accidens & concomitanter, eoquod Chriſtū totū cōtineat, in quo eſt caro & ſāguis per modum cibi & potus. Cōtra hoc eſt, quia ſi in triduo fieret conſecratio panis & vini, idem conficeretur ſacramentum ac modo, licet non eſſet concomitanter ſub ſpeciebus panis, ſanguis, & ſub ſpeciebus vini corpus; ergo impertinens eſt ad ſignificationem ſacramenti Euchariſtiæ illa cōtinentia per concomitantiam; ergo & ad cauſationem, quæ ſignificationi commenſuratur. Explicatur hoc, quia non eſſet minoris efficaciæ ſacramentum corporis confectum in triduo, quam modo: ſed tūc cum neque concomitanter contineret totum Chriſtum, non produceret, neque per accidens gratiam reficientem per modum potus: ergo neque modo eam producit, quamquam concomitanter ſignificationem cōtineat. Et ratio à priori eſt, quia illa continentia per concomitantiam impertinens eſt ad rem: ſolum enim eleuatur ad cauſandū in ſacramento corporis, quod habet rationem cibi: & in ſacramento ſanguinis, quod habet rationem potus.

Si obijcias ex Concilio Tridentino, quod ſeſs. 21. cap. 3. docet nulla gratia fraudari eos, qui vnam tantum ſpeciem recipient, quod prius docuerat S. Thomas art. proxime allegato ad 3. ergo.

Reſpondetur Concilium atque Diuum Thomam loqui de gratia neceſſaria, vt abſolutè cōſequātur ſalutē: & Concilium hoc expreſsit: quod verò defraudetur gratia, quæ ſpecialiter prouenit a potu non eſt inconueniens: hac enim via vitatur periculum effuſionis ſanguinis, ac per cōſequens, cum recipiant in vna ſpecie verum ſacramentum, vt ſupra oſtendimus; & gratiam ad ſalutem ſufficientem, hoc eſt ſatis,

Neque inſuper vrget Chriſtum eſſe virtutem cauſatiuam gratiæ in hoc ſacramento; atque adeò cum totus ſit ſub qualibet ſpecie, totam gratiam ſub qualibet cauſabit. Non inquam hoc vrget; dato enim quod Chriſtus ſit virtus cauſatiua gratiæ; acommodatur tamen ſpeciebus cauſantibus; vnde cum ſpeciebus panis ſolum cauſat gratiam cibantem, & cum ſpeciebus vini, potantem ſeu refrigerantem.

33 AD Tertiam quæſtionē reſpondet Caietanus, quod vtilior eſt populo Chriſtiano communio ſub ſpecie panis tantum, quam ſub vtraque ſpecie, quoniam reuerentia tāta, cui innititur populus communicatus ſub ſpeciebus panis tantum, non caret mercede ſua, & prudenter communicare fructuoſius eſt ſpiritui, quā minus prudenter; & fortè in pœnam huiuſmodi imprudentiæ, in cautelæ, ac ſacrilegij emergentis, diuino iudicio ſchiſmatici ſunt populi communicantes ſub vtraque ſpecie. Expedit igitur Chriſtianis populis communicare ſub ſpecie panis tātum, & ad euitandum ſacrilegij periculum & ad meritum, tam obedientiæ prælatis ſedis Apoſtolicæ communionem habentibus parendo, quam reuerentiæ: magnificādo plus ſacramentum hoc, quam affectum proprium ad vtramque ſpeciem.

(*)

QVAESTIO LXXXI.

De modo quo Chriſtus vſus eſt hoc ſacramento, in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Chriſtus ſumpſerit ſuum corpus & ſanguinem?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus nō ſumpſerit corpus ſuum & ſanguinem. Nō enim de factis Chriſti & dictis aſſeri debet, quod authoritate ſacræ Scripturæ non traditur. Sed in Euangelijs non habetur, quod Chriſtus corpus ſuum manducauerit, aut ſanguinem ſuum biberit. Nō ergo eſt hoc aſſerendum.

inf. q. 84. a. 7. ad 4. et 4. d. 11 q. 3. ar. 1.

2 Præterea, Nihil poteſt eſſe in ſeipſo, niſi forte ratione partium, prout ſcilicet, vna pars eius eſt in alia, vt habetur 4. * Phyſ. Sed illud quod manducatur & bibitur, eſt in manducante & bibente. Cum igitur totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie ſacramenti, videtur impoſſibile fuiſſe, quod ipſe ſumpſerit hoc ſacramentum.

l. 4. te. 34 to. 2.

3 Præterea, Duplex eſt ſumptio huius ſacramenti, ſcilicet ſpiritualis & ſacramentalis. Sed ſpiritualis nō competebat Chriſto (quia nihil à ſacramento accepit) & per conſequēs nec ſacramentalis, quæ ſine ſpirituali eſt imperfecta, vt ſupra habitū eſt. † Ergo Chriſtus nullo modo hoc ſacramentum ſumpſit.

q. præced. a. 1. 1.

Sed contra eſt, quod Hieron. dicit † ad Lesbiam. Dominus Ieſus Chriſtus ipſe conuiua & conuiuium: ipſe comedens, & qui comeditur.

q. 2. refertur de cō. d. 2. ca. nec Moſes.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod Chriſtus in cœna corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis ſuis tradidit, non tamen ipſe ſumpſit. Sed hoc non videtur cōuenienter dici: quia Chriſtus ea, quæ ab alijs obſeruanda inſtituit, ipſe primitus obſeruauit. Vnde & ipſe prius baptizari voluit, quam alijs baptiſmum imponeret: ſecundum illud Actor. 1. Cœpit Ieſus facere, & docere. Vnde & primo ipſe corpus ſuum & ſanguinem ſumpſit, & poſtea diſcipulis ſumendum tradidit. Et hoc eſt quod Ruth. 3. ſuper illud, Cumque comediſſet & bibiſſet, &c. dicit gloſſ. * quod Chriſtus comedit & bibit in cœna, cum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum diſcipulis tradidit: vnde quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe participauit eiſdem.

gl. ord. ibi.

Ad primum ergo dicendum, quod in Euangelijs legitur, quod Chriſtus accepit panem, & calicem. Non eſt autem intelligendum, quod accepe-

acceperit ſolum in manibus, vt quidam dicunt: ſed eo modo accepit, quo alijs accipiendum tradidit. Vnde cum diſcipulis dixerit, Accipite & comedite: & iterum, Accipite & bibite: intelligendum eſt, quod ipſe accipiens comederit & biberit. Vnde & quidam metrice dixerunt, Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena: Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

Ad ſecundum dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) Chriſtus ſecundum quod eſt ſub hoc ſacramẽto, comparatur ad locum, non ſecũdum proprias dimenſiones, ſed ſecũdum dimenſiones ſpecierum ſacramentalium: ita quod in quocumque loco vbi ſunt illæ ſpecies, eſt ipſe Chriſtus. Et quia ſpecies illæ potuerũt eſſe in manibus & in ore Chriſti, ipſe totus Chriſtus potuit eſſe in ſuis manibus, & in ſuo ore. Non autem hoc potuiſſet eſſe, ſecundum quod comparatur ad locum per proprias dimenſiones.

q.76. a.5.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) effectus huius ſacramenti eſt non ſolum augmẽtum habitualis gratiæ, ſed etiam quædam actualis delectatio ſpiritualis dulcedinis. Quamuis autem Chriſto gratia non fuerit augmentata ex ſuſceptione huius ſacramenti: habuit tamen quamdam ſpiritualẽ delectationem in noua inſtitutione huius ſacramenti. Vnde ipſe dicebat Luc. 22. Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum: quod Euſeb. exponit de nouo myſterio noui teſtamenti, quod tradebat diſcipulis. Et ideo ſpiritualiter manducauit, & ſimiliter ſacramentaliter, in quantum corpus ſuum ſub ſacramẽto ſumpſit: quod ſacramentum ſui corporis intellexit, & diſpoſuit. Aliter tamen, quam cæteri ſacramentaliter & ſpiritualiter ſumant, quia qui augmentum gratiæ ſuſcipiunt, etiam ſacramẽtalibus ſignis indigẽt, ad veritatis perceptionem.

q.79. a.1.

ART. II.

Vtrum Chriſtus dederit Iudæ corpus ſuum?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus Iudæ non dederit corpus ſuum. Vt enim legitur Matth. 26. Poſtquã dedit Dominus corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis, dixit eis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibã vobiſcum nouum in regno Patris mei. Ex quo videtur, quod illi quibus corpus ſuum & ſanguinem dederat, cum eo eſſent iterum bibituri. Sed Iudas poſtea cum ipſo non bibit. Ergo non accepit cum alijs diſcipulis corpus Chriſti, & ſanguinem.

4. d. 11 q. 3. a. 2 q. 1 & 2. & ſeq. 13 l. 3. ... 4. fi. & le. 4 ... 3. ...

2 Præterea, Dominus impleuit quod præcepit, ſecundum illud Actuum 1. Cœpit Ieſus facere & docere. Sed ipſe præcepit Matth. 7. Nolite ſanctum dare canibus. Cum ergo ipſe cognoſceret Iudam eſſe peccatorem, videtur quod ei corpus ſuum & ſanguinem non dederit.

3 Præterea, Chriſtus ſpecialiter legitur Iudæ panem intinctum porrexiſſe, Io. 13. Si ergo corpus ſuum ei dedit, videtur quod ſub bucella ei dederit, præcipue cum legatur ibidem, quod poſt bucellam introiuit in eum Satanas. Vbi Auguſtinus *dicit, Hinc nos docemur, quam ſit cauẽdum male accipere bonum: ſi enim

tr. 62 in Io. circa pr. to. 9.

ſi enim corripitur qui non dijudicat, id eſt, non diſcernit corpus Domini a cæteris cibis, quomodo non damnabitur, qui ad eius menſam fingens ſe amicum, accedit inimicus? Sed cum bucella intincta nõ accepit corpus Chriſti; vt enim Aug. * dicit ſuper illud Ioan. 13. Cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ, non, vt putant quidam, negligenter legentes, tunc Iudas corpus Chriſti accepit. Ergo videtur, quod Iudas corpus Chriſti non acceperit.

tract. 62. in Io. cir. in me. to. 9.

Sed contra eſt, quod Chryſ. * dicit, Iudas particeps exiſtens myſteriorum, conuerſus non eſt. Vnde fit ſcelus eius vtrinque immanius: tum quia tali propoſito imbutus adijt myſteria; tum quia adiens melior factus nõ fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore.

ho. 46. in Io. circa med. ante fin. to. 3.

Reſpondeo dicendum, quod Hilarius † poſuit ſuper Matth. quod Chriſtus Iudæ corpus ſuum & ſanguinem non dedit. Et hoc quidem conueniens fuiſſet, conſiderata malitia Iudæ. Sed quia Chriſtus nobis debuit eſſe exemplum iuſtitiæ, non conueniebat eius magiſterio, vt Iudam occultum peccatorem, ſine accuſatore, & euidenti probatione ab aliorum communione ſepararet, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi, & ipſe Iudas exaſperatus, inde ſumeret occaſionem peccandi. Et ideo dicendum eſt, quod Iudas cum alijs diſcipulis, corpus Domini & ſanguinẽ ſuſcepit, vt dicit Dion. † lib. Eccleſ. Hierarch. & Auguſt. * ſuper Ioan.

† Can. 30. cir. medi.

† ca. 3. p. 3. non longe à princ.

** tra. 62. to. 9.*

Ad primum ergo dicendum, quod illa eſt ratio Hilar. * ad oſtendendum, quod Iudas corpus Chriſti non ſumpſit. Non tamen cogit, quia Chriſtus loquitur diſcipulis, à quorum collegio Iudas ſe ſeparauit: non autem Chriſtus eum excluſit. Et ideo Chriſtus quantum eſt in ſe, etiam cum Iuda vinũ in regno Dei, bibit, ſed hoc conuiuium ipſe Iudas repudiauit.

** loc. cit. in corpore art.*

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſto nota erat Iudæ iniquitas, ſicut Deo: non autem erat ſibi nota per modum, quo hominibus innoteſcit. Et ideo Chriſtus Iudam nõ repulit â communione, vt daret exẽplum tales peccatores occultos non eſſe ab alijs ſacerdotibus expellendos.

Ad tertium dicendum, quod ſine dubio Iudas ſub pane intincto corpus Chriſti non ſumpſit, ſed ſimplicẽ panem. Significatur autẽ fortaſſis (vt Auguſt. † ibidem dicit) per panis intinctionem fictio Iudæ: vt enim inficiantur nonnulla, intinguntur. Si autem bonum aliquid hic ſignificat tinctio (ſcilicet dulcedinem bonitatis diuinæ, quia panis ex intinctione ſapidior redditur) idem bonum ingratum non immerito eſt ſecuta damnatio. Et propter hanc ingratitudinem id quod eſt bonum, factum eſt ei malum; ſicut accidit circa ſumentes corpus Chriſti indigne. Et ſicut Auguſt. * ibidem dicit, intelligendum eſt, quod Dominus iam antea diſtribuerat omnibus diſcipulis ſuis ſacramentum corporis & ſanguinis ſui: vbi & ipſe Iudas erat, ſicut Lucas narrat. Ac deinde ad hoc ventum eſt, vbi ſecundum narrationem Ioannis, Dominus per bucellam tinctam atque porrectam ſuum exprimit proditorem.

† tract. 62. in Io. circ. med. to. 9.

** Ibidem.*

ART. III.

Vtrum Christus ſumpſerit, & diſcipulis dederit corpus ſuum impaſſibile?

4. d. 11. q. 3. a 3 & d. 12. q. 2 a. 3. qu. 1. cor. gl. ordi. ibidem.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus ſũpſerit & diſcipulis dederit corpus ſuum impaſsibile. Quia ſuper illud. Matth. 17. Transfiguratus eſt ante eos: dicit quædam gloſ. *, illud corpus, quod habuit per naturam, dedit diſcipulis in cœna non mortale & paſsibile. Et Leu. 2. ſuper illud, Si oblatio tua fuerit de ſartagine, dicit gloſ. * *Ibidem.* Crux ſuper omnia fortis, carnem Chriſti, quæ ante paſſionem non videbatur eſui apta, poſt aptam fecit. Sed Chriſtus dedit corpus ſuum vt aptum ad manducandum. Ergo dedit tale, quale habuit poſt paſsionem, ſcilicet impaſſibile & immortale.

2 Præterea, Omne corpus paſsibile, per contactum & manducationem patitur. Si ergo corpus Chriſti erat paſsibile, per contactum & comeſtionem diſcipulorum paſſum fuiſſet.

3 Præterea, Verba ſacramentalia, non ſunt modo maioris virtutis, quando proferuntur â ſacerdote, in perſona Chriſti, quam tunc quando fuerunt prolata ab ipſo Chriſto. Sed nunc virtute verborum ſacramentalium, in altari conſecratur corpus Chriſti impaſsibile & immortale. Ergo multo magis tunc.

Sed contra eſt, quod ſicut Innoc. III. * dicit, Tale corpus tunc dedit diſcipulis, quale habuit. Habuit autem tunc corpus paſsibile & mortale. Ergo corpus paſsibile & mortale diſcipulis dedit.

in li. 4. de ſacro myſ. alt. c. 12. poſt med.

Reſpondeo dicendum, quod Hugo de S. Vict. poſuit, quod Chriſtus ante paſsionem diuerſis temporibus quatuor dotes corporis glorificati aſſumpſerit, ſcilicet ſubtilitatẽ in natiuitate, quando exiuit de clauſo vero Virginis: agilitatem quando ambulauit ſiccis pedibus ſuper mare: claritatem in trãsfiguratione: impaſsibilitatem in cœna, quando corpus ſuum diſcipulis tradidit manducandum. Et ſecundum hoc dedit diſcipulis ſuis corpus ſuum impaſsibile & immortale. Sed quicquid ſit de alijs (de quibus ſupra dictum eſt† *q. 28. a. 2. ad 3. & q. 54. a. 1. ad 1.*) quid ſentiri debeat) circa impaſsibilitatem tamẽ impoſsibile eſt eſſe quod dicitur. Manifeſtum eſt enim, quod idem verum corpus Chriſti erat, quod â diſcipulis tũc in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie ſacramenti inſumebatur. Non autem erat impaſsibile, ſecundum quod in propria ſpecie videbatur: quinimo erat paſsioni paratum. Vnde nec ipſum corpus Chriſti, quod in ſpecie ſacramenti dabatur, impaſsibile erat. Impaſsibili tamen modo erat ſub ſpecie ſacramenti, quod in ſe erat paſsibile. ſicut inuiſibiliter, quod in ſe erat viſibile. Sicut enim viſio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circunſtans medium viſionis: ita paſſio requirit contactũ corporis, quod patitur ad ea quæ agunt. Corpus autem Chriſti, ſecundum quod eſt ſub ſacramento (vt ſupra dictum eſt† *q. 76. a. 4. 5. & 6.*) nõ comparatur ad ea quæ circunſtãt, mediantibus proprijs dimenſionibus quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierum panis & vini. Et ideo ſpecies illæ ſũt, quæ patiuntur & videntur, non autẽ ipſum corpus Chriſti.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus dicitur in cœna non dediſſe corpus ſuum mortale & paſſibile, quia non dedit mortali & paſsibili modo. Crux autem fecit carnem Chriſti aptam manducationi, in quantum hoc ſacramentum repræſentat paſsionem Chriſti.

Ad ſecundũ dicendum, quod ratio illa procederet, ſi corpus Chriſti ſicut erat paſsibile, ita paſsibili modo fuiſſet ſub ſacramento.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt *, accidentia corporis Chriſti ſunt in ſacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi ſacramenti, ex qua eſt ibi ſubſtantia corporis Chriſti. Et ideo virtus verborum ſacramentalium ad hoc ſe extendit, vt ſit ſub ſacramento corpus Chriſti, ſcilicet quibuſcũque accidentibus realiter in eo exiſtentibus.

q.76.a.4.

ART. IIII.

Vtrum ſi hoc ſacramentum tẽpore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum vel conſecratum ibi moreretur?

4.d.10.a.2.q.1.c. et 4.1.q.3. cõ.c.64. et quodl 5.a.11.ad 1. et Io.6 le.6.lin. et 1. Cor.11. le 6.co.1.f.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſi hoc ſacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum in pixide, vel ab aliquo Apoſtolorum conſecratum non ibi moreretur. Mors enim Chriſti accidit per eius paſsionem. Sed Chriſtus impaſsibili modo etiã tunc erat in hoc ſacramento. Ergo non poterat mori in hoc ſacramento.

2 Præterea, In morte Chriſti eſt ſeparatus ſanguis eius à corpore. Sed in hoc ſacramento ſimul eſt corpus Chriſti & ſanguis. Ergo Chriſtus in hoc ſacramento non moreretur.

3 Præterea, Mors accidit per ſeparationem animæ à corpore. Sed in hoc ſacramento continetur tam corpus, quam anima Chriſti. Ergo in hoc ſacramento non poterat Chriſt⁹ mori.

Sed contra eſt, quod idẽ Chriſtus, qui erat in Cruce, fuiſſet in ſacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in ſacramento conſeruato moreretur.

Reſpondeo dicendum, quod corpus Chriſti idem in ſubſtantia eſt in hoc ſacramento & in propria ſpecie, ſed non eodem modo. Nam in propria ſpecie contingit circunſtantia corpora per proprias dimenſiones, non autem prout eſt in hoc ſacramento: vt ſupra dictum eſt *. Et ideo quicquid pertinet ad Chriſtum ſecundum quod in ſe eſt, poteſt attribui ei & in propria ſpecie, & in ſacramento exiſtenti, ſicut viuere, mori, dolere, animatum vel inanimatum eſſe, & cætera huiuſmodi. Quæcumque vero conueniunt ei per cõparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti: non autem prout eſt in ſacramento, ſicut irridere, conſpui, crucifigi, flagellari, & cætera huiuſmodi. Vnde & quidam metrice dixerunt: Pixide ſeruato poteris ſociare dolorem innatum, ſed non illatus conuenit illi.

a. præced. & qu.76. a 4.5. & 6.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut dictum eſt †, paſsio conuenit corpori paſſo per comparationem ad agens extrinſecum. Et ideo Chriſtus, ſecundum quod eſt ſub hoc ſacra-

in cor. Art.

ſacramento, pati non poteſt, poreſt tamen mori.

Ad ſecundũ dicendum, quod ſicut dictum eſt *, ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti ex vi conſecrationis: ſanguis autem ſub ſpecie vini. Sed nunc quidem, quando realiter ſãguis Chriſti nõ eſt ſeparatus ab eius corpore, ex reali cõcomitantia & ſanguis Chriſti eſt ſub ſpecie panis ſimul cum corpore, & corpus ſub ſpecie vini ſimul cum ſanguine. Sed ſi tẽpore paſsionis Chriſti, quãdo realiter ſanguis fuit ſeparatus â corpore Chriſti, fuiſſet hoc ſacramẽtum conſecratum: ſub ſpecie panis fuiſſet ſolum corpus, & ſub ſpecie vini fuiſſet ſolum ſanguis.

q. 66. a. 1 ad 1.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt,* anima Chriſti eſt in hoc ſacramento ex reali concomitantia, quia non eſt ſine corpore: non autem ex vi conſecrationis. Et ideo ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum vel peractum, quãdo anima erat â corpore realiter ſeparata, non fuiſſet anima Chriſti ſub hoc ſacramento, non propter defectum virtutis verborum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei.

**in ſolutio. prac. & loco ibi citato.*

In tota hac quæſtione reſoluit Diu. Thomas quatuor difficultates totidẽ articulis, pertinentes ad vſum huius ſacramenti. In primo namque determinat Chriſtum Dominum in cœna vltima ſumpſiſſe ſuum corpus & ſanguinem vt ſic primitus obſeruaret, ea quæ alijs obſeruanda inſtituebat. In ſecundo determinat Chriſtum in eadem cœna dediſſe Iudæ corpus ſuum contra ſententiam Hilarij, ſequens potius in hac parte ſententiã Dionyſ. in lib. Eccleſ. Hierar. c. 3. Aug. tract. 62. in Ioan. In tertio, quod dedit diſcipulis tunc corpus ſuum paſsibile. Et in quarto concludit, quod ſi tempore mortis maneret Chriſtus in hoſtia conſecrata, ibi moreretur.

QVAESTIO LXXXII.

De miniſtro huius ſacramenti, in decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conſecratio huius ſacramenti ſit propria ſacerdotis?

4. d. 13. q. 1. ar. 1. q. 1. & d. 17 q. 3. ar. 3. q. 1. c. et d. 24. q. 2 ar. 1. q. 2. cor. co. 2. & a. 3. ad 2.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod conſecratio huius ſacramenti nõ ſit propria ſacerdotis. Dictum eſt enim ſupra †, quod hoc ſacramentum conſecratur virtute verborum, quæ ſunt forma huius ſacramenti. Sed illa verba non mutantur, ſiue dicantur a ſacerdote, ſiue â quocumque alio. Ergo videtur, quod non ſolus ſacerdos, ſed etiam quilibet alius poſſit hoc ſacramentum conſecrare.

†q. 78. a. 4.

2 Præterea, Sacerdos hoc ſacramentum conficit in perſona Chriſti. Sed laicus ſanctus eſt vnus Chriſto per charitatem. Ergo videtur, quod etiam laicus poſsit hoc ſacramentum conficere. Vnde &

Chryſoſtomus † dicit ſuper Matth. quod omnis ſanctus eſt ſacerdos.

ho. 43. in opere imperf. non remote à pr. t. 2.

3. Præterea, ſicut baptiſmus ordinatur ad hominum ſalutem, ita & hoc ſacramentum, ſicut ex ſupradictis patet *. Sed etiam laicus poteſt baptizare, vt ſupra habitum eſt. Non ergo eſt proprium ſacerdotis conficere hoc ſacramentum.

q. 67. a. 3

4. Præterea, Hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ. Sed alias materias conſecrare, ſcilicet chriſma, & oleum ſanctum, & oleum benedictum, pertinet ad ſolum Epiſcopum: quarum tamen cõſecratio non eſt tantæ dignitatis, ſicut conſecratio Euchariſtiæ, in qua eſt totus Chriſtus. Ergo non eſt proprium ſacerdotis, ſed ſolius Epiſcopi hoc ſacramentum conficere.

Sed contra eſt, quod Iſidorus, * dicit in quadam epiſt. & habetur in decret. diſtinctione 25. Ad preſbyterum pertinet ſacramentum corporis & ſanguinis Domini in altari Deo conficere.

in dec. di. 25. c. perlectis: & dicitur Iſidor. id habere in epiſt. ad Ludifr.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt †, hoc ſacramentum eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur niſi in perſona Chriſti. Quicumque autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur â Chriſto poteſtas ſumendi hoc ſacramentum, ita ſacerdoti, cũ ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentum conſecrandi in perſona Chriſti. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt â Domino, Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum eſt, quod proprium eſt ſacerdotum conficere hoc ſacramentum.

q. 78 a. 1 & 4.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus ſacramentum talis in pluribus conſiſtit, & non in vno tantum, ſicut virtus baptiſmi conſiſtit in ipſis verbis, & in aqua. Vnde & virtus conſecratiua non ſolum conſiſtit in ipſis verbis, ſed etiam in poteſtate ſacerdoti tradita in ſua conſecratione, & ordinatione: cum ei dicitur ad Epiſcopo, Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium, tam pro viuis, quam pro mortuis. Nam & virtus inſtrumentalis in pluribus inſtrumentis conſiſtit, per quæ agit principale agens.

Ad ſecundum dicendum, quod laicus iuſtus vnitus eſt Chriſto vnione ſpirituali per fidem & charitatẽ, non autem per ſacramentalem poteſtatem. Et ideo habet ſpirituale ſacerdotium ad offerendum ſpirituales hoſtias: de quibus dicitur in Pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et Roman. 12. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem. Vnde & 1. Petri ſecundo dicitur, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias.

Ad tertium dicendum, quod perceptio huius ſacramenti non eſt tantæ neceſsitatis, ſicut perceptio baptiſmi, vt ex ſupra dictis patet *. Et ideo licet in neceſsitatis articulo laicus poſsit baptizare: non tamen poteſt hoc ſacramentum conficere.

q. præc. ad 1 1. ad 2. & qu. 73. ar. 3.

Ad quartum dicendum, quod Epiſcopus accipit poteſtatẽ vt agat in perſona Chriſti ſuper corpus eius myſticum, ideſt ſuper Eccleſiam. Quam quiem poteſtatem non accipit ſacerdos in ſua conſecratione: licet poſsit eam habere ex Epiſcopi commiſsione. Et ideo ea, quæ non pertinent ad diſpoſitionẽ corporis myſtici, non reſeruantur Epiſcopo, ſicut conſecratio huius ſacramenti. Ad Epiſcopum vero pertinet tradere non ſolum populo, ſed etiam ſacerdotibus ea, ex quibus poſſunt proprijs officijs vti. Et quia benedictio chriſmatis & olei ſancti, & olei infir-

infirmorum, & aliorum, quæ conſecrantur (puta, altaris, Eccleſiæ, veſtium, & vaſorum) præſtat quandam idoneitatem ad ſacramenta perficiẽda, quæ pertinent ad officium ſacerdotum: ideo tales conſecrationes Epiſcopo reſeruantur, tamquam principi totius Eccleſiaſtici ordinis.

ART. II.

Vtrum plures ſacerdotes poſſint vnam & eandem hoſtiam conſecrare?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod plures ſacerdotes non poſsint vnã & eandem hoſtiam conſecrare. Dictum eſt enim * ſupra, quod plures non poſſunt ſimul vnum baptizare. Sed non minor vis eſt ſacerdotis cõſecrantis, quam hominis baptizãtis. Ergó etiam non poſſunt ſimul plures vnam hoſtiam conſecrare.

q. 3. 13. q. 1. a. 2. q. 2.

q. 67. a. 6.

2 Præterea, Quod poteſt fieri per vnum, ſuperflue fit per multos. In ſacramentis autem nihil debet eſſe ſuperfluum. Cum ergo vnus ſufficiat ad conſecrandum, videtur quod plures non poſsint vnam hoſtiam conſecrare.

3 Præterea, Sicut dicit Aug. ſuper Ioan. * Hoc ſacramentum eſt ſacramentum vnitatis. Sed contrarium vnitati eſſe videtur, multitudo. Ergo non videtur conueniens eſſe huic ſacramẽto, quod plures ſacerdotes eandem hoſtiam conſecrent.

tract. 26. in Io. to. 9.

Sed contra eſt, quod ſecũdum conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum, ſacerdotes, cum de nouo ordinantur, concelebrant Epiſcopo ordinanti.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) Sacerdos cum ordinatur, conſtituitur in gradu eorũ, qui à Domino acceperunt poteſtatem conſecrandi in cœna. Et ideo ſecundum conſuetudinem quarumdam Eccleſiarũ, ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti concœnauerunt, ita noui ordinati, epiſcopo ordinanti concelebrant. Nec propter hoc iteratur conſecratio ſuper eandem hoſtiam, quia ſicut Innoc. 3. * dicit Omnium intentio debet ferri ad idem inſtans conſecrationis.

ar. præced.

li. 4. de ſacro altar. myſt. c. 25. cir. med.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus non legitur ſimul baptizaſſe cum Apoſtolis, quando iniunxit eis officiũ baptizandi, Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi quilibet ſacerdotum operaretur in virtute propria, ſuperfluerent alij celebrantes, vno ſufficienter celebrante. Sed quia ſacerdos non conſecrat, niſi in perſona Chriſti; multi autem ſunt vnum in Chriſto: ideo nõ refert vtrum per vnum, aut per multos hoc ſacramentum conſecretur, niſi quod oportet ritum Eccleſiæ ſeruari.

Ad tertium dicendum, quod Euchariſtia eſt ſacramentum vnitatis Eccleſiaſticæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſunt vnum in Chriſto.

ART. III.

Vtrum diſpenſatio huius ſacramenti pertineat ſolum ad ſacerdotem?

4 d. 11. q. 2. a. 1. q. 1. ad 3. & d. 13. q. 1. a. 3. q. 1. et 2. vt habetur in eius cōcorda.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod non pertineat ſolum ad ſacerdotem diſpenſatio huius ſacramenti. Sanguis enim Chriſti non minus pertinet ad hoc ſacramentum, quam corpus. Sed ſanguis Chriſti diſpenſatur per diaconos: vnde & B. Lauren. dixit * B. Sixto, Experire vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Ergo & pari ratione diſpenſatio corporis Chriſti non pertinet ad ſoles ſacerdotes.

2 Præterea, Sacerdotes conſtituuntur miniſtri ſacramentorũ. Sed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ, non in vſu, ad quem pertinet diſpenſatio. Ergo videtur, quod non pertineat ad ſacerdotem corpus Domini diſpenſare.

c. 3. p. 1. et c. 4.

3 Præterea, Dion. † dicit in lib. eccleſ. hier. quod hoc ſacramentum habet perfectiuam virtutem, ſicut & chriſma. Sed ſignare chriſmate baptizatos, non pertinet ad ſacerdotem, ſed ad epiſcopum. Ergo etiam diſpēſare hoc ſacramentum, pertinet ad epiſcopum, non ad ſacerdotem.

de conſe. d. 2. c. peruenit.

Sed contra eſt, quod dicitur de conſecr. * d. 2. Peruenit ad notitiā noſtram, quod quidā presbyteri Laico aut fœminæ corpus Dñi tradunt ad deferendum infirmis. Igitur interdicit ſynodus, ne talis præſumptio vlterius fiat: ſed presbyter per ſemetipſum infirmos communicet.

Reſpondeo dicendum, quod ad ſacerdotem pertinet diſpenſatio corporis Chriſti, propter tria. Primo quidem, quia (ſicut dictum eſt †) ipſe conſecrat in perſona Chriſti. Ipſe autem Chriſtus ſicut conſecrauit corpus ſuum in cœna, ita & alijs ſumendum dedit. Vnde ſicut ad ſacerdotē pertinet conſecratio corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secundo, quia ſacerdos conſtituitur medius inter Deum & populũ. Vnde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eũ pertinet dona ſanctificata diuinitus populo tradere. Tertio, quia in reuerentiā huius ſacramenti, à nulla re contingitur niſi conſecrata. Vnde & corporale & calix conſecrantur, & ſimiliter manus ſacerdotis, ad tangendum hoc ſacramentum. Vnde nulli alij tangere licet, niſi in neceſsitate: puta ſi caderet in terram vel in aliquo alio neceſsitatis caſu. ar. 1. huius quæſt.

Ad primum ergo dicendum, quod diaconus quaſi propinquus ordini ſacerdotali, aliquid participat de eius officio: vt ſcilicet diſpenſet ſanguinem: non autem corpus, niſi in neceſsitate, iubēte Epiſcopo vel preſbytero. Primo quidem, quia ſanguis Chriſti continetur in vaſe: vnde nō oportet, quod tangatur à diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti. Secundo, quia ſanguis deſignat redemptionem à Chriſto in populũ deriuatam: vnde & ſanguini admiſcetur aqua quæ ſignificat populum. Et quia diaconi ſunt inter ſacerdotem & populum, magis conuenit diaconibus diſpenſatio ſanguinis, quam diſpenſatio corporis.

Ad ſecundum dicendum, quod eiuſdem eſt, hoc ſacramentum diſpenſare & conſecrare, ratione iam dicta. * in cor. art.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod ſicut diaconus in aliquo participat illuminatiuam virtutem ſacerdotis, in quantum diſpenſat ſanguinem: ita ſacerdos participat perfectiuam diſpenſationem Epiſcopi, in quantum diſpenſat hoc ſacramentum, quo perficitur homo ſecundum ſe, per comparationem ad Chriſtum. Aliæ autẽ perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Epiſcopo reſeruantur.

ART. IIII.

Vtrum ſacerdos conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum?

ſup. q. 80. a. 12. & 4 d. 12. q. 3. ar. 2. q. 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdos cõſecrans non teneatur ſumere hoc ſacramentum. In alijs enim conſecrationibus, ille qui conſecrat materiam, non vtitur ea, ſicut Epiſcopus conſecrans chriſma, non linitur eodem. Sed hoc ſacramẽtum conſiſtit in conſecratione materiæ. Ergo ſacerdos perficiens hoc ſacramentum non neceſſe habet vti eodem, ſed poteſt licite â ſumptione eius abſtinere.

2 Præterea, In alijs ſacramentis miniſter non præbet ſacramentum ſibi ipſi: nullus enim baptizare poteſt ſeipſum, vt ſupra dictum eſt.* Sed ſicut baptiſmus ordinate diſpenſatur, ita & hoc ſacramentum. Ergo ſacerdos perficiens hoc ſacramentũ, non debet ipſum ſumere â ſeipſo. *q. 66. a. 5 ad 4. arg.*

3 Præterea, Contingit quandoque, quod miraculoſe corpus Chriſti in altari apparet ſub ſpecie carnis, & ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, quæ non ſunt apta cibo & potui: vnde (ſicut ſupra dictum eſt †) propter hoc ſub alia ſpecie traduntur, ne ſint horrori ſumentibus. Ergo ſacerdos cõſecrans, non ſemper tenetur ſumere hoc ſacramentum. *q. 75. a. 5 & qu. 76. ar. 8.*

Sed contra eſt, quod in Conc. Tolet. legitur, & habetur * de conſ. d. 2. relatum. Modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcumque ſacrificãs corpus Chriſti & ſanguinẽ Dñi noſtri Ieſu in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti, participem ſe prebeat. *5. cano. & de conſ. d. 2. c. relatum.*

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) Euchariſtia non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Quicumque autẽ ſacrificium offert, debet ſacrificij fieri particeps: quia exterius ſacrificiũ, quod offertur, ſignum eſt interioris ſacrificij, quo quis ſeipſũ offert Deo: vt Aug † dicit 10. de ciuit. Dei. Vnde per hoc quod participat ſacrificio oſtendit ad ſe ſacrificiũ interius pertinere. Similiter etiã per hoc quod ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem diuinorum quorum ipſe primo debet eſſe particeps, ſicut Dionyſ. † dicit in lib. Eccl. hie. Et ideo ipſe ante ſumere debet, quam populo diſpenſet. Vnde & in prædicto cap. * legitur, Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificãs particeps eſſe dignoſcitur? Per hoc autem fit particeps, quod de ſacrificio ſumit, ſecundum illud Apoſtoli primæ Corinthiorum decimo, Nonne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Et ideo neceſſe eſt, quod ſacerdos quotieſcumque conſecrat, ſumat integre hoc ſacramentum. *q. 79. a. 5 & 7. — li. 10. c. 5 to. 5. — c. 3. declarando ad fin. — eod. can. 12. concil. Tol.*

Ad primum ergo dicendum, quod conſecratio chriſmatis vel cuiuſcumque alterius materiæ, non eſt

ſacri-

ſacrificium ſicut conſecratio eucharistiæ. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundũ dicendum, quod ſacramentum baptiſmi perficitur in ipſo vſu materiæ. Et ideo nullus poteſt baptizare ſeipſum: quia in ſacramento non poteſt eſſe idem agẽs & patiens. Vnde nec in hoc ſacramento ſacerdos conſecrat ſeipſum, ſed panem & vinum: in qua conſecratione perficitur ſacramẽtũ. Vſus autem ſacramenti eſt conſequenter ſe habens ad hoc ſacramentum. Et ideo non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quod ſi miraculoſe corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, non eſt ſumendum. Dicit enim Hieron. * ſuper Leuit. De hac quidem hoſtia quę in Chriſti commemoratione mirabiliter fit, edere licet: de illa vero, quam Chriſtus in ara crucis obtulit, ſecundum ſe nulli edere licet. Nec propter hoc ſacerdos tranſgreſſor efficitur: quia ea quæ miraculoſe fiunt legibus non ſubduntur. Conſulẽdũ tamen eſſet ſacerdoti, quod iterato corpus & ſanguinem Domini conſecraret & ſumeret.

refertur de conſ. d. 2. c. de hac ex Ori. ho. 7. ſuper Leuit.

ART. V.

Vtrum malus ſacerdos Euchariſtiam conſecrare poſsit?

4. d. 18. q. 2. ar. 2. q. 3. ad 2.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod malus ſacerdos euchariſtiam conſecrare non poſsit. Dicit enim Hier. * ſuper Soph. Sacerdotes, qui euchariſtię ſeruiunt & ſanguinem Domini populis diuidunt impie agunt in lege Chriſti, putantes euchariſtiam precãtis facere verba, non vitam, & neceſſariam eſſe ſolemnem orationem; & non ſacerdotis merita, de quibus dicitur, Sacerdos in quacumque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. Sed ſacerdos peccator cum ſit maculoſus, nec vitam habet nec merita huic conuenientia ſacramento. Ergo ſacerdos peccator non poteſt conſecrare euchariſtiam.

** ſuper illud Soph. 3. Sacerdotes polluerunt ſanctum, t. 6.*

2 Præterea, Damaſ. * dicit in 4. lib. quod panis & vinum per aduentum ſancti Spiritus ſupernaturaliter tranſit in corpus & ſanguinem Domini. Sed Gelatius Papa dicit (ſicut habetur in decr. 1, q. 1. ſacroſancta.) Quomodo ad diuini myſterij conſecrationem, cœleſtis ſpiritus inuocatus adueniet, ſi ſacerdos, qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus comprobetur? Ergo per malum ſacerdotem nõ poteſt euchariſtia conſecrari.

orth. fid. c. 14. non lõge à medio.

3 Præterea, Hoc ſacramentum ſacerdotis benedictione cõſecratur. Sed benedictio ſacerdotis peccatoris non eſt efficax ad cõſecrationem huius ſacramenti, cum ſcriptum ſit Malach. 2. Maledicam benedictionibus veſtris. Et Dion. † dicit in epiſt. ad Demophilum Monachum, Perfecte cecidit â ſacerdotali ordine, qui non eſt illuminatus: & audax quidẽ nimium mihi videtur talis, ſacerdotalibus manum apponens: & audet immundas infamias (non enim dicã orationes) ſuper diuina ſymbola Chriſti formiter enunciare.

† cir. med.

Sed contra eſt, quod Aug. * dicit in lib. de corpore Domini, Intra Eccleſiã catholicã, in myſterio corporis & ſanguinis Dñi, nihil â bono maius, nihil â malo minus perficitur ſacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris & virtute Spiritus ſancti.

refertur in q. 1. ca. intra catholicam, & de conſ. di. 2. cap. vtrum ſub. ex l. de cor. Dñi.

Reſpon

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) ſacerdos conſecrat hoc ſacramentum non virtute propria, ſed ſicut miniſter Chriſti, in cuius perſona conſecrat hoc ſacramentum. Non autem ex hoc ipſo deſinit aliquis miniſter eſſe Chriſti, quod eſt malus: habet enim Dominus bonos & malos miniſtros, ſeu ſeruos. Vnde Matth. 24. Dominus dicit, Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, &c. & poſtea ſubdit, Si autem dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo, &c. Et Apoſt. dicit 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti: & tamen poſtea ſubdit, Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Erat ergo certus ſe eſſe miniſtrum Chriſti: tamen nõ erat certus ſe eſſe iuſtum. Poteſt ergo aliquis eſſe miniſter Chriſti, etiam ſi iuſtus non ſit. Et hoc ad excellentiam Chriſti pertinet, cui ſicut vero Deo ſeruiunt non ſolũ bona, ſed etiã mala, quæ per ipſius prouidentiam in eius gloriam ordinantur. Vnde manifeſtum eſt, quod ſacerdotes etiam ſi non ſint iuſti, ſed peccatores, poſſunt Euchariſtiam cõſecrare.

a. 1. & 2. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod Hier. * per illa verba improbat errorem ſacerdotum, qui credebant ſe digne poſſe Euchariſtiam conſecrare, ex hoc ſolo, quod ſunt ſacerdotes, etiã ſi ſint peccatores. Quod improbat Hier. per hoc, quod maculoſi ad altare accedere prohibentur. Non tamen remouetur, quin ſi acceſſerint, ſit verum ſacrificium quod offerunt.

loco cit. in ar.

Ad ſecundũ dicendum, quod ante illa verba Gelaſius Papa † præmittit, Sacroſancta religio, quæ catholicam continet diſciplinam, tantam ſibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet (niſi pura conſcientia) non audeat peruenire. Ex quo manifeſte apparet eius intentionem eſſe, quod peccator ſacerdos non debet ad hoc ſacramentum accedere. Vnde per hoc quod ſubdit, Quomodo cœleſtis ſpiritus inuocatus adueniet? intelligi oportet, quod non aduenit ex merito ſacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, cuius verba profert ſacerdos.

infr. c. cit. in arg.

Ad tertium dicendum, quod ſicut eadem actio, in quantum fit ex praua intentione miniſtri, poteſt eſſe mala: bona autem, in quantum fit ex bona intententione Domini: ita benedictio ſacerdotis peccatoris, in quantum ab ipſo indigne fit, eſt maledictione digna, & quaſi infamia ſiue blaſphemia, & non oratio reputatur: in quantum autem profertur ex perſona Chriſti, eſt ſancta & efficax ad ſanctificandum. Vnde ſignanter dicitur, Maledicam benedictionibus veſtris.

ART. VI.

Vtrum miſſa mali ſacerdotis minus valeat, quam miſſa ſacerdotis boni?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod miſſa ſacerdotis mali non minus valeat, quam miſſa ſacerdotis boni. Dicit enim Gregor. † in Regiſtro, Heu in quam magnum laqueum incidũt, qui diuina & occulta myſteria, plus ab alijs ſanctificata poſſe fieri credũt: cum vnus idemque Spiritus ſanctus ea myſteria occulte atque inuiſibiliter operando ſanctificet. Sed hæc occulta myſteria celebrantur in miſſa. Ergo

4 d. 13. q. 1. a. 1 q. 5.

** Refertur hoc in dec. 1. q. 1 cap. multi ante med.*

Ergo miſſa mali ſacerdotis non minus valet, quam miſſa boni.

2 Præterea, Sicut baptiſmus tradirur â miniſtro in virtute Chriſti, qui baptizat, ita & hoc ſacramentum in perſona Chriſti conſecratur. Sed non melior baptiſmus datur â meliori miniſtro, vt ſupra dictum eſt *. Ergo etiã neque melior miſſa eſt, quæ celebratur à meliori ſacerdote.

q. 64. ar. 5. & q. 67. a. 5. & alijs.

3 Præterea, Sicut merita ſacerdotum differunt per bonum & melius, ita etiam differunt per bonum & malum. Si ergo miſſa melioris ſacerdotis eſt melior, ſequitur quod miſſa mali ſacerdotis ſit mala. Quod eſt inconueniens, quia malitia miniſtrorum non poteſt redundare in Chriſti myſteria, ſicut Aug. dicit * in libro de baptiſmo. Ergo neque miſſa melioris ſecerdotis eſt melior.

li. 2. contra literas Peti. c. 47 circa fin. alijs verbis, to. 7.

Sed contra eſt, quod habetur in decret. 1. quæſt. 1. * Quanto ſacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in neceſsitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

** in decr. 1. q. 1. ca. 52. ipſi ſacerdotes.*

Reſpondeo dicendum, quod in miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum ſacramentum, quod eſt principale, & orationes, quæ in miſſa fiũt pro viuis & mortuis. Quantum ergo ad ſacramentum non minus valet miſſa ſacerdotis mali, quam boni: quia vtrobique idem conficitur ſacramentum. Oratio etiam quæ fit in miſſa, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo in quantum habet efficaciam ex deuotione ſacerdotis orantis. Et ſic non eſt dubium, quod miſſa melioris ſacerdotis magis eſt fructuoſa. Alio modo in quantũ oratio in miſſa profertur â ſacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cuius ſacerdos eſt miniſter. Quod quidem miniſteriũ etiã in peccatoribus manet, ſicut ſupra dictum eſt † de miniſterio Chriſti. Vnde etiã quantum ad hoc eſt fructuoſa non ſolũ oratio ſacerdotis peccatoris in miſſa, ſed etiã omnes eius orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officijs, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ, licet orationes eius priuatæ non ſint fructuoſæ, ſecũdum illud Prouer. 28. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis.

art. præced.

loc. cita. in arg.

Ad primum ergo dicendum, quod Greg. † loquitur ibi quantũ ad ſanctitatem diuini ſacramenti.

Ad ſecundũ dicendum, quod in ſacramento baptiſmi non fiunt ſolemnes orationes, pro omnibus fidelibus, ſicut in miſſa. Et ideo quãtum ad hoc non eſt ſimile. Eſt autẽ ſimile quantum ad effectum ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod per virtutem Spiritus ſancti (qui per vnitatem charitatis communicat inuicem bona membrorum Chriſti) fit quod bonum priuatum quod eſt in miſſa ſacerdotis boni, eſt fructuoſũ alijs. Malum autem priuatum vnius hominis non poteſt alteri nocere, niſi per aliquem conſenſum, vt Aug. † dicit in lib. contra Parmenianum.

lib. 2. ex c. 13. & 7. & extra. 5. in Io. to. 9.

ART. VII.

Vtrum hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati poſſint conſecrare?

4. d. 13. q. 1. ar 1. q. 3. & in expo. lit. in pr. et d. 18 q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. & d. 19. q. 1. a. 2. q 3. ad 1 & quol. 12 ar. 16.

AD ſeptimũ ſic proceditur. Videtur quod hęretici, ſchiſmatici, & excommunicati, Euchariſtiã conſecrare non poſsint. Dicit enim Aug. † quod extra Eccleſiam catholicam nõ eſt locus veri ſacrificij. Et Leo Papa dicit, * & habetur in decr. 1. q. 1. Aliter, ſcilicet quã in

† in l. ſent. ex Aug. collect. arti. c. 15. tom. 3

** Leo in epiſ. 38. habetur 1. q. 1. ca. in eccleſia Dei.*

Digitized by Google

in Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt, nec rara ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia. Sed hæretici, ſchiſmatici & excommunicati ſunt ab Eccleſia ſeparati. Ergo non poſſunt verum ſacrificium conficere.

2 Præterea, Sicut ibidem legitur, Innoc.* Papa dicit, Arianos cęteraſque eiuſmodi peſtes, quia laicos eorum ſub imagine pœnitentiæ ſuſcipimus, non videntur clerici eorũ cum ſacerdotij, aut cuiuſpiam myſterij ſuſcipiendi dignitate eſſe, quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus. Sed non poteſt aliquis conſecrare Euchariſtiam, niſi ſit cũ ſacerdotij dignitate. Ergo hæretici & cæteri huiuſmodi, non poſſunt Euchariſtiam conſecrare.

† 1.q.1.c. 74. Arrianos.

3 Præterea, Ille qui eſt extra Eccleſiam, non videtur aliquid poſſe agere in perſona totius Eccleſiæ. Sed ſacerdos conſecrans Euchariſtiam, hoc agit in perſona totius Eccleſiæ: quod patet ex hoc, quod omnes orationes proponit in perſona Eccleſiæ. Ergo videtur, quod illi qui ſunt extra Eccleſiã, ſcilicet hæretici, ſchiſmatici excommunicati, nõ poſsint conſecrare Euchariſtiam.

Sed contra eſt, quod Aug. † dicit in 2. contra Parmenianum, Sicut baptiſmus in eis, ſcilicet hæreticis, ſchiſmaticis & excommunicatis, ita ordinatio manſit integra. Sed ex vi ordinationis ſacerdos poteſt conſecrare Euchariſtiam. Ergo hæretici, ſchiſmatici & excommunicati, cum in eis maneat ordinatio integra, videtur quod poſsint conſecrare Euchariſtiam.

l. 2 c. 13. to. 7.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerũt, quod hæretici, ſchiſmatici & excommunicati, quia ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt conficere hoc ſacramentũ. Sed in hoc decipiuntur: quia ſicut Aug. dicit * in 2. contra Parmenianum, aliud eſt aliquid omninò non habere, aliud autem non recte habere: & ſimiliter etiam eſt aliud non dare, & aliud non recte dare. Illi igitur, qui intra Eccleſiam conſtituti, receperunt poteſtatem cõſecrandi euchariſtiam in ordinatione ſacerdotij, recte quidem habent poteſtatem, ſed non recte ea vtuntur, ſi poſtmodum per hæreſim aut ſchiſma vel excommunicationẽ, ab eccleſia ſeparentur. Qui autem ſic ſeparati ordinantur, nec recte habent poteſtatem, nec recte vtuntur. Quod tamen vtrique poteſtatem habeant, patet per hoc, quod (ſicut Auguſt. ibidem * dicit) cum redeunt ad vnitatem Eccleſiæ, non reordinãtur, ſed recipiuntur in ſuis ordinib⁹. Et quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens ordinis poteſtatẽ, illi qui ſunt ab eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem, poſſunt quidem conſecrare Euchariſtiam, quæ ab eis conſecrata, verum corpus & ſanguinem Chriſti continet: non tamen hoc recte faciunt, ſed peccant facientes. Et ideo fructum ſacrificij non percipiunt: quod eſt ſacrificium ſpirituale.

l. 2. c. 13. ante med. to. 7.

li. 2. cont. Parmen. c. 13. t. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ, & ſimiles intelligendæ ſunt quantũ ad hoc, quod non recte extra Eccleſiam ſacrificiũ offertur. Vnde extra Eccleſiam nõ poteſt eſſe ſpirituale ſacrificiũ, quod eſt verum veritate fructus, licet ſit verum veritate ſacramenti: ſicut etiam ſupra dictum eſt, † quod peccator ſumit corpus Chriſti ſacramentaliter, ſed non ſpiritualiter.

q. 80. a. 3.

Ad ſecundum dicendũ, quod ſolus baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis & ſchiſmaticis, quia poſſunt licite baptizare in articulo neceſsitatis. In nullo autem caſu licite poſſunt euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre.

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod ſacerdos in miſſa in orationibus quidem loquitur in perſona Eccleſiæ, in cuius vnitate conſiſtit. Sed in conſecratione ſacramenti loquitur in perſona Chriſti, cuius vicem in hoc gerit per ordinis poteſtatem. Et ideo ſi ſacerdos ab vnitate Eccleſiæ præciſus, miſſam celebret, quia poteſtatem ordinis non amittit, conſecrat verum corpus & ſanguinem Chriſti: ſed quia eſt ab Eccleſiæ vnitate ſeparatus, orationes eius efficaciam non habent.

ART. VIII.

Vtrum ſacerdos degradatus poſsit hoc ſacramentum conficere?

4.d.11.q.2.a.1.q^a.4.& q^a.12 ar.16.

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdos degradatus non poſsit hoc ſacramentum conficere. Nullus enim conficit hoc ſacramentum, niſi per poteſtatem conſecrandi quam habet. Sed degradatus non habet poteſtatem cõſecrandi, licet habeat poteſtatem baptizandi, vt dicit Can. 1. q. 1. c. quidam.* Ergo videtur, quod presbyter degradatus non poſsit Euchariſtiam conſecrare.

**Habetur in dec. 1. q. 1 c. quod quidã ch. me.*

2 Præterea, Ille qui aliquid dat, poteſt etiam auferre. Sed Epiſcopus dat presbytero poteſtatem conſecrã di, ordinando ipſum. Ergo etiam poteſt ei auferre, degradando eum.

3 Præterea, Sacerdos per degradationem aut amittit poteſtatem cõſecrandi, aut ſolam executionẽ. Sed non ſolam executionem: quia ſic nõ plus amitteret degradatus, quam excommunicatus, qui etiam executione caret. Ergo videtur, quod amittat poteſtatem conſecrandi. Et ita videtur, quod non poſsit cõficere hoc ſacramentum.

Sed contra eſt, quod Aug. *in 2. contra Parmenianũ probat, quod apoſtatæ à fide non carent baptiſmate, per hoc, quod per pęnitentiam redeuntibus non reſtituitur: & ideo amitti non poſſe iudicatur. Sed ſimiliter degradatus, ſi reconcilietur, nõ eſt iterum ordinandus. Ergo non amiſit poteſtatem conſecrandi. Et ita ſacerdos degradatus poteſt conficere hoc ſacramentum.

**l. 2. c. 13 to. 7.*

Reſpondeo dicendum, quod poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, pertinet ad characterem ſacerdotalis ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam conſecratione datur, indelebilis eſt, vt ſupra dictũ eſt: †ſicut & quarumcumque rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt. Vnde manifeſtum eſt, quod poteſtas conſecrã di non amittitur per degradationẽ. Dicit enim Auguſt.† in ſecundo cõtra Parmenianum, Vtrumque, ſcilicet baptiſmus & ordo, ſacramẽtum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud cum baptizatur; iſtud cum ordinatur: ideoque non licet a catholicis vtrumque iterari. Et ſic patet, quod ſacerdos degradatus poteſt conficere hoc ſacramentum.

†q. 63. ar. 5.

†l. 2. c. 13 ã me. t. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod Canon ille non loquitur aſſertiue, ſed inquiſitiue: ſicut ex circumſtantia litteræ haberi poteſt.

Ad ſecundum dicendum, quod Epiſcopus non dat poteſtatem ſacerdotalis ordinis propria virtute, ſed inſtrumentaliter, ſicut miniſter Dei, cuius effectus per hominem tolli non poteſt: ſecundum illud Matt.

19.

19. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et ideo Epiſcopus non poteſt hanc poteſtatem auferre: ſicut nec ille qui baptizat, poteſt auferre characterem baptiſmalem.

Ad tertium dicendum, quod excommunicatio eſt medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufertur executio ſacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum, ſed ad correctionẽ vſque ad tempus. Degradatis autem aufertur executio quaſi in perpetuũ condemnatis.

ART. IX.

Vtrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, ſeu peccatoribus, communionem recipere, & eorum miſſam audire?

Sũ. q. 64. a. 9. ad 2. & 3. & 4 d. 13 q. 1 a. 3. q. 3. AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod aliquis licite poſsit communionem recipere a ſacerdotibus hæreticis, vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, & ab eis miſſam audire. Sicut enim * Aug. contra Petilianum dicit, Neque in homine bono, neque in homine malo aliquis Dei fugiat ſacramenta. Sed ſacerdotes quamuis ſint peccatores & hæretici, vel excõmunicati, verum conficiunt ſacramentum. Ergo videtur, quod non ſit vitandum ab eis communionem accipere, vel eorum miſſam audire.

** refertur hoc in dec. 1. q. 1. ca. Neque in prin.*

2 Præterea, Corpus Chriſti verũ figuratiuum eſt corporis myſtici, ſicut ſupra dictum eſt *. Sed a prædictis ſacerdotibus verũ corpus Chriſti conſecratur. Ergo videtur, quod illi qui ſunt de corpore myſtico, poſſint eorum ſacrificijs communicare.

3 Præterea, Multa peccata ſunt grauiora, quam fornicatio. Sed non eſt prohibitum audire miſſas ſacerdotum aliter peccantium. Ergo etiam non debet eſſe prohibitũ audire miſſas ſacerdotum fornicariorum.

Sed contra eſt, quod Can. dicit 32. * diſt. Nullus miſſam audiat ſacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere. Et Greg. * dicit in 3. dial. quod pater perfidus Arianum Epiſcopum miſit ad filium, vt de eius manu ſacrilega conſecrationis communionem perciperet: ſed vir Deo deditus Ariano Epiſcopo venienti exprobrauit, vt debuit. *diſt. 32. c. Nullus.* *Greg. l. 3. Dial. c. 31 parum à princ.*

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) ſacerdotes ſi ſint hæretici, vel ſchiſmatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamuis habeant poteſtatem cõſecrandi Euchariſtiam: non tamen ea recte vtuntur, ſed peccant vtẽtes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipſe particeps peccati efficitur. Vnde & ſecunda Can. † Ioan. dicitur, quod qui dixerit ei, aue (ſcilicet hæretico) communicat operibus illius malignis. Et ideo non licet a prædictis communionem accipere, aut eorum miſſam audire. Differt tamen inter prædictas ſectas. Nã hæretici & ſchiſmatici & excommunicati, ſunt per ſententiam Eccleſiæ, executione conſecrandi priuati: & ideo peccat quicumque eorum miſſam audit, vel ab eis accipit ſacramẽta. Sed non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione huius poteſtatis priuati. Et ſic quamuis ſint ſuſpenſi quãtum ad ſe, ex ſententia diuina, non autem quantum ad alios ex ſentẽtia Eccleſiæ. Et ideo vſque ad ſententiam Eccleſiæ licet *a. 5. 7. & 8. huius q.* *circa fin. illius.*

ab eis communionem accipere, & eorum miſſam audire. Vnde ſuper illud 1. Cor. 5. Cum huiuſmodi nec cibum ſumere, dicit gloſ. † Auguſt. Hoc dicendo, noluit hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio: ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, ſiue accuſatum, & cõuictum.

Eſt Aug. in lib. de vtil. pæn. à med. to. 9. hẽtur Et hic ll. to. 10. inter 50 ho. & eſt vltima.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc, quod refugimus audire miſſas talium ſacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei ſacramenta, ſed potius ea veneramur. Vnde hoſtia à talibus ſacerdotibus conſecrata, eſt adoranda; & ſi reſeruetur, licite poteſt ſumi a ſacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indigne miniſtrantium.

Ad ſecundũ dicendum, quod vnitas corporis myſtici eſt fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indigne percipiunt, vel miniſtrãt priuantur fructu; vt ſupra dictũ eſt*. Et ideo nõ eſt ſumendum ex eorum diſpenſatione ſacramentum, ab eis qui ſunt in vnitate Eccleſiæ.

q. 80. a. 4. & a. 7. huius. q.

Ad tertium dicendum, quod licet fornicatio non ſit grauior cæteris peccatis, tamen ad eam proniores ſunt homines, propter carnis concupiſcẽtiam. Et ideo ſpecialiter hoc peccatum ſacerdotibus prohibitum eſt ab Eccleſia, & ne aliquis audiat miſſam concubinarij ſacerdotis. Sed hoc intelligendum eſt de notorio, vel per ſententiam, quæ fertur in cõuictum, vel per confeſsionem in iure factam, vel per euidentiam facti, quando non poteſt peccatum aliqua tergiuerſatione celari.

ART. X.

Vtrum liceat ſacerdoti, omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere?

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod liceat ſacerdoti, omnino a conſecratione Euchariſtiæ abſtinere. Sicut enim ad officium ſacerdotis pertinet Euchariſtiam conſecrare, ita etiam baptizare, & alijs ſacramentis miniſtrare. Sed ſacerdos non tenetur miniſtrare in alijs ſacramẽtis, niſi propter curam animarum ſuſceptam. Ergo videtur, quod nec etiam teneatur Euchariſtiam conſecrare, ſi curam non habeat animarum.

4. di. 13. q. 3. a. 2. q. 3. & d. 13. q. 1. a. 2. q. 1.

2 Præterea, Nullus tenetur facere quod ſibi non licet; alioquin eſſet perplexus. Sed ſacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato, non licet euchariſtiam conſecrare, vt ſupra dictum eſt*. Ergo videtur, quod tales non tenentur ad celebrandum, & ita nec alij; alioquin ex ſua culpa cõmodum reportarent.

q. 7. huius q.

3 Præterea, Dignitas ſacerdotalis non perditur per ſubſequentem infirmitatem; dicit enim * Gelaſius Papa, & habetur in decr. diſt. 55. Præcepta canonica, ſicut non patiuntur venire ad ſacerdotium debiles corpore, ita ſi quis in eo fuerit conſtitutus, ac tunc fuerit ſauciatus, amittere non poteſt quod tempore ſuæ ſynceritatis accepit. Contingit autem quandoque, quod ordinati in ſacerdotes, incurrunt aliquos defectus, ex

Gel. Pa. ad epiſ. ſcribens. Hẽtur in dec. d. 55. c. præcepta canon. c. in prin.

Digitized by Google

ex quibus à celebratione impediuntur, ſicut eſt lepra vel morbus caducus, vel aliquid aliud huiuſmodi. Nõ ergo videtur, quod ſacerdotes ad celebrandum teneantur.

Sed contra eſt, quod Ambroſ. dicit in quadam oratione, Graue eſt quod ad menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus: ſed grauiꝰ eſt, ſi dum peccata metuimus, etiam ſacrificium nõ reddamus.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod ſacerdos poteſt omnino a conſecratione licite abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi cõmiſſa celebrare populo, & ſacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia vnuſquiſque tenetur vti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum: ſecundum illud 2. ad Corinth. 6. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem ſacrificium offerendi, non ſolum attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationẽ ad Deũ, cui conſecratione huius ſacramenti ſacrificium offertur. Vnde ſacerdoti etiam ſi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione ceſſare: ſed ſaltem videtur, quod celebrare teneatur, in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus in quibus fideles communicare conſueuerunt. Et hinc eſt quod 2. Mach. 4. contra quoſdam ſacerdotes dicitur, quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & ſacrificijs neglectis.

Ad primum ergo dicendum, quod alia ſacramenta perficiuntur in vſu fidelium: & ideo in alijs miniſtrare non tenetur, niſi ille qui ſuper fideles ſuſcipit curam. Sed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua ſacrificium Deo offertur: ad quod ſacerdos obligatur Deo ex ordine iam ſuſcepto.

Ad ſecundum dicendum, quod ſacerdos peccator ſi per ſententiam Eccleſiæ ſit executione ordinis priuatus, vel ſimpliciter vel ad tempus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum: & ideo obligatio tollitur. Hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus, magis, quam in emolumentum.

Si vero non ſit priuatus poteſtate celebrandi, non ſoluitur obligatio: nec tamen perplexus eſt, quia poteſt de peccato pœnitere, & celebrare.

Ad tertium dicendum, quod debilitas vel ægritudo ſuperueniens ordini ſacerdotali, ordinem nõ tollit: executionem tamen ordinis tollit quantum ad conſecrationem Euchariſtiæ. Quandoque quidem propter impoſſibilitatem executionis: ſicut ſi priuetur oculis, aut digitis, aut vſu linguæ. Quandoque autem propter periculum, ſicut patet de leproſo, qui non debet publice celebrare. Poteſt tamen miſſam dicere occulte, niſi lepra adeo inualuerit, quod per corroſionem membrorum, eum ad hoc reddiderit impotentem.

IN hac quæſtione tradit nobis Angelicus præceptor decem difficultates totidem articulis reſolutas. In primo namque reſoluit conſecrationem huius ſacramenti pertinere ad ſolos ſacerdotes, vtpote quibus confertur poteſtas conſecrandi hoc ſacramentum in perſona Chriſti, dum ſacerdotio initiantur. In ſecundo reſoluit, quod plures ſacerdotes poſſint ſimul vnam & eandem hoſtiam cõſecrare: in cuius explicatione notat Caietanus, quod duabus exiſtentibus opinionibus extremis de hac pluralitate: altera Innocentij, quam ſequitur author: & altera Durandi in quarto diſt. 13. totaliter contrarijs, ſtandum eſt ſententiæ Innocen-

tij, vtpote conſuetudine Eccleſiæ comprobatæ. In tertio determinat diſpenſationem huius ſacramenti per ſe ad ſolum ſacerdotem pertinere, quamuis per accidens in aliquo caſu neceſsitatis permittatur diacono. In quarto, quod ſacerdos conſecrans tenetur ſumere hoc ſacramentum. Et in quinto, quod etiam malus ſacerdos Euchariſtiam conſecrare poſsit. Et in ſexto ſubdit, quod miſſa mali ſacerdotis non minus valeat, quam boni ex parte ipſius ſacramenti: bene autem ex parte operis operantis. In ſeptimo determinat, quod ſacerdotes hæretici, & excommunicati poſſunt valide conſecrare: & etiam degradatus (ait in octauo) quia in illis manet character. In nono determinat non licere fidelibus miſſam audire à ſacerdotibus excommunicatis, vel hæreticis: intellige tamen poſt moderationem Concilij Conſtantienſis dummodo non ſint tollerati. Et in vltimo concludit nõ licere ſacerdoti omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere.

QVAESTIO LXXXIII.

De ritu huius ſacramenti, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in hoc ſacramento Chriſtus immoletur?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod in celebratione huius ſacramenti, Chriſtus non immoletur. Dicitur enim Heb. 10. quod Chriſtus vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Sed illa oblatio fuit eius immolatio. Chriſtus ergo nõ immolatur in celebratione huius ſacramenti. *Infr. ar. 2. cor. & ad 1. & 2.*

2 Præterea, immolatio Chriſti facta eſt in cruce, in qua tradidit ſemetipſum oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, vt dicitur Ephes. 5. Sed in celebratione huius myſterij Chriſtus non crucifigitur. Ergo nec immolatur.

3 Præterea, Sicut † Auguſt. dicit in 4. lib. de Trinit. in immolatione Chriſti idem eſt ſacerdos & hoſtia. Ergo celebratio huius ſacramenti nõ eſt Chriſti immolatio. *li. 4. c. 14 in fin. & c. 7 in pr. to. 3.*

Sed contra eſt, quod * Aug. dicit in lib. de ſent. Proſperi, Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus: & tamen quotidie immolatur in ſacramento. *Habetur de conſ. di. 2. c. ſemel immolatus.*

Reſpondeo dicendum, quod duplici ratione celebratio huius ſacramenti dicitur immolatio Chriſti. Primo quidem, quia ſicut dicit Auguſtinus * ad Simplicium, ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt, ſicut ** In li. qq. ad ſimplicium, q. 3. parũ ante me. to. 4.*

Digitized by Google

ſicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus, ille Cicero eſt, & ille Salluſtius. Celebratio autem huius ſacramenti (ſicut ſupra dictum eſt*) imago quædam eſt repreſentatiua paſsionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius ſacramenti dicitur Chriſti immolatio. Vnde Ambr. * dicit ſuper Epiſtolam ad Hebr. In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationē mortis eius. Alio modo quantum ad effectum paſsionis Chriſti, quia ſcilicet per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſſionis. Vnde in quadam Dominicali oratione ſecreta dicitur, Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur. Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Chriſtus immolari etiam in figuris veteris teſtamenti. Vnde & Apocal. decimotertio dicitur, Quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Sed quantum ad ſecundum modum proprium eſt huic ſacramēto, quod in eius celebratione Chriſtus immoletur.

q. 79. a. 1 & 5. & 73. ar. 6.

In c. 10. ad Hebr. non procul à pr. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Ambroſ. * ibidem dicit, Vna eſt hoſtia (quam ſcilicet Chriſtus obtulit, & nos offerimus) & non multæ, quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exēplum eſt illius. Sicut enim quod vbique offertur, vnum eſt corpus & non multa corpora: ita & vnum ſacrificium.

Ibidem.

Ad ſecundū dicendum, quod ſicut celebratio huius ſacramenti eſt imago repreſentatiua paſsionis Chriſti, ita altare eſt repreſentatiuum crucis ipſius, in qua Chriſtus in propria ſpecie immolatus eſt.

Ad tertium dicendum, quod per eamdem rationem etiam ſacerdos gerit imaginem Chriſti, in cuius perſona & virtute verba pronunciat ad conſecrandum: vt ex ſupra dictis patet *. Et ita quodammodo idem eſt ſacerdos & hoſtia.

q. 82. a. 1. & 3.

ART. II.

Vtrum conuenienter ſit determinatum tempus celebrationis?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod incōueniēter ſit determinatum tempus celebrationis huius myſterij. Hoc enim ſacramentum eſt repreſentatiuum Dominicę paſsionis, vt dictum eſt *. Sed commemoratio Dominicæ paſsionis fit in Eccleſia ſemel in anno. Dicit enim Auguſt. * ſuper Pſalm. 21. Quotieſcumque Paſcha celebratur, numquid toties Chriſtus occiditur? ſed tamen anniuerſaria recordatio repreſentat quod olim factum eſt; & ſic nos facit moueri, tamquam videamus in cruce pendentem Dominum. Ergo hoc ſacramentum non debet celebrari, niſi ſemel in anno.

4. d. 13. q. 1. a. 2. q. 4.

ar. praced.

in præf. 2a Pſalm. 21 cir. pr. t. 8.

2. Præterea, Paſsio Chriſti commemoratur in Eccleſia, ſexta feria ante Paſcha. Non autem in feſto Natalis. Cum ergo hoc ſacramentum ſit commemoratiuum Dominicę paſsionis, videtur inconue-

niens eſſe, quod in die Natalis ter celebretur hoc ſacramentum: in paraſceue autem totaliter intermittatur.

3 Præterea, In celebratione huius ſacramenti Eccleſia debet imitari inſtitutionem Chriſti. Sed Chriſtus conſecrauit hoc ſacramentum hora ſerotina. Ergo videtur, quod hora tali debeat hoc ſacramẽtum celebrari.

4 Præterea, Sicut habetur de cõſecr. diſtinctione prima * Leo Papa ſcribit Dioſcoro Alexandrino epiſcopo, quod in prima parte diei miſſas celebrare licet. Sed dies incipit â media nocte; vt ſupra dictum eſt. Ergo videtur, quod etiam poſt mediam noctem licet celebrare.

Leo in epi. 81. cap. 2. cir. prin. Et hẽtur de conſ. di 1. ca. Neceſſe eſt.

5 Præterea, In quadam Dominicali oratione ſecreta dicitur, Concede nobis Domine quæſumus hæc frequentare myſteria. Sed maior erit frequentia, ſi etiam pluribus horis in die ſacerdos celebret. Ergo videtur, quod non debeat prohiberi ſacerdos pluries celebrare in die.

Sed in contrarium eſt conſuetudo, quam ſeruat Eccleſia ſecundũ Canonum ſtatuta.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) in celebratione huius myſterij attenditur repræſentatio Dominicæ paſsionis, & participatio fructus eius. Et ſecundum vtrumque oportuit determinare tẽpus aptum celebrationi huius ſacramenti. Quia enim fructu Dominicæ paſsionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Eccleſia regulariter hoc ſacramentum offertur. Vnde & Dominus nos petere docet, Luc. 11. Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie. Quod exponens Auguſtin. * libro de verbis Domini dicit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? accipe quotidie vt quotidie tibi proſit. Quia vero Dominica paſsio celebrata eſt â tertia hora vſque ad nonam: ideo regulariter in illa parte diei, ſolemniter hoc ſacramentum in Eccleſia celebratur.

ar præc. et q. 79. a. 1.

in ſer. 28. post â me. tom, 10.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc ſacramento recolitur paſsio Chriſti, ſecundum quod eius effectus ad fideles deriuatur. Sed tempore paſsionis recolitur paſsio Chriſti ſolum ſecundum hoc, quod in ipſo capite noſtro fuit perfecta. Quod quidem factum eſt ſemel: quotidie autem fructum Dominicæ paſſionis fideles percipiunt. Et ideo illa commemoratio fit ſemel in anno: hoc autem quotidie & propter fructum, & propter iugem memoriam.

Ad ſecundum dicendũ, quod veniente veritate, ceſſat figura. Hoc autem ſacramentum eſt figura quædam, & exemplum Dominicæ paſſionis: ſicut dictum eſt *. Et ideo in die quo ipſa paſsio Domini recolitur, prout realiter geſta eſt, non celebratur conſecratio huius ſacramenti. Ne tamen Eccleſia ea etiam die ſit ſine fructu paſsionis per hoc ſacramentum nobis exhibito, corpus Chriſti conſecratum in die præcedenti, reſeruatur ſumendum in illo die: non autem ſanguis, propter periculum, & quia ſanguis ſpecialius eſt imago Dominicæ paſsionis: vt ſupra dictum eſt *. Nec verum eſt quod quidam dicunt, quod per immiſsionem particulæ corporis Chriſti in vinum, conuertatur vinum in ſanguinem hoc enim aliter fieri non poteſt, quam per conſecrationem factam ſub debita forma verborum. In die autem Natiuitatis plures miſſæ celebrantur, propter triplicem Chriſti natiuitatem. Quarum

in corp. & locis ibi. citatis.

q. 78. a. 3. ad 2. & q. 76. ar. 2. ad 2.

rum vna eſt æterna, quæ quantum ad nos eſt occulta. Et ideo vna miſſa cantatur in nocte: in cuius introitu dicitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem eſt temporalis, ſed ſpiritualis: quia ſcilicet Chriſtus oritur tamquàm lucifer in cordibus noſtris: vt dicitur 2. Petri 1. Et propter hoc cantatur miſſa in aurora: in cuius introitu dicitur, Lux fulgebit hodie ſuper nos. Tertia eſt Chriſti natiuitas temporalis & corporalis: ſecundum quam viſibilis nobis proceſsit ex vtero Virginali, carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia miſſa in clara luce: in cuius introitum dicitur, Puer natus eſt nobis. Licet e conuerſo poſsit dici, quod natiuitas æterna ſecundum ſe eſt in plena luce: & ob hoc in Euangelio tertiæ miſſæ fit mentio de natiuitate æterna. Secundum autem natiuitatem corporalem, ad literam natus eſt de nocte, in ſignum, quod veniebat ad tenebras infirmitatis noſtræ. Vnde & in miſſa nocturna dicitur Euangelium de corporali Chriſti natiuitate. Sic etiam & in alijs diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures miſſæ celebrãtur in die: puta, vna pro feſto, & alia pro ieiunio, vel pro mortuis.

De conſ. d. 1 c. Nocte.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut dictum eſt ſuperius†) Chriſtus voluit vltimo hoc ſacramentum diſcipulis tradere, vt fortius eorum cordibus imprimeretur. Et ideo poſt cœnam in fine diei hoc ſacramẽtum conſecrauit, & diſcipulis ſuis tradidit. A nobis tamen celebratur hora Dominicæ paſsionis, ſcilicet diebus feſtis in tertia, quando crucifixus eſt linguis Iudæorum: vt dicitur Marc. 15. & quando Spiritus ſanctus deſcendit ſuper diſcipulos: vel diebus profeſtis in ſexta, quando crucifixus eſt in manibus militum, vt habetur Ioan. 19. vel diebus ieiuniorum in nona, quando voce magna clamans emiſit ſpiritum, vt dicitur Matth. 27.

q. 73. ar. 5

Poteſt tamen tardari, maxime quã do ſunt ordines faciẽdi, & præcipue in ſabbato ſancto, tum propter prolixitatẽ officij, tum quia ordines pertinent ad diem Dominicam, vt habetur in Decret. diſt. 75. cap. † quod â patribus. Poſſunt tamen miſſæ celebrari in prima parte diei propter aliquam neceſsitatem, vt dicitur de cõſecrat. diſtinction 1. cap Neceſſe eſt, &c.

De conſ. di. 75. c. quod â patribus

De conſ. d 1 c. Neceſſe eſt

Ad quartum dicendum, quod regulariter miſſa debet celebrari in die, & non in nocte: quia ipſe Chriſtus eſt præſens in hoc ſacramento, qui dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox quando nemo poteſt operari: quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi. Ita tamen, quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu ſolis, id eſt, quando ſubſtantia ſolis apparet ſuper terram, ſed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur ſol ortus, in quantum claritas radiorum eius apparet. Vnde & Mar. 16. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentum orto iam ſole: cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum, vt dicitur Ioan. 20. Sic enim hanc contrarietatem ſoluit Auguſt. † in lib. de conſenſu Euangel. Specialiter tamẽ in nocte natalis Domini miſſa celebratur, propter hoc, quod Dominus in nocte natus eſt, vt dicitur de conſecrat. † diſt. 1. cap Nocte, &c. Et ſimiliter etiam in ſabbato ſancto circa noctis principiũ, propter hoc, quod Dominus nocte ſurrexit, ideſt cum adhuc tenebræ eſſent ante manifeſtũ ſolis ortum.

li. 3. c. 24. à liquãtulum â pn. t. 4.

De conſ. d. 1 c Nocte.

Digitized by Google

Ad quintum dicendum, quod ſicut habetur de conſecr. diſtin. 1. & Decreto Alexand. Papæ *, ſufficit ſacerdoti vnam miſſam in die vna celebrare: quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, & valde fœlix eſt, qui vnam digne celebrare poteſt. Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, alteram de die, ſi neceſſe ſit. Qui vero pro pecunia aut adulationibus ſecularium, vna die præſumunt plures celebrare miſſas, non æſtimo euadere damnationem. Et extra de celebr. miſſ. † dicit Innocentius tertius, quod excepto die natiuitatis Dominicæ (niſi cauſa neceſsitatis ſuadeat) ſufficit ſacerdoti ſemel in die vnã miſſam ſolummodo celebrare.

De conſ. d. 1. c. ſufficit

In dec. li. 3 tit. 41. c. cõſuluiſ.

ART. III.

Vtrum oporteat hoc ſacramentum celebrari in domo, & vaſis ſacris?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod non oporteat hoc ſacramentum celebrari in domo & vaſis ſacris. Hoc enim ſacramentum eſt repræſentatiuum Dominicæ paſsionis. Sed Chriſtus non eſt paſſus in domo, ſed extra portam ciuitatis, ſecundum illud Hebr. vltim. Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Ergo videtur, quod hoc ſacramentum non debeat celebrari in domo, ſed magis ſub dio

4. d. 13. q. 1. a. 2. q. 5 & d. 24 q 2. a. 2. ad 9

2 Præterea, In celebratione huius ſacramenti debet Eccleſia imitari morem Chriſti & Apoſtolorum. Sed domus, in qua primo Chriſtus hoc ſacramentum confecit, non fuit conſecrata: ſed fuit quoddam commune cœnaculum, â quodam patrefamilias præparatum, vt habetur Lucæ 22 Legitur etiam Actor. 2. quod Apoſtoli erant perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, & ſumebant cibum cum exultatione. Ergo nec modo oportet domos eſſe conſecratas, in quibus hoc ſacramentum celebratur.

3 Præterea, Nihil fruſtra in Eccleſia fieri debet, quæ Spiritu ſancto gubernatur. Sed fruſtra videtur adhiberi conſecratio Eccleſiæ, vel altari, & huiuſmodi rebus inanimatis, quæ non ſunt ſuſceptiuæ gratiæ, vel ſpiritualis virtutis. Inconuenienter igitur huiuſmodi conſecrationes in Eccleſia fiunt.

4 Præterea, Solum diuina opera debent recoli cum quadam ſolemnitate; ſecundum illud Pſalm. 91. In operibus manuum tuarum exultabo. Sed Eccleſia vel altare opere humano conſecratur, ſicut & calix & miniſtri, & alia huiuſmodi: ſed horum conſecrationes non recoluntur celebriter in Eccleſia. Ergo neque conſecratio Eccleſiæ vel altaris, cũ ſolemnitate recoli debet.

5 Præterea, Veritas debet reſpõdere figuræ. Sed in veteri teſtamento, quod gerebat figuram noui, non fiebat altare de lapidibus ſectis. Dicitur enim Exod. 20. Altare de terra facietis mihi: quod ſi altare lapideũ feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Exod. etiam 27. mãdatur fieri altare de lignis Sethim veſtitis ære, vel etiam auro, vt habetur Exod. 25. Ergo videtur inconueniẽter obſeruari in Eccleſia, quod altare fiat ſolum de lapide.

Præterea,

Digitized by Google

6 Præterea, Calix cum patena repræſentat ſepulchrum Chriſti, quod fuit excilum in petra, vt in Euangelijs habetur. Ergo calix debet de petra fieri, & non ſolum de argento, vel auro, vel ſtanno.

7 Præterea, Sicut aurum pretioſius eſt inter materias vaſorum, ita panni ſerici pretioſiores ſunt inter alios pannos. Ergo ſicut calix fit de auro, ita pallæ altaris debent de ſerico fieri, & non ſolum de panno lineo.

8 Præterea, Diſpenſatio ſacramentorum, & ordinatio eorumdem ad miniſtros Eccleſiæ pertinet, ſicut diſpenſatio rerum temporalium ſubiacet ordinationi principum ſecularium: vnde & Apoſtolus dicit 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Sed ſi circa diſpenſationem rerum temporalium aliquid fiat contra ſtatuta principum, habetur irritum. Ergo ſi hæc quæ dicta ſunt *, conuenienter ſunt ſtatuta per prælatos Eccleſiæ, videtur quod ſine his corpus Chriſti confici non poſsit. Et ſic videtur ſequi, quod verba Chriſti non ſunt ſufficientia ad hoc ſacramentũ conficiendum: quod eſt inconueniens. Non ergo videtur conueniens fuiſſe, quod hæc circa celebrationem huius ſacramenti ſtatuerentur.

Dicta in tit. & in argu.

Sed contra eſt, quod ea quæ per Eccleſiam ſtatuuntur, ab ipſo Chriſto ordinantur, qui dicit Matth. 18. Vbicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Reſpondeo dicendum, quod in his quæ circunſtant hoc ſacramentum, duo conſiderantur. Quorum vnum pertinet ad repræſentationem eorum, quæ circa Dominicam paſſionem ſunt acta. Aliud autem pertinet ad reuerentiam huius ſacramẽti, in quo Chriſtus ſecundum veritatem continetur, & non ſolum in figura. Vnde & conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in vſum huius ſacramenti: tum propter ſacramenti reuerentiam, tum ad repræſentandum ſanctitatẽ, quæ ex paſsione Chriſti prouenit, ſecundum illud Hebr. vlt. Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populũ, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod regulariter hoc ſacramentum celebrari debet in domo, per quam ſignificatur Eccleſia: ſecundum illud 1. Timoth. 3. Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui. Extra Eccleſiam enim non eſt locus veri ſacrificij: vt Auguſt. dicit *. Et quia Eccleſia non erat concludenda ſub finibus gentis Iudaicæ, ſed erat in vniuerſo mundo fundanda: ideo paſſio Chriſti non eſt celebrata intra ciuitatem Iudæorum, ſed ſub dio: vt ſic totus mundus ſe haberet ad paſſionem Chriſti, vt domus. Et tamen, vt dicitur de conſecr. † diſtin. 1. cap. Concedimus, in itinere poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in tentorio, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque ſacra myſteria ad id officium pertinentia, ibi affuerint, miſſarum ſolemnia celebrari.

In li. ſen. quæ ex Aug. decerptæ ſunt, c. 5. to. 3. in fin.

De conſ. d. 1. c. Cõcedimus in me. illius.

Ad ſecundum dicendũ, quod domus in qua hoc ſacramentum celebratur, Eccleſiam ſignificat, & Eccleſia nominatur. Conuenienter tamen conſecratur: tum ad repræſentandam ſanctificationem, quam Eccleſia conſecuta eſt per paſſionem Chriſti; tum etiam ad ſignificandam ſanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc ſacramentum ſuſcipere debent. Per altare autem ſignificatur ipſe Chriſtus: de quo

dicit

Digitized by Google

dicit Apoſt. Hebr. vltim. Per ipſum offerimus hoſtiam laudis Deo. Vnde & conſecratio altaris ſignificat ſanctitatem Chriſti: de qua dicitur Lucæ primo, Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei. Vnde de conſecratione diſtinct. 1. dicitur *, Altaria placuit non ſolum vnctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari. Et ideo regulariter non licet celebrare hoc ſacramentum niſi in domibus conſecratis. Vnde ſicut habetur de cõſecratione, * diſtinct. prima, Nullus presbyter miſſas celebrare præſumat, niſi in conſecratis ab Epiſcopo locis. Propter quod etiam quia Pagani non ſunt de eccleſia, nec alij infideles: ideo eadem diſtinctione legitur *, Eccleſiam, in qua mortuorum cadauera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet: ſed ſi apta videtur ad conſecrandum, inde euulſis corporibus, & raſis parietibus vel lignis eius loci, reædificetur: ſed ſi hæc cõſecrata prius fuerit, miſſas in ea celebrare licet, tamen ſi fideles fuerunt, qui in ea ſepulti ſunt. Propter neceſsitatem tamen poteſt hoc ſacramentum peragi in domibus nõ cõſecratis, vel violatis; ſed tamen de conſenſu Epiſcopi. Vnde in eadẽ diſtinctione legitur *, Miſſarum ſolemnia non vbique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel vbi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus. Non tamen ſine altari portatili per Epiſcopum conſecrato. Vnde in eadem diſtinctione legitur *, Concedimus ſi Eccleſiæ fuerint incenſæ vel combuſtæ in Cappellis cum tabula conſecrata, miſſas iterum celebrari. Quia enim ſanctitas Chriſti fons eſt totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, ideo in neceſsitate ſufficit ad peragendum hoc ſacramentum, altare ſanctificatum. Propter quod etiam nunquam Eccleſia ſine altari conſecratur: tamen ſine eccleſia quãdoque conſecratur altare cum reliquijs Sanctorum, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Vnde in eadem diſtinctione legitur *, Placuit vt altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur.

De conſ. d. 1. ca. altaria in 2.

De conſ. d. 1. c. Nullus presbyter.

De conſ. d. 1. c. Eccleſiam.

De conſ. d. 1. c. Miſſarum.

Ead. di. 1. de conſ. ca. 28. Concedimus, ex conc. Triburienſi.

De conſ. d. 1. c. Placuit.

Ad tertium dicendum, quod Eccleſia, & altare, & alia huiuſmodi inanimata, conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiua, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quãdam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui, vt ſcilicet homines deuotionem quamdam exinde percipiant, vt ſint paratiores ad diuina, niſi hoc propter reuerentiam impediatur. Vnde & ſecundi Machabæorum tertio dicitur, Vere Dei virtus quædam eſt in loco; nam ipſe qui habet in cœlis habitationem, viſitator & adiutor eſt illius. Et inde eſt, quod huiuſmodi ante conſecrationem emundantur & exorcizantur; vt exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione Eccleſiæ, quæ ſanguinis effuſione, aut cuiuſcumque ſemine pollutæ fuerint, reconciliantur; quia per peccatum ibi commiſſum, apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiam in eadem diſtinctione legitur *, Eccleſias Arrianorum vbicumque inueneritis catholicas, eas diuinis precibus & operibus abſque vlla mora conſecrate. Vnde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingreſſum Eccleſiæ conſecratæ homo conſequitur remiſsionem peccatorum venialium, ſicut & per aſperſionem aquæ benedictæ: inducentes quod in Pſalmo 84. dicitur, Benedixiſti Domine terram tuam, remiſiſti iniqui-

De conſ. d. 1. c. eccleſia Arianorum.

iniquitatem plebis tuæ. Et ideo propter virtutem, quæ ex conſecratione Eccleſiæ acquiritur, conſecratio Eccleſiæ non iteratur. Vnde in eadem diſtinctione ex Concilio Niceno legitur *, Eccleſijs ſemel Deo cõſecratis, non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſquã ſemine pollutæ fuerint: quia ſicut infans â qualicumque ſacerdote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſemel baptizatus, non debet iterum baptizari; ita nec locus Deo dicatus, eſt iterum conſecrandus, niſi propter eas cauſas, quas ſuperius nominauimus: ſi tamen fidem ſanctæ Trinitatis tenuerint qui conſecrauerunt, alioquin qui ſunt extra Eccleſiam, conſecrare non poſſunt. Sed ſicut in eadem diſtinctione legitur * Eccleſiæ vel altaria quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur. Propter hoc etiam, quod aliquam ſpiritualem virtutem adipiſcuntur per conſecrationem, in eadem diſtinctione ſtatutum legitur †, Ligna Eccleſiæ dedicata non debent ad aliud opus iungi, niſi ad aliã Eccleſiã, vel igni cõburẽda, vel ad profect⁹ in Monaſterio fratribus: in laicorum autem opera non debent admitti. Et ibidem legitur †, Altaris pallia, cathedra, cãdelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptiſterio inferantur, aut in pariete, aut in foſsis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.

De conſ. d. 1 c. 18. eccleſ. ſemel, ex cõ. Niceno 2.

De conſ. d. 1. c. eccleſiæ, vel altari.

c. 36. Ligna eccl.

De conſe. d. 1. c. 40 altaris pallia.

Ad quartum dicendum, quod quia conſecratio altaris repreſentat ſanctitatem Chriſti, conſecratio vero domus ſanctitatem totius Eccleſiæ: ideo conuenientius recolitur cum ſanctitate & ſolemnitate conſecratio Eccleſiæ vel altaris, quam aliorum quæ conſecrantur. Propter quod etiam octo diebus ſolemnitas dedicationis agitur, ad ſignificandam beatam reſurrectionẽ Chriſti & membrorum Eccleſiæ. Nec eſt opus ſolius hominis conſecratio Eccleſiæ & altaris, cùm habeat ſpiritualem virtutem. Vnde de conſecratione diſtinctione eadem dicitur †, Solemnitates dedicationum Eccleſiarum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ. Quod autem octo diebus encœnia ſint celebranda, in lib. Reg. perfecta dedicatione tẽpli, reperies, ſcilicet. 3. Reg. 8.

De conſ. d. 1. c. ſolemnitates.

Ad quintum dicẽdum, quod ſicut legitur de conſecratione * diſtinctione prima, Altaria, ſi non fuerint lapidea, Chriſmatis vnctione non conſecrentur. Quod quidem competit, & ſignificationi huius ſacramenti: tum quia altare ſignificat Chriſtum. Dicitur autem 1. Corinth. 10. Petra autem erat Chriſtus: tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quo ad vſum ſacramenti. Lapis enim & ſolidus eſt, & de facili poteſt inueniri vbique: quod non erat neceſſarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare. Quod autem mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus inſectis, fuit ad idololatriam remouendam.

De conſ. d. 1. c. 19. Altaria.

Ad ſextum dicendum, quod ſicut in diſtinctione eadem dicitur cap. Vaſa *, quondam ſacerdotes nõ aureis, ſed ligneis calicibus vtebantur. Zepherinus autem Papa, patenis vitreis miſſam celebrari conſtituit: deinde Vrbanus omnia fecit argentea. Poſtmodum autem ſtatutũ eſt, vt calix Domini cum patena, ſiue ex auro omnino, ſiue ex argento fiat, vel ſaltem ſtanneus calix habeatur. De ære autem, aut ex aurichalco nõ fiat: quia hoc vini virtute æruginem parit,

De conſ. d. 1. c. vaſa, in quib⁹ habetur hoc ithm.

parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo, ſeu vitreo calice præſumat miſſam cantare: quia ſcilicet lignum poroſum eſt, & ſanguis conſecratus in eo remaneret: vitrum autem fragile eſt, & poſſet fractionis periculum imminere: & eadem ratio eſt de lapide. Et ideo propter reuerentiam ſacramenti ſtatutum eſt, vt ex prædictis materijs calix fiat.

Ad ſeptimum dicendũ, quod vbi potuit ſine periculo fieri, Eccleſia ſtatuit circa hoc ſacramentum id quod expreſsius repræſentat paſsionem Chriſti. Non erat autem tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, ſicut circa ſanguinem, qui continetur in calice. Et ideo licet calix non fiat de petra: corporale tamẽ fit de panno lineo, quo corpus Chriſti fuit inuolutum. Vnde in epiſtola Syluestri Papæ in eadem diſtinctione legitur *, Conſulto omnium ſtatuimus, vt ſacrificiũ altaris non in ſerico panno aut intincto, quiſquam celebrare miſſam præſumat: ſed in panno lineo ab Epiſcopo conſecrato, ſicut corpus Chriſti in ſindone linea & munda ſepultum fuit. Competit etiam pannus lineus propter ſui munditiam, ad ſignificandam conſcientiæ puritatem: & propter multiplicem laborẽ, quo talis pannus præparatur, ad ſignificãdam Chriſti paſsionem.

De conſ. d. 1. c. 44. cõſulio.

Ad octauum dicendum, quod diſpenſatio ſacramentorum pertinet ad miniſtros eccleſiæ: ſed cõſecratio eorum eſt ab ipſo Deo. Et ideo miniſtri eccleſiæ non habent aliquid ſtatuere circa formam conſecrationis, ſed circa vſum ſacramẽti, & modum celebrandi. Et ideo ſi ſacerdos verba conſecrationis proferat ſuper materia debita, cum intẽtione conſecrandi, abſque omnibus prædictis, ſcilicet domo & altari, calice, & corporali conſecratis, & cæteris huiuſmodi per eccleſiam inſtitutis; conſecrat quidem in rei veritate corpus Chriſti, peccat tamen grauiter, ritum eccleſiæ non ſeruans.

ART. IV.

Vtrum conuenienter ordinentur ea quæ circa hoc ſacramentum dicuntur?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod inconueniẽter ordinentur ea quæ circa hoc ſacramentum dicuntur. Hoc enim ſacramentum verbis Chriſti conſecratur, vt Ambroſ. dicit in libro de ſacramentis. Non ergo debent aliqua alia in hoc ſacramento dici, quam verba Chriſti.

4. d. 1. q. 1. a 5. q. 1. ad 2. & d. 8. in expoſ. lit. & d. 13. in expoſ. lit. pri. & d. 15. q. 4. a. 3 q. 1. co. & 1. Tim. 2 le 1. col. 2. in pri.

2 Præterea, Verba & facta Chriſti nobis per Euangelium innoteſcunt. Sed quædam dicuntur circa conſecrationem huius ſacramenti, quæ in Euangelijs non ponuntur: nõ enim legitur in Euangelio quod Chriſtus in conſecratione huius ſacramenti, oculos ad cœlum leuauerit. Similiter etiam in Euangelijs dicitur, Accipite & comedite: nec ponitur, omnes: cum in celebratione huius ſacramenti dicatur, Eleuatis oculis in cœlum: & iterũ, Accipite & manducate ex hoc omnes. Inconueniẽter ergo huiuſmodi verba dicuntur in celebratione huius ſacramenti.

Præte-

Digitized by Google

3 Præterea, Omnia ſacramenta ordinantur ad ſalutem fidelium. Sed in celebratione aliorum ſacramentorum non ſit cõmunis oratio pro ſalute fidelium defunctorũ. Ergo inconuenienter ſit in hoc ſacramento.

4 Præterea, Baptiſmus dicitur ſpecialis fidei ſacramentum. Ea ergo quæ pertinẽt ad inſtructionem fidei, magis debent circa baptiſmum tradi, quam circa hoc ſacramentum, ſicut doctrina Apoſtolica & Euangelica.

5 Præterea, In omni ſacramento exigitur deuotio fidelium. Non ergo magis in hoc ſacramento, quã in alijs deberet excitari deuotio fidelium per laudes diuinas, & per admonitiones: puta cum dicitur, Surſum corda.

6 Præterea, Miniſter huius ſacramẽti eſt ſacerdos, vt dictum eſt. † *q.82.ar.8.* Omnia ergo quæ in hoc ſacramento dicuntur, â ſacerdote dici deberent, & non quædam â miniſtris, quędam â choro.

7 Præterea, Hoc ſacramentum per certitudinem operatur virtus diuina. Superflue ergo ſacerdos petit huius ſacramenti perfectionem, cum dicit, Quam oblationẽ tu Deus in omnibus, &c.

8 Præterea, Sacrificium nouæ legis multo eſt excellentius, quam ſacrificium antiquorum Patrum. Inconuenienter ergo ſacerdos petit, quod hoc ſacrificium habeatur ſicut ſacrificium Abel, Abraæ, & Melchiſedech.

9 Præterea, Corpus Chriſti, ſicut non incipit eſſe in hoc ſacramento per loci mutationem (vt ſupra dictum eſt *) *q.72.ar.2.* ita etiam nec eſſe deſinit. Inconueniẽter ergo ſacerdos petit, Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum.

Sed contra eſt, quod dicitur de conſecratione diſtinctione 1. Iacobus frater Domini ſecundum carnem, cui primum credita eſt Hieroſolymitana Eccleſia, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, ediderunt nobis Miſſæ celebrationem. *De conſ. di. 1. c. Iacobus frater Domini.* Ex quorum auctoritate patet conuenienter ſingula circa hoc dici.

Reſpondeo dicendum, quod quia in hoc ſacramento totum myſterium noſtræ ſalutis comprehenditur: ideo præ cæteris ſacramentis cum maiori ſolemnitate agitur. Et quia ſcriptum eſt Eccleſiaſt. 4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini: & Eccleſiaſt. 18. Ante orationem præpara animam tuã: ideo ante celebrationem huius myſterij: primo quidem præmittitur præparatio quædam, ad digne agenda ea quæ ſequuntur. Cuius præparationis prima pars eſt laus diuina, quę fit in introitu, ſecundum illud Pſal. 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Et ſumitur hoc, vt pluries de Pſalmis, vel ſaltem cum Pſalmis cantatur. quia vt Dionyſius dicit * in tertio cap. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, *c. 3. [illegible] hier. inter princip. & med.* Pſalmi comprehendunt per modum laudis, quicquid in ſacra Scriptura continetur. Secunda pars continet commemorationem præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur, dicendo, Kyrie eleiſon; ter quidem pro perſona Patris: ter autem pro perſona Filij, cum dicitur, Chriſte eleiſon: & ter pro perſona Spiritus ſancti; cum ſubditur, Kyrie eleiſon, contra triplicem miſeriam, ignorantiæ, culpæ & pœnæ: vel ad ſignificandum, quod omnes perſonæ ſunt in ſe inuicem. Tertia autem pars commemorat cœleſtem gloriam, ad quam tendimus poſt præſentem vitam & miſeriam, dicendo, Gloria in excelſis Deo, quæ cantatur in feſtis, in quibus

comme-

Digitized by Google

commemoratur cœleſtis gloria: intermittitur autem in officijs luctuoſis, quæ ad commemorationem miſeriæ pertinent. Quarta atem pars continet orationem, quam ſacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis myſterijs. Secundo autem præmittitur inſtructio fidelis populi, quia hoc ſacramentum eſt myſterium fidei, vt ſupra habitum eſt *.

q.78.a.3

Quæ quidem inſtructio diſpoſitiuè quidem fit per doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, quę in Eccleſia legitur per Lectores & Subdiaconos. Poſt lectionem cantatur a choro graduale, quod ſignificat profectum vitæ; & alleluia, quod ſignificat ſpiritualem exultationem: vel tractus in officijs luctuoſis, qui ſignificat ſpiritualem gemitum: hæc enim conſequi debent in populo ex prædicta doctrina. Perfectè autem populus inſtituitur per doctrinam Chriſti in Euangelio cõtentam, quę à ſummis miniſtris legitur, ſcilicet a Diaconibus. Et quia Chriſto credimus tamquam diuinæ veritati (ſecundum illud Ioan. octauo, Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?) lecto Euangelio, ſymbolum fidei cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per fidem Chriſti doctrinæ aſſentire. Cantatur autem hoc ſymbolum in feſtis, de quibus fit aliqua mentio in ſymbolo, ſicut in feſtis Chriſti & beatæ Virginis & Apoſtolorum (qui hanc fidem fundauerunt) & alijs huiuſmodi. Sic igitur populo præparato & inſtructo, conſequenter acceditur ad celebrationem myſterij, quod quidem & offertur vt ſacrificium, & conſecratur, & ſumitur vt ſacramentum. Vnde primo peragitur oblatio, ſecũdo cõſecratio materiæ oblatæ, tertio eiuſdem perceptio.

Circa oblationem vero duo aguntur, ſcilicet laus populi in cantu offertorij (per quod ſignificatur lætitia offerentium) & oratio ſacerdotis, qui petit vt oblatio populi ſit Deo accepta. Vnde & 1. Paralipomen. 29. dixit Dauid, Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc, & populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: & poſtea orat, dicens, Domine Deus cuſtodi hanc voluntatem. Deinde circa conſecrationem, quæ ſupernaturali virtutę agitur, primo excitatur populus ad deuotionem in præfatione: vnde & monetur ſurſum corda habere ad Dominum. Et ideo finita præfatione, populus deuote laudat diuinitatem Chriſti, cum Angelis, dicens, Sanctus, Sanctus, Sanctus; & humanitatem cum pueris, dicens, Benedictus qui venit. Deinde ſacerdos ſecretò commemorat: primo quidem, pro quibus hoc ſacrificium offertur, ſcilicet pro vniuerſali Eccleſia, & pro his, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, 1. Timoth 2. & ſpecialiter quoſdam qui offerũt, vel pro quibus offertur. Secundo cõmemorat ſanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit, Communicantes, & memoriam venerantes, &c. Tertio, petitionẽ concludit, cum dicit, Vt hæc oblatio ſit illis, pro quibus offertur, ſalutaris. Deinde accedit ad ipſam cõſecrationem, in qua primo petit conſecrationis effectum, cum dicit, Quã oblationem tu Deus, &c. Secundo, conſecrationem peragit per verba Saluatoris, cum dicit, Qui pridie, &c. Tertio, excuſat præſumptionem per obedientiam ad mandatum Chriſti, cum dicit, Vnde & memores. Quanto petit hoc ſacrificium peractum eſſe Deo acceptum, cum dicit, Supra quæ propitio, &c. Quinto petit huius ſacrificij, & ſacramenti effectum. Primo quidem,

Digitized by Google

quantum ad ipſos ſumentes, cùm dicit, Supplices te rogamus. Secundo, quantum ad mortuos, qui iam ſumere non poſſunt, cum dicit, Memento etiam Domine, &c. Tertio, ſpecialiter quantum ad ipſos ſacerdotes oſtendentes, cum dicit, Nobis quoque peccatoribus, &c. Deinde agitur de perceptione ſacramenti & primo præparatur populus ad percipiendum. Primo quidem, per orationem communem totius populi (quæ eſt oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari) & etiam priuatam, quam ſpecialiter ſacerdos pro populo offert, cum dicit, Libera nos quæſumus Domine, &c. Secundo, præparatur populus per pacem, quæ datur, dicendo, Agnus Dei. Eſt enim hoc ſacramentum vnitatis, & pacis, vt ſupra dictum eſt *. In miſsis tamen defunctorum, in quibus ſacrificium offertur, non pro pace præſenti, ſed pro requie mortuorum pax intermittitur. Deinde ſequitur perceptio ſacramenti, primo percipiente ſacerdote, & poſtmodum alijs dante: quia vt Dionyſ. * dicit 3. cap. Eccleſiaſt. Hierarch. ille, qui alijs diuina tradit, primo debet ipſe particeps eſſe. Vltimo autem tota miſſæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro ſumptione myſterij, (quod ſignificat cantus poſt communionem) & ſacerdote per orationem gratias offerente, ſicut & Chriſtus celebrata cœna cum diſcipulis, hymnum dixit, vt dicitur Matth. 26.

q. 79. a. 1. & q. 73. a. 4.

c. 3. eccleſ. hierar. non multũ procul à fin.

Ad primum ergo ergo dicendum; quod conſecratio ſolis verbis Chriſti conficitur. Alia vero neceſſe eſt addere ad præparationem populi ſumentis, ſicut dictum eſt *.

In cor. huius.

Ad ſecundum dicendũ, quod ſicut dicitur Ioan. vltim. Multa ſunt à Domino facta vel dicta, quæ Euangeliſtæ non ſcripſerunt. Inter quę fuit hoc, quod Dominus in cœna oculos leuauit in cœlum: quod tamẽ Eccleſia ex traditione Apoſtolorum habuit. Rationabile enim videtur, vt qui in ſuſcitatione Lazari (vt habetur Ioan. 11.) & in oratione, quam pro diſcipulis fecit, Ioan. 17. Oculos leuauit ad Patrem, in huius ſacramenti inſtitutione multò magis hoc fecerit, tamquam in re potiori. Quod autem dicitur, Manducate & comedite, non differt, quãtum ad ſenſum: nec multum refert quid dicatur, præſertim cum verba illa non ſint de forma, vt ſupra dictũ eſt †. Quod autem additur, omnes, intelligitur in verbis Euangelij, licet non exprimatur; quia ipſe dixerat Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

† q. 78. a. 1. & a. 1. ad 2. arg.

Ad tertium dicendum, quod Euchariſtia eſt ſacramentum totius Eccleſiaſticæ vnitatis. Et ideo ſpecialiter in hoc ſacramẽto magis, quam in alijs debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad ſalutem totius Eccleſiæ.

Ad quartum dicendum, quod inſtructio fidei eſt duplex. Vna quæ fit nouiter imbuendis, ſcilicet cathechumenis: & talis inſtructio fit circa baptiſmum. Alia autem eſt inſtructio, qua inſtruitur fidelis populus, qui communicat huic myſterio: & talis inſtructio fit in hoc ſacramento. Et tamen ab hac inſtructione nõ repellũtur etiã catechumeni & infideles. Vnde dicitur de conſec. d. 1. * Epiſcop⁹ nullũ prohibeat ingredi in Eccleſiã, & audire verbũ Dei, ſiue gẽtilẽ, ſiue hæreticũ, ſiue Iudeũ, vſque ad miſſam catechumenorum, in qua ſcilicet continetur inſtructio fidei.

De conſ. d. 1. c. 64. Epiſcopus.

Ad quintum dicendum, quod in hoc ſacramento, & maior deuotio requiritur, quam in alijs ſacramẽ-

tis (propter hoc, quod in hoc ſacramento totus Chriſtus continetur) & etiam communior; quia in hoc ſacramento requiritur deuotio totius populi Chriſti, pro quo ſacrificium offertur, & non ſolum percipientiũ ſacramentum, ſicut in alijs ſacramentis. Et ideo, vt Cyprianus dicit *, Sacerdos præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo, Surſum corda: vt dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud ſe, quam Deũ cogitare debere.

In lib. de ora. Domin. non multũ remote ante fin. Inſo lut. ad 3. argum. in iſto art.

Ad ſextum dicendum, quod in hoc ſacramento (ſicut dictum eſt *) tanguntur ea, quæ pertinet ad totam Eccleſiam. Et ideo quædam dicuntur a choro, quæ pertinent ad populum. Quorum quædam chorus totaliter proſequitur, quæ ſcilicet toti populo inſpirantur. Quædam vero populus proſequitur, ſacerdote inchoante, qui perſonã Dei gerit, in ſignum, quod talia peruenerunt ad populum ex reuelatione diuina, ſicut fides & gloria cœleſtis. Et ideo ſacerdos inchoat Symbolum fidei, Gloria in excelſis Deo. Quædam vero dicuntur per miniſtros, ſicut doctrina veteris, & noui Teſtamenti, in ſignum, quod per miniſtros a Deo miſſos, eſt doctrina hæc populis annuntiata. Quædam vero ſacerdos ſolus proſequitur, quæ ſcilicet ad proprium officium ſacerdotis pertinent: vt ſcilicet dona & preces offerat pro populo, ſicut dicitur Heb. 5. In his tamen quædam dicit publicè, ſcilicet quæ pertinẽt & ad ſacerdotẽ, & populũ, ſicut ſũt orationes cõmunes. Quædã vero pertinẽt ad ſolũ ſacerdotẽ, ſicut oblatio & cõſecratio: & ideo quæ circa hæc ſunt dicenda, occulte a ſacerdote dicuntur. In vtriſque tamen excitat attentionem populi dicẽdo, Dominus vobiſcum; & expectat aſſenſum dicentium, Amen. Et ideo etiã in his, quæ ſecrete dicuntur, publice præmittit, Dominus vobiſcum. & ſubiungit, Per omnia ſæcula ſæculorum. Vel ſecrete aliqua ſacerdos dicit, in ſignum, quod circa Chriſti paſsionem diſcipuli non niſi oculte confitebantur Chriſtum.

Ad ſeptimum dicendum, quod efficacia verborum ſacramentalium impediri poteſt per intentionem ſacerdotis. Nec tamen eſt inconueniens, quod a Deo petamus id quod certiſsime ſcimus ipſum facturum, ſicut Chriſtus Ioannis decimo ſeptimo petitij ſuam clarificationẽ. Non tamen videtur ibi ſacerdos orare, vt conſecratio impleatur; ſed vt nobis fiat fructuoſa. Vnde ſignanter dicit, Vt nobis corpus & ſanguis fiat. Et hoc ſignificant verba, quæ præmittit dicens, Hanc oblationem facere digneris benedictam, ſecundũ * Auguſtinum, id eſt, per quam benedicamur, ſcilicet per gratiam: aſcriptã id eſt, per quam in cælo aſcribamur: ratam, id eſt, per quam de viſceribus Chriſti eſſe cenſeamur: rationabilem id eſt, per quam à beſtiali ſenſu exuamur: acceptabilem, vt qui nobiſipſis diſplicemus, per hãc acceptabiles eius vnico fillo ſimus.

de conſ. d. 2. c. 7. Vtrum ſub. à med.

Ad octauum dicendum, quod licet hoc ſacramẽtum ex ſe ipſo præferatur omnibus antiquis ſacrificijs tamen ſacrificia antiquorum fuerũt Deo acceptiſsima ex eorum deuotione. Petit ergo ſacerdos, vt ſic hoc ſacrificium acceptetur a Deo ex deuotione offerentium, ſicut illa accepta fuerunt Deo.

Ad nonum dicendum, quod ſacerdos non petit neque quod ſpecies ſacramentales deferantur in cælum, neque corpus Chriſti verum, quod ibi eſſe non deſinit. Sed petit hoc pro corpore myſtico (quod ſcilicet in hoc ſacramẽto ſignificatur) vt ſcilicet

orationes ſacerdotis, & populi, angelis aſsiſtẽs diuinis myſterijs, Deo repræſentet: ſecundum illud Apocalypſ. octauo, Aſcendit fumus incenſorum de oblationibus ſanctorum de manu Angeli. Sublime autem altare Dei dicitur vel ipſa Eccleſia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipſe Deus, cuius participationem petimus: de hoc enim altari dicitur Exodi vigeſimo, Non aſcendes ad altare meum per gradus; id eſt, in trinitate gradus non facies. vel per Angelum intelligitur ipſe Chriſtus, qui eſt magni conſilij Angelus, qui corpus ſuum myſticum Deo patri coniungit, & Eccleſiæ triumphanti. Et propter hoc etiam miſſa nominatur: quia per Angelum, ſacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populus per ſacerdotẽ: vel quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa â Deo. Vnde & in fine miſſæ diaconus in feſtis diebus populum licentiat, dicens, Ite miſſa eſt, ſcilicet hoſtia ad Deum per Angelum: vt ſcilicet ſit Deo accepta.

ART. V.

Vtrùm ea, quæ in celebratione huius ſacramenti aguntur, ſint conuenientia?

4. ſent. d. 12. in exp. lit. & op. 65. c. 66. per totum.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod ea quæ in celebratione huius ſacramenti aguntur, non ſint conuenientia. Hoc enim ſacramentum ad nouum teſtamentum pertinet, vt ex forma ipſius apparet. In nouo autem teſtamento non ſũt obſeruandę ceremoniæ veteris teſtamenti, ad quas pertinebat, quod ſacerdos, & miniſtri aqua lauabãtur quando accedebant ad offerendum: legitur enim Exodi trigeſimo, Lauabũt Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare. Non eſt ergo conueniens, quod ſacerdos lauet manus ſuas inter miſſarum ſolemnia.

2 Prętereà, Ibidem Dominus mandauit, quod Aaron adoleret incenſũ ſuaue fragrans ſuper altare, quod erat ante propitiatoriũ. Quod etiam pertinebat ad ceremonias veteris teſtamenti. Inconuenienter ergo in miſſa ſacerdos thurificatione vtitur.

3 Præterea, Ea quę in ſacramentis Eccleſiæ aguntur, non ſunt iteranda. Inconuenienter igitur ſacerdos multoties iterat crucesignationes ſuper hoc ſacramentum.

4 Præterea, Apoſt. dicit Hebr. 7. ſine vlla cõtradictione, quod minus eſt, a maiori benedicitur. Sed Chriſtus qui eſt in hoc ſacramento, poſt conſecrationem eſt multo maior ſacerdote. Inconuenienter igitur ſacerdos poſt conſecrationẽ benedicit hoc ſacramentum, crucesignando.

5 Prętereà, In ſacramento Eccleſię nihil debet fieri, quod ridiculoſum videatur ridiculoſũ autẽ eſt geſticulationes facere, ad quas pertinere videtur, quod ſacerdos quãdoque brachia extendit, manus iũgit, digitos complicat, & ſeipſum * inclinat. Ergo hęc non debent fieri in hoc ſacramento. *Al. incuruat.*

6 Præterea, Ridiculoſum etiam videtur, quod ſacerdos multoties ſe ad populum vertat, multoties populum ſalutet. Non ergo

debent hæc fieri in celebratione huius ſacramenti.

7 Præterea, Apoſt. 1. Cor. 1. pro inconuenienti habet, quod Chriſtus diuiſus ſit. Sed poſt conſecrationem Chriſtus eſt in hoc ſacramẽto. Inconuenienter ergo hoſtia frangitur a ſacerdote.

8 Præterea, Ea quæ in hoc ſacramento aguntur paſsionem Chriſti repræſentãt. Sed in paſsione Chriſti corpus fuit diuiſũ in locis quinque vulnerum. Ergo corpus Chriſti in quinque partes frangi deberet, magis quam in tres.

9 Præterea, Totũ corpus Chriſti in hoc ſacramento ſeorſum conſecratur a ſanguine. Inconuenienter ergo vna pars eius ſanguini miſcetur.

10 Præterea, Sicut corpus Criſti proponitur in hoc ſacramento vt cibus, ita & ſanguis Chriſti vt potus, Sed ſumptioni corporis Chriſti nõ adiungitur in celebratione miſſæ alius corporalis cibus. In conuenienter igitur ſacerdos poſt ſumptionẽ ſanguinis Chriſti vinum non conſecratum ſumit.

11 Præterea, Veritas debet reſpondere figuræ. Sed de agno paſchali, qui fuit figura huius ſacramenti, mandatur, quod non remaneret ex eo quicquam vſque mane. Incõuenienter igitur hoſtiæ conſecratæ reſeruantur, & non ſtatim ſũmuntur.

12 Præterea, Sacerdos pluraliter loquitur audientibus, cum dicit, Dominus vobiſcum, & Gratias agamus. Sed inconueniens videtur pluraliter loqui vni ſoli & maxime minori. Ergo inconueniens videtur quod ſacerdos vnum tantum miniſtro præſente, celebret miſſam. Sic igitur videtur, quod inconueniẽter aliqua aguntur in celebratione huius ſacramenti.

Sed in contrarium eſt Eccleſię conſuetudo, quæ errare non poteſt: vtpote Spiritu ſancto inſtructa.

Reſpodeo dicendum, quod (ſiut ſupra dictum eſt*) in ſacramentis dupliciter aliquid ſignificatur, ſcilicet verbis & factis, ad hoc quod ſit perfectior ſignificatio. *q. 60. a. ſ & 6.* Significantur autem verbis, in celebratione huius ſacramenti, quædam pertinentia ad paſsionem Chriſti, quæ repræſentatur in hoc ſacramento; vel etiã ad corpus myſticum, quod ſignificatur in hoc ſacramento: & quædã pertinentia ad vſum huius ſacramenti, qui debet eſſe cum deuotione & reuerentia. Et ideo in celebratione huius myſterij quædam agũtur ad repræſentandam paſsionẽ Chriſti, vel etiam diſpoſitionem corporis myſtici: & quædam aguntur pertinentia ad deuotionem, & reuerentiam huius ſacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione miſſę, propter reuerentiam huius ſacramenti. *De manuũ & digitorum ablu.* Et hoc dupliciter. Primo quidem, quia aliqua pretioſa tractare non conſueuimus, niſi manibus ablutis, vnde indecens videtur, quod ad tantum ſacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo, propter ſignificationem: quia, vt Dion. dicit 3. eccle. *hier. extremitatum ablutio ſignificat emendationem etiã a minimis peccatis, ſecundum illud Ioann. 13. Qui lotus eſt, nõ indiget niſi vt pedes lauet. *c. 3. Eccle hie. ãnte. ill lim.* Et talis emundatio requiritur ad hoc ſacramentũ. Quod etiam ſignificatur per confeſſionem, quæ fit ante introitum miſſæ. Et hoc idem ſignificabat ablutio ſacerdotũ in veteri lege: vt ibidem Dioniſius dicit. Nec tamen Eccleſia hoc ſeruat tanquam ceremoniale veteris legis præceptum, ſed *Ibid.* quaſi ab Eccleſia inſtitutum ſicut

quidam

Digitized by Google

quiddam ſecundum ſe conueniens. Et ideo non eodem modo obſeruatur, ſicut tunc: prætermittitur enim pedum ablutio, & ſeruatur ablutio manuum, quæ poteſt fieri magis in promptu, & quæ ſufficit ad ſignificādam perfectam mundationem. Cū enim manus ſit organum organorū

Te. 38. to. 2. (vt dicitur 3. de anima*) omnia opera attribuūtur manibus: vnde in Pſal. 23. dicitur, Lauabo inter innocentes manus meas.

De thurificatione.

Ad ſecundum dicendum, quod etiam thurificatione nō vtimur quaſi cæremoniali præcepto legis, ſed ſicut Eccleſiæ ſtatuto. Vnde non eodē modo vtimur, ſicut in lege veteri erat ſtatutum. Pertinet autem ad duo. Primo quidem, ad reuerentiam huius ſacramenti, vt ſcilicet per bonū odorem depellatur, ſi quid corporaliter praui odoris in loco fuerit quod poſſet prouocare horrorem. Secundo, pertinet ad repræſentandum effectum gratiæ, qua ſicut bono odore Chriſtus plenus fuit (ſecundum illud Gene. 27. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni,) & â Chriſto deriuatur ad fideles, officio miniſtrorum: ſecundum illud 2. Cor. 2. Odorem notitiæ ſuæ ſpargit per nos in omni loco. Et ideo vndiquè thurificato altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem.

De crucis varia in miſſa ſignificatione.

Ad tertium dicendum, quod ſacerdos in celebratione miſſæ vtitur cruce ſignatione, ad exprimendam paſſionem Chriſti, quæ ad crucē eſt terminata. Eſt autem paſſio Chriſti quibuſdam quaſi gradibus perfecta. Nam primo fuit Chriſti traditio, quæ facta eſt â Deo, Iuda, & Iudeis: quod ſignificat trina cruce ſignatio, ſuper illa verba, Hæc dona hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Secundo, fuit Chriſti venditio: eſt autē venditus ſacerdotibus, Scribis, & Phariſæis. Ad quod ſignificandum fit iterum trina cruce ſignatio ſuper illa, Benedictam, ſcriptam, ratam. vel ad oſtendendum pretium venditionis, ſcilicet triginta denarios. Additur autem & duplex crux ſuper illa verba, Vt nobis corpus & ſanguis &c. ad ſignandam perſonam Iudæ venditoris, & Chriſti venditi. Tertio autem, fuit præſignatio paſſionis Chriſti facta in cœna. Ad quod deſignādum fiunt tertio duæ cruces, vna in conſecratione corporis, alia in conſecratione ſanguinis: vbi vtrobique dicitur, Benedixit. Quarto autem, fuit ipſa paſſio Chriſti. Vnde ad repræſentandum quinque plagas Chriſti, fit quarto quintuplex cruceſignatio ſuper illa verba, Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatām, panē ſanctum vitæ æternæ, & calicē ſalutis perpetuæ. Quinto repræſentatur extenſio corporis, & effuſio ſanguinis, & fructus paſſionis per trinam cruceſignationem, quæ fit ſuper illis verbis, Corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione, &c. Sexto repræſentatur triplex oratio, quam fecit in cruce. Vnam pro perſecutoribus, cum dixit, Pater ignoſce illis. Secundā pro liberatione â morte, cum dixit, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cum dixit, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et ad hoc ſignificandum fit trina cruceſignatio ſuper illa verba ſanctificas, viuificas, benedicis, &c. Septimo repræſentantur tres horæ, quibus pependit in cruce, ſcilicet a ſexta vſque ad horam nonam. Et ad hoc ſignificandum fit iterum trina cruce ſignatio ad illa verba, Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo. Octauo autem, repreſentatur ſeparatio animæ a corpore per duas cruces ſubſequenter extra calicem factas. Nono

autem, repræſentatur reſurrectio tertia die facta, per tres cruces, quæ fiũt ad illa verba, Pax Domini ſit ſem per vobiſcum. Poteſt autem breuius dici quod conſecratio huius ſacramenti, & acceptatio huius ſacrificij, & fructus ipſius procedit ex virtute crucis Chriſti. Et ideó vbicumquê ſit mentio de aliquo horum, ſacerdos cruce ſignatione vtitur

in ſolu. præced. Ad quartum dicendum, quod ſacerdos poſt conſecrationem non vtitur crucis ſignatione ad benedicendum, & conſecrandum, ſed ſolũ ad commemorandam virtutem crucis, & modum paſsionis Chriſti: vt ex dictis patet *.

Ad quintum dicendum, quod ea quæ ſacerdos in miſſa facit, non ſunt ridiſculoſæ geſticulationes: ſiunt enim ad aliquid repræſẽtadũ. Quod enim ſacerdos brachia extendit poſt conſecrationem, ſignificat extenſionem brachiorũ Chriſti in cruce. Leuat etiam manus orando, ad deſignãdum quod oratio eius dirigitur pro populo ad Deum: ſecundum illud Thren, 3. Leuemus corda noſtra cũ manibus ad Dominum in cœlos, & Exo. 17. dicitur, quod cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael. Quod autẽ manus interdum iungit, & ſe inclinat, eſt ſuppliciter, & humiliter orantis, & deſignat humilitatem & obedientiam Chriſti, ex qua paſſus eſt. Digitos autem iungit poſt conſecrationem, ſcilicet pollicem cum in dice, quibus corpus Chriſti conſecratum tetigerat, vt ſi qua particula digitis adhæſerit, non diſpergatur: quod pertinet ad reuerentiam ſacramenti.

Ad ſextum dicendum, quod quinquies ſe ſacerdos vertit ad populum, ad ſignificãdum quod Dominus die reſurrectionis quinquies ſe manifeſtauit: vt ſupra dictum † eſt in tractatu *q. 56. a. 3. arg.* de reſurrectione Chriſti. Salutat autem ſepties populum, ſcilicet quinque vicibus, quibus ſe conuertit ad populum: & bis quando ſe non conuertit (ſcilicet cum ante præfationẽ dicit, Dominus vobiſcum, & cum dicit, Pax Domini ſit pemper vobiſcũ) ad deſignãdam ſepti formem gratiã Spiritus ſancti. Epiſcopus autem celebrans in feſtis, in prima ſalutatione dicit, Pax vobis: quod poſt reſurrectionem diſcipulis dixit Dominus, cuius perſonam repræſentat præcipue Epiſcopus.

Ad ſeptimum dicendũ, quod fractio hoſtiæ tria ſignificat. Primo quidẽ ipſam diuiſionẽ corporis Chriſti, quæ facta eſt in paſsione. Secundo diſtinctionẽ corporis myſtici, ſecundum diuerſos ſtatus. Tertio, diſtributionem gratiarũ procedẽtium ex paſsione Chriſti, vt Dionyſ. † dicit 3. c. eccleſ. hierarch. *â medio.* Vnde talis fractio non inducit diuiſionem Chriſti.

Ad octauum dicendum, quod ſicut Sergius Papa dicit * (& habetur *c. triform* de conſecratione diſtinct. 2.) triforme eſt corpus Domini. Pars oblata in calicẽ miſſa, corpus Chriſti quód iam reſurrexit, monſtrat; ſcilicet ipſum Chriſtum, & beatam Virginem vel ſi qui alij ſancti cum corporibus iam ſunt in gloria: Pars comeſta, ambulans adhuc ſuper terram, quia ſcilicet viuentes in terra, ſacramento † vtuntur, & paſsionibus conteruntur *Alias, † viuuntur.* ſicut & panis comeſtus cõteritur dẽtibus, Pars in altari vſque ad finẽ miſſæ remanẽs, eſt corpus in ſepulchro: quia vſquê in finem ſeculi, corpora ſanctorum in ſepulchris erunt: quorum tamen animæ ſunt vel in purgatorió, vel in Cælo. Hic tamen ritus non ſeruatur modo, vt ſcilicet vna pars ſeruetur vſque in finem miſſæ, propter periculum. Manet tamen; eadem ſignificatio partium quam quidam metricê expreſſerunt dicentes,

Hoſtia

Hoſtia diuiditur in partes, tincta beatos
Plenè, ſicca notat viuos, ſeruata ſepultos.

Quidam tamen dicunt, quod pars in calicem miſſa, ſignificat eos qui viuunt in hoc mundo: pars autem extra calicem ſeruata, ſignificat plene beatos, ſcilicet quantum ad animam & corpus: pars autem comeſta, ſignificat cæteros.

Ad nonum dicendum, quod per calicem duo poſſunt ſignificari. Vno modo ipſa paſſio Chriſti, quæ repræſentatur in hoc ſacramento. Et ſecundum hoc per partem in calicem miſſam, ſignificantur illi, qui adhuc ſunt participes paſſionum Chriſti. Alio modo poteſt ſignificari fruitio beata, quæ etiam in hoc ſacramento præfiguratur. Et ideo illi, quorum corpora iam ſunt in plena beatitudine, ſignificantur per partem in calicem miſſam. Et eſt notandum, quod pars in calicem miſſa, non debet populo dari in ſupplementum communionis: quia panẽ intinctum non porrexit Chriſtus, niſi Iudæ proditori.

Ad decimum dicendũ, quod vinum ratione ſuæ humilitatis eſt ablutiuum. Et ideo ſumitur poſt ſuſceptionem huius ſacramenti, ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant: quod pertinet ad reuerentiam ſacramenti. Vnde extra de celebratione miſſarum, cap. † ex parte, Semper ſacerdos vino os perfundere debet, poſtquam totum percepit Euchariſtiæ ſacramentum, niſi cum eodem die aliam miſſam debuerit celebrare: ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus corpus Chriſti tetigerat.

In decr. li. 3. tit. 41. c. ex parte & eſt c. 5.

Ad vndecimum dicendum eſt, quod veritas quantum ad aliquid debet reſpondere figuræ: quia ſcilicet non debet pars hoſtiæ conſecratæ, de qua ſacerdos & miniſtri, vel etiam populus communicat, in craſtinum reſeruari. Vnde vt habetur de conſecratione * diſt. 2. Clemens Papa ſtatuit, quod tanta holocauſta in altari offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur, ſed cum timore & tremore clericorum diligentia conſumantur. Quia tamen hoc ſacramentum quotidie ſumendum eſt (non autem agnus Paſchalis quotidie ſumebatur) ideo oportet alias hoſtias conſecratas pro infirmis conſeruare. Vnde in eadem diſtinctione † legitur, Presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.

de conſ. diſt. 2. c. tribus gradibus.

de conſ. diſt. 2. c. presbyter.

Ad duodecimum dicendum, quod in ſolemni celebratione miſſę, plures debent adeſſe. Vnde Soter Papa * dicit vt habetur de conſecr. diſtinct. 2. Hoc quoque ſtatutũ eſt, vt nullus presbyterorum, miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondẽtibus, ipſe tertius habeatur: quia cũ pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiſcum: & illud in ſecretis, Orate pro me, apertiſsime conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi. Vnde & ad maiorem ſolemnitatem ibidem ſtatutum legitur, quod Epiſcopus cum pluribus, miſſarum ſolemnia peragat. In miſsis tamen priuatis ſufficit vnum habere miniſtrum, qui gerit perſonam totius populi catholici, ex cuius perſona ſacerdoti pluraliter reſpondet.

de conſ. diſt. 2. ca. Hoc quoque ſtatutum eſt.

ART. VI.

Vtrum poſsit ſufficienter occurri defectibus circa celebrationẽ huius ſacramenti occurrentibus, ſtatuta Eccleſiæ obſeruando?

4.d.13. In expoſ. litt.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod non poſſit ſufficienter occurri defectibus, qui circa celebrationem huius ſacramenti occurrunt, ſtatuta Eccleſiæ obſeruando. Contingit enim quandoque quod ſacerdos, ante conſecrationem vel poſt moritur, vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne ſacramentum ſumere poſsit, & miſſam perficere. Ergo videtur, quod non poſsit impleri ſtatutum Eccleſiæ, quo præcipitur quod ſacerdos conſecrans, ſuo ſacrificio communicet.

2 Præterea, Contingit quandoque quod ſacerdos ante conſecrationem vel poſt, recolit ſe aliquid comediſſe vel bibiſſe, vel etiam alicui peccato mortali ſubiacere: vel etiam excommunicationi, cuius prius memoriam non habebat. Neceſſe eſt ergo, quod ille qui eſt in tali articulo conſtitutus, peccet moraliter, contra ſtatutum Eccleſiæ faciẽs, ſiue ſumat, ſiue non ſumat.

3 Præterea, Contingit quandoque, quod in calicem muſca vel aranea, vel aliquod animal venenoſum cadit poſt cõſecrationem, vel etiam cognoſcit ſacerdos calici venenum eſſe immiſſum ab aliquo maleuolo, cauſa occidendi ipſum. In quo caſu ſi ſumat, videtur mortaliter peccare, ſe occidendo, vel Deum tentando: ſimiliter ſi non ſumat, peccat cõtra ſtatutum Eccleſiæ faciens. Ergo videtur eſſe perplexus & ſubiectus neceſsitati peccandi, quod eſt inconueniens.

4 Præterea, Contingit quandoque per negligentiam miniſtri, aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum: & hoc ſacerdos aduertit. Ergo in hoc etiam caſu videtur eſſe perplexus, ſiue ſumat corpus, ſine ſãguine (quaſi imperfectum faciens * ſacramentum) ſiue non ſumat nec corpus nec ſanguinem. *al. ſacrificium.

5 Præterea, Contingit quandoque, quod ſacerdos non recolit ſe dixiſſe verba conſecrationis, vel etiam alia, quæ in celebratione huius ſacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc caſu, ſiue reiteret verba ſuper eandem materiam, quæ forte iam dixerat, ſiue vtatur pane & vino non conſecratis, quaſi conſecratis.

6 Præterea, Contingit quandoque propter frigus, quod ſacerdoti dilabitur hoſtia in calicem, ſiue ante fractionem, ſiue poſt. In hoc ergo caſu non poterit ſacerdos ritum Eccleſiæ implere, vel de ipſa fractione, vel etiã ne hoc, quod ſola tertia pars mittatur in calicem.

7 Præterea, Contingit quandoque, quod per negligentiam ſacerdotis ſanguis Chriſti effunditur, vel etiam quod ſac .dos ſacramentum ſumptum vomit, aut etiam quod hoſtiæ conſecratæ tandiu conſeruantur vt putreſiant, vel etiam a muribus corrodantur, vel etiam qualitercumque perdantur. In quibus caſibus non videtur poſſe huic ſacramento debita reuerentia exhiberi, ſecundum Eccleſiæ ſtatuta. Non videtur

Digitized by Google

tur ergo, quod his defectibus ſeu periculis occurri poſſit, ſaluis Eccleſię ſtatutis.

Sed contra eſt, quod ſicut Deus, ita Eccleſia non præcipit aliquid impoſſibile.

Reſpondeo dicendum, quod periculis ſeu defectibus circa hoc ſacramentum contingentibus dupliciter poteſt occurri. Vno modo præueniendo, ne ſcilicet periculum accidat. Alio modo ſubſequendo, vt ſcilicet id quod accidit, emendetur; vel adhibendo remedium, vel ſaltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc ſacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod ſi ſacerdos morte aut infirmitate graui occupetur ante conſecrationem corporis & ſanguinis Domini, non oportet vt per alium ſuppleatur. Si vero incepta conſecratione hoc acciderit, (puta conſecrato corpore ante conſecrationem ſanguinis, vel etiam conſecrato vtroque) debet miſſæ celebritas per aliũ expleri. Vnde (vt habetur in decretis 7. quæſt. 1. cap. nihil) in Toletano Concilio legitur †, Cenſuimus conuenire, vt cum à ſacerdotibus miſſarum tempore myſteria ſacra conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cœptum nequeat expleri myſterium: ſit liberum Epiſcopo vel presbytero alteri, conſecrationem exequi incepti officij. Non enim aliud competit ad ſupplementum initiatis myſterijs, quam vt aut incipientis, aut ſubſequentis benedictione ſint completa ſacerdotis: quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfecto ordine compleantur. Cum enim ſimus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium diuerſitas perſonarum format, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei repræſentat. Ne tamen quod naturæ languoris cauſa conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur, nullus abſque prouentu patentis moleſtiæ, miniſter vel ſacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis hoc temerarie præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

† Conc. 7. Tole can. 1. vel 2. ſecundum diuerſos codices et habetur 7. q. 1. cã. nihil.

Ad ſecundum dicendũ, quod vbi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maxime autem periculoſum circa hoc ſacramentum eſt, quod eſt contra perfectionem huius ſacramenti, quia hoc eſt immane ſacrilegium. Minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis. Et ideo ſi ſacerdos poſt conſecrationem inceptam, recordetur ſe aliquid comediſſe vel bibiſſe, nihilominus debet perficere ſacrificium, & ſumere ſacramentum. Similiter ſi recordetur ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi: & ſic non indigne, ſed fructuoſe ſumet ſacramentum. Et eadem ratio eſt ſi meminerit ſe excommunicationi cuicumque ſubiacere. Debet enim aſſumere propoſitum humiliter abſolutionem petendi: & ſic per inuiſibilem Pontificem Ieſum Chriſtum abſolutionem conſequetur, quantum ad hunc actum, quod peragat diuina myſteria. Si vero ante conſecrationem alicuius prædictorum ſit memor, tutius reputarem, maxime in caſu manducationis & excommunicationis, quod miſſam inceptam deſereret, niſi graue ſcandalum timeretur.

Ad tertium dicendum, quod ſi muſca vel aranea in calicem ante conſecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit eſſe immiſſum, debet effundi, & abluto calice, denuo

denuo aliud vinum poni conſecrandum. Si vero aliquid horum poſt conſecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lauari & comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium mitti. Si vero venenum ibi eſſe deprehenderit immiſſum, nullo modo debet ſumere, nec alij dare, ne calix vitæ vertatur in mortem: ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum reliquijs conſeruari. Et ne ſacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo reſumere à conſecratione ſanguinis, & ſacrificium perficere.

Ad quartum dicendum, quod ſi ſacerdos ante conſecrationem ſanguinis, & poſt conſecrationem corporis percipiat aut vinum, aut aquã non eſſe in calice, debet ſtatim apponere & conſecrare. Si vero poſt conſectationis verba perceperit, quod aqua deſit, debet nihilominus procedere: quia impoſitio aquæ (vt
q.74.a.7 ſupra dictum eſt*) non eſt de neceſſitate ſacramenti. Debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam conſecrato miſceri: quia ſequeretur corruptio ſacramenti pro aliqua parte, vt ſupra
q.77.a.8 dictum eſt*. Si vero percipiat poſt verba conſecrationis, quod vinum non fuerit poſitum in calicem: ſiquidem hoc percipiat ante ſumptionem corporis, debet depoſita aqua, ſi ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & reſumere a verbis conſecrationis ſanguinis. Si vero hoc perceperit poſt ſumptionem corporis, aliam hoſtiam apponere debet iterum conſecrandam ſimul cum ſanguine. Quod ideo dico: quia ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſeruaretur debitus ordo conſecrandi: & ſicut dicitur in prædicto cap.* Tolet. concilij, perfecta videri non poſſunt ſacrificia, niſi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a conſecratione ſanguinis, & repeteret omnia verba conſequentia, non competeret niſi adeſſet hoſtia conſecrata, cum in illis verbis occurrant quædam dicenda, & fienda non ſolum circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum ſumere hoſtiam conſecratam & ſanguinem, non obſtante etiam ſi prius ſumpſerit aquam, quæ erat in calice: quia præceptum de perfectione vel de perceptione huius ſacramenti, maioris eſt ponderis, quam præceptum quod hoc ſacramentum a ieiunis ſumatur, vt ſupra dictum eſt*.

in conc. Tolet.7.can.1.vel 2.ſecundum aliquos codices.

q.80.a.8. & q0.82.ar.4.

Ad quintum dicendum, quod licet ſacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit, nõ tamen debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit: niſi forte aliquid in dicendo apprehenderit ſub ratione iam dicti: ſic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde ſi aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet ſe dicere illud, non multum poſtea recolit ſe dixiſſe. Sic enim ſit aliquid obiectum memoriæ, in quantum accipitur ſub ratione præteriti: ſicut dicitur † in lib de memoria. Si tamen ſacerdoti probabiliter conſtet ſe aliqua omiſiſſe, ſiquidem non ſunt de neceſſitate ſacramenti, non exiſtimo, quod propter hoc debeat reſumere, immutando ordinem ſacrificij: ſed debet vlterius procedere. Si vero certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſcilicet formas conſecrationis: cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate ſacramenti, ſicut & materia, idem videtur faciendum, quod dictum eſt * in defectu materiæ, vt ſcili-

In li. de memoria c.1 to.2. inter opera Ariſtot.

in ſol. ad 4 arg. hic in iſto ar.

Digitized by Google

ſcilicet reſumatur à forma conſecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo ſacrificij.

Ad ſextum dicendum, quòd fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod vna ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admixtio aquæ ſignificat populum. Et ideo horum prætermiſsio non facit imperfectionem ſacrificij, vt propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem huius ſacramenti.

Ad ſeptimum dicendũ, quod (ſicut legitur de conſecr. diſtinct. 2. ex decreto Pij Papæ *) ſi per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur & igni conſumetur, & cinis intra altare condetur, & ſacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si autem ſuper altare ſtillauerit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vſque ad tertium nouem diebus pœniteat. Si vſque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina quæ ſtilla tetigerit, tribus vicibus lauet miniſter calice ſubtus poſito; & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur: poſſet etiam ſumi in potum a miniſtro, niſi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem vlterius partem illam linteaminum incidunt & comburunt; & cinerem in altari vel ſacrario reponunt. Subditur autem ibidem ex pœnitentiali Bedæ * presbyteri, Si quis per ebrietatem vel voracitatem Euchariſtiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, ſi laicus eſt; clerici vel monachi ſeu diaconi & presbyteri, ſeptuaginta diebus pœniteant; Epiſcopus, nonaginta. Si autem infirmitatis cauſa euomuerint, ſeptem diebus pœniteant. Et in eadem diſt. legitur ex Concil. Arelat. * Qui non bene cuſtodierit † ſacramentum, & mus uel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Eccleſia aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitẽtia videtur dignus ſacerdos, per cuius negligentiã hoſtię conſecratæ putreſiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare, & a communione ceſſare. Penſatis tamẽ cõditionibus negotij & perſonæ poteſt minui vel addi ad pœnitentiam prædictam. Hoc tamẽ obſeruandum eſt, quod vbicumquê ſpecies integræ inueniuntur, ſunt reuerenter conſeruandæ, vel etiam ſumendæ: quia manentibus ſpeciebus, manet ibi corpus Chriſti, vt ſupra dictum eſt *. Ea vero, in quibus inueniuntur, ſi commode fieri poteſt, ſũt comburenda, cinere in ſacrario recõdito, ſicut de raſura tabulę dictum eſt *.

de conſ. di. 2. ſi per negligentiã.

ead. di. 2. c. ſi quis ebrietatem

ead. d. 2. c. qui bene nõ cuſtodierit † al. ſacrificium.

q. 77. a. 6. & locis citatis.

In iſtius ſe lnt. prim.

34 IN tota hac quæſtione ſex difficultates totidem articulis, pertinentes ad ritum huius ſacramenti reſoluit Angelicus præceptor. In primo namque reſoluit Chriſtum immolari in hoc ſacramento, ſicut prototypum in ſua imagine: & quod per hoc ſacramentum efficimur participes fructus Dominicæ paſsionis. In ſecundo determinatum eſſe tempus ab Eccleſia celebrationis huius ſacramenti, tum in ſingulis diebus, ne celebretur poſt meridiem, tum etiam ne in die paraſceues, quando ipſa paſsio Domini recolitur, celebretur cõſecratio huius ſacramenti: ſed ne Eccleſia ea etiam die careat omnino fructu paſsionis per hoc ſacramentum nobis exhibito, corpus conſecratum in die præcedenti reſeruatur ſumendum illa die: non autem ſanguis propter periculum, &c. Circa quam doctrinam operepretium eſt breui calamo examinare: an in die paraſceues ve-

rum

Digitized by Google

rum miſſæ ſacrificium in Eccleſia celebretur.

Duplex diſcrimen inter ſacramētum & ſacrificiū aſsignatur

Pro cujus declaratione ſciendum eſt Euchariſtiam ſimul eſſe ſacramentum, & ſacrificium ſecundum diuerſas rationes & formalitates: quamuis enim ratio ſacramenti & ratio ſacrificij conueniant in eo quod vtraque formaliter eſt in genere ſigni rei ſacræ: verumtamen differunt penes hoc quod ſacrificium per ſe primo ordinatur ad diuinam excellentiam, & cultum ei debitum profitendum & ſignificandum: ſacramentum vero per ſe ordinatur ad aliquam ipſius hominis ſanctificationem ſignificandam, & etiam in noua lege cauſandam, quia ſacramentum nouæ legis ſimul eſt ſignum, & cauſa gratiæ ſanctificantis hominem: alias etiam diferentias inter ſacramentum & ſacrificium colligit Suarius hic diſputatione 73. ſectione quarta & quinta, inter quas non eſt cōtemnenda, quod ſacrificium poteſt humana authoritate inſtitui, dummodo ſit non priuata ſed publica: ſacramentum autem non item, ſed per ſolam diuinam authoritatem inſtitui poteſt, quia ſicut ſolus Deus eſt author gratiæ: ita ſolus ille poteſt inſtituere ſigna practica gratiæ: maxime effectiua illius, qualia ſunt ſacramenta nouæ legis, quorum proinde author primus fuit ſolus Deus: ſecundarius autem fuit Chriſtus vtens poteſtate excellentiæ debita humanitati aſſumptæ ratione diuini ſuppoſiti.

35 Ex quo principio planè colligitur ſub qua ratione Euchariſtia ſit ſacramentum, & ſub qua ſit ſacrificium. Reſtat autem videre ex tribus actionibus, quæ in eius celebratione exercentur, nimirum oblatione, conſecratione, & ſumptione, in qua illarum formalis ratio ſacrificij conſiſtat? Et cum omnes Doctores conueniant in excludendo oblationem, vtpote actionem præuiam ad conſecrationem, à ratione eſſentiali huius ſacrificij, vt videre eſt apud Alanum lib, 2. de ſacrificio cap. 18. & Suarium diſputatione 75, ſectione 3. diſſentiunt circa alias duas actiones: quibuſdam aſſerentibus in ſola conſecratione conſiſtere, & conſumari eſſentiam huius ſacrificij, vel in conſecratione cum ordine ad ſumptionem. De quorum numero ſunt Belarminius in libro primo de miſſa cap. vltimo, Suarius in dicta diſputatione 75. ſectione 4. & Vazquius diſputatione 222, cap. 5. Alijs vero adſtruentibus eſſentialem, & formalem rationem huius ſacrificij conſiſtere in ſumptione, aut ſola, aut prout connotat, & ſupponit conſecrationem, aut in vtraque ſimul actione, hoc eſt in ipſa ſumptione prout aſſociatur conſecrationi.

Et huic parti magis aſſentior, vtpote quia videtur eſſe conformior Diuo Thomæ hic quæſtione 79. articulo quinto, quatenus dicit Euchariſtiam habere rationem ſacrificij in quantum offertur, intellige inchoatiue: rationem vero ſacramenti in quantum ſumitur, & quæſtione 80. articulo 12. ad tertium, dum ait ſacerdotem in perſona totius populi corpus & ſanguinem ſumere: denotans ſumptionem non eſſe purum vſum ſacramenti, ſed eſſe actionem ſacrificandi: & in hac quæſtione 83. articulo ſexto ad tertium denotat ſacrificium perfici per ſumptionem: & quæſtione 82. articulo quarto ex Concilio Toletano 12. ait, quod de ratione ſacrificij eſt vt ſacerdos ſacrificās de victima oblata participet: & ideo neceſſarium eſſe in hoc ſacrificio, vt quoties ſacerdos ſacrificat, toties corpus & ſanguinem Domini ſumat.

Deinde ſuadetur hac ratione à priori: de eſſentia ſacrificij, maxime holocauſti, quod in celebratione huius ſacrificij Euchariſtici inuenitur, eſt, vt tota victima conſumatur: & veluti mactetur, & realiter immutetur: ſed hoc fit in ipſa ſumptione ſacerdotis: ſiquidem ante illam Chriſtus realiter manet ſub ſpeciebus: & non immutatur, neque mactatur, neque conſumitur niſi adueniente ſumptione: ergo illa eſt vere eſſentialis ratio ſacrificij, vtpote cum ſit conſumptio, & veluti mactatio hoſtiæ & victimæ oblatæ atque conſecratæ.

In die paraſceues offerri verū Euchariſtiæ ſacrificium ſecundum partem veriorem tenet ſententia

Hinc planè deducitur reſolutio propoſitæ difficultatis: nimirum in dicto die paraſceues offerri Deo verum miſſæ ſacrificium, ſaltem quoad partem magis principalem & eſſentialem, quæ in ſumptione & mactatione conſiſtit. Cuius etiā ſignum eſt, quod ex præcepto Eccleſiæ audiendi ſacrum officium miſſę, & aſsiſtendi miſſæ ſacrificio tenetur populus Chriſtianus audire illam partem miſſæ, & aſsiſtere illi ſacrificio, qualecumque ſit: vt vſus Eccleſiæ habet comprobatum: non autem ex vi talis præcepti teneretur populus Chriſtianus illam partem miſſæ audire, niſi in illa verum miſſæ ſacrificium

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem ex parte ſiue partiale offerretur & ageretur: quia præceptum Eccleſiaſticum de audienda miſſa, idem eſt atque de audiendo miſſæ ſacrificium, & illi aſsiſtendi vt perſpicuum eſt: ergo.

36 Deinde in tertio articulo reſoluit Diuus Thomas, hoc ſacramentum ob ſui reuerentiam celebrandum eſſe in domo & vaſis ſacris. In quarto determinat conuenienter ordinari eas omnes orationes, & collectas, & partes miſſæ, quæ circa hoc ſacramentum peraguntur. Et in quinto hæc omnia eſſe conuenientia. Denique in vltimo concludit ſufficienter poſſe à ſacardote occurri defectibus occurrentibus circa celebrationem huius ſecramenti: vno ex duobus modis, ſcilicet aut præueniendo illos, ne accidat: aut emendando illos, qui forte accidunt, vel ſaltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc ſacramentum. Ex quo ad alterius nimirum pœnitentiæ conſiderationem nos vocat contextus ipſe Angelici Doctoris, qui ſequentem quæſtionem de ſacramento pœnitentiæ inſtituit.

QVAE-

QVAESTIO LXXXIIII.

De Sacramento Pœnitentiæ, in decem Articulos diuiſa.

IN Procœmio huius queſtionis promittit Diuus Thomas ſe tractaturum de pœnitentia, ſex: nimirum de illa ſecundum ſe: deinde de eius effectibus, rurſus de eius partibus: quarto de ſuſcipientibus: quinto de poteſtate miniſtrorum quantũ ad claues pertinet: ſexto de ſolemnitate pœnitentiæ. Quem tractatum diuidit in duas partes: in prima agit de pœnitentia prout eſt ſacramentum: & in ſecunda proponit agere de illa prout eſt virtus, quam inchoatam reliquit inuida morte preuentus.

De prima igitur parte huius tractatus, hoc eſt de ſacramento pœnitentiæ agunt Scholaſtici cum Magiſtro in quarto diſtinctione 14. vſque ad 22. & Alenſis quarta parte quæſtione 54 Præterea ex controuertiſtis Vualdenſis libro de ſacramentis à cap. 135. Roſenſis contra Luterum à cap. 5. & Caiet. tomo primo opuſculorum opuſculo quarto, & tribus ſequẽtibus: ſũmiſtæ quoque verbo *Confeſsió*, & verbo *Contritio*, Diuus Antoninus tertia parte ſummæ titulo 14. per totum, & interpretes Diui Thomæ cum ſuo authore in huius queſtionis commentario: Iuriſperiti in decreto ſuper ſeptem diſtinctionibus de pœnitentia, & ſuper Tridentino ſeſsione 14. Ex Patribus autem Chryſoſtomus tomo quinto in decem homilijs de pœnitẽtia, & in quinque ſermonibus eiuſdem argumenti, & in duobus libris de contritione cordis, & Auguſtinus tomo quarto in libro de vera & falſa pœnitentia, & tomo nono libro pœnitentiæ medicina fuſos tractatus ediderunt.

Sed iam vt viam diſputationi aperiamus duo præmittenda ſunt. Primo quidem de nominis ethymologia: multipliciter namque accipitur hoc nomen *Pœnitentia*, cuius multiplicem acceptionem recenſent Soto in quarto diſtinctione 14. & Suarſus hic diſputatione prima Præcipue autem ſunt duæ. Altera quidem quatenus accipitur à latinis pro eo quod eſt dolere, ita vt idem ſit pœnitere, atque pœnam, ſiue dolorem ſumere, ſeu timere de aliquo malo, ſiue aduerſitate ſuperueniente, vt tradidit Auguſtinus libro de vera & falſa pœnitentia capite 19. & Iſidorus libro ſexto æthymologiarum. Ceterum à Theologis iam hoc nomen appropriatum eſt ad virtutem quandam moralem

Digitized by Google

lem, cuius proprium eſt dolorem, & triſtitiam ſumere de offenſis commiſsis contra Deum. Et licet primario importet dolorem internum animi, tamen per extenſionem ad actus quoque externos proteſtatiuos interni doloris, eius ſignificatio ampliatur: quapropter diuidunt Theologi pœnitentiam in internam & externam.

Secundo præmittendum eſt Chriſtum Dominum in lege Euangelica nouum quemdam modum pœnitendi de peccatis proprijs inſtituiſſe, hoc eſt cum ordine ad ſacramenta: ita vt in hoc ſtatu nõ detur vera pœnitentia, ſufficiens & neceſſaria ad remiſsionem peccatorum ſine ordine ad ſacramẽta à Chriſto inſtituta, verbi gratia ante baptiſmum ſuſceptum quantumcumque aliquis pœniteat de peccatis, nec verè pœnitebit, nec remiſsionem peccatorum obtinebit, niſi ſimul habeat votum baptiſmi ſaltem implicitum, poſt ſuſceptum autem baptiſmum, vt verè quis peniteat debet habere votum ſaltem implicitum ſacramenti pœnitentiæ, ob quam cauſam Diuus Thomas de hac virtute tractauit hic, & non in ſecunda ſecundæ, vbi de virtutibus cunctis, tam Theologicis, quam moralibus egerat, propter connexionem quam hæc virtus habet cum ſacramento pœnitentiæ, & prius de hoc, quam de illa tractatum interſerit, quia virtus ipſa à ſacramento pœnitentiæ dependet in eſſe, & cognoſci tamquam à termino ſuæ habitudinis ex prædicta Chriſti inſtitutione. Quam conſiderationem abſoluit decem articulis, in quorum primo iuxta ordinem doctrinæ incipit à quæſtione an eſt.

ART. I.

Vtrum pœnitentia ſit ſacramentum?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non ſit ſacramẽtum. Greg. enim dicit, & habetur in decr. † 1. q. 1. Sacramenta ſunt baptiſmus, chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, quæ ob id ſacramẽtã dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum diuina virtus, ſecretius operatur ſalutẽ in eis. Sed hoc non contingit in pœnitentia: quia non adhibentur aliquæ corporales res, ſub quibus diuina virtus operetur ſalutem. Ergo pœnitentia non eſt ſacramentum. *4. d. 14. q. 1. a. 1. q. 1 & d. 22. q. 2. ar. 3. q. 2. cor.* *† refertur 1. q. 1. ca. multi ſecularĩu, circ med.*

2 Præterea, Sacramenta Eccleſiæ â miniſtris Chriſti exhibentur; ſecundum illud 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Sed pœnitentia non exhibetur â miniſtris Chriſti: ſed interius â Deo hominibus inſpiratur, ſecundum illud Hierem. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. Ergo videtur, quod pœnitentia non ſit ſacramẽtũ.

3 Præterea, In ſacramentis, de quibus iam ſupra diximus *, eſt aliquid, quod eſt ſacramentum tãtum, aliquid quod eſt res & ſacramentũ: aliquid vero, quod eſt res tantum, vt ex præmiſsis patet *. Sed hoc non inuenitur in pœnitentia. Ergo pœnitentia non eſt ſacramentum. *quæſt. 60* *q 66. a. 1*

Sed contra eſt, quod ſicut baptiſmus adhibetur ad purificandum â peccato, ita & pœnitentia. Vnde & Petrus dixit Simoni, Act. 8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. Sed baptiſmus eſt ſacramẽtum, vt ſupra

habitum

q. 56. a. 2 habitum eſt*. Ergo pari ratione, & pœnitentia.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut Gregor.* dicit in cap. ſupradicto. Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cum res geſta ita fit, vt aliquid ſignificatiuè accipiamus quod ſanctè accipiendum eſt. Manifeſtum eſt autem, quod in pœnitentia ita res geſta ſit, quod aliquid ſanctum ſignificatur tã ex parte peccatoris pœnitẽtis, quã ex parte ſacerdotis abſoluentis: nam peccator pœnitens, per ea quæ facit & dicit, oſtendit cor ſuum á peccato receſsiſſe. Similiter etiam ſacerdos per ea quæ agit & dicit circa pœnitentem, ſignificat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifeſtum eſt, quod pœnitentia, quæ in Eccleſia agitur, eſt ſacramentum.

Refertur loc. cita. in argum. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod nomine corporalium rerum intelliguntur largé etiam ipſi exteriores actus ſenſibiles: qui ita ſe habent in hoc ſacramento, ſicut aqua in baptiſmo, vel chriſma in confirmatione. Eſt autem attendendum quod in illis ſacramentis, in quibus cõfertur excellens gratia, quæ ſuperabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius: ſicut in baptiſmo, vbi fit plena remiſsio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; & in confirmatione vbi datur plenitudo Spiritus ſancti, & in extremavnctione, vbi confertur perfecta ſanitas ſpiritualis, quę prouenit ex virtute Chriſti, quaſi ex quodam extrinſeco principio. Vnde ſi qui actus humani ſunt in talibus ſacramẽtis, non ſunt de eſſentia ſacramentorum: ſed diſpoſitiuê ſe habent ad ſacramenta. In illis autem ſacramentis, quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi *actus humani ſunt loco materiæ, vt accidit in pœnitentia, & matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quibuſdã ſunt res exterius adhibitæ, ſicut emplaſtra, & electuaria: quædam veró ſunt actus ſanãdorum puta exercitationes quędam.

**al. actus humani ſẽſibiles.*

Ad ſecundum dicendum, quod in ſacramentis, quæ habẽt corporalem materiam, opportet quod illa materia adhibeatur á miniſtro Eccleſiæ, qui gerit perſonam Chriſti, in ſignum, quod excellentia virtutis in ſacramento operantis eſt a Chriſto. In ſacramento autem pœnitentiæ (ſicut dictum eſt*) ſunt actus humani, pro materia, qui proueniunt ex inſpiratione interna. Vnde materia non exhibetur â miniſtrǒ, ſed â Deo interius operante. Sed complementum ſacramenti exhibet miniſter, dum pęnitentem abſoluit.

in ſolutione præced.

Ad tertium dicendum, quod etiam in pęnitentia eſt aliquid, quod eſt ſacramentum tantum, ſcilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per ſacerdotem abſoluentem; res autem, & ſacramentum, eſt pœnitentia interior peccatoris; res autem tãtum & non ſacramentum, eſt remiſſio peccati. Quorum primum totũ ſimul ſumptum eſt cauſa ſecũdi, primum autem & ſecundum ſunt quodammodo cauſa tertij.

Prima concluſio affirmãs eſt, ex qua infert alias duas in ſolutionibus argumentorũ, nimirũ quod materiã huius ſacramẽti nõ exhibet miniſter ſicut in alijs ſacramẽtis cõtingit ſed ipſe pœnitẽs quia ſunt actus ipſius pęnitẽtis à Deo inſpirati. Nec nõ quod actus externi exhibiti à pęnitente, & à ſacerdote ſunt ſacramẽtũ tantũ, pęnitẽtia interior. ſ. dolor, eſt res, & ſacramẽtũ ſimul, & remiſsio peccatorũ eſt res tãtũ.

Circa quam doctrinam ſex ſunt quæ à Theologis controuerti ſolent.

Primum eſt, an in Eccleſias ſit verum pœnitentiæ ſacramentum?

Secundum eſt, in quo conſiſtat huiuſmodi ſacramentum, & ex quibus partibus componatur?

Tertium eſt, an abſolutio in hac compoſitione habeat rationem formæ?

Quartum eſt, an actus pęnitentis ſint eius materia, pro qua ſupponant?

Quintum eſt, an illud quod eſt ſacramentum tantum ſit cauſa eius quod eſt res & ſacramentum ſimul, & hoc ſit cauſa illius quod eſt res tantum?

Sextum eſt, an actus pœnitentis ex ſolis viribus naturæ eliciti, ſint ſufficiens materia huius ſacramenti?

Quæ proindè à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt. An in Eccleſia ſit verum pœnitentiæ ſacramentum à cæteris nouæ legis ſacramentis diſtinctum?

1 IN hoc dubio cum ſolis hęreticis & ſectarijs, tum antiquis, tum nouioribus eſt nobis controuerſia, quia ſoli illi negant, aut dari in Eccleſia verum pœnitentiæ ſacramentum, aut illud eſſe à baptiſmo diſtinctum.

Hunc errorem tenuerunt olim Donatiſtæ relati ab Auguſtin. lib. de hæreſibus cap. 38. & Nouatrani quorum meminit Concilium Tridentinum ſeſsione 14. capit. 1. & Vvicleph relatus a Belarmino lib. 1, de pœnitentia capite 9. & 12 quem Caluinus relatus à Decano Louanienſi articulo 3. circa medium Henitius in examine Trident ſeſ. 14 1. & Philippus Melancton in apologia confeſsionis Auguſtanæ ſuſcitarunt.

Illumque ſuadent primo, quia ſi daretur aliquod ſacramentum pœnitentiæ diſtinctum à baptiſmo maxime in remiſsionem peccatorum actualiũ: ſed ob hunc finem non requiritur: ergo. Mai. ſupponitur, & minor probatur tripliciter.

Tum quia ad hunc effectum remiſsionis peccatorum omnium, etiam actualium datur baptiſmus, vt dicitur Marci primo, Lucę dezimo, & Actorum dezimo tertio. Et in ſymbolo Nizeno confitemur vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et ideò Auguſtin. lib, de fide ad Petrum capite 2. vocat baptiſmum ſacramentum fidei, & Pœnitentiæ: vndè ob hanc rationem neque Dionyſius Areopagita contemporaneus Apoſtolorum libro de Eccleſiaſtica Hierarchya, vbi de ſacramentis Eccleſiæ longum inſtituit ſermonem, meminit ſacramenti pœnitentiæ.

Tum etiam, quia remiſsio peccatorum actualium ante & poſt baptiſmũ ſuſceptum ſemper eſt eiuſdem rationis, ſed remiſsio illorum, quæ committuntur ante baptiſmum eſt effectus ipſius baptiſmi: ergo illorum remiſsio, quæ committuntur poſt baptiſmum, erit pariter effectus baptiſmi: ergo ad hunc effectum ſuperfluit ſacramẽtum pœnitentiæ.

Tum denique, quia gratia collata per pœnitentiam non differt ab illa quam confert baptiſmus: ergo neque vnum ſacramentum diſtinguitur ab alio.

Conſequentia patet, quia ſacramenta nouæ legis non poſſunt in genere cauſæ, & ſigni differre, niſi ex diuerſis effectibus, quos cauſant, & ſignificant.

Antecedens verò probatur, quia etiam gratia pœnitentiæ eſt regeneratiua; nam regenerare eſt communicare vitã nõ habenti: ergo cum hoc præſtet gratia data per ſacramentum pœnitentię ei qui erat in peccato mortali; Conſequens eſt eam eſſe regeneratiuam.

Si dicas gratiam regeneratiuam eſſe illam, quæ tribuit vitam ei, qui numquã habuit vitam ſpiritualem, ideſt non baptizato. Pœnitentiæ autem ſacramentum, tribuit quidem vitam ei, qui lapſus eſt in peccata actualia poſt baptiſmum.

Contra hoc eſt; tum quia omnis communicatio gratiæ eſt generatio ſpiritualis, iuxta illud Iacobi 1. *Voluntariè genuit nos.*

Tum etiam, nam aliàs ſi peccator non baptizatus iuſtificetur extra ſacramentum per contritionem, quæ dicitur baptiſmus flaminis, & poſtea iterum peccet mortaliter, & vadat ad baptiſmum non reciperet gratiam regeneratiuã, ſiquidem

dem iam iſte habuit aliquando vitam ſpiritualem : conſequens non eſt admittendum ; ergo neque illud ex quo ſequitur.

Secundo probatur, omne ſacramentum nouæ legis eſt vna quædam ceremonia ſacra à religione proueniens ad cultum Dei ordinata : ſed actus pœnitentis, & abſolutio ſacerdotis , neque ſunt vna ceremonia ſacra ſed duæ, neque à virtute religionis procedunt, ſed à virtute pœnitentiæ, quæ habet compenſare offenſas Deo irrogatas: ergo.

Tertio, nam aliàs ſequeretur in omni ſtatu, & lege fuiſſe tale ſacramentum pœnitentiæ ordinatum in remiſsionem peccatorum actualium : ſiquidem in omni lege , & ſtatu poſt lapſum Adami fuit æqualis neceſsitas adhibendi remedium peccatis actualibus vbi enim eſt idem morbus eadem quoque eſt neceſsitas adhibendæ medicinæ.

Quod tamen eſſe falſum conſtat, nam ſola lex Euangelica hoc cognouit ſacramentum: ergo.

Quarto, nam in huiuſmodi pœnitentia non videtur poſſe ſaluari veram rationem ſacramenti nouæ legis : propter duo. Tum quia, ex Florentini Concilij doctrina ſacramenta nouæ legis debent conſtare ex rebus, & verbis vt ex materia, & forma, nec non ex doctrina Auguſtini, dicētis; *Accedit Verbum ad elementum, & fit ſacramentum.* Pœnitentia autem hæc de qua fit ſermo, non conſtat rebus externis, ſed ex ſolis verbis ſcilicet abſolutionis, & vocalis confeſsionis.

Tum etiam, quia ſacramentorum nouæ legis miniſter tantum concurrit inſtrumentaliter ad effectum, & ad cōfectionem ipſorum ; ad actus autem pœnitentiæ quibus homo pœnitet, & dolet de offenſis proprijs concurrit pœnitens, vt cauſa principalis, ſiquidem libere, & vitaliter illos elicit : ergo.

Statuitur Catholica ſentētia aſſerens dari verū pœnitentiæ ſacramentū.

3 Sed his non obſtantibus oppoſita ſententia eſt communiter à Theologis recepta, & probata in hoc articulo ; & ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione tamquam certa ſecundum fidem.

Et ſuadetur primo : ex teſtimonijs Euangelij, ſcilicet ex illo Matthæi decimo ſexto: *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & Ioannis vigeſimo ſecundo: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, &c. Ex quo loco Concilium Tridentinum ſeſſione decimaquarta capite quinto, colligit veritatem, & neceſsitatem huius ſacramenti ſub his verbis. *Inde inſtitutam eſſe à Chriſto Domino integram peccatorum confeſsionem, & etiam poſt baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere; quia dominus noſter Ieſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tamquam Præſides, & Iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quæ Chriſti Fideles ceciderint, quo pro poteſtate clauium, remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient : conſtat autem Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non poſſe*, &c. Quibus verbis Concilium determinat contra prædictos ſectarios confeſsionem integram peccatorum mortalium, nedum factam Deo, quam ipſi admittunt, ſed auricularem factam, ſiue faciendam ſacerdoti eſſe iure diuino neceſſariam, & à Chriſto Domino inſtitutam ad peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum remiſsionem obtinendam.

Neque enim poteſtatem remittendi peccata ſacerdotibus delegaret, niſi eorum iuditium, & patefactio criminum eis facienda, eſſent neceſſaria. Communis quoque patrum conſenſus circa loca adducta eſt, illa debere intelligi de poteſtate remittendi peccata in confeſsione ſacramentali , ſiue in ſacramento pœnitentiæ.

4 Secundo probatur ex traditione Eccleſiæ, quæ ſeptem ſacramenta profitetur, & inter illa numerat pœnitentiam quarto loco tamquam à cæteris cōdiſtinctum: Concilium Florentinum in decreto vnionis, & Tridentinum dicta ſeſſione decimaquarta, capite ſecundo, & Canone decimo anathema dicit neganti dari in Eccleſia ſacramentum pœnitentiæ.

Tertio probatur, ratione congruentiæ deſumpta ex ipſa Chriſti inſtitutione, quam tetigit Diuus Thomas, quarto contra gentes capite 70. cuius & meminit Concilium Tridentinum capite ſecundo ſeſsionis 14. Quia nimirùm congruum, & conueniens fuit à Chriſto Domino inſtitui hoc ſacramentum in remedium illorum peccatorum, quæ homines committere poſſent poſt gratiam baptiſmalem acceptam : cum enim hæc gratia

ſit remiſsibilis ex defectibilitate humani liberi arbitrij, & alias baptiſmus non ſit iterabilis, pro huiuſmodi peccatorum remiſsione aliud remedium inſtitui conueniebat à Chriſto Domino, & hoc eſt ſacramentum pœnitētiæ à baptiſmo diſtinctum.

Vltimo probatur ratione qua Diuus Thomas vtitur in hoc articulo ex diffinitione ſacramenti, quæ ſic habet. Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos: hæc autem diffinitio conuenit quoad omnia huic ſacramento pœnitentiæ, quod ſupponimus à Chriſto Domino inſtitutum: ergo. Minor patet quia per illud Deus confert gratiam remiſsiuā peccatorum hominibus lapſis poſt baptiſmum, & eam ſignificat.

5 Ex his reſpondetur ad fundamenta ſectariorum. Ad primum quidem admiſſa maiori neganda eſt minor, Ad cuius primam probationem reſpondetur, nihil ex illis teſtimonijs conuinci.

Non quidem ex primo, quia ibi fit ſermo de baptiſmo Ioannis, qui appellatur baptiſmus pœnitentiæ; non quia eſſet verum pœnitentiæ ſacramentum, ſed quia per illum homines præparabantur, & inuitabantur ad agendum pœnitentiā de proprijs peccatis, dumque ad illum accedebant, ſe veræ pœnitentiæ affectum, ac doloris habere proteſtabantur: vt benè notat Angelicus Doctor ſup. q. 38. a. 3. ad 1.

Neque ex ſecundo, quia in illo ſymbolo dicitur vnum baptiſma propter duo: tum quia non ſunt plura ſacramenta baptiſmatis: tum etiam, quia illud non eſt iterabile: quod non tollit dari aliud ſacramentum, ſcilicet pœnitentiæ ab illo baptiſmate diſtinctum: vtpote quia iſtud remittit peccata per modum regenerationis: illud verò per modum medicinæ ſanatiuæ.

Neque ex tertio, quia vt notat Diu. Thom. in 4. diſtinct. 2. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiuncula 1, & diſtinctione 24. quæſtione 1. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 4. Dionyſius ibi non de omnibus, aut ſolis ſacramentis ſermonem inſtituit, ſed de illis ſacris ritibus, & ceremonijs, quæ cum aliqua rerum, vel perſonarum conſecratione perficiuntur: vndè quia nec pœnitentia, nec matrimonium cum huiuſmodi conſecratione perficiuntur, propterea quamuis ſacramenta ſint, eorū non meminit.

Sed neque argumentum negatiuum, ideſt ab auctoritate negatiua procedens, alicuius momenti eſt: Auguſtinus autem propterea vocat baptiſmum ſacramentum fidei, & pœnitentiæ; quia in illo proteſtamur fidem, & in adultis requiritur ad debitam eius ſuſceptionem aliquis dolor, & motus pœnitentiæ.

Ad ſecundam nego maiorem, nam remiſsio peccatorum data per baptiſmum eſt per modum regenerationis, & per gratiam regeneratiuam, quæ veluti dat primum eſſe vitæ ſpiritualis: remiſsio autem quam facit ſacramentum pœnitentiæ habet modum ſanationis, & fit per gratiam ſanatiuam poſt amiſſam gratiam baptiſmalem: vndè cum iſti effectus ſint formaliter, & ſpecie diuerſi, quos hæc ſacramenta per ſe primo efficiunt, & ſignificant, & à quibus proinde ſpecificantur; Conſequens eſt, & ipſa ſacramenta ſpecie diuerſificari.

Ad tertiam nego antecedens. Ad cuius probationem reſpondetur, gratiam quidem illam ex parte habitualis doni gratiæ iuſtificantis eſſe eiuſdem ſpeciei; ſecus verò ex parte modi; ſeu auxilij adiuncti quod addit gratia ſacramentalis ſuper gratiam habitualem, & licet abſolutè eſſent eiuſdem ſpeciei in ſe, & entitatiuè; tamen ex diuerſo modo operandi diuerſificantur hæc duo ſacramenta; nam ſicut generatio, & ſuſcitatio differunt eſſentialiter ex diuerſo modo communicandi eandem vitam naturalem: ita baptiſmus, & pœnitentia differunt ex diuerſo modo communicandi eandem vitam ſpiritualem; ſcilicèt regenerando, vel ſuſcitando animam.

Ad huius primam impugnationem reſpondetur ex illo dicto Iacobi ſolum ſequi quod omnis iuſtificatio eſt ſpiritualis quædam generatio, per quam homo media gratia fit Filius Dei adoptiuus, ſed cum hoc ſtat ſpecialiori modo gratiam baptiſmi eſſe regeneratiuam, & pœnitentiæ eſſe ſanatiuam.

Ad ſecundā reſpondetur, nego ſequelā quia tūc in illo homine gratia præſupponeretur per accidēs, & ex opere operātis: gratia data per baptiſmū dicitur regeneratiua, &

tiua, &

ta. & eſt prima in ordine ad gratiam communicatam ex opere operato ad alia ſacramenta.

6 Ad ſecundum principale admiſſa maiori nego minor. Nam quemadmodum conſenſus duorum contrahentium idem matrimonium ſunt duo actus realiter, & entitatiuè diſtincti, & tamen ſubſternuntur eidem rationi vnius contractus ſacramenti, & vnius Sacræ Ceremoniæ; ita actus pœnitētis, & ſacerdotis ſunt plures quidem phiſicè, & in eſſe entis, & licèt ſint duæ ceremoniæ partiales; nihilominus ſubſternuntur eidem rationi vnius ſacramenti, & ceremoniæ totalis; & licèt in eſſe entis tales actus pœnitētis procedant elicitiuè à virtute, vel ab auxilio pœnitentiæ; regulatiuè tamen in ratione ceremoniæ, & cultus procedunt à virtute religionis.

Ad tertium nego ſequelam: quia licèt in omni lege & ſtatu fuerit neceſſaria pœnitentia interna pro remiſsione peccatorum obtinenda: nec non licet fuerit aliqus modus externus pœnitentię proteſtatiuus, licèt non ita determinatus: in lege tamen Euangelica conſtituit Chriſtus Dominus ſpeciali fauore filios huius legis proſequens, inſtituere ſpeciale ſacramentum pœnitentiæ, quod ex opere operato gratiam ſanatiuam cauſaret.

Ad quartum nego antecedens: ad cuius vtramque probationem vnico verbo reſpondetur cum Diu. Thom. hic in ſolutione ad primum, hoc ſacramentum conſtare etiam rebus, quatenus conſtat actibus humanis, qui ſunt res quædam à verbis ipſis condiſtinctæ, & ideo apponi hanc materiam non à miniſtro, ſed ab ipſo pœnitente cuius ſunt actus.

Quare Chriſt⁹ nō inſtituerit in hoc ſacramento materiā apponendā à miniſtro

7 Si autem inquiras cur in hoc ſacramento Chriſtus non inſtituerit materiam apponendam à miniſtro ſicut in alijs ſacramentis?

Refutatur ratio Durandi.

Huic interrogationi reſpondet Durandus in quarto diſtinctione 14. quæſtione tertia: eam fuiſſe rationem non inſtituendi materiam apponendam à miniſtro, in hoc ſacramento, & in ſacramento matrimonij, quoniam his duobus ſacramentis non confertur aliqua poteſtas ad faciendum, vel recipiendum aliquid ſacrum, ſicut confertur in alijs ſacramentis, & propterea inſtitutam fuiſſe pro materia rem externam apponendam à miniſtro, ſecus verò in illis duobus.

Sed hæc ratio eſt inſufficiens, quia non in omnibus alijs ſacramentis confertur talis ſpiritualis poteſtas; niſi dumtaxat in tribus imprimētibus characterem, ſcilic. in baptiſmo, ordine, & confirmatione.

Adducitur elegans ratio D. Tho.

8 Quare exactior eſt ratio, quam adducit Diu. Thomas hic in ſolutionibus primi, & ſecundi argumenti dicens eam fuiſſe rationem, quod in alijs ſacramentis confertur quædam gratia excellens, & ſuperabundans, quæ excedit omnem facultatem, & proportionem humanorum actuum, & ideo expediens fuit eorum materiam non in humanis actibus, ſed in quibuſdam rebus externis conſiſtere, quam exhibet ſacerdos ſiue miniſter, vt ſic denotaretur hanc gratiæ ſuperabundantiam à Chriſto Domino eſſe, & ab eius paſsione vt à cauſa, & principio extrinſeco prouenire. In ſacramentis autem matrimonij, & pœnitentiæ confertur gratia non excedens proportionem humanorum actuum, ſed eis proportionata, & adquiſibilis per illos, & ideo opportuit eorum materiam in actibus humanis ipſorum recipientium cōſiſtere: Qua de cauſa licet aliquid humani actus, videlicet attritionis, vel contritionis ad aliorum ſacramentorum debitam ſuſceptionem requirantur, hi non concurrunt vt materia, neque ſunt de ſacramenti neceſsitate, ſed ſolum de neceſsitate præcepti; & tamquam diſpoſitiones ad talium ſacramentorum effectum deſiderantur.

9 Quæ ratio Angelici præceptoris quò elegans, eò difficilis eſt. Quare vno ex duobus modis eius diſcipuli illam interpretantur. Alij enim cum Soto in 4. diſtinct. 14. quæſt. 1. artic. 1. dicunt ſenſum huius rationis, & mentem Angelici Doctor. in illa eſſe, quod in alijs ſacramentis cōfertur maior gratia intenſiuè, quam in ſacramentis pœnitentiæ, & matrimonij, & ob hanc maiorem gratiæ perfectionem cōuenjens fuit materiam in alijs ſacramentis exhiberi à miniſtro. Sed hæc expoſitio omnino aliena eſt à veritate, & à mente S. Doctoris: quia ex illa ſequuntur duo inconuenientia, quæ nefas eſt imputare S. Doctori.

Primo namque ſequitur ex illa ſemper in quolibet aliorum ſacramentorũ conferri maiorem gratiam intenſiue, quam in ſacramento pœnitentiæ: conſequens autem eſſe falſum patet quia non eſt credibile, in ſacramento Extremæ vnctionis, aut Confirmationis, aut Ordinis dari maiorẽ gratiam ſimpliciter, quam in ſacramento pœnitentiæ.

Sequitur ſecundo, Extremam vnctionem, Confirmationem, & Ordinem eſſe nobiliora, atque perfectiora ſacramenta quam pœnitentiam: ſiquidem ex nobiliore effectu gratiæ, ad quem vnumquodque ſacramentum per ſe ordinatur, ſumitur eius maior perfectio & nobilitas; ſicut & ex effectuum gratiæ diuerſitate ſumitur & ſacramentorum diuerſitas eſſentialis.

Conſequens autem eſſe falſum eſt notum: quis enim dicet Extremam vnctionem eſſe nobilius, & perfectius ſacramentum pœnitentia?

defenditur verus modus explicãdi rationem D. Thom.

10 Quare alijs Thomiſtis placet melius, & verius aliter ſuum auctorem explicare: quibus adlubeſco. Qui ſupponunt aliquid poſſe eſſe perfectius altero vno ex duobus modis, nimirum, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid: & quoad modum; ac ſæpius contingere vnam rem eſſe altera perfectiorem ſimpliciter, & quoad ſubſtãtiam, imperfectiorem autem ſecũdũ quid, & quoad modum. Sic namque teſte eodem Angelico Doctore 1, 2. quæſtione 71. articulo tertio ad primum, actus excedit habitum ſuum ſimpliciter in malitia, ſiue in bonitate morali; à quo tamen exceditur ſecundum quid, ſcilicet quãtum ad modum permanentiæ, ac diuturnitatis: & teſtè eodem ibidem quæſt. 110, 3. 2. ad 3. gratia iuſtificans ſimpliciter, & quoad eſſentialem perfectionem excedit ſubſtantiam naturalem, a qua tamen exceditur ſecundum quid, ſcilicet quantum ad modum eſſendi per ſe independenter à ſubiecto inhæſionis, quia eſt ſubſiſtens, gratia autem habitualis, vtpote accidens dependet ab illo.

Et iuxta philoſophiæ documenta forma equi; v.g. excedit ſimpliciter formã cœli, vtpote quia eſt principium viuendi illa, pluresque gradus eſſendi tribuit quam iſta, à qua tamen exceditur ſecundũ quid, id eſt quoad modum informandi inamiſſibiliter materiam.

Eandem itaque comparationem Diuus Thomas in præſentiarum inter gratias aliorum ſacramentorum, & gratias horum duorum, videlicèt matrimonij, & pœnitentię voluit obſeruari, vt iſtę ſimpliciter illas quandoque excedant, à quibus tamen ſecundum quid, & quoad aliquem modum ſemper, & defectibiliter excedantur.

11 Quod ſic declaro, gratia baptiſmi quantumuis minimæ intenſionis habet hanc excellentiam, & ſuperabundantiam, vt preſtet plenam remiſſionem peccatorum, quoad culpas, & pœnas, quia habet modum ſpiritualis regenerationis, & dantis primam vitam ſpiritualem ſimpliciter: gratia quoque ſacramenti confirmationis, licet minima, habet dare plenitudinem roboris ad profitendam fidem: atque gratia Extremæ vnctionis licet minima ſit, habet dare plenitudinem ſanitatis, quæ tollit qualeſcunque peccatorum reliquias: gratia autem ſacramenti pœnitentiæ, (& idem dico de gratia matrimonij) quantumuis intenſa ſit, & creſcat in graduali perfectione ſiue ex maiori virtute ipſius ſacramenti, ſiue ex feruentiori recipientis diſpoſitione, talem plenitudinem non habet, ſed ſemper habet modum gratiæ proportionatæ actibus ipſius recipientis, id eſt adquiſibilis per illos, non vt a viribus ſolius naturæ, ſed vt à virtute Spiritus ſancti auxiliante eliciuntur. Sicut ſanitas infirmi, quæ per eius actus adquiritur, dicitur illis proportionata, vt quando ex medici conſilio infirmus modicam exercitationem corporalem facit deambulando, vt ſic per eius corporale exercitium ſanitatem corporis obtineat ipſi proportionatam. Seruataque eadem proportione voluit Chriſtus Dominus inſtituere pro materia horum duorum ſacramentorum humanos actus recipientium, vt per illos ſanitatem ſpiritualem in vno; & in altero vnitiuam, & voluntatum conciliatiuam gratiam obtinerent, ob quam differentiam voluit quoque Chriſtus; diuina inſtitutione ſic ordinante, quæ eſt huius diſcriminis ratio à priori, vt in iſtis materia à recipiente, in alijs verò à miniſtro exhiberetur. Sed vt hic diſcurſus, ac mens Angelici Doctoris magis pateſiat, inſurgo tripliciter contra illum.

12 Primo quidem quia ſequitur dari maiorem gratiam in ſacramento Extremæ vnctionis, quam in ſacramento Pœnitentiæ, ſiquidem excellentior, & ſuperabundantior gratia eſt maior gratia: conſequẽs eſt falſum: ergo.

Secundo, quia etiam modus gratię correſpondens pœnitentiæ eſt præſtantior, quoniam eſt effectus proprius præſtantioris ſacramenti: ergo nedum quoad eſſentiam, ſed etiam quoad modum excedit gratiam Extremævnctionis.

Tertio, nam gratia Euchariſtiæ etiam datur per modum cibi nutrientis: ac per conſequens etiam proportionatur humanis actibus prouenientibus ab intrinſeco principio: ergo etiam eius materia debuit apponi à ſuſcipiente, & non a miniſtro.

Sed facili negotio noſter diſcurſus ab his obiectionibus vindicatur. Ad primam enim reſpondetur. gratiam Extremæ vnctionis eſſe quidem maiorem quoadmodum plenitudinis extenſiuè: non vero intenſiuè.

Ad ſecundam reſpondetur diſtinguendo antecedens: modus gratiæ ſacramentalis pœnitentiæ eſt preſtantior ſimpliciter concedo, eſt præſtantior ſecundũ quid nego antecedens, quia tota illa excellentia, quam habet, continetur intra latitudinem gratię proportionatæ humanis actibus, & adquiſibilis per illos: gratia autem Extremæ vnctionis, licet ſecundum quid ſit nobilior, eſt tamen excedens proportionem humanorum actuum.

Ad tertiam nego antecedens pro ſecunda parte, neque enim dicitur gratia Euchariſtiæ habere modum nutrimenti quantum ad hoc quod eſt cauſari per noſtros actus ab intrinſeco: ſed ſolum quantum ad duo ſcilicet quoad effectum augendi gratiam: & quatenus datur per ſacramentum habens modum conuiuij conſtantis ex cibo, & potu.

Dubium ſecundum eſt. An ſacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter componatur ex actibus pœnitentis, & abſolutione ſacerdotis?

13 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ: prima eſt Scotiſtarum, & Nominalium aſſerentium ſacramentum pœnitentiæ non componi eſſentialiter ex actibus pœnitentis, & abſolutione impenſa a ſacerdote, ſed in ſola hac conſiſtere, & pro ſola hac ſupponere, illos autem ſolum poſtulare vt diſpoſitiones quaſdam requiſitas.

Refertur ſẽtẽtia Scotiſtarũ, & Nominaliũ aſſerentiũ in ſola abſolutione cõſiſtere ſacramentum pœnitentiæ.

Quam probat Scotus cum ſequacibus in 4. diſtinct. 14. quæſtion. 4. & diſtinct. 15. quæſtione 1. & 16. quæſtion. 1. & Maior, & Gabriel in eodem 4. diſtinction. 14. quæſtione 2. articul. 1. probant tripliciter.

Primo ex diffinitione ſacramenti, quod, vt dictum eſt, eſt ſignum ſacrum inſtitutum à Chriſto Domino ad ſignificandam, & cauſandam gratiam remiſsiuã peccatorum: hoc autem ſaluatur in ſola abſolutione impenſa a ſacerdote: ergo ſola illa eſt ſacramentum pœnitentiæ.

Min. patet, quia ſola hæc verba: *Ego te abſoluo:* habent virtutem ſignificandi, & cauſandi gratiam ſanatiuam ex Chriſti inſtitutione: nam poteſtas remittendi peccata actualia data eſt à Chriſto Domino ſolis ſacerdotibus, ſicut & poteſtas clauium ſolis illis tradita eſt per illa verba Ioannis 20. *Accipite poteſtatem, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis,* &c. ergo ſicut in ſolis ſacerdotibus eſt poteſtas abſoluendi à peccatis: ita in ſolis illis eſt poteſtas remittendi peccata media gratia remiſsiua peccatorum.

Secũdo, quia ſacramẽtũ eſt illud, quod ponitur, & cõficitur ab eius miniſtro ad id ſpecialiter deputato: ſed ſolus ſacerdos eſt miniſter huius ſacramenti ad id ſpe-

ciali conſecratione conſignatus: vt perſpicuum eſt; neque pœnitens, aut laicus eſt miniſter ſacramenti pœnitentię: ergo hoc ſacramentum à ſolo ſacerdote conficitur, & miniſtratur: ſed ſacerdos ſolum exhibet abſolutionem: ergo in ſola hac conſiſtit ſacramentum pœnitentiæ.

Alioquin ſi actus pœnitentis ad eius eſſentialem conſtitutionem pertinerent; nedum ſacerdos, ſed etiam pœnitens laicus eſſet miniſter huius ſacramenti.

Tertio: ex nullo teſtimonio ſacræ Paginæ, aut Conciliorum colligitur efficaciter actus pœnitentis pertinere ad cōpoſitionem huius ſacramenti: tamquam materiam: ergo id non eſt temerè aſſeuerādum,

Antecedens patet, nam ex ſacra Pagina nihil expreſſum habemus, niſi clauium poteſtatem ligandi, atque ſoluendi traditam ſolis ſacerdotibus; vt dictum eſt, ex Concilijs autem, Florentino, & Tridentino ſeſsione 14. capite tertio, tantum habemus actus pœnitentis eſſe quaſi materiam: quæ eſt dictio diminuens: aut illos eſſe materiam latè, & in genere, quod poteſt verificari de materia circa quam, & remota: in quo ſenſu etiam peccata vocantur materia huius ſacramenti. Et panis, & vinum appellantur materia Euchariſtiæ: & tamen neque illa reſpectu ſacramenti pœnitentiæ, neque iſta reſpectu Euchariſtiæ ſunt materia proxima, & eſſentialis: ergo.

Quæ ratio amplius explicatur, & confirmatur in triplici caſu in quo contingit conſici ſacrrmentum pœnitentiæ, ſine actibus præſentibus pœnitentis, cum ſola abſolutione ſacerdotis.

Primus eſt, quando infirmus mente diſtractus, & iam non recordatus antecedentis doloris, & confeſsionis accipit abſolutionem à ſacerdote.

Secundus eſt, quando moribundus cum ſolis ſignis doloris accipit abſolutionem à ſuis peccatis, quam reuera ſacerdos tenetur ei impendere ne ſpiritualis ſalus huius hominis periclitetur.

Tertius eſt, quando ipſe moribundus ſine vllis ſignis doloris, aut confeſsionis vocalis (quia nec loqui, nec moueri poteſt, quando ſacerdos accedit; atteſtantibus tamen circunſtantibus, ſe vidiſſe in illo ſigna doloris, & propoſitum confitendi peccata ſua,) accipit abſolutionem à ſacerdote, qui ob dictam rationem poteſt, ac debet eam illi impendere: & tamen ſi actus pœnitentis eſſent materia proxima, & eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ, neque ritè, neque validè, poſſet ſine illis præſentibus, & actu exiſtentibus illud conficere, aut eius formam aponere: ergo. In eādem inclinat Suarius hic diſputatione 18. ſectione 2. §. *duo tamen*, & fauent Diuus Thomas in eodem 4. diſtinctione 14. quęſtione 1. art. 1. quæſtiuncula 1. & diſtinctione 22. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 1 ad 2, & Ferrarienſis 4. cont. gentes capite 72. §. *prætermittendum* 3. quatenus docent totam efficientiam huius ſacramenti eſſe in ſola abſolutione.

Sētētia aliorū exiſtimantiū ſacramentū pœnitētiæ in ſolis actibus pœnitētis cōſiſtere

14 Secunda ſententia, eſt aliorum exiſtimantium ſacramentum pœnitentiæ in ſolis actibus pœnitentis conſiſtere, in quam inclinat Soto in 4. diſtinctione 14. quæſt. 1. art. 1. dum aſſerit totam ſubſtantiam huius ſacramenti eſſe actus ipſos, & ſolos pœnitentis.

Quorum fundamentum ſumitur ex modo loquendi Conciliorum, Tridentini, & Florentini vbi ſupra dicentium tres tantum eſſe partes pœnitentiæ ſacramenti, ſcilicet contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem. Nec non ex Diui Thomæ auctoritate, qui infra quæſtione 90. numerans omnes partes huius ſacramenti: non meminit abſolutionis: & in hoc articulo ad 2. ait quod complementum huius ſacramenti, ſcilicet abſolutionem exhibet miniſter, dum pœnitentē abſoluit: ſi autem abſolutio exhibita à ſacerdote eſſet pars pertinens ad eſſentiam huius ſacramenti, nō diceretur eſſe tantum tres partes illius; ſed quatuor, nec vocaretur complementum eius, ſed pras eſſentialis, ſiue forma, quę omnino condiſtinguitur à complemento: ergo,

15 Tertia ſententia, aſſerens ſacramentum pœnitentiæ eſſentialiter includere actus pœnitentis, & abſolutionem; eſt communiter a Theologis recepta, quā tuentur Diu. Thom. in hoc articulo in ſolutione ad 3. & 4. contra gentes capite 72 Caietan. & Ferrarienſis in eiſdem locis, Alenſis quarta parte, quęſtione 60. per totam, & quæſtione 66. membro primo, articulo primo, Paludanus in quarto diſtinction. 16. quæſt. 4. Ricardus ibidem art. 1 & Capreolus quæſtione 2. Pro cuius declaratione.

16 Dico primo. Subſtantia, & eſ-

ſentia

ſentia ſacramenti pœnitentię non in ſolis actibus pœnitentis, ſed in illis, & in abſolutione ſacerdotis ſimul conſiſtit.

Quod eſſentia huius ſacramẽti nō in ſolis actibus cōſiſtat ſed in illis ſimul cũ abſolutione.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas priores ſententias, & probatur primo ex decreto Concilij Florentini de vnione Armenorum, & Tridentini ſeſsione 14. capit. 3. in quorum altero decernitur omnia ſacramenta nouæ legis perfici tribus ſcilicet rebus, & verbis, & intentione miniſtri. Rebus quidem vt materia, & verbis vt ex forma, & loquendo ſpeciatim de hoc ſacramento dicitur in illo actus pœnitentis eſſe materiam: formam verò eſſe illa verba prolata à ſacerdote: *ego te abſoluo*. In altero autem determinatur ſacramentum pœnitentiæ conſtare ex illis verbis: *ego te abſoluo*; tamquam ex forma, & ex actibus pœnitẽtis, tamquam ex materia: in quam ſententiam conſpirant omnes Theologi docentes ſacramenta nouæ legis conſtare rebus, & verbis, materia ſcilicet & forma, eã que ex parẽte Auguſtino didicerũ: dicente: *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*, qui nomine verbi formam, & nomine elementi materiam intellexit.

17 Secundo probatur ratione à priori deſumpta ex diuina inſtitutione, qua ſcilicet Deus inſtituit hoc ſacramentũ ad inſtar iudicij humani; quod quidem intrinſecè conſtat ex cognitione cauſæ per allegata, & probata, & ex ſententia in reũ prolata, illum damnante, vel abſoluente: ergo proportionabiliter hoc ſacramentũ debet conſtare intrinſecè ex cognitione cauſæ legitima, & ſententia iudicis in pœnitentem prolata.

Tunc vltra, ſed cognitio cauſę habetur per vocalem confeſsionem, quæ cũ debeat eſſe doloroſa, attritioni, ſiue contritioni eſt neceſſario connexa; abſolutio autem habet rationem ſententiæ perficientis, ſiue complentis hoc ſacramentale iudicium: ergo huiuſmodi ſacramentum intrinſecè debet ex actibus pœnitentis, & abſolutione exhibita à ſacerdote conſtare: alioquin non haberet integram rationem iudicij, quod proculdubio ex accuſatione, & confeſsione rei, & abſolutione iudicis debet integrari.

18 Tertio probatur ab inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia Scoti. nimirùm quod ſola abſolutio eſſet totum ſacramentum pœnitentiæ: ſiquidem actus pœnitentis tantum ſe haberẽt vt diſpoſitiones ad illud; & propterea qui ſine debita diſpoſitione baptizatũr vere ſuſcipit baptiſmum quamuis indignè, quia talis actus baptizati non eſt de eſſentia baptiſmi, niſi tantum diſpoſitio ad illud: conſequens autem eſſe falſum, & periculoſum in fide patet quia alias qui ſine vllo dolore, aut etiam ſine vllis actibus ſuſciperet à ſacerdote abſolutionem, verum, & totũ ſacramentum pœnitẽtiæ ſuſciperet: quod eſt abſurdum, & erroneum: ergo etiam illud ex quo ſequitur.

Ac proinde opinio Scotica in ſe, & maximè his temporibus, eſt periculoſa, & parum tuta in fide, vtpotè non conformis modo loquendi Patrum, & Conciliorum, nec ſatis conſona inſtitutioni huius ſacramenti ad inſtar humani iudicij, & fauens ſectarijs huius temporis aſſeuerantibus ſufficere ſolam fidem cum abſolutione impenſa à miniſtro ſine vllis actibus alijs pœnitentis ad perfectam remiſsionem peccatorum obtinendam.

19 Dico ſecundo. Licet virtus effectiua gratiæ ſanatiuæ inſit ſoli abſolutioni per ſe primo, tamen totum ſacramentum ratione illius cauſat gratiam in ſubiecto debite diſpoſito.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Ferrarienſem, & Suarium vbi ſupra aſſerentes ſolam abſolutionem cauſare gratiam huius ſacramenti. Sed noſtra aſſertio defenditur à Caietano in hoc articulo, & à Soto in quarto diſtinctione 14. quæſtion. 1. art. 1.

Et probatur primo: quia eſt expræſſa Angelici Doctoris in hoc art. ad 3 vbi ait, totum ſacramentum ratione vtriuſque partis cauſare gratiam, & idem habet quæſtione 86. ſequenti, articulo 6. & quæſtione 28. de veritate articulo 8 ad 2, & ſi in locis præallegatis libri quarti ſententiarum innuit, ſolam formam huius ſacramẽti cauſare gratiam, aut hic correxit ſententiam, vt vult Caietanus: aut, ſi malueris, illam explicuit. Ibi enim ſolum dixit ſolam formam habere per ſe primo virtutem efficiendi gratiam; non verò ſolam formam efficere gratiam, quę duo lõgè diuerſa ſunt; in hoc verò articulo ait, quod vtraq; pars huius ſacramenti efficit gratiam, forma quidem veluti ratione ſui, hoc eſt magis principaliter, materia verò ratione formæ, id eſt minus principaliter, & cum ordine ad formam,

20 Secundo probatur ex his, quæ docuimus ſupra quęſtione 62. articulo 6.

dubia 3. virtus cauſatiua gratiȩ conuenit ſacramentis nouæ legis ſecũdũ vtramque partem ita vt totum ſacramentum operetur gratiam, & totum eleuetur à Deo vt inſtrumentum diuinæ virtutis: & ſicut ſignificatio cõuenit verbis, & rebus; ita & virtus cauſatiua gratiæ imprimitur à Deo nedum verbis, ſed etiam rebus: ergo ſimiliter virtus cauſatiua gratiæ, quã confert ſacramentum pœnitentiæ, imprimitur nedum abſolutioni, ſed etiam actibus pœnitentis, ſiue ſit vnica ſimplex virtus, ſiue duplex partialis, de quo ibi veritatem aperiemus.

Satis fit trib⁹ obiectionibus quæ poſſent cõſici contra cõcluſionem.

21 Tertio probatur ſatisfaciendo tribus obiectionibus, quæ huic noſtræ concluſioni obſtare poſſent. Prima eſt, quia gratia huius ſacramenti datur ſolum virtute clauium: ſed virtus clauium reſidet in ſolis ſacerdotibus, ad quos ſolos verba illa Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, diriguntur, ergo gratia iſta confertur a ſolo ſacerdote: ac per conſequens in ſola abſolutione ſaluatur virtus cauſatiua, & ratio ſigni practici.

Secunda eſt, quia aliàs homo iuſtificaret ſe, ſiquidem per ſuos actus pœnitens effectiuè concurreret ad ſuam gratiã ſanatiuam, & conſequenter effectiuè conferret ſibi gratiam, & hoc eſt hominem iuſtificare ſeipſum. Si dicas quod iuſtificare ſe petit quod homo concurrat ad ſuam iuſtificationem per modum principij principalis intrinſeci, propterea enim dicitur hominẽ nutrire ſe, quia habet animam, quæ eſt principium, & cauſa principalis nutritionis.

Contra hoc ſequitur tertia obiectio nimirum quod alias neque verum eſſet dicere, quod ſacerdos iuſtificat pœnitẽtem, quia vtrobique eſt tantum cauſalitas effectiua inſtrumentalis: ergo ſi hæc non ſufficit ad verificãdã primã propoſitionẽ, neque ad verificandam ſufficiet ſecũdam. A quibus tamen facile vindicatur noſtra concluſio.

Ad primam nãque reſpondetur diſtinguendo maiorem, gratia huius ſacramenti datur ſolum in virtute clauium ſi ly ſolum excludat à concomitantibus: nego. Sin minus, concedo maiorem; vel admiſſa maiori diſtingo min. virtus clauium reſidet in ſolo ſacerdote quomodocumque nego reſidet ſeruatis ſeruandis, & cum ordine ad actus pœnitentis, & tanquam in exhibente formam ſubijciendo, & ſubordinãdo materiam, ex quo deriuatur virtus clauium ad actus pœnitentis per quandam participationem cõcedo, ſecus verò aliter.

Ad ſecundam dicendum eſt iuxta ea, quæ alibi docuimus nimirum in tractatu de iuſtificatione, hæc propoſitio *homo iuſtificat ſe*, eſt neganda, licet admittatur à Vazquez quoniam facit ſenſum, quod homo per ſuos actus iuſtificat ſe, qui ſenſus eſt falſus, quia ſiue actus ſumantur prout ſunt diſpoſitiones ad gratiam, ſiue prout ſunt partes huius ſacramenti propoſitio hæc eſt falſa quia petit ex vi terminorum, & ex modo loquendi quod homo habeat virtutem propriam, & principalem in ſe qua ſe iuſtificet.

Si autem dicatur cum hoc addito, homo ſcilicet pœnitens iuſtificat ſe in ſacramento penitentiæ, iuſtificat ſe inſtrumentaliter, ſiue per modum inſtrumenti erit vera propoſitio: & pariter atque in eodem ſenſu, & cum eodem addito admittẽda eſt iſta: *Pœnitens dat ſibi gratiam, & remittit ſibi peccata ex opere operato*, ſiue per modum inſtrumenti, quamuis Suarius neget illam vbi ſupra, §. *duo tamen*, eo quod pœnitens, neque eſt miniſter nec conficit ſacramentum; & ille tantum dat gratiam qui conficit ſacramentum, ſed hæc ratio ceſſat ſi apponatur dictum additum : tunc enim facit verum ſenſum, & eundem quem facit prima.

Ad ſecundam reſpondetur illam propoſitionem: ſacerdos iuſtificat pœnitẽtem, prorſus, & ſine addito eſſe concedendam, quia cum ſacerdos teneat ſe ex parte Dei, & vt miniſter comparetur ad alterum non eſt capax vt ei tribuatur hȩc actio, vt cauſæ principali, niſi tantum vt inſtrumento propterea ex vi terminorum, & ex more loquendi facit ſenſum verum; nimirùm quod ſacerdos vt miniſter eſt inſtrumentum Dei iuſtificans pœnitentem: ſicut ob eandem rationem de baculo, qui motus à me moueret lapidem, poſſumus verè affirmare, & ſine addito quod baculus mouet lapidem; quia baculus ſignificat ipſum inſtrumentum mouendi lapidem.

22 Ad primum autem pro prima ſententia admiſſa mai. neganda eſt minor. Ad ſecundum admiſſa mai. & minori cum prima conſequentia, & minori ſubſumpta neganda eſt ſecunda conſequentia, quia ſicut in naturalibus agens cui tribuitur totus effectus ſolam formam introducit in

mate-

materiam, vt illud dicatur producere album, quod introducit albedinem in ſubiecto, & homo dicitur generare hominem, propterea quod animam vnit materiæ, licet nec materiam, nec animam producat, quæ fiunt a ſolo Deo per creationem: ita ſolus ſacerdos dicitur miniſter huius ſacramenti, & illud conficere quia ponit abſolutionem, & illam veluti formam vnit materię, ſcilicet actibus pœnitentis: cum quo benè ſtat neque actus pœnitentis effici a ſacerdote, neque eſſe extra eſſentiam huius ſacramenti.

Ad tertium nego antecedens pro vtraque parte: ad improbationem primę dicendum eſt ex illo eodem loco Ioannis ad iūcta patrū intelligētia, & traditione colligi poſſe; poteſtatē clauiū traditā fuiſſe ſacerdotib⁹ in ordine ad act⁹ pęnitētis: vt cū illis efficeretur nouus modus pœnitendi eleuatus ad rationem ſacramenti inſtituti per modum iudicij cuiuſdam.

Ad improbationem ſecundæ reſpondetur illam dictionem *quaſi*, non eſſe diminutionem ſed appoſitam fuiſſe a Concilio ad denotandum actus pœnitentis nō eſſe materiam cōſiſtētem in aliqua re ſenſibili, & externa, ſiue elemento qualis eſt materia aliorum ſacramentorum (excepto matrimonio) vtpotè quia conſiſtit in actibus externis, & internis ipſius pœnitētis, qui tamen uerè, & ſimpliciter materia ſunt huius ſacramenti.

Ad confirmationem reſpondetur in nullo caſu ex adductis confici ſacramentū pœnitentiæ, ritè, & validè ſine actibus pęnitentis: non quidem in primo, quia tunc cēſentur actus pœnitentis præſentes moraliter quæ præſentia moralis ſufficiens eſt ad ſaluandam compoſitionem huius ſacramenti quod cum ſit compoſitum artificiale, & morale, ſiue humanum ad inſtar iudicij ſe habens, ſatis eſt ſi eius partes, ſcilicet materia, & forma ſint ſibi moraliter præſētes, nec tunc actus pœnitentis phiſice iam tranſacti habebunt phiſicam efficientiam circa gratiam, niſi ſola abſolutio; quoniam ex noſtra doctrina ſuperius tradita de ſacramentis in genere conſtat excellentiam hanc cauſandi phiſice gratiam conuenire ſacramentis nouæ legis quando phiſicè exiſtunt eorum partes, quæ proinde poſſūt phiſicè moueri à Deo, vt phiſica diuinæ virtutis inſtrumenta: ſecus autem quando phiſice non exiſtunt quia tunc ſolum eis conuenit moralis influxus in gratiam.

Neque in ſecundo, quia aut tunc nō eſt tali moribūdo impendēda abſolutio cum ſolis ſignis doloris abſque vocali confeſsione aliquorum peccatorum in ſpecie iuxta probabiliorem ſententiam Angelici Doctoris ſpeculatiuè loquendo; aut ſi impendatur ei à ſacerdote ſequendo opinionem probabilem aliorum, & in praxi vtiliorem non apponitur forma ſine materia, quia adſunt actus pœnitentis, ſcilicet dolor internus, & confeſsio per ſigna, & motus, qui ſunt materia neceſſaria, & ſufficiens ad integrum conficiendum cum abſolutione, pœnitentiæ ſacramentum.

Nec in tertio, quia aut ſacerdos, nec poteſt, nec debet tunc impendere tali homini abſolutionem iuxta probabilem opinionem negantem; eo quod non poteſt iudicare de ſtatu talis hominis: ac proinde nec poteſt ferre ſententiam in illum: ergo, nec abſolutionem ſacramentalem impendere ei quia inſtituta eſt à Chriſto Domino ad inſtar ſententiæ iudicialis. Aut ſi maluerit ei impendere abſolutionem conformando ſe alteri opinioni affirmanti, licet minus probabili; dicēdū eſt ſicut in primo caſu, quod tunc ex abſolutione phiſicè præſenti, & ex actibus pœnitentis phiſicè tranſactis, & moraliter præſentibus, per teſtimoniūque adſtantium humano modo patefactis confeſſario, conficitur ſacramētum pœnitentiæ.

23 Ad fundamentum pro ſecunda ſententia reſpondetur à Concilio, & à Diu. Thom. numerari tres partes huius ſacramēti, ſcilicet integrales materiæ ex quibus vna adæquata materia conficitur, non tamen excludunt abſolutionem, quæ eſt forma eſſentialis, & quia eſt forma complens artificiatum hoc ſacramentale, & nō informans ſubiectum ſicut forma naturalis, ideò eam apellat D. Tho. complementū: intellige eſſentiale vtpotè ad eius eſſentiam ſpectans: vt iam dubio ſequenti pergimus declarare.

De

Dubium tertium eſt. An abſolutio, tamquam vera forma, conſtitutionem huius ſacramenti ingrediatur?

IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eo quod abſolutio pertineat ad eſſentiam huius ſacramenti pœnitentiæ, & eius conſtitutionem, vtpotè quibus notum eſt decretum Concilij Florentini determinantis ſacramenta nouæ legis perfici rebus, & verbis, id eſt confici, & conſtitui, illis quidem vt materia, his verò vt forma iuxta communem eorumdem intelligentiam.

In explicando autem an verba abſolutionis ingrediātur conſtitutionem huius ſacramenti, tamquam forma, ex qua, & actibus pœnitentis reſultet vnum tertium compoſitum pro quo ſupponat ipſum ſacramentum, ſicut ex materia, & anima reſultat vnum tertium compoſitum pro quo ſupponit homo, & quod nec eſt materia, nec anima, ſed compoſitum ex illis compoſitione quam Metaphiſici vocant *ex his*, vel tamquam forma cum qua actus pœnitentis conſtituant ſacramentum, quod nō ſit tertium reſultans ex illis, ſed tale compoſitum artificiatum, quod pro ipſis actibus penitentis ſupponat ſicut in alijs artificiatis contingit, v. g. ſcamno, cathedra, & ſimilibus, quæ pro ſolo materiali, & ſubſtracto figuræ ſupponunt? Diſcriminantur in duas ſententias.

Prima ſententia aſſerit hoc ſacramentū cōponi ex actib⁹ pœnitentis, et abſolutione cōpoſitione ex his.

Primum namque affirmat Suarius hic diſputatione 18. ſectione 2. ſequutus Durandum in quarto diſtinctione quarta, quæſtione tertia, Marſilium quæſtione decima, Alenſem quarta parte quæſtio 60. citat quoque pro ſua ſententia Angelicum Doctorem in hoc articulo primo & infra quæſtione 90. & quarto contra gentes capite 72. & Caietanum, & Ferrarienſem in eiſdem locis.

25 Suadetur verò hæc opinio: primo ex communi modo loquendi Theologorum aſſerentium ſacramenta nouæ legis intrinſece conſtare, & componi ex materia & forma, quo denotant ex illis reſultare vnum tertium, quod diſtinctum ſit à materia, & à forma diuiſiuè ſumptis, & reſpectu cuius forma ſit pars principalius cōponens, & conſtituens quam materia, quæ duo intendit hæc ſententia, & negat ſecunda: ergo.

Secundo, quia aliàs abſolutio non eſſet pras principalior, ac proinde neque forma huius ſacramenti: quomodo enim ſtare poteſt abſolutionem eſſe partem principaliorem, & magis eſſentialem huius ſacramenti, & iſtud non ſupponere pro illa; niſi ſolum pro actibus pœnitentis vt ſtant ſub illa?

Conſequens autem eſſe falſum patet, quia ex dictis conſtat abſolutionem eſſe, quæ in hoc ſacramento per ſe primo habet virtutem ſignificandi, & cauſandi gratiam, ex eaque talem virtutem ad actus pœnitentis per quandam participationem deriuari: ergo.

Secūda ſententia affirmat hoc ſacramētum pro ſolis actibus pœnitentis ſupponere, cōponique ex illis, & abſolutione cō poſitione, quā vocant cum his.

26 Secundum verò affirmant Soto in quarto diſtinctione 14. quæſtione prima articulo primo, Petrus de Ledeſma, vniuerſaliter id ipſum affirmans de omnibus ſacramentis nouæ legis quæſtione 45. de matrimonio articulo tertio, dubio ſecundo.

Quod ſuadent dupliciter: primo, quia id denotat phraſis Cōcilij Florentini in decreto de vnione Armenorum dicentis ſacramenta nouæ legis perfici rebus, & verbis, rebus quidem vt materia, & verbis vt forma, & intentione miniſtri; quo more loquendi ſignificat verba, ſicut & intentionem miniſtri eſſe quidem de perfectione ſacramenti, ſed non de eſſentia vt partem eſſentialem, idem denotat modus loquendi Angelici Doctoris hic ad tertium appellantis abſolutionem exhibitam à ſacerdote non formam, ſed complementum ſacramenti pœnitentiæ.

Secundo, ex comparatione ſacramentorum ad compoſita artefacta: in his namque forma, id eſt figura non eſt pras eſſentialis ex qua, & materia componatur, aut reſultet compoſitum artificiale, quia hoc in ſola materia conſiſtit, & pro illa ſupponit prout ſubſternitur tali formæ,

vndè has propoſitiones eſſe falſas, ſcilicet annulus componitur ex auro, & figura, Cathedra eſt compoſita ex ligno & forma artificiali patet hoc ſillogiſmo, qui eſt formalis conſequentia, vtpotè diſpoſitus in darapti: omnis Cathedra eſt compoſita ex ligno & figura, ſed omnis cathedra eſt lignum: ergo lignum eſt compoſitum ex ligno ex figura : igitur cum in hoc ſillogiſmo conſequentia ſit formalis: & conſequens ſit falſum, pariter & antecedens debet eſſe falſum: non pro minori: ergo pro maiori.

Secundum duplicē cōpoſitionem quæ inuenitur in hoc ſacramēto duæ priores ſententiæ in concordiā, & ſanū ſenſum rediguntur.

27 Inter has ſententias media via incedendum nobis eſt, & 3. eligenda ſententia, quæ fortè vtramque ad concordiam, & ſanum ſenſum reducit. Sit ergo noſtra aſſertio attendendo ad compoſitionem ex rebus & verbis, ſiue actibus pœnitētis, & abſolutione ſacramentū pœnitentiæ non componi ex illis, ita vt reſultet tertium pro quo ſupponat, ſed reuera ſupponit pro ſolis actibus pœnitentis; attendendo verò ad compoſitionem quam habet ex ſignificatione, & ſubſtracto illis, non ſupponit pro ſolis actibus pœnitentis, ſed pro aggregato ex illis, & abſolutione.

Hæc aſſertio ſupponit in ſacramento pœnitentiæ ſicut in alijs dari duplicem compoſitionem veluti phiſicam, ſiue artificialem, condiſtinctam ab alia, quæ dicitur methaphiſica, & fit ex genere, ac differentia.

Alteram quidem ex rebus, & verbis, & alteram ex ſignificatione, & adæquato illius ſubſtracto. Et hoc ſuppoſito prima pars illius ſufficienter probatur fundamentis ſecundæ ſententiæ, cuius authores hoc dumtaxat voluerunt, vt in hac priori compoſitione abſolutio ſe habeat tamquam complementum actuum pœnitentis, eos determinans, ac complens, vt ad ſignificandam, & cauſandam gratiam proportionentur, & eleuentur, & hoc verum eſt.

Secunda verò pars datur auctoribus ſecundæ ſententiæ qui tantum infirmis, & in efficacibus vtuntur fundamentis atque vtramque compoſitionem non ſatis diſtinguunt, ſed potius confundunt.

28 Suadetur tamen a nobis ſic, primo: actus pœnitentis non ſunt adæquatum ſubſtractum, ſiuē materiale ſacramenti, ſicut lignum eſt adæquatum materiale cathedræ, & corpus eſt adæquatum materiale albi, ſed ſunt ſubiectum partiale, pro quo proindè nequit ſupponere hoc ſacramentum: adæquatum enim, & totale ſubſtractum ſignificationis ſunt actus pœnitentis, & abſolutio, ex his enim, & ſignificatione conficitur integrūm ſacramentum: ergo.

Secundo, nam compoſitio ex actibus pœnitentis, & abſolutione non eſt compoſitio ex materiali adæquato, & ſignificatione: hæc enim eſt veluti phiſica ex materia, & forma: illa verò veluti integralis ſecundum vnitatem ordinis: ſicut illa qua dicimus domum componi ex fundamento vt materia, & ex tecto vt forma: & qua dicimus corpus humanum componi ex capite, pectore, manibus, &c. Atqui neque domus ſupponit pro ſolo fundamento, nec corpus humanū pro ſolo capite & pectore: ergo neque ſacramentum pœnitentiæ ſupponit pro ſolis actibus pœnitentis.

Tertio: nam ſicut tertia vnitas eſt forma determinans alias duas vnitates ad rationem ternarij, ita abſolutio eſt forma determinans actus pœnitentis ad conſtitutionem huius ſacramenti: ſed ternarius non ſupponit pro ſolis duabus vnitatibus, ſed pro tribus: ergo neque ſacramentum pœnitentiæ ſupponit pro ſolis actibus pœnitentis, ſed pro illis ſimul cum abſolutione.

29 Hinc colligo primo: hanc propoſitionem eſſe falſam, actus pœnitentis ſunt ſacramentum pœnitentiæ, & hanc veram eſſe actus pœnitentis, & abſolutio ſunt ſacramentum pœnitentiæ: quia iſta ſecunda, & non prima propoſitio ex illis, huic, corpus eſt album: & huic, lignum eſt cathedra aſſimilatur. Prima verò huic: corpus humanum eſt caput, domus eſt fundamentum, & duæ vnitates ſunt ternarius aſſimilatur: quæ proculdubio ſunt falſæ.

Colligo ſecundo: hanc compoſitionem qua componitur ſacramentum pœnitentiæ; (& idem dicendum puta de alijs ſacramentis) ex actibus pœnitentis, & abſolutione,

& ex

& ex ſignificatione ; reduci ad illam quæ dicitur *cum his*, potius quam ad illam quæ vocatur *ex his* : nam ſecundum Caietanum qui huius duplicis compoſitionis meminit capite quinto, de ente, & eſſentia quæſtione nona compoſitio *ex his*, reperitur in illis compoſitis, in quibus reſultat vnum tertium, ex vtraque parte componente, & ab illis diſtinctum ; ita vt pro neutra, ſed pro illo tertio ſupponat : ſicut homo, & Leo verbi gratia, non pro materia, aut forma, ſed pro compoſito ex illis reſultante ſupponunt ; & vt docuimus ſupra quæſtione ſecunda, articulo quarto extremá compoſitionis *ex his* communicant in eodem eſſe : qua ratione diximus ibi perſonam Chriſti Domini ex natura humana, & diuina eſſe compoſitam compoſitione quæ appellatur ex his : atqui ex ſignificatione, & eiꝰ adæquato ſubſtracto neq; reſultat vnũ tertiũ diſtinctũ ab vtroque extremo componente, neque extrema ambo communicant in eodem eſſe: quia compoſitum reſultans eſt ſacramentum, ſiue tale ſignum, quod eſt idem cum actibus pœnitentis, & abſolutione, & ſupponit pro illis, ſicut album eſt corpus, & ſupponit pro illo. Et inſuper alia eſt exiſtentia ſignificationis, & alia actuum pœnitentis cum abſolutione, iſti enim exiſtunt exiſtentia reali, illa verò per exiſtentiam rationis; ſicut alia eſt exiſtentia corporis, & alia albedinis : ergo ſicut album ob has rationes eſt compoſitum *cum his* : ita & ſacramentum pœnitentiæ ob eandem rationem inter compoſita *cum his* debet computari.

Dubium quartum eſt. An adæquatum materiale huius ſacramenti in ſola confeſſione ſaluetur?

30 IN hoc dubio comparationem facimus adequati materialis huius ſacramenti non ad ſignificationem: hoc enim conſtat ex dubio præcedenti eſſe actus pœnitentis ſimul cum abſolutione, ſed ad ipſam abſolutionem, quæ quia conſiſtit in verbis dicitur forma, vnde ſenſus eſt, an adæquatum materiale abſolutionis, vel pro quo ſupponit hoc ſacramentum ex parte pœnitentis integretur ex illis tribus ſcilicet confeſſione, contritione, & ſatisfactione, vel in aliquo eorum, vel in ſola contritione ſaluetur?

In quo diuiduntur Theologi in tres ſententias, quarum duæ ſunt extremæ, & vna media. Prima illarum eſt Durandi in quarto diſtinctione 14. quæſtione 3. & diſtinctione 16. quæſtione prima aſſerentis huiuſmodi adæquatum materiale in ſola confeſſione ſaluari: eandem ſequuntur Gabriel in quarto diſtinctione 14. quæſtione ſecunda, Palacios diſtinctione 16. quæſtione prima Martinus de Ledeſma quæſtione 31. ad ſecundũ, & Vega lib. de iuſtificatio, capite 152. qui illam ſuadent hoc fundamentõ. Sola confeſſio eſt materia huius ſacramenti: ergo illa eſt adæquatum materiale formæ abſolutionis, antecedens probant, quia neque contritio, ſiue dolor internus, nec ſatisfactio ſunt partes integrátes materiam huius ſacramenti: non quidem contritio propter tria. *1. ſentẽtiã affirmans, quã ſequũtur Durandus, & alij*

Tum quia non eſt per ſe ſenſibilis, partes autem cuiuſcumque ſacramenti maximè illius quod eſt ſacramentum tantum, debent eſſe per ſe ſenſibiles, ſicut & ipſum ſacramentum eſt ſenſibile ſignum.

Tum

Tum etiam, quia contritio eſt res, & ſacramentum ſimul vt habet Diu. Thomas in hoc art. res autem & ſacramentum ſimul non poteſt eſſe pars ſacramenti tantum vtpotè à quo diſtinguitur vt ſignatũ à ſigno, & tamquam effectus à cauſa.

Tum denique, quia contritio, ſiuè dolor internus multoties ſolet antecedere tempore confeſsionem ipſam, & abſolutionem; pars autem ſacramenti debet eſſe præſens & ſimul cum forma: ergo.

Quod nec ſatisfactio ſit pars materiæ huius ſacramenti probatur primo, quia pars integralis materiæ cuiuslibet ſacramenti ſupponitur ad formam, & actuatur per illam: ſatisfactio autem nec ſupponitur ad formam: ſcilicet abſolutionem, nec actuatur per illam, vtpotè quia ad illam conſequitur: ergo.

Secundo, quia ſacramentum pœnitentiæ eſt completum, & independenter ab illa: ergo non eſt eius pras integralis, antecedens patet, quia quando quis confitetur peccata ſua ſacerdoti, & ab illo accipit abſolutionem, integrum perficit ſacramentum pœnitentiæ, cuius & effectũ conſequitur, & tamen tunc non eſt ſatisfactio, quia poſtea illam exhibet pœnitens, imò ſi illam non adimpleat integrum manebit ſacramentum: ergo.

Tertio quia in alijs ſacramentis, vbi contingit partes materię diſtingui, cuilibet reſpondet partialis forma: vt in Extrema vnctione, in qua ſicut diſtinguuntur plures vnctiones partiales, ita & plures dãtur formæ partiales eis correſpondentes quibus & ſinguli effectus partiales correſpondent: vndè qui poneret obicem peccati mortalis vltimæ vnctioni partiali, ſcilicet illi quæ fit in pedibus, vel renibus, eſſet ſacrilegus, vtpotè indigne ſuſcipiens vnam partem ſacramenti, & impedimentum apponens eius effectui: atqui neque ſatisfactioni reſpondet aliqua forma partialis, neque exhibẽs illam in peccato mortali committit ſacrilegium, neque impedimentum apponit alicui effectui ſacramenti pœnitentiæ: ergo euidens ſignum eſt illam non eſſe integralem partem illius.

Sententia Marſilij aſſerẽtis ſatisfactionẽ nõ eſſe partẽ integrãtẽ materiæ huius ſacramenti.

31 Quare propter hoc argumentum fuit ſecundæ ſententia Marſilij in 4. diſtinctione 14. quæſtione 1, articulo 1. dicentis materiam ſacramenti pœnitentiæ integrari quidem ex confeſsione, & dolore interno, ſed non ex ſatisfactione.

32 Sed his non obſtantibus vera, & Catholica ſententia tenet tres eſſe partes integrales materiæ huius ſacramenti, licet non ex æquo requiſitas: quam defendunt Diu. Thom. in art. 2. huius quæſtionis, & quæſtione 90. & in quarto, diſtinctione 16. quæſtione 1. articulo 1. Ricardus ibidem Alenſis 4. parte quæſtione 66. membro primo articulo 2. & communiter Thomiſtæ hic, cum ſuo auctore, quæ proindè à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et probatur pro prima parte, in eo gradu certitudinis vt oppoſitum ſine periculo errandi in fide ſuſtineri non poſsit.

Primo quidem ex Florentino vbi ſupra docente hanc veritatem, & Tridentino ſeſsione 14. capite tertio dicente quaſi materiam pœnitentiæ eſſe tres actus pœnitentis, ſcilicet contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem, & Canone quarto, idem decernit ſub anathematè, & in Bulla Leonis X. damnãte errores Luteri, inter alios articulos damnatur vnus in quo dixerat non eſſe fundamentum in ſacra Scriptura, & Patribus quod partes pœnitentiæ ſint iſti tres actus pœnitentis, ſcilicet confeſsio, contritio, & ſatisfactio.

Secundo probatur, veluti ratione à priori ex ipſa Chriſti inſtitutione deſumpta. Nam Chriſtus Dominus inſtituit hoc ſacramentum ad modum cuiuſdam iudicij, in quo tria ad eius integritatem, & perfectionem concurrere debent, ſcilicet manifeſtatio delicti per confeſsionem, & quia confeſsio debet eſſe aliquo modo doloroſa, vtpotè quia non ſimplex facti narratio, ſed legitima delicti manifeſtatio ad conſequendam veniam ordinata debet eſſe, requiritur etiam aliquis dolor internus & tandem opportet iudicium conſumari per aliquam pœnam reo inflictam in vindictam culpæ: quæ in ſacramentali iudicio dicitur ſatisfactio: ergo ex his tribus partibus proportionabiliter opportet ſacramentale iudicium integrari videlicet confeſsione, dolore interno, & ſatisfactione.

Deinde ſecunda pars probatur à ſimili corporis naturalis, quod diuerſimodè ex capite, & corde, atque ex pede, ac digitis integratur: ex capite namque & corde taliter integratur, quod ſine illis viuũ conſiſtere non valeat, vtpotè in quibus

Digitized by Google

bus ſenſus, & motus vitales vigent: ex pede autem, ac digitis ſic integratur vt ſine illis, licet mutilum, & imperfectum conſeruari poſsit. Ita proportionabiliter hoc ſacramentum taliter ex contritione, & cõfeſsione integratur vt ſine illis in actu ſiuè in re exhibitis ſaluari non poſsit: & adhuc ex iſtis duabus partibus per prius, & eſſentialius concurrit confeſsio, vtpotè quæ eſt per ſe ſenſibilis, contritio autem eſt ſenſibilis ratione illius, ac per conſequens magis illa quam iſta pertinet ad eſſentiam ſigni ſenſibilis, & conſequenter ad eſſentiam ſacramenti. Ex ſatisfactione autem totaliter integratur, hoc ſacramentum vt ſine illa in actu exhibita poſsit ſaluari, licèt quodam modo mutilum, & imperfectum.

Nota duplicẽ diffinitionẽ huius ſacramenti.

33 Hinc colligitur duplex diffinitio huius ſacramenti, vna methaphiſica, & altera veluti phiſica, ſecundum quod dupliciter in illo ſicut in alijs inuenitur cõpoſitio, altera quidem methaphiſica ex genere, & differentia, & altera phiſica ex materia, & forma.

Igitur diffinitio methaphiſica, quæ eius genus, & differentiam explicat talis eſt. Sacramentum pęnitentiæ eſt ſacramentum per ſe inſtitutum ad ſignificandam gratiam ſanatiuam, ſiue remiſsiuam peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum.

Diffinitio autem phiſica, quæ eius compoſitionem veluti phiſicam declarat ex materia, & forma, ideſt ex ſignificatione, & ſubſtracto, hęc eſt. Sacramentum pęnitentiæ eſt compoſitum ex actibus pœnitentis cum legitima abſolutione ſacerdotis ex diuina inſtitutione ſignificans gratiam remiſsiuam peccatorum, &c.

34 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur nego antecedens, ad cuius primam probationem inductam ad probãdum quod contritio non eſt pars huius ſacramenti reſpondetur admiſſa maiori negando minorem. Satis namque eſt quod totum ſacramentum tantum ſit per ſe ſenſibile categorematicè, licet nõ ſyncathegorematicè, ideſt totaliter, & ſecundũ omnes partes: poteſt enim aliqua eſſe ſenſibilis ratione alicuius compartis, quæ per ſe eſt ſenſibilis. Quod patet exemplo ſacramenti matrimonij, quod integratur ex cõſenſibus, & verbis illos experimentibus, vt ex partibus: & tamen conſenſus non ratione ſui, ſed ratione verborum habent cõditionem ſenſibilitatis.

Ad ſecundam nego minorem, quia non inconuenit eandem rem eſſe ſecundũ diuerſas rationes, ac formalitates partem ſacramenti tantum, ac rem, & ſacramentum ſimul; has autem diuerſas formalitates in contritione reperiri inferius dicemus.

Ad tertiam dicendum eſt dolorem internum, qui eſt pars integrans hoc ſacramentum ſemper debere eſſe præſentem cõfeſsioni, ſiue phiſicè, ſiue ſaltem moraliter, & virtualiter; quia ſcilicèt, licèt aliquãdo phiſicè, & entitatiuè præceſſerit, manet tamen moraliter, & virtualiter quatenus talis dolor antea elicitus non fuit retractatus, & in virtute illius fit confeſsio vocalis à pœnitente.

Ad ſecundæ partis primam probationem, licèt Suarez diſputat, citata ſect. 3. num. 9. velit ſatisfactionem non ſupponi formæ, nec actuari per illam, neque id opus eſſe in omnib⁹ partib⁹ integralibus totius ætherogenei, & moralis, tamen verior ſolutio eſt quod omnes partes cuiuslibet compoſiti, ſiue naturalis, ſiue ætherogenei, ſiue moralis licèt gaudeant diuerſis formis accidẽtalibus, debent vnica forma eſſentiali informari, quod etiam cõtingit in partibus omnibus huius ſacramenti: quapropter ſatisfactio informatur per abſolutionem cui & moraliter ſaltim coniũgitur, & a qua determinatur in ratione ſigni, & cauſæ, vndè & habet ſuam partialem ſignificationem ſacramentalem, & cauſalitatem ex opere operato, eſtque conſummatio iudicij ſacramentalis ſupra quam proinde debet cadere ſententia in abſolutione conſiſtens.

Ad ſecundum reſpondetur antè ſatisfactionem in re, eſſe quidem ſacramentum pœnitentiæ quoad eſſentiam, ſed imperfectum, non tamen ante ſatisfactionem in voto, nam in ipſamet confeſsione, dolore, & abſolutione iam imbibitur ſatisfactio in voto, ideſt propoſitum, & votum ſatisfactionis, & ordo ad illam acceptandam, & adimplendam: alioquin ſi pœnitens confitens, & accipiens abſolutionem haberet propoſitum non ſatisfaciendi intra tempus à ſacerdote aſsignatũ, peccaret peccato ſacrilegij; & nedum obicem apponeret gratiæ, ſed neque verum dolorem haberet, neque veram faceret confeſſionem, ac proinde inualidum eſſet tale ſacramentum.

Digitized by Google

Propoſitũ reſeruandi pœnitentiã in aliã vitam non eſt ſufficiens.

Sed quid dicendum, ſi pœnitentiam in aliam vitam reſeruare proponeret? idem quod prius. Quid ſi diceret lucrabor indulgentiam aliquam plenariam, & ſic abſtinere volo a ſatisfactione mihi impoſita? Reſpondeo tunc valere ſacramentum, ſed non ſine voto ſatisfactionis, quia indulgentia plenaria eſt relaxatio omnium pœnitentiarum iniunctarum à confeſſario, & non impletarum: vnde votum illius eſt abundans votum iſtius.

Propoſitũ vero lucrãdi aliquã indulgentiam plenariam, etiã ſi non habeat adimplendi pœnitentiam nunc impoſitam ſufficit.

Ad tertiam reſpondetur, quod non opportet ſingulis partibus in omni ſacramento reſpondere ſingulas formas partiales (id enim ſolum contingit in ordine, & Extremavnctione ex peculiari eorũ inſtitutione) quare in ſacramento pœnitentiæ, quod eſt inſtitutum ad modum iudicij humani; vnica forma, ſiue ſententia, quę eſt abſolutio cadit ſupra omnes actus pœnitentis, ſcilicet confeſsionem, dolorem, & ſatisfactionem, quæ moraliter cõiungitur, & eos moraliter actuat, ac determinat in ratione vnius adæquati ſigni gratiæ ſanantis. Vnde nequè peccat, qui ſatisfactionem implet in peccato lethali; quia nequè indigne ſuſcipit nouam formam partialem ſacramentalem, quam diximus nõ eſſe, nequè partem integralem, quæ pertineat ad eſſentialem conſtitutionem ſacramenti, niſi tantum ad integritatem accidentalem, ſiue completiuam, ſiquidem ſine ſatisfactione in re nedum exhibita, ſed etiam impoſita poteſt ſaluari eſſentia huius ſacramenti, vt quando moribundus confitens abſoluitur, ſine vlla impoſita pœnitentia: in quo caſu ſaluatur vnũ, & eſſentiale ſacramentum pœnitentiæ, ſine ſatisfactione in re, & in voto explicito, ideſt deſiderio illam implendi: quia nulla fuit impoſita: non tamen ſine voto, aut deſiderio implicito, nequè ſine ordine ab illam. Quare ſoli duo actus pœnitentis, ſcilicet confeſsio, & contritio cum abſolutione cum ordine, & voto implicito ſatisfactionis complent eſſentiam huius ſacramenti, cuius tamen integritas accidentalis, & perfectiua petit ſatisfactionem in re exhibitam.

Rurſus, nequè illam implens in peccato lethali ponit obicem gratiæ partiali ſacramentali, quia ſatisfactio non gratiam aliquam confert, ex opere operato, ſed ſolum relaxationem pœnæ temporalis, quæ etiã pertinet ad plenariam, ſiue perfectam peccatorum remiſsionem, ob quæ duplex debitum contrahimus, ſcilicet culpæ, & pœnæ temporalis, primum remittit gratia, ſecundum vero tollit ſatisfactio exhibita ab homine iuſto. Quare illam exhibens in peccato remiſsioni ſecundi debiti dumtaxat obicem ponit, & ideò non peccat, nequè eſt ſacrilegus, benè autem peccat, & eſt ſacrilegus, qui vnum ordinem, aut vltimam vnctionem ſuſcipit in peccato lethali, in primo quidẽ caſu, quia indigne ſuſcipit vnum ſacramentum partiale conſtans ex materia, & forma partiali: & ponit obicem gratiæ partiali ſacramentali, quia vnuſquiſquè ordo confert ex opere operato peculiarem gratiam requiſitam ad exercendum miniſterium talis ordinis. In ſecundo vero, aut ob eandem rationem, aut quia ponit obicem toti gratiæ ſacramenti Extremævnctionis, quod totam gratiam ſibi correſpondentem confert in puncto in quo vltima partialis vnctio conſumatur.

66 Dices: ergo peccat ille, qui accedens ad Euchariſtiam nõ ſe diſponit maiori deuotione, quia ponit obicem maiori gratiæ, quam Euchariſtia conferret illi ex opere operato cum maiori diſpoſitione.

Reſpondeo negando conſequentiam quia iſte non apponit impedimentum priuatiuum, ſed negatiuum dumtaxat, quod remouere non tenetur, & tantum ſe priuat illo augmento gratiæ, quod eſt veluti accidentale, & non correſpondet Euchariſtię ex diuina inſtitutione, ſed operi operantis, ſcilicet maiori diſpoſitioni recipiẽtis, quãuis illa ſuppoſita verũ ſit ſacramentũ maiorem gratiam conferre ex opere operato: in caſibus autem noſtris de ordine, & Extremavnctione recipiens in peccato mortali, verè ponit obicem, & impedimentum priuatiuum, quia impedit gratiam ſacramentalem, ideſt correſpondentem partiali ſacramento ex diuina inſtitutione, & ad quam conferendam tale ſacramentum per ſe ordinatur. Ex adducta tamen inſtantia Euchariſtiæ manet confirmata doctrina, quam tradidimus de implente ſatisfactionem in peccato mortali, qui nec peccat, nec impedit effectum gratiæ ſacramentalis?

Digitized by Google

Dubium quintum eſt, quid in hoc ſacramento ſit ſacramentum tantum, & quid ſit res, & ſacramentum ſimul?

37 QVONIAM in omni ſacramento legis gratiæ, tria diſtingui ſolent, ſcilicet ſacramentum tãtum, res, & ſacramentum ſimul, & res tantum, hæc oportet etiam in hoc ſacramento diſtinguere. Sed quia de eo, quod eſt res tantum, notum eſt, quòd ſit gratia ſanatiua, ſimiliter indubitatum eſt, quòd ſacramentum tantum ſunt actus pęnitentis cũ abſolutione, vtpotè in quibus ſunt materia, & forma huius ſacramenti, reſtat inveſtigare, quid ſit res, & ſacramentum ſimul.

Sententia antiquorũ aſſerentiũ, nihil eſſe in hoc ſacramẽto, quod ſit res, & ſacramentum ſimul.

In quo diuiſi ſunt Theologi in tres ſententias. Prima fuit, quorundam antiquorum quos refert Paludanus in quarto diſtinctione decima quarta, quæſtione prima, articulo ſecundo, aſſerentium in hoc ſacramento, & in alijs duobus, ſcilicet Extremæ vnctionis, & matrimonij, nihil eſſe rem, & ſacramentum ſimul, ſed ſolum diſtingui duo, ſcilicet rem tantum, & ſacramentum tantum.

Quorum fundamentum non potuit eſſe aliud, niſi quod eis difficile videretur aſsignare in his tribus ſacramentis, id quod eſt res, & ſacramentum ſimul, eo vel maxime, quia res, & ſacramentum ſimul debet eſſe quoddã medium inter id quod eſt ſacramentum tantum, & id quod eſt res tantum, ita vt reſpectu illius ſe habeat, vt ſignatum, & effectus, & reſpectu huius, vt via, & ſignum: atqui in his tribus ſacramentis, nihil eſt aſsignabile, quod ſe habeat, vt cauſatum reſpectu abſolutionis, & actus pœnitentis, præter gratiam ipſam ſanantem, quæ eſt res tantum: ergo nihil eſt, quod ſe habeat vt res, & ſacramentum ſimul. A qua ſententia non abhorret Suarius hic diſputatione decima octaua, ſectione tertia, numero tertio dicens non eſſe certum, quod in omnibus ſacramentis nouæ legis debeant reperiri hæc tria: nimirum ſacramentum tantum, res tantum, res, & ſacramentum ſimul, nequè ad hoc aſſerendum in omnibus ſacramentis eſſe aliquam certam, ac generalem regulam.

Secũda ſententia: in hoc ſacramento rem, & ſacramẽtum ſimul eſſe quẽdam ornatum diſponentẽ ad gratiam recipiendam.

38 Secunda ſententia fuit aliorum, etiam antiquorum aſſerentium rem, & ſacramentum ſimul, tam in hoc ſacramento pœnitentiæ, quam in omnibus alijs non imprimentibus characterem eſſe ornatum, quendam productum in anima recipientis, per quem proprie diſponitur ad gratiam propriam talis ſacramenti ſuſcipiendam.

Hanc refert Diu. Thom. in quarto diſtinctione prima, quæſtione prima, articulo quarto, quæſtiuncula prima, vt communem inter Theologos illius temporis, & illam ſequuntur Paludanus vbi ſupra, & Capræolus in eodem quarto diſtinctione 22. quæſtione prima articulo tertio.

Qui illam probant dupliciter primò argumento communi, quo ſuadent rem, & ſacramentum ſimul debere eſſe in omnibus ſacramentis (vt vidimus, cum de illis in genere ageremus) aut characterem in illis: quæ characterem imprimunt, aut ornatum diſtinctum à charactere in alijs, quæ characterem non imprimunt: cum igitur ſacramentum pœnitentiæ ſit de numero eorum quæ characterem non imprimunt, conſequens eſt, quod debeat imprimere ornatum, qui ſit res, & ſacramentum ſimul.

Secundo arguunt argumento ſpeciali deſumpto ex conditionibus illius, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, quæ non videntur conuenire dolori interno: qui proinde non videtur poſſe eſſe, res, & ſacramentum ſimul, & cum nihil aliud poſsit aſsignari, præter dictum ornatum, conſtat vt in ornatu ſit ponẽdum id quod eſt res, & ſacramentum ſimul in hoc ſacramento.

Argumentum autem ſic confirmari poteſt ſi aliquid eſt res, & ſacramẽtum ſimul præter ornatũ in ſacramento pœnitẽtiæ, maximè dolor internus: ſed iſte nõ poteſt eſſe: ergo. Min. patet, quia cõditiones rei, & ſacramẽti ſunt eſſe effectum cauſatum,

& ſigna-

& ſignatum à ſacramento tantum, & poſteriorem illo; & eſſe cauſam rei tantum, & ſignum illius. Quæ neutiquam conueniunt dolori interno, etenim non eſt poſterior confeſsione, & abſolutione, quin potius illas tempore antecedit, aut ſaltem illas concomitatur, & cum alias ſit pars ſacramenti tantum, nequè poteſt eſſe effectus cauſatus ab illo, aut eius ſignatum, ob defectum realis diſtinctionis, quæ inter cauſam efficientem, & eius effectum; atquè inter ſignum, & eius ſignatum debet reperiri. Ac tandem, nequè eſt cauſa gratiæ, aut eius ſignum, non cauſa, quia in ſacramento informi datur dolor internus ſine gratia, non ſignum, quia non eſt ſenſibilis per ſe, ac proinde, deficit à ratione ſigni ſenſibilis, & ſacramentalis.

Dices: in dolore interno duas inueniri formalitates, ſub quarum vna ſit pars ſacramenti tantum eſtquè ſignum, & cauſa; & ſub altera ſit res, & ſacramentum ſimul; ac proinde ſit effectus, & ſignatum.

Sed contra eſt: nam formalitates doloris interni ſunt iſtæ: nimirum, quod ſit actus ſupernaturalis liberi arbitrij deteſtatiuus peccati, qui tollat affectum peccandi, & qui ſit diſpoſitio ad gratiam ſanantē: ſed ſecundum has omnes eſt pars ſacramēti tantum: ergo ſecundum nullam illarum poteſt eſſe res, & ſacramentum ſimul.

Tertia, & communiter recepta ſententia duab^s elucidatur cōcluſionib^s

39 Tertia, nihilominus ſententia, communiterquè à Theologis recepta aſſerit dolorem internum eſſe rem, & ſacramentum ſimul in hoc ſacramento pœnitentiæ ſub alia formalitate ab illa, ſub qua eſt pars ſacramenti tantum. Quam tuentur cum Magiſtro in 4. diſtinct. 22. cap. vltimo, Albertus art. 6, Bonauentura articulo ſecundo, quæſtione ſecunda, Ricardus, articulo ſecundo, quæſtione prima, Soto vbi ſupra, & Martinus de Ledeſma loco citato, Alenſis tertia parte, quæſtione 60. membro primo, articulo primo, Ferrarienſis quarto contra gentes, capite 72. § *Iſtis præmiſsis*, Diu. Thom. in eodem, quarto diſtinctione 22. quæſtione ſecunda, articulo primo, quæſtiuncula ſecunda, & in hoc articulo ad tertium, Caietanus ibidem, Suarius, diſputatione decima octaua, ſectione quinta, & omnes Thomiſtæ.

Quod in hoc ſacramento, dolor habeat ratione rei, & ſacramēti ſimul.

Pro cuius declaratione, dico primo: dolor internus in ſacramento pœnitentiæ eſt res, & ſacramentum ſimul.

40 Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas priores opiniones. Et contra primam probatur ex communi axiomate Magiſtri in quarto diſtinctione quarta, quod in omni ſacramento nouæ legis diſtinguenda ſunt hæc tria; videlicet ſacramentum tantum, res, & ſacramentum ſimul, & res tantum; approbato ab Hugone Victorino libro de ſacramentis parte octaua, capite tertio, & in capite *cum Martha*, de celebratione miſſarum, & a ſcholaſticis vniuerſim recepto: ergo, & in hoc ſacramento pœnitentiæ hæc opportet aſsignare, & cum præter dolorem internum non ſit aſsignabile id quod eſt res, & ſacramentum ſimul ſequitur in illo conſtituendum eſſe.

Deinde contra ſecundam probatur, nequè conſtituēdum eſſe in ornatu, propter tria. Tum, quia iſte ornatus, nequè in Patribus Eccleſiæ, nequè in concilijs habet fundamentum, neque in doctrina Magiſtri, aut Angelici Doctoris, vt ipſe Capreolus fatetur: ergo non eſt admittendum.

Tum etiam, quia iſte ornatus cum ſit ſupernaturalis, & inſenſibilis per ſe non minus, quam dolor internus nō poteſt ſignificari per aliquod ſignum externum, & multo minus per actus pęnitentis, neque poteſt ſignificare gratiam ſanctificantem: ergo deſunt illi conditiones rei, & ſacramenti ſimul.

Tum denique, quia aut iſte ornatus imprimitur animæ indelebiliter, & permanenter, aut delebiliter, & per modum qualitatis fluidæ, & tranſeuntis, ſiue amiſsibilis: ſi primum, erit character, & ſic ſacramentum pęnitentiæ non eſſet iterabile: quod eſt abſurdum. Si ſecundum, ergo amittitur intra determinatum tempus, & ſine culpa habentis illud: quod tamen derogat dignitati donorum gratiæ, quæ ſine culpa habentis non amittuntur: ſine pęnitudine enim ſunt dona Dei.

Vltimo probatur ratione à priori, nam dolori interno conueniunt conditiones illius, quod eſt res, & ſacramentum ſimul, quia ſignificatur per confeſsionem, & abſolutionem, & quodammodo cauſatur à ſacramento tantum, & quodammodo cauſat gratiam remiſsiuam peccatorum, & illam ſignificat, vt ex ſequenti concluſione patebit: ergo ille eſt res, & ſacramentum ſimul.

Eleganter explicatur formalitas ratione cuius, dolor internus eſt res ſacramenti.

41 Dico ſecundo, dolor internus eſt res ſacramenti ſub ea formalitate, ſub qua eſt diſpoſitio, ſiue phyſica, ſiue moralis, per quam homo diſponitur ad gratiam modalem, & ſacramentalem, quam hoc ſacramentum peculiariter efficit ſupra gratiam habitualem, & iuſtificantem ſimpliciter.

Hæc concluſio eſt expreſſa Caietani, & Ferrarienſis in locis præallegatis, & ſtatuitur aduerſus tres modos dicendi in quos Authores tertiæ ſententiæ diuiduntur, vt explicent has duas formalitates, doloris interni, ſub quarum vna ſit pars ſacramenti; & ſub altera ſit res ſacramenti.

Referuntur tres modi defendendi tertiam ſententiã aduerſus quos ſtatuitur præcedens concluſio.

Alenſis enim, & Bonauentura cum Magiſtro vbi ſupra dicunt, dolorem internum conſideratum, ſecundum ſuam entitatem, & virtutem cauſatiuam, & ſignificationem eſſe partem ſacramenti tantum, rem vero ſacramenti eſſe quatenus ſignificatur per ſacramentum, ſiue per ſignum externum, hoc eſt per externam confeſsionem; ſatis namquè putant iſti Authores, eſſe ad rem ſacramenti, quod ſignificetur, licet non cauſetur per ſacramentum tantum.

Alij verò Iuniores Thomiſtæ dicunt dolorem internum, ſecundum eandem entitatem eſſe partem ſacramenti, & rem ſacramenti, licet cum diuerſis reſpectibus, nam ſecundum ſuam entitatem, eleuationem, & ſignificationem eſt pars ſacramenti tantum, quatenus vero eſt effectus cauſatus, & ſignificatus proximè à ſacramento tantum, eſt res ſacramenti: quod explicant exemplo rami alicuius arboris, qui eſt per ſuam entitatem, ſecundum diuerſos reſpectus pars arboris; & effectus illius, & cauſa fructus.

Alij cum Dominico de Soto dicunt, dolorem internum poſſe conſiderari ſecundum duas formalitates, ſcilicet informis, & formati, eſſequè partem ſacramenti, vt informem, vt formatum vero eſſe rem ſacramenti, quia primo modo eſt pars ſacramenti tantum. Secundo vero modo eſt effectus illius, & cauſatiuus gratiæ remiſsiuæ peccatorum, quem modum dicendi amplectitur Suarius, ſectione citata, §. *clarius*: ſubdens in eius declarationem, quod vel dolor iſte internus in accedente ad ſacramentum pœnitentiæ eſt attritio, & tunc per ſacramentum formatur, quia fit contritio cauſaliter; quatenus ſacramentum facit de attrito contritum habitualiter, ideſt quia cauſat gratiam iuſtificantem, quæ eſt habitualis contritio, ſeu contritio in habitu, vel in radice, & æquiualenter, vel eſt contritio, & tunc per ſacramentum, & eius effectum, ſcilicet gratiam ſanatiuam, fit moraliter dignior, & meritoria gratiæ, & iſto ſecundo modo eſt res ſacramenti. Primo autem modo eſt pars ſacramenti.

Quartus modus dicẽdi vt conformior veritati, & Diu. Th. eligitur.

42 Sed Caietanus, & Ferrarienſis vbi ſupra diſtinguunt triplicem dolorem internum, vnum quidem, qui ſe ſolo ſine ſacramento in rè ſuſcepto valet iuſtificare animam, ideſt iuſtificationis gratiam obtinere. Et hic dicitur à Theologis contritio perfecta; & non eſt res ſacramenti alium, qui nequè cum ſacramento ſufficit obtinere gratiam iuſtificantem, & nequè hic eſt res ſacramenti. Alterum vero, qui cum ſacramento in re ſuſcepto ſufficit gratiam iuſtificantem obtinere: qui dicitur attritio; quæ cum ſacramento facit de attrito contritum in ſenſu explicato. Et hic eſt res ſacramenti, & pars ſacramenti tantum ſecundum diuerſas formalitates, nam & poteſt conſiderari, prout eſt actus pœnitentiæ virtutis, & prout eſt diſpoſitio quædam ad gratiam iuſtificantem abſolutè, & prout per confeſsionem externam exprimitur, & ab illa informatur. Et ſic eſt pars ſacramenti tantum; atquè prout eſt diſpoſitio, ſiue phyſice intenſior; ſiue moraliter dignior, & congruè diſponens ad gratiam modalem, & propriam huius ſacramenti, & ſic eſt res, & ſacramentum ſimul, iuxta quem modum dicendi qui veritati; ac Angelico Doctori conformior eſt.

Probatur primo impugnando tres priores modos dicẽdi.

Probatur noſtra concluſio: Primo impugnando tres priores dicendi modos quorum primus deficit in eo, quod ait ad rẽ ſacramenti ſatis eſſe, quod ſignificetur per ſacramentum tantum, & non opus eſſe quod cauſetur ab illo, cum tamen hoc ſit falſum: nam in omnibus ſacramentis res ſacramenti eſt effectus cauſatus ab eo, quod eſt ſacramentum tantum: ergo idem dicendum eſt de dolore interno ſi ſit res huius ſacramenti.

Deinde ſecundus etiam deficit propter duo.

Tum

Tum, quia admittit eandem rem, ſecundum eandem formalitatem eſſe ſignũ, & ſignatum, eſſe cauſam & effectum ſui ipſius; quod eſt impoſsibile, quia de conceptu ſigni & cauſæ maximè efficientis eſt quod ſit ſignum, & cauſa alterius à ſe.

Tum etiam, quia exemplum rami arboris non eſt ad propoſitum, eo quod ramus non eſt pars productiua, & radicalis totius arboris, neque aliquo modo à ſe ipſo cauſatur, & producitur, ſed à radice, & trunco ipſius arboris: at dolor internus eſt præcipua, & radicalis pars materiæ huius ſacramenti, à qua alij duo actus, nempe confeſsio vocalis, & ſatisfactio oriuntur, & dimanant ſaltim, vt ab imperante, & quatenus eſt diſpoſitio dignior, & congrua ad gratiam; efficitur ſecundum hanc rationem, & formalitatem à cæteris partibus ſacramenti tantum, & à ſe ipſo prout adiungitur illis, & cum eis componit ſacramentum tantum:

Tertius que modus deficit propter tria. Tum, quia Suarius dicit ſe moderari ſententiam Caietani, cum tamen non moderetur, niſi ſententiam Dominici de Soto.

Tum etiam, quia res ſacramenti debet eſſe prior natura, & cauſalitate quam gratia, quæ eſt vltimus effectus ſacramenti. Contritio autem, ſiue attritio prout gratia informata eſt poſterior, quam gratia, & illam ſupponit: ergo vt ſic non eſt res huius ſacramenti.

Tum denique, quia res, & ſacramentum ſimul debet eſſe talis per reſpectum ad gratiam ipſam ſacramentalem: ergo cõtritio, quæ eſt res, & ſacramentum ſimul debet eſſe talis per reſpectum ad gratiam huius ſacramenti: ergo non ſolum per reſpectum ad futuram gloriam, aut quia eſt meritoria gloriæ, vt vult prædictus auctor.

43 Secundò probatur: nam per hunc noſtrum modum congruenter explicatur mens ſancti Doctoris hic ad tertium; dum ait: pœnitentiam interiorem eſſe rem, & ſacramentum ſimul, quia cauſatur ab eo, quod eſt ſacramentum tantum, ſcilicet ab actibus externis pœnitentis, & abſolutione miniſtri, & quia quodammodo eſt cauſa gratiæ, quæ eſt res tantum. Et in quarto diſtinctione 22. quæſtione ſecunda, articulo primo, quæſtiuncula prima dum ait: quod ſacramentum externũ eſt cauſa pœnitentiæ interioris, quatenus perficit illam, tamen ratione diſpoſitionis ad gratiam, quam cauſat ex opere operato.

Tertio probatur ex conditionibus ad rem ſacramenti ſufficientibus, & requiſitis, videlicet, quod ſignificetur, & cauſetur ab eo, quod eſt ſacramentum tantum, & quod aliquo modo ſignificet, & cauſet, id quod eſt res tantum; atqui omnes iſtæ conditiones ſaluantur in dolore interno, quatenus eſt phyſica, ſiue moralis diſpoſitio ad gratiam ſacramentalem, ad gratiam huius ſacramenti: ergo illa vt ſic eſt res huius ſacramenti. Minor patet, quia dolor internus ſatis exprimitur, & ſignificatur per confeſsionem, & abſolutionem, & conſequenter per ſacramentum tantum, ſaltem ſecundum aliquas ſui partes: nimirum ſecundum iſtos actus externos, & ſenſibiles, & à toto ſacramento tantum cauſatur etiam quo ad modalem perfectionem, quam accipit ex coniunctione ad illum; quatenus ex illo accipit phyſicam, ſeu moralem dignitatem diſpoſitionis ad gratiam propriam huius ſacramenti.

Rurſus ſignificat quoque ipſam gratiam, quæ eſt res tantum: quatenus licet ratione ſui ſit dolor inſenſibilis, tamen ratione actus exterioris fit ſenſibilis, & ſic induit etiam rationem ſigni talis gratiæ ſanatiuæ; quam etiam cauſat quodammodo; id eſt diſpoſitiue. Ideò namque Diu. Thom. in dict. ſolutione ad tertium, ait cõſultò; rẽ huius ſacramẽti cauſare gratiam quodammodo, id eſt non effectiuè, ſed tantum diſpoſitiue, licet enim dolor internus, quatenus eſt pars ſacramenti tantum cum cæteris compartibus cauſet gratiam effectiue inſtrumentaliter, tamen quatenus eſt res ſacramenti; ſicut deficit à ratione ſacramenti ſimpliciter, & induit formalitatem aliam, ſcilicet rei, & ſacramenti ſimul, deficit quoquè à cauſalitate effectiua, quæ eſt propria illius, quod eſt ſacramentum tantum, & exercet aliam minus perfectam cauſalitatem, ſcilicet diſpoſitiuam, quam eſſe ſufficientem in eo quod eſt res ſacramenti, patet in ſacramentis imprimẽtibus characterem, qui eſt res ſacramenti, & neque eſt ſenſibilis per ſe, neq; cauſat gratiam effectiue, niſi tãtũ diſpoſitiue moraliter, quatenus ſcilicet, quodam modo diſponit animam recipientis ad congruè gratiam talis ſacramenti recipien-

dam, quamuis cum tali gratia, nec in fieri, nec in conſeruari habeat phyſicam ex natura rei, imo nec ex lege diuina connexionem: poteſt enim, & character baptiſmalis recipi ab adulto ſine gratia, & conſeruari amiſſa gratia, ſemel recepta. Primum patet in eo, qui fictè recipit baptiſmum. Secundum, etiam patet in baptizato non fictè, qui poſtea per peccatum lethale amittit gratiam baptiſmalem retinendo characterem: ergo.

Ocurritur aliquibus obiectionibus.

44 Vltimo probatur ſatisfaciendo quibuſdam obiectionibus, quæ prima facie huic noſtræ aſſertioni obſtare videntur. Prima eſt, quod res ſacramenti debet eſſe poſterior ſacramento tantum: vtpote effectus illius, & inſuper debet eſſe cauſa vlterioris effectus, ſcilicet gratiæ: ſed neutrum habet dolor internus, &c. ergo.

Secunda eſt, quod dolor internus nō habet ex coniunctione ad alios actus externos, ſcilicet confeſsionem, & abſolutionem, aliquam formalitatem dignioris diſpoſitionis ratione cuius extrahatur à ratione ſacramenti tantum, ſiquidem ex tali coniunctione habet, quod ſit pars ſacramenti tantum cum alijs compartibus: ergo.

Tertia eſt, quia hæc formalitas ſuperaddita dolori interno, aut eſt entitas illius, aut maior phiſica intenſio, aut maior dignitas moralis, aut modalis aliqua perfectio, aut ſola coniunctio ad reliquas compartes: nullum iſtorum: ergo nulla poteſt aſsignari formalitas ſub qua ſit res ſacramenti. Minor patet diſcurrendo per ſingulas partes, quod non primum patet, quia entitas ipſa non eſt ſuperaddita dolori interno, ac per conſequens, nequè extrahit illum à ratione partis ſacramenti tantum: quod non ſecundum probatur: quoniam maior intenſio phiſica contritionis, ſiue attritionis, prouenit ex maiori auxilio gratiæ operantis, & ex maiori conatu voluntatis eleuatæ, & non ex ſola coniunctione ad externum ſacramentū pœnitentiæ. Eadem ratione excluditur quartum.

De tertio vero patet, quia hæc maior dignitas moralis, ſine fundamento videtur poni, & ad nullum effectum conducens.

Deniquè quod non quintum probatur, quia ſola coniunctio ad reliquas partes non extrahit talem dolorem à ratione partis ſacramenti tantum: imo per talem coniunctionem conſtituitur pars illius ergo.

Quarta eſt, quod res, & ſacramentum ſimul taliter connectitur cum ſacramento tantum, & ei adequatè correſpondet, vt nequè iſtud ſine illa; nequè illa ſine iſto poſsit vnquam inueniri, vt inductione patet in omnibus alijs ſacramentis, atqui dolor internus poteſt, quandoquè reperiri ſine ſacramento tantum, vt contingit quando quis iuſtificatur per contritionem extra ſacramentum pœnitentiæ in re ſuſceptum; & ſimiliter hoc ſacramentum poteſt valide ſuſcipi, ſine contritione, aut etiam ſine attritione perfecta, vt quando datur ſacramentum pœnitentiæ informe, ob defectum debiti doloris ſupernaturalis: ergo ſignum eſt, talem dolorem non eſſe rem huius ſacramenti.

Vltima eſt, quod in ſacramento matrimonij, & Extremæ vnctionis, nihil datur quod ſit res ſacramenti, ob defectum dictarum conditionum, quæ nequè in dolore interno ſufficienter ſaluantur: ergo nequè iſte eſt res ſacramenti pœnitentiæ, & conſequenter, nequè opportet in illo aſsignare aliquod quod ſit res, & ſacramentum ſimul.

45 Sed ab his vindicatur facili negotio noſtra aſſertio. Ad primā enim obiectionem reſpondetur negando minorem.

Ad ſecundam reſpondetur, dolorem internum habere duplicem coniunctionem cum alijs partibus extrinſecis, confeſsionis, ſcilicet, & abſolutionis, vnam quidem partis materialis, & ex hac habet eſſe compartem ſacramenti tantum, alteram vero effectus ſubordinati ſuæ cauſæ proximæ, & ex hac non habet eſſe compartē, ſed habet eſſe diſpoſitionē digniorē ad gratiā ſacramentalē; & hæc ſecūda cōditio ſupponit primam, vt radicem ſui; ad eum modum quo coniunctio humanitatis aſſumptæ ad Verbum diuinum per gratiam habitualem ſupponit aliam priorem coniunctionem eiuſdem humanitatis ad Verbum, ex qua deriuatur, nimirum coniunctionem per vnionem hypoſtaticam.

Ad tertiam nego minorem, pro tertia parte, quæ nec efficaciter impugnatur, iam enim fundamentum talis moralis dignitatis, & eius cauſalitatem reſpectu gratiæ explicuimus.

Ad quartum autem admiſſa maiori, nego minorem, quia contritio, aut attritio extra ſacramentum in re ſuſceptum, non habent rationem rei, & ſacramenti ſimul, in hoc enim ſenſu authores noſtræ ſententiæ docent contritionem, quæ dicitur ſacramentum in voto non eſſe rem ſacramenti, quando ſcilicet inuenitur extra ſacramentum in re ſuſceptum: alioquin cum ſacramento in re ſuſcepto bene eſt res ſacramenti: Neque admitenda eſt illa opinio quæ dicit hoc ſacramentum poſſe ſuſcipi validè, ſed informe ob defectum ſolius doloris, aut ea admiſſa dices hoc eſſe peculiare in hoc ſacramento, vt poſsit aliquando inueniri ſine re, & ſacramento ſimul, eo quod cum res, & ſacramentum ſimul in illo ſit diſpoſitio ad gratiam, neceſſariam connexionem habens cum illa, ideo qui ficte ſuſcipit hoc ſacramentum, validè tamen; ſicut apponit impedimentum gratiæ recipiendæ, ita, & debitæ diſpoſitioni ad gratiam: imo ipſa fictio in caſu argumenti conſiſtit in carentia debiti doloris ſupernaturalis.

Ad vltimam nego antecedens: nam in ſacramento matrimonij, teſte D. Tho. quæſtion. 42. additionum, artic. 1. ad 5. res ſacramenti eſt vinculum, ſeu obligatio, & nexus inter coniuges ex ipſis conſenſibus expreſsis reſultans. In ſacramento vero Extremæ vnctionis res ſacramenti, teſte eodem D. Thom. quæſtion. 30. art. 3. ad 3. additionum eſt quædam interior deuotio, quæ eſt ſpiritalis vnctio, ſiue hilaritas, & fortitudo, ac robur ſpeciale ad profitendum fidem, & reſiſtendum hoſtibus animæ in vltima lucta. Vnde minus bene innuit Suarius vbiſupra, eſſe ſanitatem corporis, quatenus ſignificat ſpiritualem ſalutem, quoniam nec ſanitas corporalis ſemper cōfertur cum Extrema vnctione, nec eſt quid ſupernaturale, neque cauſat aliquo modo gratiam propriam illius ſacramenti: quæ ſunt conditiones rei, & ſacramenti ſimul.

Dices: videtur non ſatis explicatum eſſe hunc modum ſuperaditum dolori interno ratione cuius dicitur res ſacramenti: neque eius cauſalitas circa gratiam, nā contritio ſiue attritio excitata à ſacramento accipit maiorem feruorem, & intenſionem phyſicam: ergo iſta formalitas ratione cuius eſt res ſacramenti, & effectus ſacramenti tantum eſt maior perfectio phyſica.

Rurſus contritio, ſiue attritio ſic excitata, & mota, à ſacramento tantum: effectiue cauſat gratiam, vt Dei inſtrumentum, ſicut baculus motus à manu phyſice mouet lapidem: id eſt effectiue: ergo ſimiliter & talis dolor effectiue phyſice influit in gratiā, idque videtur innuere, D. Thom. quæſt. 28. de veritate, articulo octauo ad ſecundum: ergo non tantum diſpoſitiue moraliter.

Huic obiectioni quoad ſecundam partem, Caietanus reſpondet, hanc formalitatem in eo feruore, & maiori intenſione phiſica conſiſtere. Ferrara vero ait illam conſiſtere in quodam modo ſuperaddito ipſi dolori illum complente in ratione diſpoſitionis ad gratiam ſacramentalem, ſiue iſte modus ſit phyſicus, ſiue moralis. Suarius autem ait conſiſtere in quadam morali dignitate morali in ordine ad gloriam.

Inter quas opiniones præfertur opinio Ferrarienſis, quam verbis, & ſenſu in diſcurſu huius diſputationis ſequuti ſumus.

Quoad ſecundam vero partem Caietanus eo argumento conuictus videtur contritioni, quatenus eſt res ſacramenti illam cauſalitatem effectiuam gratiæ tribuere. Ferrara vero ſolum ei tribuit cauſalitatem diſpoſitiuam (quidquid obmurmuret Suarius) quæ eſt verior ſententia, & ideo iuxta illam hucuſque diſcurrimus. Neque contrarius eſt D. Thom. in dicto loco de veritate, quia ibi loquebatur, aut de cauſalitate diſpoſitiua de qua loquitur hic ad tertium, dum ait rem huius ſacramenti cauſare gratiam quodammodo: aut loquebatur de contritione, quatenus eſt pars ſacramenti tantum, ſic enim fatemur illam eſſe inſtrumentum diuinæ virtutis ad effectiuè cauſandam gratiam.

Dubium vltimum eſt: An actus pœnitentis ſint materia ſufficiens huius ſacramenti, quando ex ſolis viribus naturæ eliciuntur?

Prima ſententia affirmans, ſuadetur quibuſdam argumentis.

47 IN hoc dubio partiti ſunt Theologi in duas ſententias; aliqui enim ſequuntur affirmãtem moti his argumentis. Primò, quia inter formam, & materiam debet eſſe proportio, tam in naturalibus, quam in artificiatis, ad quod genus expectant ſacramenta, at forma exhibita à miniſtro, ideſt abſolutio poteſt eſſe merè naturalis, vt ſi ſacerdos voluntariè ex motiuo naturali, & ſine auxilio gratiæ, imo ex affectu, & motiuo peccaminoſo, ſcilicet ſolicitandi pœnitentem ad actum turpem, aut vendendi ſacramentum ei abſolutionem impenderet: ergo proportionabiliter materia proxima ſufficiens ad valorẽ huius ſacramenti poterit eſſe purè naturalis: ergo & actus pœnitentis eliciti, ſine auxilio ſuper naturali poterint eſſe materia ſufficiens, ad conſtituendum ſacramentum pœnitentiæ validum: ſuperueniente abſolutione, licet informe.

Secundo arguitur exemplo aliorum ſacramentorum in quibus materia proxima eſt purè naturalis, vt in ſacramẽto baptiſmi ablutio, & in ſacramento Extremæ-vnctionis Vnctio ſunt actus pure naturales, & externi in quibus tamen ſaluatur ſufficiens, ac debita materia proxima horum ſacramentorum: ergo pariter in actibus doloris, & confeſsionis vocalis purè naturalibus ſaluatur materia proxima, & ſufficiens ad conſtituendum verum ſacramentum pœnitentiæ.

Tercio, quia nihil ſupernaturalitatis apparet neceſſarium in actibus pœnitentis ſufficientibus ad validè recipiendam abſolutionem: Nam quod aliquis doleat de ſuis peccatis propter pœnas inferni, vel propter feditatem peccati; vel quia eſt cõtra rationem naturalem, nullatenus excedit facultatem naturæ: ſimiliter, nequè excedit facultatem naturæ, quod pœnitens ex hoc dolore motus pandat ſacerdoti peccata ſua, & adimpleat pœnitentiam ſibi impoſitam: & nihil amplius deſideratur ad veram, & ſufficientem materiam huius ſacramenti: ergo.

Quarto, quia actus pœnitentis merè naturales optime poſſunt eleuari à Deo in ratione partis ſacramenti; & in ratione inſtrumenti phyſici, vel moralis gratiæ ſanctificantis: neque amplius requiritur ad materiam proximam, & ſufficientem ſacramenti: ergo. Minor eſt certa, quia ſacramenta nouæ legis tantum hoc habent, vt ſint ſigna practica, & phiſica, vel moralia inſtrumenta operatiua gratiæ ſanctificantis, compoſita ex materia, & forma; in quibus, & hæc ſignificatio, ac virtus operatiua reperiri debet, vt docuimus cum de ſacramentis in genere ageremus. Maior autem probatur, creatura ordinis naturalis multoties eleuatur à Deo de facto, vt ſit inſtrumentum phyſicè operatiuum effectus miraculoſi ſuper naturalis, & gratiæ ſanctificantis. Id patet, in Chriſti humanitate, & carne, & in aqua baptiſmi, quæ ſunt res ordinis naturalis, & ad prædictos effectus eleuantur à Deo: igitur, & actus pœnitentis merè naturales poterunt eleuari ad hanc dignitatem cauſæ inſtrumentalis gratiæ; nec non ad rationem ſigni illius: cum huiuſmodi autem ſignificatione, & virtute operatiua ſupernaturali, nihil eis deeſt ad conſtituendum verum ſignum cauſatiuum gratiæ, ac proinde ad rationem ſacramenti ſufficiunt: imò ſi actus ſupernaturales ſint, difficile eſt, quod hanc eleuationem ſuſcipiant.

Vltimo arguunt ab inconuenienti: nimirum, quod alias numquam daretur ſacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu debiti doloris: conſequens autem eſt falſum: ergo, & antecedens. Minor patet, quia mirum eſt poſſe dari baptiſmum, qui etiam eſt ſacramentum mortuorum, informe ex defectu doloris in adulto, qui ſine attritione recipit illum, & non poſſe ob ſimilem defectum dari informe ſacramentum pœnitentiæ.

Sequelam autem ſic oſtendo: aut enim quis accedit ad confeſsionem ſacramentalem cum dolore ſupernaturali, aut

cum ſolo dolore naturali, aut ſine vllo dolore prorſus. Si primum recipit verum ſacramentum, nedum validum, ſed etiam formatum, & fructuoſum: Nam, aut iſte dolor eſt perfecta contritio, & hæc ſine dubio, diſponit vltimo, & efficaciter ad gratiam recipiendam, non ſolùm cum ſacramento, ſed etiam extra illud in re ſuſceptum, aut eſt attritio, & hæc cum ſacramento in re ſuſcepto, etiam eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, quia ſacramentum habet virtutem faciendi ex attrito contritum, neque alium dolorem ſupernaturalem de peccatis agnouit Concilium Tridentinum, Seſsion. 14. cap. 4 dum ſic ait: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ declarat non ſolum non facere hominem hipocritam, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tãtũ mouentis, quo pœnitens adiutus viã, ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine ſacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat: tamẽ eum ad Dei gratiam, in ſacramento pœnitentiæ, impetrandam diſponit, &c.*

Præfertur ſecũda ſententia negans.

48 Sed his non obſtantibus ſecunda ſententia communiter à Theologis recepta aſſerit, actus pœnitentis, qui ſunt materia ſufficiens ad validè conſtituendum hoc ſacramentum, eſſe dumtaxat illos, qui procedunt ex diuina inſpiratione, hoc eſt ex dono gratiæ auxiliantis; ac per conſequens qui ſunt ſupernaturales; & quia eſt expreſſa Diu. Thom. ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur primo ex Concilijs Arauſicano, canone 5. diffiniente ipſum credulitatis affectum, quo ad baptiſmum vult homo peruenire, eſſe ex inſpiratione: quod à fortiori dicendum eſt de affectu, & dolore cum quo vult pœnitens ad ſacramentum pœnitentiæ accedere: E: Tridentino Seſsione 6. cap. 6. & cap. 14. determinante modum quo homines per ſacramentum baptiſmi, & pœnitentiæ ad iuſtificationem diſponuntur, medijs actibus timoris, ſpei, doloris, &c. à Deo per gratiam excitante cor hominis præuenientibus: & in Seſsione 14. cap. 4 nuper citato dicitur attritionem requiſitam, & ſufficientem cum ſacramento eſſe ex impulſu Spiritus ſancti.

Secundo probatur ratione deſumpta ex D. Thom. in ſolutione ad primum huius articuli: quæ talis eſt: gratia collata in hoc ſacramento eſt proportionata noſtris actibus, eſt enim ſanitas quædam ſpiritualis adquiſibilis per noſtros actus, ad inſtar ſanitatis corporalis ſe habens, quàm infirmus ſuis actibus adquirit: ſed niſi actus pœnitẽtis eſſent ſupernaturales, aut ex diuinæ gratiæ auxilio nullam cum illis haberet talis gratia ſanatiua proportionem; vtpote, quia gratia iuſtificans nullam habet proportionem cum actibus naturalibus, neque iſti cum illa vllã habent proportionem; neque enim proportionatur ei, vt merita, neque vt diſpoſitiones: alioquin gratia obtineretur ex viribus ſolius naturæ; & ex eiſdem poſſet homo habere initium ſuæ iuſtificationis; qui eſt error Pelagianus; ergo oportet actus pœnitentis eſſe ex auxilio diuinæ gratiæ, vt ſint materia ſufficiens, & requiſita huius ſacramenti.

Tertio probatur, ratione veluti à priori, ex ipſa Chriſti inſtitutione: nam Chriſtus Dominus inſtituit hoc ſacramentum per modum iudicij; per quod & voluit gratiam conferri ſanatiuam, ad inſtar corporalis ſanitatis ſe habentem: nec non quo voluit determinatum tradere in lege noua modum pœnitendi: atqui ex primo, & ſecundo habetur, quod actus in quibus materia huius ſacramenti ſaluatur, debeant eſſe diſpoſitiones ad gratiã ſanatiuam recipiendam; quia actus rei ad formam, ſententiam, & finem iudicij, & actus infirmi ad ſanitatem corporalem obtinendam vere ſunt diſpoſitiones: actus autem, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam maximè proximę, vt ſunt huiuſmodi actus, debent eſſe eiuſdem ordinis cum illa; ex tertio autem habetur, quod ſicut pœnitentia de peccatis, & offenſis contra Deum ſufficiens, & neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem in hoc ſtatu, & lege eſt ſupernaturalis; ita, & modus pœnitendi per ſacramentum, quod eſt determinatio quædam pœnitentiæ ſupernaturalis debet quoque ſupernaturalis eſſe; ergo.

Vltimo probatur à ſigno, & veluti à poſteriori; nam dolor requiſitus, & ſufficiens ad hoc ſacramentum debet excludere affectum peccandi mortaliter, & debet eſſe cum ſpe, veniæ, & ex fide ſupernaturali prouenire, & cum propoſito ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ, vt habe-

tur

tur in Tridentino vbi ſupra, ſed has conditiones habere non poteſt, niſi ſit ſupernaturalis, & à diuina gratia prouenien, cum enim fides, & ſpes, & excluſio affectus peccãdi, atque metus gehennæ, ſiue turpitudinis peccati, prout eſt offenſa Dei ſint principia, & motiua ſupernaturalia conſequenter actus ab illis prouenientes ſupernaturales eſſe debent.

Occurritur argumentis factis pro prima ſententia.

49 Ad primum in contrarium reſpondetur, aut negando maiorem, aut illa admiſſa de proportione morali qualis requiritur inter ſpecies compoſiti artificiati, & pariter admiſſa minori, nego conſequentiam, quia ad abſolutionem validam nulla requiritur ſupernaturalitas, nullave motio Spiritus Sancti, ſicut requiritur ad actus pœnitentis, qui debent eſſe à virtute pœnitentiæ, aut pertinentes ad illam, & ad eius ordinem, vtpote in quibus voluit Chriſtus ſpecialem modum pœnitendi in noua lege iſtituere.

Ad ſecundum admiſſo antecedente nego conſequentiam, quia materiam huius ſacramenti inſtituit Chriſtus Dominus in actibus pœnitentis, quos voluit eſſe ſimul diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem, ac proinde eiuſdem ordinis cum illa.

Ad tertium nego anteced͂es, ad cuius probationem dicendum eſt, dolorem elicitum ex illis motiuis, & ex impulſu Spiritusſancti, eſſe ſupernaturalem, & ſimiliter confeſsionem ex tali dolore procedentem, ſeu regulatam debere procedere ex impulſu Spiritusſancti, & fieri propter ſupernaturale motiuum; quæ proinde debet eſſe ſupernaturalis ſaltem quoadmodum, licet quoad ſubſtantiam, quia actus externus eſt, ſit naturalis.

Ad quartum admiſſo potuiſſe Deum abſoluta potentia eleuare actus naturales, ad cauſalitatem, & ſignificationem huius ſacramenti, tamen ex ſuppoſitione inſtitutionis factæ, qua voluit actus iſtos, ſimul eſſe materiam huius ſacramenti, & diſpoſitiones ad gratiam, debent eſſe actus ſupernaturales modo explicato.

Ad quintum autem neganda eſt ſequela, poteſt enim ſaluari ſacramentum, hoc validum informe, vel cum ſolo dolore naturali, vel cum dolore ſupernaturali non excludente affectum peccati mortalis: quia iſti dolores eſſent ſufficiens materia ad validum ſacramentum conſtituendum, ſed non ſufficiens diſpoſitio ad gratiam obtinendam, vel quod mihi probabilius eſt admiſſa ſequela nego minorem, quoniam ille dolor attritionis imperfectæ ſupernaturalis non valentis excludere affectum peccandi mortaliter, cõmentitius eſt propter duo.

Probabilius eſt nõ poſſe dari dolorẽ ſupernaturalem, qui nõ excludat affectum peccandi.

Tum, quia penitus ignoratus, ne dicam excluſus à patribus Concilij Tridentini in dict. cap. 4. Seſsionis 14.

Tum etiam, quia neutiquam inueniri, aut excogitari poſſunt duæ attritiones ſupernaturales, procedentes ex principijs eiuſdem ſpeciei, tam diuerſæ, vt vna valeat, altera non valeat excludere affectum peccandi lethaliter: cum tamen vtraque ex impulſu Spiritusſancti, & ex metu gehennæ, aut ex affectu vitandæ turpitudinis peccati, vt contra Deum commiſsi procedere debeat, quæ ſunt principia, & motiua eiuſdem ſpeciei, à quibus proinde implicat actus ſupernaturales diſtinctos, ſecundum ſpeci͂e prouenire. Aut quod Spiritusſanctus ſuo ſpeciali, & efficaci impulſu moueret animum hominis accedentis ad ſacramentalem confeſsionem, ad dolorem ſupernaturalem accipiendum de ſuis peccatis mortalibus propter fugiendam gehennam, aut turpitudinem peccati prout eſt offenſa Dei, qui inefficax ſit ad excludendum affectum voluntatis ad peccata. Aut ex quo capite talis inefficacia prouenit in dolore iſto, ſi principium, & motiuum ſupernaturalia ſint, & eadem cum illis, à quibus attritio efficax ad excludendum talem affectum, prouenit?

ART.

ART. II.

Vtrum peccata ſint propria materia huius ſacramenti?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod peccata non ſint propria materia huius ſacramenti. Materia enim in alijs ſacramentis per aliqua verba prolata ſanctificatur, & ſanctificata effectum ſacramenti operatur. Peccata autem non poſſunt ſanctificari, eo quod contrariantur effectui ſacramenti, qui eſt gratia remittens peccata. Ergo peccata non ſunt materia propria huius ſacramenti.

2 Præterea, Auguſtin * dicit in lib. de pœnitent. Nullus poteſt inchoare nouam vitam, niſi eum veteris vitæ pęniteat. Sed ad vetuſtatem vitæ pertinent non ſolum peccata, ſed etiam pœnalitates præſentis vitæ. Non ergo peccata ſunt propria materia pœnitentiæ.

Cap. 2. non longe a prin to. 9.

3 Præterea, Peccatorum quoddam eſt originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Sed pœnitentiæ ſacramentum non ordinatur cõtra originale peccatum, quod tollitur per baptiſmum; neque cõtra peccatum mortale, quod tollitur per cõfeſsionem peccatoris; nec etiam cõtra veniale, quod tollitur per tunſionem pectoris, & per aquam benedictam, & alia huiuſmodi. Ergo peccata non ſunt propria materia pœnitentiæ.

Sed contra eſt, quod Apoſtol. dicit 2. Cor. 12. Non egerunt pęnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quã geſſerunt.

Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt materia, ſcilicet proxima, & remota: ſicut ſtatuæ proxima materia eſt metallum, remota vero aqua, dictum eſt autem, * quod materia proxima huius ſacramenti ſunt actus pœnitentis: cuius materia ſunt peccata, de quibus dolet, & quæ confitetur, & pro quibus ſatisfacit. Vnde relinquitur, quod remota materia pœnitentię, ſunt peccata, non acceptanda, ſed deteſtanda, & deſtruenda.

A. præc. ad 1. & 2.

Ad primum ergo dicẽdum, quod ratio illa procedit de proxima materia ſacramenti.

Ad ſecundum dicendum: quod vetus, & mortalis vita eſt obiectum pœnitentię, non rationẽ pęnæ, ſed ratione culpæ annexæ.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia quodammodo eſt de quolibet peccatorum genere: non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali, eſt pœnitentia proprié, & principaliter. Propriê quidem, quia proprie dicimur pęnitere de his quę noſtra voluntate cõmiſimus. Principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis, hoc ſacramentum eſt principaliter inſtitutum. De peccatis autem venialibus eſt quidem pœnitentia propriê, in quantum ſunt noſtra voluntate facta: non tamen cõtra hęc principaliter eſt hoc ſacramentum inſtitutum. De peccato vero originali, pęnitẽtia nec principaliter eſt, (quia cõtra ipſum nõ ordinatur hoc ſacramẽtũ, ſed magis baptiſmus) nec etiã proprie: quia peccatum originale nõ eſt noſtra voluntate peractum, niſi forte in quantum voluntas Adæ reputatur noſtra, ſecundum modum loquẽdi, quo Apoſt. dicit Rom. 5. In

que

quo omnes peccauerunt in quantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacunque deteſtatione rei præteritæ, poteſt dici pœnitentia de peccato originali: ſicut loquitur Auguſt. * in lib. de pœnitentia.

RESponſum ſancti Doctoris eſt, actus pœnitentis, ſcilicet, confeſsionem, dolorem, & ſatisfactionem eſſe materiam proximam huius ſacramenti; peccata autem, vt deſtruenda, & deteſtanda eſſe materiam remotam dumtaxat: mortalia, quidem neceſſariam, venialia vero ſufficientem; ſed originale neutiquam eſſe materiam illius.

In cuius doctrinæ elucidatione tria à Theologis in controuerſiam vocari ſolent: nimirum, quo pacto ſint peccata actualia materia remota huius ſacramenti? Et quæ peccata actualia ſint huiuſmodi materia? Commiſſa ne ante, vel poſt baptiſmum? Ac tandem: An talis materia ſaluetur in peccato, quod cum re vera nullum ſit, exiſtimatur tamen certum?

Quæ proinde à nobis ſingulis dubijs examinanda ſunt.

Dubium primum eſt: An peccata ſint materia remota neceſſaria, vel ſufficiens huius ſacramenti, ita vt in remedium illorum fuerit inſtitutum?

Refertur error ſectariorum negantiū peccata actualia eſſe materiā remotā, nedū neceſſariam ſed neq; ſufficiente hui⁹ ſacramenti.

1 IN hoc dubio, ſoli ſectarij, qui negant ſacramentalem, & auricularem confeſsionem ex caluina ſtirpe, conſequenter negant illam eſſe in remedium peccatorum inſtitutam à Chriſto Domino: aut hæc eſſe illius materiam neceſſariam, ſiue etiam ſufficientem.

Quorum placitum poteſt ſuaderi. Primo, quia peccator eſt materia remota huius ſacramenti: ergo non peccata, ſiquidem nequit idem ſacramentū habere duas materias remotàs. Antecedens autem videtur eſſe Angelici Doctoris, opuſculo 22. cap. 4. aſſerentis peccatorem eſſe materiam ſacramenti pœnitentiæ: & cum nō loquatur de materia proxima, fit intentum.

Secundo, quia aliàs peccata concurrerent effectiuè, vt inſtrumentum diuinæ virtutis ad conferendam gratiam ſanatiuam: conſequens autem eſt abſurdum: ergo, ſequela patet: nam propterea aqua baptiſmi eſt inſtrumentum diuinæ virtutis effectiuè concurrens ad gratiam regeneratiuam, quia eſt materia remota baptiſmi, ac proinde dum eleuatur ablutio, quæ eſt materia proxima ad talem cauſalitatem, neceſſe eſt, & ipſam aquàm eleuari, quæ eſt materia remotà.

Tertio, quia alias idem peccatum, ſemel remiſſum in vna confeſsione, nō poſſet ſubſterni in altera, tamquam materia illius: vtpote, quia iam eſt deſtructum: & forma abſolutionis tunc non verificaretur, maximè ſi pœnitens non confiteretur aliud peccatum, præter illud quod eſt iam remiſſum: nam tunc falſa eſſet hæc forma: *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, quia iam pœnitens ſupponitur ab illis omnibus abſolutus; & quia eſſet actum iterum agi, quod repugnat materijs ſacramentorum: propterea enim idem panis iam conſecratus, nequit iterum conſecrari, quia eſt materia remota Euchariſtiæ, quæ ſemel conſecrata, nequit iterum conſecrari: ergo neque peccata ſemel abſoluta poſſunt iterum abſolui, ſi ſint materia remota pœnitentiæ: conſequens autem eſſe falſum: patet experientia hominum iuſtorum, & timoratæ conſcientiæ, qui ſæpius de eiſdem peccatis confitentur.

Statuitur catholica ſententia aduerſus ſectarios

2 Sed his non obſtantibus, communis, & catholica ſententia, à nobiſquè amplectenda aſſerit, peccata actualia eſſe materiam remotam huius ſacramenti neceſſariam quidem ſi mortalia ſint, & ſufficientem ſi ſint venialia. Quam cum Diu. Thom. probant in hoc articulo omnes interpretes. & cum Magiſtro in 4. diſtinct. 14. Soto ibi quæſtion. 1. artic. 2. & lect. 2. & 3. de pœnitentia, & Medina Complutenſis com. de pœnitentia, quæſt. 2.

Suadeturque primo ratione qua vtitur Diu. Thom. ſub hac forma: Actus pœniten-

nitentis, videlicet dolor, & confeſsio, & ſatisfactio ſunt materia proxima huius ſacramenti, quæ & verſantur circa peccata, vt deſtruenda: ergo & peccata ſunt materia circa quam, ac per conſequens ſunt materia remota.

Secundo probatur ratione veluti à priori ex ipſa Chriſti inſtitutione deſumpta: nam Chriſtus Dominus inſtituit hoc ſacramentum per modum iudicij: in quo proinde debet eſſe accuſatio doloroſa ordinata ad obtinendam remiſsionem peccati: ergo peccatum eſt materia remota huius iudicij, ideſt circa quam deſtruendam verſatur, & ſupra quam cadit ſententia abſolutionis; quemadmodum ligna ſunt materia ignis, per illum ſcilicet comburenda, & homo eſt materia odij, & homicidij, qui ſcilicet ex odio eſt occidendus.

Occurritur argumentis ſectariorum

3 Ex his reſpondetur ad argumenta ſectariorum. Ad primum quidem, aut dicendum eſt cum Gabriele, quod illa propoſitio: *Peccator eſt materia ſacramenti pœnitentiæ*, eſt impropria; ita tenet Gabriel in 4. diſtinct. 14. quæſtion. 2. artic. 1. aut cum Abulenſi ſuper caput 16. Matthæi, quæſtion. 45. quod eſt propria, in alio tamen ſenſu longe diuerſo à noſtro, ſcilicet, quia peccator eſt materia ſacramenti pœnitentię, non ex qua componitur, quia ſic ſunt actus pœnitentis, neque circa quam deſtruẽdam verſatur, quia ſic materia ſunt peccata, ſed in qua, ideſt ſubiectum in quo recipitur ſacramentum pœnitentiæ, & in hoc ſenſu intelligenda eſt propoſitio Angelici Doctoris.

Ad ſecundum nego ſequelam: quoniam materia remota deſtruenda per ſacramentum non manet in illo, vt ad eius eleuationem ipſa poſsit eleuari ad rationem ſigni, & cauſæ gratiæ: & talis materia ſunt peccata: bene autem materia illa remota, quæ manet in ipſo ſacramento, inſeparabiliter incluſa in eius materia proxima, cuiuſmodi eſt aqua, quæ intrinſece, & inſeparabiliter manet incluſa in ablutione; ac per cõſequens ad huius eleuationem illa quoquè eleuatur.

Ad tertium neganda eſt ſequela, quia licet panis ſemel conſecratus ob eam rationem non poſsit iterum cõſecrari, eo quod nequè apponitur ibi noua materia proxima, ſupra quam cadat noua forma conſecrationis, tamen circa idem peccatum ſecũda vice confeſſum poteſt cadere noua forma abſolutionis, quia apponitur noua materia proxima, ſcilicet noua cõfeſsio, cum nouo dolore: vbi autem iteratur materia proxima, poteſt quoque noua forma iterari, ac repeti, quia iam non eſt actum agere, ſed nouum agere, quod nõdum actum fuerat. Verificatur autem tunc iſta noſtra forma: *Ego te abſoluo*, quia facit hunc ſenſum: ego tibi confero gratiam de ſe remiſsiuam peccati: aut etiam iſtum, ego impendo tibi formam abſolutiuam peccati: quia etiam in hoc caſu verificatur illud dialecticum axioma, verba in diffinitione, non dicunt actum, ſed aptitudinem.

Dubium ſecundum eſt: An ſola illa peccata, quæ fuere commiſſa poſt baptiſmum, ſint materia ſacramenti pœnitentiæ.

Communis ſuppoſitio aſſerit, quod peccata ante baptiſmũ cõmiſſa non ſunt materia huius ſacramenti.

4 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in duobus; & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem primo in hoc, quod peccata ante baptiſmum commiſſa nõ ſint materia huius ſacramenti.

Hæc ſuppoſitio eſt adeò certa, vt oppoſitum ſine errore in fide ſuſtineri nequeat; vt videre eſt apud Sotum in 4. diſt. 14. quæſtion. 1. art. 1. Petrum de Soto, lection. 2. & 3. de pœnitentia. Medinã Cõplutenſem, Co. de pœnitentia, tit. 1. quæſtion. 2. Suarium hic diſputatione 18. ſection. 1. & Valentiam, diſputat. 7. quæſt. 1. puncto 2. & ſuadetur primo, ex Concilio Tridentino, Seſſ. 14. cap. 1. dicentẽ ſacramentum pęnitentiæ fuiſſe à Chriſto inſtitutum in illis verbis: Ioannis 20. *Quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* In quibus traditur ſacerdotibus poteſtas iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis: ſed hæc poteſtas non extenditur ad peccata contracta ante baptiſmum; quia ſunt extra Eccleſiam; & teſte Paulo 1. ad Corinthios 5. *Quid mihi de his, qui foris ſunt iudicare?* Vnde, & idem Tridentinum Seſſ. 6.

cap.

Digitized by Google

cap. 14. decreuerat ſacramentum pœnitentiæ fuiſſe inſtitutum contra ſola peccata commiſſa ab hominibus baptizatis.

Secundo probatur, quia tam ſacramentum pœnitentiæ, quam omnia alia, ſupponunt baptiſmum in re ſuſceptum ex ipſa Chriſti inſtitutione; qua voluit baptiſmũ eſſe ianuam omnium ſacramentorum: ergo nequit ſacramentum pœnitentiæ extendi ad peccata ante baptiſmum; neque poteſt impendi homini nõ baptizato. Eo vel maximè, quia per baptiſmũ cuius gratia eſt regeneratiua, fit plena remiſsio peccatorum quoad culpas, & pœnas: ac proinde nihil relinquitur remittendum per ſubſequens ſacramentum.

Tertio probatur ſatisfaciendo duabus obiectionibus, quæ huic noſtræ ſuppoſitioni obſtare videntur.

Prima eſt, quia de peccato ipſo originali, Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnitentia, cap 8. & lib. de medicinali pœnitentia cap. 2. & D. Thom. hic ad 3. & in 4. diſt. 14 queſt. 1. art. 2 quæſtiuncula 2. dicunt quod eſt materia pœnitentiæ, quia de illo homo tenetur pœnitere, & habere deteſtationem: ergo à fortiori idem dicendum eſt de peccatis actualibus propria voluntate commiſſa ante baptiſmum.

Secunda eſt, quia omne peccatum, quod eſt materia virtutis pœnitentiæ pariter poteſt eſſe materia ſacramenti pœnitentiæ, eo quod Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, vt in illo, & per illud præberet hominibus in lege gratiæ nouum, ac determinatum modum pœnitendi, vt ſæpius dictum eſt: atqui de peccatis actualibus commiſsis ante baptiſmum, poteſt eſſe virtus pœnitentiæ: ergo & ſacramentũ pœnitentiæ. Minor probatur: tum ex illo actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* quo denotatur prius agendam eſſe pęnitentiam, de peccatis ab adultis, quam accedant ad baptiſmum.

Tum etiam, quoniam de talibus peccatis, vtpotè commiſsis propria voluntate poſſunt homines adulti habere odium, ac deteſtationem, ſiue dolorem contritionis, qui eſt actus pœnitentiæ virtutis, imo debent habere attritionem, vt ritè accedant ad baptiſmum, & in caſu neceſsitatis, verbi gratia in articulo, ſeu periculo mortis tenetur de peccatis habere contritionem cum voto, ſeu deſiderio baptiſmi: ergo.

Defenditur modus lo-quendi, D. Tho. ab increpatione Medinæ Cõplutenſis.

Ad primum enim reſpondetur, quod licet Medina vbi ſupra, quæſtion. 3. carpat modum loquendi S. Thom. eo quod aliàs (ait ille) etiam homo teneretur pœnitere huius vitæ mortalis, ſiquidem etiã eſt illi impedimentum ne ad gloriam perueniat: quod tamen non eſt dicẽdum, &c. tamen D. Thom. imitatur modum loquendi parentis Auguſtini, qui verus eſt propter duo.

Tum, quia largè loquuntur de pęnitentia ſumpta pro deteſtatione quadam, & non pro dolore, qui habetur de peccato per propiam voluntatem commiſſo.

Tum etiam, quia quando dicunt hominem teneri pęnitere de peccato originali, loquũtur de neceſsitate ſpecificationis, ideſt quod ſi homo debet habere actum aliquem circa originale peccatum; talis actus debet eſſe non approbationis, & complacentiæ, ſed deteſtationis, & diſplicentiæ. Neque valet inſtantia adducta à Medina, nam aliter vita mortals eſt impedimentum, atquè peccatum originale; illa enim eſt impedimentum, quatenus retardat hominem à conſequutione gloriæ, iſtud verò quatenus per ſuos effectus ignorantiæ, concupiſcentiæ, &c. poteſt eſſe homini occaſio ſimpliciter amittendi gloriam.

Ad ſecundam nego maiorem. Ad cuius probationem dicendũ eſt, quod latius ſe extendit virtus pœnitentiæ, quam ſacramentum pęnitentiæ: illa enim poteſt ſe extendi ad quæcumque actualia peccata cõmiſſa propria voluntate, etiam ante baptiſmum: iſtud ſolum ad commiſſa poſt baptiſmum: eo quod ſupponit illum, & dicit ordinem ad claues Eccleſiæ, ac per conſequens tantum determinat modum pœnitẽdi in ſubiecto capaci, hoc eſt in illo, qui eſt intra ianuam Eccleſiæ, & ſubiectus poteſtati, & iuriſdictioni traditæ ſacerdotibus: nihilominus adulti accedentes ad baptiſmum, vt ritè illum ſuſcipiant teneantur pœnitentiam aliquam habere, ideſt attritionem; quæ eſt pœnitentia imperfecta de qua intelligitur locus ille, Actorum 2. & Auguſtin. in loco nuper allegato, ex libro de Medicina pœnitentiæ, dum ait, neminem poſſe nouam vitam inchoare, niſi quem veteris vitæ pœniteat.

Corollariũ

Hinc colligo falſam, & reſpuendam eſſe ſententiam Richari in 4. diſtinct. 27. artic. 2. quæſtion. 2. & Angeli, verbo, *baptiſmus*. 6. §. vltimo, & verbo *confeſſio*, §. 2. qui ab hac communi ſuppoſitione recedentes dicunt peccata commiſſa ante

bap-

baptiſmum eſſe materiam confeſsionis, hominemquè iure diuino teneri illa confiteri ſacerdoti. Neutrum enim dictum ſuſtineri poſſe, & vtrumquè eſſe in fide periculoſum conſtat ex dictis.

Suppoſitio ſecunda tenens omnia peccata commiſſa poſt baptiſmum eſſe materiã neceſſariã, vel ſufficiẽtem huius ſacramenti.

5 Conueniunt ſecundo in eo, quod omnia peccata commiſſa poſt baptiſmum, ſunt materia ſufficiens, aut etiam neceſſaria ſacramenti pœnitentiæ.

Hæc communis ſuppoſitio declaratur ſic: aut peccata commiſſa poſt baptiſmum ſunt venialia, aut mortalia iam confeſſa, & remiſſa, aut mortalia nondum confeſſa, nec remiſſa in ſacramento, de peccatis igitur primi; & ſecundi ordinis aſſerimus eſſe materiam ſufficientem ſacramenti pœnitentiæ: de peccatis vero tertij dico eſſe materiam neceſſariam illius. Et in hoc ſenſu procedit noſtra ſuppoſitio, & probatur ſigillatim quoad ſingulas partes.

Quoad primam quidem de peccatis venialibus eſſe materiam ſufficientem probatur ex Tridentino, Seſsione 14. cap. 5. & canone, id deffiniente. Ex Leone 10. in bulla contra Lutherum, circa damnationem articuli octaui. Ex Gelaſio Papa de vinculo anathematis, & ex vſu ac communi Eccleſiæ cõſenſu, & traditione, quæ ortum duxit ex illo, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur iis, &c.* In quibus verbis Chriſtus tradidit ſacerdotibus poteſtatem abſoluendi à peccatis, quibuſcumque, ſed peccata venialia verè ſunt peccata, vt docuimus cum D. Thom. 1. 2. quæſt. 88. de quo etiam videndus eſt Vega, lib. 13. in Concilium, cap. 3. igitur pro conſtanti tenendum eſt venialia peccata eſſe materiam ſufficientem ſacramenti pœnitentiæ, ſed non neceſſariam, eo, quod non indigent ad ſui remiſsionem ſacramento pœnitentiæ in re ſuſcepto, nequè etiam illius voto, aut deſiderio, quia ſine illo poſſunt pluribus alijs modis remitti.

Deinde ſecunda pars, ſcilicet quod peccata mortalia, ſemel rite confeſſa, & remiſſa, etiam ſola ſint materia ſufficiens huius ſacramenti, licèt negetur à Ricardo in 4. diſtinction. 18. art. 2. quæſtion. 4. & Guillelmo de Rubione, diſtinction. 15. quæſtion. 2. tamen eſt omnino certa, & communi Eccleſiæ vſu, ac conſenſu confirmata: & probatur primo, ex prima extrauagante de priuilegijs in qua Benedictus ſecundus ait: huiuſmodi confeſsionem eſſe ſalutarem, & ſalubrem, & vtilem confeſsionem.

Secundo ex ipſa Chriſti inſtitutione, qui dum hoc ſacramentum inſtituit in prædicto Ioannis teſtimonio dedit ſacerdotibus poteſtatem abſoluendi à peccatis quibuſcumquè ſine limitatione vlla: vbi autem lex maximè fauorabilis non limitat, aut reſtringit, nequè nos limitare, aut reſtringere debemus.

Tertio probatur ex fine huius ſacramenti, qui eſt vtilitas, & maior ſecuritas conſcientiarum, atquè maior ſanitas animarum, & à peccatis abundantior iuſtificatio, ad hos autem fines conſequendos cõſentaneum eſt, quod peccata mortalia, ſemel ritè confeſſa, nedum coniuncta alijs, ſed etiam ſola iterum, atquè iterum confeſſioni ſubdantur, eo vel maximè, quia virtus pœnitentiæ ſuis actibus poteſt pluries eadem peccata deteſtari, & repetito dolore contritionis illa ſæpius compenſare: iſti autem actus repetiti poſſunt fieri materia ſacramenti pœnitentiæ: ergo huiuſmodi peccata mortalia; ſemel rite confeſſa poſſunt repetitis nouis actibus doloris, aut confeſsionis venire ad hoc ſacramentum, tamquam materia ſufficiens, nedum propter reatum pœnæ forte ex illis relictum, ſed maxime propter culpam de nouo confeſſam (ſuppono, namquè materiam huius ſacramenti iudicij, circa quam directè verſatur poteſtas iuriſdictionis ſacramentalis abſoluendi à peccatis data à Chriſto Domino eſſe culpam, & non reatum pœnæ temporalis) non autem ſunt materia neceſſaria, quia iam ſunt remiſſa, & clauibus Eccleſiæ ſubiecta; vt colligitur ex dicta extrauaganti Benedicti vndecimi.

De quo argumento videndi ſunt Caietanus, tom. 1. opuſculor. tit. 5. de confeſsione, quæſt. 4. & Medina Complutenſis, tit. 3. de pœnitentia, quæſtione de fructu iterandi confeſsionem.

6 Deniquè tertia pars noſtræ ſuppoſitionis: nimirum, quod peccata mortalia commiſſa poſt baptiſmum ſint materia ſufficiens, & neceſſaria huius ſacramenti, probatur, quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt per modum iudicij ad abſoluendum de peccatis hominis baptizati exiſtentis intra ianuam Eccleſiæ, nec non ad conſtituendum in illo, & per illud nouum modum pœnitendi de peccatis commiſsis propria voluntate, quæ proinde ſunt actualia: igitur omnia peccata

mor-

mortalia commiſſa propria volũtate poſt baptiſmum, & ſola illa, quæ ſunt hominis baptizati, ſunt materia nedum ſufficiens, ſed etiam neceſſaria huius ſacramenti, vtpote, quia ſine illo in re, aut in voto remitti non poſſunt, de quo propterea dicitur, Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam feceritis omnes ſimul peribitis.*

Quæ ratio amplius confirmatur ex eo, quod hoc ſacramentum eſt neceſſariũ ad ſalutem neceſsitate medij, aut ſaltem neceſsitate præcepti; vt infra oſtendemus: atqui non eſt neceſſarium propter ſola venialia peccata, quæ alijs modis remitti poſſunt, & quia ſalutem non impediunt; vtpote cum ſint cum gratia iuſtificante compatibilia: Nequè propter originale, quod cum non ſit contractum propria perſonali voluntate non eſt materia pœnitentiæ, nequè propter mortalia commiſſa ante baptiſmum, ſeu hominis nondum baptizati, qui clauibus Eccleſiæ non eſt ſubiectus: Nequè propter mortalia commiſſa poſt baptiſmum iam ritè confeſſa, & remiſſa: ergo eſt neceſſarium propter omnia, & ſola peccata lethalia actualia hominis baptizati nondum ritè confeſſa: ergo iſta ſunt materia neceſſaria huius ſacramenti; non quia neceſſario ſint facienda: ſed quia ſemel facta indigent ſacramentali confeſsione ex ipſa lege Dei, qui ordinauit in hoc ſtatu Euangelij, hoc medio, & non alio de huiuſmodi peccatis obtinendam fore remiſsionem. Quid ſi adultus inueniretur cum ſolo peccato originali, & veniali actuali; poſſet ne iuſtificari ſine ſacramento pœnitentiæ?

Reſpondeo caſum non admitti à D. Thom. 1. 2. quæſt. 89. art. 6. ſed illo admiſſo poſſet iuſtificari talis homo per ſolum deſiderium baptiſmi.

Expenditur ſtatus queſtionis

7 His itaquè ſuppoſitis, vt explicent Theologi, an hæc peccata mortalia, quæ ſunt materia neceſſaria ſacramenti pœnitentiæ ſint ſola illa, quæ ſupponũt hominem baptizatum: aut etiam illa quę ſimul tempore cum baptiſmo: aut in eius receptione committuntur: diuiſi ſunt in duas ſententias.

Prima eſt Caietani, ſupra quæſtion. 69. art. 10. Petri de Soto, lectione 4. de baptiſmo, & Suarij hic diſputat. 28. ſectione 1. aſſerentium ex peccatis quæ cõmittuntur in receptione baptiſmi, ſolam fictionem pertinere ad ſacramentum pœnitentiæ, & remitti per illud: reliqua vero pertinere ad ipſum baptiſmum, & per illũ remitti.

Quam ſuadent primo ex D. Thoma qui in dicto art. 10. quæſt. 69. ait recedente fictione remitti per baptiſmum omnia alia peccata antecedentia, & ſimul exiſtentia cum baptiſmo: hæc autem ſunt illa quę cõmittuntur in inſtanti terminatiuo baptiſmi, aut quæ durant, vſquè ad illud incluſiue: ergo.

Secundo, quia nulla eſt ratio excipiendi huiuſmodi peccata à doctrina generali Conciliorum, & Patrum aſſerentium per pœnitentiam remitti ſolum lapſum poſt baptiſmum: ſicut eſt ratio ſpecialis excipiendi fictionem, quæ ponit obicem gratiæ baptiſmali: ergo. Antecedens patet pro prima parte: talia peccata, nequè habent repugnantiam cum baptiſmo, aut gratia illius: cum non ſint fictio illius, nequè ſint poſt baptiſmum ſuſceptum, quoniam non ſunt poſt inſtans completiuum baptiſmi: ſi enim homo tunc moreretur, non moreretur baptizatus, nequè ſaluaretur.

Præterea, quia ſufficeret ſola attritio remouere illa peccata, vel etiam acceſſum neutrum ad baptiſmum: Rurſus, quia omnis voluntarius obex gratiæ ſacramẽtali appoſitus, vt ſic eſt peccatum lethale, ac proinde nequit tolli, niſi per gratiam: ergo debet tolli per primam gratiam, ſcilicet baptiſmi: alias ſimul intelligeretur obex gratiæ, & gratia baptiſmalis ante aduentum gratiæ ſacramenti pœnitentiæ: quod eſt falſum. Et tandem, quia fictio durans ante vltimũ inſtans baptiſmi, etiã pertinet ad baptiſmum: ergo à fortiori idẽ dicendum eſt de alijs peccatis tunc exiſtentibus.

Præfertur ſententia aſſerens peccata exiſtentia in illo inſtanti terminatiuo pertinere ad ſacramentũ pœnitentiæ

8 Secunda ſententia, & verior aſſerit nedum fictionẽ, ſed etiam alia peccata tunc commiſſa, & exiſtentia in illo inſtanti terminatiuo pertinere ad ſacramentum pœnitentiæ. Quam tuentur Scotus, in 4. diſt. 14. quæſt. 5. Sotus diſt. 6. quæſtion. 1. art. 8. Durandus, diſt. 4. quæſt. 4. Valencia in hac 3. part. diſp. 4. quæſt. 4. punto 2. & alij Thomiſtæ.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur, nam eadem ratio militat de iſtis peccatis, atquè de peccato fictionis: hoc autem tolli per ſacramentum pœnitentiæ, & ad illud pertinere, eſt

commu-

communis ſententia, a qua nullus recedit, vtpote cum ſit expreſſa, Auguſtin. lib. 1. contra Donatiſtas, cap. 12. & refertur de conſecratione, cap. *tunc valere incipit*, dicentis: *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus ficte receptus, quando fictio veraci confeſſione recedit*: neque non Angelici Doctoris in dicto art. 10. quæſt. 69. in ſolutione ad ſecundum dicentis: fictionem non deleri per baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem. Minor autem oſtenditur multipliciter: tum quia illa peccata, prout ſunt in illo inſtanti terminatiuo, etiam habent repugnantiam cum gratia baptiſmali de facto: & eam impediunt, & ideo debent pandi in confeſſione.

Tum etiam, quia prout ſunt in inſtanti terminatiuo, ſunt poſt baptiſmum: nam baptiſmus terminatur extrinſecè, eo quod deſinit eſſe per primum non eſſe: ita vt ſit verum dicere, nunc non eſt baptiſmus, & immediatè ante hoc inſtans, erat baptiſmus: ergo illud inſtans terminatiuum iam ſupponit baptiſmum ſuſceptum.

Tum denique, quia illa peccata ſunt hominis iam exiſtentis intra Eccleſiam, vtpote, quia ſunt hominis iam baptizati: omnia autem peccata commiſſa ab homine intra Eccleſiam, pertinent ad claues Eccleſiæ, ac proinde ad ſacramentum pœnitentiæ: ergo.

Soluũtur argũmenta contrariorum.

9 Ad primum autem in contrarium reſpondetur, quod D. Thomas per peccata ſimul exiſtentia cum baptiſmo intellexit illa, quæ duratione temporis concomitantia ſunt ipſam baptiſmi ſuſceptionem: & concomitantur ante eius inſtans terminatiuum: nomine autem fictionis intellexit, quodcumque aliud peccatum exiſtens intra inſtans terminatiuum: quod eſt materiale, & ſubſtractum ipſius fictionis, verbi gratia, habet quis accedens ad baptiſmum in ipſo inſtanti terminatiuo odium proximi, vel affectum ad concubinam, vel vtrumquè ſimul: hoc peccatum eſt in duplici ſpecie: eſt enim in ſpecie odij, vel luxuriæ, & eſt ſimul in ſpecie ſacrilegij, quatenus ponit obicem gratiæ baptiſmi, & eſt indigna ſuſceptio ſacramenti: reſpectu cuius malitiæ, prima dicitur materialiter ſe habere: igitur dicimus vtramquè malitiam nomine fictionis à D. Thoma fuiſſe ſignatam: & ideò vtramquè pandendam eſſe in confeſſione, vtpote ad pœnitentiæ ſacramentum pertinentem.

Ad ſecundum nego antecedens, ad cuius probationem patet ex dictis.

Ad tertium nego maiorem: quia illud inſtans, quoad entitatem, & ſucceſſionem motus eſt poſt baptiſmum, Sed non quo ad vltimum complementum, quod in ſucceſsiuis eſt extrinſecũ. Vnde, & in illo dicimus ſupradicta ſacramẽta cauſare ſuos effect⁹: ex quo fit hominẽ qui moreretur in illo inſtanti, mori non baptizatũ: quia deſinit eſſe extrinſece ſic, nunc nõ eſt homo, & immediate ante hoc erat: cum ergo non durauerit, vſquè ad illud inſtans incluſiue, neque accipit complementum vltimum baptiſmalis ablutionis: ac per conſequens decederet non baptizatus.

Secundo reſpondent alij dicentes in eo caſu talem hominem accepiſſe baptiſmũ, ſed non eius effectum, quem debebat cauſare in illo vltimo inſtanti. Nequè inconuenit dari tunc ſacramentum inane, & informe ob defectum ſubiecti, quia homo mortuus incapax eſt recipiẽdi effectum ſacramenti.

Sed præfertur prima ſolutio: abſurdum enim eſt admittere verum ſacramentum baptiſmi, abſquè ſuo effectu: & tunc impediri ſine culpa recipientis.

Ad quartum reſpondet Paludanus in 4. diſtinction. 4 quæſtion. 5. quod in illo caſu ſola attritio, vel ſacramentum pœnitentiæ cum ſola attritione eſt ſufficiens remouere obicem, ſiue fictionem, quæ ſolum conſiſtit in defectu attritionis: ob quem talis homo indigne ſuſcepit baptiſmum: & ſic hoc ordine ſe habent iſti ſacramentorum effectus: vt primo ſacramentũ pœnitentiæ cum attritione remoueat obicem fictionis, deinde in alio poſteriori naturę baptiſmus tranſactus confert gratiam regeneratiuam: & in tertio poſteriori naturæ ſacramentum pœnitentiæ confert gratiam ſanatiuam, quæ per ſe eſt poſterior gratia regeneratiua: & illam ſupponit, licet omnes iſti effectus fiant ſimul tẽpore, ac duratione. Sed quia fictio, & obex cum peccatum ſit, non poteſt remoueri, niſi per gratiam ſanctificantem, implicat tolli per ſolam attritionem, aut etiã per hoc ſacramentum pœnitentiæ: cum ſola attritione antecedenter ad infuſionem gratiæ, quæ de attrito facit contritum virtualiter, vel habitualiter.

Propterea, melius reſpondent Soto, & Valencia vbi ſupra per ſacramentum pœnitentiæ rite, & digne ſuſceptum cum

Digitized by Google

attritione, ſiue cum contritione conferri gratiam ſanatiuam, prius in genere cauſæ materialis, ac diſpoſitiuę remouentem obicem fictionis: & ſimul tempore, poſterius vero natura in genere cauſæ formalis conferri per baptiſmum gratiam regeneratiuam: non ita quod ſint duæ gratiæ entitatiue diſtinctæ, ſed vna & eadem forma, ac entitas eſt, cum duabus formalitatibus, ſcilicet gratiæ ſanatiuæ, & regeneratiuæ: ex quibus licet iſta ſit per ſe prior, tamen per accidens, & in genere cauſæ diſpoſitiuæ remouentis prohibens bene poteſt in aliquo euentu, vt in caſu noſtræ concluſionis, illa eſſe prior: tamen in alio genere cauſæ, ſcilicet formalis: ſicut etiam contingit in illo, qui accipit primam gratiam in ſuſceptione Euchariſtiæ, gratiam nutritiuam eſſe priorem, quam gratiam ſanatiuam: quia in eo euentu, qui ficte ſuſcepit bona fide ſacramentum pœnitentiæ, accedens ad Euchariſtiam, prius natura recipit gratiam nutritiuam, & illa remouente obicem, poſterius natura, & ſimul tempore recipit gratiam ſanatiuam in virtute ſacramenti baptiſmi tranſacti, & ficte ſuſcepti. Vnde ſicut non inconuenit in hoc caſu, ita neque in noſtro ex duabus gratijs ſacramentalibus, quarum vna per ſe, & ſuapte natura ſupponit aliam, per accidens, & in diuerſo genere cauſæ ſupponi ab illa.

Satisfit cuidam interrogationi.

10 Rogabis, quid ſi fictio fuit inculpabilis, & acceſſus neuter ad baptiſmum? tunc enim dupliciter ſufficienter tolli videtur per attritionem, & non indiget tolli per gratiam, & quia peccatum non eſt, vt contingit ei, qui cum exiſtimata attritione probabiliter, ſed non vera, ſuſcipit baptiſmum.

Reſpondeo tunc tolli quidem hunc obicem formaliter per attritionem, ſimul cum ſacramento pœnitentiæ, quia vtrumque contrarium, tollitur per aliud ſibi proportionatum: cum ergo iſte obex conſiſtat in defectu debitæ attritionis, ac diſpoſitionis ad baptiſmum: ſufficienter tollitur per appoſitionem debitæ attritionis, quæ ſimul ſit diſpoſitio ad ſacramentum pœnitẽtiæ, & ad effectum baptiſmi, quo defectu remoto ſimul tempore, poſterius vero natura, ac cauſalitate ſacramentum pœnitentiæ confert gratiam ſanatiuam, vtpote quæ eſt forma debita immediate tali diſpoſitioni, & ſtatim baptiſmus tranſactus confert ſuam gratiam regeneratiuam prius, & poſterius natura ſecundum diuerſum genus cauſæ prænotatum, vel poſterius per accidens, vt dictum eſt.

11 Ad quintum reſpondetur prænotando fictionem poſſe contingere tripliciter, vno modo antecedenter ad inſtans terminatiuum baptiſmi, ita tamen, quod fuit in illo inſtanti, vel antecedenter proxime ad illud retractata ab adulto accedente ad baptiſmum, quia ſcilicet ille accedens in affectu peccati lethalis, & perſeuerans in illo initio ablutionis baptiſmalis, poſtea in termino illius talem affectum retractauit per attritionem, quam habuit ex auxilio Dei; alio modo accedens ficte ad baptiſmũ; ſcilicet ſine attritione, & cum affectu peccati, perſeuerat in illo nõ explicite, ſed tantum virtualiter, quia ſcilicet talem affectum non retractauit, ſed cum illo non retractato compleuit ſuſceptionem baptiſmi: Tertio modo quando affectum peccati mortalis, verbi gratia homicidij, vel adulterij, vel odij, exercet expreſſe, & veluti in actu ſignato, aut cõtinuat, vſque ad inſtans terminatiuum baptiſmi, aut in eum denuo prorrumpit.

Igitur in primo caſu illud peccatum, & ſi aliqualis fictio, & ſacrilegium ſit vltra malitiam ex proprio obiecto accedere ad ſacramentum cum affectu alicuius peccati lethalis: tamen & quia conſumatum fuit retractatũ ante completum baptiſmũ, cenſetur eſſe hominis nondum baptizati, ac per conſequens non ad pœnitentiam pertinet, ſed ad baptiſmum, & per illum tãtũ remittetur, ſicut & alia peccata antecedentia.

De ſecundo vero, & tertio dicendum eſt, quod pertinet ad pœnitentiam, non quatenus inchoatur ante inſtans terminatiuum, ſed quatenus, aut durat, aut conſumatur in inſtanti terminatiuo baptiſmi: & vt ſic dumtaxat ſupponit baptiſmum completum, & impedit eius effectum, ſcilicet gratiam, & eſt peccatum hominis baptizati exiſtentiſque iam intra ianuam Eccleſiæ: ac proinde de tali peccato tenetur homo ſic ficte baptizatus confiteri ſacramentaliter pandendo in confeſsione, aut ſolum fictionis peccatum, ſi non ſit adiunctum alteri peccato, vt quando quis ſolum ficte ſuſcipit; quia caret attritione ſupernaturali: accuſans ſe indigne ſuſce-

[illegible] piſſe

piſſe baptiſmum, aut etiam pandendo vtramque malitiam, quando malitia fictionis eſt adiuncta alterius peccati malitiæ, vt quando quis indigne ſuſcipit baptiſmum quia perſeuerauit vſquè ad inſtans terminatiuum baptiſmi in affectu homicidij, vel adulterij expreſſo & formali: tunc enim tenetur in confeſsione pandere etiam homicidij vel adulterij voliti malitiam, ob eaſdem rationes, ob quas vt diximus tenetur malitiam, ſiue ſacrilegium fictionis propalare.

Dubium tertium eſt: An peccatum actuale incertum, ac dubium, quod tamen re vera non fuit commiſſum, ſit ſe ſolo ſufficiens materia ſacramenti pœnitentiæ?

Explicatur titul⁹ dubij. 13 ANTE omnia operepretium eſt expendere ſingulos terminos tituli quæſtionis, vt eius ſtatus pateſiat.

Igitur inquirit titulus de peccato actuali intellige, ſiue mortali, ſiue veniali, quia vtrumquè quando re vera fuit commiſſum diximus materiam eſſe ſufficientem huius ſacramenti: ac proinde de vtroquè inquirimus quando eſt dubium, & incertum, an ſit materia ſufficiens.

Dicitur autem incertum, & dubium in præſenti materia, quando pœnitens dubitat cum aliquo fundamento & apparentia, an commiſſerit tale peccatum, ſi enim abſquè vllo fundamento, ſicut neque verè dubitat iſte, ita citra dubium eſt, quod tale peccatum, nequè eſt materia ſacramenti pœnitentiæ.

Rurſus additur in titulo, *quod re vera non fuit commiſſum*, intellige, aut quod numquam re vera fuit commiſſum, aut quod non fuit commiſſum poſt baptiſmum: nam quoad præſens attinet, idem eſt non fuiſſe commiſſum, atquè non fuiſſe poſt baptiſmum, ſed ante, quia vtrumquè pariter excluditur à materia ſacramenti pœnitentiæ, iuxta dicta dubio præcedente. Et tandem dicitur: an ſit ſe ſolo materia ſufficiens, nam ſimul adiunctum cum alijs re vera commiſsis materia erit non ratione ſui, ſed ratione aliorum: vnde pœnitens ſi ſit dubius de aliquo peccato lethali, prudenter faciet illud cum alijs confiteri: imò & tenebitur ſub cautela, ſiue conditione illud pandere explicando qualitatem dubitationis, ne periculum faciat reliquendo aliquod peccatum mortale in confeſſum: idquè moris eſt cunctis ſapientibus, & timoratæ conſcientiæ perſonis.

Senſus igitur dubij eſt, an poſsit quis valide, & abſquè ſacrilegio apponere pro materia confeſsionis ſolum illud peccatum de quo eſt dubius, quod tamen re vera, aut numquam, aut poſt baptiſmum nō fuit commiſſum?

In quo communis Scholaſticorum ſententia reſpondet negatiue. *Statuitur ſententia negans.*

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur primo, quia conſtat ex dictis materiam huius ſacramenti eſſe peccata actualia commiſſa poſt baptiſmum ſubiecta iuriſdictioni Eccleſiæ, quam Chriſtus tradidit ſacerdotibus, quando Ioannis 20. dixit: *Quorum remiſſeritis peccata, &c.* Hæc autem debent eſſe peccata verè commiſſa: ergo. Minor patet; nam ſicut proprie non fit ita nequè iudicatur, nequè iuriſdictioni ſubijcitur, neque abſoluitur, nequè remittitur.

Secundo, ex ipſa Chriſti inſtitutione, quia hoc ſacramentum inſtituit per modum iudicij, ac medicinæ: ſed ex vtroquè capite petit pro materia peccatum verè commiſſum: ex munere quidem iudicij, quia iudicium ſacramentale, quod diuinum eſt, nequit eſſe de peccato non commiſſo: eo quod ſicut Deus, nequè per ſe, nequè per miniſtrum fallere poteſt, ita nequè falli: primum enim eius ſummæ veracitati: ſecundū verò ſummæ ſapientiæ repugnat: ex munere autem medicinæ, quia ſicut corporalis medicina, non niſi veris morbis applicatur, vt eos ſanet,

net, ita ſpiritualis, non niſi veris peccatis, vel verè commiſsis applicari poteſt, aut debet, vt ab eis liberet infirmum peccatorem: ergo.

Tertiò probatur, ex comparatione ad alia ſacramenta, quorum materiæ remotæ non ſunt res fictæ, aut apparenter tales, ſed verè & realiter, vt in ſacramento baptiſmi, materia remota debet eſſe vera aqua elementaris: & materia confirmationis eſt verum oleum & balſamum, quod verè & realiter ſit tale, & ſic de alijs: ergo & materia remota ſacramenti pœnitentiæ non eſt peccatum apparenter tale, ſed illud dumtaxat, quod verè & realiter fuerit tale.

14 Quarto probatur ſatisfaciendo duabus obiectionibus, quæ huic veritati obſtare videntur.

Prima eſt, quod ſacramentum pœnitentiæ poteſt ac debet extendi ad omnia peccata, ad quæ extenditur virtus pœnitentiæ: vtriuſquè enim eadem eſt materia ſcilicet peccatum hominis commiſſum propria voluntate, quatenus compenſandum, vel deſtruendum: atqui ſufficiens materia virtutis pœnitentiæ eſt peccatum exiſtimatum, quod homo probabiliter exiſtimat ſe commiſiſſe: ergo pariter erit ſufficiens materia ſacramenti pœnitentiæ. Maior videtur nota, quia per ſacramentum pœnitentiæ determinauit Chriſtus in lege noua modum pœnitendi, & quia contritio in hac lege dicit ordinem ad ſacramentum pœnitentiæ: Minor autem probatur, quia de tali peccato exiſtimato probabiliter, licet re vera non fuerit commiſſum, poteſt homo conteri, & habere verum actum contritionis, deteſtando, ſcilicet illud propter Deum ſumme dilectum: hæc autem contritio eſt proprius, ac perfectus actus virtutis pœnitentiæ: ergo.

Secunda eſt, quia de tali peccato non vero, ſed tantum probabiliter exiſtimato, tenetur homo conteri: ne ſe exponat periculo reliquendi aliquod peccatum mortale ſine confeſsione & ſatisfactione: ergo pariter & ob eandem rationem tenetur illud confiteri habita copia confeſſarij, & maximè vrgente neceſsitate, aut inſtante præcepto annuæ confeſsionis ſiue communionis.

Conſequentia patet, quia contritio hæc haberi non poteſt in lege gratiæ, niſi in ordine ad claues Eccleſiæ, & ſacramentum pœnitentiæ: inſuper quia ſi tale peccatum non eſſet compenſabile per ſacramentalem confeſsionem & ſatisfactionem: nequè eſſet obligatio ad dolendum de illo, ſiue ad habendam de eo contritionem, quia nemo ad impoſsibile tenetur: ergo.

Ad primam tamen reſpondetur, negando maiorem, latius enim patet materia virtutis pœnitentiæ, quam ſacramenti, quod ſic declaro: materia virtutis pœnitentiæ eſt peccatum, vt abſtrahit à verò, & exiſtimato per cõſcientiam erroneam: eo quod cum ſit virtus moralis, quæ regulatur per hominis iudicium practicum, quod poteſt eſſe verum practice per conformitatem ad rectam rationem, licet falſum ſpeculatiue, poteſt exercere ſuos actus verè & realiter tales circa obiectum exiſtimatum & apparens, quod re vera non ſit tale: hac enim ratione iuſtitia exercet verè hunc actum reſtituendo alteri, quod ei non debeo, ſi tamen exiſtimem me eſſe illius rei debitorem: ſic in adorante hoſtiam propoſitam populo à ſacerdote, licet non conſecratam, virtus religionis exercet ſuum actum veræ adorationis, & cultus, qui regulatur ab hoc iudicio practico gaudente practica veritate, licet falſo ſpeculatiue, ſcilicet conforme eſt rectæ rationi, vt hæc hoſtia ſic propoſita hic & nunc ſit rite conſecrata, licet ob defectum intentionis non ſit re vera conſecrata.

Ita ſimiliter virtus pœnitentiæ habet pro obiecto, & materia circa quam, peccatum ſiue verè commiſſum, ſiue apparens, & exiſtimatum per conſcientiam erroneam, circa quod poteſt ſuum actum doloris & contritionis exercere, regulatum ab hoc iudicio prudenter exiſtimato me hoc peccatum commiſiſſe, quod quidem licet falſum ſit ſpeculatiue, gaudet tamen practica veritate: & ideo ſufficiente, vt voluntas abſolutum & verum dolorem qui ſit actus virtutis exerceat circa tale peccatum ſic propoſitum ab intellectu: materia autem ſacramenti pœnitentiæ determinate eſt peccatum verè commiſſum, eo quod cum ſit inſtrumentum Dei applicatum ab ipſo, qui nequè fallere nequè falli poteſt, ad medelam veræ infirmitatis neque debet neque poteſt valide applicari,

niſi

niſi ad peccatum, quod fuerit verè commiſſum. Ex quo patet ad primam probationem maioris.

Ad ſecundam vero reſpondetur, etiam contritionem habitam de peccato tantum exiſtimato dicere ordinem ad ſacramentalem confeſsionem: ac proinde teneri hominem illud peccatum cũ alijs certis in cõfeſsione cõfiteri, vt valida ſit: ſi autẽ illud dumtaxat peccatum confiteatur, quod re vera non fuit commiſſum, confeſsio erit per accidens in valida, ob defectum veræ materiæ.

Ad ſecundam admitto ſequelam, teneri quoque hominem illud peccatum ſi mortale ſit exiſtimatum confiteri: quod ſi verè fuerit commiſſum, erit confeſsio valida, ſi ad ſint cætera requiſita: ſi vero non fuerit verè commiſſum, & non apponat cõfitens aliam materiam certam, erit ſacramentum in validum per accidens ob defectum debitæ materiæ, poterit confitẽs excuſari à peccato ſacrilegij ex iudicio probabili, aut conſcientia erronea, qua exiſtimauit ſe apponere ſufficientem materiam, ſed non tam facile ſacerdos ei abſolutionem impendens ſupra materiam quam poteſt. ac debet ex officio, & ſcientia iudicare pro non vera: & ideò conſulere debuit pœnitentem, vt alia peccata verè commiſſa adiungat, ne periculo ſe exponat conficiendi ſacramentum in validum.

15 Quid ſi peccatum ſit dubium, aut quia homo dubitat, ſi tamen illud commiſſerit, vel certus de perpetratione dubitat an illud iam fuerit confeſſus? Huſquè enim egi de peccato non commiſſo, exiſtimato tamen per iudicium affirmatiuum abſolutum

Propoſita autem interrogatio etiam compræhenſa in titulo præſentis dubij quærit de peccato, de quo homo eſt dubius & anceps & in neutram partem determinatus.

Cui reſpondeo, hominem poſſe, ac debere de hoc peccato ſub dubio quoquè ſimul cum alijs certis confiteri, & cõfeſſarius ei poterit abſolutionem impendere, quia ſic ſufficienter vitatur periculum faciendi in validum ſacramentum.

Sed ſi de facto illud confiteatur, quia ob obliuionem, vel ob inſtantem neceſsitatem non poteſt alia pandere certa peccata, tunc poterit licite de illo ſub conditione conteri & confiteri: & ſacerdos poterit penſata qualitate dubij ac neceſsitatis abſolutionem ei impendere. Quod ſi peccatum fuerit re vera commiſſum, ſacramentum validum erit: quia conſtat vera materia & forma: ſin minus, in validum quoque erit ſacramentum per accidens ob defectum veræ materiæ: à peccato tamen ſacrilegij ſatis purgarentur, tàm pœnitens, quàm ſacerdos, ille confitendo dictum peccatum ſub conditione prorſus obliuione, vel vrgente neceſsitate: iſte verò impendendo abſolutionem ſub conditione, charitatis vinculo aut etiam iuſtitiæ (ſi parrochus proprius ſit) àſtrictus, ne pœnitẽtẽ tanto beneficio priuatum relinquat, aut etiam periculo damnationis expoſitum.

ART. III.

Vtrum hac ſit forma huius ſacramenti, ego te abſoluo?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod hęc non ſit forma huius ſacramenti. Ego te abſoluo. Formę enim ſacramentorum ex inſtitutione Chriſti, & Eccleſię vſu habentur. Sed Chriſtus non legitur hanc formam inſtituiſſe, nequê etiam in communi vſu habetur, quimmo in quibuſdam abſolutionibus, quę in Eccleſia publicè fiunt (ſicut in Prima, & Completorio, & in cœna Domini) abſoluens non vtitur oratione indicatiua, vt dicat. Ego vos abſoluo; ſed oratione deprecatiua, cum dicit, Miſereatur veſtri omni- 4.d.22.q. 2.ar.2.q. 2.& 3.& opuſc.22.

Mm 3 po-

potens Deus, vel Abſolutionem & remiſsionem tribuat vobis omnipotens Deus. Ergo hæc non eſt forma huius ſacramenti, Ego te abſoluo.

2 Præterea, Leo Papa dicit, * quôd indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequit obtineri. Loquitur autem de indulgentia Dei, quæ præſtatur pœnitentibus. Ergo forma huius ſacramenti debet eſſe per modum deprecationis.

Refertur de pœn. d. 1. c. multiplex, nō procul à princ. & dicitur eſſe in epiſt. ad Theod. quæ eſt 89. in Leo c. de cōſ. d. 4. c. 141. & tra. 5. ſup. 10. tom. 9.

3 Præterea, idem eſt abſoluere à peccato, quod peccatum remittere. Sed ſolus Deus peccatum remittit, qui etiam ſolus interius hominem à peccato mundat: vt Auguſtin dicit ſuper Ioann * Ergo videtur, quod ſolus Deus à peccato abſoluat. Non ergo debet ſacerdos dicere, Ego te abſoluo, ſicut non dicit, Ego tibi peccata remitto.

4 Præterea, Sicut Dominus dedit poteſtatem diſcipulis abſoluendi à peccatis: ita etiam dedit eis poteſtatem curandi infirmitates, & vt dæmonia eijcerent, & vt languores ſanarent, vt habetur Matth. 10. & Luc. 9 Sed ſanando infirmos Apoſtoli non vtebantur his verbis, Ego te ſano, ſed, Sanet te Dominus Ieſus Chriſtus: ſicut Petrus dixit paralytico, vt habetur, Actor. 9 Ergo videtur, quod ſacerdotes habentes poteſtatem Apoſtolis à Chriſto traditam, non debeant vti hac forma verborum, Ego te abſoluo, ſed, Abſolutionem tribuat tibi Chriſtus.

5 Præterea, quidam hac forma vtentes, ſic eam exponunt, Ego te abſoluo, ideſt abſolutum oſtendo. Sed nec hoc etiam ſacerdos facere poteſt, niſi ei diuinitus reueletur. Vnde legitur Matth. 16. ante quam Petro diceretur, Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. dictum eſt ei, Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cęlis. Ergo videtur, quod ſacerdos, cui non eſt facta reuelatio, præſumptuoſe dicat, Ego te abſoluo, etiam ſi exponatur, ideſt, abſolutum oſtendo.

Sed contra eſt, quôd ſicut Dominus dixit diſcipulis Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos: ita dixit Petro Matth. 16. Quodcumque ſolueris ſuper terram. Sed ſacerdos authoritate illorum verborum Chriſti fretus dicit, Ego te baptizo. Ergo eadem authoritate dicere debet in hoc ſacramento, Ego te abſoluo.

Reſpondeo dicendum, quod in qualibet re perfectio attribuitur formæ. Dictum eſt autem † ſupra, quod hoc ſacramentum perficitur per ea quæ ſunt ex parte ſacerdotis. Vnde opportet, quod ea quæ ſunt ex parte pęnitentis, ſiue ſint verba ſiue facta, ſint quædam materia huius ſacramenti: ea verô quæ ſunt ex parte ſacerdotis, ſe habeant per modum formæ. Cum autem ſacramenta nouæ legis efficiant quod figurant (vt ſupra dictum * eſt) opportet quod forma ſacramenti ſignificet id quod in ſacramento agitur, proportionaliter materiæ ſacramenti. Vnde forma baptiſmi eſt, Ego te baptizo: & forma confirmationis eſt, Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, eo quod huiuſmodi ſacramenta perficiuntur in vſu materiæ. In ſacramento autem Euchariſtiæ, quod conſiſtit in ipſa conſecratione materiæ, exprimitur veritas conſecrationis, cum dicitur, Hoc eſt corpus meum. Hoc autem ſacramentum, ſcilicet pœnitentiæ, non conſiſtit in conſecratione

ar. 1. huius q. a. 2.

q. 60. ar. 2. & 62. ar. 1. & 3.

Digitized by Google

ne alicuius materiæ, nec in vſu alicuius materiæ ſanctificatæ, ſed magis in remotione cuiuſdam materiæ, ſcilicet peccati: prout peccata dicuntur eſſe materia pœnitentiæ: vt ex ſupra dictis patet. * Talis autem remotio ſignificatur à ſacerdote, cum dicitur, Ego te abſoluo. Nam peccata ſunt quædam vincula, ſecundum illud Prouerbior. 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Vnde patet, quod hæc eſt conuenientiſſima forma huius ſacramenti, Ego te abſoluo.

Art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod iſta forma aſſumitur ex ipſis verbis Chriſti, quibus Petro dixit, Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. & tali forma Eccleſia vtitur in ſacramentali abſolutione. Huiuſmodi autem abſolutiones in publico factæ, non ſunt ſacramentales, ſed ſunt orationes quædam ordinatæ ad remiſſionem venialium peccatorum. Vnde in ſacramentali abſolutione non ſufficeret dicere, Miſereatur tui omnipotens Deus: vel, Abſolutionem, & remiſſionem tribuat tibi Deus: quia per hæc verba ſacerdos abſolutionem non ſignificat fieri, ſed petit vt fiat. Præmittitur tamen etiam in ſacramentali abſolutione talis oratio, ne impediatur effectus ſacramenti ex parte pœnitentis: cuius actus materialiter quodammodo ſe habent in hoc ſacramento, non autem in baptiſmo, vel confirmatione.

Ad ſecundum dicendum, quod verbum Leonis eſt intelligendum quantum ad deprecationem, quæ præmittitur abſolutioni: non autem remouet quin ſacerdotes abſoluant.

Ad tertium dicendum, quod ſolus Deus per auctoritatem, & à peccato abſoluit, & peccatum remittit. Sacerdotes tamen vtrumque faciunt per miniſterium: in quantum ſcilicet verba ſacerdotis in hoc ſacramento inſtrumentaliter operantur in virtute diuina, ſicut etiam in alijs ſacramentis. Nam virtus diuina eſt, quæ interius operatur in omnibus ſacramentalibus ſignis, ſiue ſint res, ſiue verba: ſicut ex ſupradictis patet. * Vnde & Dominus expreſſit vtrumque: nam Marc. 16. dixit Petro, Quodcumquê ſolueris ſuper terram, &c. & Ioann. 20. dixit diſcipulis, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ideô tamen ſacerdos potius dicit, Ego te abſoluo, quam, Egô tibi peccata remitto: quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit, virtutem clauium oſtendens, per quas ſacerdotes abſoluunt. Quia tamen ſacerdos ſicut miniſter abſoluit, conuenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, ſcilicet vt dicatur, Ego te abſoluo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel per virtutem paſſionis Chriſti, vel auctoritate Dei, ſicut Dionyſ. * exponit 3. capit. cœleſt. hierarch. Quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti, ſicut in baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio ſacerdotis.

q. 62. a. 4. & 64. a. 1. & 2.

c. 7. eccleſiaſt. hierar. non multum procul à fi. & cæl. hierar. cap. 3.

Ad quartum dicendum, quod Apoſtolis non eſt data poteſtas, vt ipſi ſanarent infirmos, ſed vt ad eorum orationem infirmi ſanarentur. Eſt autem eis collata poteſtas operandi inſtrumentaliter, ſiue miniſterialiter in ſacramentis. Et ideo magis poſſunt in formis ſacramentalibus exprimere actum ſuum, quam in ſanationibus infirmitatum. In quibus tamen non ſemper modo deprecatiuo vtebantur:

ſed quandoquê modo indicatiuo, & imperatiuo: ſicut Actor. 3. legitur, quod Petrus dixit claudo, Quod habeo hoc tibi do: in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.

Ad quintum dicendum, quod iſta expoſitio, Ego te abſoluo, ideſt abſolutum oſtendo, quantum ad aliquid quidem vera eſt, non tamen eſt perfecta: ſacramenta enim nouæ legis, non ſolum ſignificant, ſed etiam faciunt quod ſignificant. Vnde ſicut ſacerdos baptizando aliquem, oſtendit hominem interius ablutum per verba & facta, & non ſolum ſignificatiue, ſed etiam effectiue: ita etiam cum dicit, Ego te abſoluo, oſtendit hominem abſolutum non ſolum ſignificatiue, ſed etiam effectiue. Nec tamen loquitur quaſi de re incerta: quia ſicut alia ſacramenta nouæ legis habent de ſe certum effectum ex virtute paſsionis Chriſti (licet poſsit impediri ex parte recipientis) ita etiam, & in hoc ſacramento. Vnde Auguſtin. * dicit in libr. de adul. coniun. Non eſt turpis nec difficilis, poſt patrata & purgata adulteria, reconciliatio coniugij vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remiſsio peccatorum. Vnde nec ſacerdos indiget ſpeciali reuelatione ſibi facta: ſed ſufficit generalis reuelatio fidei per quam remittuntur peccata. Vnde reuelatio fidei dicitur Petro facta fuiſſe. Eſſe autem perfectior expoſitio, Ego te abſoluo, ideſt, Sacramentum abſolutionis tibi impendo.

lib. 2. c. 9. in princ. to. 6.

Conclusio affirmans eſt. In cuius explicationem tria ingerunt difficultatem: nimirum an forma huius ſacramenti in præfatis verbis ore prolatis determinate conſiſtat? & quem ſenſum efficiant huiuſmodi verba? Ac tandem an ad eſſentiam, vel integritatem talis formæ opus ſit addere alia verba.

Quæ à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An forma huius ſacramenti eſſentialiter in his verbis ore prolatis, ego te abſoluo, *conſiſtat?*

16 PARTEM negatiuam tuentur Paludanus, articulo quarto, diſtinctione decima ſeptima, quæſtione ſecundo articulo primo, Medina Complutenſis de confeſsione, quæſtione de modo confitendi, Nauarrus in ſumma, capite 21. num. 36. & ſupra capite *quem pænitet,* de pœnitentia, diſtinctione prima, numero quarto, & Adrianus, quæſtione prima de confeſsione, citatus à Nauarro, refert quoque pro hac ſententia, Suarius, Petrum de Soto, lectione vndecima de confeſsione: ſed immerito.

Sententia Palud. Medinæ, Nau. Adriani cū ſuis fundamentis.

Igitur iſti Authores dicunt formam ſacramenti pœnitentiæ conſiſtere non determinate in illis verbis ore prolatis, ſed in alijs ſignis externis æquiualentibus.

Quam opinionem ſuadent primo, quia vel cum hoc ſacramentum inſtitutum ſit ad inſtar iudicij, illas conditiones dumtaxat petit, quæ ad iudicium ſunt ſufficientes, & requiſitæ: atqui ad iudicium ſufficiunt confeſsio & accuſatio, verba, aut ſcripto facta a reo, & ſententia ſiue abſolutio data à iudice, ſiue verbo, ſiue ſcripto; ergo pariter hoc iudicium ſacramentale

le ſufficienter exerceri poteſt per confeſſionem & abſolutionem ſcripto factas, licet verbis vocalibus non exprimantur.

Secundo; quia ſacramentum matrimonij non requirit vocalia verba, ſed ſufficienter perficitur alijs ſignis externis, ut ſcriptura aut nutibus contrahentibus: eo quod inſtitutum eſt in ipſo contractu connaturali, de cuius ratione non ſunt verba, ſed quæuis ſigna exprimentia conſenſus internos contrahentium: & quia eſt eleuatio contractus ad rationem ſacramenti non extrahit illud à ratione, & conditionibus proprijs contractus: ſed etiam hoc ſacramentum eſt inſtitutum ad modum iudicij, eleuãdo quoddam humanum iudicium ad rationem ſacramenti, ſiue iudicij ſacramentalis: ergo non debuit illud à rarione, & conditionibus proprijs iudicij extrahere.

Statuitur ſentẽtia affirmans cũ Magiſtro; & D.Th.

17 Sed his non obſtantibus pars affirmans formam huius ſacramenti determinate in verbis vocalibus conſiſtere, eſt communiter à Theologis recepta cum Magiſtro in quarto diſtinctione decima quarta, & Diuo Thoma in hoc articulo, & opuſculo 22. capite primo, quam defendunt Caietanus in ſumma, verbo, *confeſſio*, Valencia, diſputatione quarta, quæſtione prima, puncto tertio, ad quintum, & diſputatione ſeptima, quæſtione prima, puncto tertio, & Suarius diſputatione decima nona ſectione prima.

Et propterea ſtatuitur à nobis pro concluſione. Quæ ſuadetur primo ex illa communi regula iuris: *Singularis exceptio firmat regulam in contrarium*: atqui Concilium Florentinum in decreto vnionis tradens doctrinam vniuerſalem de ſacrtmentis nouæ legis, ait illa perfici rebus, & verbis ſimpliciter & abſolute, excepitquè ſolum matrimonium, de quo ait, quod regulariter perficitur verbis, ſub indicans illud poſſe, etiam perfici alijs ſignis externis ex primentibus conſenſus contrahentium: ergo de omnibus alijs ſine vllius exceptione aſſeuerandum eſt, quod verbis vocalibus determinate, quo ad formas perficiantur, eo vel maxime, quod talis exceptio pro libito facta, & non èx traditione Eccleſiæ accepta, aut Patrum doctrina deducta, temeraria prorſus eſſet.

Secundo probatur ex ipſa Chriſti inſtitutione, qui voluit ſacramenta in genere ſigni ſacri collocari, ac proinde conueniens fuit, vt ea ſub ſuprema ratione ſigni ad placitum conſtituerentur, niſi vbi ſpecialis ratio exceptionis interueniret, vt in matrimonio ob rationem contractus humani incluſi, voces autem obtinent ſupræmum gradum in genere ſignorum ad placitum: ergo uocibus debent conſtare, &c.

Tertio vrgetur amplius hæc ratio, ex eo quod fundamentum conſtituendi formas ſacramentorum in verbis eſt inſtitutio Chriſti Domini, nobis per Eccleſiæ vſum & traditionem patefacta: ſed ex Eccleſiæ vſu, & traditione habemus formam huius ſacramenti ſitam eſſe in verbis vocalibus, ſcilicet iſtis: *Ego te abſoluo*: ergo. Minor probatur dupliciter.

Tum, quia Florentinum vbi ſupra, loquens ſpecialiter de ſacramento pœnitentiæ dixit, formam eius eſſe verba illa prolata à ſacerdote: *Ego te abſoluo*, & idem dixit Concilium Tridentinum Seſſione decima quarta, capite tertio.

Tum, quia forma huius ſacrament colligitur ex illis verbis Chriſti, Ioannis decimo octauo, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* quæ ſunt ſimilia illis, quibus tradita fuit forma, *Baptiſmi: baptizantes eos, &c.* & eis quibus inſtituta fuit forma Euchariſtiæ, accipite, & manducate, *Hoc eſt corpus meum, &c.* Quæ in verbis vocalibus conſiſtunt: ergo.

Dices, etiam in iure dicitur, ſententiam ex communicationis debere fieri per intimationem & prolationem verborum: id etiam traditur de abſolutione à cenſura: & tamen vtraquè poteſt confici alijs ſignis: ergo traditio vel vſus Eccleſiæ non vrget, quo minus dicamus hoc ſacramentum etiam poſſe alijs externis ſignis perfici.

Reſpondeo ius canonicum loqui de eo quod regulariter contingit, ſed non de eo, quod per ſe & ex natura rei petit cenſuræ ſententia, aut abſolutio: imo in capite primo de ſententia excommunicationis in ſexto prohibetur iudicibus Eccleſiaſticis, ne ſententiam ex communicationis ferant, niſi in ſcriptis: ergo cum cenſurarum ſententiæ, aut abſolutiones non petant verba determinata: ita nequè ſigna de-

determinata : & quibuſcumquè perfici poſſunt tam verbis, quam ſignis, ſecus de ſacramentis dicendum eſt, quorum formæ ex natura rei ſuppoſita inſtitutione exigunt ne dum verba , ſed determinata verba.

Fit ſatis argumentis, primæ ſententiæ.

18 Ad primum in contrarium nego maiorem , nam cum hoc ſacramentum ſit iudicium non vt cumquè ſed ſacramentale, aliquas conditiones petit omnino extraneas ab humano iudicio, vt quod idem ſit accuſator & reus, quia eſt iudicium voluntarium ordinatum in bonum, & medicinam ipſius confitentis: pariterquè hanc ſpecialem conditionem habet inter alias, quod verbis vocalibus, & non aliter perficiatur.

Ad ſecundum nego conſequentiam ob rationem aſsignatam, neque enim in ſacramento pœnitentiæ eleuauit Chriſtus idem iudicium humanum ad rationem iudicij ſacramentalis, ſicut in matrimonio eleuauit antiquum contractum ad rationem ſacramenti: hic enim retinuit contractum ſub hac eleuatione: ibi verò ſeruata quadam ſimilitudine cum iudicio humano eſt inſtitutũ aliud iudiciũ diſtinctum ab humano , ac diſtinctis conditionibus gaudens.

Soluitur triplex dubitatio.

19 Hinc venit ſoluenda triplex dubitatio. Prima eſt vtrum in aliquo caſu ualide, & licite poſsit fieri ſacramentalis confeſsio ſolis ſignis externis , aut nutibus abſquè verbis vocalibus?

Secunda eſt, vtrum licita, & valida ſit etiam in aliquo caſu abſolutio exhibita à confeſſario in ſcriptis, aut alijs ſignis externis manifeſtata?

Tertia eſt vtrum à confeſſario abſente licita, aut ſaltem valida ſit abſolutio data per literas, vel per nuncium? Quibus eodem ordine eſt reſpondendum.

Enodatur prima.

Ad primam igitur reſpondetur cum communi Theologorum, & Iuriſtarum ſententia, affirmatiue. Cuius ratio eſt, quia nequè de eſſentia confeſsionis ſacramentalis ſunt verba vocalia , vt hactenus dictum eſt. Nequè ex inſtitutione Chriſti colligitur, verba vocalia eſſe neceſſaria ad ſacramentalem confeſsionem : quæ cum ſit inſtituta per modum cuiuſdam iudicialis accuſationis, ſatis eſt ad ſeruandam huiuſmodi iudicij formam , & ſubſtantiam, quod pœnitens ſua delicta iudici, quibuſcumquè ſignis manifeſtet. Nequè ex præcepto diuino, vel Eccleſiaſtico, vtpote, quia nullum tale extat, tenetur vti in confeſsione verbis vocalibus, quamuis ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ receptum ſit vt vnuſquiſque pœnitens ſua peccata verbis vocalibus confiteatur, dum commode poſsit : hæc tamen conſuetudo non obſtat quo minus vrgente graui neceſsitate: aut ſtante rationabili cauſa , poſsit pœnitens ſuam confeſsionem nutibus, vel alijs ſignis externis, aut ſcripto perficere.

In quibus caſibus nedum valida, ſed etiam licita erit confeſsio: ſecus autem extra illos, etenim abſque neceſsitate, aut rationabili cauſa peccatũ erit confeſsionem ſacramentalem abſque vocalibus verbis facere, quia extra dictos caſus talis conſuetudo habet vim legis, ac proinde aliquod peccatum erit ſic confeſsionem facere contra vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ in materia ſacramentorum : valida tamen erit confeſsio, vt probat Suarius, diſputatione 21. ſectione tertia , numero quarto, neque enim aliter conſuetudo dicta introduci, aut habere vim legis poteſt niſi cũ his limitationibus: nimirũ ne obliget eos, qui vel habent impotentiam phiſicam, vel moralem verba vocalia proferendi, neque eos qui habent rationabilem cauſam , aut neceſsitatem vrgentem non vtendi verbis vocalibus in confeſsione, quam hic, & nunc, verbi gratia perficere intendunt.

Ex qua doctrina reſoluuntur duo caſus morales frequenter contingentes. Primus eſt , quando peccator moribundus verbis vocalibus ſua peccata exprimere non valens , ſigna præbet externa, quibus indicat peccata ſua in ſpecie , aut in genere ſaltem, atque dolorem.

Secundus eſt, quando fœmina ob metum mariti grauem, tradit cõfeſſario ſcripturam peccatorum ſuorum, vt eam legat, & ei beneficium abſolutionis impendat. Nam in primo dicendum eſt, cum illis ſignis externis ſeu nutibus indicantibus aliqua peccata in ſpecie, aut ſaltem in genere, atque dolorem de illis: ſacerdos poteſt, ac tenetur infirmum, ſeu moribundum abſoluere, ne ſine ſacramẽto ad ſalutẽ neceſſario talis homo decedat: ſecus autem ſi talia ſigna non exhibeat , quia tunc non præbet ſufficientem materiam ſacramento: ac proinde ſacrilegus eſſet ſacerdos, ſi

ne

ne illa ei abſolutionem impendens, & inualidum ſacramentum faceret. Si autem dubius rationabiliter ſit an moribundus ſufficientia ſigna peccatorum ac doloris exhibuerit: Debet eum ſub conditione abſoluere: vt ſic beneficium ad ſalutem neceſſarium periclitanti impendat: & periculum committendi ſacrilegium & faciendi ſacramentum nullum euadat.

20 In ſecundo vero caſu dicendum eſt, quod ſi dicta fæmina dicat confeſſario dum ei tradit in ſcripto peccata ſua: hæc ſunt peccata mea de quibus me accuſo, &c. & confeſſarius ſcripturam ſecum vel coram ipſa fœmina vel ſeorſum & in abſentia domi ſuæ legat, poſteaquè reuertens ad fæminam ei beneficium abſolutionis impẽdat, tunc rite & valide ſacramentum perficitur, quoniam iam ſcriptura ipſa verbo fæminæ pœnitentis confirmata, fit æquiualenter vocalis confeſſio, & per lecturam confeſſarij fit ei ſatis manifeſta, ſecus autem ſi abſquè his duabus cõditionibus, fieret: hoc eſt, ſi nequè fæmina voce, aut ſaltem nutu aliquo conteſtaretur illam eſſe confeſsionem ſuorum peccatorum, aut confeſſarius eam non legeret, tunc enim, nequè rite neque valide fieret talis confeſsio.

In primo quidem euentu ob defectum ſufficientis materiæ ſiue accuſationis.

In ſecundo autem ob defectum ſufficientis notitiæ ex parte iudicis qui ignarus delictorũ, ſententiam abſolutionis ferre non poteſt.

Enodatur ſecunda.

21 Ad ſecundam dubitationem reſpondetur, cum communi ſententia negatiue: nimirum in nullo caſu poſſe confeſſarium impendere abſolutionem abſquè vocalibus verbis, ideſt ſolo ſcripto, aut nutibus, vel alijs externis ſignis: eo quod ex dictis conſtat verba vocalia eſſe neceſſaria ad eſſentiam, & ſubſtantiam formæ huius ſacramenti ex ipſa Chriſti inſtitutione: ac proinde ſacrilegus eſſet ſacerdos qui abſolutionem impenderet pœnitenti in quacumque neceſsitate conſtituto per alia ſigna, quam per vocalia: quia inualidum faceret ſacramentum. Quid ſi ſacerdos adſtans infirmo moribundo, & confitenti peccata ſua repente vſu linguæ priuatus ſit, & abſolutionem non poſsit ore proferre, niſi tantum ſcripto, aut ſignis?

Reſpondeo, nequè tunc poſſe talem ſacerdotem rite aut valide abſolutionem ſcripto, aut alijs ſignis impendere præter quam vocalibus verbis: ſed manifeſtè ſacrilegum fore, & inualidam impendere abſolutionem, ſi illam ſcripto aut ſolis nutibus exibeat. Quoniam cum abſolutio ſit forma, taliter petit verba vocalia ad ſui conſtitutionem eſſentialem ex diuina inſtitutione, vt neutiquam per alia ſigna poſsit ſuppleri: ſicut ècontra diximus confeſsionem, quia tenet ſe ex parte materiæ poſſe per alia ſigna ſuppleri, aut neceſsitate cogente, aut rationabili cauſa vrgente.

Reſoluitur tertia dubitatio.

22 Ad tertiam dubitationem reſpondeo, nequè rite nequè valide cõfeſsionẽ ſacramẽtalẽ fieri ſacerdoti abſenti nec beneficiũ abſolutionis poſſe ab eo obtineri. Neque de hac veritate poteſt iam dubitari poſt decretum Clementis Octaui æditum die decimo nono Iulij anni milleſimi ſexcenteſimi primi, ſub his verbis: *Re mature ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet licite per literas, ſeu internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere: ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit: præcepitquè ne de inceps iſta propoſitio publicis, priuatisvè lectionibus, codicibus, & congreſsibus doceatur: nevè vnquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deuoluatur.* Quibus iuſte, & ſi ſeuere, animaduertit in Franciſcum Suarium, tum temporis Cathedræ Primariæ Conimbricenſis moderatorem, qui tomo quarto in tertiam partem, diſputatione 21. ſectione quarta, opinionem defenderat typis mandatam affirmantem in caſu aliquo neceſsitatis poſſe confeſſionem ſacramentalem fieri ſacerdoti abſenti: & ab eodem abſente poſſe abſolutionem dari.

Quam ſibi ſuadebat, tum authoritate quorundam antiquorum Thomiſtarum, ſcilicet Paludani, Diui Antonini, Syluestri, Petri de Soto, Turrecrematæ. & aliorum: ex quorum teſtimonijs ſiniſtre intellectis hic author ſibi perſuaſum habuit eos fuiſſe in hac ſententia: cũ tamẽ nõ de abſolutione, ſed dũtaxat de cõfeſsione in ſcriptis tradita, aut per literas facta loquãtur: quã neq; nos in præcedẽtib⁹ caſibus

negamus: dummodo literæ ſacerdoti præſenti tradantur: & à ſacerdote præſente vocalibus verbis abſolutio impendatur.

Tum etiam, ex quibuſdam decretis iuris canonici minus legitime intellectis, maxime, ex capite *qualis*, tertia quæſtione quinta, vbi dicitur, confeſsionem quamdam ſuſcipiendam eſſe per ſcriptum: quod tamen neque agit de abſolutione, niſi tantum de confeſsione, neque de ſacerdote abſente. Scriptura enim illa non poſtulatur ibi propter abſentiam iudicis, ſed propter maiorem fidem, & certitudinem.

Ex quibus coniecturis licet ibi colligere non de ſacramentali confeſsione, aut abſolutione, ſed ſolum de iudiciali fieri ſermonem. Circa hoc autem decretum notare operepretium eſt, duo damnari ac prohiberi ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, & ſummo Pontifici reſeruata; præter alias pœnas ab ordinarijs iudicibus ad libitum iniungendis: alterum eſt directe intentum, & explicitum in ipſo decreto, nimirum dicere, aut docere hanc propoſitionem, ſcilicet licere per literas, ſeu inter nuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, nam directe dūtaxat per decretū iſtud dicentes ſeu docentes huiuſmodi propoſitionem: indirecte vero, & ex conſequenti damnātur talis confeſsio per literas facta ſacerdoti abſenti, & abſolutio exhibita à ſacerdote abſente, tanquam ſacrilega, & inualida: ideo enim Pontifex dictam propoſitionem damnat, quia res ipſa noxia eſt; vel quia ſacramentum ipſum ſic exhibitum, nedum prohibitum, ſed inualidum eſt: alioquin ſi ſic liceret in re confiteri confeſſario abſenti, aut ab illo abſente abſolutionem obtinere, neutiquam prolatio aut defenſio talis doctrinæ ſeu propoſitionis damnaretur.

Secundo oppoitet notare, quod in dicta propoſitione copulatiua, *li*, *&*, non ſumitur collectim ſeu collectiue; ſed diuiſim, ideſt nedum damnatur à Pontifice docens licitum eſſe confiteri ſacerdoti abſenti, & ab illo abſente abſolutionem obtinere, quaſi vtrumquè formaliter ſit prohibitum, & malum: non autem diuiſim primum, ſine ſecundo: confeſsio enim facta confeſſario abſenti, dummodo ab illo præſente abſolutio obtineatur, nequè mala, nequè prohibita, nequè damnata, videtur ex intētione ſummi Pontificis. Sic prædictus neothericus hoc decretum interpretare auſus eſt: ob quam interpretationem, quaſi alienam omnino à mente ſummi Pontificis, grauiter ab ipſo animaduerſus, & Romam vocatus fuit.

23 Vtraquè ergo pars, tam copulatim, quam diuiſim ſumpta, ideſt tam confeſsio facta ſacerdoti abſenti, ſimul cum abſolutione impenſà ab eodem abſente, quam ſola confeſsio facta ſacerdoti abſenti, mala, ſacrilega, & inualida eſt: acproinde à ſummo Pontifice damnata. Et quidem de abſolutione manifeſta res eſt, eamquè tenent Caietanus in ſumma, verbo, *Confeſsio*, conditione vndecima, Victoria in ſumma quarta, materia de confeſsione, numero 171. Soto in quarto diſtinctione decima octaua, quæſtione ſecunda, articulo ſexto, Ledeſma ſecunda parte quarti quæſtione nona, articulo tertio, dubio vnico, Cano in relectione de pœnitentia, parte quinta, licet dicat hoc non colligi ex verbis formæ, Rutilius, Cardinalis Tolletus, libro tertio de inſtructione ſacerdotum, capite ſexto, Gregorius de Valentia, tertia parte, diſputatione ſeptima, quæſtione vndecima, puncto primo circa finem, Emanuel Saa in ſumma, verbo, *abſolutio*, numero decimo, & verbo, *Confeſsio*, numero decimo quarto, Augerius in Cathecismo, capite quarto, lectione ſeptima. & probatur ex ipſa Chriſti inſtitutione, & generali ratione ſermonis vocalis, quia de ratione huius formæ eſt, vt humana voce proferatur, imperatiue in ordine ad tertiam perſonam: atqui huiuſmodi locutio ſuapte natura ordinatur ad perſonam præſentem: ergo ſignum eſt huiuſmodi formam fuiſſe ſub hac ratione, & conditione inſtitutam. Minor patet, nam hæc loquutio in qua conſiſtit forma huius ſacramenti: *Ego te abſoluo, &c.* humana voce prolata dirigitur tantum ad perſonam præſentem: & hoc indicat pronomen *te*, ſicut pronomen, *hoc* contentum in forma conſecrationis ex vi ſuæ ſignificationis denotat rem præſentem.

Ex quo principio ſupra deduximus cum communi ſententia Theologorum

non

non poſſe ſacerdotem conſecrare panem abſentem. Et quamuis etiam hæc ſit valida forma huius ſacramenti: *Abſoluatur ſeruus Chriſti à peccatis*; ſicut valida eſt hęc forma baptiſmi, qua vtuntur Græci: *Baptizetur ſeruus Chriſti*, in nomine Patris, &c. licet renuat Paludanus in quarto diſtinctione 22. quæſtione tertia aſsignans hoc diſcrimen inter baptiſmum, & ſacramentum pœnitentiæ, quod ad illum non requiritur ſpecialis poteſtas, & ideo neque opportet verba formæ proferri à miniſtro poteſtatiue: bene tamen opportet ſic proferri formam in iſto, vtpote ad quod requiritur poteſtas ſupernaturalis iuriſdictionis in miniſtro.

Verumtamen prædictam formam pariter in ſacramento pœnitentiæ eſſe validam, tenent Nauarrus de pœnitentia, diſtinctione ſexta, capite primo, numero decimo ſeptimo, & Soto vbi ſupra, & merito, quia dicta verba debent accipi non depræcatiue, ſed imperatiue, & ſic ſignificant effectum abſolutionis, prout procedunt à ſacerdote per imperium practicũ in virtute clauium in ordine ad perſonam præſentem, æquiualent enim formæ conſuetæ apud latinos, *ego te abſoluo*, &c. vnde & hæc ſimiliter erit valida forma *abſoluaris à Deo*: accipiendo hæc verba imperatiue, & referendo imperium ſacerdotis non ad ipſum Deum, ſed ad effectum, vt paſsiue recipitur in pœnitente. Secus autem iſta, *abſoluat te Deus*, vtpote quæ nequit congrue accipi, niſi depræcatiue: nam ſi accipiantur huiuſmodi verba imperatiue, fieret ſenſus, quod ſacerdos imperat Deo, vt abſoluat, qui ſenſus eſt falſus, & blaſphemus, nihilominus mortaliter peccaret ſacerdos vtendo huiuſmodi formis, *Abſoluaris à Deo, vel abſoluatur ſeruus Chriſti, &c.* eo quod pręter quam quod ſunt formæ dubiæ, & incertæ: recedit à conſueta forma Eccleſiæ, quod in materia ſacramentorum eſt graue peccatum.

24 Hinc infero falſam eſſe ſententiam Scoti in quarto diſtinctione decima quarta quæſtione quarta aſſerentis ſufficere ſacerdotis actum ex primi, quibuslibet verbis abſoluat: eo quod exiſtimat abſolutionem ſacramentalem non requirere determinata verba, ſicut neque illa requirit abſolutio ab excommunicatione nam teſte Diuo Thomâ in quarto diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia, articulo tertio, quæſtiuncula prima, & tertia, quamuis confeſsio (& idem intellige de abſolutione) in quantum eſt actus virtutis, poſsit fieri quocumque modo: tamen in quantum eſt pars ſacramenti, habet determinatum actum, ſicut & alia ſacramenta determinatam materiam, & iſte actus eſt ille quo maxime conſueuimus manifeſtare mentis conceptum ſecundum proprium verbum: alij modi inducti ſunt in ſupplementum, vt per nutus quo ad mutum, vel per interpretem, quo ad hominem alterius linguæ, quia Deus non requirit ab homine pluſquam poſſit.

Igitur cum quis vti poteſt per ſe ipſum, non ſufficiunt alij modi, vnde Auguſtinus ſuper illud: *Oſtendite vos ſacerdotibus*, inquit, *id eſt, qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis*, de pœnitentia, diſtinctione prima, capite *quem pœnitet*, in abſentia autem proprij ſacerdotis non oportet, quod per ſcripturam fiat confeſsio miſa ſacerdoti, & poteſt etiam laico confiteri, non tamen ad hoc tenetur.

Quæ doctrina à fortiori verum habet reſpectu formæ abſolutionis, quæ debet eſſe non minus, ſed magis determinata, quam materia ex ipſa Chriſti inſtitutione.

Alia ratio deſumitur à poſteriori, & à coniectura pro hac noſtra aſſertione, nimirum, quia confeſſarius debet habere notitiam moraliter certam de ſtatu pœnitentis, neque non debet ei conſtare, quod pęnitens non mutauerit voluntatem, neque de nouo iterum peccauerit poſt per actam abſolutionem, & miſſam confeſsionem ad ipſum, alioquin ſine hac notitia non poteſt ei beneficium abſolutionis, quod eſt medicinale impendere, ſed hanc notitiam de abſente habere non poteſt: ergo.

De confeſsione vero, licet res non fuerit olim ita certa, & ideo ob eius ambiguitatẽ antiquiores illi Thomiſtæ à Suario citati in eã partẽ inclinauerint. Ex quibus ipſe ſuam opinionem fatetur depropſiſſe, verumtamen iam poſt dictum decretum Clementis Octaui non relinquitur locus dubitandi; ſed obſtructum eſt os quomodocunque loquentium, vel docentium oppoſitam opinionem: vtpote in cuius copulatiua, nedum vtraque

pars

pars copulatim, ſed etiam diuiſim; ideſt ſam abſolutio exhibita à ſacerdote abſente, quam confeſsio miſſa ad ſacerdotem abſentem ſit prohibita, & damnata.

Quæ vlterius probatur ratione velutí à priori: nimirum, quia inter alias conditiones, quas numerat Diuus Thomas, ad confeſsionem requiſitas in quarto diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia, articulo quarto, quæſtiuncula quarta, vna eſt, quod ſit verecunda: cuius etiam meminit, Diuus Antoninus, tertia parte, titulo decimo quarto, capite decimo nono, § 9. dicens. Septima conditio eſt, ſcilicet confeſsionis, quod ſit verecunda, quoniam teſte Auguſtino cuius teſtimonium habetur de pœnitentia, diſtinctione ſexta, capite primo, eſt magna pœna, & ideo fit dignus venia, qui pro Chriſto erubeſcit: & iſta verecundia, licet principaliter dicatur eſſe reſpectu offenſæ diuinæ maieſtatis, ſaltem ſecundum rationem: naturaliter enim erubeſcit quis, & confunditur defectuoſus reperiri coram magnis perſonis dignis reuerentia: exemplum eſt Mariæ Magdalenæ, quæ vt dicit Gregorius: *Quia grauiter erubeſcebat intus, nihil putauit eſſe, quod verecundaretur foris: vnde, & flere inter epulas non erubuit*: tamen etiam eſt proficua reſpectu ſacerdotis, & eſt ſatisfactoria pœnæ: ſed reſpectu ſacerdotis abſentis nihil, aut parum quod pro nihilo reputatur, erubeſcere poteſt pœnitens: ergo talis confeſsio ob defectum huius potiſsimæ conditionis, quæ eſt de neceſsitate ipſius, eſſet illicita, & inualida.

25 Deinde probatur ſatisfaciendo tribus fundamentis oppoſitæ ſententiæ. Primum eſt, quo vtebatur Suarius in dicta ſectione quarta: quia nimirum ſacramentalis confeſsio, poteſt fieri ſacerdoti alterius linguæ per interpretem: vt etiam admittit Diuus Thomas in quarto diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia, articulo quarto, quæſtiuncula tertia ad ſecundum, in quo caſu neque pœnitens confitetur interpreti, neque interpres ſacerdoti: ſed pœnitens per interpretem confitetur ſacerdoti: ſicut poſſet confiteri per verba, & per nutum: gerit enim tunc interpres vicem verbi, vel nutus, ſiue inſtrumenti ipſius pœnitentis: atqui idem eſt æquiualenter pœnitentem confiteri ſacerdoti abſenti per epiſtolam; atque confiteri ſacerdoti præſenti alterius linguæ per interpretem, vtpotè cuius præſentia ibi tantum ſe habet materialiter: ergo.

Secundum eſt, quod ſi aliqua ratione non poſſet fieri talis confeſsio per literas, vel per ſcripturam ſacerdoti abſenti: maximè eſſet illa, quam inſinuat Scotus in 4. diſtinction. 17. quæſtione vnica: nimirũ, quia ſcriptura dẽ ſe eſt ſignum publicum: ac proinde contra eſſentiam, & ſubſtantiam confeſsionis, quæ debet eſſe ſecreta: hæc autem ratio eneruatur ab eodem Suario ibidem ſectione tertia, circa finem, dupliciter, Tum, quia non eſt de neceſsitate confeſsionis, vt ſit ſecreta; neque contra rationem illius eſt, quod fiat publice.

Tum etiam, quia licet ſcriptura de ſe ſit ſignum publicum, tamen poteſt occultari: & hoc idem contingit in verbo vocali: ergo.

Tertium deſumitur ex ipſa inſtitutione huius ſacramenti, quod Chriſtus inſtituit per modum iudicij in quo interueniunt accuſatio rei, & ſententia iudicis, ſed non eſt contra rationem iudicij, quod accuſatio manifeſtetur per literas iudici abſenti: ergo neque huiuſmodi forma accuſationis, & confeſsionis eſt contra rationem huius iudicij ſacramentalis.

Ad quorum primum reſpondetur admiſſa maiori, negando minorem propter diſcrimen aſsignatum.

Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem, neque enim ratio illa Scoti eſt efficax ad noſtrum intentum, ſed ſolum ad probandum, quod confeſsio ſacramentalis regulariter, & iuxta conſuetudinem Eccleſiæ debet eſſe auricularis, & ſecreta quamuis id nõ ſit de neceſsitate ſacramenti confeſsionis, neque de præcepti diuini neceſsitate ex parte pœnitentis qui inſtante neceſsitate, & non valens aliter peccata ſua confiteri, niſi alta voce; & in præſentia aliorum licitè, & validè ſic poterit confiteri; tamen ceſſante huiuſmodi neceſsitate à culpa non excuſabitur qui publico ſigno manifeſtaret peccata ſua confeſſario: propter dictam conſuetudinem Eccleſiæ, & reuerentiam huic ſacramento debitam.

Tum etiam, quia ex parte ſacerdotis eſt præceptum diuinum ſeruandi ſecretum, iuxta voluntatem pœnitẽtis: & ideò vt ſit debita æqualitas inter vtrũque, oportet, vt ceſſante neceſsitate ſaltem ſeruetur etiam ſecretum ex parte cõfitentis. Ad tertiũ reſpõdetur admiſſa maiori, & minori ne-

negando conſequentiam, quia vt iam dictum eſt hoc iudicium ſacramentale, licet retineat ſubſtantiam, & aliquas conditiones principaliores iudicij humani: vindicatur tamen ab alijs quæ dicerent imperfectionem, ſiue indecentiam in tali ſacramento: qualis eſt verbi gratia, quod accuſatio pœnitentis fieret per literas miſſas ad ſacerdotem abſentem: aut etiam, quod ſententia, ſeu abſolutio impederetur pœnitenti abſenti. Quamuis neutrum ſit contra rationem humani iudicij.

Dubium ſecundum eſt: quem ſenſum efficiunt hæc verba formæ: ego te abſoluo?

Sententia hæreticorũ & eius fundamenta.

26 IN quo diuiſi ſunt Theologi in varias ſententias: hæretici namquè vt Vvicleph relatus ab Vvaldenſi tomo ſecundo, capite 144. & Lutherus relatus à Roffenſi, articulo decimo, & Ruardo articulo tertio, & Bellarminio libro primo de pœnitentia negantes ſacerdotibus poteſtatem clauium circa remiſsionem peccatorum, pariter negant veritatem huius formæ, quod ſibi perſuadent primo ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ, in quibus remiſſio peccati tribuitur ſoli Deo, vt Pſalmo 31. *Tu remiſiſti impietatem peccati mei*, & Eſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas*, & Lucæ quinto: *Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quod confirmant amplius ex ſanctis Patribus, nam Hieronymus Matthæi 16. ſuper illud, *tibi dabo claues, &c.* Repræhendit ſacerdotes, qui arbitrantur ſe poſſe ſoluere peccatores: & dicit, quod ſicut ſacerdotes legis antiquæ non mundabant à lepra corporali, ſed oſtendebant quis eſſet mundus, vel inmundus: ita ſacerdotes nouæ legis non poſſunt mundare à lepra ſpirituali, ſed tantum diſcernere mundos ab inmundis: idem videtur dicere Ambroſius libro ſecundo de Abel, & Cain, capite quarto, & refertur, capite *Verbum Dei*, diſtinctione prima de pœnitentia: & idem ait Auguſtinus contra Creſconium, capite ſexto, & alij quos refert Vega, libro decimo tertio de iuſtificatione, capite 34.

Secundo, quia remittere offenſas propriè loquendo eſt actus voluntatis illius, qui fuit offenſus: ſed ſolus Deus fuit offenſus per peccatum: ergo per ſolam Dei voluntatem poteſt peccatum remitti: tunc vltra: ſed ſacerdos, non poteſt cauſare actum in diuina voluntate cum ſit omnino immutabilis: ergo non poteſt remittere iniuriam Dei: neque abſoluere à peccatis, eo vel maximè, quod peccatum non remittitur, niſi per infuſionem gratiæ, vt docuimus, prima ſecundæ quæſtione 113. articulo ſecundo, ſed gratia nequit infundi, niſi à ſolo Deo, & per eius voluntatem; cum ipſe ſolus ſit author gratiæ: ergo ſolus Deus remittit peccatum, ac ſubinde ſacerdos non propriè remittit peccatum, neque abſoluit ab illo.

Tertio, quia peccatum proprie loquendo non eſt vinculum: ergo ſacerdos propriè non abſoluit à peccatis: quia abſolutio debet eſſe à vinculo: antecedens probatur, nam peccatum, vel dicit priuationem rectitudinis, vel actum diſonum rationi ſecundum varias ſententias: at vero neque priuatio rectitudinis, neque actus diſonus rationi habent rationem vinculi propriè loquendo: nam actus ille iam tranſijt, quãdo homo confitetur: & priuatio nullo modo eſt vinculum: ergo.

Inter catholicos autem Bonauentura cum Magiſtro in quarto diſtinctione decima octaua, capite ſexto, & Alenſis, quarta parte, quæſtione 80. membro primo dicit: hanc formam accipiendam eſſe depræcatiue: eo quod non ſe extendit ad remiſsionem culpæ, niſi per modum depræcationis: Poteſtquè hæc ſententia probari exemplo Extremævnctionis: cuius forma eſt depræcatiua: eo quod ſacerdos ſolum confert ſpiritualem ſanitatem, vt miniſter Dei depræcando: quo pacto licet Apoſtoli accepiſſent à Deo virtutem, & poteſtatem ſanandi infirmos, & patrandi alia miracula: tamen, quia operabantur, vt Dei miniſtri dumtaxat: illa depræcando facie-

ciebant: ergo pariter, quia ſacerdos ſolum confert per abſolutionem gratiam ſanatiuam, vt miniſter Dei, debet illam deprecatiue conferre, eo vel maximè, quod verbum deprecationis aptius eſt ad ſignificandam actionem miniſterialem, quam Verbum indicatiui, quia iſtud ſtricte ſumptum potius ſignificat imperium, & actionem principalem, ſeu authoritatiuam: quæ non ſacerdoti, ſed ſoli Deo tribuenda eſt ex vi ſignificationis formæ. Fauetquè huic ſententiæ Leo Papa, epiſtola 91. dicens peccata dimitti, *Supplicatio nibus ſacerdotum*, quod teſtimonium refertur in cap. *multiplex* de pœnitentia, diſt. 1. fauent etiam Hieronymus in illud Pſalmi 28. *Vox Domini intercidentis flamam ignis*, & Chriſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, quatenus abſolutionem ſacerdotis nomine orationis ſignificare videtur. Quam etiam ſententiam refert, & refutat D. Thomas, opuſculo 22. cap. 1.

Opinio Abulenſis.

27 Secunda opinio eſt Abulenſis 1. parte defenſorij, cap. 6. aſſerentis in hac forma impropriè vſurpari, verbum *abſoluo*: eo quod peccata proprie non ſunt vincula, quæ ſolui poſsint: ſed ſunt offenſæ, & iniuriæ, quæ potius remitti poſſunt, ac debent: vnde & Chriſtus Dominus inſtituendo formam huius ſacramenti dixit, *quorum remiſeritis*: & non, *quorum abſolueritis*: igitur iuxta Chriſti inſtitutionem vti debet ſacerdos, verbo remittendi: & præter illam vtitur, verbo abſoluendi.

Quæ opinio poteſt ſic amplius confirmari: ſacerdos in forma huius ſacramenti, debet vti illo verbo, quod ſignificet remiſſionē peccati, quoad culpam, & non tantū quoad pœnam: ſiquidem vtramquè efficit ſacramentum: ac proinde vtramquè debet ſignificare: atqui verbum abſoluendi, non ſignificat remiſsionem peccati quo ad culpam, niſi tantum, quoad reatum pœnæ: illam tamen apte, & conuenienter ſignificat verbum remittendi: ergo. Minor patet, quia peccatum quoad reatum pœnæ eſt vinculum quodam morale ſolubile: quoad culpam vero neutiquam habet rationem vinculi, ideſt nequè phyſici, nequè moralis, ſed ſolum cuiuſdam priuationis: ergo.

Opinio Gabr. Hugo. Ric. & aliorum.

28 Tertia opinio fuit Gabrielis. Hugonis Victorini, Ricardi, & aliorum quos refert Bonauentura, in dicta diſtinctione decima octaua, articulo ſecundo, quæſtione prima, nec non Medinæ Complutenſis, tractatu ſecundo de pœnitentia aſſerentium ſacerdotem tantum abſoluere pœnitentem à debito æternæ damnationis, vel ab exilio regni cœleſtis, quod fuit clauſum, vſquè ad Chriſti mortem: aut etiam ab obligatione iterum confitendi, & manifeſtandi ſe clauibus Eccleſiæ.

Huius ſententiæ fundamentum ex hoc vnico principio procedit: quod exiſtimarunt eius authores poteſtatem clauium traditam ſacerdotibus extendi, etiā ad remiſsionē peccatorum, in quo à ſectarijs diſcriminabantur: ſed non extendi ad remiſsionem culpæ, niſi tantum debiti, vel reatus pœnæ, vel exilij à regno cœleſti modo explicato: ac per conſequens hanc ſolam remiſsionem explicari per verbum abſoluendi poſitum in forma huius ſacramenti ex Chriſti Domini inſtitutione.

Vera nihilominus ſententia, & communiter recepta aſſerit verba huius formæ conuenientiſsima eſſe ad ſignificandam remiſsionem peccatorum, quam operatur: operari autem nedum remiſsionem reatus, aut debiti alicuius pœnæ, ſed etiā culparum.

Quam tuentur Diu. Thomas in dicto opuſculo 22. & in hoc articulo tertio, & in quarto diſtinctione 22. quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, Scotus, Paludanus, & Durandus, & alij Scholaſtici ibi diſtinctione decima quarta, & Suarius hic diſputatione decima nona, ſectione prima.

Sententia auctoris ſtatuitur, & probatur prima cōcluſ. hæc verba ſunt ſufficiens, & conueniens forma.

29 Pro cuius declaratione dico primo, verba hæc, *ego te abſoluo*. ſunt ſufficiens, & conueniens forma huius ſacramenti, ad operandam, & ſignificandam remiſsionem, ſeu deſtructionem peccatorum actualium.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus prædictos ſectarios. tamquam certa ſecundum fidem, & probatur primo ex vſu, & traditione Eccleſiæ. atque ex eius diffinitionibus, in Concilio Florentino in decreto vnionis, & in Concilio Tridentino, Seſsione decima quarta, capite ſexto, & canone nono, in quibus traditur hæc forma, & damnatur error ſectariorum, & Moguntino, capite quarto, & bulla Leonis decimi, dum damnat articulum vndecimum, & duodecimum Lutheri.

Se-

Secundo probatur, nam ſicut ex illo Matthæi 28. *Baptizantes eos, &c.* colligitur ſufficiens & conueniens forma baptiſmi, ita ex alijs locis Euangelij, vt ex illo eiuſdem Matthæi 16. & c. 18. & Ioannis 20. *Quodcumque ſolueritis ſuper terram:* aperte colligitur hæc forma iuxta Chriſti inſtitutionem: ergo.

Tertio probatur hac ratione Theologica: illa eſt forma conueniens ſacramenti, quæ ſignificat effectum, quem tale ſacramentum operatur: atqui hoc ſacramẽtum, & operatur gratiam remiſsiuam, & deſtructiuam peccatorum, Quam talis forma aperte ſignificat: ergo. Min. patet, nã hoc ſacramentum habet à Chriſto virtutem non ſolum oſtenſiuam remiſsionis, ſed etiam effectiuam illius, eo quod Chriſtus abſolute dedit ſacerdotibus poteſtatem non ſolum oſtendendi, ſed remittendi peccata per hoc ſacramentum, dicens: *Quorum remiſeritis, & quodcumque ſolueritis, &c.* imò oſtendere ſolum quod ſint ligati vel abſoluti, potius pertinet ad ſcientiam, vel ad clauem ſcientiæ, quam ad clauem iuris dictionis ſeu ad poteſtatem, quam dedit Chriſtus ſacerdotibus: ergo.

Secunda concluſio hæc forma eſt cõueniẽs ad ſignificandum remiſsionem peccatorum ſumpta per modum indicatiui.

30 Dico ſecundo. Hæc forma ſumpta per modum indicatiui conueniens eſt ad ſignificandam remiſsionem peccatorũ, quam operatur hoc ſacramentum, non ſolum quoad reatum pęnæ æternæ, ſed etiã quoad culpam.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ & tertiæ ſententiæ in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſit error in fide, vel errori proximum. Et ſuadetur primo, quia Diuus Thomas in dicto opuſculo 22. loquens de hac opinione quam impugnamus, ait: *Illam eſſe præſumptuoſam, ne dicam erroneam:* & merito, quia fundatur in eodem principio erroneo, cui ſectarij innitebantur: videlicet quod non habeat ſacerdos poteſtatem remittendi peccata.

Secundo, quia poteſtas data ſacerdotibus à Chriſto Domino ad abſoluendum ſeu remittendum per formam huius ſacramenti, non eſt ad poſtulandam, ſed ad vere efficiendam talem remiſsionem: neque enim dixit Chriſtus: *Quorum poſtulaueritis, ſed quorum remiſeritis, &c.* Item eadem poteſtas ſufficiens ad remiſsionem reatus pęnæ æternæ, eſt ſimul ſufficiens ad remiſsionem culpæ: imò nequit ille remitti, quin iſta ſimul remittatur: implicat enim hominem eſſe iuſtum & amicum Dei per remiſsionem culpę, ſiue per gratiam remiſſiuam peccatorum, quin remittatur ſimul ei reatus ęternę damnationis, nam eo ipſo quod homo eſt iuſtus & amicus Dei per gratiam, habet ius ad cœleſte regnum, cuius eſt & heres: ergo non poteſt eſse filius gehennæ & perditionis per reatum æternæ pœnæ, & ſimul amicus Dei, & hæres regni cœleſtis.

Quod ſi iuſti antiquæ legis erant priuati ingreſſu regni cœleſtis, hoc non fuit in illis per reatum æternæ pœnæ, quia nullatenus erant rei æternæ damnationis: ſed per temporalem dilationem, quia ſcilicet ad tempus differebatur eis introitus ad paternam & cœleſtem hæreditatẽ: ad quam habebant ius quaſi impeditum vſque ad Chriſti paſsionem executioni mandatam.

Igitur non poteſt dari poteſtas in ſacerdotibus ad tollendum reatum æternæ damnationis, quin ſit etiam ad tollendam culpam: quia remiſsio illius includit intrinſecè, aut ſupponit remiſsionem iſtius: neque forma huius ſacramenti poteſt vnam ſine altera efficere aut ſignificare.

31 Dico tertio. Conueniens eſt iſtud verbum *Abſoluo*, ad ſignificandam remiſsionem peccatorum quoad culpam, quam ſignificat & operatur forma huius ſacramenti.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Abulenſem authorem ſecundæ opinionis: quod licèt in re non diſſentiret à vero ſenſu, & ſignificatione huius formæ, voluit tamen in verbo diſcrepare, ſcilicet *abſoluo*, dicens illud improprium, & minus aptum eſſe ad ſignificandam remiſsionem peccatorum, quæ fit per hoc ſacramentum.

Sed eius aſſertum aliqua temeritate non carere, & ſimul veram eſſe noſtram aſſertionem, probatur primo ex communi vſu, & traditione Eccleſiæ, quæ ſemper vſa eſt tali verbo in forma huius ſacramenti: quam etiam Concilia præfata approbarunt: neque credendum eſt Eccleſiam in forma alicuius ſacramenti aſſumpſiſ-

pſiſſe verba in propria, & inepta ad ſignificandum effectum eius, aut concilia illa probaſſe, conſultoque omiſiſſe alia magis propria, apta, & conuenientia ad ſignificandum effectum talis formæ: ergo.

Secundo probatur labefactando fundamentum Abulenſis, in ſua opinione inductum: quia peccata quoad culpam ſunt quædam moralia vincula: & ſub hac methaphora in ſacra Scriptura ſolent appellari: dicitur enim Eſaiæ 58. *Diſſolue colligationes impietatis*, & capite. 52. *Solue vincula colli tui captiua filia Sion*, Pſalmo 118 *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, & Prouerbiorum ſeptimo: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*, & Pſalmo 115. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Rurſus eodem verbo vſus fuit Chriſtus Dominus Matthæi 16. & 18. indicans formam huius ſacramenti à ſe inſtituendi: dum dixit Petro, *Quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis*, & cœteris Apoſtolis: *quæcumque alligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

31 His accedit congruentia, quam Eccleſia inuenit, vt potius in hac forma vteretur verbo abſoluendi, quo Chriſtus vſus fuit in locis nuper allegatis, potius quam verbo remittendi: quo vſum fuiſſe conſtat Ioannis 20. quando huius ſacramenti inſtitutionem conſummauit, dicens: *quorum remiſſeritis*, &c, hæc autem congruentia potuit eſſe duplex.

Prima, quia actus remittendi ſic explicatus nõ eſt actus iudicialis, cum offenſus, aut creditor poſsint extraiudicialiter offenſam, aut debitum offendenti ac debitori, remittere ſeu relaxare: cum tamen actus iſte remittendi exercitus in ſacramẽto pœnitentiæ ſit iudicialis, à virtute clauium proueniens, potius verbo abſoluendi, quam verbo remittendi debuit explicari.

Secunda eſt, quam inſinuat Diuus Thomas, hic ad tertium dicens: *Ideò tamen ſacerdos potius dicit ego te abſoluo, quã ego tibi remitto peccata: quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit, virtutem clauium oſtendens: per quas ſacerdotes abſoluunt quia tamen ſacerdos ſicut miniſter abſoluit, conuenienter apponitur aliquid, quod pertinet ad oſtendendã authoritatem Dei, ſcilicet vt dicatur, ego te abſoluo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, talis tamen appoſitio, quia non à Chriſto eſt data, relinquitur arbitrio ſacerdotis.*

Igitur, licet verbum *abſoluo, & remitto* de ſe indifferens ſit ad miniſterialẽ ſacerdotis, & ad authoritatiuã ſeu principalem Dei actionem, vel Chriſti propter poteſtatèm excellentiæ, remiſsionem ſignificandam, tamen ex illis verbis ſuperadditis, vel ex inſtitutione miniſtri, & iuxta ſubiectam materiam, ex conſuetaque Eccleſiæ acceptione, iam eſt ſufficienter determinatum ad ſignificandam miniſterialem remiſsionem, id eſt quæ ſacerdoti vt miniſtro tribuitur: eamque congruentius verbum *abſoluo*, quam verbum *remitto*, indicat.

Rogabis, cur Eccleſia ex verbo ligandi non deprompſit etiam formam ad effectum ligandi ſignificandum ordinatam: ſicut ex verbo abſoluendi, ſumpſit hanc formam, *ego te abſoluo*, ad effectum remiſſionis efficiendum, & ſignificandum: ſiquidem Chriſtus pariter dedit poteſtatem clauium ad ligandum, atque ad abſoluendum? Reſpondeo talem formam, neque potuiſſe, neque debuiſſe inſtitui in ordine ad exercendum hunc actum ligandi: propterea quod ligamen iſtud, ſeu detentio peccatorum quoad pœnam non indiget gratia ſanctificante: ac proinde, neque ad illud requiritur forma ſacramentalis: ſi autem ſit detentio peccatorum quoad culpã, non ſit per actum poſitiuum & iudicialẽ, ſed per puram negationem & ſuſpenſionem abſolutionis: quam ſine vllo actu poteſt exercere ſacerdos, denegando ſcilicet peccatori abſolutionem ob iuſtam & rationabilem cauſam: vndè neque ad hanc detentionem requiritur aliqua forma ſacramentalis determinata: benè autem ad alium actum huius poteſtatis exercendũ, ſcilicet remittendi peccata, vel abſoluendi ab illis: quia hæc remiſsio, & indiget gratia, & ſit per actum poſitiuum ac iudicialem.

32 Hinc ad primum ſectariorum reſpondetur in illis teſtimonijs tribui ſoli Deo remiſsionem peccatorum vt authori principali: cum quo ſtat ſacerdotibus tribui poſſe, ac debere vt miniſtris: quam vt ſic indicat forma huius ſacramenti. Id ipſum dicitur ad confirmationem. *Ocurritur argumẽtis hæreticorũ*

Ad

Ad ſecundum reſpondetur, quod licet ſolius Dei ſit remittere offenſam & iniuriam peccati authoritatiuè, & vt cauſa principalis: cum hoc ſtat, quod per eius commiſsionem ac delegationem poſsit ſacerdos vt miniſter vtendo ſacramento, quod eſt inſtrumentum diuinæ virtutis, effectiuè cauſare remiſsionem offenſæ, non quidem immutando diuinam voluntatem, ſed cooperando infuſioni gratiæ in anima peccatoris media qua expellitur habituale peccatum, & deſtruitur offenſa.

Ad tertium nego antecedens. Ad cuius probationem dicendum eſt, quod licet peccatum tranſeat actu, manet tamen habitu, hoc eſt quo ad habitualem obliquitatem, & carentiam debitæ rectitudinis, ac gratiæ: nec non quoad ad dignitatem æternæ pœnæ, propter quas deformitates dicitur vinculum morale.

Ad fundamentum ſecundæ opinionis reſpondetur, quod ſuppoſita inſtitutione huius ſacramenti per modum iudicij, opportuit formam inſtitui per verbum indicatiui ſignificans actionem miniſterialem ſacerdotis, qui ſe habet vt iudex, in ſacramento verò Extremæ vnctionis fuit ſpecialis congruitas duplex, vt inſtitueretur eius forma per modum depræcationis.

Prima eſt, quia ſacerdos ibi ſe habet vt medicus, & non vt iudex.

Secunda eſt, quia ſanitas corporis, quæ eſt quidam effectus huius ſacramenti non ſemper confertur infalibiliter ex opere operato: ſed quandoque ex opere operantis & ob deprecationem miniſtri.

Fateor tamen potuiſſe Chriſtum à principio vtrumque ſacramentum vel eorum formas ſic, vel aliter inſtituere, ſcilicet per modum indicatiui, vel vtrumq; per modum, ac per verbum deprecationis, aut è contra: quoniam neque modus indicatiui denotat virtutem agentis principalis in miniſtro: neque modus depreca tionis excludit poteſtatem miniſterialem ad operandum efficaciter effectum talis ſacramenti.

Neque obſtat exemplum Apoſtolorum, qui licet accepiſſent poteſtatem patrandi miracula efficaciter, tamen acceperunt cum illa ſimul determinatum modum operandi illa (ſicut ſacramenta ex diuina inſtitutione determinatum modum habēt operandi ſuos effectus) ſed quandoque illa per deprecationem; quandoque vero per imperium operabantur: vt conſtat ex Matthæi 10. & Actorum 3. & notat D. Thomas hic ad 4.

Ad teſtimonia vero Leonis, & Chryſoſtomi reſpondetur quod ille non de forma ſacramentali, ſed de precationibus adiunctis antecedenter, & concomitanter loquitur, quando ait ſupplicationibus ſacerdotum remitti peccata, vel nō remitti ſine ſupplicationibus ſacerdotum: quia ſcilicet ſacerdos non abſoluit ſine aliquibus deprecationibus antecedenter, & concomitanter, & hoc totum appellat ſupplicationem: quibus nomine incluſi, vel formæ eſſentialis, vel per concomitantiam tribuit opus remiſsionis, vel etiam tātum vult quod remiſsio non fit ſine ſupplicationibus ſacerdotum, quia ſacerdotes ex vſu Eccleſię conſueuerunt non exhibere hanc formam ſacramentalem, ſine aliquibus adiunctis deprecationibus. Iſte vero formam hanc appellat orationem, non qualemcumque, ſed ſacramentalem. Ad fundamentum ſecundæ, & tertiæ opinionis patet ex dictis in ſecunda & tertia concluſione.

33 Hinc venit enodanda duplex difficultas. Prima eſt, an poteſtas clauium & virtus abſolutionis verſetur reuerà circa ipſam remiſsionem peccatorum quoad culpam? Secunda eſt, quā directè ſatis fit quæſito in titulo huius dubij principalis: quem ſenſum efficiunt hæc verba: *ego te abſoluo*, &c? *Enodatur duplex difficultas.*

Ad primam reſpondetur affirmatiuè contra ſectarios ſupra citatos negantes abſolute poteſtatem clauium in Eccleſia: nimirùm poteſtatem clauium & virtutem abſolutionis verſari circa deſtructionem peccatorum quoad culpam: & illam efficere in hoc ſacramento: cuius aſſertionis veritas colligitur ex huc uſque dictis.

Ad ſecundam reſpondent Suarius diſputatio 19. ſectione ſecunda, numero 13. & 19. & Valentia diſputatione octaua, quæſtione prima, puncto tertio: ſenſum huius formæ eſſe iſtum *ego tibi confero ſacramentum abſolutiuum, & de ſe cauſatiuum gratiæ*, vel iſtum *ego tibi confero gratiam quātū eſt ex parte ſacramēti*, ita vt virt⁹ cauſatiua ſacramēti, ſeu cauſalitas in actu primo ſit ſignificatū huius formæ: quā proinde dicūt ſemper verificari, quoties ſacramētū eſt validū: ſiue quis accedat ad illud iā in gratia cōſtitutus, ſiue indignè, & cum obice ſuſcipiat illud.

Digitized by Google

Quæ reſponſio probabilis eſt, & habet fundamentum in D. Tho. hic ad 5. dicente, quod hæc verba, *ego te abſoluo*, faciunt iſtum ſenſum, *ſacramentum abſolutionis tibi impendo*.

34 Alij vero ex Thomiſtis dicunt hæc verba facere iſtum ſenſum: confero tibi gratiam remiſsiuam peccatorum: quæ forma in primo caſu cum quis accedit iuſtificatus ad hoc ſacramentum verificatur, quia accipit maiorem gratiam per modum remiſsiuæ, & ſanatiuæ, licet actu non remittat peccata: ſicut qui accipit per accidens primam gratiam in Eucharistia, accipit illam per modum nutritiuæ, licet de facto non nutriat: in ſecundo autem caſu quando ponitur obex, forma falſificatur, & ideo ſuſceptio ſacramenti eſt ſacrilega.

Neque obſtat quod ſignificatio eſſentialis debet ſignificare cauſalitatem quæ eſt de eſſentia ſacramenti: hæc autem eſt cauſalitas in actu primo, quæ etiam in ſacramento informi reperitur, vt ſic forma ſemper ſit vera: quæ tamen verà eſſe non poteſt in eo caſu ſacramenti informis, ſi ſignificet actualem gratiæ cauſalitatem.

Non inquam obſtat, quia non inconuenit formam in eo caſu (dicunt iſti falſificari) poteſt enim retinere ſuam ſignificationem eſſentialem: hæc enim inuariabilis, & indefectibilis eſt: quamuis veritas ei deficiat, eo quod ſignificat gratiam cauſari actu, quando non cauſatur actu: ſtat enim eadem propoſitionem, v. g. *Petrus currit* retinentem eádem eſſentialem ſignificationem, ſcilicet eiuſdem obiecti, falſificari ex eo quod res ſignificata non ita ſe habet à parte rei.

Similiter neque D. Tho. eſt huic ſententiæ contrarius in d. ſolut. ad 5. nam dum ait ſenſum eſſe iſtum; ſacramentum abſolutionis tibi impendo; ly *abſolutionis*, poteſt intelligi & actiue ex parte abſoluentis, & ſic fauet primæ opinioni; & paſſiue ex parte recipientis abſolutionem, & ſic fauet ſecundæ: quia idem eſt conferre ſacramentum abſolutionis; atque conferre formam abſolutiuam, ſiue gratiam remiſſiuam peccatorum: vterque ſenſus proculdubio aptus, & conueniens eſt huic formæ; quare vnuſquiſque in eo quem maluerit, abundet.

Dubium tertium eſt, de ſufficientia formæ: ego te abſoluo: *an ſcilicet ſufficiens ſit ſine alijs verbis antecedenter, vel ſubſequenter adiunctis?*

25 IN hoc dubio, diſentiunt Theologi, tam circa verba de more antecedentia ad huiuſmodi formam, quam & maximè circa ſubſequentia, ideſt *ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris*, &c. exiſtimantes illa pertinere ad ſubſtantiam, vel integritatem talis formæ. *Difficultas dubij perpenditur.*

Quod ſuadent primo, ex quodam Concilio Moguntiæ celebrato anno Domini milleſimo quingenteſsimo quadrageſimo nono, vbi præcipitur ſacerdotibus, vt ſimplicibus verbis proferant abſolutionem, dicendo: *ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: neque non ex Florentino, & Tridentino, quæ dicunt vbi ſupra quod forma abſolutionis eſt hæc, *ego te abſoluo*, &c. in quibus particula illa, *&c.* clarè ſignificat quod forma abſolutionis non ſunt verba illa ſolum *ego te abſoluo*, ſed etiam illa *à peccatis tuis*, &c.

Secundo, quia illa verba, *ego te abſoluo*, non ſignificant determinate effectũ ſacramenti pœnitentiæ: ergo non ſunt forma ſufficiens: patet conſequentia quia forma debet ſignificare determinate effectum ſacramenti. Et antecedens probatur, quia illa verba ſunt indifferentia ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, & abſolutionem ab excommunicatione, vel cenſura: ergo non ſignificant determinate effectum ſacramenti.

Eo vel

Eo vel maximè, quia niſi dicatur in forma abſolutionis, *ab omnibus peccatis;* non explicatur perfectè effectus ſacramẽti huius: ergo illa particula neceſſaria eſt in forma huius ſacramenti.

Antecedens probatur, nam vt infra dicemus, vnum peccatum nequit remitti ſine alio: ergo non explicatur perfectè remiſsio omnium peccatorum niſi dicatur ab omnibus peccatis tuis.

Tertio, quia ſicut effectus baptiſmi cauſatur à miniſtro miniſterialiter, & principaliter à Deo: ita etiam effectus huius ſacramenti: ergo ſicut ad hoc explicandũ in forma baptiſmi fuit neceſſariũ exprimere perſonas Trinitatis: ita pariter in hoc ſacramento erit neceſſariũ ponere eadem verba.

Quarto, quia hæc verba *à peccatis tuis*, & in nomine Patris, &c. non addunt aliquid extraneum à ſenſu ſubſtantiali illorum verborum *ego te abſoluo*, ſed tantum determinant, & amplius explicãt proprias ſignificationes illorum: ergo pertinent ad formæ integritatem: probatur cõſequentia, quia in conſecratione calicis illa verba *noui & æterni teſtamenti*, &c. pertinent ad formæ integritatem, quia determinãt, & explicant ſignificationẽ præcedentium verborum: ergo ſimiliter in præſenti.

Propter hæc argumenta diuiſi ſunt Theologi in quatuor ſententias, prima fuit Gabrielis in 4. d. 14. q. 2. aſſerentis illa verba *ab omnibus peccatis tuis*, pertinere ad ſubſtantiam, & eſſentiam formæ huius ſacramenti.

Quam limitant Paludanus diſtinct. 22. quæſt. 3. & Angelus verbo *confeſsio* 5. §. 1. dicentes ad minus pertinere ad eſſentiam formæ illam particulam *à peccatis tuis* ſine ſigno diſtributiuo.

Secunda ſententia eſt Durandi in 4. diſtinct, 22. q. 2. & Angeli vbi ſupra aſſerentium eſſe de ſubſtantia huius formæ expræſſam inuocationem trium perſonarum.

36 Tertia eſt, quorundam Neothericorum aſſerentium dicta verba *à peccatis tuis, in nomine Patris & Filij*, &c. eſſe quidem de integritate huius formæ, licèt non de eſſentia: ſicut illa *noui & æterni*, &c. ſunt de integritate formæ cõſecrationis calicis, licèt non de eſſentia: ex quo inferũt primo: quod vis, & efficacia abſolutionis ad effectum remiſsionis peccatorũ communicatur etiam illis verbis *à peccatis tuis, in nomine Patris*, &c. taliter quod ſimul cum alijs concurrunt ad producendum illum effectum, non tamen ille eſſentialiter dependet ab illis, quia etiam ſine illis ſalua manet eſſentia ſacramenti.

Secundo inferunt quod in omittendis illis verbis eſt ſcrupulum peccati mortalis quia ſunt de eſſentia, vel de integritate formæ: ſicut eſſet peccatum mortale in conſecratione calicis omittere illa, *noui & æterni*, &c.

Quarta ſententia eſt communiter recepta, quam tenet D. Thomas hic, & opuſculo 22. Caietanus hic, & in ſumma, verbo *abſoluo*, D. Antoninus 3. part. titul. 17. capit. 22. §. 2. Syluester verbo *abſolutio* 6. 5, & 4. in quo citat Innocentium, & Hoſtienſem, Nauarro in Manuali capite 26. num. 11. & Suarius diſput. 19. ſect. 1. num. 16. aſſerentes formam huius ſacramenti eſſentialiter, & integrè ſaluari in illis verbis *ego te abſoluo*: neque non in iſtis, *abſoluo te*: ſupreſſo pro nomine *ego*: vtpotè quod in dicto verbo primæ perſonæ *abſoluo* ſubintelligitur, & quia hæc eſt vera ſententia pro eius declaratione.

37 Dico primo: in ſolis iſtis verbis *ego te abſoluo*: aut etiam in iſtis *abſoluo te* ſaluatur ſubſtantia & eſſentia formæ huius ſacramenti.

Hæc concluſio probatur primo, quia concilia prçallegata & Catheciſmus Pij Quinti dum aſsignant formam huius ſacramenti, dicunt eius eſſentiam in ſolis iſtis verbis *ego te abſoluo* conſiſtere.

Secundo probatur quia eſſentia formæ cuiuscumque ſacramenti conſiſtit & conſumatur in illis verbis, quibus ſignificatur effectus talis ſacramenti, & in quibus retinetur practica, & ſacramentalis ſignificatio: licèt aliquantulum varietur Grammaticalis, quæ veluti materialiter ſe habet ad eſſentiam ſacramenti. Sed per hæc verba *ego te abſoluo*, ſufficienter, & perfectè ſignificatur effectus huius ſacramenti, ſcilicèt abſolutio, & remiſsio peccatorum: neque non in iſtis *abſoluo te*, ſeu *libero te*, vel *remitto tibi*, &cet. licèt varietur aliquantulum Grammaticalis ſignificatio: retinetur tamen ſacramentalis, & eſſentialis ſignificatio eiuſdem effectus: ergo in illis ſaluatur eſſentialis forma huius ſacramenti.

Digitized by Google

Dico ſecundo: illa verba *à peccatis tuis*, & in nomine Patris, &c. neque ſunt eſſentialia, neque pertinent ad formam huius ſacramenti. Hæc concluſio probatur, quia illa verba nullo modo ad ſignificatũ eſſẽtiale huius ſacramẽti pertinẽt, quia ſignificatio eſſẽtialis ſaluatur in illis verbis: *ego te abſoluo*: neq; pertinẽt ad integrale ſignificatum, nã totus integer effectus huius ſacramenti ſignificatur per illa verba: *ego te abſoluo*: ergo. Neque eſt ſimile de illis verbis *noui & æterni*, &c. quia hæc determinant præcedẽtia, ſcilicet ſanguinis mei, & propterea pertinent ad integritatẽ formę, nã ſignificãt aliquid quod per pręcedẽtia non ſignificatur: at verò ſola illa verba: *ego te abſoluo* ſignificant totum integrũ effectum ſacramẽti, & ſic illa *à peccatis tuis* &c. Nihil ſignificant, quod non ſignificetur per præcedentia verba: & ideo non ſunt de integritate huius formæ. Vndè neque eſt peccatum mortale ſi quis ſacerdos abſoluat pœnitentem dicens ſolum: *Ego te abſoluo*, omittendo alia verba; licet aliquod veniale peccatum committat, quia recedit à cõmuni, & laudabili vſu Eccleſię.

38 Dico tertio: conueniens, & laudabile eſt adiungere aliquas preces antecedenter ad hanc formam, vt illas, *miſereatur tui*, &c. & ſubſequẽter, vt illas *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. Non tamen opportet multiplicare alia verba inſolita, neque apponere in abſolutione conditionem de præſenti, vel de præterito, aut de futuro.

Prima pars huius concluſionis eſt Diu. Thomæ in hoc articulo, & approbata in Concilio Tridentino ſeſ. 14. c. 4. quia per illas preces diſponitur pœnitens ad maiorem effectum ſacramenti.

Secunda verò pars probatur, quia in proferendo formas ſacramentorũ non eſt à conſuetudine, & traditione Eccleſiæ recedendum.

Denique tertia pars probatur à Caiet. & Nauar. vbi ſupra quia per conditionem de præſenti, vel de præterito irrogatur aliqua iniuria ſacramento, ad cuius dignitatem pertinet vt iuxta Chriſti inſtitutionem pœnitens abſoluatur abſolutè, & ſimpliciter: aut ei denegetur abſolutio: niſi neceſsitas, aut rationabilis cauſa cogat ſacerdotem ad abſoluendum, ſub conditione: quam tamen conditionem tunc non debet exprimere, ſed mente retinere. Quantum verò ad conditionem de futuro: vt *ego te abſoluo, ſi reſtituas*: quia præter peccatum ſacrilegij, talis conditio irritat abſolutionem; quia nequit habere vim, poſt adimpletam conditionem; quia non eſt in poteſtate ſacerdotis ſuſpendere effectum ſacramenti: eo quod ſacramenta agunt per modum agentis naturalis: neque ante impletam conditionem, quia deeſt intentio miniſtri; quæ tamen requiritur ad perficiendum ſacramentum, fit etiã iniuria ipſi pœnitenti: quia ſi accedit ſufficienter diſpoſitus habet ius ad abſolutionem, & eius effectum ſtatim recipiendũ.

Ex quibus ad primum in contrarium reſpondetur quod in illo Concilio non declaratur forma eſſentialis, ſed monentur ſacerdotes, vt abſoluant conſueto modo, & ideò ponit *in nomine Patris*, &c. quia iſte modus eſt conſuetus. Vndè præceptum illius Concilij cadit ſuper verba eſſentialia, & neceſſaria, & non ſuper alia. In alijs vero Concilijs additur illa particula, *& cet.* propter varietatem opinionum: non tamen voluerunt diffinire quod illæ particulæ erant de eſſentia, vel neceſsitate.

Ad ſecundum dicitur illa verba: *ego te abſoluo*, non eſſe indifferentia ad excommunicationem, & ad vincula alia, & peccata, ſed determinari ex modo proferẽdi, & ex circunſtantia, quia proferuntur circa confitentem peccata ſua.

Neque non, quia etiam ſi non dicatur *ab omnibus peccatis*, &c. explicatur ſufficienter effectus huius ſacramẽti, quia peccata mortalia ſunt connexa quantum ad remiſsionem, tum etiam quia indiffinita æquipollet vniuerſali in huiuſmodi locutionibus: tum denique, quia verba illa ſunt practica, & ideo indicant peccata omnia confeſſa.

Ad tertiũ nego cõſequentiã: ratio diſcriminis ſumitur ex Chriſti inſtitutione, qui voluit ſpecialiter in baptiſmo, & cõfirmatione poni expreſsã inuocationẽ Trinitatis, quia hæc ſacramenta per ſe ordinãtur ad profeſsionẽ fidei; cuius principale myſteriũ eſt Trinitatis: ſecus autẽ in ſacramento pęnitentię, & in alijs, in quibus ſufficit inuocari tacite, vel in exercitio Trinitatem ad denotandum Deum eſſe cauſam principalem gratiæ, ſacerdotem verò tantum miniſterialem.

Ad quartũ nego cõſequẽtiã, quia illa verba nihil addũt de neceſsitate ſacramẽti, vel de integritate formæ ſupra præcedẽtia.

AR

ART. IIII.

Vtrum impoſitio manuum ſacerdotis requiratur ad hoc ſacramentum?

4. co. gent. c 7. et op. 2. c. 4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod impoſitio manuum ſacerdotis requiratur ad hoc ſacramentum. Dicitur enim Marc. vlt Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Aegri autem ſpiritualiter ſunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc ſacramentum. Ergo in hoc ſacramento eſt manus impoſitio facienda.

2 Præterea. In ſacramento pœnitentiæ recuperat homo Spiritum ſanctum amiſſum: vndê ex perſona pœnitentis dicitur in Pſalm. 50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Sed Spiritus ſanctus datur per impoſitionem manuum: legitur enim Actor. octauo, quod Apoſtoli imponebant manus ſuper illos, & accipiebãt Spiritum ſanctum. Et Matthæi decimononono dicitur, quod oblati ſunt Domino paruuli, vt eis manus imponeret. Ergo in hoc ſacramento eſt facienda manus impoſitio.

3 Præterea. Verba ſacerdotis in hoc ſacramento non ſunt maioris efficaciæ quam in alijs ſacramentis. Sed in alijs ſacramentis non ſufficiũt verba miniſtri, niſi aliquem actum exerceat: ſicut in baptiſmo ſimul cũ hoc, quod ſacerdos dicit: ego te baptizo, requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam ſimul cum hoc quod ſacerdos dicit, ego te abſoluo, oportet quôd aliquem actum exerceat circa pœnitentem, imponendo ei manus.

Sed contra eſt, quod cum Dominus dixit Petro. Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. nullam mentionem de manus impoſitione fecit: neque etiam: cum omnibus Apoſtolis ſimul dixit. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Nõ ergo ad hoc ſacramẽtum requiritur impoſitio manuum.

Reſpondeo dicendum, quod impoſitio manuum in ſacramentis Eccleſiæ fit ad deſignãdum aliquem copioſum gratiæ effectum: quo illi quibus manus imponuntur, quodãmodo per quamdam ſimilitudinem cõtinuantur miniſtris, in quibus cõpia gratię eſſe debet. Et ideô manus impoſitio fit in ſacramento confirmationis; in quo confertur plenitudo Spiritus ſancti: & in ſacramento ordinis; in quo confertur quædã excellentia poteſtatis in diuinis myſterijs. Vndê & 2. ad Timoth. 1. dicitur, reſuſcites gratiã Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum meatum. Sacramentum autem pœnitentię non ordinatur ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ; ſed ad remotionem peccatorum. Et ideô ad hoc ſacramentum non requiritur manuum impoſitio, ſicut etiam nec ad baptiſmum: in quo tamen fit plenior remiſſio peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod illa manus impoſitio non eſt ſacramentalis, ſed ordinatur ad miracula perficienda, vt ſcilicet per contactum manus hominis ſanctificati, etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut etiam legitur de Domino, Marci ſexto quod infirmos manibus impoſi-

poſitis curauit: & Matth. 8. legitur, quod leproſum mundauit per contactum.

Ad ſecundum dicendum, quod non quælibet acceptio Spiritus ſancti requirit manus impoſitionem: quia etiam in baptiſmo accipit homo Spiritum ſanctum, nec tamē fit ibi manus impoſitio. Sed acceptio Spiritus ſancti cum plenitudine requirit manus impoſitionē, quod pertinet ad confirmationem.

Ad tertium dicendum, quod in ſacramentis, quæ perficiuntur in vſu materiæ, miniſter habet aliquem actum corporalem exercere circa eum, qui ſuſcipit ſacramantum: ſicut in baptiſmo, & in confirmatione & extrema vnctione. Sed hoc ſacramentum non conſiſtit in vſu alicuius materiæ exterius appoſitæ: ſed loco materiæ ſe habent ea quæ ſunt ex parte pœnitentis. Vndê ſicut in euchariſtia ſacerdos ſola prolatione verborum ſuper materiā perficit ſacramentum: ita etiam ſola verba ſacerdotis abſoluentis ſuper pœnitentem, perficiunt abſolutionis ſacramentum. Et ſi aliquis actus corporalis eſſet ex parte ſacerdotis neceſſarius, non minus competeret crucis ſignatio, quæ adhibetur in euchariſtia, quam manus impoſitio, in ſignum quod per ſanguinem crucis Chriſti remittuntur peccata. Et tamen non eſt de neceſsitate huius ſacramenti, ſicut nec de neceſsitate Euchariſtiæ.

Concluſio eſt, talem manuum impoſitionem quæ laudabiliter, aut etiam neceſſario fit in alijs ſacramentis non eſse neceſſariam in iſto, ſicut neque in baptiſmo, quia non ordinantur ad conſequendam aliquā excellentiam gratiæ, ſed ad remiſſionem peccatorum.

ART. V.

Vtrùm hoc ſacramentum ſit de neceſsitate ſalutis?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſacramentum non ſit de neceſſitate ſalutis. Quia ſuper illud Pſal. 125. † Qui ſeminant in lachrymis, &c. dicit gloſſ. Noli eſſe triſtis, ſi adſit tibi bona voluntas, vnde metitur pax. Sed triſtitia eſt de ratione pœnitentiæ, ſecundum illud 2. Corinth. 7. Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Ergo bona voluntas ſine pœnitentia ſufficit ad ſalutem.

ſup. q. 65. a. 1. co. et a 2. ad 4. & a. 4. co. et 4 d. 14 q. 2. a. 5. & in pr. exp. lit. & 4. cō. c. 71.

Aug. in hoc loco tom. 8.

2 Præterea, Prouerbiorum decimo dicitur, vniuerſa delicta operit charitas: & infra 15. Per miſericordiam, & fidem purgantur peccata. Ergo habendo charitatem, & fidem & miſericordiam, poteſt quiſque ſalutem conſequi, etiam ſine penitentiæ ſacramento.

3 Præterea, Sacramenta Eccleſiæ initium habent ab inſtitutione Chriſti. Sed ſicut legitur Ioan. octauo, Chriſtus mulierem adulteram abſoluit abſque pœnitentia. Ergo videtur quod pœnitentia non ſit de neceſsitate ſalutis.

Sed contra eſt, quod Dominus dicit Luc. octauo, ſi pœnitentiā non habueritis, omnes ſimul peribitis.

Reſ-

Reſpondeo dicendum, quod aliquid eſt neceſſarium ad ſalutem dupliciter. Vno modo abſolute: alio modo ex ſuppoſitione. Abſoluté quidem neceſſarium ad ſalutē eſt illud, ſine quo nullus ſalutem conſequi poteſt: ſicut gratia Chriſti, & ſacramentum baptiſmi, per quod aliquis in Chriſto renaſcitur. Ex ſuppoſitione autem eſt neceſſarium ſacramentum pœnitentiæ: quod quidem eſt neceſſarium non omnibus, ſed peccato ſubiacentibus. Dicitur enim 2. Paralyp, vltim. Tu Domine Deus iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abrahan & Iſaac & Iacob, ijs qui tibi non peccaueruht. Peccatum autem cum conſummatum fuerit, generat mortem: dicitur Iacobi primo. Et ideô neceſſarium eſt ad ſalutē peccatoris, quod peccatum remoueatur ab eo Quod quidem non poteſt fieri ſine pœnitētiæ ſacramento, in quo operatur virtus paſsionis Chriſti per abſolutionem ſacerdotis ſimul cū opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad deſtructionem peccati. Sicut enim Auguſtinus * ſuper Ioannem, Qui creauit te ſine te, non iuſtificauit te ſine te. Vnde patet quod ſacramentum pœnitentiæ eſt neceſſarium ad ſalutem poſt peccatum, ſicut medicatio corporalis, poſtquam homo in morbum periculoſum incideret.

extra. 72 colli. to. 9 de verb. Apoſt. ſerm. 15. io. 10

Ad primum ergo dicendum, quod gloſſ.* alia videtur eſſe intelligenda de eo, cui adeſt bona volūtas ſine interpolatione, quæ fit per peccatū talis enim non habet triſtitiæ cauſam. Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non poteſt reſtitui ſine triſtitia, qua quis dolet de peccato præterito: quod pertinet ad pœnitentiam.

ſit. in art.

Ad ſecundum dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides, & miſericordia non liberant hominem â peccato ſine pœnitentia. Requirit enim charitas, quod homo doleat de offenſa in amicum commiſſa, & quod amico homo ſtudeat ſatisfacere. Requirit etiam ipſa fides, vt per virtutem paſsionis Chriſti, quæ in ſacramentis Eccleſiæ operatur quærat iuſtificari a peccatis. Requirit etiam, & ipſa miſericordia ordinata, vt homo ſubueniat pęnitendo ſuæ miſeriç, quam per peccatum incurrit: ſecundum illud Prouerbior. 14. Miſeros facit populos peccatum. Vndê Eccleſiaſt. 30. dicitur, miſerere animæ tuæ, placens Deo.

Ad tertium dicendum, quod ad poteſtatem excellentiæ, quam ſolus Chriſtus habuit (vt ſupra dictum eſt *) pertinuit quod Chriſtus effectum ſacramenti pœnitentiæ, qui eſt remiſsio peccatorum, contulit mulieri adulteræ ſine exterioris pœnitentiæ ſacramento; licêt non ſine interiori pœnitentia, quam ipſe in ea per gratiam eſt operatus.

q. 64. art. 3

RESPONSVM Angelici Doctoris eſt, ſacramentum pœnitentiæ abſolutè, & per ſe loquendo non eſſe neceſſarium hominibus ad ſalutem: benè tamen ex ſuppoſitione peccati mortalis commiſsi poſt baptiſmum.

39 Quoniam ſacramentum pœnitentiæ ſupponit pro confeſsione ſacramentali: immo & nomine confeſsionis à Patribus Eccleſiæ ſolet nuncupari, vt videre eſt apud Symacum Papam, Apologia contra Anaſtaſium Imperatorem, relatum à Mariano Victore in libro de Confeſsione capite ſecundo, apud Cyprianum epiſtola decima, & Auguſti, epi. 180. qui pro eodem accipiunt ſacramentum pœnitentiæ, & confeſsionē

illud quandoque vno, & quandoque alio nomine appellantes: necnon ſub nomine Chriſtianæ pœnitentiæ, ſiue exomologeſys, & reconciliationis exprimentes quatuor dubia, quæ de confeſsione à Theologis, & Iuriscanonici Profeſſoribus diſputari ſolent, eadem in præſentiarum, tum pro commentario huius articuli veniunt diſcutienda, tum etiam ad intelligentiam illius celebris decreti Concilij Lateranenſis ſub Innocentio Tertio celebrati, quod refertur in capite *Omnis vtriuſq; ſexus*, de pœnitentijs, & remiſsionibus lib. 6. decretaliũ, ſub his verbis, *Omnis vtriuſq; ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctã ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: niſi forte de proprij Sacerdotis Conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioquin viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſijs publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio ſacerdote, cum aliter ipſe illum non poſsit abſoluere, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati: ex quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere Conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum. Caueat autem omnino ne verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori Conſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſsione perſonæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verumetiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.*

Hæc Innocentius, & Concilium Lateranenſe in ſuo decreto: ad cuius intelligentiam quatuor diſcutienda ſunt, nimirum an ſacramentum pœnitentiæ, ſiue cõfeſsionis ſit neceſſarium ad ſalutem: & an hæc neceſsitas ſit Iuris Diuini, vel ſolius Eccleſiaſtici. Rurſus, an confeſsio ſacramentalis debeat eſſe integra & ſecreta; ac tandem, an in aliquo caſu poſsit fieri laico? Quæ ſingulis dubijs eodem ordine ſunt examinanda.

Dubium primum eſt. An ſacramentalis confeſsio ſit neceſſaria ad ſalutem, neceſſitate medij ex Chriſti inſtitutione?

40 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo quod ſacramentũ confeſsionis auricularis fuerit a Chriſto Domino inſtitutum vt a baptiſmo condiſtinctum, in remedium neceſſarium ad remiſsionem peccatorum actualium poſt baptiſmum commiſſorum: aduerſus duos errores ſectariorum: quorum vnus fuit quorumdam aſſerentium confeſsionem inſtitutam fuiſſe immediatè à Deo, aut in paradiſo ſtatim poſt Adami peccatum, quando illum interrogauit: *Quid feciſti?* aut poſtea in lege ſcripta, quando ſacrificia determinata pro peccatis inſtituit. Quibus fauere videtur Vvaldenſis tomo 2, de ſacramentis cap. 240. dicens: confeſsionem non fuiſſe primo inſtitutam à Chriſto, vtpotè cum iam fuiſſet in lege veteri.

explicatur id in quo Theologi cõueniunt.

Alter eſt Vviclephi, Caluini, & Lutheri negantium in confeſsione Vvitemvergenſi, & Antuerpienſi aliquod dari ſacramentum pœnitentiæ à baptiſmo diſtinctum à Chriſto inſtitutum, aut ad ſalutem neceſſarium: vt referunt Caſtro contra hæreſes, verbo *confeſsio*; Prateolus in elencho hæreſum, verbo *Lutherani* Roffenſis art. 8. & 9. & Tiletanus contra poſteriorem confeſsionem cap. 18. Petrus de Soto contra poſteriorem, & Ruardus Taper. art. 3. quoniam exiſtimabant ſufficere ad ſalutẽ credere, & baptizari, iuxta illud Matthæi vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Huiuſmodi autẽ ſacramentum ſpeciale confeſsionis fuiſſe

huma-

humanum inuentum ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi introductum ſub præcepto.

41 Sed noſtra ſuppoſitio aduerſus vtrumque errorem ſtatuitur, vt certa ſecundum fidem. Et contra primam probatur, quia poteſtas remittendi peccata non fuit hominibus data ante Chriſti aduentum, ad cuius poteſtatem propriam excellentiæ, quam nulli alteri de facto communicauit, pertinet inſtituere ſacramenta tãquam ſigna, & inſtrumenta operatiua gratiæ: vnde neque in lege naturali, aut ſcripta fuerunt ſacramenta conferentia gratiã ex opere operato, aut culpas remittentia. Si quæ ergo fuit confeſsio peccatorum in alterutro illorum ſtatuum, aut fuit interior ad Deum ſicut illa Dauidis Pſalmo 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino*: aut fuit generalis dumtaxat, & ceremonialis, quæ legi gratiæ erat promiſſa tanquam proprium eius beneficium.

Contra ſecundum vero errorem probatur, quia eſt diffinita in Concilio Conſtantienſi ſeſsione 8. & 15. & in Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino ſeſsione 7. & ſeſsione 14 cap. 1. ob eã rationẽ, quia nõ eſt minor neceſsitas in hominibus baptizatis, neque minus periculi in peccatis quæ poſt baptiſmum committunt, quam in præcedentibus baptiſmum: ac proinde ſicut ad prouidentiam Chriſti pertinuit remedium regenerationis, ita & aliud principium regenerationis inſtituere, quo à peccatis actualibus poſſent reſurgere: quod quidem à baptiſmo eſſe diſtinctum patet ex tribus. Tum ex fine & effectũ quia finis & effectus baptiſmi, eſt remiſsio originalis culpæ: confeſsionis vero, eſt remiſsio actualium: vnde & illa eſt prima regeneratio ſpiritualis ad primam vitam animæ, hæc vero eſt veluti reſurrectio ſpiritualis ad recuperandam vitam animæ amiſſam per ſe primo ordinata. Tũ etiam ex ritu diuerſo, cum quo vtrumque ſacramentum celebratur: illud enim per modum regenerationis, & ablutionis, iſtud vero per modum iudicij celebratur. Tum denique ex diuerſa materia, & forma, ex quibus fit vtriuſque compoſitio: illud enim ex ablutione. & verbis ſignificantibus, iſtud vero ex accuſatione, & ſententiæ prolatione vt ex materia, & forma componitur: & quamuis omnes Catholici in hac ſuppoſitione conueniant nimirum quod hoc ſacramentum quantum ad confeſsionem fuerit à Chriſto Domino inſtitutum: ſiue immediatè, ſiue mediatè: diſcriminantur vero circa tempus inſtitutionis ipſius.

Alij enim cũ Armacano de quæſtionibus Armenorum capit. 6. & 14 volunt fuiſſe inſtitutum in prima vocatione Apoſtolorum. Alij cum Alenſi 4 parte quæſt, 59. membro 3, & quæſt. 66. membro 1. artic. 2. putant fuiſſe inſtitutum a Chriſto ante mortem, quantum ad materiam quidem Matthęi 3. & Lucæ 14. quantum vero ad formam Matthæi 16. & 18. quando Chriſtus tradidit Apoſtolis poteſtatem clauium.

Alij cum Soto in 4, diſtinctio. 3. quæſtione 1. art. 3. ad 5. volunt fuiſſe inſtitutum in vltima cœna quando Chriſtus ordinauit Apoſtolos in ſacerdotes. Rurſus alij de quorum numero ſunt Bonauentura in 4. diſtinct. 17. in 2. part. artic. 1. quæſt. 3. Panormitanus & gloſſa de pœnitentia diſtinctione quinta, dicunt fuiſſe à Chriſto tantum inſinuatum, ab Apoſtolis vero ex Chriſti commiſsione fuiſſe poſtea inſtitutum quantum ad confeſsionẽ, cuius inſtitutionem promulgauit Diu. Iacobus c. 5. cum dixit: *Confitemini alterutrũ peccata veſtra.* Sed verior & communior ſententia eſt Diu. Thomæ art. 7. ſequenti aſſerentis fuiſſe inſtitutum à Chriſto perfectè, & completè poſt reſurrectionem, licet ante mortem fuerit eius inſtitutio inchoata.

De qua videndi ſunt Suarius in commentario dicti articuli ſeptimi, & diſputat, 17. ſectione 1. & Valentia ibi puncto primo Idque colligitur ex illo Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c vbi Chriſtus contulit Sacerdotibus poteſtatem remittendi peccata in ſacramentali confeſsione, quã promiſſerat Matthæi 16. & 18. tunc enim hoc ſacramentum fuit completè inſtitutũ, quando ſacerdotibus data eſt poteſtas ligandi, & abſoluendi, vtpotè à qua dependet forma abſolutionis per quam eſſentialiter perficitur hoc ſacramentum: & quam Lucæ vltimo manifeſtauit Chriſtus dicẽs oportere prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum; & præmiſſerat, atque obumbrauerat Matth. 4. dicens: *Pœnitentiam agite*, & 16. dicens: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Sic intelligendus eſt Doctor Angelicus in dict. art.

7. dum

7. dum ait inſtitutionem huius ſacramenti fuiſſe à Chriſto quaſi per partes ſigillatim factam, quod explicans in 4. d. 22. q. 2. art. 3. quæſtiuncula 3. ait huius ſacramenti inſtitutionem fuiſſe factam Matth. 4. quoad vtilitatem, Lucæ 13. quoad neceſsitatem, & Ioan. 20. quoad efficaciam, & neceſsitatem: ac proindè abſolutè, & ſimpliciter tunc fuiſſe inſtitutum determinatur à Patribus Cōcilij Trid. in dict. ſeſs. 14. c. 1. quia tūc, & nō antea data eſt hui⁹ ſacramenti, & gratiæ peccatorum actualium remiſsiuę operatiua poteſtas: verba autem Concilij ſunt hæc: *Dominus autem ſacramentum tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflauit diſcipulis ſuis dicens: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt: quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.*

42 Diſcriminantur autem in explicando, an ſuppoſita hac Chriſti inſtitutione & ex vi illius ſit hoc ſacramentum confeſsionis neceſſarium medium ad ſalutem & peccatorum actualium poſt baptiſmum commiſſorum remiſsionem, in duas ſententias. Affirmans eſt Hugonis Victorini in ſumma tractatu 5. cap. 11. & lib. 2. de ſacramentis parte 14. capit. 8, Ricardi de ſancto Victore lib. de poteſtate ligandi atque ſoluendi capit. 12 & Medinæ Complutenſis de pœnitentia tract. 2. queſt. de effectu abſolutionis: qui in peccato mortali diſtinguentes maculā culpæ, & reatum pœnæ æternæ: fatentur confeſsionem ſacramentalem in re ſuſceptam eſſe medium ad tollendum ſecundum effectum, neceſſarium: ſecus vero ad tollēdum primum.

Quorum fundamentum eſt duplex primum, nam ſine medio neceſſario nequit comparari finis. Sed ſine confeſsione ſacramentali, licèt poſsit remiſsio culpæ quoad maculam, eoquod poteſt haberi contritio formata charitate, per quam ſufficienter tollatur talis culpa, nequit tamē obtineri remiſsio pœnæ æternæ: ergo non eſt medium neceſſarium, niſi dumtaxat ad ſecundum effectum. Minor pro prima parte probatur ex Concilio Tridētino ſeſs. 14. cap. 4.

Pro ſecunda vero probatur, quia poteſtas ad remittenda peccata: quatenus eſt clauis Regni cœlorum debet eſſe ad tollenda peccata: quatenus impediunt ingreſſum regni cœlorum: ſic enim & non aliter debet cœlum ipſum aperire: impediunt autem peccata ingreſſum regni non per culpam, ſed per reatum ęternæ damnationis ſiue pœnæ æternæ damni: ergo ad eius remiſsionem dumtaxat cōfeſsio eſt neceſſaria.

43 Secundum eſt: nam ſacramentalem confeſsionem eſſe neceſſariam ad remiſsionem peccatorum poſt baptiſmū commiſſorum, eſt dogma certum fidei, ſiue hæc neceſsitas à iure diuino, ſiue ab humano Eccleſiaſtico dumtaxat promanauerit, ſiue ex Scriptura, ſiue aliunde colligatur: at hæc neceſsitas de confeſsione in voto verificari non poteſt: cum incertum ſit apud Theologos quid ſit confeſsionē eſſe neceſſariam in voto, apud quos tamen certiſsimum eſt illam eſſe neceſſariam ad remiſsionem peccatorum: ergo eſt neceſſaria, vt in re ſuſcepta.

Minor oſtenditur declarando & referendo ſingulos modos, quibus intelligi poteſt neceſsitas confeſsionis in voto: qui ſunt quatuor excogitabiles, quia aut confeſsionem eſſe medium neceſſarium ad remiſsionem peccati eſt talem remiſsionem non dari niſi ſub conditione ſuſcipiēdi ſacramentum confeſsionis: aut eſt neque remiſsionem peccati, neque veram cōtritionem haberi poſſe ſine propoſito confitendi: aut eſt contritionem ipſam ita connecti cum ſacramentali confeſsione, & ab illa dependere, vt in hoc ſtatu legis gratiæ non niſi in virtute eiuſdem confeſsionis, ac per ipſius deſiderium cauſetur: aut tandem eſt per contritionem abſolutè remitti peccata actualia cum ordine tamen ad cōfeſsionem: ſed nullus modus videtur ſufficiens.

Non quidem primus, quia exiſtente contritione ſimul homo iuſtificationis gratiā cōſequitur, ac remiſsionē peccati mortalis, vtpotè cū teſtè Paulo ad Rom. 8. in regeneratis, ideſt iuſtificatis nihil maneat damnationis: ſi autem non abſolutè, ſed ſub conditione confitendi conſequeretur huiuſmodi remiſsionem, non haberet effectum vſque ad euentum conditionis: ſiquidem contractus conditionalis aut promiſsio, non ſortitur effectum niſi adimpleta conditione: ſicut neque condi-

tiona

tionalis ponit aliquid in eſſe quoad vſque conditio ponatur in eſſe; ſicq; contingeret contritum & in charitate exiſtentem eſſe inuiſum Deo, & tali culpa infectũ & æternam ſubire damnationẽ ſi ante exhibitam confeſsionem decedat, quæ incõuenientia nullatenus ſunt admittenda.

Secundus vero deficit, quia ad contritionem habendam non eſt minus neceſſarium habere propoſitum cuiuſcumque actus alterius virtutis cadentis ſub præcepto, puta colendi parentes. aut reſtituendi alienum, quam confeſsionis: ergo ſi nomine huius præcepti & propoſiti confeſsio dicitur in voto neceſſaria ad remiſsionem peccatorum, pariformiter cultus parentũ & reſtitutio; aut quilibet alterius virtutis actus dicetur medium neceſſarium ad ſalutem: quod non eſt admittendum.

Tertius impugnatur, quia votum confeſsionis, aut eſt ipſammet contritio, aut quidpiam in illa incluſum, aut ad illam conſequutum: ſed neque idem in virtute ſui ipſius, neque prius à poſteriori cauſari poteſt: ergo neque contritio in virtute voti confeſsionis dari poteſt, ſed ſolum in virtute auxilij à Deo infuſi, nihil tunc operāte ſacramentali confeſsione, quæ ſicut nõdum exiſtit, ita neque propriè operari poteſt.

Quartus denique deficit, quia ordo ad confeſsionem nihil addit ſupra confeſsionem præter puram extrinſecam denominationem ex parte pœnitentis, qui dum conteritur, ſimul tenetur habere propoſitum confitendi: ergo neceſsitas cõfeſſionis in voto confunditur cum neceſsitate contritionis.

Secunda ſententia ſicut confeſsioni in re ſuſceptæ denegat neceſsitatem medij, ita illam eidem disiunctim in re, vel in voto concedit.

Quam ſequuntur cum Magiſtro in 4. diſtinct. 17. Diu Thom. ibidem quæſtione 3. art. 3. quæſtiuncula 1. & quarto contra gentes cap. 62. Bonauentura ibidem diſt. 14. art. 1. quæſtione 4. Durandus quæſt. 2. Soto quæſtione 2. artic. 1. & diſtinction. 14. quæſtione 1. art. 1 Gabriel ibidem quæſt. 2. ar. 2. & diſtinction. 16. quæſt. 1. art. 3. Ricardus art. 1. quæſt. 1. Cano in relectione de confeſsione parte 5. Adrianus quæſt. 1. de confeſsione, Nauarr. in ſumma capit. 1 numero 15. & Suarius diſputat. 17. ſection. 3. qui authores in duos modos dicendi diuiduntur: alij enim cum Bonauentura, Paludano, & Durando dicunt per confeſsionem in voto intelligi contritionem cum deſiderio & propoſito explicito ac formali accedendi ad ſacramentum pœnitentiæ.

Quod ſibi perſuadent ex triplici inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia, primum eſt, quod alias ſola contritio ex innata virtute ſua ſine ordine ad claues non ſufficeret ad iuſtificationem, ſi quidem ſola illa includit propoſitum ſeruandi omnia mandata, ac proinde confitendi peccata legitimo ſacerdoti, quod eſt vnum ex huiuſmodi mandatis: conſequens autem eſt contra Concilium Tridentin. ſeſsion. 6. capite 14. & ſeſsione 14. capite 4.

Secundum eſt, quia alias non minus iuſtificaret contritio in voto reſtitutionis, aut ſeruandi aliud præceptum, quã contritio in voto ſeu cum voto huius ſacramenti, quod tamen non eſt admittendum.

Tertium eſt, quod alias hæreticus vel chiſmaticus conſequeretur remiſsionem ſuorum peccatorum ſine expræſſo propoſito reconciliationis cum Eccleſia: conſequens autem eſt contra Auguſtinũ, lib. de vera & falſa regione, capite 12. ergo.

Cæteri verò authores nomine confeſsionis in voto intelligunt contritionem cum propoſito implicito ac virtuali accedendi ad hoc ſacramẽtum: quaſi iſtud votum confeſsionis implicitum ac virtuale, ideſt accedendi ad ſacramentalem confeſsionem, quod eſt expræſſum ac formale ſeruandi omnia diuina mãdata ſuppoſita inſtitutione ac neceſsitate huius ſacramenti, ſit medium ſufficiens ad remiſsionem peccatorum actualium obtinendam.

45 Pro cuius ſententiæ declaratione: dico primo, ſacramentalis confeſſio in re ſuſcepta non eſt medium neceſſarium ad remiſsionem peccati actualis quo ad culpam, neque quoad pœnam æternam.

Mẽs authoris explicatur per duas cõcluſiones. Prima ſacramẽtalis cõfeſsio in re ſuſcepta nõ eſt mediũ neceſſarium, &c.

Hec concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ: & pro prima parte ab ipſis admittitur, probaturque efficaciter ex primo eorũ fundamẽto. pro ſecũda vero part. probatur, nã neceſsitas huius ſacramenti in poteſtate clauiũ fundatur, quam Chriſtus Matthæi 16. & Ioã

nis

nis 18. Petro. & alijs Apoſtolis promiſsit dicens: quodcumque ligaueris, & quodcumque ſolueris, &c. ſed hæc primario reſpicit culpam, & ſecundario pœnæ æternæ remiſsionem: ergo & neceſsitas primo in ordine ad culpæ, & ſecundo in ordine ad pœnæ remiſsionem attendi debet.

Minor patet dupliciter: tum quia tunc alicui propriè aperitur regnum cœlorum, quod antea per culpam clauſum erat, quando remittitur culpa: ſiquidem tunc datur ei ius ad regnum ratione cuius acceptatur ad ilud. Tum etiam patet ex propria verborum ſignificatione, quibus data fuit ſacerdotibus hæc poteſtas, & inſtitutum huiuſmodi ſacramentum, ſignificatur dari, & inſtitui ad culpas remittendas: hoc enim ſignificant illa verba Ioannis 20. *Quorum remiſſeritis peccata remittuntur eis*, & Lucæ vltimo oportet, *in nomine eius pœnitentiam remiſsionem peccatorum*: quæ in ſenſu literali ac proprio, quem Auguſtinus lib. 30. de doctrina Chriſtiana, cap. 10, & Athanaſius in libro de communi eſſentia in verbis ſacræ Scripturæ quãdo ex illo nullum contra fidem, aut bonos mores ſequitur inconueniens, docent eſſe retinendum: ſignificant remiſsionem peccati, quo ad culpam, ſicut nomen ipſum peccati non pœnam, ſed culpam denotat: ergo.

Secundo, quia proprium munus huius poteſtatis ac ſacramenti eſt reconciliatio peccatoris cum Deo, vt colligere licèt ex Conciliorum & Patrum doctrina præſertim Florentini in litteris vnionis, Conſtantienſis in bulla contra errores Ioannis Hus, & Tridentini ſeſsione 14 capit. 10. & 4. aſſerentium Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem reconciliandi homines cum Deo: ipſamque reconciliationem quando homo iuſtificatur per contritionem, non eſſe contritioni adſcribendam ſine voto ſacramenti: & huiuſmodi reconciliatio hominis cum Deo ſit, nõ per ſolius pœnæ, ſed culpæ remiſsionem; cum reconciliari ſit in amicitiam reſtitui: propterea enim Paulus ait ſecundæ Chorinthiorum 5. poſuit in manibus myſterium reconciliationis, ideſt vnionis, atque amicitiæ hominum cum Deo: ergo.

Tertio probatur, nam non poteſt ſecundum legem ordinariam conferri remiſsio culpæ mortalis, quin ſimul tollatur reatus pœnæ æternæ, & excluſio à regno: neque è cõtra, cum reatus huiuſmodi fundetur in ipſa culpa ſicut in radice: ac proindè ablata hac, neceſſe eſt & illum auferri, & illo ablato, opus eſt & hanc auferri: alioquin homo iuſtificatus per ſolã contritionem, ſine hoc ſacramento in re ſuſcepto, & in gratia exiſtens ſi decedat ſine noua culpa, adhuc æternam damnationem ſubiret: ſiquidem maneret cum reatu pœnæ æternæ: quod eſt erroneum: ergo nullatenus dicendum eſt poſſe ſine hoc ſacramento in re ſuſcepto remitti culpam, & non reatum pœnæ æternæ, aut illud eſſe medium neceſſarium ad huius, & non illius remiſsionem.

46 Dico ſecundo: ſacramentalis confeſsio eſt medium neceſſarium ad remiſsionem peccatorum non tamen in re, ſed in voto implicito.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primi modi defendendi ſecundã ſententiam, & pro prima parte in qua cum eis conuenimus: probatur: nam hoc ſacramentum confeſsionis ita eſt à Chriſto inſtitutum, vt eius ſuſceptio ſit diſpoſitio neceſſaria ex parte noſtra ad obtinendam remiſsionem peccatorum actualium, licèt enim hæc aliquandò deleatur ante ſacramentum in re ſuſceptum, nimirum per contritionem ſemper tamen obtinetur cum ordine ad confeſsionem; & permanet obligatio confitendi mortalia peccata per ſacramentalem confeſsionem, vt in contractu hominis contingit, qui celebratur ante ſolutionem pretij, cum traditione rei vendita, cuius dominium, licèt obtineatur abſolutè ab emptore, obtinetur tamen in ordine ad ipſum ſoluendum, cuius ſoluendi obligatio perſeuerat in emptore, quouſque & ipſa ſoluatur, quo ſoluto completur prior contractus: hocque ſufficit vt dicamus prætium eſſe medium neceſſarium ad talis rei emptionem, illiuſque dominiũ obtinendum: ergo idem pariformiter ſufficiet vt ſacramentalis confeſsio ſit medium neceſſarium ad remiſsionem peccatorum actualium obtinendam: quamuis hæc quandoque ante confeſsionem in re ſuſceptam obtineatur.

47 Deindè ſecunda pars ſuadetur primo, quia ad obtinendam remiſsionem peccatorum ſufficit vera contritio, vtpotè cum hæc ſit vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, habenſque cum illa neceſſariam connexionem, & incompatibilitatem cum peccato mortali: ſed vera

Digitized by Google

contritio per charitatem formata haberi poteſt ſine voto explicito confeſsionis: ergo. Minor probatur, quia poteſt contingere aliquem non recordari actualiter de confeſsione, ſed habere, aut illius obliuionē, aut inuincibilē ignorantiā, & nihilominus habere, veram de ſuis peccatis contritionem, ſiquidem cūm tali obliuione, aut inuincibili ignorantia poteſt habere omnes actus, ſcilicet fidei, ſpei, dilectionis Dei ſuper omnia, & deteſtationis peccati, ad perfectam contritionem requiſitos: ergo.

Secundo probatur, nam ſi votum ſiue propoſitum explicitum confeſsionis requireretur ad remiſsionem peccatorum obtinendam, hæc neceſsitas eſſet, aut quia ſine illo vera contritio dari nō poſsit, aut quia ſine illo dato non ſufficeret ad remiſsionem peccatorum, aut quia deberet huiuſmodi votum ſupplere vicem ſacramentalis confeſsionis, in cauſando gratiam ex opere operato, neque enim aliud caput ex cogitari poteſt, vnde hæc neceſsitas poſſit prouenire: ſed non prouenit ex primo quia ſine tali propoſito poteſt dari vera contritio, vt oſtenſum eſt, in eo qui dolet de peccatis propter Deum ſumme dilectum, ſine expræſſa recordatione confeſſionis.

Præterquam quod oppoſitum derogat diuinæ libertati atque doctrinæ Cōcilij Tridentini ſeſsion. 14, capite quarto. illi quidem, quia eſt contra diuinam libertatem, Deum non poſſe conferre auxiliū efficax gratiæ excitantis ad dolorem contritionis eliciendum ei, qui non habet expræſſam recordationem cōfeſsionis: huic vero quia docet ad veram contritionem, quæ includit votum ſacramenti ſufficere cum deteſtatione propoſitum ſeruandi omnia mandata, quod planè eſt implicitum confeſsionis,

Neque ex ſecundo, quia vera contritio ſemper habet annexam gratiam & charitatem, vtpote vltima ad illas diſpoſitio.

Neque ex tertio quia gratia collata per votum ſacramenti, neque eſt ſacramētalis, neque confertur ex opere operato, ſed dumtaxat ex opere operantis: ergo.

Dices apud Diuum Thomam pariformem rationem medij neceſſarij in baptiſmo, atque in confeſsione reperiri: & nihilominus in baptiſmo requiritur votum explicitum: ergo implicitum non ſufficit in confeſsione.

Huic obiectioni reſpondet Suarius vbi ſupra numero nono, negando minorem: adducitque pro ſe Diuum Thomam ſupra quæſtione 69, articulo quarto ad ſecundum tamquam aſſerentem in baptiſmo etiam ſufficere votum implicitum ad remiſsionem peccatorum: ſubditque poſſe quempiam adultum non baptizatum cum ignorantia inuincibili, & obliuione baptiſmi, habere fidem formatam cum vera contritione.

Sed iuxta veram ſententiam Diui Thomæ, quæ inuincibilem ignorantiā in ſuis legitimis interpretibus nō patitur, neganda eſt maior: quia in latitudine mediorum neceſſariorum ad ſalutem, vt oſtēdimus in materia de fide, quæſt. 2. art. 7. & 8. alia ſunt alijs neceſſariora; ſicut etiā inter propoſitiones veritate neceſſaria gaudentes, aliæ alijs maiori gaudent neceſsitate: etenim iſtæ, Deus eſt trinus, Deus eſt bonus. &c. maiore neceſsitate pollent, quam iſtæ, homo eſt riſibilis, cœlum eſt incorruptibile: & ſimiles quæ de creaturis formantur: ſic baptiſmi neceſsitas ad ſalutem, eſt maior, quam confeſsionis aut Euchariſtiæ: illius enim requiritur regulariter loquendo realis ſuſceptio, aut eius expræſſum votum, ſeu deſiderium, in aliquo caſu raro cōtingenti, qualis eſt in lege gratie, ille in quo adultus ob defectum miniſtri, aut materiæ per baptiſmi deſideriū iuſtificatur: quod proindè cum ignorantia, aut obliuione baptiſmi dari non poteſt. Vndè manent fundamenta noſtra inconcuſſa.

48 Ad primum autem pro prima ſententia, nego minorem pro ſecunda parte: Ad cuius probationem reſpondetur ſine confeſsione in re ſuſcepta pariformiter tolli culpam, atque pœnam æternam: neutram tamen ſine confeſsione in voto: eo quod vtraque impedit ingreſſum regni cœlorū; illa quidē vt radix, & cauſa: hæc vero vt formalis eius priuatio, vel vt forma contraria cum illo formaliter incōpatibilis, atque proindè vtriuſque ablatio pertinet ad clauium poteſtatem.

Ad ſecundum reſpondetur ex omnibus illis modis quibus Theologi confeſsionem in voto, ſiue votum confeſsionis ſolent explicare: primum eſſe à nobis ſubſtinendum iuxta doctrinam traditam in ſecunda concluſione.

Digitized by Google

Ad cuius improbationem dicendum eſt votum confeſsionis, ſupra purā cōtritionem addere nouum actum voluntatis, qui eſt deſiderium, aut propoſitum expræſſum aut formale, quo peccator proponit confiteri peccata ſuā habitā opportunitate, aut implicitum aut virtuale, quo proponit ſeruare omnia mandata, quorum vnum eſt de ſacramentali confeſsione in lege gratiæ in qua dumtaxat oportet contritionem habere hunc ordinem ad confeſsionem ſacramentalem: ac proinde non confunditur confeſsionis neceſsitas cum neceſsitate contritionis: in lege enim veteri erat neceſsitas contritionis ſine neceſsitate confeſsionis; cum hæc non eſſet inſtituta, & illa pro omni ſtatu naturæ lapſæ fuerit neceſſaria.

Dubium ſecundum eſt. An confeſsio ſacramentalis in re ſuſcepta ſit neceſſaria neceſsitate præcepti diuini, vel humani ſolius?

Expenditur titulus dubij 1 IN hoc dubio vnum ſupponimus & alterum inquirimus, ſupponimus quidem dari præceptum de ſacramentali confeſsione realiter exhibenda. Quæ ſuppoſitio eſt dogma fidei: & colligitur ex doctrina dubij præcedentis: ſi enim de fide eſt ſacramentum hoc eſſe medium neceſſarium ad ſalutem adulti: & de ſingulis medijs neceſſarijs conſiſtentibus in aliquo actu, dantur præcepta: conſequens eſt vt eadem certitudine ſit tenendum illud cadere ſub aliquo præcepto: quod ex eiſdem teſtimonijs colligitur, in quibus eius neceſsitas commendatur.

Sententia ſectariorum. Inquirimus autem, an ſit hoc præceptū diuinū, vel humanum: ideſt à Chriſto immediatè: aut ab Eccleſia impoſitū necne? In quo tres verſantur ſententiæ. Prima fuit ſectariorum negantium confeſsionē auricularem eſſe verum ſacramentum, aut à Chriſto inſtitutum: qui conſequenter negarunt cadere ſub diuino præcepto, ſed eſſe præceptum humanum inuentum ab Innocent. III. in Concilio Lateranenſi.

Cuius erroris fuerunt olim Nouatiani, Maſsiliani, & Iacobitæ, quem ſuſcitarunt Vvicleph, Caluinus, Melanton, & alij diſcipuli Lutheri, in hoc à ſuo Magiſtro diſſentientes, qui neque confeſsionē à Chriſto inſtitutam, neque eam eſſe verū Eccleſiæ ſacramentum negauit, vt referūt Vvaldenſis tom. 2. de ſacramentis capite 135. Prateolus in Elenco hæreſum, verbo *Lutherani*, Petrus à Soto in confutatione confeſsionis Vvitembergēſis, & Ruardus Taper. articulo quinto contra Caluinum.

Quorum fundamenta ad hæc tria reducuntur. Primum deſumunt ex facto Neſtorij Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui in ſua Eccleſia confeſsionem auricularem abrogauit, fideles relinquens ad cōmunicandum iudicio conſcientiæ vniuſcuiuſque, vt referunt Socrates lib. 5. hiſtoriæ capite 19. & in hiſtoria Tripartita, tomo 3. Sotomenſis libr. 6. capite 18. & Nizephorus, lib. 12. capite 28. qui tamen cum eſſet vir doctrina & ſanctitate pollens non abrogaſſet vſum confeſsionis, ſi illam diuino iure exiſtimaret neceſſariam: ergo.

Quod amplius confirmatur ex Chryſoſtomo, qui cum Nectario ſucceſſor fuiſſet, eandem confeſsionis abrogationem nedum permiſsit, ſed prædicauit, vt patet ex pluribus locis ſuorum operum: nam tomo primo, homilia ſecunda in Pſalmum 50. ad conſuetudinem Nectarij alludens, ſic ait: *Si confunderis alicui dicere quæ peccaſti, dic quotidie ea in anima tua, non dico vt confitearis conſeruo tuo, vt exprobet; dic Deo, qui curat ea*, & tomo ſecundo, homilia quarta de Lazaro ſubdit: *Caue homini dixeris ne tibi exprobet*, & cetera. *Non cogo te in medium prodire theatri*, &c. Eademque ferè verba repetit tomo quinto ſermone de pœnitentia & confeſsione: in quibus dictio excluſiua qua vtitur Chryſoſtomus dicens ſoli Deo peccata eſſe confitenda, excludit quemcumque pœnitentiarium miniſtrum: ac proindè vſum auricularis confeſsionis: quem tamen nefas eſſet excludere etiam ad tempus, ſi ſub diuino præcepto caderet: à quo nulla

inuincibilis ignorantia poſſet Chryſoſtomum excuſare, ergo.

Secundum, quia ex nullo teſtimonio colligi poteſt præceptum auricularis confeſsionis fuiſſe à Chriſto impoſitum: ergo non eſt iuris diuini: conſequentia ex eo patet, quia præcepta iuris diuini pertinentia ad ſacramenta legis Euangelicę nō à Deo in lege naturæ, aut ſcripta, fuerunt impoſita, ſed immediatè ab ipſo Chriſto authore ſacramentorum: quorum proindè impoſitio ex Euangelio debet conſtare. Antecedens autem probatur, quia ſi ex aliquo loco conſtaret, potiſsimè ex illo Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt*, in quo diximus dubio præcedenti confeſsionis ſacramentalis inſtitutionem contineri: ex quo pariter Patres Concilij Tridentini, ſeſsione 14. capite quinto, neceſsitatem medij, ac præcepti iuris diuini pro auriculari confeſsione inferunt ſub his verbis. *Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit tamquam iudices, & præſides ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtiani fideles ceciderunt, quo pro poteſtate clauium remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronūcient*, &c: quaſi hac illatione vtentes: Chriſtus conſtituit ſacerdotes iudices lætalium criminum: ergo iudicium huiuſmodi ac per conſequens ſacramentalis confeſsio eſt neceſſarium ad talium criminum remiſsionem: ex vi eiuſdem diuinæ inſtitutionis.

Sed hæc illatio eſt nulla propter tria. Tum quia ex diuina inſtitutione talis iudicij non colligitur eius neceſsitas: la eius enim patet inſtitutio diuina, quam neceſsitas: potuit enim Chriſtus inſtituere tale iudicium ſacerdotum, tamquam vtile, & conueniens, quin illud inſtitueret tamquam neceſſarium: quo pacto inſtituit ſacramentum Extremæ vnctionis, matrimonium, & ordinē vt vtilia in Eccleſia, quæ tamen non ſunt ad ſalutem remedia neceſſaria: ſimiliter iudicium ſacerdotum inſtituit vtile pro remiſsione peccatorum venialium, ad quam tamen non eſt neceſſarium medium: ſiquidem venialia non ſunt materia neceſſaria confeſsionis, vtpotè, quia ſine illa multis alijs medijs remitti poſſunt: tum etiam quia ratio ſubiuncta à Concilio ad probandum prædictam neceſſitatem, nimirum. *Conſtat enim ſacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non poſſe*: ſolum probat confeſsionem eſſe neceſſariam ad illud iudicium exercendum: nō tamen iudicium ipſum eſſe neceſſarium ad peccatorum remiſsionem: quod erat probandum: ergo.

Tum denique, quia licèt illatio Concilij ſit bona ſuppoſita veritate antecedentis: nimirùm quod ſi ſacerdotes ſint iudices peccatorum, conſequenter eorum iudicium ſit neceſſarium in confeſſione ad dandam remiſsionem peccatorū mortalium: nihilominus quod hoc iudicium commiſſum ſit ſacerdotibus, nō probatur à Cōcilio tamquam iuris diuini per Chriſti inſtitutionem ex illis verbis: *Quorum remiſſeritis peccata, remittantur eis*: quæ cum generalia ſint ad plures modos remittendi peccata: pluribus etiam alijs modis poſsint explicari, neque ad remiſsionem iudiciariam aliqua ratio, aut ipſa verborum ſignificatio illa coarctat, niſi antiquus Eccleſiæ conſenſus, ac traditio, cui etiam innititur Concilium: ergo.

Tertium deſumitur ex præcepto Eccleſiaſtico, quo Eccleſia annuam præcipit fidelium confeſsionem: neque Eccleſia huiuſmodi annuam confeſsionem precipere ſi lege diuina à Chriſto fuiſſet pręcepta, quæ enim lege diuina ſunt pręcepta, à nulla lege humana determinationem accipiunt, vt patet in præceptis fidei, ſpei, & charitatis, quæ per nullam humanam legem determinationem temporis habent, vltra illam, quam ex ipſo diuino iure accipiunt, à quo pariter & obligatio, & temporis determinatio dimanare debuit: ergo cum Eccleſia à tempore Innocentij Tertij in Concilio Lateranenſi omnes fideles rationis compotes vtriuſque ſexus obliget ad annuam confeſsionem Eccleſiaſtica lege, ſignum eſt illos à nulla lege diuina ad confitendum obligari.

3 Secunda ſententia, & veluti media fuit Petri Oxomenſis Doctoris Salmantini, quæ in duabus propoſitionibus conſiſtebat.

Quarum prima eſt, confeſſionem quidem eſſe ſacramentum à Chriſto inſtitutum: non tamen eſſe in pręcepto his qui

per contritionem verè à ſuis peccatis iuſtificati ſint: per quam proinde ſine ordine ad claues fit iuſtificatio.

Secunda eſt, quod licèt præceptum confeſsionis obliget eos, qui in peccato lætali exiſtunt, non tamen eſt iuris diuini, ſed ſolius humani Eccleſiaſtici: quod proindè verè contritos, ac iuſtificatos obligare non poteſt: ita referunt Caſtro cōtra hæreſes verbo *confeſsio*, in bulla Sixti Quarti, & acta quæ habentur in ſumma Conciliorum ſub decretis Sixti Quarti. Ex auctoribus autem non damnatis fauēt eidem ſententiæ gloſſa in principio de pœnitentia diſtinctione quinta, & Panormitanus in capite *Omnis vtriuſque ſexus*, & Eraſmus in lib. de modo confitendi, & in ſcholijs ſuper Epiſtolas Hieronymi relatus à Petro de Soto lectione tertia de confeſsione, & Bonauentura in 4. diſtinction. 17. ſecunda parte articulo ſecundo, quæſtione tertia.

Quorum fundamentum deſumitur ex Hugone Victorino, qui lib. 2. de ſacramentis parte 14. capite primo, aſſerit Chriſtum non præcepiſſe confeſsionem, ſed poteſtatem abſoluendi contuliſſe, vt omnino libera, & non coacta, aut extorta eſſet à fidelibus confeſsio: *Medicis dixit vt ſanarent* (ait Hugo) *ſed infirmis non dixit vt ad medicos curari venirent, hoc quaſi certū eſſe voluit, quod ægri libenter ſalutem quærerent*, &c. Poſtea verò medici videntes infirmos in hac re negligentes, illis præceptum impoſuerunt veniendi ad medicos, vt curarētur: ſicut fecit Iacobus cap. quinto ſuæ canonicæ, dicens: *Confitemini alterū peccata veſtra.*

Ex quibus verbis duplex conficitur argumētum: primum eſt Chriſtus voluit confeſsionem eſſe omnino liberam, & nullatenus coactam à fidelibus: ſed ſi illā præciperet, neque cōſuleret plenitudini libertatis: neque omnino coactionem vitaret illius: ergo.

Secundum eſt, quia præceptum quod Apoſtoli propria, & ordinaria poteſtate impoſuerunt non eſt diuini, ſed humani iuris: ſed tale eſſe præceptum confeſſionis conſtat ex dicto capite Iacobi: ergo.

4 Tertia ſententia aſſerens ſacramentalem confeſsionem pariter à Chriſto fuiſſe inſtitutam, atque præceptam: ac proinde huiuſmodi præceptū iuris diuini eſſe ſiue ex hoc, ſiue ex illo loco Euangelij deducatur: ſiue etiam ex nullo habeatur expreſſum à Chriſto niſi Eccleſiæ traditione receptum: communiter defenditur à Theologis cum Magiſtro in 4. diſtinct. 17. præſertim ſunt pro illa Ricardus art. 3. quæſt. prima, Argentinas art. 4. Molina quæſtione prima, Durandus diſtinct. 18. & 14. Scotus quæſtione prima, Sotus diſtinctione 18. quæſt. 1. artic. 1. Adrianus quæſtione prima de confeſsione, Medina quæſtione ſecunda de confeſsione, Diu. Thomas articulo ſeptimo ſequenti, Caietanus ſuper illud Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis*, &c. Suarius hic diſput. 17 ſection. ſecunda. Vazquius quæſt. 90. dubio, 1. & 2. qui authores in explicando eius obligationis determinationem, in tres modos dicendi diuiduntur.

Alij enim cum Durando dicunt illam eſſe ex lege pure diuina. Alij vero cum Soto, vt Cano relectione de pœnitētia quinta parte, §. *quo circa*, Medina, Caietanus primo tomo opuſculorum tractatu 5, quæſt. 1. & Vazquius dub. 4. dicunt eſſe determinationem tantum iuris diuini. Alij denique cum Adriano dicunt eſſe pure humanam legem, quæ tempus determinat vltra illud extremæ neceſsitatis, & quia hæc eſt Catholica, ac de fide tenenda ſententia: pro eius declaratione.

Dico primo. Auricularis confeſſio ſicut fuit à Chriſto inſtituta ita & ab illo fuit immediate præcepta. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſectarios primæ, ac ſecundæ ſententiæ tamquam dogma fidei & probatur primo ex Eccleſiæ diffinitionibus in quibus vtraque eſt damnata: prima enim damnata eſt in Concilio Conſtātienſi ſeſs. 8. & in Bulla Martini Quinti contra Vvicleph, & in duobus locis Concilij Tridentini, nimirum ſeſsione 14. capite quinto, & canone ſexto: in quorum primo diffinitur confeſsionem lapſis poſt baptiſmum in mortale, eſſe neceſſariam iure diuino, ideſt omnibus lapſis etiam iuſtificatis per contritionem. In ſecundo damnatur, qui negauerit illam eſſe aut inſtitutam, aut neceſſariam diuino iure.

Secunda autem damnatur in eadem ſeſsione ſexta, Tridentini, capite 14. vbi decernitur, quod cum contritio aliquando iuſtificet, non tamen ſine ordine ad claues, ob quam rationem dicitur votum confeſsionis ipſa contritio: & in Concilio Compluteaſi congre-

gre-

gregato ſub Alphonſo Carrillo Archieſpiſcopo Toletano contra Petrum Hoxomenſem ex mandato Sixti Quarti, vbi vtraque propoſitio huius auctoris fuit damnata, & earum damnationes fuerunt à Sixto Quarto comprobatæ, vt conſtat ex Bulla eiuſdem relata à Caſtro vbi ſupra, & ex actis quæ referuntur in ſumma Conciliorum Sixti Quarti.

Secundo probatur, ex Patribus, qui multis annis ante Innocentij Terti, decretum commendāt neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis tamquam de iure diuino à Chriſto promanantem,

De quorum numero ſunt Origenes homilia ſecunda ſuper Pſalmum 37. Clemens Romanus epiſtola prima ad fratrem Domini, Dionyſius Areopagita epiſtola octaua ad Demophilum, Cyprianus in ſermone de lapſis, Ambroſius de Paradiſo capite decimo quarto, & refertur canone *non poteſt*, de pœnitentia diſtinctione prima, Auguſtinus libro 50, homiliarum, homilia 49. & libro ſecundo de iuſtificatione infirmorum, capite quarto, & quinto: & alij quorum teſtimonia congeſſit Vazquius in dicto dubio primo, § *circa primum*.

Tertio probatur, ex ipſa diuina inſtitutione, qua Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum tamquam medium neceſſarium ad ſalutem eis qui poſt baptiſmum incidunt in lætale: de medijs autem neceſſarijs ad ſalutem quoties in actu, aut in operatione conſiſtunt, eodem iure, quo neceſſaria ſunt, datur præceptum: ergo & ex eadem Chriſti inſtitutione, atque diuino iure debet dari præceptum de ſacramentali confeſſione: quod quidem impoſitum fuiſſe à Chriſto Ioannis 20. quando poteſtatem clauium tradidit ſacerdotibus, determinat Concilium Tridentinum ſeſſione 14. capite quinto: illudque fuiſſe promulgatum à Iacobo capite quinto ſuæ canicæ tradunt Auguſtinus in libro 50. homiliarum, Hugo Victorinus vbi ſupra, & Beda ibidem: ergo.

Secunda concluſio: præceptū annuæ cōfeſsionis eſt humanum.

5 Dico ſecundo. Præceptum annuæ confeſsionis eſt purè humanum Eccleſiaſticum, per quod determinatur tempus obligationis diſtinctum ab illo, pro quo obligat ius diuinum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primi, & ſecundi modi defendendi tertiam ſententiam. Et probatur ex eorum impugnatione: primus, enim Durandi deficit propter tria: tum quia præceptum confeſsionis provt eſt iuris diuini non obligat ad annuam confeſsionem, ſed dumtaxàt aut pro aliquo tempore vagè totius vitæ, aut ſecundum probabiliorem ſententiam, quam docubimus infra quæſtione 86. art. 2. in extrema neceſsitate, in qua etiam obligat præceptum confeſsionis, & non extra illam: tunc enim, & non aliàs tenetur peccator quærere amicitiam, & reconciliationem cum Deo per contritionem, aut per confeſsionem in re ſuſceptam: tum etiam quia hoc præceptum annuæ confeſsionis, quod habetur in dicto capite *omnis vtriuſque ſexus* aut impoſitum fuit ab Eccleſia poteſtate ordinaria Eccleſiaſtica, qua vtitur in condendo alias leges Eccleſiaſticas: aut poteſtate ſpeciali ad hunc effectum, à Chriſto commiſſa.

Si primum, jam ergo hoc præceptum erit humanum Eccleſiaſticum, ſicut aliæ leges humanæ ſunt ab huiuſmodi ordinaria poteſtate dimanantes: & conſequenter non eſſet Durandus ſibi conſtans.

Si ſecundum, fruſtra negat de confeſſione quod de alijs affirmat ſacramentis: affirmat enim in illa quæſtione 14. numero 5. Eccleſiam authoritate Chriſti, poſſe præcipere ſuſceptionem aliorum ſacramentorum, non tamen confeſſionem, quæ admiſcet aliquid actus interni, ad quem Eccleſia nullam habet poteſtatem: & numero ſeptimo ſubdit præceptum hoc annuæ confeſsionis obligare quidem quatenus fit ab Eccleſia authoritate Chriſti: in quo ſibi manifeſtè contrariatur: ergo.

Tum denique, quia nulla eſt ratio qua nititur Durandus ſuam probare ſententiam: nimirum quia Eccleſia ſupra actus internos non habet poteſtatem, & c. licet enim hęc ſit cōmunis ſententia Theologorum, ac iuriſtarum adeò certa vt oppoſitum ſit errori proximum: vtpotè cum colligatur ex communi eorum conſenſu ex illo Pauli primæ ad Corinthios quarto: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum*, &c.

6 Et ratio ſuffragatur quam aſſignat Diuus Thomas prima ſecun-

dæ quæſtione 91, articulo quarto, & quæſtione 100. articulo nono: qui ſcilicet poteſtati Eccleſiæ non ſubditur quod ab ea iudicari non poteſt: iudicium enim, tribunal, & lex eiuſdem ſunt poteſtatis; nam ſicut lex viua, & ſcripta comparantur: ſed neque Eccleſiaſtica, neque alia humana poteſtas, aut lex poteſt actus pure internos iudicare, ideſt præcipere, prohibere, aut punire, vtpote qui ad tribunal humanæ poteſtatis adduci non poſſunt: non ſolum defectu probationis, quia ſcilicet probari non poſſunt, vt volunt Adrianus quodlibeto octauo articulo primo, & Phigius Campenſis libro ſexto Hierarchiæ Eccleſiaſticæ libro decimo ſexto, in hoc a communi ſententia diſſentientes, ſed etiam defectu iuriſdictionis, quia ſcilicet humana iuriſdictio, tantum ad illos actus ſe extendit in quibus inferiores ſuperioribus obedire, & ſubijci, atque eorum voluntari conformari tenentur; hominum autem hierarchia non petit conformationem inferiorum ad ſuperiores in actibus pure internis; ſed ſolum in externis, in quibus ſaluatur humanus conuictus, &cet. Ob quam rationem non debet Eccleſiæ denegari poteſtas ad præcipiendum annuam confeſsionem, quæ cum ſit actus externus ex nullo capite ſubterfugit Eccleſiæ iuriſdictionem: nam aut illam ſubterfugeret, quia fit ſecrete, ita vt de illa nullus præter pœnitentem, & confeſſarium poſsit habere noticiam: aut quia ad eius integritatem pertinent peccata cordis, & contritio quæ ſunt actus pure interni: ſed neutrum ſufficit.

Non primum, quia quod actus externus fiat occulte, ita vt aliorum præterquamquod operantis, ſubterfugiat noticiam, non tollit quominus de ſe, & ex natura ſua poſsit cadere ſub humana iuriſdictione, vt in hæreſi occulta voce prolata, & ſimilibus delictis per accidens occultis contingit,

Neque ſecundum, quia dum ab Eccleſia præcipitur annua confeſſio omnium peccatorum, directè nihil præcipitur niſi act⁹ externus: ex quo tamen hæc confeſsio rite non debet fieri, niſi manifeſtando peccata cordis, & explicando actus internos: & Eccleſia hos actus internos voluntatis ſolum ex conſequenti, & indirecte præcipit: quo pacto nedum eſt inconueniens actus internos præcipi, aut prohiberi humana lege, ſed eſt neceſſe, quoties præcipit, aut prohibet humana lex directe aliquem actum externum, qui ſine interiori conſenſu voluntatis exerceri non poteſt: talem internum conſenſum indirecte, & ex conſequenti præcipi, aut prohiberi. Niſi mauis dicere Eccleſiam ſuppoſito iure diuino obligante ad habendum dolorem de peccatis, & confitendum peccata cordis, ne iniuria fiat ſacramento, dumtaxat ſuo præcepto obligare ad annuam confeſsionem abſtrahendo a dolore interno, & peccatis cordis, quo pacto hæc neque indirecte caderent ſub præcepto Eccleſiæ.

7 Deinde ſecundus modus deficit, quia ſi hoc præceptum Eccleſiæ eſſet modificatio iuris diuini debet determinare tempus obligationis iuris diuini: ſed hoc non; quia ius diuinum non obligat ad confeſsionem extra tempus extremæ neceſsitatis: quod ſic oſtendo: triplex enim tempus excogitari poteſt à prædictis authoribus extra extremam neceſsitatem, in quo obliget ius diuinum ad confeſsionem, nimirum, aut quando imminet obliuio peccatorum: quod excogitatur à Soto, & Medina: aut tempus vnius anni, quod determinauit Eccleſia: aut tempus aliquod vage ſumptum, quod ius diuinum reliquit Eccleſiæ determinandum, vt Vazquius excogitauit; ſed nullum ex his temporibus cadit ſub obligatione iuris Diuini: quod patet diſcurrendo per ſingula.

Non primum, quia vt oſtendemus infra, idem tempus obligationis iuris diuini eſt ad contritionem, atque ad confeſsionem ſupplentem defectũm contritionis: ſed preceptum contritionis non obligat quando adeſt periculum obliuionis: neque enim quis tenetur ex præcepto ſtudere memoriæ peccatorũ niſi quãdo debet confiteri,

&

& tunc ſolùm tenetur ad confeſsionem peccatorum, quorum poſt ſufficientem diligentiam recordatur, neque ſufficienter tali periculo ſubueniret Eccleſia determinando tempus vnius anni, cum intra illud ſoleant homines obliuionem aliquorum peccatorum pati, in quo etiam nouum peccatum committerent ab omiſsione ipſius confeſsionis annuæ diſtinctum, & neceſſario in confeſsione pandendum: quæ inconuenientia non ſunt admittēda: ergo.

Neque ſecundum, quia aliàs ad impleta annuali confeſsione, ſi quis incideret in extremam neceſsitatem non teneretur amplius illo anno confiteri nouum peccatum mortale omiſſum: neque ad confeſsionem teneretur oppreſſus extrema neceſsitate ante ad impletum annum: quæ abſurda nullatenus ſunt admittenda: ergo neque admittendum eſt tempus obligationis iuris diuini eſſe ſpatium vnius anni.

Neque tertium, quia præceptum contritionis, & conciliandi diuinam amicitiam, atque etiam dilectionis Dei ſuper omnia poſt primum inſtans vſus rationis, iuxta probabiliorem ſententiam, quam in loco citato oſtendimus, & Vazquius admittit hic dubio quarto numero 37. contra Sotum vbi ſupra, & Bañeſium ſecunda ſecundæ quæſtione 44 articul. 1. & 2. non obligat niſi pro tempore extremę neceſsitatis: & pariformis eſt obligatio confeſsionis: ergo neque huius tempus eſt niſi extremæ neceſsitatis.

Deinde quia ſi Eccleſia præciperet ſuſceptionem ſacramenti extremæ vnctionis, aut Ordinis, aut Confirmationis (probabilius enim eſt hucuſque de horum ſacramentorum receptione nullum extare præceptum præter illud quod ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſsione 23. in decreto de reformatione capit. 4. vt neque ad ſacerdotiū, aut ad ordines, & primam tonſuram aliquis niſi confirmatus fuerit, promoueatur) tale præceptum reuera eſſet purè humanum Eccleſiaſticum ab alma Eccleſia ſua authoritate dimanans, & non diuinum: quamuis enim inſtitutio ſacramentorum ſit de iure diuino, petens ab authoritate diuina fieri, tamen vſus, aut præceptio eorumdem ſacramentorum poteſt præcipi ab humana authoritate: vt etiam admiſit Vazquius dubio quarto numero 48. ſed ſimiliter huiuſmodi præceptum de annua confeſsione ſuperadditur ſacramento iam inſtituto vt medio neceſſario ad ſalutem, determinatque eius vſum ac ſuſceptionem pro tempore annuali, quæ determinatio eſt eius immediata materia non exiliens terminos humanæ Eccleſiaſticæ poteſtatis: ergo eſt purè humanum, ac proinde non admiſcet aliquid iuris diuini vt eius formalis modificatio, niſi laxiori vocabulo vtentes velimus modificationem iuris diuini appellare præceptum rei ex iure diuino conſtitutæ ſuperadditum: quo pacto etiam præceptum confeſsionis, aut extremæ vnctionis poſſemus appellare modificationem iuris diuini, quia determinaret tempus obligationis, quod ius diuinum circa hæc ſacramenta non determinauit.

8 Ad primum autem pro prima ſententia reſpondetur Nectariū nihil abſtuliſſe quantum ad ſubſtantialem vſum, aut obligationem ſacramentalis confeſſionis, vt vult Vvaldenſis tomo ſecundo de ſacramento capite 14. dicens Nectarium in hoc erraſſe. Neque illam ad breue tempus ob ſcandalum vitandum ſuſpendiſſe, vt putant Cano, & vterque Soto, vt excuſent factum Nectarij. *occurritur arg. 1. ſēt.*

Sed falſo, nam neque in abroganda re de iure diuino præcepta ac neceſſaria ad ſalutem, credendum eſt Nectarium erraſſe: neque eius ſuſpenſio illum ab errore culpabili excuſaret, quia neque licitè neque valide fieri potuit, ſed exiſtimo illum abrogaſſe quandam conſuetudinem ad pœnitentiam publicam pertinentem: abſtuliſſeque presbyterum pœnitentiarium, eiuſque munus prohibuiſſe, quod munus fuit omnium fidelium ſacramentales confeſsiones audire, & poſtea eorum peccata ſiue publica, ſiue ſecreta in conuentu Eccleſiæ publicè narrare, corripere, ac ſalubrem pœnitentiam imponere, vt referunt Ricardus articulo quinto contra Caluinum pagina 186. & Alanus copus dialogo ſecundo capite 27. quia talis conſuetudo propalandi peccata confeſſa ſecretè inuitis, aut non conſentientibus ipſis pœnitentibus, eſſet manifeſtè repugnans iuri diuino de ſygillo confeſsionis: ſi autem expectabat conſenſum pœnitentis, ſaltem erat ſine huiuſmodi diuini iuris

Digitized by Google

contraria, vtpotè quia redderet difficilimam confeſsionem auricularem, & ab eius vſu homines maxime retardaret, eſſetque proinde iniqua, imprudens & contraria charitati, ſimilemque humanam legem id ipſum præcipientem damnat Concilium Tridentinum ſeſsione 14. capit. 5. ſub his verbis: *Neque ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſsione aperienda*: non ergo credendum eſt Conſtantinopoli, nedum in tota Orientali Eccleſia, tam iniquam conſuetudinem, à tantis ac doctis viris introductam, aut tamdiu permiſſam fuiſſe: vnde veroſimilius eſt munus illius presbyteri eſſe, libellos eorum, qui publicam pœnam agebant recipere, & publicè in Eccleſia eorum publica crimina, quæ maius ſcandalum generabant, recitare, ad aliorum edificationem, & ipſorum pœnitentium correctionem, quem morem publicè agendi pœnitentiam per manifeſtationem criminum publicorum factam de conſenſu ipſorum pœnitentium a quodam pœnitentiario ad hoc munus deſignato introductam olim à temporibus Nouati, & diu obſeruatam in Orientali & Occidentali Eccleſia, conſtat ex Concilio Carthaginenſi 3. cap. 32. Moguntino, & Africano, & ex Auguſtino in Enchiridio. capit. 65. & ex alijs Conciliorum ac Patrum teſtimonijs, quæ refert Burcardus lib. 19. ſui decreti à capite 36. vſque ad 40.

Cum igitur ex hac laudabili conſuedine quoddam ſcandalum tempore Nectarij Conſtantinopoli accideret, quia cuiuſdam nobilis Matronæ ex eis, quæ in templo permanebant, publicam pœnitentiam agendo: crimen quod cum diacono commiſſerat, manifeſtatum fuit: ex quo ingens in templo ſcandalum ſub ortum fuit: ad quod ſedandum Nectarius prudenter talem conſuetudinem agendi publicam pœnitentiam & munus pœnitentiarij delicta ſcandaloſa populo propalantis abrogauit.

9 Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur vno ex duobus modis. Primo quidem iuxta interpretationem Gratiani diſtinctione quinta, de pœnitentia, §. *His authoritatibus*. Ricardi in dicto articulo quinto, & Baronij Cardinalis tomo primo circa annum 56. Chryſoſtomum, vtpotè Nectarij ſucceſſorem, eius veſtigijs inhærentem eandem conſuetudinem non ſacramentalis confeſsionis, ſed publicæ pœnitentiæ ac propalandi populo ſcandaloſa delinquentium crimina reprobaſſe.

Secundo, quod in præfatis locis loquitur Chyroſtomus non de auriculari confeſsione, ſed de interiori, quam fideles timoratæ conſcientiæ, ſolent facere Deo per examen conſcientiæ quotidianum, vt per dolorem contritionis ad Deum conuertantur. Et hanc merito monet Chryſoſtomus non coram ſacerdote, ſed coram Deo ſolo eſſe faciendam: confeſsionem ſacramentalem à Christo, & Eccleſia præceptam nequaquam excludens.

Quæ expoſitio planè deducitur, tum ex canone 33 Concilij Gabilonenſis ſecundi: tum ex Caſsiano diſcipulo Chryſoſtomi ad hanc internam confeſsionem per conſcientiæ examen & animi dolorem ſoli Deo faciendam exhortantibus, vtpotè valde ſalutarem ac proficuã, iuxta illud Pſalm. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi: dixi confitebor aduerſum me in iuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.*

10 Ad ſecundum quatuor ſunt modi dicendi. Primus eſt Scoti, Caietani, Gabrielis, Medinæ, Complutenſis vbi ſupra, & Ianſenij in concordia Euangelica cap. 143. circa illa verba Ioannis 20. aſſerentium in eis contineri quidem inſtitutionem ſacramentalis confeſsionis, & poteſtatis clauium collationem, non tamen diuinum præceptum, ſed hoc colligi ex ſuper addita Apoſtolorum traditione, qui illud à Chriſto acceperunt, & Eccleſiæ tradiderunt. *Variæ ſolutionẽ huius arg.*

Secundus eſt eorum, qui admittunt in illis verbis neceſsitatem præcepti diuini confeſsionis contineri, ſic inde illam deducentes ex ſola clauium poteſtate ad abſoluendum: ſi ſacerdotes conſtituti iudices ſũt à Chriſto, vt iudices debẽt audire cauſas: eo vel maxime, quod non ſunt iudices arbitrarij à collitigantibus pro ſuo libito habentes poteſtatem, ſed vt ordinarij à Chriſto illam habentes independenter à conuentione partium: ergo ad ipſos deferenda ſunt peccata, vt ea iudicent & abſoluant, alioquin incognita cauſa iudicium exerceri non poſſet: de horum numero ſunt Argentinas, Ricard⁹,

Duran-

Durandus ; & Sotus in locis præallegatis.

Tertius eſt Adriani, Almaini, & Alfonſi de Caſtro, qui in eadem doctrina conuenientes, inde huiuſmodi neceſsitatem ſic deducunt: ex poteſtate nedũ abſoluendi, ſed etiã detinẽdi colligitur peccata non abſoluta à ſacerdote, manere non dimiſsa: ergo pro eorum remiſsione debet à ſacerdote obtineri abſolutio per confeſsionem ei peccata manifeſtando.

Sed omnes iſti modi ſunt inſufficientes. Primus quidem, quia licèt ante concilium Tridentinum tolerari poſſet: ſecus vero poſtquam Concilium in dicto cap. 5. in præfato loco Ioannis 20. inſtitutionem, ac præceptum, ſiue neceſsitatẽ ſacramenti pœnitentiæ contineri determinauit: ſub his verbis: *Inde inſtitutam eſſe à Chriſto Domino integram peccatorum confeſſionem omnibus poſt baptiſmum lapſis iure diuino, neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad cœlos aſcenſurus ſacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tamquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtiani fideles ceciderunt, quo pro poteſtate clauium remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſentẽtiam pronuncient: conſtat enim ſacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe*, &c.

Secundus verò licet probabiliter ſuſtineri poſsit ex doctrina Soti: eo quod quoties Princeps aliquod tribunal in republica, & iudices ordinarios conſtituit pro cauſis iudicandis: illud eſt medium neceſſarium, & refugium vnicum ad lites dirimendas: ita vt neque ad alium ſuperiorem, immo neque ad ipſum confugi poſſit immediatè Principem, niſi per viam appellationis, aut ex eiuſdem ſupremi Principis ſpeciali diſpenſatione: ſicque conſtitutum eſſe à Chriſto tribunal ſacerdotum ad peccata mortalia remittenda, conſtat ex dicta clauium poteſtate ipſis tradita Ioannis vigeſimo, ſed nihilominus inſufficiens eſt propter tria.

Tum quia ſupponit omnes ſacerdotes confeſſarios eſſe iudices ordinarios; quod eſſe falſum patet, quia multi ſunt confeſſarij ex commiſsione ordinarij parrochi, aut prælati: & iſti quamuis dicantur ordinarij reſpectu aliorum, quorum ex officio ſunt paſtores: tamen reſpectu Chriſti ſunt legati iuxta illud ſecundæ ad Corinthios quinto, *pro Chriſto ergo legatione fungimur.*

Tum etiam, quia ſupponit omnes iudices ordinarios, vt diſtinguuntur ab arbitris, eſſe neceſſariũ habere poteſtatem coercendi reos, comparendi in ipſorum iudicio, atque coram ſe cauſam agere: quod etiam eſſe falſum conſtat, quia poteſt Princeps hanc poteſtatem ſibi reſeruare, & voluntati ciuium relinquere, vt coram ordinarijs iudicibus, aut coram ſe cauſas agant.

Tum denique quia ſupponit Concilium ex ſolo actu remittendi collegiſſe neceſsitatem confeſsionis: cum tamen illam non collegerit niſi ſimul ex illo actu, atque ex ſecundo, retinendi ſcilicet, vt ex præallegatis Concilij verbis conſtat.

Et vlterius quia per ſolam contritionem ante ſacramentalem cõfeſsionem verè remittuntur peccata mortalia: ergo neque ad remiſsionem eſt neceſſarium iudicium ſacerdotum.

Tertium etiam inſuficientem eſſe ob eandem rationem, conſtat, quia nimirum per contritionem habitam extra ſacramentalem confeſsionem remittuntur peccata, & tamen non ſunt tunc abſoluta à ſacerdote: ergo neque ex actu detinendi, id eſt non abſoluendi colligitur neceſſitas confeſsionis.

Huic argumento dupliciter reſpondent aduerſarij, Almainus enim, dicit tunc abſolui peccata à ſacerdote in voto clauium quod virtualiter in ipſa contritione continetur.

Adrianus vero reſpondet tunc manere peccata detenta, non quantum ad culpam, ſed quantum ad quendam reatũ, nimirum quatenus pœnitens manet obnoxius obligationi accedendi ad ſacramentalem confeſsionem.

Sed neutra ſolutio eneruat vim argumenti facti. Non prima quia propterea votum clauium continetur in contritione, quia datur præceptum confeſsionis: nam illo ſublato, neque clauium votum eſſet in contritione: vndè ſupponens votum clauium contineri in contritione, ſupponit dari præceptũ cõfeſsionis: quod tamen erat probandum. Præterquã quod remitti peccata per cõtritionẽ non eſt abſolui à ſacerdote: quoniã nondũ vſus clauium exercetur: ergo. Neque ſecũda propter duo: tũ quia poteſtas detinẽdi peccata non ſolum ad obligationem confitendi

illa, ſed etiã ad ipſorum vinculum, & culpam extenditur, ita vt neque in cœlis remittantur, quæ à ſacerdotibus claue non errante detinentur. Tum quia illa obligatio confitendi peccata, non à ſacerdote, aut à poteſtate clauium, ſed à Chriſto, & eius inſtitutione dimanat, qui præceptum confeſsionis impoſuit: igitur fruſtra dicitur detineri quoad illã obligationem a ſacerdotibus: quod tamẽ Chriſtus inſtituit cum dixit, *quorum retinueritis* &c.

Denique deficit etiam quartus modus Vazquij vbiſupra numero 22. dicentis quod detinere peccata eſt imponere obligationem ad opera ſatisfactoria, & medicinalia: quæ ſi non adimpleat pœnitens, neque obediat ſacerdoti: iterum peccabit, & ratione huius vinculi noui peccati, neceſſaria eſt confeſsio ad obtinendam remiſsionem peccatorum.

Deficit inquam iſte modus propter duo, tum quia actus detinendi non tantum ad opera ſatisfactoria, & obſigationem implendi illa, ſed etiam ad vinculum culpæ extenditur, quando claue non errãte operatur: detinendo enim abſolutionẽ ob iuſtam cauſam, ſcilicet propter indiſpoſitionem ſubiecti, etiam coram Deo manent peccata non remiſſa. Tum etiam ſi quis confiteatur ſolum venialia poteſt à ſacerdote obligari ad opera ſatisfactoria, in quorum acceptatione ſi non obediat, peccabit, & tamen pro venialibus non eſt neceſſaria confeſsio: ergo.

Prima ſolutio ſecundi argumenti

12 Quare his reiectis dicendum eſt cum Suario vbi ſupra n. 13. quod Concilium ex vtroque actu, ſcilicet remittendi, & retinendi collegit neceſsitatẽ præcepti confeſsionis, in vi huius conditionalis ibi contentæ: ſi vos abſoluerint legitimè ſacerdotes, abſoluti eritis: ſi verò non abſoluerint iudicialiter negando abſolutionem, verè & coram Deo retenta, id eſt non remiſſa erunt veſtra peccata, ad quorum proinde remiſsionem neceſſaria eſt eorum legitima, & iudicialis abſolutio ſacerdotis, cui & vos debetis ſubijci ex præcepto.

Iuxta quem modum ad argumentum negatur antecedens. Ad cuius probationem neganda eſt minor: ex quo enim Chriſtus inſtituit ſacramentum pœnitentiæ per modum talis iudicij, in quo ſacerdotes verè poſſent cognita cauſa remittere, & detinere peccata, manifeſtè colligitur hoc iudiciũ eſſe ex neceſsitate adeundum pro obtinenda remiſione peccatorũ.

Quę ratio, neque militat in alijs ſacramentis, quæ inſtituta ſunt per modum ſolius medicinæ contra peccata, & non per modum iudicij. Neque militat in peccatis venialibus: quorum remiſsio obtineri poteſt per ſolam contritionẽ ſine voto huius ſacramenti, vtpote quia poteſt haberi perfecta contritio de venialibus etiam cum propoſito non confitendi illa: ac proindè eorum remiſsio poteſt obtineri independenter à confeſsione ſacramentali, tam in re, quã in voto: vndè neque ſimpliciter, niſi tantũ ſecundum quid poſsũt detineri à ſacerdote, claue non errãte, eo quod leues offenſæ ſunt non claudentes, ſed tantum impedientes introitum regni cœlorũ: peccata autem mortalia ſimpliciter poteſtati clauium ſubiecta ſunt, quorum remiſsio non poteſt obtineri ſine hoc ſacramento in re, vel in voto.

Ad ſecundum nego antecedens, quia ex verbis Chriſti abſolutè prolatis, & nõ ſub hac conditione: accipite poteſtatem remittendi peccata, quæ ipſi peccatores voluerint, &c. Planè colligitur quod non ſolum ſecundum quid, ſcilicet ſuppoſita voluntaria ſubiectione peccatoris, ſed ſimpliciter ſit neceſſarium ſacramentale iudiciũ ad peccatorum remiſsionem, quæ à Chriſto fuit commiſſa non liberæ volũtati peccantium, ſed arbitrio, & iudicio ſacerdotum.

Ad tertium nego antecedens pro ſecunda parte quoniam ex præfatis verbis liquido conſtat Chriſtum communicaſſe ſacerdotibus non poteſtatem excellentiæ vt pro libito culpam remitterent, aut detinerent, ſed poteſtatem limitatam, & veluti iudicum ordinariorum, vt cognita cauſa culpas remitterent aut detinerent. Idque Concilium declarat ex antiquo vſu, & traditione Eccleſiæ, quibus ad verum ſenſum ſacræ ſcripturæ, ſæpè numero Cõciliorum Patres adiuuantur. Hinc venit enodanda hæc difficultas, nimirum.

Hinc

tamen obligat ſicut & alios fideles : ergo.

Tum etiam, quia diſpenſatio ſine rationabili cauſa, aut eſt nulla, aut illicita, & peccatum inducens in diſpenſante: atqui nulla poteſt eſſe rationabilis cauſa ad diſpenſandum cum aliquo in annua confeſsione: nam ſi in aliquo caſu, maximè in aſsignato à Soto, in Eremita, qui ob ſui ſanctitatẽ cauſam rationabilem præberet vt Papa cum illo diſpenſaret, ſed neque in hoc caſu dari talem rationabilem cauſam patet, quoniam aut iſte haberet conſcientiam ſolius peccati venialis, & tunc, non indigeret diſpenſatione: aut certam mortalis, & tunc non eſt congruum remedium abſtinere à confeſſione, maximè in viro magnæ ſanctitatis: aut haberet conſcientiam dubiam, & ſcrupuloſam: & tunc potius deberet accedere ad confeſsionem, vt iuxta qualitatem ſcrupuli confeſſarius ei congruum remedium adhiberet: ergo, &c.

Secunda ſententia, & media eſt Vazquij, vbi ſupra aſſerentis Papam non poſſe ritè, aut validè diſpenſare cum aliquo in huiuſmodi præcepto etiam quantum ad idquod habet iuris humani: poſſet tamen illud abrogare, eo quod ad abrogationem, & eius valorem nulla requiritur cauſa, & facta huiuſmodi abrogatione fideles (ait ille) ſolum tenerentur ad confeſſionem in extrema neceſsitate: eo quod in diſcurſu totius vitæ nequit determinari aliud tempus pro quo obliget ius diuinum ſublata Eccleſiæ determinatione.

14 Tertia ſententia & extrema; eſt abſolutè affirmans ſummum Pontificem poſſe hoc præceptum abrogare, & in illo ritè, & validè diſpenſare. Quæ quia eſt Doctoris Angelici, & à Soto, & alijs authoribus præallegatis defenditur, à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et probatur primo, nam de abrogatione, non eſt dubium, vt etiam admittit auctor ſecundæ opinionis. De diſpenſatione verò mouens hanc quæſtionem Diuus Thomas vbi ſupra, reſpondet Papam poſſe diſpenſare: id autem poſſumus quod iure poſſumus: ergo ſentit talem diſpenſationem ritè, & validè fieri poſſe: alioquin reſponderet negatiuè, ſiquidem diſpenſatio inualida, eſt nulla.

Secundo, quia diſpenſatio iuris humani facta à Principe ſine cauſa, licet ritè

Vtrùm ſummus Pontifex, ſiue Eccleſia poſsit diſpenſare in hoc præcepto ſacramentalis confeſsionis?

13 IN qua difficultate omnes Doctores cõueniunt in hoc quod Eccleſia, neque Pontifex poteſt ita diſpenſare in præcepto confeſsionis, vt fideles nunquam teneãtur confiteri. Cuius ratio eſt, quia hæc obligatio confitendi peccata mortalia pro aliquo tempore eſt de iure diuino poſitiuo; in quo Eccleſia non poteſt diſpenſare ſicut neque illud abrogare; ad eum modũ quo neque poteſt condere articulos fidei, ſacramenta inſtituere, aut illa abrogare: quoniam hoc eſt munus poteſtatis excellentiæ ſoli Chriſto propriæ: de qua ſuppoſitione videndi ſunt Diuus Thomas in quarto diſtinctione 17. quæſtione tertia, articulo tertio quæſtiuncula quinta, Ricardus articulo ſecundo quæſtione ſeptima, Durandus quæſtione nona, Paludanus quæſtione ſecunda articulo ſexto, Soto diſt, 18. quæſt 2. artic. 5. & Vazquius dub. 5.

Vtilis difficultas, an Põtifex poſſit diſpẽſare in hoc præcepto?

Vt autem explicent vtrùm Eccleſia, vel Pontifex, hoc præceptum quo ad annuam confeſsionem poſsit abrogare quoad omnes fideles, vel cum aliquo particulari diſpenſare ritè, & validè, ideſt ex parte diſpenſantis: & ex parte diſpenſati, ita vt amplius non teneatur ad annuã confeſsionem?

Diſcriminantur in tres ſententias. Prima eſt, negans abſolutè, quę ſuadetur dupliciter: Tum quia tale pręceptum, aut eſt iuris Diuini, aut illud admittet: etenim ſi iuris humani eſſet, neutiquam ſummum Pontificem obligaret, qui ſua lege teneri non poteſt: quem

non fiat, eo quod peccet diſpenſans, valida tamen eſt, vt rectè probat Soto vbi ſupra: ergo.

Tertio, quia poſset dari rationabilis cauſa, ob quam Pontifex etiam ritè poſſet diſpenſare cum aliquo in tali præcepto, ſcilicèt propter vitandum longum iter, aut propter nimiam corporis debilitatem, &c. vel cum aliquo ægroto, vel agente cauſas in terris infidelium, &c.

Vltimo probatur argumento ad hominem, quia ſicut abrogatio legis ſe habet ad omnes ſubditos, ita diſpenſatio ad aliquem particularem: ſed Pontifex poteſt abrogare tale præceptum, vt fatetur Vazquius: ergo, & poteſt cum aliquo particulari illud diſpenſare, Maximè ob rationabilem cauſam, quæ in caſibus nuper adductis reperiretur. Neque non, ſi eſſet paucitas miniſtrorum in aliqua prouincia aut territorio: atque ad tollendum ſcrupulum in homine timoratæ conſcientiæ, qui anxietate præmitur, commiſerit ne mortale peccatum?

15 Facta autem huiuſmodi precepti abrogatione, adhuc maneret obligatio ad ſacramentalem confeſsionem citra extremam neceſsitatem, ſi ius diuinum obliget citra illam. Quod oſtenditur primo, nam Pontifex ſolum poteſt abrogare obligationem iuris humani, vt Vazquius fatetur: ſed ex iure diuino teneri fideles ad ſacramentalem confeſsionem etiam citra extremam neceſsitatem, docuerat idem author dubio precedente: ergo tenetur fateri quod abrogatio huiuſmodi precepti Eccleſiaſtici non tolleret obligationem accedendi ad ſacramentalem confeſsionem etiam citra extremam neceſsitatem, & mortis articulum: alioquin extenderet ſe, ad idquod iuris diuini eſt: quod tamen aduerſatur principijs eiuſdem authoris.

Secundo probatur à ſimili, quia ius naturale ac diuinum obligat fideles ad exhibendam ſacerdotibus congruam ſuſtentationem, abrogata lege Eccleſiaſtica de ſoluendis decimis, adhuc tenerentur illos aliter ſuſtentare: nam hęc obligatio, quia iuris naturalis eſt ab Eccleſia tolli non poteſt: ſed etiam obligatio accedendi ad confeſsionem extra mortis articulum eſt iuris diuini in opinione prædicti authoris: ergo tolli non poteſt ab Eccleſia: vel ſi tollitur, iam non eſſet iuris diuini, & ſic prædictus author eſt ſibi contrarius. Neque valet ſolutio ipſius ad hoc argumentum dicentis, quod etiam ſublata lege decimarum, poteſt ab Eccleſia ſciri determinatus modus alendi miniſtros: tempus vero obligationis confitendi ſacramentaliter, ſciri non poteſt: non inquam valet, nam ſi reuera eſſet tale tempus obligationis confeſsionis, ſciri, & aſsignari poſſet plus minusvè, aut ratione periculi obliuionis, vt aliquibus placuit, aut proximũ tempus extra neceſsitatem, aut aliter iudicio prudentium eſſet determinandum: quod ſi determinari, aut ſciri non poteſt, hoc ideò eſt, quia non eſt, de ſolis enim his quæ non ſunt, dixit Philoſophus, nõ ſciri.

Ad ſecundum reſpondet Nauarr. diſtinctione quinta de pœnitentia numero 32. Ricardus vbi ſupra quæſtione quarta ad tertiam, & Scotus quæſtione prima, artic. 1. §. § *Item ſi hæc propoſitio eſſet vera,* Pontificem non teneri præcepto annuæ confeſsionis, conuicti argumento facto: quia ſciliset nullus Princeps lege ſua tenetur, & quia lex illa eſt Concilij generalis, ſcilicèt Lateranenſis, ſed Conciliũ non eſt ſupra Papam, eſſet autem ſupra illum, ſi lege à ſe condita poſſet illum obligare: ergo.

Sed vera ſententia eſt, quod Papa, licet teneatur ſub mortali ad annuam confeſsionem: quantum ad vim directiuam, non tamen quantum ad coactiuam, eo quod nulli pœnæ ſubijcitur, quia licèt Princeps teneatur ſuis legibus quoad vim directiuam, non tamen quoad coactiuam, vt communiter cum Diuo Thoma in materia de legibus, q. 96. art. 5. docent Theologi.

Dubium tertium eſt. An huiuſmodi confeſsio præcepta in dicto cap. omnis vtriuſque ſexus, *debeat eſſe integra, & ſecreta?*

16 IN hoc dubio continentur duæ partes ſiue conditiones ſacramentalis confeſsionis ſigillatim examinandæ. Prima eſt integritas. Secunda eſt quod ſit ſecreta: & quidem circa primam ſtatuitur prima aſſertio, nimirùm, quod ſacramentalis confeſsio ad ſalutem neceſſaria debet eſſe: tum de neceſsitate præcepti, tum etiam de neceſsitate ſacramenti, integra omnium peccatorum mortalium, quæ fuerint de præſenti in conſcientia ipſius pœnitentis: omnium inquam peccatorũ mortalium, quæ poſt baptiſmum, ſcilicet commiſſa, & per aliam confeſsionem non fuerint ritè clauibus ſubiecta.

Integritas eſt de neceſſitate confeſsionis ſacramentalis.

Hæc concluſio eſt certa ſecundum fidem: colligiturque ex Concilio Cabilonenſi capite 32. & Lateranenſi in dicto cap. *omnis vtriuſque ſexus*, & Florentino in decreto Eugenij: quatenus in eis pręcipitur quod pœnitens omnia ſua peccata ſcilicet mortalia eidem ſacerdoti confiteatur: in quo nõ condunt nouum ius, ſed explicant diuinum: & ex Tridentino ſeſsione 14. capite quinto, & canone ſeptimo dicente: *Qui ſcienter aliquid retinet, nihil diuinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponit.*

Quibus verbis planè declarat Concilium confeſsionem dimidiatam eſſe nullam: ac perconſequens eius integritatem eſſe de neceſsitate ſacramenti.

Conſtat ſecundo noſtra concluſio ex perpetua Eccleſiæ traditione, & conſuetudine: quam vniuerſi Patres teſtantur, quorum teſtimonia congerunt Burchardus lib. 19. decreti, & Suarius hic diſp. 22 ſect, 1.

Tertio colligitur ex ipſa Chriſti inſtitutione, adiuncta conditione, ſeu natura peccatorum mortalium, quod vnum non poſsit ſine alio remitti: ex quibus principijs procedit ratio qua vtitur Diu. Thomas in quarto diſtinct. 47. quæſt. 3. art. 4, ad hanc formam redacta: pœnitens confitetur vnum peccatum mortale ſacerdoti, vt ſacerdos illud remittat: atqui ſacerdos non poteſt illud remittere, niſi remittat cætera omnia: & ſi intenderet remiſsionem, ſeu abſolutionem diuidere, nihil faceret: igitur & pœnitens quando confitetur vnum, debet confiteri omnia: ita vt ſi intendat diuidere confeſsionem, nihil faciat.

Conſequentia patet, quia confeſſio debet adęquari abſolutioni: ideo enim neceſſaria eſt, quia abſolutio non poteſt, neque debet dari de ignotis. vt dixit Concilium Tridentinum vbi ſupra, etenim licet abſolutio per ſe reſpiciat peccata in cõfeſsione manifeſtata: tamen etiam cadit ſupra ipſam perſonam confitentis, eamque intendit ſimpliciter abſoluere, & iuſtificare coram Deo, ac proinde ab omnibus peccatis mortalibus liberare, quæ ſicut ſunt connexa quo ad remiſsionem, ita ſimiliter quo ad confeſsionem, & abſolutionẽ: in quo valdè à venialibus diſcriminantur.

Huius autem connexionis, & adæquationis inter confeſsionem, & abſolutionem ratio à priori eſt ipſa diuina inſtitutio, qua ſcilicet hoc ſacramentum fuit inſtitutum per modum iudicij, in quo accuſatio debet eſſe adęquata, & proportionata ſententiæ, quæ poſtulatur: atque etiam per modum medicinæ, quæ debet eſſe proportionata & adæquata morbo, pro quo poſtulatur, & cui applicatur, Vndè ſicut in iudicio reus petit omnimodam abſolutionem à delictis iudicialiter comprobatis: & infirmus poſtulat à medico liberari omnimodo ab infirmitate quam patitur: ita & in hoc ſacramentali iudicio pœnitens omnia ſua peccata mortalia debet manifeſtare, vt ab illis omnimodo abſoluatur, & curetur.

17 Dico ſecundo. Ad integritatem huiuſmodi confeſsionis neceſſarium eſt omnia peccata, & eorum malitias ſpecie diſtinctas manifeſtare. Hæc concluſio, non eſt minus certa, quam prima:

ma: de qua videndi ſunt Caietanus 1. tomo opuſculorum tractatu de confeſsione Nauarr, in capite *conſideret*, numero 18. de pœnitentia diſtinct. quinta, Cano in dicta relectione parte 5. Soto in 4. diſtinct. quæſt. 18. quæſt. 2. art. 4. & Petrus de Soto lectione 9. de confeſsione & Suarius diſput. citata ſect. 2. qui licèt diſideant in modo defendendi ſiue explicandi huiuſmodi malitias ſpecie diſtinctas neceſſario confitendas, ſcilicet quando ſunt notæ, & claræ, & non aliàs: vt placet Caietano, & Cano, vel quando differunt in genere moris, & non tantùm in genere entis phyſici, vt placet vtique Soto: verumtamen omnes conueniunt in eo quod per ſe loquendo ad integritatem confeſsionis neceſſarium ſit manifeſtare omnes malitias peccatorum ſpecie diſtinctas in genere moris: niſi per accidens excuſetur penitens, quia illarum diſtinctionem ignorat probabiliter.

Et ſic intellecta noſtra concluſio colligitur ex eiſdem principijs atque præcedens, nimirùm ex traditione, & conſuetudine à principio naſcentis Eccleſiæ recepta, & ex ſexta ſynodo can. 102. & Cõcilio Lateranenſi, Florentino, & Tridentino vbi ſupra. Atque ex ipſa ratione deſumpta ex inſtitutione per modum iudicij: in quo non poteſt vnum peccatũ mortale remitti, aut abſolui ſine alio, ac proinde omnia debent manifeſtari in numero, & in ſpecie: quot autem ſunt malitiæ ſpecie diſtinctæ in genere mortis, tot ſunt peccata ſpecie diſtincta. Dixi, *diſtincta in genere moris*; quia ſi diſtinguantur dumtaxat in genere entis phyſici, non opportet eas manifeſtare in confeſsione: quia confeſſor non debet ferrè iudicium de ſpeciebus entis, ſeu naturæ, ſed tantum de moribus.

Quo pacto iuxta probabilem ſententiam illæ ſpecies diuinationis quas diſtinguit D. Thomas 2. 2. quæſt 95. art. 3 nimirùm illa quę pręcognoſcit futura per aquam quæ dicitur hydromantia, & per lineamenta manus, quæ dicitur chyromantia, & quæ per mortui apparitionem, quæ dicitur nigromantia, tãtum differunt ſpecie in eſſe entis, & non in eſſe moris, eo quod in omnibus eſt eadem ratio peccandi, ſcilicèt vti pacto dœmonum ad præcognoſcendum futura, & ideò has ſpecies non opportet manifeſtare in confeſsione, ſed ſufficit manifeſtare malitiam ſuperſtitionis diuinatiuæ.

Nec nô circũſtantias mutãtes ſpeciẽ, & agrauãtes intra eandem

18 Dico tertio. Neceſſarium quoque eſt ad confeſsionis integritatem manifeſtare circunſtantias mutantes ſpeciem in genere moris, & ſimiliter nimis aggrauantes intra eandem ſpeciem: ſecus vero eas, quæ non ſunt aggrauantes. Hęc concluſio quoad primam partem eſt tam certa ſicut præcedens: & expræſſe habetur in Concilio Tridentino dict. capit. 5. Cuius manifeſta ratio eſt quia omnes malitiæ ſpecie diſtinctæ ſunt manifeſtandæ in confeſsione: ſed circunſtantia quæ mutat ſpeciem in eſſe moris eſt diſtincta malitia ab illa quam habet peccatum ex obiecto: quamuis peccatum ſpeculatiuè loquẽdo ſit vnum, habet tamẽ duas malitias ſpecie diſtinctas, v, g. furtum rei ſacræ, & homicidium clerici vltra malitiam ex obiecto furti, ſiue homicidij habent malitiam ſacrilegij contra virtutem religionis: quapropter, licet actus ſit vnus; eius tamen malitia eſt duplex, & ideo vtraque eſt in confeſsione manifeſtanda.

Idemque dicendum eſt de actu interno, hoc eſt de actu furandi rem ſacram, vel occidendi clericum, quia obiectum, & circumſtancia huiuſmodi nedum in actum externum, ſed etiam in affectum internum malitiam ſuam refundunt. De quo videndi ſunt Diuus Antoninus ſecũda parte tit. 5. cap. 1. §. 6. Nauarr. in ſumma cap. 6. num. 4. Ledeſma 2. parte quarti quæſt. 8. art, 2. & Suarius in dicta ſect. 2. num. 6.

19 Deinde pro ſecunda parte de circumſtancijs notabiliter aggrauantibus peccatum intra eandem ſpeciem cuiuſmodi eſt magna quantitas rei alienæ in furto, & ſic de alijs, licèt ſit communis ſententia iuriſtarum negans illas debere manifeſtari in confeſsione, quam etiam tenuere D. Thomas in quarto diſtinct. 16. quæſt, 3. articulo ſecundo, quæſtiuncula quinta, & ibi Albertus Magnus art. 24. Paludanus quæſtione tertia, articulo tertio, Durandus quæſtione quarta Bonauentura diſtinctione 17. quæſtione vltima, Almainus quæſtione prima art. 2. Carthuſianus q, 2 Adrianus q 4. de confeſsione art. 2. Medina, C. de confeſsione quæſt. de circunſtantijs confitendis Antoninus 3. parte tit. 19. §. 7. & conſtantiſsime Nauarr, in ſumma capite 6. num. 6. & in dicto capite *conſideret* de pœnitentia diſtinctione quinta numero ſexto, & Couarruu, in epitome

4. de

4. decretalium parte prima capite primo, numero 14. Turrecremata capite primo in principio de pœnitentia, diſtinctione 6. Angelus, Armila, & alij ſummiſtæ; & ſumma confeſſorum lib. 3. tit. 34. quæſt. 81. nihilominus probabilior, & ſecurior eſt affirmans, quam communiter ſequuntur Theologi. vt Altiſiodorenſis libro 4. ſummæ tractatu 6. cap. 3. quæſtione ſexta, Alenſis tertia parte quæſtione 77. mēbro tertio, articulo ſecundo, §. ſecundo aliàs quæſtione 8. membro quarto, articulo tertio, §. 2. Marſilius in quarto quæſtione 12. articulo primo parte prima illius, Maior in quarto diſtinct. 17. quæſtione quarta, vbi etiam Ricardus articulo ſecundo quæſt. 8. Scotus, & Grabiel ibidem quæſt. 1, articulo ſecundo, Caietanus prima ſecundæ quæſtione ſeptima, & in ſumma verbo *confeſsio* conditione 15. Victoria in ſumma quarta numero 136. de pœnitentia, Cano dicta relectione parte 5, Soto diſtinct. 18. quæſtione ſecunda articulo quarto, Ledeſma ſecunda parte quarti quæſtione octaua articulo quarto, dubio quinto, Petrus de Soto lectione nona de confeſsione, Sylueſter verbo *confeſsio*, infra quæſtione nona, & ratio qua Cōcilium Tridentinum vbi ſupra probat explicandas eſſe circunſtantias quæ mutant ſpeciem peccati, videtur enim conuincere de his quæ notabiliter agrauant intra eandem ſpeciem: nimirum quod ſine illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integre exponantur, neque iudicibus innoteſcāt: & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſsint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere: vndè alienum à ratione eſt docere circunſtantias has ab hominibus ocioſis excogitatas fuiſſe, aut vnam tantum circunſtantiam explicandam eſſe nempe peccaſſe in fratrem, &c. idque etiam comprobat vſus, & conſuetudo fidelium timoratæ conſciētiæ, qui has circunſtantias manifeſtant in confeſsione iudicantes ſe ſine illis non ſatis manifeſtare peccati commiſsi malitiam.

20 Denique pro tertia parte, nimirùm de alijs circumſtancijs quæ notabiliter non aggrauant peccatum intra eandem ſpeciem, indubitatum eſt illas non oportere manifeſtari in confeſsione: eoquod parum augent malitiam peccati, parumque addunt ſupra malitiam quam peccatum habet ex obiecto: parum autem, vt vulgo dicitur, pro nihilo reputatur. Huiuſmodi autem circunſtantias comprehendi numero ſeptenario communiter docēt Theologi, nimirùm, *quis, quid, vel circa quid, quomodo, cur, quibus auxilijs, vbi & quando*, de quarum ſingulis vnuſquiſque facili negotio poterit iudicare quando notabiliter aggrauet, vel non aggrauet peccatum, ac proinde quando teneatur ad eius manifeſtationem in ſacramentali confeſsione.

Neque Concilium Tridentinum vbi ſupra determinans circumſtantias mutantes ſpeciem malitiæ eſſe manifeſtandas ex conſequenti decernit cæteras non neceſſario manifeſtandas eſſe, nam præterquam quod argumentum ab authoritate negatiua nihil conuincit: concilium tantum voluit determinare id quod certum erat: relinquens illud quod erat incertum, nimirùm neceſsitatem manifeſtandi circūſtancias notabiliter aggrauantes intra eādem ſpeciem, tamquam dubitabile in ſcholis, vt vnuſquiſque pro arbitrio eam partem amplecteretur, quæ & ſpeculatiuè probabilior & in praxi ſecurior ei videretur.

Deinde in ſecunda parte huius dubij inquiritur de altera conditione confeſsionis, nimirùm quod ſit ſecreta, in qua conueniunt omnes Theologi in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eoquod modus iſte ſecretæ, & auricularis confeſsionis eſt honeſtus, ſanctus, & ad ſacramentum conficiendum ſufficiens, *Secretā cōfeſsionē eſſe honeſtā eſt de fide.*

Hæc ſuppoſitio eſt de fide, contra ſectarios irridentes huiuſmodi auricularem confeſsionem tamquam ſuperſtitioſam, & vanam; diffinita à Concilio Tridētino, ſeſsione 14. cap. 5, Colligiturque ex dicto cap. *Omnis vtriuſque ſexus* de pœnitentijs, & remiſsionibus, vbi ſoli ſacerdoti dicitur confeſsio eſſe facienda, & probatur ex conſuetudine antiqua Eccleſiæ tradita, & probata in Concilio Cabilonenſi capite 33. & Leone Papa epiſtola 68. Cypriano lib. de lapſis, & lib. 3 epiſtola 14 Hieronymo in illud Eccleſiaſtes 10 *Si momorderit ſerpens in ſilentio non eſt amplius habenti linguam*, vbi hoc declarat de illo qui non vult confiteri peccata paſtori ſuo, Auguſtino de vera, & falſa pœnitentia capite decimo, qui confiteri vult, ait, quærat ſacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere, & ex Baſilio in Pſalmo 32. & in

regu-

Digitized by Google

regulis breuioribus regula 288. & ex Chryſoſtomo homilia quinta in Eſaiæ, cap. 6. & ratione etiam ſuadetur, quia nimirum ſuppoſita Chriſti inſtitutione hic modus eſt magis conſentaneus rationi, & fini, ſiue materiæ huius ſacramenti: ergo eſt conſentaneus, & honeſtus.

Antecedens probatur ſigillatim: nam cum hoc ſacramentum ſit inſtitutum per modum iudicij, ſatis eſt quod ſacerdos qui eſt iudicaturus de peccatis, accipiat noticiam illorum, quam ſufficienter accipit per ſecretam confeſsionem, rurſus pœnitens qui debet eſſe in hoc iudicio accuſator ſui nullis indiget teſtibus: ac proinde ſufficienter cum hoc iudicium pertineat ad forum animæ, ſe accuſat per ſecretam confeſsionem, & alias cum hæc debeat eſſe integra, tam de peccatis externis, quam de internis, tam de publicis, quam de occultis, congruenter fit ſecrete: valdè enim eſſet difficile obligare hominem ad hæc omnia publice manifeſtanda. Qua ratione Concilium Tridentinum vbi ſupra intulit non poſſe per humanam legem cogi homines ad huiuſmodi publicam confeſsionem de ſuis peccatis faciendam.

21 Diſcriminantur autem in explicando an iſta conditio, ſiue modus ſit de neceſsitate ſacramenti, vel ſaltim præcepti, in duas ſententias: prima eſt aſſerentium eſſe neceſſariam, quam tuentur Scotus, & Gabriel in 4. diſtinct. 17. quæſtione prima, Ricardus artic. 3. quæſt. 8. eandem probabilem reputat & Angelus verbo *confeſsio* num. 29.

Poteſtque probari ex dicto capite *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi dicitur quod pœnitens ſolus omnia ſua peccata confiteatur ſacerdoti: quæ verba videntur pertinere ad materiam talis præcepti ibi impoſiti, & declarati ab Eccleſia. Idemque videtur innui in illo Iacobi: *confitemini alterum peccata veſtra*: vbi fit promulgatio præcepti diuini de ſacramentali confeſsione, & denotatur quod debeat fieri ſecrete, ſcilicèt vnius ad alterum: videtur etiam colligi ex conditionibus confeſsionis quæ communiter à Theologis numerantur: quæ teſtè Diuo Thoma in quarto diſtinctione 17. quæſtione tertia, articulo quarto ſunt ſexdecim his verſibus contentæ: ſit ſimplex, humilis confeſsio, pura, fidelis, atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda, integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata, fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Inter quas conditiones aliquę ſunt nedum de neceſsitate præcepti, ſed de neceſsitate ſacramenti, vt quod ſit integra, & accuſans, &cet. Neque videtur minor ratio de eo quod ſit ſecreta: ergo.

Vltimo probatur ratione, quia ex parte confeſſoris eſt obligatio ad ſeruandum ſigillum confeſsionis: ergo pariter, & ex parte pœnitentis erit obligatio ad ſecreto confitendum peccata ſua: alioquin non eſſet ęqualitas inter vtrumque: quæ tamen videtur requiri ex natura, & conditione huius ſacramentalis iudicij, & contractus.

22 Secunda nihilominus ſententia, & vera, quæ à nobis ſtatuitur pro concluſione negat huiuſmodi conditionem ſecreti eſſe neceſſariam neceſsitate ſacramẽti, aut etiam neceſsitate præcepti. Quam tuentur Alenſis quarta parte quęſtione 18. membro quarto articulo vltimo, § vltimo, Diuus Thomas quodlibeto primo, art. 10. & in quarto diſtinction, 17, quęſtione tertia, articulo quarto, quæſtiuncula tertia ad ſecundum, & ibi Maior quęſtione prima Ricardus articulo tertio quęſtione octaua, Paludanus quęſtione ſecũda articulo primo, Soto diſtinctione 18. quęſtione ſecunda articulo 6. Adrianus in quarto quæſtione prima de confeſsione, Ruardus articulo quinto, Medina C. de confeſsione quęſtione de modo ſecretè confitendi, Petrus de Soto lectione ſecunda de confeſsione, Vega lib. 13. in Trident. capite 28. Caſtro lib. contra hæres, verbo *confeſsio*, Diuus Antoninus tertia parte tit. 14. capite 19. §. 17. & Caietanus tomo 1. opuſculorũ opuſculo vltimo reſponſione 5. Cano lectione de pœnitentia, parte quinta & Suarius diſputat. 21. ſect. 2.

Et probatur primo, ex Concilio Tridentino in dicto capite quinto dicente publicam confeſsionem quandoque laudabilem eſſe, neque à Chriſto vetitã fuiſſe: ſi autem eſſet ſecreta confeſsio de neceſsitate ſacramenti, aut pręcepti diuini, in nullo caſu publica confeſsio eſſet ſufficiens, aut honeſta, & fuiſſet à Chriſto vetita: ergo.

Deinde quia in aliquo caſu neceſsitatis vt quando confeſsio fit ſacerdoti alterius lingue, per interpretem, & quando

pœni-

pœnitens in articulo mortis non poteſt ſine alta voce coram alijs confiteri: confeſſio fit rite & valide, vtpote quia in illa ſaluatur vera ratio accuſationis ex parte pœnitentis, & vera ſententia abſolutionis ex parte ſacerdotis, ex quibus hoc ſacramentum perficitur rite & valide, ſi adſint debita intentio miniſtri, & dolor requiſitus ex parte pęnitentis, verificaturque de illa diffinitio communiter à Patribus tradita maxime ab Auguſtino ſuper Pſalmum 66. ſcilicet confeſſio eſt per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur: quam probat Diuus Thomas in quarto diſtinctione 17. quæſtione 3. articul. 2. quæſtiuncula 1. ergo.

23 Ex quibus ad primum in contrarium reſpondetur ex illis teſtimonijs nihil conuinci contra noſtram ſententiã: non quidem ex primo, quia dum in dicto cap. *omnis vtriuſque ſexus*, dicitur, quod pęnitens ſolus confiteatur ſacerdoti, non pręcipitur illa conditio ſolitudinis, ſed exponitur tantum modus conſuetus in Eccleſia confitendi, qui eſt per ſecretam confeſſionem: aut dictio, *ſolus*, vt vulgo dicitur, non excludit à concomitantibus, ideſt nõ excludit teſtes vel ſocios pœnitentis, ſed accuſatores, ita vt ſenſus ſit quod ſolus pœnitens debet ſe de proprijs peccatis accuſare.

Neque ex ſecundo, quia dum Iacobus dixit, *Confitemini alterum, &c.* non excludit ſocietatem teſtium, ſed explicat tantum, quod iudicium hoc ſacramentale inter duos, ſcilicet accuſatorem & iudicem dumtaxat debet perfici.

Ad ſecundum reſpondet D. Thomas in dicto loco quæſtiuncula quarta dicens, quod illarum ſexdecim conditionũ, quædam ſunt de neceſſitate confeſſionis, & quædam de bene eſſe ipſius: & tales ſunt quod ſit ſecreta, frequens, nuda, diſcreta, &c.

Ad tertium admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia, eo quod huiuſmodi ſygillum eſt in fauorem ipſius pœnitentis, quod non poteſt ſacerdos eo inuito violare: ipſe tamen poteſt cedere iuri ſuo, & propriæ famæ parcere confitendo publicè peccata ſua, quia huiuſmodi damnũ infamiæ alijs bonis maioribus, videlicet fructu maioris humilitatis, confuſſionis propriæ & ſatisfactionis, ſufficienter cõpenſatur. Si tamen prudenter fiat: tũc autem exiſtimo prudenter fieri, quando adeſt vrgens neceſſitas, aut rationabilis cauſa, vt in caſibus prædictis, extra quos non erit expers culpæ, qui ſacramentaliter confiteatur publicè, eo quod ſine cauſa rationabili ab antiqua & laudabili Eccleſiæ conſuetudine recedit.

Dubium quartum eſt. An debeat ſacramentalis confeſſio ſemper fieri ſacerdoti?

24 RAtio dubitandi ſumitur ex duplici capite. Primo ab authoritate Diui Auguſtini, ac Diui Thomæ, quorũ ille in lib. de vera & falſa pęnitẽtia cap. 10. ſic inquit: *Tanta itaquè vis confeſſionis eſt, vt ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit quod pœnitens non poteſt verecundari coram ſacerdote, quem deſideranti, neque locus, neque tempus offert: & ſi ille cui confitebitur, poteſtatem ſoluendi non habeat, fit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis: mundati enim ſunt leproſi dum ibant oſtendere ſe ſacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet Deum ad quod reſpiceret, dum ex neceſſitate prohibentur ad ſacerdotes peruenire: ſæpè quidem eos quærunt, ſed ſani, & læti dum quærunt, antequam ad eos perueniant moriuntur: ſed miſericordia Dei eſt vbique, qui & iuſtis nouit parcere: & ſi non tam cito ſicut ſi ſoluerentur à ſacerdote, &c.* Quæ verba refert Gratianus in decreto diſtinctione prima de pœnitentia, canone *quem pœnitet*, & diſtinct. 6. canone *cui autem.*

Iſte vero in quarto diſtinctione 17. quæſtione tertia articulo quarto quæſtiuncula ſecunda, ſic habet: dicendum, quod ſicut baptiſmus qui eſt ſacramentum neceſſitatis, habet duplicem miniſtrum, vnum cui ex officio baptizare incumbit ſcilicet ſacerdotem, alium cui ratione neceſſitatis diſpenſatio baptiſmi committitur: ita etiam miniſter pęnitentiæ.

tiæ, cui confeſsio eſt facienda ex officio, eſt ſacerdos, ſed in neceſsitate etiam laicus vicem ſacerdotis ſupplet, vt ei confeſſio fieri poſsit & in ſolutione ad primum, ſubdit: *Sed quando neceſsitas imminet, debet facere pœnitens quod eſt ex parte ſua, ſcilicet cõteri, & confiteri, cui poteſt, qui quamuis ſacramentum perficere non poſsit, vt faciat id quod eſt ex parte ſacerdotis, abſolutionem ſcilicet, tamen defectum ſacerdotis Summus ſacerdos ſupplet: nihilominus confeſsio laico ex deſiderio ſacerdotis facta, ſacramentalis eſt quodammodo, quamuis non ſit ſacramentum perfectum, quia deeſt ei, quod eſt ex parte ſacerdotis.*

Secundo ex regula illa communi Theologorum, & iuriſtarum in materia obſeruandi præcepta: quod quando aliquis non poteſt in integrum obſeruare aliquod præceptum, tenetur nihilominus obſeruare in quantum poteſt, & ſecundum partem: ergo ſi aliquis non poteſt integraliter obſeruare dictum præceptum confeſsionis annualis præſcriptæ in dicto capite *omnis vtriuſque ſexus*, aut confeſsionis præſcriptæ iure diuino in caſu neceſsitatis ob defectum ſacerdotis, vel ob abſentiam illius: tenetur nihilominus ex vi eiuſdem præcepti illud obſeruare in quantum poteſt, ſi adſit laicus, confitendo illi peccata ſua: quam confeſsionem eſſe ſaltem aliquid ſacramentale conducens ad remiſsionem peccatorum fatetur D. Thomas in loco nuper allegato.

Confeſsio facta laico licet vtilis non eſt ſacramentũ.

25 Sed his non obſtantibus vera & catholica ſententia certa ſecundum fidem eſt, quæ aſſerit confeſsionem ſacramentalem non perfici niſi per abſolutionem exhibitam à vero ſacerdote habente clauium poteſtatem. Quæ colligitur, tum ex eo quod Chriſtus in inſtitutione huius ſacramenti Matthæi 18. & Ioannis 20. dum dixit, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, &c.* & *quorum remiſſeritis peccata remittuntur eis*: ſolis ſacerdotibus, ad quos ſolos hæc verba dirigebantur, contulit clauium poteſtatem & iuriſdictionem ad ſacramentalem confeſſionem audiendam, & ſacracramentalem abſolutionem impendendam pœnitentibus, iuxta communem Patrum interpretationem & conſenſum ac traditionem Eccleſiæ.

Tum etiam ex manifeſta diffinitione Concilij Tridentini ſeſsione 14. canone decimo, ſub his verbis: *Si quis dixerit ſacerdotes qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſoluendi non habere, aut non ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis fidelibus eſſe dictum: quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſoluere poſsit peccata, publica quidem per correctionem dumtaxat, ſi correctus acquieuerit: ſecreta vero per ſpontaneam confeſsionem; anathema ſit.*

Ad primam autem rationem dubitandi deſumptam ex authoritate Auguſtini reſpondet Diuus Antoninus in dicto titulo 14. §. 17. cum Guillelmo & Paludano, quos ipſe citat, quod in nullo caſu etiam extremæ neceſsitatis eſt in præcepto confiteri laico, cum non habeat claues: & ideò qui confitetur laico, tenetur iterum confiteri ſacerdoti, de omnibus illis peccatis cum poſsit; vnde quod dicit Auguſtinus in loco citato: *Tanta eſt vis confeſsionis quod ſi deeſt confeſſor, confiteatur proximo, &c.* conſilium eſt & bonum, ob rationem quam ipſe Auguſtinus indicat, nimirum, vt pęnitens per huiuſmodi confeſsionem factam proximo in actibus humilitatis, & verecundiæ ſe exerceat, & ad contritionem habendam excitetur, quæ eſt votum ſacramenti confeſsionis: & ad quam in caſu neceſsitatis tenetur deficiente copia legitimi confeſſoris.

Ad authoritatem vero Angelici Doctoris, reſpondetur, quod ipſe ſufficienter ſe explicat ibidem, maxime in ſolutione ad tertium, vbi conſtituit diſcrimen inter baptiſmum ſuſceptum à laico, dicens, quod cum baptiſmus perficiatur per elementum exterius adhibitum, proptereà ex quo aliquis ſemel baptizatus eſt a quocumque, non oportet quod iterum bapticetur: ſed in pęnitentia Eccleſię ſanctificatio non peruenit ad hominem niſi per miniſtrum, quia non eſt ibi aliquod elementum corporale exterius adhibitum, quod ex ſanctificatione inuiſibilem gratiam conferat: & ideò quamuis ille, qui laico confeſſus eſt in articulo neceſsitatis conſequutus ſit veniam à

Deo,

Deo; eo quod propoſitum confitendi ſecundum mandatum Dei, quod concepit, ſicut potuit, impleuit, non tamen adhuc Eccleſiæ reconciliatus eſt, vt ad ſacramenta Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius à ſacerdote abſoluatur, ſicut ille qui baptiſmo flaminis baptizatus eſt, ad Euchariſtiam non admittitur: & ideo oportet, quod iterum confiteatur ſacerdoti, cùm copiam habere potuerit, & præcipuè, quia vt dictum eſt, ſacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit, vnde oportet quod perficiatur, vt ex ipſa perceptione ſacramenti pleniorem effectum conſequatur, & vt mandatum de pœnitentiæ ſacramento recipiendo impleat. Hactenus D. Thomas. Hinc ad exactam dicti capitis *omnis vtriuſquè ſexus*, intelligentiam, & ſacramentalis confeſsionis doctrinæ complementum.

Reſoluenda venit quadruplex dubitatio. Prima eſt, an ex vi dicti præcepti annuæ confeſsionis teneatur pœnitens confiteri, aut de ſolis venialibus, ſi tantū habeat venialia, aut de illis ſimul cū mortalibus? Secunda eſt, ex quo tempore computetur initium & finis talis anni? Tertia eſt, an qui non impleuit hoc præceptum intra annum, teneatur ſtatim in ſequenti anno confiteri? Quarta, & vltima eſt, an ſi quis in confeſsione huius anni, omiſsit aliqua peccata mortalia propter obliuionem, vel aliam cauſam rationabilem, teneatur illa confiteri cum primum poſsit, intra eundem annum.

Soluitur prima dubitatio de venialibus

26 Ad quarum primam ratio dubitandi pro parte affirmatiua ſumitur ex verbis illis generalibus dicti capitis, quibus Concilium Lateranenſe præcepit, vt omnis fidelis vtriuſque ſexus dùm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata confiteatur ſacerdoti, &c. vbi ſignū illud diſtributionis, *omnia*, diſtribuit pro quibuſcumquè peccatis ac proinde pro venialibus, quæ verè peccata ſunt, & vniuocè cum mortalibus, imo & contingit quandoquè peccatum veniale eſſe eiuſdē ſpeciei athomæ cum mortali, vt furtum paruæ; & furtum magnæ quantitatis eiuſdem ſpeciei ſunt, & tamen vnum eſt veniale, & alterum eſt mortale peccatum. Fauet etiam vſitata regula Iuriſtarum: nimirum, vbi lex non diſtinguit, nequè nos diſtinguere, aut reſtringere debemus: dicta autem lex Cōcilij Lateranēſis abſquè diſtinctione, & abſquè reſtrictione loquitur de omnibus peccatis: ergo ad omnia extenditur. Roboratur etiam hæc pars ratione iſta: videlicet, quia Eccleſia poteſt ſuos fideles obligare ſub præcepto ad confitendum venialia: ſiquidem vnuſquiſquè fidelis lege voti poteſt ſe adſtringere ad confitenda venialia: ergo & poteſt lege præcepti obligari ab Eccleſia ad confitenda venialia: ergo non eſt cur prædicta lex cum generalis ſit, non ſic intelligatur fuiſſe de mente Eccleſiæ in Concilio Lateranenſi.

27 Sed his non obſtantibus tenenda eſt pars negatiua: nimirū quod Eccleſia, neque ritè, nequè validè poteſt talem condere legem obligantem ſub peccato ad confitenda venialia. Non quidem ritè, quia nimis rigidum eſſet tale præceptum, ac proinde à matre Eccleſia alienū. Neque validè, quia eſſet iniuſtum, & imprudens facere peccata venialia materiam neceſſariam ſacramentalis confeſsionis, & facere quod ſint connexa in ordine ad abſolutionem illa peccata quæ in ordine ad remiſsionem non ſunt connexa vtpote quorum vnum poteſt remitti ſine altero, & quorum remiſsio non eſt ad ſalutē neceſſaria: lex autem valida maximè Eccleſiaſtica quæ debet eſſe regula morum, & ſaluti animarum proſpiciens, debet eſſe iuſta, & prudens.

Ad primam autem rationem dubitandi reſpondetur propoſitionem illam vniuerſalem intelligendam eſſe iuxta ſubiectam materiam, & ſignum illud diſtributiuum habere ibi diſtributionem accommodā, ſcilicet pro omnibus peccatis quæ ſunt materia neceſſaria ſacramenti, & quorum remiſsio eſt neceſſaria ad ſalutem: venialia autem non ſunt huiuſmodi, & licet verè, & ſimpliciter peccata ſint, & vniuocè cum mortalibus ex parte conuerſionis: tamen ex parte auerſionis analogicè differunt ab illis, & tantum reputantur peccata ſecundùm quid. Hinc etiam patet ad ſecundam rationem.

Ad tertiam verò nego antecedens. Ad cuius probationē admiſſo antecedēte nego cōſequētiā: ratio diſcriminis eſt quod votū cū ſit lex particularis pēdens à vouentis voluntate; vnuſquiſquè poteſt ad melius bonum lege voti ſe adſtringere: lex autem præcepti Eccleſiaſtici, eſt generalis omnes fideles obligans, ac proinde debet communes conditiones legis, ſcilicet iuſtitiæ, prudentiæ ac debitæ ma-

teriæ obſeruatæ.

Satisfit ſecundæ dubitationi de cõputatione anni confeſſionis.

Ad ſecundam dubitationem reſpondeo omiſsis varijs modis computandi initium, & terminum huiuſmodi anni, veriorem eſſe illum, qui computat talem annum tamquam Eccleſiaſticum ab vna quadrageſsima in aliam includendo etiam illos dies octo paſchatis in quibus datur locus implendi præceptum communionis.

Ratio huius præcipua eſt, conſuetudo ipſa Eccleſiæ, quæ ſemper huiuſmodi annum, Eccleſiaſticum intellexit computandum a quadrageſsima in quadrageſsimã: vnde licèt prædicta lex Concilij. Lateranenſis de annuali confeſsione hanc computationem non expræſſerit: tamen conſuetudo quæ eſt optima legum interpres illam intellexit ſic eſſe de mente Eccleſię. Fauet D. Thomas, quodlibeto 1. quæſt. 6. artic. 11. dicens, quod tempus implendi præceptum de confeſsione annuali eſt præcipuè in feſto paſchatis: ideo enim Eccleſia ordinauit, vt ſemel in anno quando imminet tempus accipiendi Euchariſtiam omnes fideles confiteantur, & licet ex his verbis Angelici Doctoris tantum colligatur quod tempus implendi præceptum annualis confeſsionis per accidens, & ratione communionis ſit ipſum tempus paſchatis: tamen ex quo non aſsignat aliud tempus pro quo obliget præceptum annualis confeſsionis per ſe & ratione ſui, ſubindicat hoc eſſe tempus talis obligationis. Vnde ſubdit quod differre confeſsionem vſquè ad hoc tempus paſchatis, per ſe loquendo licitum eſt, licet per accidens poſſet fieri illicitum, puta ſi immineat aliquis articulus neceſsitatis in quo confeſſio requiratur, vel ſi aliquis propter contemptum differat confeſsionem: quod tamen non eſſet verum ſi antę illud tempus conſumaretur dictus annus.

His accedit, quod huic intelligentiæ & conſuetudini videtur aſſentire Concilium Tridentin. Seſsion. 14. cap. 5. circa finem, dum ſic ait: *Sed vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur: vnde iam in vniuerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo, & maxime acceptabili tempore quadrageſsimæ, quem morem hæc ſancta ſynodus maxime probat & amplectitur tamquam pie & meritò retinendum.* Quibus verbis nullum relinquit Concilium locum dubitandi de noſtra reſolutione.

Soluitur tertia dubitatio de obligatione confitendi quãtocius etiã elapſo anno.

28 Ad tertiam licet aliqui, de quorum numero ſunt Diuus Antoninus in ſecunda parte, titulo nono, §. tertio, Silueſter, verbo, *Euchariſtia*, tertia quæſtione decima quinta, & Ledeſma ſecunda parte quarti quæſtione ſexta articulo quinto, dubio ſeptimo, reſpondeant negatiue: eo quod exiſtimant annuam confeſſionem eſſe onus temporis annualis, ac proinde obligationem annualis confeſsionis extingui cum ipſo anno, ſicut qui die dominica omittit ſacrum, peccabit, non tamen tenetur audire miſſam feria ſequenti, & religioſus, vel clericus qui omittit horas canonicas huius diei peccat quidem mortaliter, non tamen tenetur illas repetere die ſequenti.

Sed verius reſpondeo affirmatiuè cum Maiore in quarto diſtinctione decima ſeptima, quæſtione ſecunda, Soto diſtinctione decima octaua, quæſtione prima, articulo quarto, Medina Complutenſi, quæſtione decima octaua, Nauarro capite 21. num. 45. Victoria in ſumma, numero 137. & Suario, hic diſputatione 36. ſectione tertia, Eo quod huiuſmodi præceptum licet affirmatiuum ſit, tamen admiſcet aliquid denegatiuo, facit enim hunc ſenſum: vnuſquiſquè fidelis adultus teneatur confiteri omnia ſua peccata, ſemel in anno, & non differat vltra talem confeſsionem: quare non ſolum peccat omittendo annualem confeſsionem, ſed etiam tranſacto anno peccat differendo illam, ſicut qui non ſoluit debitum intra tempus determinatum: non ſolum peccat non reſtituendo, ſed etiam peccat differendo reſtitutionem vltra tempus præſcriptum. Vnde ſi quis tranſacto anno confiteatur initio anni ſequentis hac confeſſione adimplet, quidem præceptum confitendi anno præcedenti; ſed ſi occurrat ei noua materia confeſsionis tenetur ſecundo confiteri, vt ſatisfaciat præcepto de annuali confeſsione anni præſentis.

Hoc confirmat vſus, & conſuetudo paſtorum Eccleſiæ qui ſic obligant ſubditos ad confeſsionem debitam huic quadragiſsimæ, vt nihilominus cenſeant manere hominem obligatum ad confitendum in ſequenti quadrageſsima, & propterea eiſdem pœnis, & cenſuris exigent poſtea ſequentem confeſsionem, quam nunc exigunt præſentem.

29 Ad

Satis fit dubitationi quartæ de peccatis obliuis, vel omiſſis in præcedente confeſſione

29 Ad quartam Suarius in dicta diſputat. 36. ſection. 4. reſpondet negatiue: citatquè pro ſua ſententia, Victoriam vbi ſupra, & Nauarrum in ſumma, cap. 2. eo quod exiſtimat ex vi huius præcepti non eſſe obligationem ſtatim confitendi talia peccata, ſed poſſe vſquè ad confeſsionem ſequentis anni differri: & obijciens ſibi id quod dixerat, ſection. 3. nimirum quod ille, qui poſt aliquam confeſsionem intra annum factam, habet conſcientiam noui peccati mortalis, in fine anni, ſeu tempore quadrageſsimæ tenetur ad confitendum intra eundem annum, quia ex dicto præcepto Eccleſiæ tenetur fidelis confiteri omnia peccata mortalia illius anni: ergo pariter ſi omittit in confeſsione aliquod peccatum mortale propter obliuionem, aut aliquam cauſam rationabilem, ne ſcilicet explicet complicem, &c. tenebitur illud peccatum confiteri intra illum annum cum primum poſsit.: reſpondet negando conſequentiá: quia (ait ille.) obligatio illa confitendi intra eundem annum nouum peccatum commiſſum poſt iam factam cōfeſsionem magis oritur ex conſuetudine Eccleſiæ, quam ex vi verborum ipſius præcepti: hæc conſuetudo autem vires obtinuit reſpectu peccatorum, quæ poſt aliquam confeſsionem commiſſa ſunt, & nullo modo nequè per ſe, neque per accidens per præcedentem confeſsionem auferri potuerunt: ſed non reſpectu illorum peccatorum, quæ per præcedentem confeſsionem ſaltim per accidens auferri potuerunt cuiuſmodi ſunt oblita, vel omiſſa ex rationabili cauſa.

Sed quis non videat hanc diſparitatem in conſuetudine, voluntariam eſſe? Quare licet ſpeculatiue loquendo dicta opinio ſit probabilis: tamen in praxi probabilior, & ſecurior eſt opoſita: alioquin ſicut ille, qui nouum peccatum committit poſt præcedentem confeſsionem, ſi intra annum non confiteretur illud cum poſſet peccat; quia non confiteretur omnia peccata mortalia illius anni, ad quod tamen ex vi dicti præcepti tenetur, ita qui habet peccata mortalia omiſſa, vel oblita in præcedenti confeſsione, tenetur illa intra eundem annum confiteri, cum poſsit commode, ſi in memoriam venerint: aliàs dictum præceptum non impleret, quia non confiteretur omnia peccata illius anni; vnde ſicut in primo caſu tenetur confiteri nouum peccatum, vt obligationi præcepti ſatisfaciat: ita & in ſecundo caſu, vt eidem obligationi ſatisfaciat, tenetur peccata omiſſa ex rationabili cauſa, & oblita, quorum iá memoriam, & cōſcientiam habet, cum primum potuerit intra eundem annum & eo elapſo, quantocius poſsit, confiteri. Aliàs, quo pacto non erit reus illius præcepti, quod fideles obligat ad confitendum omnia peccata mortalia eiuſdem anni?

ART. VI.

Vtrum pœnitentia ſit ſecunda tabula poſt naufragium?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non ſit ſecunda tabula poſt naufragium. Quia ſuper illud Iſai. 3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, dicit gloſſ. * Secunda tabula poſt naufragium, eſt peccata abſcondere. Pœnitentia autem non abſcondit peccata, ſed magis ea reuelat. Ergo pœnitentia non eſt ſecunda tabula.

4. d. 2. q. 1. a. 3. ad 5. & d. 14. q. 1. a. qu. 4. & d. 16. q. 4. a. 1. q. 5. ad 1.

** gl. Hier. in illum locum, to. 5.*

2 Præterea, Fundamentum in ædificio, non tenet ſecundum, ſed primum locum. Pœnitentia autem in ſpirituali ędificio eſt fundamentum, ſecundum illud Hebr. 6. Non ruſſus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis; vnde & præcedit ipſum

Digitized by Google

ſum baptiſmum, ſecundum illud Act. 2. Penitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Ergo penitentia non debet dici ſecunda tabula.

3 Præterea, Omnia ſacramenta ſunt quædam tabulæ, ideſt remedia contra peccatum. Sed penitentia non tenet ſecundum locum inter ſacramenta, ſed magis quartum, vt ex ſupradictis patet * Ergo penitentia non debet dici ſecunda tabula poſt naufragium.

q. 65. ar. 1. & 2.

Sed contra eſt, quod Hieron. † dicit, quod ſecunda tabula poſt naufragium eſt penitentia.

Hie. ſup. illud Eſa. 3. peccatū ſuū quaſi Sodoma, to 5. & id habent Mag. in 4. ſent diſ. 15. in princ.

Reſpondeo dicendum, quod id quod eſt per ſe, naturaliter prius eſt eo quod eſt per accidens: ſicut & ſubſtantia prior eſt accidente Sacramenta autem quædam per ſe ordinātur ad ſalutem hominis, ſicut baptiſmus, qui eſt ſpiritualis generatio; & cōfirmatio, quæ eſt ſpirituale augmentum; & Euchariſtia, quæ eſt ſpirituale nutrimentum. Pœnitentia autem ordinatur ad ſalutem hominis quaſi per accidēs, ſuppoſito quodam, ſcilicet ex ſuppoſitione peccati. Niſi enim homo peccaret actualiter, penitentia non indigeret: indigeret tamen baptiſmo & confirmatione, & Euchariſtia. Sicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur: indigeret autem homo per ſe ad vitam, generatione, augmento, & nutrimento. Et ideo penitentia tenet ſecundum locum reſpectu ſtatus integritatis, qui confertur, & conſeruatur per ſacramenta prædicta. Vnde & metaphorice dicitur ſecunda tabula poſt naufragium. Nam ſicut primum remedium mare tranſeuntibus, eſt, vt conſeruentur in naui integra, ſecundum autem remedium eſt poſt nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari hujus vitæ, eſt quod homo integritatem ſeruet, ſecundum autem remedium eſt, ſi per peccatū integritatem perdiderit, quod per penitentiam redeat.

Ad primum ergo dicendum, quod abſcondere peccata contingit dupliciter. Vno modo, dum ipſa peccata fiunt. Eſt autem peius peccare publicè quam ocultè: tum quia peccator publicus videtur ex maiori contemptu peccare, tum etiam quia peccat cum ſcandalo aliorum. Et ideo quoddam remedium eſt in peccatis, quod aliquis in oculto peccet. Et ſecundum hoc dicit * gloſ. quod ſecunda tabula poſt naufragiū eſt peccata abſcondere, non quod per hoc tollatur peccatum ſicut per penitentiam: ſed quia per hoc, peccatum fit minus. Alio modo aliquis abſcondit peccatum prius factum per negligentiam confeſſionis, & hoc contrariatur penitentiæ. Et ſic abſcondere peccatum non eſt ſecunda tabula, ſed magis contrarium tabulæ: dicitur enim Prouerb. 28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur.

citata in argum. 1.

Ad ſecundum dicendum, quod pœnitentia non poteſt dici fundamentum ſpiritualis ædificij ſimpliciter, ideſt, in prima ædificatione: ſed eſt fundamentū in ſecunda reædificatione, quæ fit per deſtructionem peccati. Nam primo redeuntibus ad Deum ocurrit penitentia. Apoſtolus tamen ibi loquitur de fundamento ſpiritualis doctrinæ. Penitentia autem, quę baptiſmum pręcedit, nō eſt penitentiæ ſacramentum.

Ad tertium dicendum, quod tria præcedentia ſacramenta pertinent ad nauem integram, ideſt, ad ſtatum integritatis, reſpectu cuius penitentia dicitur ſecunda tabula.

30 DIuus Thomas, qui de more habet integras quæſtiones nedum articulos mouere, pro explicandis locis ſacrę Scripturæ, aut etiam pro grauioribus Patrum teſtimonijs enodandis: hūc articulum mouet pro explicando teſtimonio Hieronimi ſuper illud Eſaiæ 3 *Peccatum ſuum quaſi Sodoma*: dicētis, quod ſecunda tabula poſt naufragium eſt pœnitentia ſumpta metaphora ab illis quibus mare tranſeuntibus primum remedium eſt nauis integra, ſecundum autem remedium poſt nauem fractam eſt, vt quis tabulæ adhæreat, &c. contra quam doctrinam, & reſolutionem obijcitur primo, quia eſſe ſecundam tabulam eſt eſſe ſecundum remedium, vel primum poſt naufragium, & ſic ſecunda tabula debet eſſe poſterior in executione omnibus pertinentibus ad primá tabulam, ſcilicet baptiſmo, confirmatione, & Euchariſtia: ſed non eſt poſterior Euchariſtia: ergo. Minor probatur, quia Euchariſtia eſt finis omnium ſacramentorum: ſed finis ſicut eſt primus in intentione, eſt poſterior in executione omnibus his quæ ſunt ad finem: ergo.

Secundo, quia confirmatio pertinet ad primam tabulam, quia dat augmentum teſte D. Thoma hic art. 6. ſed etiam Extrema vnctio, verbi gratia, & ordo dat augmentum: ergo.

Dices, non quia dat augmentum quomodocumquè, ſed quia dat augmentum pertinens ad primam vitam ſpiritualem. Sed contra eſt, quia ordo non magis per ſe præſuponit pœnitentiam, quam Euchariſtia, quia non præſuponit per ſe naufragium, nequè magis per ſe requiritur confirmatio, aut Euchariſtia ad primam vitam quam ordo: ergo.

Tertio quia propterea pœnitentia eſt ſecunda tabula, quia eſt remedium primi naufragij: ſed etiam eſt remedium, 2. & 3. & 4. ergo etiam erit 3. & 4. tabula. A quibus tamen facile liberatur aſſertio Angelici Doctoris.

Ad primam enim obiectionem dicendum eſt Euchariſtiam eſſe finem omnium ſacramentorum, & ita eſſe poſteriorem executione omnibus, quibus indiget homo; ſuppoſita tamen eorum indigentia: per accidens autem eſt, quod homo egeat penitentia: per ſe vero eſt quod egeat baptiſmo, & confirmatione, & ideo Euchariſtia per accidens eſt poſterior quam pœnitentia: per ſe autem ſupponit baptiſmum & confirmationem.

Ad ſecundam reſpondetur, quod ad primam vitam ſpiritualem per ſe pertinent illa tria; ſicut generatio, robur, & nutrimentum per ſe pertinent ad vitam corporalem, per accidens vero augmentum collatum à ſacramento ordinis, quod propterea non dicitur ad primam tabulam pertinere.

Ad tertiam reſpondetur, quod ſicut logicus appellat ſecundam ſubſtantiam, & ſecundam intentionem per negationem primæ, licet quādoquè ſit tertia, ſiue quarta ſubſtantia in ordine prædicationis: aut in termino in ordine cognitionis: ita Theologus appellat ſacramentum pœnitentiæ ſecūdam tabulam per negationem primæ.

ART. VII.

Vtrum hoc ſacramentum fuerit conuenienter in noua lege inſtitutum?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſa- 4. d. 21. q.
cramentum non fuerit conuenienter inſtitutū in noua lege. Ea enim quæ ſunt de iure naturali, inſtitutione nō indigent. Sed pęnitere de malis, quæ quis geſsit, eſt de iure naturali: non enim poteſt aliquis bonū diligere, quin de contrario doleat. Ergo pœnitentia non fuit conuenienter inſtitura in noua lege. 2. ar. 3.

2 Præterea, Illud quod fuit in veteri lege, inſtituendum non fuit

Digitized by Google

in noua. Sed etiam in veteri lege, fuit pœnitentia: vnde & Dominus conqueritur Hierem. 28. dicens, Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? Ergo pœnitentia non debuit inſtitui in noua lege.

3 Præterea, Pœnitentia conſequẽter ſe habet ad baptiſmum, cum ſit ſecunda tabula, vt ſupra dictum eſt.* Sed pœnitentia videtur â Domino inſtituta ante baptiſmum: nã in principio prædicationis ſuæ dixiſſe Dominus legitur, Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Ergo hoc ſacramentum non fuit conuenienter inſtitutum in noua lege.

art. præc.

4 Præterea, Sacramenta nouæ legis inſtitutionem habent a Christo: ex cuius virtute operantur, vt ſupra dictum eſt.* Sed Chriſtus non videtur inſtituiſſe hoc ſacramẽtum, cum ipſe non ſit vſus eo ſicut alijs ſacramentis quæ ipſe inſtituit. Ergo hoc ſacramentum non fuit conuenienter inſtitutum in noua lege.

q. 62. a. 5. & q. 64. art. 1.

Sed contra eſt, quod dicit Dominus Luc. vltim. Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius penitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) in hoc ſacramento actus penitentis ſe habet ſicut materia: id autem quod eſt ex parte ſacerdotis, qui operatur vt miniſter Chriſti, ſe habet vt formale, & completiuum ſacramenti. Materia vero etiam in alijs ſacramentis præexiſtit â natura, vt aqua; vel ab arte, vt panis: ſed quod talis materia ad ſacramentum aſſumatur, inſtitutione indiget hoc determinante. Sed forma ſacramenti, & virtus ipſius totaliter eſt ex inſtitutione Chriſti, ex cuius paſsione procedit virtus ſacramentorum. Sic ergo huius ſacramenti materia præexiſtit a natura: (ex naturali enim ratione homo mouetur ad penitendum de malis quæ fecit) ſed quod hoc vel illo modo homo pœnitentiam agat, eſt ex inſtitutione diuina. Vnde & Dominus in principio prædicationis ſuæ indixit hominibus, vt non ſolum pœniterent, ſed etiam pœnitentiam agerent, ſignificans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc ſacramentum: Sed id quod pertinet ad officium miniſtrorum, determinauit Matth. 16. vbi dixit Petro, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Efficaciam autem huius ſacramenti, & originem virtutis eius, manifeſtauit poſt reſurrectionem, Luc. vltim. vbi dixit, quod opportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes, præmiſſo de paſſione, & reſurrectione: ex virtute enim nominis Ieſu Chriſti patientis & reſurgentis hoc ſacramentum efficaciam habet in remiſsionem peccatorum. Et ſic patet conuenienter hoc ſacramentum in noua lege inſtitutum fuiſſe.

ar. 2. hui. quæſt.

Ad primum ergo dicendũ, quod de iure naturali eſt, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit quantum ad hoc quod doleat ea feciſſe, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat: ſicut & Niniuitæ fecerunt, vt Ionæ 3. legitur. In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei, quam conceperant ex prædicatione Ionæ: vt ſcilicet hoc agerent ſub ſpe veniæ conſequendæ â Deo: ſecundum illud quod ibi legitur, Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur â furore iræ ſuæ, & non peribimus? Sed ſicut alia quæ ſunt de iure naturali, determinationem acceperunt ex inſti-

tu-

tutione legis diuinæ (vt in ſecunda parte dictum *) ita etiam, & pœnitentia.

1.2.q.99 & 110.a.1.& 95.a.2.

Ad ſecundum dicendum, quod ea quæ ſunt iuris naturalis, diuerſimode determinationem accipiunt in veteri, & in noua lege: ſecundum quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectioni nouæ legis. Vnde & pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit: quantum quidem ad dolorem, vt eſſet magis in corde, quàm in exterioribus ſignis: ſecundum illud Ioel 2. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; Quantum autem ad remedium doloris quærendum, vt aliquo modo miniſtris Dei peccata ſua confiterentur, ad minus in generali. Vnde Dominus Leuit. 5. dicit, Anima ſi peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti, iuxta menſuram æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo, quod neſciens fecerit, & dimittetur ei. In hoc enim ipſo quod oblationem faciebat aliquis pro peccato ſuo, quodammodo ſuũ peccatum ſacerdoti confitebatur: & ſecundum hoc dicitur Prouerb. 28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non diligetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Nondum autem erat inſtituta poteſtas clauium, quæ à paſsione Chriſti deriuatur: & per conſequens nondum erat inſtitutum, quod aliquis doleret de peccato, cũ propoſito ſubijciendi ſe per confeſſionem, & ſatisfactionem clauibus Eccleſiæ, ſub ſpe conſequendæ veniæ, virtute paſsionis Chriſti.

Ad tertium dicendum, quod ſi quis recte conſideret ea, quæ Dominus dixit de neceſsitate baptiſmi Ioann. 3. tempore præceſſerunt ea quæ dixit Matth. 4. de neceſsitate pœnitentiæ. Nam id quod dixit Nicodemo de baptiſmo, fuit ante incarcerationem Ioannis, de quo poſtea ſubditur, quod baptizabat: illud vero quod de pœnitentia dixit Matth. 4. fuit poſt incarcerationem Ioannis. Si tamen prius ad pœnitentiam induxiſſet, quam ad baptiſmum, hoc ideo eſſet, quia etiam ante baptiſmum requiritur quædam pœnitentia; ſicut & Petrus dicit, Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.

Ad quartum dicendum, quod Chriſtus non eſt vſus baptiſmo, quẽ ipſe inſtituit: ſed eſt baptizatus baptiſmo Ioannis, vt ſupra dictum eſt.* Sed nec etiam actiue vſus eſt ſuo miniſterio: quia ipſe non baptizabat communiter, ſed diſcipuli eius: vt dicitur Ioann. 4. Quamuis credendum ſit, quod diſcipulos ſuos baptizauerit, vt Auguſtin. * dicit ad Celeucianum. Vſus autem huius ſacramenti ab eo inſtituti nullo modo ſibi competebat: nec quantum ad hoc quod ipſe pœniteret, in quo peccatum non fuit, neque quantum ad hoc quod hoc ſacramentum alijs præberet: quia ad oſtendendam miſericordiam, & virtutem ſuam effectum huius ſacramenti ſine ſacramento præbebat: vt ſupra dictum eſt. * Sacramentum autem Euchariſtiæ, & ipſe ſumpſit, & alijs dedit: tum ad commendandam excellentiam huius ſacramenti, tum quia hoc ſacramentum eſt memoriale ſuæ paſsionis, in qua Chriſtus eſt ſacerdos, & hoſtia.

q.39.a.1 & 2.

in ep. 108. ad 2. Habetur etiã lib. 3. de anim. & eius ori. c. 9. t. 7.

a.5. huius q. ad 3.

PRima concluſio eſt, materia ſacramenti pœnitentiæ præexiſtit à natura, quoniam ex naturali ratione homo mouetur ad pœnitendum de malis quæ fecit.

Secunda concluſio eſt: quod autem hoc, vel illo modo homo agat pœnitentiam eſt ex diuina inſtitutione, & non à natura: & ideo Chriſtus in lege noua conuenienter inſtituit ſacramentum pœnitentiæ quantum attinet ad abſolutionem.

Tertia concluſio eſt, efficacia huius ſacramenti, & origo virtutis illius manifeſtata fuit à Chriſto poſt reſurrectionem Lucæ vltimo cum dicitur: *Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, &c.*

31 Circa literam huius articuli omiſſa quæſtione de inſtitutione huius ſacramenti, & de tempore quo à Chriſto fuit inſtitutum; nequè non omiſſa alia quæſtione de præcepto, tàm diuino, quã Eccleſiaſtico huius ſacramenti: quæ ſatis ſuperquè in articulo quinto diſputatæ ſunt; ſolum occurrit diſputandum de veritate primæ concluſionis. Si tamen circa contextum vnum, aut alterum prælibemus. Et primo quidem notat Suarius non ſine admiratione, quod Diuus Thomas omiſſerit in hoc articulo, agens de inſtitutione huius ſacramẽti præcipuum teſtimonium, nimirum illud Ioannis 20. *Quorum remiſſeritis peccata, &c.* in quo prę cipue inſtitutio huius ſacramenti fuit conſumata: ceſſat tamen cauſa admirationis ſi dicamus quod Diu. Thomas, hoc teſtimonium non adduxit, vel quia ſuppoſuit adductum iam ſupra art. 3. in ſolutione ad tertium, vel quia reſeruabat illud adducendum infra tractaturus de clauium poteſtate.

Expenditur triplex ſenſus quæſiti à Diu. Thoma.

Secundo operepretium eſt expendere ſenſum legitimum tituli huius articuli, qui poteſt eſſe triplex. Primus eſt, vtrum rectè inſtitutum ſit hoc ſacramentum per comparationem ad legem antiquam, videlicet vtrum conuenienter fuerit inſtitutum in lege noua, & non ante illam. Secundus eſt, vtrum conuenienter quoad materiam, & formam fuerit inſtitutum, id eſt, an congrua fuerit talis materia, & talis forma. Tertius eſt, vtrum in lege no-fuerit conuenienter inſtitutum per comparationem ad illam, ſcilicet ante mortem, vel poſt Chriſti Reſurrectionem.

Ex quibus primus licèt directè intentus non fuerit a D. Thoma, fuit tamen obiter declaratus ab illo in ſolutionibus argumentorum.

Secundus verò nullatenus fuit intentus, ſed præſupponebatur quæſitus ſupra artic. 2. & 3.

Igitur tertius dumtaxat eſt per ſe intentus à ſancto Doctore, & in corpore articuli declaratus. Quibus præſuppoſitis, & prænotatis.

Dubium eſt, circa primam concluſionem, an materia huius ſacramenti, ſaltim in communi habeatur ex iure naturali, ideſt: an ratio naturalis dictet dolendum eſſe de peccatis commiſsis quærendo remedium illorum?

32 IN hoc dubio vidẽdi ſunt Medina Complutenſis, Codice de pœnitentia, quæſt. 2. Soto in 4 diſt. 14. quæſt. 1. art. 7. Caietanus in hoc art. Suarius circa literam eiuſdem articuli, & diſput. 1. ſectio. 2. qui omnes conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo quod ratio naturalis ſecluſo lumine fidei non poteſt cognoſcere, nequè dictare determinate, & in particulari dolorem ſupernaturalem, vt vtilem vel vt neceſſarium remedium peccatorum, nequè ſacramentum pœnitentiæ, eo quod hæc ſunt obiecta ſupernaturalia quæ excedunt ſpheram luminis naturalis, & ſola diuina reuelatione hominibus innotuerunt, ac proinde ſola fides ſupernaturalis poteſt cognoſcere hujuſmodi remedia, nedum vt præcepta, & neceſſaria, ſed etiam vt vtilia & conuenientia ad placandum Deum offenſum, & obtinendam remiſsionem peccatorum: eo vel maxime quod cum Deum eſſe iuſtificatorem per gratiam ſit articulus fidei, nequit ſolis viribus naturæ homo cognoſcere dari remiſsionem peccatorum, ac proinde nequè poteſt cognoſcere quæ ſint in particulari remedia vtilia, vel neceſſaria ad obtinendã huiuſmodi remiſſionem.

In

In explicando autem; an ſuppoſita ſemel fide, vel diuina reuelatione de hoc quod remiſsio peccatorum obtinetur per pœnitentiam, & quod Deus offenſus placatur per illam, poſsit ratio naturalis cognoſcere, & dictare tanquam vtilem, vel tamquam præceptam, & neceſſariam pœnitentiam ſiue internam, ſiue externam ad placandum Deum, & obtinendam peccatorum remiſsionem, diſcriminantur in tres modos dicendi: quorum duo ſunt extremè oppoſiti: & alter eſt medius. Primus fuit Medinæ vbiſupra abſolute negantis. Secundus eſt Caietani conſtans his duabus propoſitionibus.

Prima eſt: ratio naturalis ſecluſa fide, & diuina reuelatione non poteſt dictare dolorem pœnitentiæ in remedium peccati: intellige, vt præceptum ſiue vt debitum ac neceſſarium peccati remedium, neque vt vtile, & conſonum remedium. In qua propoſitione non diſſentit à primo modo dicendi.

Secunda, & ſatis difficilis eſt: ratio naturalis ſuppoſita fide ex ſe, & non ex fide dictat pœnitentiam in remedium peccati; ideſt vt non ſolum vtilem, & conſonam, ſed etiam vt debitam, ac neceſſariam.

Tertius modus, & medius eſt, quem ſequuntur Soto, Suarius, & alij iuniores Thomiſtæ aſſerentes, quo ratio naturalis præciſe ſumpta dictat dolendum, & pœnitendum eſſe de peccatis, prout ſunt offenſæ Dei aliquo genere pęnitentiæ, quamuis non agnoſcat neque dictet in particulari, quænam ſit pęnitentia ſufficiens, & efficax ad remiſsionem peccati: ſuppoſita tamen fide ratio naturalis dictare poteſt pęnitentiam in remedium peccati reuelatam per fidem. Qui modus dicendi eſt veritati, & doctrinæ Angelici Doctoris in hoc articulo conformior, & ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et pro prima parte probatur, quia à ratione naturali poteſt conſtare, quod Deus offenditur noſtris peccatis, & prouocatur ad iram, cum enim ſit author legis naturalis, lumine naturali, & humano cognoſcimus illum eſſe iudicem, & vindicem peccatorum, quæ contra has leges committuntur: ac proinde quod placandus eſt per aliquam pęnitentiam internam, neque non per aliqua ſigna externa: cum enim naturale ſit homini explicare affectus interiores ſignis externis, præcipuè quando dolet de aliquo malo quærendo remediū illius; conſequens eſt, quod ſicut ei naturale eſt habere affectum internum doloris de peccato; ita & aliqua ſigna huius doloris oſtendere.

Vnde plures res publicæ, & prouinciæ lumine naturali edoctæ Deos ſuos ſacrificijs externis, & oblationibus placare pro offenſis commiſsis conſueuerunt.

Hæc eadem pars probatur facto Niniuitarum, qui cum gentiles eſſent, ducti tamen naturali cognitione de offenſa contra Deum iratum, moti ſunt ad internum affectum doloris, & externa ſigna penitentiæ; etſi vt notat Diu. Thomas hic ad ſecundum dictamen hoc in illis præſupoſuit extrinſecam quandam reuelationem per Ionæ prædicationem.

Deinde, quia dolor qui dictatur à ratione naturali eſt naturalis, & dicitur de iure naturæ, quia conſonus, & conformis eſt rationi naturali, & dictatur ab illa; vt honeſtus, & vtilis ad vitam humanam: eo quod ratio naturalis dictat dolendum eſſe de malis naturæ, & naturaliter refugit mala naturę, & intendit vitare illa quæ inferunt ei dolorem, & anxietatem: ergo cum peccata ſint mala contra naturam rationalem, non eſt cur ratio naturalis non dictet dolorem de illis, vtpotè cum iſte dolor ſit actus conſonus, & proportionatus ipſi naturæ.

33 Imo etiam poteſt dictari talis dolor nedū vt vtilis, & conſonus, ſed etiam vt præceptus, ac debitus, quia ſicut datur præceptum naturale de amando Deum, ita probabile eſt dari præceptum de dolendo de peccatis, quamuis hoc non ſit tam certum ſicut primum, eſt tamē probabile, & eandem probabilitatem habet, quod ratio naturalis, maximè fide illuſtrata dictet talem dolorem, vt debitum ac pręceptum.

Ratio naturalis dictat dolēdum eſſe dē peccatis, maximè ſuppoſita diuina reuelatione.

Huiuſmodi autem remedium doloris duplex eſt, alterum ad illum vitandum, alterum vero ad vitandam cauſam illius, ſcilicet peccata. Et quidem primo modo talis dolor eſt naturalis, ac proinde obiectum proportionatum dictamini rationis naturalis.

Secundo autem modo licet ſit probabile talem dolorem non dictari à natura rationali, quia probabile eſt illam lumine naturali non cognoſcere peccatum eſſe offenſam Dei, & licet hoc cognoſcat, non tamen ſcit quibus remedijs hæc offenſa, ſemel perpetrata, remittatur; verumtamen pro-

probabile etiam eſt dolorem hunc ſecundo modo acceptum eſſe naturalem, & dictari à ratione naturali: a qua etiam conſequenter dictatur adhibenda eſſe externa ſigna talis doloris interni: quia naturale eſt homini vti ſignis externis manifeſtatiuis affectuum internorum.

Sed citra dubium eſt, quod ratio naturalis ſupoſita fide, ac diuina reuelatione talem dolorem, ſecundo modo acceptum, & eius externa ſigna, tum vt vtilia, & conuenientia, tum etiam vt debita ac præcepta remedia contra peccata, dictare poſsit: quod eſt intentum ſecundæ partis noſtræ aſſertionis.

Et ſuadetur primo a ſimili, & exemplo hæretici, qui ſupoſita diuina reuelatione de miſterio Trinitatis, fide naturali, ſiue humana credit Deum eſſe Trinum.

Secundò, quia ſupoſita fide, quod in Eccleſia ſint veri ſacerdotes, ratio naturalis dictat illos eſſe alendos: & ſupoſita fide, quod in Euchariſtia contineatur Chriſtus Deus homo, ratio dictat naturalis Euchariſtiam eſſe venerandam cultu latriæ, & ſimoniacum eſſe vendere illam. Et ſupoſito præcepto poſitiuo, verbi gratia, quod merces tali pretio taxato à Principe vendantur, ratio naturalis dictat præceptum quod antea non dictabat, ſcilicet tales merces non maiori pretio eſſe vendendas: ergo ſimiliter ſupoſito lumine fidei, quod dolor ſupernaturalis ſit remedium vtile ac neceſſarium ad placandum Deum, & ad remiſsionem peccatorum, ratio naturalis dictabit talem dolorem, vel ſaltem aliquem dolorem vage, ſiue in communi, eſſe remedium vtile ac debitum ad præſtandos prædictos effectus, & ratione veluti à priori oſtenditur, quia natura inferior ex coniunctione ad ſuperiorem perficitur in ordine ad aliquid quod ſe ſola non poterat, vt cogitatiua hominis ex coniunctione ad intellectum ſit potens ad diſcurrendum circa ſingularia: ergo natura rationalis ex coniunctione ad fidem redditur magis perfecta, ac per cõſequens ad eliciendum dictamen iſtud, quod ſe ſola non poterat: nimirum dolendum eſſe de peccatis ad placandum Deum, & remiſsionem illorum obtinendam.

In quem ſenſum poteſt reduci illa ſecunda propoſitio difficilis Caietani: quæ tripliciter poteſt intelligi. Primo quidem, quod ſupoſita fide ratio naturalis dictet dolorem naturalem, & inſufficientem ad remiſsionem peccatorum: & hoc ex ſe, & non ex fide: & hic ſenſus verus eſt, & nihil abſurdi inuoluit, ſed non videtur intentus à Caietano, quamuis Suarius vellit ei hunc ſenſum attribuere.

Secundus eſt, quod ratio naturalis, ſimul cum fide dictet dolorem ſupernaturalem, & efficacem ad remiſsionem peccatorum, tanquam remedium conueniens, ac debitum, & neceſſarium: & verbum illud *ex ſe, & non ex fide*, intelligitur non ex fide ſola. Et hic ſenſus etiam eſt verus, & conformis noſtræ ſecundæ parti concluſionis, neque alienus à mente Caietani.

Tertius eſt, quod ſupoſita fide, ratio naturalis ex ſe, & nullatenus ex fide dictet dolorem ſuper naturalem determinate, &c. Et hic ſenſus falſus eſt, & merito improbatur ſententia Caietani ab illis authoribus, qui eam in hoc ſenſu interprætantur.

ART. VIII.

Vtrum pœnitentia debeat durare, vſque ad finem vitæ?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quôd pœnitentia non debeat durare vſque ad finem vitæ. Pœnitentia enim ordinatur ad deletionem peccati. Sed pœnitens ſtatim conſequitur remiſſionem peccatorum: ſecundum illud Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vita viuet, & non morietur. Ergo non opportet vlterius pœnitentiam protendi.

Inf. ar. 9. ad 1. & 4. d. 17. q. 2. ar. 4. q. 1. & 2.

2 Præterea, Pęnitentiam agere, per-

Digitized by Google

pertinet ad ſtatum incipientium. Sed homo de hoc ſtatu debet procedere ad ſtatum proficientium, & vlterius ad ſtatum perfectorum. Ergo non debet homo pœnitentiam agere, vſque ad finem vitæ.

3 Præterea, Sicut in alijs ſacramentis homo debet ſeruare ſtatuta Eccleſiæ, ita & in hoc ſacramento. Sed ſecundum canones determinata ſunt tempora pœnitendi, vt ſcilicet ille qui hoc vel illud peccatum commiſerit, tot annis pœniteat. Ergo videtur, quod non ſit pœnitentia extendenda vſque ad finem vitæ.

Sed contra eſt, quod † Auguſt. dicit in lib. de pœnit. Quid reſtat nobis niſi ſemper dolere in vita? vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia. Si vero pœnitentia finitur, quid derelinquitur de venia?

in l. de vera & fal. pœn. c. 13 cir. med. to. 4.

Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt pœnitentia, ſcilicet interior, & exterior. Interior quidem pœnitentia eſt qua quis dolet de peccato commiſſo. Et talis pœnitentia debet durare vſque ad finem vitæ. Semper enim debet homini diſplicere quod peccauit: ſi enim ei placeret peccaſſe, iam ex hoc ipſo peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Diſplicentia autem dolorem cauſat in eo, qui eſt ſuſceptiuus doloris, qualis eſt homo in hac vita. Poſt hanc vitam autem ſancti non ſunt ſuſceptiui doloris. Vnde diſplicebunt eis peccata præterita ſine omni triſtitia, ſecundum illud Iſai. 63. Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores.

Pœnitentia vero exterior eſt, qua quis exteriora ſigna doloris oſtendit, & verbotenus peccata ſua confitetur ſacerdoti abſoluenti, & iuxta eius arbitrium ſatisfacit. Et talis pœnitentia non opportet quod duret vſque ad finem vitæ, ſed vſque ad determinatum tempus ſecundũ menſuram peccati.

Ad primum ergo dicendum, quod vera pœnitentia non ſolum remouet peccata præterita, ſed etiam præſeruat hominem a peccatis futuris. Quamuis igitur homo in primo inſtanti veræ pœnitentiæ remiſsionem conſequatur præteritorum peccatorum: opportet tamen in homine perſeuerare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad ſecundum dicendum, quod agere pœnitentiam interiorem ſimul, & exteriorem, pertinet ad ſtatum incipientium: qui ſcilicet de nouo redeunt à peccato. Sed pęnitentia interior habet locum etiam in proficientibus & perfectis: ſecundum illud Pſalm. 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum. Vnde & ipſe Paulus dicebat primæ Corinth. 15. Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.

Ad tertium dicendum, quod illa tempora præfiguntur pęnitentibus, quantum ad actionem exterioris pęnitentiæ.

34 RESponſum Angelici Doctoris eſt: interiorem pœnitentiam durare, vſque ad finem vitæ, non quidem poſitiue, & realiter, quia hoc humano modo fieri non poteſt per durationem eiuſdem actus, niſi per frequentiam, & repetitionem actuum ſimilium diſplicentiæ de peccatis: bene tamen negatiue, & moraliter, quatenus ſcilicet pœnitentia ſemel habita numquam debet retractari, neque peccatum quod ſemel diſplicuit, iterum debet placere. Pęnitentiam vero exteriorem intellige ſacramentalem per confeſsionem non debere durare vſque ad finem vitæ: quia neque hoc eſt vtile, aut neceſſarium, niſi quatenus peccata leuia, vſque ad finem vitæ iterantur: aut quatenus confeſſio

ſio præteritorum peccatorum mortalium non ſatis integra, vel perfecta æſtimatur, quod in pœnitentia interiori non contingit.

ART. IX.

Vtrum pœnitentia poſsit eſſe continua?

4.d.1.q. 1.a.4.q.1 AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non poſsit eſſe continua. Dicitur enim Hier. 32. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui a lachrymis. Sed hoc eſſe non poſſet, ſi pœnitentia continuaretur, quæ conſiſtit in ploratu & lachrymis. Ergo pœnitentia non poteſt continuari.

2 Præterea, De quolibet bono opere debet homo gaudere, ſecundum illud Pſalm. 99. Seruite Domino in lætitia. Sed agere pœnitentiam eſt bonum opus. Ergo de hoc ipſo debet homo gaudere. Sed non poteſt homo ſimul gaudere, & triſtari: vt patet per Philoſophum in 9. AEthic. Ergo non poteſt eſſe quod pœnitens continue triſtetur de peccatis præteritis, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ. Ergo pœnitentia non poteſt eſſe continua.

3 Præterea, Secundæ ad Corinth. 2. Apoſtol. dicit, Conſolamini, ſcilicet pœnitentem, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. Sed conſolatio depellit triſtitiam, quæ pertinet ad rationem penitentiæ. Ergo pœnitentia non debet eſſe continua.

Sed contra eſt, quod Auguſtin. † dicit in lib. de pœnitentia, Dolor in pœnitentia continue cuſtodiatur. † *In lib. de vera & falſa pœn. c. 13. cir. fi. to. 4.*

Reſpondeo dicendum, quod penitere dicitur dupliciter, ſecundum actum, & ſecundum habitum. Actu quidem impoſsibile eſt, quod homo continue peniteat: quia neceſſe eſt quod actus penitentis, ſiue interior, ſiue exterior, interpoletur ad minus ſomno, & alijs quæ ad neceſſitatem corporis pertinent. Alio modo dicitur penitere ſecundum habitum. Et ſic opportet quod homo continue peniteat: & quantum ad hoc quod homo numquam aliquid contrarium penitentiæ faciat, per quod habitualis diſpoſitio penitentis tollatur: & quantum ad hoc quod debet homo in propoſito gerere, quod ſemper ſibi præterita peccata diſpliceant.

Ad primum ergo dicendum, quod ploratus, & lachrymæ ad actũ exterioris penitentiæ pertinent, qui non ſolum non debet eſſe cõtinuus, ſed nec etiam opportet quod duret vſque ad finem vitæ. vt dictum eſt. * *art. præc.* Vnde & ſignanter ibi ſubditur, Quia eſt merces operi tuo. Eſt autem merces operis penitentis, plena remiſsio peccati, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: poſt cuius conſecutionem non eſt neceſſe quod homo vlterius exteriorem penitentiã agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas penitentiæ, qualis dicta eſt. * *art. præc.*

Ad ſecundum dicendum, quod de dolore, & gaudio dupliciter loqui poſſumus. Vno modo ſecundum quod ſunt paſsiones appetitus ſenſitiui. Et ſic nullo modo poſſunt eſſe ſimul: eo quod ſunt omnino cõtrariæ, vel ex parte obiecti, (puta, cũ ſunt de eodem) vel ſaltem ex parte motus

motus cordis: nam gaudium eſt cum dilatione cordis, triſtitia vero cum conſtrictione. Et hoc modo loquitur Philoſophus * in 9. AEthicorum. Alio modo poſſumus loqui de gaudio & triſtitia, ſecundum quod conſiſtunt in ſimplici actu voluntatis, cui aliquid placet vel diſplicet. Et ſecundum hoc non poſſunt habere contrarietatem, niſi ex parte obiecti, puta, cum ſunt de eodem, & ſecundum idem. Et ſic non poſſunt ſimul eſſe gaudium & triſtitia: quia non poteſt ſimul idem ſecundum idem placere, & diſplicere. Si vero gaudium & triſtitia ſic accepta non ſint de eodem ſecundum idem, ſed vel de diuerſis, vel de eodem ſecundum diuerſa: ſic non eſt contrarietas gaudij, & triſtitiæ. Vnde nihil prohibet hominem ſimul gaudere & triſtari: puta, ſi videamus iuſtum affligi, ſimul placet nobis eius triſtitia, & diſplicet eius afflictio. Et hoc modo ſimul poteſt alicui diſplicere quod peccauit, & placere quod hoc ei diſplicet cum ſpe veniæ: ita quod ipſa triſtitia ſit materia gaudij. Vnde & Auguſt. dicit * in lib. de Pœnitentia, Semper doleat pœnitens; & de dolore gaudeat. Si tamen triſtitia nullo modo compateretur ſibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas pœnitentiæ, ſed actualis.

c. citat. in arg. 2.

in li. de vera, & fal. pœn. c. 13 in fi. to. 4.

Ad tertium dicendum, quod ſecundum Philoſophum * in ſecundo AEthicorum, ad virtutem pertinet tenere medium in paſſionibus. Triſtitia autem, quæ in appetitu ſenſitiuo pœnitentis conſequitur ex diſplicentia voluntatis, paſſio quædam eſt. Vnde moderanda eſt ſecundum virtutem; & eius ſuperfluitas eſt vitioſa, quia inducit in deſperationem. Quod ſignificat Apoſtolus ibidem, dicens, Ne maiori triſtitia abſorbeatur; qui eiuſmodi eſt. Et ſic conſolatio, de qua ibi Apoſtolus loquitur, eſt moderatiua triſtitiæ: non autem totaliter ablatiua.

c. 2. ex c. 3. 6 & 9 haberi poteſt, to. 5.

EAdem fere eſt huius articuli doctrina ac art. præcedentis. Vnde pariformis quoque eſt reſolutio illius, nimirum quod pœnitentia ſecundum actum continua eſſe non poteſt ſiue interior ſiue exterior: bene autẽ pœnitentiam ſecundum habitum oportet eſſe continuam quantum ad duo; videlicet quantum ad hoc quod homo continue, numquam faciat aliquid contrarium pœnitentiæ per quod habitualis diſpoſitio pœnitentis tollatur: & quantum ad animi propoſitum, quod homo ſemper debet habere, vt ſibi præterita peccata diſpliceant.

ART. X.

Vtrum ſacramentum pœnitentiæ debeat iterari?

AD decimum ſic proceditur: Videtur, quod ſacramentum pœnitentiæ non debeat iterari. Dicit enim Apoſtolus Hebr. 6. Impoſsibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, & guſtauerunt cœleſte donum, & participes ſunt facti Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, renouari rurſus ad pœnitentiam. Sed quicumque pœnituerunt, ſunt illuminati, & acceperunt donum Spiritus ſancti. Ergo quicum-

4. d. 14. q. 1. ar. 4 q. 3 & art. 5. q. 2. & Hebr. 6. col. 3.

cumque peccat poſt pœnitentiam, non poteſt iterato pœnitere.

in l. 2 de pœnit c. 10. post med. to. 1.

2 Præterea, Ambroſ. * dicit in lib. de pęnitentia, Reperiuntur qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto. Nā ſi vere in Chriſto pœnitentiam agerent, iterādam poſtea non putarent: quia ſicut vnum eſt baptiſma, ita & vnica eſt pœnitentia. Sed baptiſmus non iteratur. Ergo nec pœnitentia.

3 Præterea, Miracula, quibus Dominus infirmitates corporales ſanauit, ſignificant ſanationes ſpiritualium infirmitatum, quibus ſcilicet homines liberantur a peccatis. Sed non legitur quod Dominus aliquem cœcum bis illuminauerit, vel quod aliquem leproſum bis mundauerit, aut aliquem mortuum bis ſuſcitauerit. Ergo videtur, quod nec alicui peccatori bis per pęnitentiam veniam largiatur.

Ho. 34. in euan. post me. illius. *† li. 2. c. 16 in pri. & habetur de pœnit. d. 3. c. irrisor.*

4 Præterea, Gregor. * dicit in Homil. Quadrageſimæ, Pęnitentia eſt anteacta peccata deflere, & deflenda iterum non committere. Et † Iſidor. dicit in lib. de ſummo bono, Irriſor eſt & non pœnitens, qui adhuc agit quod pęnitet. Si ergo aliquis vere pęniteat, non iterum peccabit. Ergo non poteſt eſſe quod pęnitentia iteretur.

5 Præterea, Sicut baptiſmus habet efficaciam ex paſsione Chriſti, ita & pęnitentia Sed baptiſmus non iteratur propter vnitatem paſſionis, & mortis Chriſti. Ergo pari ratione nec pęnitentia iteratur.

Hoc habet Amb ser. 8. in Ps. 118. ante me. to. 4 refertur 23. q. 4. c. est in iusta.

6 Præterea, Ambroſ. * dicit, quod facilitas veniæ, incentiuum præbet delinquendi. Si ergo Deus veniam frequenter præbet pęnitentibus, videtur quod ipſe hominibus præbeat incentiuum delinquendi. Et ſic videretur delectari in peccatis: quod eius bonitati non cōgruit. Non ergo poteſt pœnitentia iterari.

Sed contra eſt, quôd homo inducitur ad miſericordiam, exemplo diuinę miſericordiæ: ſecundum illud Luc. 6. Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Sed Dominus hanc miſericordiam diſcipulis ſuis imponit, vt ſæpius remittant fratribus contra ſe peccātibus. Vnde ſicut dicitur Matth. 18 Petro quærenti, Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties? reſpondit Ieſus, Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Ergo etiam Deus ſæpius per pęnitentiam, veniā peccantibus præbet, præſertim cum doceat nos petere, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Reſpondeo dicendum, quod circa pęnitentiam quidam errauerunt, dicentes non poſſe hominem per pœnitentiam ſecundo conſequi veniam peccatorum: quorum quidam ſcilicet Nouatiani hoc in tantum extenderunt, vt dicerent poſt primam pęnitentiam, quæ agitur in baptiſmo, peccantem non poſſe per pęnitentiam iterato reſtitui. Alij verô fuerunt hæretici (vt Auguſtin. * dicit in lib. de pęnitent.) qui poſt baptiſmum dicebant quidem eſſe vtilem pęnitentiam, nō tamen pluries, ſed ſemel tantum. *ca. 5. to. 4.*

Videntur autem huiuſmodi errores ex duobus proceſsiſſe. Primo quidem ex eo, quod errabant circa rationem veræ pęnitentiæ. Cum enim ad veram pænitentiam charitas requiratur (ſine qua non delentur peccata) credebant quod charitas ſemel habita non poſsit amitti; & per conſequens pænitentia ſi ſit vera, numquam per peccatum tollatur, vt ſic ſit neceſſe eam iterari. Sed hoc improbatum eſt * in ſecunda *2. 2. q. 24 art. 11.*

par-

parte, vbi oſtenſum eſt, quod charitas ſemel habita, propter libertatem arbitrij poteſt amitti, & per conſequens poſt veram pænitentiam poteſt aliquis peccare mortaliter. Secundo, ex eo quod errabant circa æſtimationem grauitatis peccati. Putabant enim adeo graue eſſe peccatum quod aliquis committit poſt veniam impetratam, quod non ſit poſsibile ipſum remitti. In quo quidem errabant, & ex parte peccati (quod etiam poſt remiſsionem conſecutam poteſt eſſe & grauius & leuius, quam fuerit primum peccatum remiſſum,) & multo magis contra infinitatem diuinæ miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum, & magnitudinem peccatorũ, ſecundum illud Pſalmi 50. Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecũdum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Vnde reprobatur verbum Cain, dicentis Geneſ. 4. Maior eſt iniquitas mea, quã vt veniam merear. Et ideo miſericordia Dei peccantibus, per pænitentiam veniam præbet abſque vllo termino: vnde dicitur 2. Paral. vlt. immenſa & inueſtigabilis miſericordia promiſsionis tuæ, ſuper malitiam hominum. Vnde manifeſtum eſt, quod pænitentia pluries eſt iterabilis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia apud Iudæos erant ſecundum legem quædam lauacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditijs purgabant, credebant aliqui Iudæorum quod etiam per lauacrum baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet. Ad quod excludendum, Apoſtolus ſcribit Hebr. 6. quod impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, ſcilicet per baptiſmum, rurſum renouari ad pænitentiam, ſcilicet per baptiſmum, qui eſt lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, vt dicitur ad Titum 3. Et rationem aſsignat, ex hoc quod per baptiſmum homo Chriſto commoritur: vnde ſubdit, Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei.

Ad ſecundum dicendum, quod Ambr. loquitur de pænitentia ſolemni, quæ in Eccleſia non iteratur, vt infra dicetur.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Auguſtin. * dicit in lib. de pænit. multos cæcos, & in diuerſo tempore Dominus illuminauit, & multos debiles confirmauit, oſtendens in diuerſis illis eiſdem ſæpe peccata dimitti: vt quem prius ſanauit leproſum, alio tempore illuminet cæcũ. Ideo enim tot ſaluauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos, ne deſperet de ſe peccator. Ideo non ſcribitur aliquem, niſi ſemel ſanaſſe, vt quilibet timeat iungi peccato: medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? medicorum enim eſt centies infirmum, centies curare: qui cæteris minor eſſet, ſi alijs poſsibilia ignoraret. *c. 5. to. 4.*

Ad quartum dicẽdum, * quod pænitere eſt anteacta peccata deflere & flenda non committere: ſcilicet ſimul dum flet, vel actu, vel propoſito. † ille enim eſt irriſor, & non pænitens, qui ſimul dum pænitet, agit quod pænitet, vel proponit iterum ſe facturum quod geſsit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. *Greg. hō. 34. in euã gel.* *Mag. 4. ſent. d. 14. § A, circ. med. de pæ. d. 3. c. 1.*

Quod autem aliquis poſtea peccat, vel actu vel propoſito, non excludit quin prima pænitentia vera fuerit: numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui poſtea ſedet: ita

vere pænituit, qui poſtea peccat.

Ad quintum dicendum, quod habet virtutem ex paſsione Chriſti, ſicut quædam ſpiritualis generatio cum ſpirituali morte præcedentis vitæ. Statutum autem eſt hominibus ſemel mori, & ſemel naſci. Et ideo ſemel tantum debet homo baptizari. Sed pænitentia habet virtutem ex paſsione Chriſti, ſicut ſpiritualis medicatio, quæ frequenter iterari poteſt.

Ad ſextum dicendum, quod ſecundum Auguſt. * in lib de pænitent. conſtat Deo multum diſplicere peccata: qui ſemper præſto eſt ea deſtruere, ne ſoluatur quod creauit, nec corrumpatur quod amauit, ſcilicet per deſperationem.

ca. 5. non longe à pr. to. 4. de pœn. di. 3. q. 32.

35 CONcluſio huius articuli eſt affirmatiua, quæ in duplici ſenſu poteſt intelligi: primo quidem circa diuerſa peccata: nimirum, quod qui poſt vnam legitimam confeſsionem, labitur in alia peccata, poſsit ac debeat iterum de illis confiteri, & gratiam conſequi. Et in hoc ſenſu concluſio eſt de fide contra errorem Nouatianorum eam negantium: vt bene aduertunt Soto in 4 diſtinctione 14. quæſtione 1. artic. 10. & Caſtro lib. 6. de hæreſibus, verbo, *Pœnitentia*, Hæreſi tertia.

Secundo, circa eadem peccata, ideſt quod de eiſdem peccatis ſemel rite confeſſis poſsit iterari ſacramentum pœnitentiæ, & in hoc ſenſu concluſio eſt certa, licet non in eodem gradu certitudinis, relinquiturque probata ex articulo tertio, vbi dictum eſt hoc ſacramentum poſſe iterari circa eadem peccata rite confeſſa, & remiſſa. Eo quod licet ſit eadem materia remota; apponitur tamen diſtincta, & noua materia proxima in actibus pænitentis, qui licet poſsit, non tamen debet neceſſario, aut ex præcepto circa eadem peccata rite confeſſa & remiſſa ſacramentum iſtud iterare.

Dices, aut in hoc caſu quando quis repetit confeſsionem ſacramentalem circa eadem peccata, repetitur nouus dolor, vel non: ſi primum, ergo non poterit pœnitens ſine nouo dolore, & cum ſolo antiquo non retractato perficere nouam cõfeſsionem ſacramentalem, & recipere abſolutionem: quod eſt falſum: ſi ſecundũ: ergo non apponit nouam materiam proximam, quę integratur ex confeſsione externa ac dolore interno: ac proinde tunc non poterit iterare ſacramentum pænitentiæ rite, & valide.

Reſpondeo, quod in eo caſu ad perficiendum nouum pœnitentię ſacramentũ, ſufficit noua confeſsio externa cum dolore antecedẽte nõ retractato propter duo. Tũ, quia talis dolor virtualiter manet, aut etiam formaliter, & veluti virtualiter repetitur, dum cadit ſupra repetitam confeſſionem. Tum etiam, quia dum apponitur noua confeſsio externa ſub eodem dolore formaliter, vel virtualiter permanente, fit noua materia proxima ſufficiens ad formam abſolutionis: eo quod vt varietur materia proxima ſatis eſt, quod varietur confeſsio quæ eſt per ſe ſenſibilis ſub eodem dolore: non autem eſſet noua materia proxima abſolutionis, nouus dolor cum eadem confeſsione: quia tunc nulla pars ſenſibilis variatur, aut fit de nouo: quod tamen neceſſum eſt, vt fiat noua materia proxima ſacramẽtalis abſolutionis.

TRACTATVM de virtute pœnitentiæ.

DIuiſurus D. Thomas in duas partes ad finem ſummæ Theologiæ tertiæ partis remiſit: in qua de ſacramentis ſermonem faciebat: eo quod actus huius virtutis ſunt partes ſacramenti pœnitentiæ ex Chriſti inſtitutione: ex quibus primam à q. 85. vſque ad 89. abſoluit, tria in illa expendens: nimirum huius virtutis conditionem, & naturam ex motiuo, & ſubiecto in 1. q. ideſt 85. in tribus verò ſequẽtib⁹ eius efficatiam quoad peccatorum mortalium, ac venialium extinctionem, ita vt

ite-

iterum quoad culpam non redeant: & tandem in quæſtione 89. eiuſdem virtutis efficaciam, quoad virtutum, ac donorum per ſubſequens peccatum amiſſorum, recuperationem declarat.

Secundam partem, in qua acturus erat de tribus actibus, ſiue partibus pœnitentiæ, nimirum de contritione, ſeu dolore interno, de vocali confeſsione, & operis ſatisfactione, in vltima quæſtione 90. inchoatam reliquit: eamquè fœliciter conſumaſſet, niſi mors inuida tantum Eccleſiæ theſaurum prærripuiſſet. Ejus tamen diſcipuli ex illius commentario ſuper quartum ſententiarum à 14. vſquè ad 20. diſtinctionem in ſupplemento tertiæ partis ſummæ depromptas quæſtiones ſeruato ſui Magiſtri ordine addiderunt; à quo nequè à nobis eſt recedendum.

Igitur vt primæ huius tractatus parti initium, & finem in hoc tomo Deo auxiliante demus, ſit.

QVAESTIO LXXXV.

De Sacramento pœnitentiæ, ſecundum quod eſt virtus, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum pœnitentia ſit virtus?

4. di. 24. q. 1. ar. 1. q. 2. & a. 3. q. 1. cor. & ad 2. & q. 2. & 4.

* q. præc. a. 1. & q. 65. ar. 1.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non ſit virtus. Pœnitentia enim eſt quoddam ſacramentum alijs ſacramentis connumeratum: vt ex * ſupradictis patet. Sed nullum aliud ſacramentorum eſt virtus. Ergo neque pœnitentia eſt virtus.

† li. 4. ca. vlt. to. 5.

2 Præterea, Secundum Philoſophum † 4. ethicor. verecundia non eſt virtus: tum quia eſt paſsio habens corporalem immutationem, tum etiam quia non eſt diſpoſitio perfecti: cum ſit de turpi actu, quod non habet locum in homine virtuoſo. Sed ſimiliter pœnitentia eſt quædam paſsio habens corporalem immutationem, ſcilicet ploratum (ſicut Gregor. * dicit, quod pœnitere eſt peccata præterita plangere:) eſt etiam de turpibus factis, ſcilicet de peccatis, quæ non habent locum in homine virtuoſo. Ergo pœnitentia non eſt virtus.

* Ho. 34 in Euang. poſt med. & in reg. li. 9. c. 39 non lõge à fi. de pœn. di. 3. c. 1. & 6.

3 Præterea, Secundum Philoſophum 4. ethicor. nullus eſt ſtultus eorum, qui ſunt ſecundum virtutem. Sed ſtultum videtur dolere de commiſſo præterito, quod non poteſt non eſſe: quod tamen pertinet ad pœnitentiam. Ergo pœnitentia non eſt virtus.

Sed contra eſt, quod præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia legiſlator intendit ciues facere virtuoſos, vt dicitur 2. Ethicor. * Sed præceptum diuinæ legis eſt de pœnitentia, ſecundum illud Matthæi. 4. Pœnitentiam agite, &c. Ergo pœnitentia eſt virtus.

c. 1. à me. to. 5.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex dictis * patet, pœnitere eſt de aliquo prius à ſe facto dolere. Dictum eſt autem ſupra † quod dolor, vel triſtitia dupliciter dicitur. Vno modo ſecundum quod eſt paſsio quædam appetitus ſenſitiui: & quantum ad hoc pœnitentia non eſt virtus, ſed paſsio. Alio modo ſecundum quod conſiſtit in voluntate: & hoc modo eſt cum quadam electione. Quæ quidem ſi ſit recta, neceſſe eſt quod ſit actus virtutis: * dicitur enim 2. Ethicor. quod virtus eſt habitus electiuus ſecundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat, de quo dolendum eſt, & eo modo & fine quo dolendum eſt. Quod quidem obſeruatur in pœnitentia, de qua nunc loquimur: nam pœnitens aſſumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione remouendi ea. Vnde manifeſtatum eſt, quod pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel eſt virtus, vel actus virtutis.

In iſto ar. ex arg. 1. & q. præc.
† q. præc. art. 9.
c. 2. & 6. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod (ſicut dictum eſt * in ſacramento pœnitentiæ materialiter ſe habent actus humani: quod non contingit in baptiſmo, vel confirmatione. Et ideo cum virtus ſit principium alicuius actus, potius pœnitentia eſt virtus, vel cum virtute, quam baptiſmus ſeu confirmatio.

q. præc. a. 2. & 3.

Ad ſecundum dicendum, quod pœnitentia ſecundum quod eſt paſſio, non eſt virtus, vt dictum eſt: * ſic autem habet corporalem tranſmutationem adiunctam. Eſt tamen virtus ſecundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam. Quod tamen magis poteſt dici de pœnitentia quam de verecundia: nam verecundia reſpicit turpe factum vt præſens, pro quo timet confundi: pœnitentia vero vt præteritum. Eſt autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis in præſenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari: non eſt autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis prius commiſerit turpia facta, de quibus oporteat eum pœnitere, cum ex vitioſo fiat aliquis virtuoſus.

in

Ad tertium dicendum, quod dolere de eo quod prius factum eſt, cum intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, eſſet ſtultum. Hoc autem non intendit pænitens, ſed dolor eius eſt diſplicentia ſeu reprobatio facti præteriti, cum intentione remouendi ſequelam ipſius, ſcilicet offenſam Dei & reatum pœnæ. Et hoc non eſt ſtultum.

Concluſio eſt, pœnitentiam ſecundum quod importat dolorē pertinentem ad voluntatem eſſe virtutem, ſiue actum virtutis.

Du-

Dubium vnicum eſt, quod à Theologis pro huius concluſionis examine diſcutitur: an dolor voluntarius, ſiue deteſtatio, & affectus pœnitendi de peccatis præteritis ſit actus honeſtus, & virtuoſus?

1 IN hoc dubio omnes Theologi vnanimiter bellum indicentes errori antiquo Montaniſtarum, cui emerſit circa annum Domini 181. & Nouatianorum, circa annum 255. omnem pœnitentiæ virtutem denegantium; inſuperquè aſſerentium eos, qui ſemel à baptiſmo ſuſcepto eſſent in peccatum pro lapſi, numquam deinceps poſſe illius remiſsionem conſequi quantumlibet pœniterent. Quod ſibi perſuadebant ex illo teſtimonio Pauli ad Hebræos ſexto: *Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, &c.* vt referunt, & refutant: Ciprianus, & Ambroſius in libro aduerſus Nouatianum, Euſebius tractatu quinto hiſtoriæ, capite decimo quinto, Nicephorus libro quarto, cap. 23. & Prateolus in elencho hæreſum, libro vndecimo, verbo, *Montani*, & libro duodecimo, verbo, *Nouatiani*, iiſque temporibus à Luthero, & Caluino ſuſcitatur: quorum ille tomo primo ſuorũ operum in epiſtola ad Ioannem ſtupitium & in ſermone de pœnitentia: iſte vero libro primo inſtitutionum, capite quarto, & libro tertio, capite 34. & libro quarto, capite duodecimo, nullam aliam pœnitentiam præter reſipiſcentiam, ſiue melioris vitæ emendationem agnoſcentes, illam, quæ eſt de peccatis præteritis damnant, vt inutilem & nociuam, quaſi crudelem conſcientiarum carnificinam, ſubduntquè potius per illam reddi homines carnifices habentes hypocriſiam, vt refert, & late refutat Vvalterius in Chronologia ſæculo 10. veritate 9.

Huic inquam errori bellum indicentes omnes Scholaſtici tuentur cum Diu. Thoma in hoc articulo, & in quarto diſtinctione decima quarta, quæſtione ſecunda, articulo primo: pœnitentiam quatenus habet reſpectum ad peccata præterita, dolendo ſcilicet ſiue deteſtando illa, & ſatisfaciendo pro illis eſſe virtutem, ſiue actum virtutis: de quorum numero ſunt Bonauentura in quarto diſtinctione citata, articulo primo, quæſtione prima, Gabriel ibidem articulo tertio dubio tertio, Ricardus & Durandus ibidem, Capræolus quæſtione prima, articulo tertio, Adrianus quæſtione prima de pœnitentia, Paludanus, & Soto quæſtione ſecunda, articulo primo, Alenſis quarta parte, quæſtione duodecima, membro primo, articulo primo, Medina Complutenſis, tractatu primo de penitentia, quæſtione prima; Petrus de Soto de inſtitutione ſacerdotum, lectione prima de vera penitentia, Suarius tomo quarto in tertiam partem, diſputatione tertia, ſect. 5. Peſantius diſput. vnica, Valencia diſput. 79 quæſt. 2. punto 1. & Vazquius in anotatione articuli, & alij quam plures: quorum catholicam ſententiam prædicti ſectarij tribus argumentis deſtruere, quibus & ſuum errorem ſtabilire conantur.

2 Primum deſumunt ex impoſsibilitate obiecti, circa quod verſatur huiuſmodi actus penitendi, ac dolendi de peccatis cõmiſsis in eorum compenſationem: obiectũ enim hoc eſſe impoſsibile ſuadetur: tum ex præallegato teſtimonio Pauli ad Hebræos 6. in quo ſignificatur impoſsibilitas emendandi peccata præterita per penitentiam. Tum etiam ex eo, quod peccatũ præteritum non poteſt non fuiſſe: ſed hic affectus doloris, & deteſtationis verſatur circa peccatum, vt præteritum: vtpotè quo homo vult ſe non peccaſſe: ergo verſatur circa obiectum impoſsibile ex conditione præteritionis: ergo eſt actus non virtutis; ſed ocioſus, & præſumptuoſus: ocioſus quidẽ, quia eſt de impoſsibili: præſumptuoſus vero, quia nititur, vt nõ fuerit, id quod nequè per diuinam potentiam poteſt non fuiſſe.

Secundum ex comparatione ad ve-

recundiam, quæ teſte Phyloſopho quarto ethicorum capite vltimo ob duplicem conditionem deficit à perfectione virtutis: Tum, quia eſt paſsio non ex electione proueniens, ſed ex apræhenſione obiecti cum corporali immutatione naturaliter reſultans.

Tum etiam, quia eſt de actu turpi, qui in homine virtuoſo locum non habet: eo quod virtus eſt diſpoſitio perfecti: ſed affectus huiuſmodi pœnitentiæ inuoluit verecundiam, & pudorem de peccatis commiſsis, ac proinde, aut paſsio eſt cum corporali mutatione, aut ab illa ſeparari non poteſt: & eſt de actu turpi, quia homini virtuoſo, vt ſic repugnat: ergo etiam deficit à perfectione virtutis.

Tertium deſumitur ex ratione virtutis, quæ vt ſic habet verſari circa electionem boni, vtpote cum ſit diſpoſitio perfecti ad optimum: iſte autem affectus doloris & deteſtationis verſatur circa malum: eius enim materia circa quam, ſunt peccata commiſſa: ergo nequit eſſe actus virtuoſus.

Dices de ratione quidem virtutis eſſe primario quidem & principaliter verſari circa electionem boni: ac proinde eius primarium actum debere eſſe circa bonum, ſecundario tamen, & minus principaliter poſſe reſpicere fugam mali, & ſi contingat malum fieri, poſſe verſari circa eius diſplicentiam.

Sed contra hoc eſt, quia non eſt aſſignabilis alius actus primarius ad quem inclinet habitus pœnitentiæ, à quo affectus doloris & deteſtationis peccati elicitur: imò nullus eſt aſsignabilis actus, qui non verſetur circa peccatum vt compenſabile, cum hoc ſit eius adæquatum obiectum, à quo proinde omnis illius actus debet ſpecificari: ergo.

defenditur cōtra ſectarios poſsibilitas, & vtilitas pœnitētiæ virtutis.

3 Sed his non obſtantibus vera eſt ſententia Diui Thomæ, quæ vt communiter ab Scholaſticis recepta eſt certa ſecundum fidem, & ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Ad cuius intelligentiam operæ pretium eſt expendere ſenſum concluſionis Diu. Thomæ, quæ eſt propoſitio diſiunctiua, nimirum pœnitentiam, prout importat dolorem pertinentem ad voluntatem eſſe virtutem, aut actum virtutis: nomine itaquè pœnitentiæ intelligit Diuus Thomas voluntarium affectum deteſtationis, & abominationis circa peccatum commiſſum cum propoſito emendandi vitam ſpe veniæ, diuinitus obtinendæ: qua diffinitione dolor contritionis à Theologis ſolet diffiniri: in quo principalis & primarius actus pœnitentiæ conſiſtit: ad quem etiam alij effectus conſequuntur; nimirum paſsio triſtitiæ in appetitu ſenſitiuo, quæ naturaliter hanc deteſtationem cōcomitatur: ex qua proinde veluti à poſteriori, & ab effectu, Gregorius homilia 34. in Euangelia diffiniuit pœnitentiam dicens: pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, & Auguſtinus tractatu de vera, & falſa pœnitentia aliam aſsignat diffinitionem, quæ habetur diſtinctione tertia de pœnitentia, canone primo, & ſecundo, ſcilicet pœnitentia eſt quædam voluntatis pœna, ſiue vindicta puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe: ſequuntur etiam opera pœnalia, quibus homo in ſatisfactionem peccatorum ſe caſtigat, & tandem tanquam vlterior effectus pœnitentiæ ſequitur reconciliatio diuinæ amiciciæ, & acceptatio ad vitam æternam. & quia ad hos actus ſiue effectus connaturaliter & faciliter producendos præ requiritur habitus ipſis ſimilis & proportionatus, iuxta ea quæ docuimus in materia de charitate quæſtione 23. articulo ſecundo, ideò ad huiuſmodi actus pęnitendi requiritur habitus virtutis pænitentiæ in voluntate à quo etiam ceſſante omni actu, homo pęnitens habitualiter denominatur, & propterea Diu. Thom. diſiunctiue dixit pęnitentiam, aut eſſe virtutem, aut actum virtutis, quia quandoquè pro vno; & quandoquè pro altero nomen pęnitentię ſupponit, & cum correlatiua ſint virtus, & actus virtutis, expoſitione vnius ſequitur poſitio alterius potius, quam excluſio.

Deinde dum prędicat Diu. Thom. de huiuſmodi habituali. ſiue actuali pęnitentia virtutis nomen non in laxiori ſignificatione, ſed ſtrictiori, & propria virtutis aceptione illud vſurpat: ne minus propriam rationem virtutis in pęnitentia admitat, eo quod circa malum culpæ verſetur, vt aliquibus Theologis placuit argumento tertio conuictis, de quorum numero fuiſſe Caietan. in 2ę. quæſtione 144. articulo primo, dum ait pęnitentiam non eſſe virtutem, niſi

ex

ex ſuppoſitione, ſicut neque verecundiam eſſe ſtudioſi hominis, niſi ex ſuppoſitione quod præceſſerit turpis actus. vult Suarius tomo citato, diſputatione ſeptima, ſectione prima, ſed immerito in hoc Caietanum ſubſanatus, vtpotè cuius mens eo ſolum tendit, vt velit pœnitentiam non eſſe virtutem neceſſariam abſolutè & ſimpliciter, nec de primario choro virtutum, ſed de ſecundario, propterea, quod in ſuis actibus peccati præ ſuppoſitionem inuoluit: alioquin ſumendo illam pro habitu fatetur, Diuus Thomas, prima parte, quæſtione 95. articulo tertio, ſimpliciter ad perfectionem hominis iuſti pertinere, & propterea fuiſſe in Adamo perſeuerante ſtatu innocentiæ, quia ſic erat habitualiter diſpoſitus, vt ſi peccaret, doleret de peccato commiſſo, quod non inficiatur Caietanus.

Pœnitentiā eſſe virtutē eſt dogma fidei.

4 In hoc igitur ſenſu explicatā noſtra concluſio probatur tanquam dogma fidei. Primo ex teſtimonijs Scripturæ, quæ ſunt in duplici ſeriè. Ad primam pertinent illa in quibus prædicti actus, & effectus pœnitentiæ commendantur, vt vtiles & neceſſarij ad ſalutem animæ, ad illoſquè nos prouocat Spiritus Sanctus monendo; & præcipiendo dum vtitur verbis imperium, & præceptum ſignificantibus, vt Deuteronom. quarto, *Cumquè quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum. ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ*, & Ioel, ſecundo: *Conuertimini ad me in toto corde in fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra*, ſcilicet per contritionem, & Matthæi tertio, & quarto: *Pœnitentiam agite*, & inſuper, *facite fructus dignos pœnitentiæ*, ideſt opera ſatisfactoria, quæ propterea fructus nuncupantur, quia effectus ſiue actus imperati ſunt pœnitentiæ, & Baruch ſecundo: *Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat tibi gloriam, & iuſtitiam Domine*: De qua triſtitia ſubdit Paul. ſecundæ ad Corinthios ſeptimo, quæ ſecundum Deum triſtitia eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur, vbi triſtitiam ſecundum Deum appellat pœnitentiæ virtutem, quæ operatur dolorem diſponentem ad ſalutem animæ, & triſtitiam ſæculi illam, quæ vel eſt immoderata paſsio, vel eſt de iacturis, & incommodis ſæcularibus ex nimio affectu ad temporalia prouenìens, de qua proinde Eccleſiaſtici 30. dicitur: triſtitiam non des animæ tuæ, & infra triſtitiam longe expelle à te, multos enim occidit, & non eſt vtilitas in illa, & eadem neceſsitas pœnitentiæ ſignificatur, tum in illo maledictionis fulmine, quod Chriſtus Matthæi vndecimo, in ciuitates Corozain, & Betſaydæ vibrauit dicens: *Væ tibi Corozain, væ tibi Betſayda, quia ſi in Tiro, & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*: Tum etiam in parabola publicani, & phariſæi, quæ apud Lucam, capite decimo octauo, tumidum phariſæi impœnitentis animum, & humiliatum per contritionem publicani cor, & ex affectu pœnitendi, percutientis pectus ſuum, & clamantis, Deus propitius eſto mihi peccatori introducit: hanc autem ſententiam ſtatim ipſe filius Dei de vtroquè pronunciat: Dico vobis: deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, quia omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur: ſed niſi eſſent huiuſmodi actus honeſti, & virtutis, neque commendarentur in Scriptura, neque de illis darentur præcepta, quæ de ſolis actibus virtutum dantur, nequè Spiritus ſanctus nos ad illos prouocaret: ergo.

5 Ad ſecundam ſeriem expectant alia teſtimonia in quibus huiuſmodi operibus premittitur præmium vitæ æternæ, vt Ezechiel, capite decimo octauo, ſi iniquus egerit pœnitentiam vita viuet, & capite 33. viuo ego dicit Deus, nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat, ſcilicet vita æterna, vt interpretatur Tertulianus libro de pœnitentia, & Mathæi tertio, ac quarto, vbi dum dicitur pœnitentiam agite, ſtatim ſubitur appropinquauit enim regnum cęlorum, & Lucæ ſexto, *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*, ſcilicet gaudio æternæ beatitudinis, vt Baſilius interprætatur: his fauent, Tertuliani vbi ſupra, Auguſtini in libro de pœnitentia, Cipriani in ſermone de lapſis, & aliorum Eccleſiæ Patrum teſtimonia, quæ Gracianus in decreto, per ſeptem diſtinctiones de pænitentia congeſsit, ex quibus tale formamus argumentum. Vera virtus eſt cuius

opus eſt dignum præmium apud Deum: conditio enim operis virtuoſi eſt meritorium eſſe coram Deo, teſte D. Tho. prima ſecunda quæſtione 21. articulo quarto, ſed tale eſt opus pęnitentiæ cui Deus vitam æternam in præmium pollicetur: ergo.

Secundo probatur ex diffinitione expreſſa Tridentini, Seſsione decima quarta, canone quarto, & quinto, & decimo tertio, in quorum primo ad perfectam remiſsionem peccatorum requiri tres actus in pœnitente, ſcilicet contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem: In ſecundo vero huiuſmodi contritionem eſſe dolorem vtilem, qui hominem non facit hypocritam, ſed potius diſponit ad gratiã. In tertio denique operibus pœnalibus voluntarie ſuſceptis Deo ſatisfieri pro peccatis, quoad pœnam temporalem, & optimam pœnitentiam non eſſe ſolam nouam vitam, ſub anathemate diffinitur.

Tertio probatur ratione Theologica deſumpta ex diſſinitione virtutis moralis, quam Phyloſophus ſecundo Aethicorum, capite ſeptimo aſsignat dicens, quod eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens ſecundum rectam rationem prout prudens determinauerit: qua denotatur virtutem moralem eſſe illam, cuius actus ex electione attingit obiectum conforme rectæ rationi in quadam mediocritate inter duo extrema vitioſa conſiſtens, in qua ſeruanda ſpecialis inuenitur difficultas ex aliqua paſsione proueniens, ſed talẽ eſſe actum pœnitentiæ, quo deteſtamur malum culpæ patet, quia in primis deteſtari, & odire huiuſmodi malum conforme rectæ rationi eſt, ſicut & amore proſequi bonũ honeſtũ, neque minus eligibile eſt illud, quam iſtud, illiuſque honeſtas immediate inter duas paſſiones vitioſas, & extremas conſiſtit, ex quibus in huius mediocritatis electione ſpecialis hominibus contingit difficultas, qui de peccatis commiſsis, aut plus nimio delectantur, de quibus dicitur Prouerb. 2. *Letantur cum male fecerint*, aut vſque ad deſperationem contriſtantur, ſicut Cain, & Iudas, quorum alter in deſperationem lapſus dixit: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*, & alter laqueo ſe ſuſpendit: atque ex vtrauis paſsione à debita, & moderata peccatorum deteſtatione retardantur: ergo habitus electiuus huius mediocritatis, & per cuius opus hæc ſpecialis vincitur difficultas, virtus moralis eſt, quæ à Theologis appellatur pœnitentia.

6 Ad primum in contrarium neganda eſt maior. Ad cuius primam probationem reſpondetur mentem Pauli, in illo teſtimonio non eſſe, baptizatos pro lapſos non poſſe per pænitentiam Deo reconciliari, vt Nouatiani, quibus Caluinus cõſentit qui in eodem commentario ad Hebr. 6. ſibi contradicit denegans apoſtatis à fide (de quibus putat loqui Paulũ) veniam; quam ſententiam paulò ante erroneam vocauerat: hic enim ſenſus, & veritati Catholicæ, quam hucuſque probauimus, & menti eiuſdem Pauli repugnat, qui primæ ad Corinthios quinto, Chorintium inceſtuoſum pænitentiæ capacem iudicans illum excommunicare cenſuit dicens: *Tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluꝰ fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ſed eam eſſe; vt baptizati in peccatum lapſi iterato baptiſmo Deo reconciliari non poſsint, ſicut enim Paulꝰ nomine illuminatorum baptizatos intelligit, quia apud veteres Eccleſiæ Patres illuminari idem fuit quod baptizati adeo, vt baptiſmum vocarent ſacramentum luminis, ita nomine renouationis, baptiſmi renouationem intelligit, qui tamen iterabilis non eſt, ſicut neque mors Chriſti, cui & ipſe baptiſmus conformatur, vt ex græcis Chriſoſt. Theodot. Ecumen. ac Teophil. eundem locum interpretantur, & ex Latinis pro eadem interpretatione aduerſus Nouatianos, & Montaniſtas Ambroſ. ſuper prædictum locum primæ ad Corinthios quinto, & libro ſecundo de pænitentia, capite ſecundo, & Auguſtinus libro de vera, & falſa pænitentia, capite tertio de certan.

Ocurritur fundamentis ſectariorum.

Ad ſecundam autem probationem reſpondetur ex verbis Diu. Thom. hic ad tertium, quod ſic habere dolorẽ de eo, quod prius factũ eſt, cũ intentione conandi ad hoc, quod factum non fuerit, eſſet ſtultum, hoc autem non intendit pænitens, ſed dolor eſt diſplicentia, aut reprobatio facti præteriti cum intentione remouendi ſequelam ipſius, ſcilicet offenſam Dei, & reatum, & hoc non eſt ſtultum, quibus denotat hoc ſecundum fie-

Digitized by Google

ri per actum pœnitentiæ, & ideò non ſtultum, ſed ſtudioſum eſſe, quamuis circa peccatum præteritum verſetur, iuxta quam diſtinctionem minor argumenti eſt diſtinguenda.

In explicando autem an huiuſmodi affectus conditionatus, vel abſolutus ſit, quatenus circa impoſsibile ex præteritione verſatur, in tres modos dicendi Theologi diuiduntur.

Primus eſt Aliacen. in quarto ſententiarum, quæſtione vltima, articulo tertio, qui conuictus argumento facto aſſerit pœnitentiam nullo actu abſoluto, aut conditionato poſſe verſari, circa id quod ex peccato commiſſo iam præterijt.

Secundus eſt Alenſis, & Ioannis de Medina vbi ſupra, aſſerentium huiu modi affectum, quo pœnitentia deteſtatur, nedum effectum ſubſecutum ex peccato, ſed etiam ipſum peccatum iam tranſactum eſſe abſolutum, eo quod licet ad impoſsibile ſimpliciter, nequeat voluntas prudentis affectu abſoluto terminari, bene tamen ad impoſsibile per accidens, & ex ſupoſitione quale eſt peccatum præteritum, licet factum impoſsibile ex ſola conditione præteritionis. Eidem ſententiæ ſubſcribit Vazquez alio ductus fundamento, quod latè expend 12. diſputation. 42. cap. quarto: ad quem locum in huius articuli ommentario ſe remittit vbi ſupra, quod voluntas poſsit nedum, circa peccatum præteritum, verum etiam, circa quod vis obiectum impoſsibile ſimpliciter ſibi ab intellectu repreſentatum affectu abſoluto verſari: cum igitur huiuſmodi actus pœnitentiæ non poſsit eſſe conditionatus ex parte ſubiecti, ſiquidem non ſolum foret, ſed de facto eſt præſens in voluntate, & explicatur per verbum de præſenti ſic, *volo non peccaſſe*, ſiue *diſplicet mihi peccaſſe.* Nequ ex parte obiecti cum nullius alterius potentiæ proprius actus ſit circa obiectũ ſub conditione applicatum, vt patet diſcurrendo per ſingulas potentias ſenſitiuas, & intellectiuas, ac proinde nec voluntatis actus, cum eadem in omnibus militet ratio, eo vel maxime quod in contractibus, qui actibus voluntatis perficiuntur locum habet regula illa, quæ ex lege *cum ad præſens, ff. ſi certum petatur*, deducitur nimirum, quod conditio de futuro, vel nondum poſita in eſſe ſuſpendit actum, vſque ad euentum.

Tertius huic affinis eſt Adriani diſtinguentis duplicẽ affectum abſolutum; alterum ſcilicet efficacem, & operatiuum finis intenti. Alterum vero in efficacem, & per modum ſimplicis complacentiæ, aut diſplicentiæ obiecti præſupoſiti: aſſeritque huius ſecundi, ſed non primi generis eſſe affectum quo pœnitentia peccatum præteritum deteſtatur, talem enim affectum circa impoſsibile verſari non eſt inconueniens, quia ſicut efficax non eſt, ita neque ſimpliciter eſt abſolutus, ſed cum hoc adito per modum ſimplicis diſplicentiæ.

Sed omnes iſti modi deficiunt à veritate. Primus quidem, quia contradicit perfectioni virtutis pœnitentiæ, non poſſe dolere de offenſa præterita: contradicit etiam præallegatis verbis Diu. Thom. hic ad tertium in quibus adſcribit pœnitentiæ affectum, qui ſit diſplicencia, & reprobatio facti præteriti.

Secundus etiam deficit, quoad vtrumque fundamentum: quoad primum quidem, nam licet res præterita ſecundum ſe, & eius entitatem non ſit impoſsibilis, tamen facta ſupoſitione præteritionis iam ſit omnino, & abſolute implicans contradictionem, ita vt non minus ſubterfugiat omnipotentiam Dei, quam impoſsibile ex vi terminorum, teſte Diu. Thom. prima parte, quæſtione 25. articulo quarto: ergo ſicut hoc ſecundum non poteſt terminare affectum abſolutum voluntatis prudentis, ita nec illud primum.

Quoad ſecundum vero, quia eius ſupoſitio eſt falſa, quatenus ſuponit impoſsibile eſſe eligibile à voluntate abſoluta, propterea enim Phyloſophus quarto de cœlo text. 33. aſſerit ad impoſsibile, vt tale neminem moueri voluntate, ſcilicet abſoluta, quia talis voluntas irrationabilis, & ſtulta eſſet, alioquin conditionatam circa impoſsibile adſtruit, tertio ethicorum, capite ſecundo, & Diu. Thom. in eadem ſententia eſt conſtans nam prima parte, quæſtione 63. articulo tertio, ex conditione impoſsibilitatis, negat Angelum in primo peccato potuiſſe affectu abſoluto eligere eſſe Deum per naturam, & hic ad tertium ait, ſtultam eſſe voluntatem conantis facere

quod præteritum non fuerit, quia ſcilicet eſt eſſe abſolutã, & efficacẽ de impoſſibili obiecto, quam in quarto diſtinctione decima ſeptima, quæſtione ſecunda articulo primo, quæſtiuncula prima ad tertiũ appellauerat voluntatem completã dicens: *Voluntas completa non poteſt eſſe ſapientis de impoſſibili, benè voluntas conditionata qua vult impoſſibile ſi poſſibile foret, & hæc ſufficit ad cauſandum dolorem, &c.* Falſa etiam eſt ſuppoſitio prædicti authoris, quatenus negat in intellectu, & voluntate actus de obiecto conditionato, intellectum enim illos habere perſpicuum eſt quoties præbet aſſenſum enuntiabilibus conditionatis, alioquin numquam ipſe Vazquez agnouit hæc enuntiabilia. *ſi homo non peccaret, filius Dei carnẽ non aſſumeret, ſi homo volaret, haberet alas, &c.* In quibus ſecunda pars non niſi dependenter à prima, tanquam à conditione cognoſcitur. Neque deberet admittere in diuino intellectu ſcientiam futurorum conditionatorum ante decretum liberum de eorum productione, quia pro illo priori tantum habent eſſe futurum ſub cõditione, ac proinde & cognoſci ſub conditione, ſicut enim res ſe habet ad eſſe ita ad cognoſci. Iuramenta etiam & vota cõditionalia fieri, vt iuro, aut voueo me iturum Hieroſolimam, aut ingreſſurum religionem, ſi tale peccatum commiſero, aut ſi ex hac infirmitate euadam, deffectuque ſolius abſoluti conſenſus in materiam peregrinationis, Romanæ, Compoſtelanæ, Hieroſolimitanæ, Religionis, aut caſtitatis non eſſe Pontifici reſeruata, ſed poſſe ab Epiſcopo, vel à quolibet confeſſore per Bullam Cruciatæ commutari, aut diſpenſari, tenet communior ſententia Theologorum, ac Iuriſtarum, vt videre eſt apud Medinam in ſumma, libro primo capite decimo quarto, §. 6. Sanchez libro octauo de matrimonio, diſputatione decima, Couarruuias, capite *quamuis pactum* prima parte, §. tertio, numero duodecimo, & Torre tomo primo de religione quæſtione 88. articulo duodecimo, diſputatione tertia, quæ tamen non niſi in actibus intellectus practici conſiſtunt: ergo.

9 Deinde voluntatem habere poſſe actus conditionatos, id eſt de obiecto pendenti à conditione de futuro, ſiue nondum poſita in eſſe, patet in omnibus contractibus donationibus, & legatis, quæ poſſe fieri dependenter ab huiuſmodi conditione, vtpotè in quibus locum tenet ratihabitio ipſe Vazquez admittit in opuſculo de reſtitutione, capite ſeptimo dubitatione decima, & opuſculo de teſtamentis, capite octauo dubio quinto ex communi Theologorum, & Iuriſtarum ſententia, vt ſi quis dicat lego Petro centum, ſi manumiſſerit ſeruum, eſt legatum conditionatum, quod teſtatorem obligat ad impleta conditione, ante cuius implerem nihilominus fuit conſenſus donandi, ſiue legandi in voluntate teſtatoris, dependens à prædicta cõditione, huiuſmodi enim conſenſu nec abſolutus, nec conditionatus contractus humanus perfici poteſt.

Dixi in quibus tenet locum ratihabitio, quia ſunt aliqui contractus, qui propterea ſub conditione, nec valere, nec exerceri poſſunt, quia in illis ex ſuperioris inſtitutione locum non tenet ratihabitio, vt ſunt ſacramenta nouæ legis, quæ non valent ſi ſub conditione de futuro miniſtrentur, & contractus matrimonialis, cum petat conſenſus ſignificatos per verba de præſenti: ſi fiat ſub conditione, De futuro non valet in vi matrimonij, ſed tantum in vi ſponſaliorum, vt docet Soto in quarto diſtinctione 29. quæſtione ſecunda, articulo primo, ex ſententia Diui Thomæ, ibidem articulo tertio, quæſtiuncula tertia communiter à Theologis recepta.

Nec propterea, conditio de futuro, dicitur ſuſpendere actum, quia vſque ad euentum conditionis non ſit ſubſtantia actus in voluntate, ſed quia non eſt actus perfectus, neque perfecta obligatio ex illo prouenit vſque ad conditionis poſitionem.

Denique tertius modus, licet benignè interprætatus poſſit ad ſententiam Diui Thomæ reduci, deficit tamen in eo quod ait hunc affectum deteſtationis, neque eſſe abſolutum ſimpliciter, neque conditionatum cum tamen dicat Diu. Thomas, in loco citato ex quarto diſtinctione decima ſeptima, quod eſt conditionatus circa id quod præterit de peccato, vtpotè quo pœnitens vult impoſſibile foret.

Explicatur qualis ſit iſte affectus doleo peccaſſe,

10 Quare dicendum eſt cum Soto, & Suario vbi ſupra, iuxta mentem Diu. Thom. in prædictis duobus locis, ſcilicet huius articuli ad tertium, & quæſtiun-

ſtiunculæ citatæ ad tertium, quod iſte affectus deteſtationis ex parte ſubiecti eſt abſolutus, quia de præſenti actuat voluntatē ex parte verò obiecti eſt mixtus ex cōditionato, & abſoluto, quatenus enim eſt circa id quod præterijt de peccato, eſt conditionatus, & congruenter explicari debet per huiuſmodi verbum de futuro imperfecto, vellem non commiſiſſe peccatum, ſi poſsibile foret, quatenus vero reſpicit effectum relictum ex peccato præterito, ſcilicet offenſam Dei habitualiter permanentem, & reatum pœnæ, eſt abſolutus, & efficax, cum efficaciter retractet, & remoueat huiuſmodi effectum, & ratione huius ſecundi reſpectus poteſt explicari per verbum de præſenti ſic, doleo peccaſſe, aut diſplicet mihi peccatum, & huic rationi actus conditionati non obſtat quod totus actus habeat materiam ſimplicis diſplicentiæ, quæ per verbum de præſenti modis prędictis congruenter declaratur.

Ad ſecundum Vazquez ſequutus Ricar. vbi ſupra ad ſecundum affirmat verecundiam eſſe virtutem contra negantem ſententiam Ariſtotelis; & Diu. Thom. ſuamquè affirmantem tribus explicat dictis: primum eſt in hoc aſſerto nullatenus Ariſtoteli, fidem adhibendam eſſe, qui ſicut in alijs pertinentibus ad miſteria fidei; ita & in hoc turpiter errauit ex ignorantia virtutis pœnitentiæ, qua peccatores Deo reconciliantur.

Secundum eſt; neque Ariſtotelis, nec D. Thom. fundamētū eſſe ſufficiens ad excludendam verecundiam à ratione virtutis; quod ſibi perſuadet tripliciter.

Tum, quia fundamentum Ariſtotelis fuit; quod exiſtimaret omnes virtutes morales eſſe connexas hominemquè virtuoſum ornatum debere eſſe cunctis virtutibus, ac per conſequens non poſſe in ſenſu compoſito hominem virtuoſum agere aliquid turpe; de quo debeat verecundari: ſed hanc exiſtimationem eſſe falſam probat eiſdem argumentis; quibus eam iam impugnauerat prima ſecundæ, diſputatione 88. capite quarto, quorum ſumma hæc eſt, quod ex ſententia Hieronymi, libro primo contra Pelagianos; imò ex ipſa experientia conſtat vnam virtutem poſſe ſine alia reperiri in homine, qui in materia vnius virtutis exercetur repetendo plures actus, quibus ſimilis habitus generatur; quin in alijs exerceatur, & quia alias nullus eſſet locus pænitentiæ in homine ſtudioſo, vtpote qui nullum peccatum committere poteſt ob defectum alicuius virtutis cui nulla deeſſet, quod tamen nullatenus eſt admitendum: ergo.

Tum etiam, quia fundamentum Diu. Thom. in ſolutione ad ſecundum huius articuli, eſt quod pœnitentia ſit de peccato iam præterito, verecundia autem ſit de turpi facto, vt præſenti; cum autem contra perfectionem virtutis, quæ eſt diſpoſitio perfecti, ſit habere turpe factum de quo opporteat verecundari, non tamen quod præceſſerit turpe factum de quo opporteat pœnitere, vt ſic homo ex vitioſo fiat virtuoſus: ideo perfectio virtutis conuenit pœnitentiæ, & non verecundiæ: ſed hanc rationem diſparitatis eſſe nullam patet; quia etiam pœnitentia poteſt eſſe de turpi facto præſenti ſicut verecundia, vt cum quis immediate poſt peccatum commiſſum pœnitet. Et ſicut pœnitentia eſt de peccato prętęrito, quod vt ſic non obſtat perfectioni virtutis de præſenti, ita teſte eodem Diu. Thom. 22. quæſtione 144. articulo primo, verecundia per ſe eſt de turpi futuro, definitur enim à Diu. Thom. quod eſt timor turpitudinis, & exprobationis, timor autem per ſe reſpicit malum futurum, quod neque obſtat perfectioni virtutis, quæ eſt de preſenti: ergo.

Tum denique, quia ex actibus ſæpè repetitis in potentia capaci generatur habitus ad ſimiles actus inclinans: ergo ex actibus laudabilis pudoris repetitis in appetitu ſenſitiuo generabitur habitus laudabilis ad ſimiles actus inclinans; qui proinde erit virtus verecundiæ. Cui atteſtatur facilitas, & promptitudo, qua vnuſquiſquè iuuenum ad quos propriè pertinet verecundari (teſte Philoſopho in loco citato) experitur in ſe ex actibus frequentibus verecundandi; hæc enim facilitas & promptitudo non niſi ab habitu poteſt prouenire, qui cùm aliàs ſit laudabilis gaudebit perfectione virtutis.

Tertium dictum eſt; Philoſophum dum negat verecundiam eſſe virtutem poſſe interprætari de timore infamiæ ex affectu propriæ æſtimationis prouenientę, qui vt ſic neque eſt actus virtutis neque laudabilis, licet habeat effectus lauda-

dabiles cuiuſmodi eſt retrahere hominem à peccatis, in quo ſequitur Richardum vbi ſupra exiſtimantem verecundiã eſſe virtutem, Philoſophumquè ſolum id negare de verecundia, quæ eſt paſſio appetitus ſenſitiui.

11 Sed hæc ſententia quoad omnia eius dicta eſt falſa: quoad primum quidem quia ſeuero iudicio in parentem Philoſophiæ animaduertit, qui licet circa aliqua miſteria fidei errauerit, non tamen circa numerum ac diſtinctionem virtutum moralium, in quibus indagandis fuit omniscius, vtpotè quarum cognitio moralis Phyloſophiæ lumen naturale non excedit: quamuis autem eundem Ariſtotelem latuerit virtus infuſa pœnitentiæ, non tamen naturalis, ſiue adquiſita, licet eam à religione, aut a iuſtitia non diſtinxerit, vt videndum eſt duobus articulis ſequentibus.

Deinde quoad ſecundum non aliter probatur eius falſitas quam ſatisfaciendo obiectionibus prædicti authoris. Ad primam enim reſpondetur fundamentum Phyloſophi non eo tendere, vt probet omnes virtutes morales eſſe connexas, quoad habitus, & materias circa quas verſantur, ſed tantum quo ad modum perfectionis extra quem nullus habitus laudabilis ſortitur nomen virtutis, quod eſt nomen ſtatus, & perfectionis, ſicquè omnes virtutes morales inter ſe, & cum prudentia a qua informantur eſſe connexas oſtendit Diu. Thom. prima ſecundæ quæſtione 65. articulo primo, & quæſtione 66. articulo ſecundo, & quia ad hunc ſtatum verecundia nequit peruenire ob imperfectionem à Philoſopho aſsignatam, ideò nequè nomen virtutis ei propriè poteſt conuenire.

Ad ſecundam reſpondetur cum Valencia punto primo, concluſione prima, Cai. in loco citato ex 22. Soto vbi ſupra, & Capræolo diſtinctione citata, quæſtione prima, articulo tertio, quod dum Diuus Thomas hic ad ſecundum ait verecundiam reſpicere turpè factum præſens loquitur permiſsiue, ideſt, quia poteſt eſſe de turpi facto præſenti, & compati cum illo, vtpotè cum illud efficaciter, nec retractet, nec remoueat, quod eſt contra perfectionem virtutis ad quam ſpectat, vt numquam actum contrarium ſecum compatiatur, hoc eſt vitioſum: pœnitentia autem illum non admittit, quia eſt de peccato præterito, quod ipſa deteſtando, efficaciter remouet.

Quando vero Diu. Thom. in articulo citato, ex ſecunda ſecundæ diffinit verecundiam eſſe timorem turpitudinis, & ex probationis, illam diffinit per id quod habet per ſe: & quia per ſe habet principaliter reſpicere futuram turpitudinem pœnalem, ideſt oprobrij, & infamiæ ex turpitudine culpæ conſequibilem, ideò dicitur timor quidam huius turpitudinis pœnalis primario: ſecundario autem reſpicit turpitudinem culpabilem, ſiue præteritam, ſiue præſentem, ſiue futuram, aliquando enim timet quis oprobrium, quod poteſt ipſi contingere ex culpa præterita oculta, ſi propaletur, aliquando ex præſenti, & propterea fugit publicos cõſpectus ne à vicinis exprobretur, & aliquando timet oprobrium ex culpa futura, vt quando ex eo quod ab amico inuitatur ad turpe factum erubeſcit: propterea igitur excludunt Phyloſophus, & Diu. Thom. verecundiam à ratione virtutis, quia licet per ſe primo ſit timor futuri oprobrij, ſecundario tamen reſpicit actum turpem cum quo ſimul eſt compatibilis. Ex quo timet futuram turpitudinem vel proximam diſpoſitionem ad illam, quod eſt contra perfectionem virtutis, vt notat Durandus vbi ſupra, quæſtione prima ad primum.

Ad tertiam reſpondetur cum Diuo Thoma in eodem articulo primo quæſtionis 144. in ſolutione ad quintum ex actibus verecundiæ frequentatis non generari virtutem verecundiæ ad ſimiles actus inclinantem ſicut ex actibus temperantiæ virtus temperantiæ, & ex actibus iuſtitiæ, virtus iuſtitiæ generatur, ſed tantum generatur habitus inclinans ad effectus verecundiæ, nimirum habitus temperantiæ, ſiue fortitudinis, per quos retrahitur homo à peccato, qui eſt effectus verecundiæ, ex cuius imperfecta ratione honeſtatis prouenit ne eius actus frequentati generent habitum virtutis ad ſimiles actus inclinantem, imò nequè generant, vt ibidem aduertit Cai, habitum qui ſit diſpoſitio laudabilis citra perfectionem virtutis reddens potẽtiam facilem ad ſimiles actus: eo quod huiuſmodi actus verecundandi ſun t paſsiones naturaliter ex obiecti apræhenſione in apetitu ſenſitiuo re-

ſult

ſultantes, ex quibus habitualis diſpoſitio generari nequit, ſed tantum quædam aſſuefactio, ſicut in alijs potentijs corporeis, vt in progreſsiua, motiua, & expreſsiua vocum, frequentia actuum non habitum generat; ſed per remotionem impedimentorum ſolam promptitudinem, & aſſuefactionem cauſat.

12 Deniquè, quoad tertium dictum oſtenditur falſitas prædictæ ſententiæ, quia Ariſt. nullam admittit interprætationem, nam in cap. vltimo præællegato quarti Aethicor. de eadem verecundia negat eſſe virtutem de qua affirmat eſſe laudabilem paſsionem, pariformiterquè de continentia ſubdit, quod non eſt virtus, ſed quædam laudabilis paſsio, quia dum ſequitur medium rationis compatitur ptauas concupiſcencias ſecum, quod derogat perfectioni virtutis, & libro ſecundo Aethicorum capite ſeptimo anumerans Ariſtotel. duodecim mediocritates, circa paſsiones, ait decem eſſe virtutes, duas verò non eſſe virtutes, licet ſint paſsiones laudabiles, vtpotè medium ponentes inter duo extrema vitioſa: nimirum nemeſim, quæ eſt moderata triſtitia de proſperitate indigni: cuius extrema vitioſa ſunt inuidia, & maleuolentia; & verecundiā, quæ eſt moderatus timor oprobrij cuius extrema ſunt duæ paſsiones vitioſæ: nimirum per exceſſum pauor, & impudentia per defectum.

Quod amplius confirmatur ex eodem contextu: nam aliàs nihil ſpeciale diceret Philoſophus de his duabus mediocritatibus, ſiquidem etiam in alijs decem paſsiones, nequè vt exorbitant à mediocritate, nequè ſecundum ſe, ſunt actus virtutis, ſed materia illius, vt triſtitia ſiue delectatio ſi immoderata ſit opponuntur virtuti temperantiæ, ſi autem ſumātur ſecundum ſe ſunt materia illius, quia temperantia ponit medium in huiuſmodi paſsionibus, ſi autem moderata ſit aliqua ex illis iam eſt actus ſecundarius virtutis temperantiæ, cuius primarius actus eſt electio mediocritatis in huiuſmodi paſsione, & idem proportionabiliter de alijs nouem virtutibus moralibus, ſiue mediocritatibus dicendum eſt, cum ergo de nemeſi, & verecundia ſubdat non eſſe virtutes; ſed paſsiones laudabiles ſentit illas ſub nulla ratione eſſe virtutes ob defectum alicuius perfectionis ad virtutem requiſitæ, & hæc eſt communis interpretatio D. Thomę in commentario vtriuſquè capitis Aethicorum Euſtratij, Lambini, & aliorum interpretum claſicorum, quibus proinde maior fides, quam prædicto authori adhibenda eſt.

Ad tertium principale reſpondetur ſuſtinendam eſſe ſolutionem ibi aſsignata.

Ad cuius impugnationem vno ex duobis modis dicendum eſt, quos Capreolus vbiſupra ex doctrina ſui authoris deducit. Primo quidem, quod primarius actus pœnitentiæ eſt ipſa diſplicentia, & deteſtatio peccati; quia ad virtutem cuius munus eſt retrahere à malo, eatenus pertinet inclinare in bonum, quatenus inclinat immediatè in actum honeſtum, cuius honeſtas in eo conſiſtit, quod ſit fuga, & deteſtatio mali. Secundo, quod primarius actus pœnitentiæ eſt velle compenſare offenſam Deo, & illi ſatisfacere per dolorem ac peccati deteſtationem, qui actus eſt bonus in ſe, & etiam ratione materiæ proximæ, quæ eſt compenſatio, & ſatisfactio pro peccato, quod tantùm eſt materia remota huius actus: non autem inconuenit primarium actum virtutis verſari circa malum culpæ, tanquam circa materiam remotam: vt patet in virtutibus moralibus fortitudinis, & temperantiæ, quæ circa vitioſas paſsiones eligunt mediocritatem.

ART. II.

Vtrum pœnitentia ſit ſpecialis virtus?

a d. 14 q. 1. ar. 1. q. 2. 3. & 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod pœnitentia non ſit ſpecialis virtus. Eiuſdem enim rationis videtur eſſe gaudere de bonis prius actis, & dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius facto, non eſt ſpecialis virtus, ſed eſt quidam affectus laudabilis ex charitate proueniens: vt patet per Auguſtin. * 14. de ciuitat. Dei. Vnde & Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. dicit, quod charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Ergo pari ratione nec pœnitentia, quæ eſt dolor de peccatis præteritis, eſt ſpecialis virtus, ſed eſt quidam affectus ex charitate prouenienſ.

c. 7. à med. to. 5.

2 Præterea, Quælibet virtus ſpecialis habet materiam ſpecialem: quia habitus diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta. Sed pęnitentia non habet materiam ſpecialem: ſunt enim eius materia peccata pręterita circa quamcumque materiam. Ergo pęnitentia non eſt ſpecialis virtus.

3 Præterea, Nihil expellitur niſi â ſuo contrario. Sed pœnitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus peccatis. Non ergo eſt ſpecialis virtus.

Sed contra eſt, quod de ea datur ſpeciale legis præceptum: vt ſupra habitum eſt. *

q. præced. a. 5. & 7.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut in ſecunda parte habitum eſt *) ſpecies habituum diſtinguuntur ſecundum ſpecies actuum. Et ideo vbi occurrit ſpecialis actus laudabilis, ibi neceſſe eſt ponere ſpecialem habitum virtutis. Manifeſtum eſt autem quod in pœnitentia inuenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionem peccati pręteriti, in quamtum eſt Dei offenſa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Vnde neceſſe eſt ponere, quod pœnitentia eſt ſpecialis virtus.

1. 2. q. 54 a. 1. ad 1. & a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod â charitate deriuatur aliquis actus dupliciter. Vno modo ſicut ab ea elicitus. Et talis actus virtuoſus non requirit aliam virtutem præter charitatem: ſicut diligere bonum, gaudere de eo, & triſtari de oppoſito. Alio modo aliquis actus â charitate procedit, quaſi a charitate imperatus. Et ſic quia ipſa imperat omnibus virtutibus (vtpote ordinans eas ad finem ſuum) actus â charitate procedens poteſt etiam ad aliam ſpecialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pænitentię conſideretur ſola diſciplſcentia peccati præteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet: ſicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit ſpecialem

lem virtute ſub charitate.

Ad ſecundum dicendum, quod pœnitentia habet quidem realiter generalem materiam, in quantum reſpicit omnia peccata: ſed tamen ſub ratione ſpeciali, in quantum ſcilicet ſunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad ſuam iuſtificationem.

Ad tertium dicendum, quod quælibet virtus ſpecialis formaliter expellit habitum vitij oppoſiti: ſicut albedo expellit nigredinem ab eodem ſubiecto. Sed pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè: in quantum operatur ad deſtructionem peccati, prout eſt remiſsibile ex diuina gratia, homine cooperante. Vnde non ſequitur, quod ſit virtus generalis.

Circa titulum huius articuli operæ pretium eſt prænotare triplicem ſenſum, quē habere poteſt, recenſitum à Suario in annotatione litteræ eiuſdem articuli. Primus enim eſſe poteſt: an pœnitētia ſit virtus ſpecialis, ita vt detur aliqua peculiaris virtus, ad ſolum munus deſtruendi peccata commiſſa deſtinata. Secundus eſt, an pœnitentia ita ſit virtus ſpecialis, vt vna ſola & ſingularis ſufficiat ad deteſtanda omnia peccata, etiam ſi diſtinctis virtutibus contrarientur. Tertius eſſe poteſt, nimirum an pœnitentia ita ſit virtus ſpecialis, vt ad illam ſolam ſpectet deteſtari omnia peccata intendendo deſtructionem eorum, taliter, quod hoc munus nulli alteri virtuti ſub aliqua ratione poſsit cōuenire: quos omnes ſenſus refellit dictus author. Primum quidem, quia nulla datur virtus, cuius adæquatum aut primarium munus ſit fugere peccatum commiſſum: imò & huius virtutis pœnitentiæ plures ſunt actus, qui non neceſſario in operante ſupponunt peccatum commiſſum.

Secundum verò, quia licet pœnitentia in eo ſenſu ſit vna, & ſpecialis virtus, non tamen ex vi illius ſequitur neceſſariò, quod ſit diſtincta à reliquis: quod tamen concludit D. Thomas: etenim charitas vna, & ſingularis virtus eſt, & ſimiliter ſpes: & tamen vtraque poteſt verſari circa omnia peccata fugiendo, & deteſtando illa: charitas quidem prout contrariantur diuinæ bonitati: ſpes autem ex timore gæhennæ.

Deniquè tertium refellit, quia nec D. Thomas expræſsit, aut indicauit illam excluſiuam: nec in eo ſenſu eius reſponſio affirmatiua vera eſſet propter duo: Tum, quia charitas, & ſpes, vt dictū eſt ſub proprijs rationibus poſſunt intendere deſtructionem cuiuſcumque peccati, quatenus illis contrariatur. Tum etiam, quia vt aliqua virtus ſimpliciter ſpecialis dicatur, non opportet quod ei conueniat ille modus excluſionis: nam plures virtutes ſpeciales poſſunt circa eandem materiam ſub diuerſis rationibus verſari. Quare concludit verum ſenſum tituli, & intentum a D. Thoma eſſe hunc: ſcilicet, an pœnitentia ſub aliqua ſpeciali ratione, quæ alijs virtutibus, ſiue Theologicis, ſiue moralibus non conueniat, omnia peccata etiam alijs virtutibus cōtraria deteſtetur ſub ſua propria ratione, ac deſtruere intendat: hoc eſt in ratione offenſæ Dei, quatenus offenſa quandam in iuſtitiæ inæqualitatem continet. Sed re vera primus ſenſus eſt verus & intentus à D. Thoma ex vi cuius infert pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem, & à reliquis omnibus diſtinctam: neque id inferre poſſet ex vi alterius ſenſus: imò neque ex vi quarti admiſsi à Suario, ſi à primo illum diſtinguat; vt ex dicendis amplius conſtabit.

ART. III.

Vtrùm virtus pœnitentiæ ſit ſpecies iuſtitiæ.

Infr. a. 4. cor. & 4. diſ. 14. q. 1. ar. 1. q. 4. ad 4 & qu. 5. per tot. & d. 15. q. 1. a. 1. q. 3. ad 4.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur, quod virtus pœnitentiæ non ſit ſpecies iuſtitiæ. Iuſtitia enim non eſt vir-

virtus theologica, ſed moralis, vt in ſecunda parte patet. * Pœnitentia autem videtur eſſe virtus theologica, quia habet Deum pro obiecto: ſatisfacit enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur, quod pœnitentia non ſit ſpecies iuſtitiæ.

[** 1. 2. q. 62. ar. 2. & 3.*]

2 Præterea, Iuſtitia cum ſit virtus moralis, conſiſtit in medio. Sed pœnitentia non conſiſtit in medio, ſed in quodam exceſſu: ſecundum illud Hieronym. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Ergo pœnitentia non eſt ſpecies iuſtitiæ.

5 Præterea, Duæ ſunt ſpecies iuſtitiæ (vt dicitur in 5. ethicorum *) ſcilicet diſtributiua, & commutatiua. Sed ſub neutra videtur pœnitentia contineri. Ergo videtur, quod pænitentia non ſit ſpecies iuſtitiæ.

[** 4. to. 5.*]

4 Præterea, Super illud Lucæ 6. Beati qui nunc fletis, dicit gloſſ. * Ecce prudentia, qua oſtenditur quàm hæc terrena ſint miſera, & quâm beata cæleſtia. Sed flere eſt actus pænitentiæ. Ergo pænitentia magis eſt ſpecies prudentiæ, quâm iuſtitiæ.

[*gl. ord. ibi.*]

Sed contra eſt, quod Auguſtinus * dicit in libro de pænitentia. Pænitentia eſt quædam dolentis vindicta, ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. Sed vindictam facere pertinet ad iuſtitiam: vnde Tullius † in ſua Rhetorica ponit vindictam vnam ſpeciem iuſtitiæ. Ergo videtur, quod pænitentia ſit ſpecies iuſtitiæ.

[*c. 8. à med. to. 4.*] [*† a. prec. libr. 2. de Inuention. fol. 4. an. fin.*]

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) pænitentia non habet quod ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim ſufficeret charitas:) ſed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei, cum emendationis propoſito. Emendatio autem offenſæ contra aliquem commiſſæ, non fit per ſolam ceſſationem offenſæ, ſed exigitur vlterius quædam recompenſatio, quæ habet locum in offenſis in alterum commiſsis, ſicut & retributio: niſi quod recompenſatio eſt ex parte eius qui offendit (vtpotè cum ſatisfacit,) retributio autem eſt ex parte eius, in quem eſt offenſa commiſſa. Vtrumque autem ad materiam iuſtitiæ pertinet: quia vtrumque eſt commutatio quædam. Vnde manifeſtum eſt, quod pœnitentia ſecundum quod eſt virtus, eſt pars iuſtitiæ. Sciendum tamen eſt, quod ſecundum Philoſophum * in 5. Aethicor. dupliciter dicitur iuſtum, ſcilicet ſimpliciter, & ſecundum quid. Simpliciter quidem iuſtum, eſt inter æquales, eo quod iuſtitia eſt æqualitas quædam: quod ipſe vocat iuſtum politicum vel ciuile, eo quod omnes ciues æquales ſunt, quantum ad hoc quod immediate ſunt ſub principe; ſicut liberi exiſtentes. Iuſtum autem ſecundum quid dicitur, quod eſt inter illos, quorum vnus eſt ſub poteſtate alterius: ſicut ſeruus ſub domino, filius ſub patre, vxor ſub viro. Et tale iuſtum conſideratur in pœnitentia. Vnde pænitens recurrit ad Deum cum emendationis propoſito, ſicut ſeruus ad dominum, ſecundum illud Pſalm. 122. Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Et ſicut filius ad patrem, ſecundum illud Luc. 15. Pater peccaui in cœlum & coram te. Et ſicut vxor ad virum, ſecundum illud Hierem. 3. Fornicata es cum

[*ca. 6. to. 5.*]

ama-

amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

Ad primum ergo dicendum, quod (ſicut in 5. ethic. dicitur *) iuſtitia eſt virtus ad alterum. Ille autem, ad quem eſt iuſtitia, non dicitur eſſe materia iuſtitiæ; ſed magis res quæ diſtribuuntur, vel commutantur. Vnde & materia penitentiæ non eſt Deus, ſed actus humani, quibus Deus offenditur vel placatur: ſed Deus ſe habet, ſicut ille, ad quem eſt iuſtitia. Ex quo patet, quod penitentia non eſt virtus theologica, quia non habet Deum pro obiecto, vel materia.

lib. 5. c. 1. non longe à fi. to. 5.

Ad ſecundum dicendum, quod medium iuſtitiæ eſt æqualitas, quæ conſtituitur inter illos, inter quos eſt iuſtitia; vt dicitur in 5. ethicor. * In quibuſdam autem non poteſt perfecta æqualitas conſtitui, propter alterius excellentiam: ſicut inter patrem & filium, inter Deum, & hominem, vt Philoſoph. * dicit in 8. ethicor. Vnde in talibus ille qui eſt deficiens, debet facere quicquid poteſt. Nec tamen hoc erit ſufficiens ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum acceptationem ſuperioris. Et hoc ſignificatur per exceſſum, qui attribuitur pœnitentiæ.

lib 5. c. 1. & 2. to. 5.

lib. 8 c. vl tim t 5.

Ad tertium dicendum, quod ſicut eſt commutatio quædam in beneficijs, (cum ſcilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit) ita etiam eſt commutatio in offenſis, cum aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel inuitus punitur, quod pertinet ad vindicatiuam iuſtitiam: vel voluntarie recompenſat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ reſpicit perſonam peccatoris, ſicut iuſtitia vindicatiua perſonam iudicis. Vnde manifeſtum eſt, quod vtraque ſub iuſtitia commutatiua continetur.

Ad quartum dicendum, quod penitentia licet ſit directè ſpecies iuſtitię, comprehendit tamen quodammodo ea quę pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim eſt iuſtitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ ſunt virtutum theologicarum, quę habent Deum pro obiecto. Vnde penitentia eſt cum fide paſsionis Chriſti, per quam iuſtificamur a peccatis: & cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum: quod pertinet ad charitatem. In quantum vero eſt virtus moralis, participat aliquid prudentiæ; quæ eſt directiua omnium moralium virtutum. Sed ex ipſa ratione iuſtitiæ non ſolum habet id quod iuſtitiæ eſt, ſed etiam ea quę ſunt temperantię & fortitudinis, in quantum ſcilicet, ea quę delectationem cauſant, ad temperantiam pertinentem, vel terrorem incutiunt; quem fortitudo moderatur, in communionem iuſtitiæ veniunt. Et ſecundum hoc ad iuſtitiam pertinet, & abſtinere à delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam: & ſuſtinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

IN his duobus articulis tres determinat Diu. Thom. conditiones de actu pœnitentiæ, vt ex illis aſsignet eſſentiale conſtitutiuum, ac diſtinctiuum, ipſius virtutis pœnitentiæ.

Prima eſt, actum pœnitentiæ ſpeciali gaudere honeſtate, quatenus operatur ad deſtructionem peccati commiſsi, in quãtũ eſt offenſa Dei, ad illumque proinde ſpecialem virtutem deſiderari.

Secunda eſt, quod per huiuſmodi actũ penitẽtia effectiue expellit omne peccatum, cui proinde non formaliter, ſed actiue oponitur, ex quo non ſequitur illam eſſe virtutem generalem.

Ter-

Tertia eſt, quod actus iſte pœnitentiæ operatur ad deſtructionem peccati compenſando offenſam, quod eſt munus iuſtitiæ commutatiuæ, ac per conſequens pœnitentia, eſt pars iuſtitiæ commutatiuæ deficiens tamen à perfecta ratione iuſtitiæ, quia hominis ad Deum offenſum nequit eſſe compenſatio æqualis, quæ ſingulis dubijs à nobis examinandæ ſunt.

Dubium primum eſt: An ad actum proprium pœnitendi aliqua ſpecialis virtus pœnitentiæ à cæteris condiſtincta requiratur?

Variæ ſententiæ recēſentur, circa diſtinctionē virtutis pœnitentiæ à cæteris.

IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ: duæ extremæ, & vna media: quarum prima Altiſiodorenſis libro quarto ſummæ, tractatu ſexto, quæſtione tertia, & Maioris in quarto diſtinctione decima quarta, quæſtione ſecunda, dubio primo negans eſt, quæ vno ex duobus modis poteſt intelligi, aut quaſi vellint eius authores, pœnitentiam ideò nō eſſe virtutē ſpecialem, ſed generalem, quia ſit conditio aut prædicatum tranſcendēns omnes virtutes, ad eum modum quo in iuſtitia dicitur conditio generalis omnium peccatorum ratione cuius omne peccatum appellatur iniquitas, & quo iuſtitia generaliter dicta eſt conditio, & prædicatum omnium virtutum, ratione cuius omnis virtus dicitur iuſtitia, iuxta illud Mathæi tertio, ſic decet nos implere omnem iuſtitiam, ideſt omnem virtutem: aut quia actus pœnitentiæ generaliter pertineat ad omnes & ſingulas virtutes, dum omnes & ſingulæ circa ſuas materias, ſicut habent proſequi bonum proprium, & delectari de illo, ita habent odire malum contrarium, & refugere illud, quod eſt pœnitere: & ex ſecundo ſenſu ſequitur neceſſariò, primus, quia ſi quælibet virtus habet pœnitere modo prædicto de malo contrario; omnes conuenient in hoc modo pœnitendi, cumquē à qualibet eſſentiali conuenientia abſtrahibilis ſit vna ratio per aliquod nomen ſignificabilis, conſequens eſt poſſe ab omnibus virtutibus ratione huius muneris pœnitendi abſtrahi cōmunē rationem hoc nomine pœnitentiæ ſignificabilē, quæ de omnibus prædicetur, ſitquè prædicatum cōmune, ſiue ad omnes illas tranſcendens, ac proinde neuter ſenſus eſt alienus ab authoribus huius ſententiæ, vt falſo exiſtimauit Vazquez dubio vnico, numero primo. In vtroque igitur ſenſu intellecta; à ſuis authoribus: probatur tripliciter,

Primò, quia obiectum pœnitentiæ eſt cōmune ad obiecta omniū virtutum, ſed nulla virtus ſpecialis poteſt extendi ad obiecta omnium virtutum: ergo non eſt virtus ſpecialis: maior probatur, quia reſpicit omne peccatum operando ad illius deſtructionem, ſed peccatum in tota ſua latitudine amplectitur materias omnium virtutum, ad omnes namque pertinet odire peccatum vnicuiquè oppoſitum, & diſplicere de illo, vt ad temperantiam expectat per ſe primò proſequi bonum temperantiæ, & ſecundario refugere peccatum intemperantiæ, & idē cōtingit in alijs: ergo. Minor verò patet, quia ſpecialis virtus, nequit ſpeciali diſtinctiuo gaudere, niſi ad ſpeciale obiectum, aut ſub ſpeciali ratione terminetur.

Dices: pœnitentiam quidem reſpicere omne peccatum, ſed ſub ſpeciali ratione formali: nimirum vt eſt offenſa Dei: ſub quo motiuo ab alia virtute non reſpicitur: ſed contra eſt; quod peccatum, vt eſt offenſa Dei, eſt malum contrarium eius bonitati, ac proinde diſplicentia illius, vt ſic pertinet ad charitatem, ad quam ſpectat diligere Deum, & gaudere de bono illius, eadem enim virtus eſt, quæ bonum amicis deſiderat, & quæ malum amicorum auertit, & eiuſdem virtutis eſt de bono amici gaudere, & de eius malo triſtari: ergo huiuſmodi diſplicentia peccati, vt offenſa Dei, eſt munus charitatis, ſicut & complacentia de bono diuino.

Secūdo, nā vnaquæq; virtus habet gaudere de proprio actu, ac de proprio bono,

quod

quod eſt eius obiectũ ergo etiã vnaquæque habebit triſtari de peccato oppoſito, quod quidẽ eſt munus pœnitẽtiæ: cõſequẽtia patet quia eiuſdẽ virtutis eſt gaudere de proprio bono, & triſtari de malo oppoſito, vt conſtat ex doctrina Diui Thomæ prima ſecundæ quæſtione 59. articulo quarto aſſerentis ad quamcunque virtutem pertinere, tum gaudere in proprijs: cum etiam triſtari de malis oppoſitis quæ repugnant virtuti.

Tertio probatur ex oppoſitione, quam pœnitentia habet cum omnibus vitijs & peccatis: vnum enim vni contrariatur, teſtè Philoſopho decimo methaphiſicę capite ſeptimo, & primo de Cœlo capite quarto, ſed pœnitentia contrariatur omnibus peccatis, quorum ſingula ſingulis virtutibus opponuntur: ergo pœnitentia non ponit in numero cum alijs virtutibus.

Minor patet, quia pęnitentia eſt incompatibilis cum omnibus peccatis, ad quorum deſtructionem, & expulſionem operatur efficaciter, quod munus non haberet niſi ex vi conrarietatis, ex vi cuius contraria ſecum pugnant & mutuo ſe à ſubiecto expellunt: ergo.

Secunda ſententia eſt Alenſis: quarta parte quæſtio. duodecima, membro primo articulo primo, aſſerentis pęnitentiam eſſe quidem virtutem ſpecialem ſimpliciter, generalem vero quodãmodo, ſpecialem quidem in ordine ad actum punitionis quo ſcilicet pœnitens vult ſeipſum punire in compenſationem delicti, generalem vero in ordine ad actum odij, ſiue deteſtationis peccati, qui cum ſit generalis deteſtatio, omnium peccatorum, ideo reſpectu huius actus virtus pœnitentiæ eſt quodammodo generalis. quatenus ſcilicet habet annexam circa hunc actum omnium virtutum concomitantiam.

Cuius fundamentum eſt quod vno ex tribus modis poteſt dici virtus aliqua generalis, vel prædicatione ſicut ratio virtutis generica prædicatur de omni virtute, ac proinde poteſt appellari generalis virtus, vel quia continet cumulum, & cœtum cunctarum virtutum: quo pacto iuſtitiam diximus in vna acceptione eſſe generalem virtutem: quia per omnes virtutes diuagatur vt earum generalis quædam conditio, vel tandem per concomitantiam aliarum virtutum, & hoc tertio modo pœnitentiam eſſe generalem virtutem patet: quia ad actum odij ſiue deteſtationis peccati concurrunt cœteræ omnes virtutes imperando, ex amore enim vniuſcuiuſque virtutis oritur odium peccati, nam ex eoquod temperantia, verbi gratia ſiue fortitudo ſiue iuſtitia, & ſic de alijs amet ſuum obiectum, imperat pœnitentiæ, vt habeat dolorem de peccato: ergo iſte actus qui pertinet ad pœnitentiam elicitiuè, ad omnes alias pertinet imperatiue, ac proindè ob hanc rationem pęnitentia eſt virtus generalis. Quæ ratio poteſt amplius confirmari ex doctrina Diu. Thomæ in hoc articulo tertio ad quartũ, vbi aſſerit pœnitentiã compræhendere quodammodo ea quæ pertinent ad omnes virtutes tam Theologicas, quam morales: participat enim de Theologicis in quantum eius actus fit cum fide paſsionis Chriſti, cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad Charitatem, de moralibus vero, quatenus fit ex directione prudentiæ, & in quantum abſtinet à delectabilibus & ſuſtinet dura in compenſationem peccati, participat de temperantia, & fortitudine: & in articulo quinto ſequenti numerat Diu. Thom. quinque motus, qui ſunt actus aliarum virtutum, à quibus dependet actus pœnitentiæ, vt effectus illis ſubordinatus, ergo ſecundum intentionem D. Thom. pœnitentia eſt generalis virtus per concomitantiam omnium aliarum virtutum.

16 Tertia ſententia aſſerit pœnitentiam eſſe ſimpliciter, & abſolutè circa proprios actus virtutem ſpecialem à cœteris condiſtinctam; quam ſequitur Diu. Thom. in hoc articulo, Albert. in 4 diſtinctione 14. articulo quarto, Bonauentura ibidem articulo primo quæſtione ſecunda Ricard. Scot. quæſtione ſecunda, & Gabriel quæſtione prima articulo tertio, Paludan. & Argentinas ibidem, Sot. in eadem diſtinctione quæſtion. ſecunda articul. ſecundo, Dionyſ. Carthuſian. quæſtione prima, Ioannes de

Digitized by Google

de Medina C. de pœnitentia, tractatu primo, quæſtione prima. Petrus de Soto lectione de ſacramento pœnitentię, Canus relectione de pœnitentia ſecunda parte concluſsione ſecunda, Viguerius in ſumma Theologiæ capite decimoſexto, §. quarto, & Valentia puncto primo aſſertione ſecunda, & Nuño articulo ſecundo, dubio primo, Vazquez dubio vnico, qui authores, licet vnanimiter conueniant in eo quod pœnitentia ſit pecularis virtus, ad aliquos proprios actus tamen in aſsignando huiuſmodi actus proprios & peculiares pęnitentiæ diuiduntur in tres modos dicendi.

Vazquez enim ſequutus Durandum, Scotum, & Gabrielem inquit huiuſmodi actus proprios pœnitentiæ peculiaris virtutis non eſſe odium, & deteſtationem peccati, quia hunc ſub quacunque ratione exiſtimant pertinere ad charitatem, ſed eſſe voluntatē puniendi peccatum, & dignam compenſationem faciendi, atque voluntatem acceptandi libenter pœnam, illamquè pacienter ſuſtinendi.

Ricardus vero, ait proprium actum pœnitentiæ vt eſt peculiaris virtus eſſe odium atque deteſtationem peccati, quatenus eſt contra diuinam iuſtitiam, eo quod exiſtimat odium peccati, vt eſt contra diuinam bonitatem pertinere ad charitatem, odium vero peccati, vt eſt contra diuinam iuſtitiam elici à pœnitentia ſpeciali virtute, & ſub hac ratione eſſe compenſationem offenſæ ex iuſtitia, qualis hominis erga Deum eſſe poteſt.

Denique Soto, & Canus, & Valentia ſecuti Diuum Thomam, & Bonauentur. docent inter alios actus proprios virtutis pœnitentiæ præcipuum eſſe voluntatem compenſandi Deo iniuriam ſiue offenſam: ac proinde dolorem, & odium peccatorum quando fit cum hoc motiuo, & ex hac intentione ſatisfaciendi, & compenſandi Deo offenſam & reconciliandi eius amicitiam, eſſe actum proprium huius virtutis, quemadmodum velle compenſare huiuſmodi iniuriam factam deteſtariquè illam ſub hoc motiuo ſpecialis virtutis eſt actus, & quia hæc eſt verior ſententia pro eius declaratione.

17 Dico primo: Pœnitentia non eſt generalis virtus, ſed ſpecialis à cæteris condiſtincta.

Illā nō eſſe generalem virtutē, ſed ſpecialē defenditur.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores primæ ſententiæ, & probatur duabus rationibus quibus vtitur Soto vbi ſupra. Quarum prima eſt, quia licet vnaquæque virtus habeat deteſtari peccatum, & malum ſibi oppoſitum cum in hoc non ſpecialis honeſtatis ratio, ſed generalis, ad vnamquamque virtutem pertinens in propria cuiuſque materia inueniatur: Verumtamen deteſtari peccatum ex motiuo emendandi vitam in omni genere virtutum ſpecialis virtutis eſt, quod nulla alia virtus præſtare poteſt: temperantia enim verbi gratia tantum poteſt præſtare temperate agere, & iuſtitia iuſtè agere, & ſic de ſingulis: hoc autem quod eſt vitam in omni materia virtutis emendare nulla præſtare poteſt præter pœnitentiam: ergo ex hoc ſpeciali munere pœnitentia ſpecialis virtus eſt à cœteris condiſtincta vtpote quæ circa omne genus peccati habet hunc ſpecialem actum emendandi vitam.

Huic rationi reſpondet Vazquez vbi ſupra numero quinto negando antecedens, quia hic actus deteſtandi omne peccatum ſufficienter poteſt ellici à Charitate quæ odio proſequitur quodcūque peccatum inquātū eſt Dei offenſa, ſiue ſit contra hanc, ſiue contra illam virtutem, ac proindè fruſtra ad hunc actum poni aliam virtutem peculiarem diſtinctam à Charitate.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim rationis factæ, nam peccatum vt delebile per compenſationem, ſiue per emendationem ſuperaddit rationem quandam obiectiuam ad obiectum charitatis, quam proindè Charitas nequit attingere: cuius formale obiectum vt proſequendum quidem eſt diuina bonitas, vt fugiendum verò eſt quidquid auertit à diuina bonitate, & propterea ſicut ad Charitatem pertinet diligere Deum ſuper omnia, ita & diſplicere, de quocumque peccato prout auertit à Deo, tamen deteſtari quodcumque peccatum præteritum o-

peran-

perando ad deſtructionem illius, per cõpenſationem ſiue emendationem nequit pertinere ad Charitatem immediate, quia hæc peculiaris ratio extrahit obiectum huius actus à latitudine obiecti Charitatis: ergo ad aliam virtutem immediate debet pertinere, quæ præter pœnitentiam non eſt aſsignabilis, vt etiam eadem ratione vtens infert Diu. Thomas hic in ſolutione ad primum & ad ſecundum, vbi explicans in peccato rationem peculiarem motiuam, ſub qua ſubterfugit Charitatem, & attingitur à pœnitentia, quam in corpore articuli dixerat eſſe iniuriã, ſiue offenſam Dei, ſubdit illam eſſe offenſam Dei præteritam, vt delebilem per emendationem, à quibus circunſtantijs præteritionis, & emendationis abſtrahit Charitas, quæ ſicut habet diligere ſummum bonum ſecundum ſe, ita ſolum habet deteſtari quodcumque peccatum, vt ſecundum ſe eſt auerſiuum à ſummo bono, aut illi contrarium, vt etiam docuerat prima ſecundæ, quæſtione 113. articulo quinto ad primum.

Quemadmodum in bonis temporalibus pretio æſtimabilibus eſt conſiderabilis duplex ratio, nimirùm et boni ſubleuatiui miſeriæ, & ſic vellè conferre illa proximo indigenti; eſt actus miſericordiæ, & debiti, in quantum ſcilicet debentur proximo ex contractu, vel quia ablata fuerunt ab eo per furtum ſiue rapinam: & ſic velle reddere illa eidem proximo eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, cuius opus proprium eſt reſtituere alienum: ita proportionabiliter in peccato ratio deteſtabilis vt ſic, & ratio cõpenſabilis & emendabilis reperitur: deteſtarique illud ſub prima generali ratione prout eſt contra bonum diuinum, pertinet ad Charitatem: deteſtari autem illud ſub poſteriori ratione ſpeciali pertinet ad potentialem iuſtitiam ergà Deum quæ dicitur pœnitentia: eoquòd talis compenſatio & emenda offenſæ diuinæ quędam ratio debiti eſt, ac proinde non ad Charitatem immediatè, ſed ad iuſtitiam pertinens: ac per conſequens ratio hæc manet inconcuſſa.

Secunda ratio eſt: quia nolle pœnitere eſt ſpeciale peccatum ad ſpeciale vitium impœnitentiæ pertinens: ergo etiam pœnitere de peccatis eſt actus honeſtus peculiaris virtutis pœnitentiæ huic vitio contrariæ, vtpotè cùm eadem ſit contrariorum ratio, & peculiari vitio peculiaris etiam virtus circa eandem materiam debeat contrariari.

Hanc rationem conatur Vazquez vbi ſupra numero tertio infringere ex eoquod aſſumit antecedens probandum, & æque dubium conſequenti, aut enim nolle pœnitere eſt peccatum omiſsionis quando inſtat præceptum pœnitendi, & ſic poteſt pertinere ad omnem contrarietatem virtutis, aut eſt peccatum commiſsionis, quia ſcilicet peccata præterita placent, & ſic erit non vnum, ſed multiplex peccatum ſecundum diuerſitatem peccatorum in quibus homo diuerſimode ſibi complacet.

Sed neque hac opugnatio infringit rationem factam propter duo. Primum, quia antecedens huius rationis ſupponit Soto probatum ex teſtimonijs ſacræ Script. Concilior. & Patrũ quæ adduximus articulo præcedenti, in quibus continetur ſpeciale præceptum agendi pœnitentiam vt condiſtinctum à præceptis quę dantur de actibus aliarum virtutum, ac proinde ſpeciale peccatum huic pręcepto oppoſitum eſt nolle pœnitere.

Neque hoc aſſumptum alia indiget probatione. Tum etiam quia nolle pœnitere, ſiue omiſsionis, ſiue commiſsionis peccatum ſit, ſpeciale motiuum habet ſub quo non ad omne vitium neque ad omnem contrarietatem virtutis, ſed ad vnum peculiare vnique virtuti contrarium pertineat, etenim quando eſt peccatum omiſsionis vrgente pręcepto pœnitendi non eſt omiſsio plurium actuum circa plura peccata oppoſita diuerſis virtutibus, ſed tantum eſt omiſsio vnius actus doloris, ſcilicet, & deteſtationis omnium peccatorum præteritorum in ratione emendabilium, & compẽſabilium.

Si verò commiſsionis ſit, non eſt complacentia in vno, aut altero peccato, neque ſub vna, aut altera ratione; ſed in omnibus peccatis præteritis ſub vnica ratione: Contraria quidem non pluribus virtutibus, ſed vni duntaxat, nimirum pęnitentię, ratio autem hæc ſub qua omnia peccata commiſſa placent ei, qui habet formale propoſitum non pœ-

nitendi eſt negatio emendationis, & compenſationis debitæ pro peccato, aut eſt, vt rectius dicam, poſitiua contrarietas ad compenſationem, & emendationem per huiuſmodi negationem explicata quæ peculiaris eſt, vitiumquè peculiare impœnitentiæ ſpecificans, ſicut ratio emendationis, & compenſationis peculiaris eſt in omnibus peccatis a qua virtus pœnitentiæ ſpecificatur.

18 Dico ſecundo. Hæc pœnitentiæ virtus, neque per concomitantiam omnium aliarum virtutum poteſt dici generalis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctorem ſecundæ ſententiæ, & probatur primo: quia ad huiuſmodi actum proprium pœnitentiæ non concurrunt ſimul actus omnium aliarum virtutum: ergo nequit dici generalis virtus per concomitantiam omnium aliarum.

Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: tum quia experientia id atteſtatur, tum etiam quia nō poſſemus adimplere præceptum pœnitentiæ per actum proprium ipſius deteſtando omnia peccata ſine actibus aliarū virtutum quibus contrariantur: quod eſt inconueniens: imo impoſsibilis nobis redderetur adimpletio huiuſmodi præcepti, ſiquidem non poſſemus deteſtari omnia peccata quin ſimul exerceremus actus aliarum virtutum, quod eſt impoſsibile, aut ſimpliciter, aut ſaltem reſpectu ſubiecti loci, & temporis: ergo.

Secundo probatur, ab inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirum pœnitentiam nedum per concomitantiam, ſed etiam per prædicationem eſſe generalem virtutem, & nullatenus peculiarem ab alijs diſtinctam, conſequens autem contradicit auctori ipſius ſententiæ: ergo.

Sequela patet: nam quando quis deteſtatur peccatum aliquod ſpeciale: verbi gratia intemperantiæ, ſiue iniuſtitiæ, aut illud deteſtatur, vt malum oppoſitum virtuti temperantiæ ſiue iuſtitiæ, aut vt eſt offenſa Dei, aut ſub alia ratione peculiari exigente peculiarem virtutem pœnitentiæ.

Si primum ſufficit eadem virtus, temperantiæ, ſiue iuſtitiæ quæ ex amore boni proprij habet per ſe ipſam deteſtari malum oppoſitum, vt ſuperius oſtenſum eſt, & ſub eadem ratione, ſub qua proſequitur illud habet odio iſtud.

Si ſecundum, ſufficit charitas quæ ex Dei amore habet odire omne peccatum, vt Dei offenſiuum.

Si tertium, verum eſt, quod ad id præſtandum requiratur ſpecialis virtus pœnitentiæ à charitate, & a cœteris condiſtincta, ſed cum hanc peculiarem rationem motiuam omiſſerit Alenſis ſicut fruſtra negat eiuſdem virtutis eſſe amare bonum proprium, & elicitiuè odire malum oppoſitum, ita ſine fundamento exigit virtutem peculiarem pœnitentiæ, quæ ex imperio aliarum deteſtetur mala illis contraria, & ſit generalis dumtaxat per concomitantiam.

19 Dico tertio. Inter alios actus proprios, ad quos exigitur peculiaris virtus pœnitentiæ, vnus & præcipuus eſt deteſtari peccatum ſub motiuo emendationis, & compenſationis Deo exhibendæ. *Eius proprius actus eſt deteſtari peccatū ſub motiuo compēſādi Deo offenſam.*

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos explicandi tertiam ſententiam: & probatur impugnando ſingulos, & eorum fundamenta labefactando.

Primus enim deficit in eo quod excludit omnino deteſtationem peccati in ratione offenſæ Dei à ſerie actuum propriorum pœnitentiæ, contenditque illam ſub quocumque motiuo fiat, eſſe actum Charitatis cum expræſſe in hoc contradicat doctrinæ Diui Thomæ conſtituentis in corpore articuli ſecundi adiuncta ſolutione ad primum, & ad ſecundum, proprium, & præcipuum actum reſpectu cuius pœnitentia eſt peculiaris virtus in deteſtatione peccati ſub ratione offenſæ Dei in quantum eſt delebilis per emendationem, & compenſationem.

Neque oppoſitum ſuadetur aliquo firmo fundamento. Illud enim, vnicum quod latè expendit Vazquez à numero decimoſexto, vſque ad trigeſimũ quartum, nullius momenti eſt, cuius ſumma ad hanc formam reducitur: quando quis exercet huiuſmodi odium, ſiue deteſtationem peccati commiſsi ex intentione compenſandi Deo offenſam, & puniendi peccatum, aut interuenit vnus dumtaxat actus, aut duplex.

Primum eſſe non poteſt, quia interueniunt duo motiua, ſiue duo fines per ſe, & ratione ſui, ac proinde non vnum, ſed duo actus exigunt quos terminent. Alterum quidem odij circa ipſum peccatum, vt malum eſt, & Dei offenſiuum. Alterum vero circa compenſationem offenſæ, & pœnitentiam ipſius.

Si ſecundum, quocumque modo iſti actus ſubordinentur nequit intelligi quod odium peccati, ſit actus proprius pœnitentiæ, & non Charitatis, nam vel habent ſe vt intentio, & electio, ita vt intentio ſit voluntas compenſandi, & electio ſit odium peccati ſub ratione offenſæ, aut è contra ita vt odium ſit actus prior per modum intentionis, & voluntas compenſandi ſit poſterior & per modum electionis, vel comparantur vt duæ intentiones, quarum vna ſit actus reflexus cadens ſupra alteram, & habens illam pro obiecto, & vtraque verſetur circa finem proprium propter ipſum, & ſic voluntas compenſandi offenſam Deo erit actus reflexus habens ipſum actum compenſationis pro fine *qui*, & Deum pro fine *cui*: Odium vero peccati, vt offenſa Dei, habebit Deum pro fine dilecto, & peccatum etiam, vt ſub odium cadit.

Non quidem primo modo, ſi enim voluntas compenſandi eſt intentio, & odium offenſæ eſt electio, prior erit actus pœnitentiæ, quam actus Charitatis, & iſte fiet ex imperio illius, quod derogat dignitati Charitatis, cuius eſt imperare virtutibus moralibus; & non imperari ab illis.

Et hoc admiſſo, adhuc actus poſterior non poſſet attingere finem & motiuum prioris, quia odium peccati, vt ofenſa Dei non reſpicit ſuum obiectum, vt medium propter compenſationem, ſed propter ſe, vtpotè cũ huiuſmodi odiũ abominationis peccati, ſit ex amore Dei propter eius bonitatẽ quam non ordinat ad alium finem, ſed in illa propter ipſam complacet, ex cuius complacẽtia, vt ſic odio habet peccatum: ac proinde ſicut tale odium ſi non imperetur à voluntate compenſandi eſſet actus charitatis, ita quamuis hæc voluntas præcedat, & ab illa imperetur, manebit actus eiuſdem virtutis, ſcilicet charitatis, quia nullum motiuum vltra diuinam bonitatem ſecundum ſe, illi adiungitur.

20 Neque ſecundo, quia ſi odium peccati in ratione offenſæ eſt actus prior, retinebit idem obiectum formale quod habet quando ſecundum ſe, & ſine altero actu ſubſecuto elicitur.

Neque enim prior actus à poſteriori poteſt obiectum emendicare: ergo erit eiuſdem virtutis cuius eſſet quando eliceretur ſine altera voluntate compenſandi ſubſecuta: tunc autem perſpicuum eſt illum eſſe actum Charitatis.

Neque tertio, quia ſic ſunt duo actus ad inuicem non ſubordinati, ita vt vnus non moueat ad alterum, ac proinde neque vnus poteſt alteri finem præbere, ſed ſola concomitantia, & ſimultate gaudent quatenus ſimul à voluntate exercetur vterque propter finem proprium: ex hac autem concomitantia non deſinit alter proprium obiectum, & finem retinere: ergo cum odium peccati ex proprio obiecto, & fine ſit à Charitate, cuius eſt amare bonum diuinum, etiam ſi eliciatur ſimul cum volitione ſatisfaciendi, & ſit veluti materia reflexe per illam volita, manebit actus eiuſdem virtutis.

Nullius inquam momenti eſt fundamentum hoc vtpote quod facile labefactatur negando minorem pro prima parte cum enim actus intellectus, & voluntatis ſupra ſe inuicem reflectantur, teſtè Diuo Thoma in primo diſtinctione decima, quæſtione prima articulo quinto ad ſecundũ, & diſtinctione 17. quæſtione prima, ar-

ticulo quinto ad quartum : eodem actu intelligit intellectus ſe intelligere quo intelligit obiectum ad extra , & eodem actu amoris quo voluntas amat rem amatam , vult etiam ſe amare , ac proinde eodem actu odij , & deteſtationis peccati quo voluntas deteſtatur peccatum , ex motiuo pœnitentiæ , vult compenſare Deo offenſam per odium, & dolorem illius, ſicut eodem actu electionis ex motiuo iuſtitiæ vult homo ſatisfacere pro humana iniuria perſonæ Læſæ , & ſimul ſatisfacit eligendo debitam ſatisfactionem exterius exhibendam, & ſicus hæc electio ex proprio motiuo eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quæ habet humanas iniurias reſarcire, ita deteſtatio, ſiue dolor pœnalis offenſæ diuinæ ex proprio motiuo eſt compenſatiua. & ſatisſactoria illius, ac proindè eſt actus pœnitentiæ quæ ex ſua ratione habet per actus pœnales punire , & compenſare iniurias Deo irrogatas.

Ac per conſequens ſicut in huiuſmodi electiua deteſtatione quæ pœnalis eſt , & vindex peccati , non ſolum tranſit in peccatum, (ſicut odium elicitum à Charitate), ſed in perſonam peccantis in qua punit ipſum peccatum , non multiplicantur motiua formalia , ita neque oportet multiplicari actus per ſe loquendo : ideò autem dico per ſe loquendo , nam per accidens contingere poteſt ad huiuſmodi actum deteſtationis præcedere voluntatem illam compenſandi qua pœnitens in actu ſignato , & veluti reflexe velit compenſare offenſam per actum deteſtationis aſſumendum in ſatisfactionem peccati , ſicut etiam poteſt quis actu reflexo , velle electionem ſoluendi debitum aut humanam iniuriam compenſandi , ſed tunc illi actus non ſe habent vt intentio , & electio ; vterque enim electio eſt ab eadem virtute morali proueniens, ſed habent ſe ſicut actus electiui reflexus , & directus , quorum iſte eſt obiectum , & materia proxima alterius , & vterque eſt ab eadem virtute , & ſub eodem motiuo elicitus.

Deinde ſecundus modus deficit, cuius falſitas oſtenditur dupliciter. Primo , quia ſicut peccatum opponitur diuinæ bonitati , & ex hac oppoſitione pertinet ad charitatem odium illius: & ſicut opponitur diuinæ iuſtitiæ . ex qua oppoſitione odium illius pertinere dicitur ad pœnitentiam : ita habet oppoſitionem cum alijs attributis diuinis, verbi gratia cum miſericordia, & liberalitate: ergo etiam ob has oppoſitiones plures rationes eſſent conſiderandæ in peccato ſub quibus ab alijs virtutibus poſſet odio haberi , quod tamen nullatenus eſt admittendum.

Secundo . quia ad charitatem pertinet diligere non ſolum diuinam bonitatem , ſed etiam diuinam iuſtitiam , atque cœtera Dei attributa , & in illis complacere ; eadem ſiquidem Charitate diligimus quidquid eſt diligibile ex charitate quatenus ſubeſt rationi diuinæ bonitatis : ergo ad eandem etiam pertinet odio habere peccatum, vt eſt contra iuſtitiam diuinam.

Conſequentia patet, ex axiomatè ſæpius repetito, & ab aduerſarijs admiſſo quod eiuſdem virtutis eſt proſequi bonum proprium, & fugere malum ipſi contrarium. Si autem velit Ricardus obiectum huiuſmodi odij ſpiritualis pertinentis ad pœnitentiam eſſe offenſam, vt oppoſitam diuinæ iuſtitiæ non qualitercumque, niſi ſub ratione expiabilis per ſatisfactionem , coincidit cum noſtra ſententia ad quam ſic benigne interprætatus poteſt reuocari?

21 Ad primum pro prima ſenténtentia ſuſtinenda eſt ſolutio ibi aſsignata ; dummodo motiuum formale proprij actus pœnitentiæ , non in ſola offenſa Dei niſi adiuncta ratione expiabilis per ſatisfactionem conſtituamus , & ſic intellecta ſolutione. *Ocurritur fundamẽtis prima , ac ſecunda opinionis.*

Ad eius impugnationem reſpondetur diſtinguendo conſequens : diſplicentia peccati vt offenſa Dei præciſa omni alia ratione eſt munus charitatis concedo : diſplicentia peccati vt offenſa Dei, tendens ad eius expiationem per modum pœnalis ſatisfactionis eſt munus charitatis nego conſequentiam, quia ſic eſt actus elicitus à pœnitentia, quamuis à charitate imperatus.

Digitized by Google

Ad ſecundum diſtingo maiorem: pro ſecunda parte: vnaquæque virtus triſtatur de malo oppoſito præciſe vt opponitur proprio bono concedo: triſtatur de malo oppoſito ſub ratione offenſæ diuinæ expiabilis per ſatisfactionem nego maior. hoc enim proprium eſt pœnitentiæ in quo ab alijs virtutibus, diſcriminatur.

Ad tertium patebit ex dicendis dubio ſequenti.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur negando antecedens, neque enim omnes virtutes concurrunt ad actum pœnitentiæ, neque ex amore vniuſcuiuſque poteſt oriri odium peccati, niſi quatenus opponitur bono proprio ipſius, huiuſmodi autem odium non imperatiuè, ſed elicitiuè prouenit ab vnaquaque virtute, vt proprius actus ipſius, vtpotè quia eiuſdem virtutis eſt immediatè proſequi bonum proprium, & odio habere malum oppoſitum.

Ad confirmationem reſpondetur ex priori teſtimonio Diui Thomæ ſolum conuinci pœnitentiam participare aliquid de alijs virtutibus Theologicis & moralibus per quamdam ſimilitudinem, & conuenientiam, quam cum omnibus habet, quod longè diuerſum eſt ab hoc, quod eſt eius actum ab actibus omnium aliarum dependere, aut illis ſubordinari.

Ex poſteriori vero ſolum conuincitur actum pœnitentiæ dependere ab illis quinq; motibus à Diuo Thoma enumeratis, qui ſunt actus gratiæ operantis, aut virtutum Theologicarum per quos à Deo præparamur, & excitamur ad actũ pœnitentiæ: quem proinde expedit huiuſmodi motibus ſubordinari.

Dubium ſecundum eſt. An virtus pœnitentiæ, & eius actus præcipuus qui eſt ſupernaturalis dolor deſtruat effectiue peccata mortalia?

22 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem tamquam in dogmate fidei in eo quod pœnitentia infuſa, & eius actus, qui eſt ſupernaturalis dolor perfectaque deteſtatio peccatorum ex adiuncta charitate deſtruit quidem omnia peccata mortalia, vtpotè cum eis incompatibilis (nam de venialibus quo pacto per pœnitẽtiã deleãtur infra erit ſermo): hoc dogma, & communis Theologorũ ſuppoſitio habetur ex omnibus teſtimonijs Scripturæ art. 1. adductis, in quibus commendatur neceſsitas huiuſmodi pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum, tum ex illo Ezech, 18. *Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum,* &c. mediante, ſcilicet actu pœnitentiæ peccatorum deteſtatiuo, & Charitate informato, & Actorum tertio: *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* *Proponitur ſtatus quæſtionis*

Ex quorum priori teſtimonio Patres Concilij Tridentini, ſeſsione decimaquarta, capite decimoquarto, diffiniunt contritionem perfectam hominem Deo reconciliare etiam priuſquam ſacramentum pœnitentiæ actu ſuſcipiatur, propterea quod votum illius in ipſa inc-

ipſa includitur: reconciliatio autem hominis cum Deo non fit ſine remiſsione peccatorum mediante gratia iuſtificante, ad quam diſponere hominem huiuſmodi cõtritionem definiũt ſub anathemate ijdem Patres can. 5. habetur etiam ex teſtimonijs Diu. Thom. nam quæſtion. 28. de veritate art. octauo ad primum, & ad ſecundi habet, contritionem eſſe cauſam remiſsionis culpæ in quantum eſt diſpoſitio ad gratiam, & idem habet 4. contra gentes capite 72. dum ait per contritionem, & offenſa Dei tollitur, & mens à reatu pœnæ æternæ liberatur, & in 4. diſtinct. 14. quæſt. 2. art. primo, quæſtiuncula prima, & quæſt. 86. ſequenti articulo ſexto, dum ait remiſsionem culpæ eſſe effectum pœnitentia non ſolum vt eſt ſacrametum, ſed etiam vt eſt virtus.

Diuiduntur autem vt explicent in quo genere cauſæ actus pœnitentię virtutis concurrat ad remiſsionem peccatorum dicti Auctores in tres ſententias: duas quidem extremas, & aliam mediam. Quarum prima eſt Scoti in 4. diſtinctione 14. quæſtione ſecunda, articulo ſecundo aſſerentis huiuſmodi actũ pœnitentiæ virtutis tantum concurrere diſpoſitiuè ad remiſsionem peccatorum; in quam ſententia inclinat Vazq. in hoc ar. 3. dubio vnico à num. 37. & 12. diſputat. 211. capite ſeptimo, & Suarez diſputat. 8. ſect. 3. illamque inſinuat Ferrara in dicto capite 72. quarti contra gentes, § *iſtis præmiſsis.* Quorum fundamenta ad hæc tria reducuntur,

Primum eſt, quia pęnitentia per ſuum actum tantum concurrit diſpoſitiue ad infuſionem gratię iuſtificantis: ergo & ad remiſsionem culpæ: conſequentia patet, quia eodem genere cauſalitatis concurrit quæuis cauſa ad introductionem alicuius formæ, & ad expulſionem contrariæ: antecedens verò probatur, tũ ex Concilio Tridentino ſeſsione ſexta capite ſexto vbi actibus pœnitentię attribuitur ſola cauſalitas diſpoſitiua ad gratiam, condiſtinguiturque pœnitentia à cœteris cauſis iuſtificationis, nimirùm efficienti, formali & finali, quas numerat Concilium in capite ſequenti.

Tum etiam ex duobus teſtimonijs Diu. Thom. quorum alterum habetur quæſt. 28. de veritate art. octauo ad ſecundũ, vbi poſtquam in prima ſolutione fatetur contritionem prout in voto cõtinet virtutem clauium, effectiue operari remiſsionem culpæ in virtute, ſcilicet ſacramenti pœnitentiæ.

In ſecunda ſubdit in hæc verba; *Vel poteſt dici quod contritio, ad remiſsionem culpæ, quoad reatum pœnæ tẽporalis ſe habet per modum cauſæ efficientis, ſed quantum ad maculam, & reatum pœnæ æternæ, ſe habet ſolum per modum diſpoſitionis*, hæc ille in vltima, ac proinde in veriori ſolutione.

Alterum vero habetur in 1. 2. q. 113. articulo octauo, vbi numerans quatuor quæ in iuſtificatione impij interueniunt nimirùm infuſionem gratię, motum liberi arbitrij in Deum per dilectionem, & motum deteſtationis in peccatum, atque remiſsionem culpæ, inquit infuſionẽ gratiæ tenere ſe ex parte Dei agentis, motus verò illos dilectionis Dei, & deteſtationis in pecccatum tenere ſe ex parte ſubiecti tanquam diſpoſitionem, qua diſponitur ad remiſsionem culpę, vt ad vltimum finem, & terminum huius tranſmutationis: ergo actus pœnitentiæ ſola cauſalitate diſpoſitiua gaudet reſpectu remiſsionis culpæ.

Secundum eſt: nam remiſsio culpæ eſt effectus ſolius gratiæ operantis, ſicut & iuſtificatio impij, vt docet Diuus Thomas quæſt. ſequenti articulo 4, ad 2. & 1. 2. quæſt. 111. art. 2. ſed effectus gratiæ operantis à ſolo Deo mouente per ſuũ auxilium dependet effectiuè, & nullatenus à cooperatione noſtri liberi arbitrij: in hoc enim ab effectu gratiæ cooperantis diſcriminatur, quod ille ab huiuſmodi cooperatione dependet, ſecus autem iſte: ergo remiſsio culpæ nequit dependere effectiuè ab actu pœnitentiæ. Conſequentia patet; nam cum actus pœnitentiæ ſit vſus liberi arbitrij, iam remiſsio culpæ dependeret effectiuè à cooperatione liberi arbitrij, & ſic non eſſet effectus gratiæ operantis, ſed potius cooperantis, vt fatetur D. Thomas in ſolutione ad 3. huius artic. 2.

Tertio arguit Vazquez, nam ſi ob aliquam rationem pœnitentia effectiuè expelleret peccatum, maximè quia eſt virtus generalis habens formalem oppoſitionem cum ômnibus peccatis, quam nulla ſpecialis virtus obtinere poteſt: ob hãc enim rationem videtur Diu. Thom. in ſolutione ad tertium art. 2, tribuere pœnitẽtiæ vim effectiuam ad expellendum peccatum, ſed hæc ratio id non conuincit: ergo: mi-

go, min. patet, nã charitas opponitur omni peccato mortali, & illud expellit tamquam forma incompoſsibilis, & ex hac generali, & immediata oppoſitione non ſequitur illam eſſe virtutem generalem: ergo neq; ex hoc quod pœnitẽtia immediatè opponatur omni peccato, & illud formaliter expellat, ſequitur eſſe generalem virtutem, aut non eſſe ſpecialem.

Sentẽtia Bonauẽt. Durand. Soto

23 Secunda ſententia, quam ſequitur Bonauentura in quarto diſtinctio. 14. articul. 2. quæſtione 1. ad vltim. Durand. ibi, quæſtione ſecunda, & Sot. ibi q. 2. art. 1. & diſtinctione 15. quæſtione 1. articulo ſexto, attribuit pœnitentiæ virtuti, & eius actui nimirùm contritioni cauſalitatem effectiuam phiſicam circa expulſionem peccatorum: virtuti quidem quia phiſicè producit actum contritionis medio quo peccata expelluntur; contritioni verò quia habet vim actiuam circa expulſionem ſui contrarij; cuius ſententiæ fundamẽtum vnicum eſt, quod aliquę formæ ſint quæ licèt in ſuo receptiuo nullum eff. ctum vel diſpoſitionem producant, agunt nihilominus phiſicè in expulſionem contrarij; de quarum numero videtur eſſe actus virtutis pœnitentiæ: ergo phiſicè agit in expulſionem peccatorum: mai. probat Soto exemplo caloris, qui cum forma actiua ſit, effectiuè expellit frigus à ſubiecto: calor inquam ille qui eſt receptus in ſubiecto, & à calefaciente productus, & non ſolum ille qui eſt in calefaciente, in quo diſcriminatur à nigredine quæ cũ ſit qualitas non operatiua formaliter dumtaxat expellit à ſubiecto albedinem propter incompoſibilitatem quam habet cum illa: min. autem probat Bonauent. quia cõtritio eſt actio quædam vitalis, & receſſus à peccato: vitaliter autem recedere à peccato eſt actiue illud expellere: ergo.

Deinde Soto eandem minorẽ probat ex doctrina Diu. Thom. qui in dicto articulo ſexto, concludit remiſsionẽ culpę eſſe effectum pœnitentiæ prout eius actus ordinatur ad claues Eccleſiæ, principalius tamen ſecundum quod eſt ſacramentum, quam ſecundum quod eſt actus virtutis. Et in ſolutione ad primum ſubdit, quod ſicut remiſsio culpę eſt effectus gratiæ operantis, ita etiam motus liberi arbitrij deteſtãtis peccatum: cauſalitas autem virtutis clauium, & gratiæ operantis in remiſsionem culpæ eſt effectiua phiſica, & hanc tribuit Diu. Thom. actui pœnitentiæ, quo adultus extra ſacramentum diſponitur ad gratiam, Vndè 12. quæſt. 113. art. 8. in corpore numerans quatuor quæ in iuſtificatione impij hoc ordine reperiuntur, ſcilicet infuſionem gratię motum dilectionis in Deum, & deteſtationis in peccatum, atque remiſsionem culpæ ad quam tanquam ad finem tota hæc tranſmutatio ordinatur; in ſolutione ad primum ſubdit quod hæc prioritas, qua infuſio gratiæ, & vterque motus liberi arbitrij, ſcilicet in Deum, & in peccatum præcedit remiſsionem culpæ tenet ſe ex parte agentis, quo denotat fundari in cauſalitate actiua, circa expulſionem peccati. Idem etiam innuit Diu. Thom. in ſolut. ad 3, hoc artic. 2. dum ait pœnitentiam expellere omne peccatum effectiuè, in quantum operatur ad deteſtationem illius: ex cuius doctrina eius diſcipuli q. 1. art 2. ſupplementi 3. parte diffiniẽtes cõtritionem dicunt eſſe: *quãdam comminutionem, & annihilationem affectus peccaminoſi*: operari vero ad deſtructionem peccati, & illud comminuere, atque annihilare importat effectiuam phiſicam cauſalitatem: ergo.

Tertio poteſt eadem min. amplius probari ex doctrina eiuſdem Diu. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſtione 24. articulo 10. vbi ait peccatum mortale effectiuè expellere charitatem, quod & nos ibidem explicuimus de phiſica cauſalitate: ergo cũ contritio non habeat minorem vim ad expellendum peccatum, quam peccatum ad expellendam charitatem, conſequens eſt huiuſmodi vim non eſſe denegandam cõtritioni.

Tertia ſententia, & eius modi dicendi.

Tertia ſententia, attribuit pœnitentię virtuti effectiuam cauſalitatem moralem dumtaxat in prima iuſtificatione adulti circa remiſsionem culparum. Ex auctoribus autem huius ſententiæ alij hanc moralem effectiuam cauſalitatem attribuunt ſoli habitui pœnitentiæ, quatenus effectiue ad actũ deteſtationis peccatorũ cõcurrit: de quorum numero eſt Suar, diſput. 8. ſect. 3. aſſerens habitum pœnitẽtię effectiue expellere peccata, quatenus eſt principium effectiuum actus quo homo ſatisfacit pro illis, & de congruo meretur eorũ expulſionem: ſecus vero actum ipſum pœnitentiæ qui eſt ipſa ſatisfactio, ſiue compenſatio formalis: hic enim non effectiuè, ſed formaliter, & ſeipſo reſarcit,

Digitized by Google

ac proinde expellit offenſas. Diſtinguit in ſuper Suar, alium actum pœnitentiæ qui eſt amor ſiue voluntas compenſandi offenſas à quo imperatur contritio, ſiue deteſtatio peccatorum, ac per conſequens quatenus imperatiuè concurrit adhunc ſecundum actum, etiam effectiue moraliter concurrit ad expulſionem peccatorum, nimirùm vt principium quoddam ſatisfaciendi pro illis.

Alijs verò, ex profeſſoribus Diui Thom. placet nedum habitui, ſed etiam actui virtutis, ſcilicet contritioni effectiuã cauſalitatem moralem adſcribere circa peccatorum remiſsionem per modum compenſationis, & ſatisfactionis exhibitę pro illis, pro quorum ſentẽtia, quæ verior eſt, declaratione.

24 Dico primo. Actus pœnitentiæ virtutis quo adultus conuertitur in Deum, & à peccatis recedit non ſolum diſpoſitiua, ſed etiam aliqua effectiua cauſalitate, morali tamen dumtaxat concurrit ad remiſsionem culparum.

Prima conclusio: act⁹ pœnitentiæ habet cauſalitatẽ effectiuã moralem.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, ad cuius oſtenſionem ſupponimus tria. Primum ex his quæ docuimus in materia de charitate, quæſtione 24. artic. 8. dubio 1 nimirùm actus ſupernaturales liberi arbitrij quibus adultus ad ſui iuſtificationem diſponitur concurrere ad gratiæ receptionem, atque remiſsionem culparum in genere cauſæ materialis diſpoſitiuę, ideoque inter diſpoſitiones ad iuſtificationem adulti a Concil. Trident. ſeſsio. 6. cap. allegato motum dilectionis, & contritionis annumerari, ſiue huiuſmodi diſpoſitiones tãtũ moraliter, ſiue ex diuina ordinatione requiſitæ ſint, vt plurib⁹ neothericis placet; ſiue phiſice, hoc eſt, ex natura gratię iuſtificantis petitæ in adultis, vt nos ibi aſſeruimus iuxta communiorem ſententiam Thomiſtarum.

Secundum eſt, ex his quæ docuimus in materia de incarnatione quæſtion. 1. articulo 2. dubio 2, & dubio ſequenti, amplius oſtendemus; actibus ſcilicet pœnitentiæ elicitis ab homine iuſtificato gratia iam informatis ſatisfieri Deo pro pœnis temporalibus, & pro peccatis venialibus: minimè vero pro mortalibus quoad culpam & reatum pœnæ æternæ: cum in homine iam iuſtificato non reperiatur terminus, ſiue materia talis ſatisfactionis, ſcilicet debitum culpæ, aut pœnæ æternæ,

Tertium eſt, ex his quæ ibidem docuimus; nimirùm quod in prima iuſtificatione adulti, ſiue cum reali ſuſceptione ſacramenti pœnitentiæ, ſiue abſque illa fiat, huiuſmodi contritio verè licèt citra æqualitatem ſatisfacit Deo pro peccatis quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ: eo quod licèt ſupponat gratiam iuſtificantem vt auferentem peccatum quoad maculam animæ quę dicitur malum operantis; ſupponitur tamen ad remiſsionem peccati, vt offenſa, & iniuria, quæ dicitur malum Dei, ac proinde remiſsio peccati in ratione offenſæ poteſt eſſe terminus huiuſmodi ſatisfactionis.

His ſuppoſitis probatur noſtra concluſio hac ratione: tunc dicitur agens aliquod effectiuè moraliter expellere aliquam formam, quãdo ponit effectum, aut formam incompoſsibilem cum contrario præexiſtenti, moraliter; ſicut tunc effectiuè phiſicè expellit, quando ponit formam phiſicè incompoſibilem cum præexiſtenti contraria: ſed pœnitentia virtus in prima iuſtificatione adulti producit contritionem moraliter incompoſsibilem cum culpa mortali: ergo illam expellit effectiuè.

Conſequentia eſt nota, & maior inductiuè patet in agentibus naturalibus, quæ inducendo formas ipſis ſimiles in ſubiectis, contrarias corrumpunt effectiuè: minor verò probatur, nam prima contritio qua adultus diſponitur ad gratiam, ſupponit ipſam habitualem gratiam, ac proindè habitum pœnitentiæ infuſum ſimul cum ipſa gratia, ac proindè non eſt cur ab illis non producatur: & aliàs habet vim ſatisfaciendi, qui concurſus moralis eſt: in quo ſenſu dixit Diuus Thomas in dict. ſolutione ad tertium articuli ſecundi pœnitentiam expellere omne peccatum effectiuè.

Huius rationis minorem dupliciter aduerſarij labefactare conantur. Primo, quia ad huiuſmodi actum contritionis quo adultus vltimo ad gratiam diſponitur, neque gratia habitualis, neque virtus pœnitentiæ, aut charitatis præſupponitur vt principium efficiens: nullus enim actus effectiuè prouenit à forma, ad cuius introductionem diſponit, cum operatio ſupponat formam introductam in ſubiecto, & in ſuo eſſe conſtitutam: vndè hanc ſententiam ſupponens Diu. Thom. 1. parte quæſtione 62. art. 2. ad 3, diſtinguit vo-

luntatis triplicem conuerſionem in Deũ: vnam per dilectionem perfectam, quæ eſt creaturæ fruentis Deo ad quam requiritur gratia conſummata; alia, per quam meremur beatitudinem, ad quam præ requiritur habitualis gratia, quæ eſt principium merendi: & tandem aliam conuerſionem per quam homo pręparat ſe ad gratiam habendam, & ad hanc inquit non exigi habitualem gratiam: ſed operationem Dei ad ſe animam conuertentis ſecundum illud Threnorum vltimo: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: igitur dicere huiuſmodi contritionem in prima impij iuſtificatione à dono habitualis gratiæ, aut pœnitentiæ, & non ab auxilio Dei prouenire; & veritati, & Diuo Thomæ contradicit.

25 Secundo, nam admiſſa hac ſententia, adhuc non ſequitur actum pœnitentiæ ſatisfacere pro culpa in ratione offenſæ, & eius remiſſionem habere pro termino, cum potius illam ſupponat; eo quod gratia habitualis per ſe ipſam eſt ſufficiens remittere culpam, vtpote cum eius effectus formalis ſit duplex: primarius quidem iuſtificatio animę, ſecundarius vero remiſſio culpæ: ergo eoipſo quod contritio ſupponat gratiam habitualem & virtutem pœnitentiæ vt principia à quibus oritur, neceſſe eſt vt ſupponat vtrumque effectum formalem gratiæ habitualis, ſcilicet animam iuſtificatam, & à culpa mundatam, cum effectus formalis cuiuſlibet formæ nil aliud quã ſit ipſa forma communicata ſubiecto. Quinimo in naturalibus operari eſt tãtum illius ſubiecti quod præſupponitur per formam, actuatum, & à cõtraria forma expeditum, vt ſubiecti calidi & à frigiditate expediti, eſt calefacere: ita animæ iuſtificatæ, & a culpa expeditæ eſt operari actus ſupernaturales charitatis, ac pœnitentiæ: ergo nihil culpæ relinquitur per hos actus remittendum.

Sed ab vtraque obiectione facile noſtra ratio vindicatur. Ad primam enim dicendum eſt actus dilectionis, & contritionis quibus adultus vltimo diſponitur ad iuſtificationem, & amicitiam diuinam recuperandam, dona habitualia gratię charitatis, & pœnitentiæ præſupponere, vt principia à quibus oriuntur, & hanc eſſe legitimam ſententiam Diu. Thom. conſtat ex tribus teſtimonijs. Tum ex dicta ſolutione ad tertiũ huius articuli ſecundi, vbi aſſerit pœnitentiam virtutem, id eſt, habitualem operari ad deſtructionem peccati & illud effectiuè expellere, media ſcilicèt contritione, quam producit, quod de ſola contritione quà adultus vltimo diſponitur ad iuſtificationem poteſt verificari. Quæcumque enim alia cõtritio elicita ab homine iam iuſtificato per diſcurſum vitæ, nec expellit peccatum, nec deſtruit illud quoàd culpam, cũ ſupponat illam omnino expulſam, ac deſtructam. Tum etiã 1.2. quæſt. 112. art. 2. ad 1. vbi ait quod præparatio hominis ad gratiam habendã, quædam eſt ſimul cum ipſa infuſione gratiæ, & hæc operatio eſt quidem meritoria non gratiæ quæ iam habetur, ſed gloriæ quæ nondum habetur: alia eſt præparatio imperfecta ad gratiam quæ aliquando tẽpore præcedit donum gratiæ iuſtificantis quæ eſt à Deo mouente, & hæc non ſufficit ad meritum, quia nullum meritum eſſe poteſt ſine gratia iuſtificante: ex quo teſtimonio aperte colligitur in ſententia Diu. Thom. hos primos actus dilectionem, & contritionem quibus adultus diſponitur ad gratiam perfecte, præſupponere ipſam habitualem gratiam, & propterea meritorios eſſe nõ gratiæ, quæ iam præſupponitur vt principiũ ipſorum, ſed gloriæ, quæ non ſupponitur, ſed eſt terminus illorum. Et idem habetur quæſtione 113. articulo 8. citato vbi annumerans ea quę ex parte agentis cõcurrunt ad remiſſionem peccati, ait primum locum habere infuſionem gratiæ habitualis, ad quam ſubſequitur huiuſmodi motus liberi arbitrij, dilectionis in Deum, & deteſtationis in peccatum.

Neque oppoſitum habet D. Th. in præallegato loco primæ partis: illa enim tertia conuerſio voluntatis in Deum ad quam inquit non exigi habitualem gratiam, eſt imperfecta per motum timoris ſeruilis, fidei & ſpei, qui tantum remote præparat ad iuſtificationem, ac proinde illam duratione poteſt antecedere, quam diſtinxit Diu. Thom. ibidem, & in teſtimonio ſecundo loco adducto à conuerſione perfecta, & vltimo diſponente ad gratiam in actibus dilectionis, & contritionis conſiſtente, quam vtrobique dixit eſſe meritoriam beatitudinis: & propterea habitualẽ gratiam præſupponere ſaltem in ratione meriti, licet in ratione ſatisfactionis à ſolo auxilio proueniat, quod reductiue dici-

tur

tur virtus pœnitentiæ, de quo ex profeſſo 1.2.q.113.art.8.

Neque ita conueniens eſt, aut naturæ conſentaneum, diſpoſitiones vltimas effectiue prouenire à formis ad quas diſponunt, vt volunt Cano relect. de pœnitent. part. 1 §. *ad ſecundum verò*, & Vazquez 1.2. diſputat. 211. cap. 3.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ſicut in peccato eſt duplex ratio mali, vt ex dub. præallegat. de incarnat. ſupponimus, vna veluti phiſica, quæ eſt macula priuans animam nitore gratiæ, & hæc dicitur malum operantis; alia eſt moralis, ſcilicet offenſa & iniuria, quæ eſt malum Dei, gaudens infinita grauitate ex infinitate diuinæ Maieſtatis offenſæ; ideoque nullus purus homo poteſt pro illa æqualem exhibere Deo ſatisfactionem, bene tamen citra æqualem in actibus pœnitentiæ conſiſtentem quibus ex gratia Dei, & eius gratuita acceptatione malum offenſæ reſarcitur, & compenſatur; ita duplex eſt partialis remiſsio culpæ in conuerſione impij ad Deum: altera quæ fit per formam phiſicam ex natura rei expellentem maculam; & hæc fit per ſolam gratiam habitualem: quam proindè actus contritionis ſupponit: altera eſt moralis, quæ fit per actualem receſſum, ac deteſtationem culpę ſatisfacientem pro illa, qua tollitur ſatisfactoriè, ac per conſequens moraliter malum ofenſæ, & hanc remiſſionem culpæ non ſupponit, ſed potius efficit actus pœnitentiæ, quo adultus diſponitur ad iuſtificationem, & ſub hac diſtinctione, diſtinguendum eſt antecedens argumenti: ſicque manet ratio incõcuſſa.

26 Secunda pars, ſcilicet quod neque habitus, neque actus pœnitentiæ concurrit effectiuè phiſicè ad peccati expulſionem; ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ; & probatur primo: quia nullum agens effectiuè phiſicè expelit aliquam formam, niſi introducendo contrariam in ſubiecto, vel effectum aliquem poſitiuum incompoſibilem cum illa: ſed actus pœnitentiæ, neque effectiue producit gratiam, neque producit alium effectum poſitiuum incompoſsibilem cum peccato: ergo neque effectiue phiſice expellit peccatum: maior præterquã quod inductione probari poteſt; ratione probatur, nam nullum agens intendens ad malum operatur phiſicè: id eſt nullum agens phiſicè concurrit ad ſolam formæ præexiſtentis corruptionem: hác enim ſecundario duntaxat, primario vero formæ poſitiuę introductionem intendit: quapropter teſtè Philoſopho, ſecundo phiſic. textu 70. forma dicitur finis generationis, quia omnis generatio, ſiue phiſica efficientia ad formam producendam, vel vniendam ſubiecto primario ordinatur: ergo cum actus pœnitentiæ ad ſolam expulſionem culpæ, & non ad introductionem formæ contrariæ peccato ordinetur: conſequens eſt non effectiuè ad illam concurrere.

Secundo: quia aut actus pœnitẽtiæ concurrit effectiue phiſice ad expulſionem peccati in ratione maculæ, aut in ratione offenſæ: neque enim alia ratio culpæ in peccato eſt excogitabilis.

Non primum, quia cum macula ſit immediatè in anima: actus verò pœnitentiæ in voluntate, nequit illius expulſionem phiſicè attingere, eo vel maximè quod ex dictis conſtat actum pœnitentiæ ſupponere maculam per gratiam expulſam.

Neque ſecundum, quia cum ratio offenſæ ſit moralis ad quam terminatur actus pœnitentiæ per modum ſatisfactionis, nequit terminare phiſicam eficiẽtiam, ſed tantum ſatisfactoriam; quæ eſt ſpecies efficientiæ moralis. Quod autem neque habitus concurrat phiſice probatur, quia cum habitus per ſuum actum duntaxat concurrat ad expellendam rationem offenſæ ſatisfactorie, quæ moralis eſt: ideò ſolum concurrit effectiue moraliter ad expulſionem peccati, quamuis medio actu, quem phiſicè elicit: quia licet ponat vltimam diſpoſitionem phiſicam, non tamen in virtute formæ diſtinctæ, ac per conſequens inde non ſequitur ponere gratiam phiſicè, aut expulſionẽ maculæ efficere.

27 Dico ſecuudo. Hæc moralis effectiua cauſalitas circa remiſsionem peccati in ratione offenſæ, conuenit non ſolum habitui; ſed etiam actui pœnitentiæ. *2. Concluſio, hæc cauſalitas effectiua circa remiſsionẽ peccati in ratione offẽſæ conuenit actui pœnitentiæ.*

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus primum modum defendendi contrariam ſententiam: & probatur, nam moralis efficientia, alicuius effectus in eo conſiſtit, quod cauſa moralis moueat voluntatem agentis in cuius poteſtate eſt poſitio talis effectus, vt intuitu illius ponat

illum in re: quo pacto paſsio Chriſti fuit cauſa meritoria, & ſatisfactoria noſtræ ſalutis: & propterea effectiua moralis illius vt oſtendit Diu. Thom. ſupra quæſtion. 48. artic. 6. eo quod fuit ipſa actualis ſatisfactio, & meritũ noſtræ ſalutis, intuitu cuius tanquam condigni prætij Deus eam nobis contulit.

Et noſtrum meritum beatitudinis eſt cauſa moralis effectiua illius quia mouet diuinam voluntatem vt in remunerationem ipſius eam nobis impartiatur: eademquè ratione ſatisfactio quà inter homines vnus compenſat iniuriam alteri illatam moraliter efficit relaxationem iniuriæ; quia mouet voluntatem offenſi ad huiuſmodi relaxationem: ſed non ſolum habitus pœnitentiæ quatenus exhibet media contritione compeſationem offenſæ diuinæ, ſed etiam contritio ipſa, quę eſt actualis ſatisfactio & compenſatio mouet diuinam voluntatem, vt intuitu illius relaxet offenſam: ergo moraliter effectiuè concurrit ad offenſæ remiſsionem.

Confirmatur, nam vt admittit Suarez: actus qui eſt expreſſa voluntas compenſandi, quia imperat actui doloris, ac deteſtationis, effectiuè expellit peccatũ; ſed eiuſdem rationis ſunt omnes actus pœnitentiæ, imo contritio eſt omnium perfectiſsimus: ergo eiuſdem concurſus effectiui eſt particeps.

Dices: nullum eſſe diſcrimen à D. Thom. aſsignatum in dicta ſolutione ad 3. inter actum & habitum charitatis ex vna parte, & habitum, atque actum pœnitentiæ ex alia, ſiquidem pariformiter habitus, & actus charitatis effectiuè moraliter concurrit ad expellendum omne peccatum mortale, habitus quidem, quia producit pro illo priori quo adultus vltimo diſponitur ad remiſsionem peccatorum actũ dilectionis liberum, qui eſt diſpoſitio incompoſsibilis cum peccato præexiſtenti: actus verò, quia etiam ſupernaturalis dilectio Dei eſt ſatisfactoria pro offenſa non minus quam dolor elicitus à pœnitentia, nec minus mouet diuinam voluntatem, vt intuitu illius remittat offenſam: immerito ergo aſsignat Diu. Thom. diſcrimen inter virtutem charitatis, & virtutem pœnitentiæ, atque inter vtriuſque actus, attribuendo huic vim effectiuam expellendi peccata, quam denegat illi.

28 Huic nihilominus objectioni dicendum eſt: quod conſtans eſt diſcrimen a Diu. Thom. aſsignatum, tam inter habitus charitatis, & pœnitentiæ, quam inter actus: inter habitus quidem, quia licet habitus charitatis in prima iuſtificatione producat actum dilectionis incompoſsibilem cum peccato præexiſtenti: nõ tamen operatur ex proprio motiuo ad deſtructionem illius, non enim operatur ad deſtructionem peccati quo ad maculam: quia ſecundum hanc rationem peccatum expellitur à ſola gratia formaliter: effectiue vero a ſolo Deo infundente gratiam extra ſacramentum: à charitate vero, & eius actu diſpoſitiuè, quia ſunt duæ diſpoſitiones per modum vnius.

Neque operatur ad deſtructionem peccati, quoad rationẽ offenſæ, quia hæc non tollitur niſi per actum ſatisfactionis, & compenſationis: charitas autem non operatur ex motiuo ſatisfaciendi, & compenſandi: cum hoc ſit proprium motiuum pœnitentiæ.

Inter actus vero, quia licet actus charitatis, quatenus ſit in motiuo pœnitentiæ ſit ſatisfactorius, ſicut & quilibet actus alterius virtutis, & ſic effectiue moraliter expellat peccatum, non tamen in ratione offenſæ, ſed tantum quoad pœnas temporales: & hoc habet per accidens quatenus ſubſternitur motiuo extrinſeco, ſcilicet pœnitentiæ: nam ex proprio motiuo ſolum habet diligere Deum ſuper omnia ex complacentia diuinæ bonitatis, ex qua etiã habet odio habere cõſequẽter quodcũque peccatum, ſiue proprium, ſiue alienũ, ſiue præteritum, ſiue futurum, vt abſolute opponitur diuinæ bonitati: actus vero pœnitentiæ per ſe & formaliter ex proprio motiuo habet deteſtari peccatum proprium pœnitentis, vt præteritum, & iam commiſſum ſub ratione offenſæ illatæ Deo compenſabiliſquè per noſtros actus, & propterea ſolus actus pœnitentiæ per ſe, & formaliter habet effectiue moraliter deſtruere peccatum, quo ad rationem offenſæ; ſicut ſolus ille per ſe, & formaliter ex proprio motiuo habet rationem ſatisfactionis. Actus autem dilectionis ſi conſideretur ſecundum ſe, & ex proprijs charitatis pro illo priori quo adultus iuſtificatur non mouet diuinam voluntatem, vt intuitu illius infundat gratiam, aut expellat maculam, ſed ſupponit voluntatem diuinam iam motam, & tantum diſponit homi-

Digitized by Google

hominem, vt recipiat gratiam, & amittat maculam ex infuſione diuinæ voluntatis neque mouet illam vt intuitu ipſius remittat offenſam; quoniam Deus adultis non remittit offenſam, niſi ob propriam ſatisfactionem, quam in ſolis actibus pœnitentiæ, vel elicitis, vel imperatis exhibeant, eo vel maximè quod ille actus charitatis, non ſubordinatur pœnitentiæ actui, ſed potius ſubordinat illum ſibi: & propterea pro illo priori nullatenus eſt ſatisfactorius pro offenſa.

Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. Ad primum pro prima ſententia, admiſſo antecedenti, nego conſequentiam ſi conſequens intelligatur de remiſsione culpæ quo ad rationem offenſæ: hec enim fit medio actu ſatisfactorio, qui gaudet morali efficientia.

29 Neque huic ſolutioni obſtat illa, quam Diu. Thom. in 2. loco adhibet ad ſecundũ articuli citati de Veritate, dum enim actui contritionis ibi attribuit tantum cauſalitatem diſpoſitiuam, ly *tantum* non excludit à concomitantibus: ac proinde neque excludit à morali efficientia; quæ cauſalitatem diſpoſitiuam in contritione concomitatur, vtpotè quæ ex ſua natura eſt ſatisfactoria pro peccatis.

Dices: in illa ſolutione D. Thom. eandem efficientiam denegat contritioni circa remiſsionem maculæ & reatus pœnæ æternæ, quam ei attribuit circa remiſsionem pœnæ temporalis: ergo cum hæc non ſit phiſica, ſed moralis ſatisfactoria, conſequens eſt quod hanc denegat cõtritioni. Sed ad hoc dicendum eſt vno ex duobus modis, vel quod Diu. Thom. tantum denegat contritioni efficientiam moralem ad remiſsionem peccati, quoad maculam, & reatum pœnæ æternæ, quatenus hic ad illã conſequitur, cum quo ſtat, quod contritio habeat moralem efficientiam ad remiſsionem peccati quoad rationem offenſæ, & reatum pœnæ æternæ, quatenus ad offenſam cõſequitur: cũ enim culpa ex d[u]ob[us] malis, operatis, ſcilicet, & Dei, hoc eſt macula, & offenſa integretur; ad vtrũque poteſt reatus pœnæ æternæ habere reſpectum tamquam quid ex vtroque cõſecutum.

Sed quia verius eſt reatum pœnæ æternæ ad rationem offenſæ ſolius conſequi ideò dicendum eſt ſecundo, quod dictio excluſiua *tantum*, qua vtitur D. Tho. dum aſſerit contritionem tantum concurrere diſpoſitiuè ad remiſsionem peccati, quoad maculam, & reatum pœnæ æternæ fertur in ſolum copulatum, ſiue complexum; ita vt ſenſus ſit quod reſpectu expulſionis maculæ, & ſimul reatus pœnæ æternæ non concurrit effectiuè: cũ quo tamen ſtat quod reſpectu vnius partis cõplexi, nimirum reſpectu remiſsionis prædicti reatus, ſicut reſpectu offenſæ ad quã ſequitur habeat contritio effectiuam moralem cauſalitatem. Vel tertio ſi malueris Diuum Thomam in hoc art. illam correxiſſe ſolutionem.

Ad ſecundum nego conſequentiam, nam etiam prima illa contritio, & dilectio, quibus adultus in prima ſui iuſtificatione conuertitur, ſunt effectus gratiæ operantis, vt docet Diu. Thom. quæſtione ſequenti art. 6. ad 1. Neque oppoſitum docet in dicta ſolutione ad tertium huius articuli, dum ait pœnitentiam expellere effectiuè omne peccatum quatenus eſt remiſsibile ex diuina gratia homine cooperante: dictio enim illa *cooperante*, idem valet, atque ſimul operantè cum diuina gratia; pro illo enim priori liberum arbitrium hominis mouetur à Deo ad prædictos actus per habitualia dona gratiæ charitatis & pœnitentiæ, quatenus habent modũ auxilij Dum pro eo priori tenet ſe ex parte Dei infundentis, & conſiderantur in fieri, vt ſubſunt actuali ipſorum infuſioni vt Diu, Thom. inſinuat in locis præallegatis: aut iuxta aliorũ placitum mouetur pro illo tunc ad prædictos actus pro auxilia actualia eiuſdem ordinis, ac rationis cum prædictis donis habitualibus.

Ad tertium Vazquez ex ſimulata pietate in ſcholæ parentem, intendens explicare eius mentem in dictà ſolutione ad tertium, tum in loco in argumento alegato, tum etiam prima ſecundæ diſputat. citata 211. duo dicit.

Alterum quidem quod D. Thomã dum cauſalitatem effectiuam ad expellendum omne peccatum attribuit pœnitentiæ de ſolo habitu, & non de actu intelligendus eſt: vtpotè quia ſolus habitus efficiendo actualem receſſum, ac deteſtationem expellit peccatum, actus verò nihil efficiendo: ſed ſe ipſo, & per modum formalis receſsus expellit illud.

Alterum eſt, quod ſolutio Diu. Thom. non ſatisfacit intento argumenti ob inſtantiam adductam de virtute charitatis

tatis, quæ omne peccatum expellit & nihilominus eſt virtus particularis, quia reſpicit omne peccatum ſub ratione ſpeciali, nimirum contrarietatis ad bonitatem diuinam, ac proindè faciliorem ſolutionem adhibuiſſet Diu. Thom. ſi dixiſſet pœnitentiam eſſe virtutem particularem quamuis expellat omne peccatum ſiue formaliter, ſiue effectiuè quia ſub ſpeciali motiuo illud expellit.

Sed vtrumque dictum conuincitur falſitatis; primum quidem ex ratione facta pro ſecunda concluſione quæ efficaciter probat cauſalitatem effectiuam non qualemcunque, ſed moralem duntaxat habitui, & actui pœnitentiæ ad expulſionem peccati in ratione offenſæ conuenire quod Vazq. non diſtinxit.

Neque cauſam efficientem moralem debere producere aliquid poſsitiuum, ſed immediate poſſe terminare ad deſtructionem peccati quæ bonum quodam morale eſt, ſatis ex eadem liquet.

Secundum vero, quia motiuum ſpeciale pœnitentiæ non potuit congruẽtius explicari quam ſub illis verbis Diu. Thom. nimirum pœnitentia expellit omne peccatum effectiue, c&, ſub quibus explicatur pœnitentiam operari ad deſtructionem peccati ſuis actibus ſatisfactorie ac reſpiciendo illud quatenus eſt offenſa compenſabilis, ſub qua ratione petit ſatisfactorium concurſum, & hoc eſt peccatũ expelli effectiuè moraliter.

Vnde ad argumentum admiſſa maiori nego minorem, ad cuius probationem nego conſequentiam: nam ſi virtus pęnitentiæ oponeretur omni peccato formaliter dumtaxat, & illud ſic expelleret, non reſpiceret omne peccatum ſub ſpeciali motiuo cõpẽſabilis, ſed vel ſub rationibus particularibus, ſub quibus ſingulæ ſpecies peccatorum virtutibus particularibus contrariãtur, vel ſub ratione communi contrarietatis ad diuinam bonitatem; vel contrarietatis ad obedientiam mandatorum; & ſi primo modo eſſet quidem generica ratio virtutis: ſi ſecundo modo eſſet idem cum charitate: & ſi tertio modo eſſet idem cum obedientia; a quibus propterea diſcriminatur; quia reſpicit omnia peccata, vt deſtruenda ſatisfactorie, in quantum poteſt hoc eſſe, vel quoad pęnam temporalem, vel quoad culpam in ratione offenſæ quando illam non ſupponit remiſſam, vt contingit in prima impij iuſtificatione: quod preſtare non poteſt niſi reſpiciẽdo peccata ſub ſpeciali ratione cõpenſabilis. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, nego maiorẽ: ad probationem reſpondetur nullam formam expellere efectiue contrariam à ſubiecto in quo recipitur ſed tantum formaliter, eo quod nullum cõtrarium expellit efectiuè reliquum niſi producendo effectum incompoſsibilem cum illo, & hoc nequit efficere forma in ſuo receptiuo reſpectu cuius tãtũ habet cauſalitatem formalem, nimirum ſe ipſa informando, & reducendo ad actualitatẽ ſui effectus formalis. Et quidquid ſit de maiori neganda eſt minor, ad cuius probationem dicendum eſt; quod licet contritio ſit actio vitalis tamen effectus quem ſe ipſa præſtat, formaliter aut diſpoſitiue tantum præſtatur, oppoſitumquè huius alienum eſſe à vera philoſophia oſtendit Caiet. 1. p. q. 2. art. 3. circa ſolutionem primi; & cùm contritio nullũ effectum producat actiue in compoſsibilem cum peccato in anima ſiue in volũtate: hinc eſt quod neq; in illa phiſicè efficiat remiſsionẽ peccati.

Ocurritur argumentis ſecundæ ſẽtentiæ.

Neque oppoſitum conuincunt teſtimonia aducta ex D. Thom. in duobus enim prioribus tantum innuit efficiẽtiam moralem conuenire actui pœnitentiæ, extra ſacramentũ in re ſuſceptũ nã prout talis actus eſt pars Sacramẽti in re ſuſcepti etiã habet vim effectiuã phiſicã inſtrumẽtalẽ, ad remiſsionem peccati & productionem gratiæ iuſtificantis, inquãtũ totũ Sacramentum cum ſuis partibus eſt inſtrumentum diuinæ virtutis: Imò temporibus D. Thom. forte probabilis erat opinio aſſerentium contritionem prout in voto continet Sacramentum pœnitentię participare virtutem clauium ſiue ſacramentalem; ratione cuius effectiue phiſice concurreret ad remiſsionem peccati: hac enim ratione D. Th. in dicta prima ſolutione ad ſecũdũ a. citatũ de veritate attribuit huiuſmodi effectiuam cauſalitatem cõtritioni circa remiſsionem peccati, & hanc inſinuat eſſe phiſicam, dum appellat illam ſacramentalem id eſt, conuenientem contritioni, non ſecundum ſe, & vt eſt à virtutẽ ſed ex Sacramento pœnitentię cui in voto, ſiue virtualiter ſub ordinatur: ſed quia neq; ibi hanc ſolutionẽ retinet D. Thom. neque in alio loco confirmat, exiſtimandum eſt illam iam à bolitam eſſe à ſchola

Theo-

Theologorum: idemque iudicium faciendum eſt de ſecunda ſententia.

Ex tertio vero teſtimonio ſolum colligitur actum pœnitentiæ in primo inſtāti iuſtificationis adulti tenere ſe ex parte agentis; quia deſeruit Deo infundenti gratiam vt medio illo remittat peccatum: hoc autem longè diuerſum eſt ab eo quod eſt ipſum actum effectiuè cauſare remiſſionem peccati: cum etiam gratia ſit primum quod tenet ſe ex parte Dei agentis vt ibidem fatetur Diu. Thom. & tamen non cauſat effectiuè, ſed tantum formaliter remiſsionem peccati quoad maculam.

Neque amplius conuincitur ex quarto & quinto; Ad ſextū vero loco cōfirmationis adductum, nego conſequenciam ob diuerſam rationem, quæ verſatur inter peccatum, & contritionem diuerſumque modum expellendi ſuum contrariū, in vtroque, licèt in genere proprio vnius & alterius cauſalitatis ęquali efficacia gaudentem: peccatum enim producit actiuè in anima effectum oppoſitum gratiæ, ſcilicet maculam, ſiue poſitiuus, & realis; ſiue dūtaxat priuatiuus, & propterea deſtruit gratiam & charitatem effectiuè phiſicè: contritio verò cum nullum effectum oppoſitum peccato producat, non poteſt illud effectiuè phiſicè expellere.

Dubium tertium eſt. An virtus pœnitentiæ ſit ſpecies, & pars ſubiectiua iuſtitiæ?

explicatur titul⁹ dubij 31 IN hoc dubio quōd ad indagandum genus proximum vltimamque differentiam pęnitentiæ ex quibus conſtat eius propria ratio ſpecifica inſtituitur, omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eoquod virtus pœnitentiæ non eſt Theologica eoquod eius immediatum obiectū non eſt Deus, ſed eſt peccatum vt compēſabile: cum tamen teſte Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 62. artic. 1. hæc ſit propria & eſſentialis conditio virtutum theologicarū vt Deum habeant pro obiecto immediato: illumquè reſpiciant in rectò, vt finem qui & non tantùm in obliquo, & vt finem cui quatenus eius finis qui & obiectū immediatum eſt cultus Deo exhibendus: & ob eandem rationem in hoc art. 3. ad 1. & in 4. diſtinct. 14. art. 1. quæſt. 1. art. 4. excludit pœnitentiam, quia eius immediatū obiectū non eſt Deus, ſed compēſatio pro peccatis Deo exhibenda: in quo Deus ſe habet, tantum vt finis cui: ac proinde ex eodem theologorum communi conſenſu pœnitentia ponitur in ſerie virtutū moralium, non qualiumcunque, ſed earum quę ſunt ad alterum, & communi nomine iuſtitiæ vocatur ſiue ſint ſpecies & partes ſubiectiuæ iuſtitiæ ſtrictè dictæ, ſiue ſint partes potentiales reductiue duntaxat, ad iuſtitiam pertinentes.

Theologorum placita, ſententia Dur. Scoti, Molinæ, & eorum diſcrimen. In explicando autem inquo genere iſtarum partium iuſtitiæ colocetur pœnitencia, & quam ſpeciem coſtituat, diſcrinatur theologi in tres ſentencias. Prima aſſerentiū illam eſſe ſpeciem, & partem ſubiectiuam iuſtitiæ ſtrictè dictæ: ita Gabiel. in 4. diſt. 14. art. 3. dub. 3. Dur. 6. q. 2. & Scotus ibi §. articulus 1. & Molina 1. p. q. 21. cum hoc tamē diſcrimine quod Gabriel exiſtimat illā eſſe iuſtitiam diſtributiuam; cuius fundamentum eſt: quia primarius actus pœnitentiæ nimirùm vindicare iniuriam Deo factam per peccatū, eſt reddere debitū ſuplicium peccato, qui eſt actus iuſtitię diſtributiuæ: ſi quidem proprium huius virtutis munus eſt, præmia virtutibus, & ſuplicia culpis debita reddere: ergo cum in primario actu concurrat pœnitentia cum iuſtitia diſtributiua, ſignum euidens eſt illam ab iſta non diſtinguit. Dur. verò exiſtimat illam non diſtingui à iuſtitia commutatiua: cuius munus eſt reddere vnicuiquè quòd ſuum eſt: idquè probat dupliciter: primò, quia ad iuſtitiam commutatiuam proprie pertinet, reddere vnicuiquè ſiue Deo ſiue homini, quod ſuum eſt: ergo ad illam pertinet reddere Deo debitam obedientiā mandatorum, & debitum honorem, atquè dibitam ſatisfactionem pro peccato, quo fit alicuius pręcepti trāſgreſio: ergo cū proprius actus pœnitentiæ ſit ſatisfacere Deo pro peccato, conſequēs eſt eandem virtutem, eſſe pœnitentiam cum iuſtitia commutatiua. Vtraquè conſequentia eſt nota.

Et

Digitized by Google

Et antecedens probatur quia ratio hæc reddendi vnicuique ſiue Deo, ſiue homini debitum; eſt vna & eiuſdem conueniẽtiæ & honeſtatis: ergo nõ eſt cur nõ poſsit pertinere ad eandem virtutem, & illam ſpecificare.

Secundo, ab inconuenienti: nimirum quod qui frequentius peccaret, & ageret pœnitentiam maiorem haberet pœnitentiæ virtutem, ac proinde ſtudioſior eſſet: quod non eſt admittendum: ergo neque admittendum eſt pœnitentiam ita eſſe ſpecialem virtutem a iuſtitia commutatiua diſtinctam, vt eius adæquatus, & primarius actus ſit pœnitere, & non potius reddere vniuſcuiuſque debitum.

32 Scotus denique vult pœnitentiam a iuſtitia punitiua, ſiue vindicatiua non diſtingui, quam exiſtimat eſſe veræ ſpeciem ac partem iuſtitiæ ſubiectiuam ſtrictè dictæ, & non ſolum potentialem, eo quod primarius actus pænitentiæ eſt quo pœnitens vt diuinæ iuſtitiæ miniſter in ſeipſo punit, & vindicat iniuriam Deo irrogatam quod eſt munus iuſtitiæ vindicatiuæ: & aliàs in huiuſmodi punitione reddit Deo æquale ſimpliciter: ergo eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ a iuſto ſimpliciter non deficiens eadem quidem cum iuſtitia vindicatiua. Minor patet quia per huiuſmodi actum punitionis fit ſatisfactio Deo duntaxat pro pœnis temporalibus relictis remiſſa culpa: pro quibus ſatisfacit homo exiſtens in gratia ad æqualitatem non minus quam pro venialibus: vt ex dicto articulo ſecundo de incarnatione, dubio quarto ſupponimus: & manifeſte colligitur Iob ſexto. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quã patior in ſtatera: quaſi arena maris hæc grauior appareret*: ergo.

Sententia Caiet. Ioãnis Vincẽt. & Suarij.

33 Secunda ſẽtẽtia eſt Caietani in hoc articulo ſecundo, §. *Ad euidentiam huius*, aſſerentis pœnitentiam eſſe partem potentialem iuſtitiæ, eamdemquè cum religione. Cui ſubſcribunt Vincentius in relectione, quæſtione quinta, articulo 2. dubio 10. pagina 274. & Suarius diſputatione 7, ſectione 2. Illamque ſuadent dupliciter.

Primo quoniam actus primarius, tam interior, quam exterior pœnitentiæ prouenit immediatè a virtute religionis: ſiquidem actus exterior religionis eſt quo diuinam excellentiam, & noſtram ſummiſsionem erga Deum profitemur: interior autem eſt ſummiſsio ipſa noſtri erga Deum; ſed vterquè actus eſt pœnitentiæ: ergo. Minor patet: quia in tribus conſiſtit compenſatio, ſcilicet in diſplicentia offenſæ, ſummiſsione interiori ſui ad Deum, & confeſsione exteriori peccati: ſed ex his primus actus eſt a charitate: ſecundus & tertius ſunt a religione: ergo. Maior oſtenditur, nam qui confitetur Deo aduerſum ſe iniuſtitiam ſuam, interius ſummittit ſe Deo & confeſsione vocali ſubiectionem ſuam profitetur ſimul & excellentiam diuinam cui ſe ſummittit: cuius omnipotentia parcendo manifeſtatur, & cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: vt Eccleſia canit: ergo.

Secundo, quia eadem præcepta de actibus religionis, atque de huiuſmodi actibus pœnitentiæ compenſatiuis pro peccato dantur: ergo actus ſunt idem ac per conſequens ab eadem virtute: conſequentia patet, cum de actibus virtutum dentur pręcepta, de eiſdem actibus eadem debent eſſe præcepta: antecedens autem probatur, nam præcepta religionis ſunt de ſacrificijs & orationibus pro peccatis quibus formaliter expiantur & compenſantur peccata & propterea Dauid Pſalmo 50. *Cor contritum & humiliatum*, quod eſt ipſa emenda & compenſatio pro peccato, ſacrificium appellat quod formaliter eſt actus religionis: ergo.

Tertia ſententia aſſerit pœnitentiam eſſe partem quandam non quidem ſubiectiuam iuſtitiæ, ſed potentialem duntaxat à religione nihilominus diſtinctam: ita Diu. Thom. in hoc art. Ricardus in 4. d. citata. ar. 2. q. 2. Capreol. & Argentina ibi q. 1. Soto q. 2. art. 3. Valentia in dicta diſp. 7. quæſt. 2. parte 1. concluſ. 4. & Vazq. dub. vnic. hic art. 3. & 1. p. diſput. 85. cap. 4. 1. 2. diſput. 203. & tomo 1. in 3. p. diſp. 2. cap. 2. & 6. atque Ferrara 4. contra gẽ. c. 54. Bannes 1. p. q. 2. art. 4. Nuño in h. a. 3. dub. 2. & Nazar. in 3. p. controu. 2. & 6. pro cuius declaratione.

Dico primo. Pœnitentia non eſt pars aut aliqua ſpecies ſubiectiua iuſtitiæ ſtrictè dictæ. Hæc cõcluſ. ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ: & prob. primo quia noſtri apud Deũ nequit eſſe iuſtum ſimpliciter, vt in h. art. & ſup. q. 1. art. 2. ad 2. & 1. 2. quæſt. vlt. a. 1. probat Diu. Tho. ob rationes, ob quas q. 1. de incarn. art. 2. dub. quinto oſtendimus ſatisfactionem puri hominis quãtũuis gratiæ donis *Mẽs auctoris: pœnitẽtia nõ eſt ſpecies aut pars ſubiectiua iuſtitiæ.*

 exorn-

exornati pro culpa mortali non poſſe eſſe ad æqualitatem, aut de rigore iuſtitiæ: vbi autem deeſt perfecta æqualitas, & iuſtum ſimpliciter neceſſe eſt deficere iuſtitiam proprie dictam vtpotè cum illud ſit huius obiectum: ergo cum pœnitentia in reſarciendis, & compenſandis offenſis Deo irrogatis reſpiciat ipſum Deum, vt obiectum nequit eſſe perfecta iuſtitia.

34 Secundo probatur: nam primus eius actus ſcilicet prima contritio in illo qui per proprios actus iuſtificatur eſt ſatisfactoria, & compenſatiua pro culpa mortali non ſolum aptitudinaliter, & in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo, ita vt ſit actualis ſatisfactio, & compenſatio pro peccato mortali, quod propterea diximus ſuperius effectiue moraliter deſtrui in ratione offenſæ à contritione; cum virtus pœnitentiæ ex ſua natura ſit ad ſatisfaciendum, & compenſandum pro peccatis ordinata: illaque reſpiciat vt compenſabilia non tantum quoad pœnas, ſed etiam quoad culpas. conſequens eſt vt quando ſuis actibus reſpicit culpam reſpiciat illã ſub ratione compenſabilis: cuius proinde actus erit actualis compenſatio; taliſque debet eſſe prima contritio, qua pœnitens in primo inſtanti ſuæ iuſtificationis verſatur circa culpam mortalem deteſtando illam: alioquin huiuſmodi potentia pœnitentię compenſatiuæ pro peccatis mortalibus quoad culpam nunquam eſſet ad actum ſecundum de lege ordinaria reducibilis: ſiquidem poſt tranſactum inſtans iuſtificationis nulla manet culpa mortalis in adulto per actum pœnitentiæ delenda: ſed ſatisfactio hæc nequit exequare offenſam: ergo deficit ab æqualitate, quam petit iuſtitia perfecta & proprie dicta: minor patet, quia vel offenſa mortalis habet grauitatem infinitam, vt oſtendimus quæſtione prima de incarnat. art. 2, dub. 3. vel habet grauitatem ſuperioris ordinis ex maieſtate Deitatis offenſa vt aliquibus iunioribus Theologis placet, ob quam nequit exequari à ſatisfactione puri hominis: cuius dignitas neque eſt infinita neque ordinis ſuperioris ad gratiam iuſtificantem, vtpotè quæ non immediate deriuatur à Deo, ſed à gratia quæ eſt forma quædam creata, & Deitatis participatio: præterquamquod etiam huiuſmodi ſatisfactionis valor pro offenſa innititur acceptationi diuinæ, & gratiæ concomitanti ipſius Dei offenſi: dignificatur enim prima contritio à gratia iuſtificante prout habet modum auxilij actualis, & quatenus terminat actualem infuſionem Dei, eſtque effectus gratiæ operantis: ob quam rationem deficit a perfectione iuſtæ ſatisfactionis, quæ inter alias conditiones requirit iſtam, nimirùm quod gratiæ actuali, ſiue concomitanti creditoris, vel offenſi non innitatur, cuiuſque aceptatione non indigeat vt docuimus in dicto art. de incarn. dub. 4.

Tertio probatur labefactando ſingulos modos defendendi perfectam rationem iuſtitiæ in virtute pœnitentiæ, & eius actibus: & primus quidem ex prædictis duabus rationibus manet ſufficienter impugnatus: quia cum noſtri erga Deum non ſit iuſtum ſimpliciter quale eſt commutatiuum, quod teſte Ariſtot. 5. ethic. capit. 4 verſatur inter ęquales requirit cõmunicationem in datis, & acceptis, atque ex ratione ſui obiecti reſpicit ius creaturæ exæquabile ſecundum effectum, ęqualitate, nimirum rei ad rem: propterea quod dicitur a Philoſopho 8. ethicor. capite 5. conſiſtere in contrapaſſo: quæ conditiones deficiunt inter Deum & homines, cum totum eſſe hominum dependeat, acceptumque ſit a Deo: omniaquè hominum bona ſint ipſius Dei ad quẽ ſicut ſerui ad Dominum & filij nondum emancipati ad patrem homines comparantur: ac proinde ſicut inter ſeruos & dominos, atque inter filios, & patrem, ita inter homines & Deum nequit eſſe æqualitas ad iuſtitiam commutatiuam requiſita: neque datur inter illos talis bonorum communicatio in datis & acceptis, quis enim primum dedit illi, & retribuetur ei? ait Paulus Roman. 11. neque ius & debitum Dei ortum ex offenſis eſt ius aut debitum creaturæ, ſed eſt excellentius omni iure, & debito creaturæ: ac proinde noſtris actibus non eſt ſecundum effectum exæquabile: ergo pœnitentia ad quam pertinet debitam compenſationem Deo exhibere pro offenſis nequit eſſe iuſtitia commutatiua.

Secundus verò ex eo improbatur: quia iuſtitia diſtributiua, teſtè Philoſoph. 5. ethicor. cap. tertio ex parte obiecti formalis reſpicit bonum commune, vt debitum diſtribuendum inter multos qui ſunt partes communitatis ſecundum æqualitatem geometricam, ſiue propor-

proportionis quæ non eſt vnius ad vnum ſed plurium ad plures: ſatisfactio autem elicita à penitentia reſpicit debitum ſolius Dei ortum ex peccato ſiue offenſa perſonali ipſius pœnitentis, in cuius compenſatione tantum ſeruatur proportio vnius ad vnum: ergo nequit eſſe actus iuſtitiæ di. diſtributiuę.

Et tandem tertius deficit propter duo, tum quia iuſtitia vindicatiua ſpecialiter ſumpta admiſſo quod eius actus eſſet punitio & vindicta, quam de peccatis accipit pœnitens in ſeipſo, non eſt pars ſubiectiua, hoc eſt, ſpecies iuſtitiæ, ſtricte dictæ: ſed tantum adiuncta, & potentialis vt probat ex ſententia Iulij, & Andronij Diu. Thom. 2. 2. quæſtione 80. art. vni. & quæſtione 108. articulo ſecundo, eo quod ſicut recompenſatio debiti legalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, recompenſatio autem debiti moralis orti ex particulari beneficio exhibito pertinet ad gratitudinem quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ, vtpotè deficiens a ratione debiti: ita etiam retributio pœnarum pro peccatis in iudice, qui ex debito legali ad illam tenetur, eſt actus iuſtitię commutatiuę: in perſona autem priuata quæ petit vindictá & à qua iniuria propulſatur: vindicatio eſt actus iuſtitiæ vindicatiuę, quę cum deficiat a ratione debiti legalis etiam deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, ac proinde eſt pars illius potentialis.

35 Neque obſtat quod pro Scoto adducit Vazqu. vbi ſupra dicens vindictam, tam in iudice infligente pœnas quá in perſona priuata illam iuſte exigente eſſe commutatiuum iuſtum; quia eſt iuſtum ſimpliciter, ac debitum quod ſibi expetit perſona priuata ad propulſandam iniuriá quamuis ad id exigendum ex obligatione legali non teneatur: ſicut neque tenetur creditor petere debitum pecuniarum, neque mutuator tenetur petere mutuo datum, & tamen iſti verè ſunt actus iuſtitiæ commutatiuæ.

Non inquam obſtat: quia teſtè Philoſoph. 8. ethic. capit. 10. debitum legale eſt quod attendit iuſtitia proprie dicta: quia ad illud reddendum aliquis lege aſtringitur: vndè cum ad reddēdum pecuniam acceptam a creditore, ſiue mutuo acceptam à mutuatore teneatur homo ex lege: hinc eſt huiuſmodi debitum eſſe legale, ac proinde non deficere à iuſto commutatiuo, quamuis ex parte alterius extremi nimirum dantis pecuniam non ſit legalis obligatio ad illam poſtulandam: debitum autem vindictæ, & propulſandæ iniuriæ in perſona priuata vtrimque eſt morale duntaxat & ex honeſtate virtutis petitū, quia neque offenſus ad illud exigendū, neque offendens ad illud exhibendū ex proprio motiuo tenetur legali obligatione: ſed duntaxat ex virtutis honeſtate: ac proindè deficit huiuſmodi vindicatio in perſona priuata a debito legali; & iuſtitia vindicatiua a ratione iuſtitiæ propria, quam differentiam facile colegiſſet Vazquius ex prædicto articulo vnico quæſtione 80. ſi attente legiſſet.

Tum denique, quia iuſtitia vindicatiua non habet pro fine immediato emēdationem delinquentis, aut reconciliationem cum parte læſa, ſed ſolum illius punitionem: ſatisfactio autem exhibita à penitentia habet pro fine emendationem peccantis, & eius reconciliationem cum Deo offenſo: ergo non eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ: quia tamen in aliquibus aſsimilatur, ideo aliquando a ſanctis Patribus & ab Scholaſticis, hæc ſatisfactio pœnitentis appellatur vindicta: per vtramque enim infligitur pœna, & propulſatur iniuria licèt diuerſimodè, & ex diuerſis motiuis explicatis. Quæ ſimilitudo forte præbuit Scoto occaſionem ſuæ deceptionis.

36 Dico ſecundo. Virtus pœnitentię eſt pars potentialis iuſtitiæ commutatiuæ: diſtincta tamen ab illa parte ſimiliter potentiali, quæ dicitur religio.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, & pro auctoribus tertiæ: & probatur primo ex authoritatibus Diui Thomæ in quibus expreſſe vtramque virtutem diſtinguit: nam in quarto diſtinctione quinta, quæſtione quarta, articulo ſeptimo, quæſtiuncula prima ad ſecundū, docet actum latriæ, id eſt religionis quandoque imperari ab actu pœnitentiæ, & diſtinctione decimaquarta, quæſtione prima, articulo primo quæſtiuncula 5, ait quod vnuſquiſque efficitur debitor Deo diuerſimodè per hoc quod ab illo aliquid recipit, atque per hoc quod contra illum peccauit; & propterea religio ex prima ratione reddit Deo debitum honorem, ex ſecunda vero pœnitentia reddit Deo debitam cō

penſationem: & 2.2. quæſtione 32. articulo 1. ad ſecundũ ait actum eleemoſynæ, quatenus fit ad ſatisfaciendum pro peccato imperari a iuſtitia: quatenus autem ordinatur ad placandum Deum, imperari a latria, ſiue religione: ſed virtus imperans condiſtinguitur ab imperata: debitumque ortum ex beneficio accepto diſcriminatur à debito orto ex offenſa, & iuſticia potencialis ſatisfaciens pro peccato diſtinguitur ab illa quæ ſacrificijs placat Deum: ergo apud Diu. Thom. religio diſtinguitur à pœnitentia.

Secundo probatur, quia ad religionem per ſe, & ex obiecto pertinet teſtè Diu. Thom. 2.2. queſt. 81. art. 3. & 4 exhibere Deo vt domino & primo principio propter eius excellentiam debitum cultum, qui vt ſic non ſupponit offenſam: ſatisfactio verò reſpicit Deum vt offenſum: vnde innocentes tenentur reddere Deo debitum cultum, ſed non ſatisfactionem: ergo ſatisfactio ſiue compenſatio pro peccatis non eſt actus religionis: quia tamen aliquando imperatur ab illa, vel imperat illi, vel propter ſimilitudinem quam habet cum ſatisfactione nomine ſacrificij nuncupatur.

Tertio probatur, quia virtus cuius proprium munus eſt diuinum ius illęſum ſeruare, vel ſemel læſum reparare pertinet ad genus iuſtitiæ qualis eſſe poteſt inter homines & Deum, diſtinguiturque à religione, vt etiam admittit Suar. pluribus locis; præſertim tom. 1. in 3. p. diſp. 4 ſect. 5. & opuſc. de iuſtititia ſect. 2. qui propterea conſtituit ſpecialem iuſtitiam commutatiuam inter homines, & Deum, quę ex obiecto habeat diuinũ ius lęſum reparare: hæc autem nequit eſſe iuſtitia commutatiua perfecta vt falſo prædictus author exiſtimauit, cum nequeat reddere æquale Deo quoad effectum, ſed tantum quoad affectum, & actu conditionato, vtpote de obiecto ſimpliciter impoſsibili: quod ad ius commutatiuum nõ ſufficit: erit verò talis virtus pars potentialis iuſtitiæ commutatiuæ, & aliàs a religione diſtincta: & cum munus pœnitẽtiæ ſit ius diuinum læſum reparare per ſatisfactionem: conſequens eſt illam non debere cum religione confundi.

Sed dices pro Caiet. & ſequacibus: primo quod D. Th. in 2. 2. in dicto art. 1. q. 80. numerans omnes iuſtitię partes potenciales quæ ſunt ſpeciales virtutes non meminit pœnitentiæ: ergo ſignum eſt illam ſub nomine religionis intellexiſſe.

Secundo, quod ſicut ad reddendum ablatum honorem parentibus, ſatisfaciendumque pro hac offenſa illis facta, ſufficit eadem virtus pietatis quæ debitum honorem parentibus impendit: eadẽque gratitudo cuius eſt debitum obſequium præſtare benefactoribus ſufficit ad reſarciendum peccatum ingratitudinis quo illos offendimus: ita eadem religio quæ Deo debitum honorem impendit ſufficit ad reddendum honorem ablatum ſatisfaciendumque pro hac offenſa: ac per conſequens ad hoc poſterius munus non eſt ſpecialis virtus condiſtincta à religione conſtituenda.

37 Ad primam nihilominus obiectionem reſpondetur D. Th non meminiſſe in 2.2. virtutis pœnitentiæ quia illam in 3. part. reſeruabat, vbi acturus erat de ſacramento pœnitentiæ, vtpotè cuius partes ex inſtituto Chriſti conſtitutæ ſunt in actibus huius virtutis.

Ad ſecundam reſpondent Vazq. vbi ſupra nu. 26. aſsignando hoc diſcrimen, quod hominibus per eandem virtutem qua ſatisfacimus, intendimus ſatisfacere, quia ſatisfactionis intentio & ipſa ſatisfactio ſunt circa idem obiectum, ac proinde eiuſdem virtutis: ſecus verò eſt de intentione ſatisfaciendi Deo, atque de ipſa ſatisfactione facta Deo: hæc enim eſt actus charitatis, vtpotè quia eſt odiũ peccati ex complacentia Dei: illa vero quia habet per obiecto ſpecialem rationẽ iuſtitiæ erga Deum quę eſt in ſatisfaciendo pro offenſa, eſt actus pęnitentiæ. Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens propter duo: tũ quia vt dub. præced. docuimus nõ ſolum elicitur a pęnitentia actus iſte reflexus, qui eſt intentio, vel voluntas ſatisfaciendi; ſed etiam ille alius directus qui eſt ipſa ſatisfactio pro offenſa, imò ſæpè iſtũ ſub ſpeciali motiuo cõpenſandi offenſam elicit pœnitentia, priori omiſſo. Tum etiam, quia alias in materia cuiuſcumque virtutis ad actum reflexum conſtituẽda eſſet ſpecialis virtus: vt ad hunc quo vult quis habere actũ religionis, vel tẽperantiæ, requireretur alia virtus diſtincta à religione, vel à tẽperantia, ſiquidem nõ eſt cur in actu reflexo volendi ſatisfactionẽ potius, quã in iſtis ſpecialis difficultas, & honeſtas reperiatur diſtincta ab illa, quę

in actu

directo circa eandem materiam reperitur: quod tamen nullatenus eſt admittendum vt idem autor fatetur.

Quare eius omiſſa ſolutione reſpondetur negando antecedens pro ſecunda parte ob aliud diſcrimen, nimirum quia offenſa, quæ parentibus a filijs, & benefactoribus à beneficiatis poteſt fieri nõ eſt alia quam impietatis, aut ingratitudinis; quam proinde oppoſita virtus pietatis, aut gratitudinis ſufficienter poteſt reparare: offenſa verò quæ poteſt fieri Deo eſt contra ius diuinum; habetque ſpecialem rationem iniuſtitiæ in omni peccatorum genere repertam, & cum contrarietate ad quancumque virtutem: ideo ad reparandam hanc rationem iniuſtitiæ, compenſandumque vniuerſum peccatorũ genus ſpecialis requiritur virtus iuſtitię erga Deũ; non quidem perfecta ſed potentialis, quæ eſt pœnitentia: quam propterea dixi in concluſione eſſe partem potentialem iuſtitiæ commutatiuæ, quia vt tradit D. Th. in dict. articulo primo quæſtionis 80. tũc aliqua virtus eſt pars potentialis & illi adiuncta, quando in aliqua conditione conuenit cum illa, & in alijs diſcriminatur deficiendo ab eius perfectione. Et quia de ratione iuſtitiæ ſtricte dictæ eſt reddere alteri debitum cum æqualitate, cum qua pęnitentia habet conuenientiam in eo quod reſpicit alterum nimirum Deum cui debitam compenſationem pro peccatis impendit; quamuis deficiat ab æqualitate: propterea eſt pars potentialis iuſtitiæ non cuiuſcunque ſed commutatiuę: eo quod ſpecialem conuenientiam habet cũ illa dũ in reſarciendis iniurijs, & offenſis verſatur. Eſtque expræſſa ſententia Diu. Thom. in hoc articulo tertio ad tertium aſſerentis tam vindicatiuam iuſtitiam, quam pœnitentiam ſub iuſtitia commutatiua contineri, nõ quidẽ ſicut ſub genere: ſed ſicut partes potentiales, & adiunctas ſub primaria ſpecie: ad quam vt imperfectum ad perfectum reducuntur: eo quod dum aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel inuitus punitur quod ad vindicatiuam iuſtitiam, vel voluntarie recompenſat, quod ad pœnitentiam ſpectat, commutatio quædam in reſarciendis offenſis exercetur ſimilis illi, quam iuſtitia commutatiua perfecta in reſarciendis humanis iniurijs exercet, deficiens tamen ab eius perfectione, vel quia debitum legale, vel quia æqualitatem non attingit.

38 Ad primum pro prima ſententia, nego minorem propter duo: tum quia iuſtitia diſtributiua non extenditur ad retributionem malorum, ſed tantum ad diſtributionem bonorum communium, quæ applicantur perſonis priuatis iuxta vniuſcuiuſque dignitatẽ, quod agnoſcẽs Diu. Thom. in quarto diſtinctione 15. articulo primo quæſtione 2. ait ex ſpeciebus ſeu partibus iuſtitiæ inter homines verſantis ſolam vindicatiuam reſpicere præcedentem offenſam illamque ſupponere. Tum etiam, quia pœnitentia, neque reddit totum ſuplicium quod eſt debitum peccato ob eius infinitam grauitatem, neque ſeruat æqualitatem proportionis plurium ad plures: quæ tamen ſunt conditionis iuſtitiæ diſtributiuæ. *Fit ſatis argumẽtis primæ ſententiæ.*

Ad ſecundum quod eſt primum Durand. nego antecedens, ad cuius probationem nego ſimiliter antecedens quia ratio illa communis reddendi debitum, tam Deo, quam hominibus non eſt vna vnitate ſpecifica, aut generica, ſed tantum eſt vna vnitate analogica abſtrahens a debito legali & morali humano, & diuino, exequabili, & in exequabili, ac proinde ab illis duæ virtutes ſpecificantur, religio nimirũ ſiue pęnitẽtia à debito diuino ex vna parte, & iuſtitia cõmutatiua à debito humano ex alia quæ in ratione iuſtitiæ analogice duntaxat conueniunt.

Ad tertium quod eſt, ſecundum Durand. nego ſequelam pro ſecunda parte: quamuis enim pœnitentia ſit virtus infuſa quæ proinde per ſuos actus ſic frequentatos amplius augeatur effectiue moraliter, hoc eſt meritorie; vt de gratiæ, & virtutum infuſarum incremento docuimus quæſtione 24. de charitate articulo ſexto dubio primo, inde tamen non ſequitur illum qui pluries per pœnitentiam maiorem, ac maiorem reſurget in gratia, ac cœteris virtutibus infuſis eſſe ſimpliciter ſtudioſiorem: cum enim exercitium pœnitentię quo homo reſurgit à peccatis ſupponat aliarum virtutum infuſarum defectum, non illico eas recuperat in gradu perfectiori; ac proinde, neque fit ſimpliciter ſtudioſior: ſed quo magis peccata accumulat magis aliarum virtutum defectum ſentit, licet pœnitentiam in gradu perfectiori recipiat: niſi ſimul exercitio pœnitentiæ exercitium aliarum virtutum accumulet; vt ſupra quæſtione 89.

ex profeſſo explicabimus.

Ad quartum reſpondetur dupliciter: primo negando maiorem pro ſecunda parte: non enim primarius actus pœnitentiæ eſt vindicatio pertinens ad iuſtitiam vindicatiuam, ſed alia longè diuerſa, quâ fit compenſatio Deo pro offenſis: de quarum diſcrimine ſatis dictum eſt in concluſione prima, & inſuper addit Diu. Thom. in dicta ſolut. ad 3 h. art. hanc inter vtramque vindicationem differentiam verſari, quod illa quam petit ſiue facit iuſtitia vindicatiua eſt involuntaria reſpectu pacientis: hæc vero quam facit penitentia eſt voluntarie aſſumpta ab ipſo ſuſcipiente, vtpote actus virtutis in eius voluntate exiſtentis.

Reſpondetur ſecundo negando min. quia licet pœnitentia dum ſatisfacit pro peccatis venialibus, & pœnis temporalibus faciat equalitatem, vtpotè cũ hoc debitum ſit adæquabile humanis actibus: non tamen facit æqualitatem dum ſatisfacit pro peccatis mortalibus in ratione offenſæ, vtpotè quorum debitum eſt inadæquabile à pura creatura ob rationem ſuperius aſsignatam.

Si autem inquiras cur ſatisfactio illa, quæ fit pro peccatis venialibus, & pęnis temporalibus, ſiquidem eſt ad æqualitatem, non eſt actus perfectæ iuſtitiæ, vt exiſtimauit Scot Reſpondetur ideo Scotum in hac exiſtimatione deceptum fuiſſe quia putauit tranſacto actu peccaminoſo ſolum manere in peccatore reatum pœnæ temporalis pro quo poſſet virtus pœnitentiæ ſatisfacere, & cum iſte ſit ad æqualitatem compenſabilis, conſequenter exiſtimauit pœnitentiam ſimpliciter & abſolute atque primario ſuo actu & circa primarium obiectum facere æqualitatem proindeque eſſe ſpeciem perfectæ iuſtitiæ.

Præter reatũ pænæ tẽporalis, manere ex actu peccaminoſo maculam, & offenſã falſo negauit Scotus.

56 Sed huius oppoſitum eſſe verium conſtat ex doctrina Diu. Thom. à Theologis communiter recepta in quarto diſtinctione decimaquarta, quæſtione ſecunda articulo quarto aſſerentis duo mala incurrere hominem per peccatum mortale, maculam ſcilicet & offenſam quę etiam tranſacto actu peccaminoſo habitualiter perſeuerant, à quibus homo habitualiter peccator denominatur quamdiu ab illis per gratiam non repurgatur, & prima ſecundæ quæſtione 86, per totam, & quæſtione 87, articulo tertio & ſexto, eamdem confirmat doctrinam Diuꝰ Thomas ſubdens, peccatum ex conuerſione ad bonum commutabile, & auerſione ab incommutabili bono integrari, ad iſtamque conſequi reatum pœnæ æternæ; qui poſt tranſactam actualem conuerſionem adhuc ſuperſtes relinquitur in peccatore, ac proindè munus pœnitentiæ non ſolũ eſt pro pœnis temporalibus, ſed etiam pro culpis quoad maculam offenſæ, & reatus pęnæ æternæ Deo ſatisfacere quoad affectum, & in quãtũ poteſt; quoad effectum vero ſiue de facto habet compenſare id dumtaxat quod ex peccatis commiſsis, inuenit nondum relaxatum, & quia poſt acceptam iuſtificationis gratiam actus pęnitentiæ in quibus homo iuſtus ſe exercet ſupponunt peccata mortalia dimiſſa omnino quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ cum ſolo reatu pænæ temporalis ſuperſtite, & cum peccatis venialibus, ſi quæ talis homo iuſtus ſine amiſsione gratiæ iuſtificantis commiſsit, propterea pro his dumtaxat ſunt de facto, & veluti in actu ſecundo ſatisfactorij, pro culpa vero mortali, & reatu pęnæ æternæ dumtaxat quoad affectum ſiue in actu primo, atquè aptitudinaliter.

Et quia prima contritio illius qui ad Deum conuertitur in inſtanti iuſtificationis ipſius inuenit peccatum mortale nondum ablatum, aut dimiſſum quoad malũ offenſæ & reatus pęnæ æternæ, ideo pro illo in eo priori ſatisfacit, nedum in actu primo, aut aptitudinaliter: ſed etiam in actu ſecundo vt eius actualis quædam ſatisfactio & compenſatio.

Quod conſtat eſſe verum: tum ex eodem D. Thom. prima parte, quæſtione vigeſima prima articulo quarto ad primũ aſſerente ex parte Dei in relaxando culpas propter dilectionem, & contritionem iuxta illud Lucæ ſeptimo, dimiſſa ſunt ei peccata multa quia dilexit multum, ſeruari aliquam iuſtitiam: ergo etiam ex parte peccatoris, cui dimittuntur peccata quoad culpam ſeruatur aliqua iuſtitia in ſatisfaciendo pro illa: nequit enim relaxatio eſſe ex iuſtitia niſi habeat ad illam aliquod ius ille cui fit relaxatio, huiuſmodi autem iuſtitia eſt quam ſuis actibus facit pœnitentia.

Tum etiam quia contritio vere eſt dolor de offenſa Dei, & malo culpæ, & non

& non ſolùm de pœna temporali alias eſſet dolor ſeruilis ex amore concupiſcentiæ, & non ex amore amicitiæ procedens, cum tamen diffiniatur eſſe dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum: quam definitionem vtpotè communem animi conceptionem, nec Scot. negauit.

Hinc ergo colligitur prima ratio ob quam ſatiſfactio pro pœnis temporalibus quamuis faciat æqualitatem, adhuc non eſt actus riguroſæ ac perfectæ iuſti tiæ, ſed potentialis & imperfectæ qualis eſt pœnitentia; quia hæc nimirùm in primario actu, primario munere, & circa primarium obiectum à quibus vnaquæq; virtus ſpeciem ſortitur, non facit equalitatem, ſed potius ab illa deficit dum imperfectam, ac citra æqualem pro duplici malo culpæ mortalis, ſcilicet offenſa, & reatu pœnæ æternę, exhibet Deo compenſationem, & propterea ab equalitate quam facit in ſecundario actu & munere, nimirùm ſatiſfaciendo pro venialibus, & pro pęna temporali ex mortalibus relicta, nequit extrahi à ratione imperfectæ iuſtitiæ, aut ſpeciem iuſtitiæ perfectæ ſortiri: quemadmodum in ſimili ſupponunt Theologi cum Diu. Thom. ſecunda ſecundæ quæſtione 87. articulo primo ſolutionem decimarum qui eſt actus ſecundarius religionis fieri ad æqualitatem totius debiti, pro ſuſtentatione ſacerdotum, nec ideò religionem eſſe iuſtitiam perfectam, ſed potentialem tantum quia in eius primario actu quo debitum cultum Deo, & honorem impendit, deficit ab æqualitate, quam deſiderat perfecta iuſtitia.

Secunda ratio eſſe poteſt eadem ob quam Diu. Thom. prima ſecundæ, quæſtione vltima articulo primo negat in actibus meritorijs de condigno beatitudinis perfectam iuſtitiam reperiri hominis erga Deum non obſtante equalitate, & condignitate, quam teſtè eodem Diuo Thoma ibidem articulo tertio habent cum premio; quia totum eſſe & bonum, ſiue dignitas hominis iuſti eſt ſub actuali dominio Dei, ſicut filius & ſeruus ſunt ſub dominio parentis, ac domini, vt ſicut filij ad patrem, & ſerui ad dominum; ita neque creaturæ ad creatorem, vtpotè quia non ſunt extræma eiuſdem ordinis poteſt eſſe perfecta iuſtitia, quæ poſtulat inter æquales verſari: ac per conſequens, neque equalitas, quam pœnitentia hominis iuſti facit pro pœnis temporalibus eſt iuſtitiæ perfectæ, quia tota bonitas, ac dignitas ſatisfacientis eſt ſub dominio Dei cui exhibetur ſatisfactio.

57 Hijs poſſumus addere tertiam deſumptam ex Concilio Tridentino, ſeſsione ſexta capite vndecimo, vbi Patres Concilij appellant remiſsionem peccatorum venialium beneficium Dei quod poteſt dupliciter intelligi, vel quia nomine remiſsionis non ſolum intelligunt actus ipſos pœnitentiæ quibus fit ſatisfactio pro venialibus peccatis, & ſimiliter pro pœnis temporalibus (in quibus quoad hoc eadem militat ratio) ſed etiam gratiam ipſam iuſtificantem cum auxilo Dei per modum actus primi requiſitam ad ſatisfaciendum pro illis, quam proinde remiſsionem tamquam gratuitum beneficium petit Eccleſia à Deo in oratione Dominica dicens: *Dimitte nobis debita noſtra*; cui non obſtat quod actus ſatisfactorius ab huiuſmodi gratia, & auxilio procedens de condigno aboleat offenſam venialis peccati, & pœnam temporalem ex mortali relictam independenter ab alia Dei extrinſeca, ſiue noua acceptatione. Vel quia nomine remiſsionis intelligunt ipſos actus pœnitentiæ ſatisfactorios, qui licet de condigno, & ad æqualitatem aboleant offenſam peccati venialis, tamen quatenus innituntur gratiæ, & auxilio Dei proceduntque ex huiuſmodi donis collatis à Deo intuitu talis ſatisfactionis exhibendæ; ideò talis remiſsio deficit à rigore iuſtitiæ, & ſeruat rationem gratuiti doni ab eiſdem Patribus Concilij capite octauo eiuſdem ſeſsionis declaratam: quæ in eo conſiſtit vt eatenus aliquid donum Dei ſit gratuitum, & gratuito collatum, quatenus nihil præcedat in ſuſcipiente, quod ipſum donum de condigno promereatur, quamuis autem huiuſmodi remiſsio venialium ſit terminus ſatisfactionis, non tamen eſt terminus meriti, cum meritum ad bonum operantis per ſe primo, ſatisfactio verò ad bonum offenſi, cui compenſatur iniuria, per ſe primo ordinetur.

Et alias ad ſatisfactionem perfectæ, & rigoroſæ iuſtitiæ requiritur, vt ex dicto dubio quarto de Incarnatione ſupponimus quod fiat ex proprijs bonis ſatisfacientis, & non acceptis à creditore, vel offenſo, neque in eius gratia fundetur quæ conditiones in ſatisfactione pro venialibus deficiunt, ac proinde ob defectum illarum poteſt dici beneficium gratuitum, prout hoc perfectæ, ac rigoroſæ iuſtitiæ contraponitur. quo pacto vita æterna, & augmentum gratiæ in viatoribus, immo & merita ipſa de condigno quibus correſpondent, nomine gratiæ, & beneficij gratuiti à Patribus appellantur.

Quod ſi vrgeas contritionem qua fit remiſsio non ſolum venialis, immo etiam mortalis offenſæ nedum æqualitatem, ſiue condignitatem ſatisfactionis, ſed etiam meriti habere, ac proinde remiſsionem offenſæ integramque iuſtificationem cuius eſt pars non fieri gratis in ſenſu à Patribus Concilij vbi ſupra declarato, quod derogat Paulo ad Romanos tertio, & vndecimo aſſerentis iuſtificationem noſtram fieri gratis, & non ex operibus ideſt ex meritis de condigno, vt Patres Concilij interpretantur.

58 Reſpondetur, multipliciter deficere primam contritionem quatenus remiſsiuam offenſæ a ratione merito de condigno. Primo quia non ſupponit perfectam, & completam amicitiam Dei, quam debet ſupponere meritum quod eſt opus amicabile, & exhibitum ab amico in obſequium alterius: contritio autem ſupponit gratiam, vt auferentem maculam ab anima, & tendentem ad auferẽdam offenſam media ſatisfactione, ad recuperandamque diuinam amicitiam amiſſam.

Secundo, quia meritum ordinatur præciſſe ad bonum merentis, ſatisfactio autem ad bonum offenſi iniuriam ab illo propulſando, ob quam rationem poteſt quis ad æqualitatem, & condigne ſatisfacere pro altero eius temporalem pœnam adæquate ex ſoluendo, non autem poteſt mereri de condigno alteri gratiam, aut eius augmentum, aut debitæ pœnæ temporalis ſolutionem, niſi tantum de congruo, vt docent Theologi cum Diu. Thom. prima ſecundæ, quæſtione vltima articulo ſexto, & in quarto diſtinctione vigeſima articulo ſecundo quæſtiuncula prima, vbi etiam Diu. Thom. aſsignat tertiam differentiam quæ ex hac ſecunda conſequitur.

Ob quam contritio nequit eſſe meritoria de condigno remiſsionis; nimirum quia ſatisfactio fit per modum ſolutionis debiti in qua proinde attenditur quantitas pœnæ, meritum autem autem fit per modum obſequij alteri exhibiti ad conſtituendum cum debitorem, in quo proinde non attenditur quantitas pœnæ, ſed charitatis, ſiue amicitiæ radix, ex qua dignitas meriti augetur.

Quarto differunt, quia ſatisfactio cum per ſe primo reſpiciat æqualitatem iuſtitiæ in reſarciendis iniurijs quæ eſt formalis ratio obiectiua, à qua iuſtitia ſpecificatur, ideò eſt actus ſpecialis virtutis ad iuſtitiam pertinentis: meritum autem eſt conditio conueniens actui ex dignitate ſubiecti, & ideo neque eſt proprius actus alicuius determinatæ virtutis, neque illam valet ſpecificare, ſed quælibet virtus ex informatione gratiæ, & imperio Charitatis ſuis actibus communicat meriti dignitatem.

Et tandem: quinto differunt, quia ad meritum condigni requiritur æqualitas ſecundum æquiualentiam reſpectu præmij, æqualitas autem quam habet contritio, vt ſatisfactoria reſpectu offenſæ mortalis non eſt ſecundum æquiualentiam ob infinitam grauitatem offenſæ, cui dignitas ſatisfactionis finitæ ex ſe æquiualere non poteſt, ſe dumtaxat ſecundum acceptationem Dei offenſi, qui imperfecta ſatisfactione contentus ex ſua liberalitate aliam maiorem à peccatore non exigit.

Ex quibus manifeſtè deducimus remiſsionem offenſæ etiam ſi fiat intuitu ſatisfactionis adhuc tamen fieri gratis in ſenſu à Patribus Concilij.

Digitized by Google

lij explicato quia non ſit intuitu meriti condigni præcedentis: fieri autem remiſsionem offenſæ intuitu ſatisfactionis imperfectæ & innitentis diuinæ acceptationi, & iuſtificationem fieri intuitu diſpoſitionis connaturalis, ſeu ex debito connaturalitatis, non obſtat conditioni gratiæ,

Ad primum autem pro ſecunda ſententia reſpondetur negando minorem, quamuis enim diſplicentia, ſeu deteſtatio peccati ex complacentia diuinæ bonitatis ſit actus Charitatis, vt dictum eſt tamen prout ſit ex motiuo compenſaddi iniuriam, & ſoluendi debitum eſt actus pœnitentiæ, cuius etiam actus ſunt ex eodem motiuo ſummiſſio interior cordis ad Deum, & externa confeſsio peccati.

Occurritur fundamentis aduerſariorum. 59 Ad ſecundum nego antecedens, nam ſicut formaliter alij ſunt actus religionis ab actibus pœnitentiæ, ita & præcepta quæ dantur de illis formaliter ſunt diuerſa à præceptis quæ dantur de iſtis, licet aliquando materialiter coincidant dum actus interni circa eundem actum externum ſub diuerſis motiuis formalibus verſantur, in quo ſenſu ait Diuus Thomas articulo ſequenti in argumento *Sed contra* actum pœnitentiæ eſſe ſacrificium, quoddam ſecundum illud Pſalmi 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,* quia ſcilicet idem actus qui eſt ſacrificium eſſe poteſt actus pœnitentiæ quamuis ſub diuerſo motiuo: eſt enim ſacrificium, ſiue oblatio ad religionem pertinens quatenus per illum Deo vt primo principio debitus honor, & reuerentia impenditur, eſt verò actus pœnitentiæ quatenus per illum Deo vt offenſo debita compenſatio exhibetur, quæ duæ rationes debiti etiam ex parte Dei, formaliter & in eſſe obiecti diſtinguntur propter duo.

Tum quia ſolutio debiti offenſæ per ſe petit fieri per opera pœnalia dolorem, & triſtitiam inferentia: in quibus eſt ſpecialis difficultas ab ſpeciali virtute pœnitentiæ vincenda, vt docet Diuus Thomas in quarto diſtinctione decimaquinta quæſtione prima, articulo quarto quæſtiuncula prima, quam penalitatem non petit pro ſe in ſuis operibus ſolutio debiti honoris, aut cultus, à religione impendendi.

Tum etiam, quia debitum hoc conuenit Deo ex attributis bonitatis, excellentiæ, & ſupremi auctoris veluti iure connaturalitatis, ob quæ ſpecialis cultus videlicet latriæ, honor, & reuerentiæ obſequium illi à creatura rationali debentur: debitum autem quod reſpicit pœnitentia conuenit Deo veluti ab extrinſeco: eoquod oritur ex conditione offenſæ, extranea quidem & aliena à natura & bonitate Dei. Quoniam Deus non exigit tale debitum pœnitentiæ ſiue compenſationis ſatisfactoriæ, niſi titulo offenſæ ipſi irrogatæ, atque ex ſuppoſitione peccati: debitum autem cultus, honoris, & religionis exigit Deus à creatura rationali titulo ſuæ intrinſecæ bonitatis, & ſupremæ excellentiæ, in quocumque ſtatu hominis etiam innocentiæ omninoque independenter à ſuppoſitione peccati: vnde ſit manifeſtum vnius & alterius debiti diuerſa formaliter eſſe præcepta.

ʒ AR-

ART. IIII.

Vtrùm voluntas ſit propriè, ſubiectum pœnitentiæ.

4.d.14.q.2.a.3.q.1. per to. et q.4. cor.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſubiectum pœnitentiæ non ſit propriè voluntas. Pœnitentia enim eſt triſtitiæ ſpecies. Sed triſtitia eſt in concupiſcibili, ſicut & gaudiũ. Ergo pœnitentia eſt in concupiſcibili.

2 Præterea. Pœnitentia eſt vindicta quædam ſicut Auguſtin. dicit † in lib. de pœnitent. Sed vindicta videtur ad iraſcibilem pertinere: quia ira eſt appetitus vindictæ. Ergo videtur, quod pœnitentia ſit in iraſcibili.

in lib. de vera, & fal. pœn. c.8. à me. tom.4.

3 Præterea. Præteritum eſt proprium obiectum memoriæ, ſecundum Philoſophum * in libr. de Memoria. Sed pœnitentia eſt de præterito, vt dictum eſt. Ergo pœnitentia eſt in memoria ſicut in ſubiecto.

c.1. to.2.

4 Præterea. Nihil agit vbi non eſt. Sed pœnitentia excludit peccatum ab omnibus viribus animæ. Ergo pœnitentia eſt in qualibet vi animæ, & non in voluntate tantum.

Sed contra, pœnitentia eſt ſacrificium quoddam, ſecundum illud Pſalm. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Sed offerre ſacrificium eſt actus voluntatis, ſecundum illud Pſalm. 53. Voluntarie ſacrificabo tibi. Ergo pœnitentia eſt in voluntate.

Reſpondeo dicendum, quod de pœnitentia dupliciter loqui poſſumus. Vno modo, ſecundum quod eſt paſsio quædam. Et ſic cum ſit ſpecies triſtitiæ, eſt in concupiſcibili ſicut in ſubiecto. Alio modo ſecundum quod eſt virtus. Et ſic ſicut dictũ eſt *, eſt ſpecies iuſtitiæ. Iuſtitia autem (vt in 2. par. * habitum eſt) habet pro ſubiecto appetitum rationis, qui eſt voluntas. Vnde manifeſtum eſt, quod pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus, eſt in voluntate ſicut in ſubiecto; & proprius eius actus eſt propoſitum emendandi illud quod cõtra Deũ commiſſũ eſt.

ar. præc. 1.2.q.56 art.6.

Ad primum ergo dicẽdum, quod ratio illa procedit de pœnitẽtia, ſecundum quod eſt paſsio.

Ad ſecundum dicendũ, quod vindictam appetere ex paſsione de alio, pertinet ad iraſcibilem. Sed appetere vel facere vindictam ex ratione de ſe vel de alio, pertinet ad voluntatem.

Ad tertium dicendum, quod memoria eſt vis apprehenſiua præteriti. Pœnitentia autem non pertinet ad vim aprehenſiuam, ſed ad appetitiuam, quæ præſupponit actum apprehenſiuæ. Vnde pœnitentia non eſt in memoria, ſed præſupponit eam.

Ad quartum dicẽdum, quod voluntas (ſicut in prima parte habitum eſt *) mouet omnes alias potẽtias animæ. Et ideò non eſt inconueniens, ſi pœnitentia in voluntate exiſtens, aliquid in ſingulis potentijs animæ operetur.

1 p. q. 82. art. 4.

IN

In hoc art. tria ſunt theoremata quæ docet D. Thom. primum eſt penitētiā virtutem ſubiectiue eſſe in voluntate. Secundum eſt: ſumptam autem pro paſsione eſſe ſubiectiue in illa parte appetitus ſenſitiui quæ appellatur concupiſcibilis: Tertium eſt: non quamcumquè voluntatem ſed illā dumtaxat; quæ poteſt peccatum committere, & illud emendare, eſſe ſubiectum pœnitentiæ virtutis, eo quod huius proprius actus eſt propoſitum emendandi peccatum contra Deum. Quæ an ſint vera ſingulis dubijs examinanda ſunt.

CIRCA primum dubium ſuppoſita diſtinctione habituum, & virtutum inter ſe atquè potentiarum animæ inter ſe & ab ipſa anima contra ſententiam quorundam antiquorum dicentium: vnam eſſe tātum potētiam animæ ſecundum rem & vnam eſſe virtutem ſecundum rem, quæ eſſet vnus habitus cum ordine ad diuerſos actus relatā, & refutatam ab Alexand. 4. p. q. 12. memb. 2 art. 3.

Necnon ſuppoſita diſtinctione pœnitentiæ virtutis à gratia habituali cōtra ſententiam aliorum antiquorum relatam, & refutatam à Bonau. in 4. diſt. 14. quæſt. 1. inter Claſsicos ſcolaſticos, qui in hac 2. ſuppoſitione conueniunt tres verſatur ſententiæ.

Prima ſententia aſſerentiū pœnitentiam ſubiectari in omnibus potentijs appetitiuis.

Prima eſt Althiſidorenſis libro 4. tract. 6. quæſt. 3. & aliorum exiſtimantium pœnitētiam eſſe generalē cōditionē omniū virtutū, quatenus omnibus eſt cōmune de peccatis dolere, qui conſequenter aſſerunt pœnitentiam eſſe ſubiectiuè, in omnibus animæ potentijs appetitiuis, vbi ſeries omnium virtutum ſubiectatur.

Secūda ſententia aſſerentiū pœnitentiam ſubiectari in libero arbitrio prout eſt quid conflatum ex voluntate & intellectu.

Secunda ſententia eſt, Alexan. in dic. art. 3. § 2. aſſerentis pœnitentiam in libero arbitrio ſubiectari non quidē quatenus liberum arbitrium eſt idem cum volūtate; ſed quatenus conflatur ex voluntate, & intellectu prout ratione, & diliberatione ducitur ad electionē mediorū à qua ſententia parum differt alia, quā ibidem refert ipſe Alexan. conſtituens pœnitentiā in intellectu, eo quod cum ſit quædam iuſtitia tanquam iudex tribuit vnicuiquè quod ſuum eſt: iuditium autem quod eſt munus iudicis, & actus iuſtitiæ pertinet ad intellectum, vt etiam fatetur D. Tho. 2. 2. quæſt. 60. art. 1. ergo & in intellectu ponenda eſt pœnitentia vt pote pars iuſtitiæ.

Quod fundamentum poteſt amplius confirmari ex eo quod teſte D. Tho. 2. 2. q. 24. art. ad 3. lib. arbitriū eſt potentia diſtincta à voluntate, quia volūtas eſt ſolius finis teſte philoſopho 3. ethicorum capite 2. liberum autem arbitrium eſt vis electiua mediorum, quæ ſunt ad finem: ob quam rationem concludit ibi D. Thom. charitatem cuius obiectum eſt vltimus finis ſubiectari in voluntate potius quam in libero arbitrio, ſed pœnitētia cū ſit virtus moralis habens pro obiecto media ad vltimum finem, debet eſſe ſubiectiuè in potentia electiua mediorum quæ eſt liberum arbitrium: ergo non in voluntate quæ tantum eſt de fine.

Tertia tenet pœnitētiā ſubiectari in iraſcibili, aut in luntate quatenus munus exequitur iraſcibilis.

Tertia eſt D. Bonauen. in dict. diſtinction. 14, art. 2. quæſt. 1. aſſerētis pœnitentiam eſſe ſubiectiue in iraſcibili, hoc eſt aut in illa parte appetitus ſēſitiui, quæ dicitur iraſcibils, aut in volūtate prout eminenter exequitur munus iraſcibilis: eo quod munus pœnitentiæ eſt, infligere pœnas pro delictis, quod pertinet ad iuſtitiā vindicatiuam: ob quam rationem dicit D. Thom. in 4. diſt. 15. art. 1. quæſt. 2 pœnitentiā quodammodo eſſe ſpeciem iuſtitiæ vindicatiuæ, ſed huiuſmodi pœnæ inflictio in vindictam delictorū eſt actus iraſcibilis, vt potè cum ſit appetitus quidā vltionis, & recruciationis: ergo & pœnitentia eſt in iraſcibili ſaltē ſecundo modo acepta, nimirū in voluntate quatenus munus exequitur, non quidem concupiſcibilis, ſed iraſcibilis.

Vera, eſt D. Thomæ ſentē tia tenet pœnitētiam infuſam, de qua hic, in voluntate prout exequitur concupiſcibilis munus ſubiectari.

Sed his non obſtantibus vera eſt ſententia D. Thom. in hoc art. à theologis communiter recepta, præſertim à Caietano, Paludano in 4 diſt 14 quæſt. 5. Scoto quæſt. 2. art. 4. Ricar. art. 3. Dioniſio, quæſt. 2. Vazq. dub. 1. & Valētia punct. 2. aſſerentibus virtutem infuſam pœnitētiæ de qua in præſentiarum fit ſermo, ſubiectiuè eſſe in voluntate quatenus exequitur munus concupiſcibilis, hoc eſt appetitus proſecutiui iuſti, quale hominis ad Deum eſſe poteſt in compenſandis offenſis.

Quæ proinde à nobis aduerſus prædictas ſententias ſtatuitur pro concluſione. E probatur primo, quia cum pœnitentia ſit pars quedā iuſtitiæ, vt dictum eſt in eodem ſubiecto recipitur in quo eſt iuſtitia, hæc autem eſt in voluntate; propterea enim

enim diffinitur quod ſit conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens: ergo ſimiliter & pœnitentia cũ ſit voluntas ius ſuum Deo tribuens offenſo debet recipi in voluntate. Secundo probatur nam illa potentia eſt ſubiectum virtutis, ad cuius potentiæ actum rectificandũ virtus ordinatur: ſed pœnitentia ordinatur ad rectificandum actum voluntatis per ſe primo: ergo eſt in illa ſubiectiuè. Mai. eſt nota & eam aſſumit D. Th. ſecũda ſecũdæ q. 58. articulo 4. ad probandum ſubiectũ iuſtitię eſſe volũtatẽ. Min. autẽ probatur quia pœnitentia non ordinatur ad dirigendum actum intellectus, aut potentiæ cognoſcitiuæ, non enim aliquis dicitur pęnitẽs ex eo quod quod rectè malitiã peccati, ſiue Deum eſſe offenſum cognoſcit: Nequè per ſe primo ordinatur ad rectificandum actum appetitus ſenſitiui, qui conſequitur apprehenſionẽ ſenſus, hæc enim nequit ſe extendere ad cognoſcendam proportionem, vnius cum alio, nedum hominis cum Deo, ſed huius cognitio ſolius intellectus eſt propria: ergo cum reddere Deo compenſationem debitam, pro offenſis, ſit actus appetitus rationalis, ideſt voluntatis, vtpote cuius obiectum à ſolo intellectu apprehendi, & præcognoſci poſsit, & ad huiuſmodi actum dirigendum primario, & immediate ordinetur pœnitentia; conſequens eſt illam ad actum volũtatis per ſe primo ordinari, & quia hic actus compenſationis habet rationem motus proſecutiui reſpectu obiecti voliti primario, nimirùm compenſationis Deo exibendæ ideò in illo exercet voluntas potius vicem concupiſcibis, quam iraſcicilis apetitus.

4 Ex his patet ſolutio ad fundamentum: ſecundę ſententiæ ad quod negãda eſt conſequentia quamuis enim iuditiũ ſit à iuſtitiæ virtute tanquam à regulante, & inclinãte; tamẽ elicitiuè eſt ab intellectu media prudentia, vt ibidem docet D. Tho. & propterea ex eo quòd iuditium ſit in intellectu, ſicut prudentia, nõ ſequitur iuſtitiam eſſe in eadem potentia ſubiectiue, quam docuerat D. Thom. in dict. art. 4. q. 58. ſubiectari in voluntate ex cuius diſpoſitione, & inclinatione prouenit, vt intellectus iudicet quo modo, & quando quibuſuè circũſtantijs ius ſum vnicuiquè ſit tribuendum, Ad cuius confirma, neganda eſt mai, ſi intelligatur de alietate, & diſtinctione reali voluntatis à libero arbitrio, eadẽ enim eſt potentia, ſecundum rem, vt docet D. Tho. 1. p. quæſt. 83. art. 4. eo quod ſicut eſt eiuſdem naturalis potentiæ moueri atquè quieſcere, & eiuſdem potentiæ intellectiuæ intelligere, & raciocinari: quãuis in ordine ad huiuſmodi diuerſos actus ſcilicet intelligenda prima principia ſine diſcurſu, & aſſentiendi per diſcurſum concluſionibꝰ, ſubeat diuerſa nomina, intellectus ſcilicèt, & rationis; ita eiuſdem potẽtiæ volitiuę eſt, velle & eligere, quamuis in ordine ad ſimplicem intentionem finis, & deliberatam electionem mediorum his diuerſis nominibus appelletur ſcilicèt volũtas, & liberũ arbitrium: ob hanc autem virtualẽ diſtinctionẽ docet D. Th. charitatem quia eſt affectus ad vltimum finẽ eſſe in voluntate potius quam in libero arbitrio: non quia voluntas differat realiter à libero arbitrio, ſed quia per charitatẽ perficitur quoad munꝰ volũtatis, & nõ quoad munus liberi arbitrij. In quo ſenſu & nos fatemur pœnitẽtiã potius eſſe in libero arbitrio quã in voluntate, quia per illã perficitur potẽtia volitiua potius quoad munus liberi arbitrij, & potentiæ electiuæ, quam quoad munus voluntatis.

Occurritur argumentis ſecundæ ſententiæ.

5 Ad fundamentum autem tertię ſententię reſpondetur, illum actum infligendi vindictam, aut non eſſe primarium pœnitentiæ, propter quem ſit ponẽda in iraſcibili: cùm potius propter eius primarium actum, qui eſt affectus compenſandi ponenda eſt in voluntate: aut omnem eius actum pertinere ad concupiſcibilem: vt pote cum vel ſit affectus compenſationis vel dolor, aut triſtitia de peccato commiſſo: nulluſquè habet rationem proprie vindictæ, eo quod licèt ſecundarius actus ſit triſtitia, ſiue dolor aſſumptus in pœnam peccati, per modum pœnitentis, nihilominus quia eſt punitio voluntaria, & ab eodem paciente aſſumpta, deficit à ratione proprię vindictæ, ac proindè tantum eſt in concupiſcibili; licet ob ſimilitudinẽ, quam habet cum vindicta reducatur ad iuſtitiam vindicatiuam.

Occurritur argumentis tertiæ ſententiæ.

6 Circa ſecundum dubium examinandum eſt: an pœnitentia prout eſt paſsio ſit actus virtutis ab eodem habitu exiſtente in voluntate, licet ab alio perficiente appetitum ſenſitiuum proueniens.

Communis ſuppoſitio tenens, paſsionem appetitus ſenſitiui, quando fit ex electione participare boneſtatem pœnitentiæ.

In

In quo omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: cõueniunt quidem in eo quod huiuſmodi motus, ſeu paſsio appetitus ſenſitiui, qui eſt dolor, ac triſtia de peccato commiſſo, eſt actus ſtudioſus, honeſtatem pœnitentiæ participans: quando fit ex electione ſecundum mediocritatem virtutis, hoc enim commune eſt potentijs executiuis, & appetitui ſenſitiuo, vt eius motus, ſiue actus ſint ſtudioſi quando fiunt ſecundũ rectam rationem, & procedunt ex electione voluntatis proſequentis idem obiectũ ſub ratione propria vniuſcuiuſque virtutis: quamuis prout præueniunt omnem deliberationem rationis, & electionem voluntatis ſint motus non ſtudioſi, ſed indifferentes ad bonum, & ad malum: in quo ſenſu docuit D. Thom. art. 1 huius quæſtionis pœnitentiam ſumptam pro paſsione appetitus ſenſitiui, neque eſſe virtutẽ, neque actum virtutis.

7 Diſcriminantur autem in explicando, an huiuſmodi motus ſenſitiuus doloris, ac triſtitiæ de peccato commiſſo quãdo fit ex electione, & motiuo pœnitentię virtutis, procedat immediatè ab aliquo habitu exiſtente in appetitu ſenſitiuo, & adiuncto habitui principaliori exiſtenti in voluntate ex quibus vna virtus pœnitẽtiæ integretur?

In duas ſententias: prima affirmans eſt, quam ſequitur Soto diſtinctione citata quæſtione 2. articulo 4. Paludanus ibidem quæſtione 2. Suarius in dict. diſputatione 7, ſectione 1. & Valentia puncto 2. qui illam defendunt tripliciter: primo: nã vt actus fiat à potentia prompte faciliter, & delectabiliter indiget habitu potẽtiam perficiente: ſed ſæpius appetitus ſenſitiuus promptè faciliter, & delectabiliter elicit huiuſmodi motus doloris, ac triſtitiæ de peccatis commiſsis: ergo indiget ſpeciali habitu pœnitentiæ. Mai. ſupponitur ex his, quæ docuimus art. 2. de charitate dubio primo, & min. experientia patet in illis, qui prompti, & faciles ſunt ad lacrymas, & gemitus, quæ ſunt effectus, & ſigna prædicti doloris, ac triſtitiæ de peccatis commiſsis, ex quibus frequentatis neceſſe eſt habitum generari: ergo.

Secundo, quia tũc aliqua virtus ex his quæ ſunt ad alterũ, ſiue partes iuſtitiæ cõflatur ex duobus habitibus altero exiſtẽte in volũtatẽ vt principaliori, & altero exiſtẽte in appetitu ſenſitiuo vt aceſſorio, ſiue adiũcto, quando datur ad dirigẽdas actiones, & ad vincendam difficultatem, quæ eſt in moderandis paſsionibus appetitus: ſed huiuſmodi eſt pœnitentia: ergo conflatur ex duobus habitibus; altero quidem principaliori, & exiſtente in voluntate, & altero acceſſorio, & minus principali exiſtente in appetitu ſenſitiuo. Mai. eſt D. Thom. qui ob hanc rationem 1. 2. quæſt. 60. articulo 5. diſtinguens ſingulas virtutes morales ex parte obiecti & ſubiecti, numerat liberalitatem, magnificentiam, & amicitiam; ſiue affabilitatem inter eas, quæ perficiunt appetitum ſenſitiuum; & verſantur circa eius paſsiones: & 2. 2. quæſt. 30. articul. 3. ad 2. & ad 4. his annumerat miſericordiã; dicẽs illam cõtrariari paſsioni nemeſis, ac proinde eſſe in appetitu ſenſitiuo; quia idem debet eſſe ſubiectum contrariorum; & verſari etiam circa paſsiones, quod ſimiliter eſt ſignum illam ſubiectari in appetitu; & cum alias huiuſmodi virtutes ſint in voluntate vtpotè cum ſint partes potentiales iuſtitiæ, & verſentur circa actiones quarum principium eſt voluntas dicendum eſt illas ex duobus habitibus, ordinatè, & non ex æquo ſe habentibus conflari: ſecundum quod vnaquæque vtramque potentiam voluntatis nimirum, & appetitus perficit, & informat. Min. autem probatur dupliciter.

Tum quia penitentia quatenus eſt pars iuſtitię ordinatur ad rectificãdas actiones voluntatis, & ſic ſubiectatur in ipſa: quatenus vero dependent eius actus primarij à motibus appetitus ſenſitiui verſatur circa illos in quorum reductione ad mediocritatem non parua interu[en]it difficultas, ne ſcilicet appetitus à debito peccatorum interno dolore, & externo planctu retrahatur, aut ne nimio dolore, & vehementi planctu lædatur pras ſenſitiua, inhabiliſque fiat ad virtutum exercitium, quam mediocritatem vt difficilem commendat Paulus ad Roman. capit. 12. exigens ab illis per abſtinentiam, & corporis macerationem rationabile obſequium Deo exhibẽdum, in mediocritate conſiſtens: vt Diu. Thom. ibid. lect. prima interprætatur: ergo.

Tum etiam quia cum cauſæ peccatorum ſint paſsiones: & pœnitentia media ſatisfactione habeat cauſas peccatorũ excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere, vt conſtat ex diffinitione

tione

tione ſatisfactionis tradita ab Auguſtino libro de Eccleſ. Dogmatibus cap. 54. ſignum eſt illam ex mente Auguſtini circa paſsiones moderandas verſari.

8 Tertio probatur, quia affectus doloris, ſiue compenſationis à voluntate elicitus media virtute pœnitentiæ ſemper mouet appetitum ſenſitiuum ad ſimilem motum corporeum doloris, ſiue triſtitiæ de peccatis; hæc autem motio fieri nequit niſi medio habitu pœnitentiæ immediatè appetitum ſenſitiuum perficiente, & in actu primo conſtituente, vt in prædictum actum ſecundum prorumpat: ergo. Maior patet, quia actus electiuus pœnitentię exiſtentis in voluntate numquam fit ſine conſimili paſsione doloris, & triſtitiæ ſuborta in appetitu ad quam mouet voluntas media virtute pœnitentiæ à qua perficitur, vt fatetur D. Thom. hic ad 4. dicens: quod ſicut voluntas habet mouere potentias inferiores, ita habitus pœnitentiæ exiſtens in voluntate mouet etiam inferiores potentias dirigendo illas, & purgando à deordinatione peccati: hoc autem in appetitu ſenſitiuo fieri nequit nisi me dia paſſione doloris, & triſtitiæ qui ſuo modo peccatum.

Minor autem probatur, quia affectus exiſtens in voluntate cum ſit actus formaliter immanens nequit per ſe ipſum, & immediatè mouere appetitum ipſi aliquid intrinſecum imprimendo, maxime cum hoc neque ſpirituale, neque corporeum quid poſsit eſſe: non ſpirituale, quia recipitur in ſubiecto corporeo cuiuſmodi eſt appetitus: non corporeum, quia eius principium eſt omnino ſpirituale, cuiuſmodi eſt immanens actio voluntatis: ergo vt appetitus moueatur ad huiuſmodi actualē paſsionem doloris, & triſtitiæ conſtituaturque in actu primo operatiuo triſtitiæ actus, de peccatis ex motiuo compenſationis Deo exhibendæ quod ſubterfugit latitudinem, & ſpheram obiecti appetitus ſēſitiui nudi ſumpti, indiget habitu ipſum intrinſece afficiente, qui ſit pars quædam virtutis pœnitentię.

Secūda ſōtentia negons, & quā expreſſa Ang. Doctor. defenditur.

9 Sed his non obſtantibus: ſecunda & verior ſantentia negans eſt quam docet expreſſe D. Thom. in hoc articulo, dum enim ait pœnitentiam ſumptam pro virtute eſſe in ſola voluntate, ſumptam vero pro paſsione eſſe in appetitu ſenſitiuo, ſolam illam pœnitentiam, quæ eſt paſsio agnoſcit in appetitu, nullatenus autem illā, quæ eſt virtus, aut habitus, & expreſsius in 4. d. 14. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 4. dū ait pœnitentiam ſumptam pro paſsione eſſe in concupiſcibili ſubiectiuè, & non eſſe habitum, ſed actualem motum doloris, ac triſtitiæ circa peccata cōmiſſa, quæ proinde non ad iraſcibilem pertinet, ſed ad aliā partem appetitus ſenſitiui, videlicet ad cō cupiſcibilem, cuius eſt moueri motibus amoris, gaudij, dilectionis, non contrarijs ſcilicet doloris, ac triſtitiæ circa delectabilia ſenſus, cui ſubſcribit Vazq. dub. 1. & Nuño hic dub. 2.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & non aliter probatur quam ſoluendo argumēta aduerſariorū: ad quorum exactam ſolutionem tria ſunt ex varijs eiuſdem Angelici Doctoris doctrinæ locis prænotanda.

Notabile Primum.

10 Primum eſt ex 1. 2. q. 56. artic. 2. aliquam virtutem poſſe eſſe in duabus potentijs ſubiectiuè, non ex æquo, ſed ordinatè hoc eſt in vna principalius, & in alia minus principaliter, ſcilicet per modū diffuſionis: aut per modum diſpoſitionis in quantum vna potentia mouetur ab altera, & vna accipit ab alia, quod in duplici ſenſu verificari poteſt, nimirum; vel quia eadem virtus ex duobus habitibus confletur, quorum vnus, & principalior vnam; alter vero, & minus principalis aliam potentiam afficiat: & ſic virtus, quæ li e du plex in genere habitus tamen eadem eſt in genere virtutis, principalius reſidet in vna potentia, & minus principaliter in alia ad quam deriuatur medio habitu minus principalis, & ratione huius dicitur moueri, & accipere ab alia potentia, quia ex eius motione, & imperio operatur, & operando, habitum adquirit principaliori adiunctum: vel quia virtus exiſtens in vna potentia, v. g. in voluntate mouet aliā videlicet appetitum inferiorem in ordine ad ſuum obiectū, ratione cuius motionis, & ſubordinationis dicitur talis virtus ad huiuſmodi potentiam diffundi, ab illaque moueri, & accipere non quidem habitum, ſed actualem motionem, quæ eſt quædam inchoatio, & participatio illius virtutis, à qua deriuatur: & ex cuius motione, & ſubordinatione inferior potentia operatur.

Notabile ſecundum.

11 Secūdum etiam colligitur ex eadem 1. 2. q. 54. art. 5. virtutes morales eſſe in triplici differentia, aliās quidē præciſè uerſantes immediatè circa paſsiones,

quæ in ſolo appetitu ſenſitiuo ſubiectantur, cuiuſmodi ſunt temperantia, & fortitudo, & ſimiles acquiſitæ, quæ dumtaxat bonum ipſius operantis reſpeciunt: alias vero verſantes circa ſolas actiones, quæ proinde in ſola volũtate ſubiectãtur, cuiꝰ modi ſũt iuſtitiæ partes quæ ſolum dirigit actiones, quæ ſunt ad alterum, teſte Philoſ. 5. Ethyc. cap. 2. & propterea poteſt earum exercitium abſque paſsione ſuborta in appetitu reperiri, licet aliquando in appetitu aliquam paſsionem commoueãt, quo pacto hic docet D. Tho. pœnitentiæ actus poſſe fieri cum paſsione doloris, & triſtitiæ, quamnis ab illa non dependeat, ſiquidem ſine tali corporea commotione affectus elicitiuus penitentiæ eſſe poſsit: quare neque defectus gemitus, ac lachrymarum, cum quibus ſolet fieri paſsio huiꝰ modi pœnitentiæ eſt ſignum ſufficiens in homine verę contritionis, ac pœnitentiæ exiſtentis in voluntate, vt rectè notauit Valentia vbi ſupra, dicens in duobus caſibus poſſe affectum pœnitentiæ ſine dolore ſenſitiuo reperiri, vel quia pœnitens delectatur de ſua contritione, ex qua proinde non cauſatur triſtitia in appetitu ſenſitiuo, vel quia propter duritiam, & hebetudinem partis ſenſitiuæ dolore non flectitur. Poteſt etiam iuſtitia commutatiua iudicis, dum ex officio pœnas debitas delinquentibus infligit in appetitum paſsionem, iræ, aut zeli commouere: à qua tamen non dependet.

Alias denique medias, quæ verſantur circa actiones, & paſsiones immediatè quamuis non ex æquo, ſed principalius circa illas, quam circa iſtas: ob idque quælibet illarum ex duobus habitibus altero perficiente voluntatem circa actiones, & altero perficiente appetitum circa paſsiones conflatur, eoquod formale obiectum in actionum honeſtate principalius, & in paſsionum mediocritate ſecundario inuenitur. De quorum numero ait D. Tho. in locis prææallegatis in ſecundo argumento eſſe miſericordiam, magnificentiam, liberalitatem, & affabilitatem, quia ſpecies potentiales ſunt iuſtitiæ.

Sed his non eſſe numerandam pœnitentiam quamuis pars potentialis iuſtitiæ ſit ex eo patet, quia cum reſpiciat debitam Deo compenſationem exhibendam, quod obiectum immediatè attingibile nõ eſt ab appetitu ſenſitiuo, niſi à ſola voluntate, ideò circa ſolas actiones voluntatis immediatè, & non circa paſsiones pœnitentia verſatur. Ob quam rationem neque religio his medijs virtutibus annumeranda eſt, ſed illis ſecundi generis, quæ ſolam voluntatem perficiunt: vtpote cuius obiectum ſit debitum honorem, & cultum Deo exhibere, quod non in paſsionibus appetitus, ſed in ſolis actibus voluntatis inuenitur. Quod ſi aliquando ex electione, aut exercitio harum virtutum excitatur corporeus affectus in appetitu, aut aliqua paſsio ad mediocritatem reducitur, hoc eſt per accedens, & indirecte quo pacto docet D. Thom. in dicta queſtiuncula diſt. 14. ad 2. etiam iuſtitiam ſtrictè dictam, quæ in ſola ſubiectatur voluntate ex conſequenti eſſe circa paſsiones in quãtum ſunt cauſa operationum, ideoque iuſtitiam cohibere iram, ne alteri damnum iniuſtè inferat, & concupiſcentiam ne ad alienum thorum accedat.

Neque propterea ad huiuſmodi motus facile eliciendos diſponitur appetitus per ſpecialem habitum iuſtitiæ, diſtinctũ ab illo qui eſt in voluntate. Sic etiam pœnitentia cauſas peccatorum indirecte, ſiue ex conſequẽti excidit, ideſt paſſiones ad mediocritatem reducit dum ex affectu electiuo compenſandi offenſas Deo illatas, & propoſito emendandi illas cohibet appetitum ne ad peccandum labatur, aut illum excitat ad dolendum de peccato commiſſo: quia tamen dolor iſte corporeus, neque eſt formalis compẽſatio, niſi materialiter in quantum eſt materia electionis pœnitentiæ, neque reſpicit Deum immediatè, & vt obiectum cui (cum huius habitudinis, & ordinis ad Deum incapax ſit motus corporeus) niſi dumtaxat mediatè, ſiue vt finem cuius gratia, & operantis, ad quem ordinatur prout ſubeſt imperio, & directioni actus electiui pœnitentiæ: ideo neque pro illo eliciẽdo datur habitus penitentiæ in appetitu.

12 Tertiũ eſt, quod D. Tho. loquitur hic de virtute infuſę penitẽtię, vtpote quę ſola obtinet rationem virtutis pœnitẽtię, & habet vim peccata effectiuè deſtruendi: ſiue autem de infuſa: ſiue etiam de acquiſita fieret ſermo, vera & indubitata adhuc eſt eius ſententia, tenens illam eſſe ſubiectiue in ſola volũtate, vt videre eſt apud ipſum in 4. d. 17. q. 2. art. 1. queſtiuncula 3. vbi non agnoſcit niſi illas virtutes infuſas, quæ ſubiectantur in voluntate, aut in intellectu, eo vel maxime quod cum vir- *Notabile tertium.*

tutes

tutes infuſas, quæ ſubiectantur in voluntate, aut in intellectu, eo vel maxime quod cum virtutes infuſæ morales non pugnent immediatè cum paſsionibus, neque earum vincant difficultates, earumque obiectum ſit ſupernaturale, non ſenſibile, à ſenſitiua potentia attingi nequit: non videtur expediens illas ſubiectari in appetitu ſenſitiuo, cum hæc ſedes ſolum ob certamen ineundum cum paſsionibus, virtutibus moralibus deſtinetur, quarum obiecta ſunt ſẽſibilia, ac proinde à fortiori hoc ipſum dicendum eſt de virtute infuſa pœnitentiæ. De acquiſita vero, quia licet affectibus electionis naturalis deteſtationis peccatorum, & propoſiti emendandi illa acquiratur in voluntate habitus pœnitentiæ, de quo an obtineat perfectionem virtutis articulo ſequenti vocabitur in diſputationem: verum motibus corporeis doloris, & triſtitiæ de peccatis non generari in appetitu ſenſitiuo habitum ſpecialem pœnitentiæ, & diſtinctum ab illo, qui generatur in voluntate, patet ratione qua ſupra oſtendimus, neque affectibus verecundię ſpecialem habitũ in appetitu ſenſitiuo generari, præter illum ad cuius perfectionẽ, ſiue exercitium ordinatur, & a cuius oppoſito vitio retrahit verecundia. Patet etiam eadem ratione, qua docuimus in materia de fide quæſt. 4. art. 2. ad actus piæ affectionis, quibus voluntas inclinat intellectum ad credẽdum, non dari ſpecialem habitum in voluntate, eo quod ordinatur ad complementum ſui accipiendum in alia potentia, nimirũ in intellectu vbi eſt habitus fidei, ad cuius actꝰ ordinantur prædicti affectus voluntatis, & medijs illis complementum ſuæ perfectionis accipiunt.

Ex dictis facili negocio diluuntur arg. in contr.

13 His ſuppoſitis. Ad primum argumentum reſpondetur dupliciter. Primo admiſſa maiori, & min. negando conſequentiam, quia vt appetitus deuicta difficultate promptè, & delectabiliter illum motum doloris operetur, ſufficiunt aliæ virtutes particulares, ſcilicet temperantia, fortitudo, & ſimiles: quibus perficitur ad boni ſenſibilis proſecutionem, atque ad dolorem, ſiue triſtitiam de malo vnicuique contrario, neque enim ſub vniuerſaliori ratione appetitus ſenſitiuus dolet de peccatis.

Reſpondetur ſecundo negando minorem, vel diſtinguendo illam de promptitudine, & facilitate proueniente ab intrinſeco, & connaturali principio; & ſic falſa eſt minor, vel proueniente ex aſſuefactione, quæ in appetitu ex motibus frequentatis generatur: dum ab impedimentis manet expeditus, & ex ſubordinatione ad motionem habitus exiſtentis in ſuperiori potentia, & ſic vera eſt minor, ſed ex illa nõ ſequitur per huiuſmodi motus doloris, in appetitu generari habitũ pœnitentię, ſed dumtaxat aſſuefactionem, ratione cuius reditur facilis, & ſimiliter perfici habitũ exiſtentem in voluntate, cui ſubordinatur, & à quo mouetur, ratione cuius ſubordinationis, & motionis dicitur virtus pœnitentiæ deriuari ad appetitum per modum diffuſionis, ſeu diſpoſitionis iuxta dicta in primo notabili.

Ad ſecundum nego minorem. Ad cuius primam probationem nego antecedens pro ſecunda parte: non enim immediatè, & tamquam obiectum reſpicit pœnitentia mediocritatem in paſsionibus faciendam, ſed indirectè, & ex conſequenti, ſicut de alijs partibus iuſtitię dictum eſt in ſecundo notabili, cuius ſignum manifeſtum eſt, quod actus, & exercitiũ pęnitentiæ in voluntate haberi poteſt ſine concomitanti paſsione ſuborta in appetitu, vtpote à qua per ſe non dependet.

Ad ſecundam patet ex eodem notabili pœnitentiam propterea cauſas peccatum excidere media ſatisfactione, quia ex conſequenti paſsiones cohibet, & propterea ab effectu ſæpè concomitante ſatiſfactionem diffiniuit illam Auguſtinus.

14 Sed huic ſolutioni duo obſtare videntur. Primo, quod teſte D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione 56. articulo quarto: tunc in appetitu ſenſitiuo ponitur habitus virtutis in quantum eſt mobilis à voluntate: ſic enim eſt principium humani eſſe moralis: ſed mouetur à volũtate ad huiuſmodi actus doloris, & triſtitiæ de peccatis; ergo reſpectu illius habet habitum.

Secũdo, quia quoties aliquis actus ad ſui perfectionem depẽdet a duobus potentijs, in vtraque petit debito modo diſpoſitionem, ac proinde habitum: ergo cum iſte actus doloris ſenſibilis dependeat, vt ſit perfectus, à voluntate, & appetitu, vtramque potentiam petet diſponi per habitum.

Sed neutra obiectio eneruat ſolutionem aſsignatã. Non prima, quia maior tãtum eſt vera iuxta mentem D. Tho. quando appetitus eſt mobilis à ratione circa obiectum proportionatũ, cuius honeſtas

in mediocritate paſsionis, præcipuè conſumetur: quod nō contingit in obiecto pœnitentiæ.

Neque ſecunda, quia admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia, cum ſufficiens diſpoſitio appetitus ſenſitiui ad debitè huiuſmodi dolorem eliciendum, aut ex diffuſione ſiue redundantia, ſiue imperio actus præexiſtentis in voluntate; aut ex alijs virtutibus temperantiæ, v.g. ac fortitudinis, ipſum ad dolendum de malis ſibi contrarijs inclinantibus, vt infra ex ſolutione ad 3. amplius conſtabit: licet etiam appetitus, ſine ſpeciali habitu iuſtitiæ ad debitè eliciendum motum ſimilem excitatus ſufficienter diſponitur & mouetur ab actu electiuo iuſtitiæ exiſtente in voluntate.

15 Ad tertium nego maiorem, oppoſitum enim eſt verum, nimirum affectum compenſationis à voluntate exerceri poſſe ſine motu paſsionis, vt proximè dictū eſt illa tamen gratis admiſſa nego minorem. Ad cuius probationem patet ex dictis, quod huiuſmodi affectus paſsionis prouenit immediate ab appetitu ſenſitiuo conſtituto in actu primo per motionē intrinſece in ipſo receptam, ſiue fluidam qualitatem ad inſtar motionis ſe habentē ab electione voluntatis, & virtutis pœnitentiæ prouenientem: cum enim huiuſmodi electio, ſiue affectus ſit actus etiam virtualiter tranſiens in potētiam inferiorem, & efficaciter illam mouēs poteſt in illa huiuſmodi motionis, ſiue qualitatis fluidæ, & corporeæ intētionalis formā imprimere ratione cuius appetitus mouetur ad dolendum, & contriſtādum de peccatis propter ſupernaturale motiuum, ideſt in ratione offenſæ diuinæ, & ob compenſationem Deo exhibendā: quo pacto dicit Caiet. 2. 2. q. 24. art. 8, ex imperio charitatis recipi in actibus aliarum virtutum quamdam paſsiuam ordinationem in Deū vt ſuper naturalem finem, ratione cuius efficiuntur meritorij gloriæ, & à charitate informantur, ad eum modum quo ex motione artis exiſtentis in intellectu practico ad eius inſtrumenta mota ab artifice, vis quædam, ſiue paſsiua ordinatio artificioſa deriuatur, quæ eſt qualitas fluida, & terminus motionis artis in diminuta artis participatione conſiſtens: vt ratione illius inſtrumētum ad effectum artis cooperetur inſtrumentaliter ad quod de ſe non poſſet cooperari, vel ſi mauis pœnitentiam nullatenus afficere intrinſecè appetitus, quia non eſt de numero illarum virtutum, quæ conflantur, ex duobus habitibus, neque de numero earum, quæ perficiunt duas potentias, vnam principaliter, & alteram per modum diffuſionis, aut diſpoſitionis, non inficior quia appetitus ſenſitiuus ex apprehenſione obiecti eſt proportionatus ad hos actus doloris, ac triſtitiæ de peccato comiſſo operandos: ſiquidem etiam ante omnē ellectionem voluntatis, ac pœnitentiæ aliquando illos naturali veluti reſultantia operatur, neq; ex hoc quod motione pœnitētiæ ad finem ſupernaturalem ordinentur reduntur in proportionati virtuti phiſicè, ac naturali ipſius appetitus, quia hic finis non eſt operis ad quem motus iſti, vt ad obiectum ex ſe, & ab intrinſeco ordinentur, ſed eſt finis operantis, quem pœnitentia media ellectione omnibus actibus, etiā aliarum potentiarum, à ſe imperatis præſtituit, ex quo nulla intrinſeca eleuatio ſequitur in huiuſmodi actibus, ſicut neque in operibus exterioribus meritorijs, neque membris exterioribus quando à voluntate mouentur, aliquid intrinſecum ipſis oportet admittere, præter executiuā potētiam, ſed ſola extrinſeca directio: intrinſeca autem potentiæ, & virtuti, quæ ad proprium obiectum tamquam ad finem, actus potentiarum inferiorum ordinat.

Circa tertium dubium, quia de quinque generibus perſonarū, & ſtatuum, nimirum de Chriſto, Angelis, & beata Virgine: de ſtatu innocentiæ, & ſtatu beatitudinis, eſt apud Theologos controuerſia, num in ipſis fuerit pœnitentia? noſtram, ac veritati conformiorem ſententiam ſtatuere oportet per ſequentes concluſiones.

16 Dico primo: in Chriſto nullatenus fuiſſe virtutem pœnitentiæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Marſilium in quarto quæſtione 20. ad ſextum, & Thomam de Argentina ibidem diſtinctione 14. quæſtione prima articulo primo, & Alexandrum tertia parte quæſtione 12. membro primo ad tertium, aſſerentes pœnitentiam fuiſſe in Chriſto ſecundum eius formalem rationem, licet ſeclusa imperfectione doloris de peccato commiſſo, quam ſub hoc nomine pœnitentiæ connotat in peccatore.

Quos ſequitur Suarez tomo primo in tertiam partem diſputatione 19. ſectione prima, & tomo 4. diſput. 7. ſect. 4. Ex eo ſibi hanc perſuadens ſententiam, quod præter actus illos quibus reſpicit, & præſupponit peccatum commiſſum ab eodem operante, quos Chriſtus habere nequiuit, potuit tamen habere alios, nimirū quia ſic erat Chriſtus diſpoſitus vt ſi peccaret, doleret de peccato, ac proinde habebat hunc actum conditionatum: ſi ego peccaſſem, Deo pro peccato ſatisfacerem: quod ſufficere ad ſaluandam virtutem pœnitentiæ, patet à ſimili. Tum, quia in homine iuſto, teſte Philoſoph. 4. Ethycor. ca. vlt. ponitur verecundia in illo, qui eſt ſic diſpoſitus, quod verecūdaretur de turpi actu, ſi illum committeret, & teſte D. Thom. 3. p. q. 95. art. 3. Adamus in ſtatu innocentiæ habuit virtutes pœnitentiæ, & miſericordiæ, quia licet earum actus abſolutos non poſſet pro illo ſtatu habere ob defectū culpæ propriæ, & miſeriæ alienæ, habebat tamen illos in præparatione animi, & ſub conditione, quia ſic erat diſpoſitus, quod pœniteret, ſi peccaret, & miſereretur ſi alius in miſeriam incurriſſet: & teſte D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad 3. mulier nupta retinet virtutem virginitatis quoad formale, quia habet propoſitum conditionatum ſeruandi illam, ſi ſibi congrueret: ergo propter ſimile propoſitum conditionatum & animi præparationem ponenda eſt virtus pœnitentiæ in Chriſto, licet ſecluſa imperfectione, quam connotat in peccatore, & à qua nomen fuit impoſitum: quemadmodum id quod eſt potentia peccandi, id eſt liberum arbitrium reperitur in Chriſto Domino ſecluſa imperfectione, quam connotat potentia peccandi, eo vel maxime quod virtus pœnitentiæ non diſtinguitur eſſentialiter à virtute iuſtitiæ, vel religionis, vt volunt præfati auctores, ac proinde cum in Chriſto fuit iſta, neceſſe eſt fuiſſe rationem formalem illius.

Cōcluſio ex mente D. Th. & eſt cōtra ipſius ratione probatur.

17 Sed noſtra concluſio eſt D. Tho. q. 84. præcedenti art. 7. ad 4. & in 4. diſt. 14. q. 1. art. 3. queſtiuncula 3. ad 2. & diſtinct. 22. q. 2. art. 3. queſtiuncula 2. ad 3. communiterque recepta à Scholaſticis in d. diſt. 14. præſertim à Paludano ibidem q. 1. à Soto q. 2. art. 5. à Peſantio hic diſput. 1. à Mazquio dub. 2. & Valentia pūcto 2. Probaturque ex eo quod ablato obiecto primario alicuius virtutis impoſſibile ſit illam conſiſtere, vt pote cū ab obiecto primario ſpeciem ſumat, ſed in Chriſto deficit primarium obiectum pœnitentiæ ſpecialis virtutis, a religione, iuſtitia, & cæteris diſtinctæ, vt ex dictis probatū ſupponimus: ergo & ipſa deficit. Min. patet, quia primarium obiectū virtutis pœnitentiæ eſt peccatum commiſſum ab eodem habente: teſte enim D. Thom. artic. præcedenti ad ſecundum, eadem eſt materia pœnitentiæ, & verecundiæ, vtraque enim eſt de actu turpi, quē tamen verecundia reſpicit vt præſentem: pœnitentia vero vt præteritum, & art. 2. dicit actum proprium pœnitentiæ eſſe operari ad deſtructionem peccati commiſſi, & art. 3. ex mēte Auguſt. dicit eſſe dolentis vindictam, & in 4. diſt. 17. q. 2. art. 2. queſtiuncula 4. ait ex dolore de peccatis commiſſis oriri propoſitum cauendi illa in futurum, veluti ſecundarium actum ex primario: huiuſmodi autem turpem actum, ſiue malū culpæ in Chriſto neque de facto, nec de poſſibili fuiſſe oſtendit D. Thom. ſupra quæſt. 15. art. 1. & 2. ob animæ ipſius impeccabilitatem, quam ex gratia vnionis eſt ſortita, pluribuſque teſtimonijs eandem Chriſti impeccabilitatem comprobant Niſenus oratione 13. in Cantica, Epiphanius in anchorato, Ricardus de S. Victore, qui illud teſtimonium Canticorum, ſcilicet, *Dilect⁹ meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*, de Chriſto interpretantur ob eius perfectam ſanctitatem, & impeccabilitatem ex plenitudine gratiæ prouenientem, & Gregorius lib. 30. moralium cap. 15. ſuper illud Iob 39. *Quis dimiſit onagrum liberum, &c.* inquit Chriſtum denotari, qui propter ſuam impeccabilitatem dicitur veniſſe liber à vinculis peccatorum, qui etiā propterea Pſalmo 78. inter mortuos liber appellatur. Et Theodoretus, Chryſoſtomus, Theophyl. ſuper illud 1. ad Timotheum 3. quod Paulus de magno pietatis ſacramento, id eſt incarnationis myſterio, profert, *Manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatū eſt in ſpiritu*, idem argumentum proſequuntur.

18 Ex quo patet ad fundamentum aduerſariorum, deficiente enim poſſibilitate obiecti primarij, & actus abſoluti circa obiectum alicuius virtutis impoſſibile eſt talem virtutem manere propter ſolos act⁹ conditionatos circa obiectum ſimpliciter impoſſibile, cum enim virtus ſit diſpoſitio perfecti ad optimum actum, nō poteſt dari propter ſolos act⁹ imperfectos cuiuſmodi

ſunt

ſunt cōditionati de obiecto ſimpliciter impoſibili, ſed neceſſe eſt illam circa obiectū poſibile ſimpliciter, & ſub aliquo actu abſoluto attingibile verſari, quo per accidēs, & pro aliquo ſtatu deficiēte poterit virtus dari propter actum conditionatū de obiecto ſimpliciter poſsibili, licet ex aliqua ſuppoſitione reddatur impoſsibile, & tales ſunt actus recenſiti in argumento. Neque eſt ſimile de potentia peccandi, quæ quoad eſſentiam eſt liberum arbitrium, cuius obiectum formale eſt operari cum indifferentia quod nullam imperfectionem inuoluit Chriſto repugnantē: obiectū vero pœnitentiæ eſt malum culpæ propriæ, & quia illud voluntas Chriſti perpetrare nō potuit, ideò neque habuit pœnitentiam.

Neque obſtat, quod habuerit odiū & deteſtationem de peccatis alienis, & quod pro illis adæqualitatem ſatisfecerit, prior enim actus ad charitatem: poſterior vero ad iuſtitiam commutatiuam pertinuit, vt oſtendimus quæſtione prima de incarnatione articulo ſecundo dubio vltimo.

Angeli, nec viatores, nec extra viam capaces ſunt huius virtutis

19 Dico ſecundo: neque Angelos viatores, aut extra viam habuiſſe virtutem pœnitentiæ, neque eſſe capaces illius. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Vazq. numero 19. dubij ſecundi, aſſerentem Angelos capaces eſſe pœnitentiæ quia natura ſua conuerti poſſunt ab eo quod ſemel elegerunt, ac proinde de peccatis commiſsis dolere, ſi Deus illis gratiam conuerſionis non denegaret, quod Latius docuerat prima parte diſputatione 230 capit. 7. & de facto in via illam habuiſſe, ſi peccatum primum illorum potuit eſſe veniale: ſecus autem ſi neceſſario fuit mortale. Immeritoque ibidem numero 22. tribuit D. Thom. in quarto diſtin. 14. quæſt. 1. art. 3. queſtiuncula 4. ſententiam affirmantē pariformiter in animabus beatis, in homine pro ſtatu innocentiæ, atque in Angelis pęnitentiam reperiri: quia oppoſita ſententia, ac proinde noſtra concluſio eſt expreſſa D. Thom. ibidem communiterque recepta ab Scholaſticis in eadem diſtinctione præſertim Alexādro in dicta 4. parte quæſt. 2 membro 2. art. 1. Soto in d. art. 5. Cartuſ. q. 3. & Valēt. hic pūct. 3.

Probaturque primo ratione qua vtitur D. Tho. in d. qla. 4 ſub hac forma, quā uis in Angelis damnatis (cum de vtriſq; ſit eadē ratio, quia teſte Damaſc. lib. 2. de fide cap. 4. quod hominibus eſt mors, hoc eſt Angelos caſus) ſit actus pęnitentiæ, ſiue doloris ſimilitudinarie dicti cum illo, qui eſt paſsio, iuxta illud Sap. 5. intra ſe gemē tes, & pœnitentiam agentes, reſpectu autē pœnitentiæ virtutis deeſt in illis propria materia, circa quam, qua deſſiciente neceſſe eſt, & virtutem deſſicere: ergo. Min. patet, quia deficiente materia non manet potentia exeundi in actum circa illam: ergo neque manet actus virtutis. Mai. autem pro ſecunda parte probatur, quia propria materia huius virtutis eſt peccatum proprium vt remiſsibile, vel expiabile per compenſationem: ſed in Angelis pro nullo ſtatu manet huiuſmodi materia: non quidem pro ſtatu viæ, quia eorum peccatum fuit factum irremiſsibile, vtpotè cum fuerit terminus viæ, ſicut mors hominibus ſecundū Damaſcenum, & à fortiori pro ſtatu damnationis manſit irremiſsibile: neque tandē pro ſtatu beatitudinis, quia cum Angeli beati numquam peccauerint, neque remiſsibile, neque irremiſsibile peccatum in illis ſupponitur: ergo.

Secundo probari poteſt ratione qua D. Tho. vtitur 1. p. q. 64. at. 2. & 5. ad probandum voluntatem Angelorum inflexibilem eſſe ab eo quod ſemel ellegerūt, propterea que de malo culpæ ſemel a ſe commiſſo dolere non poſſe, ſed in illo manere obſtinatos, ex qua damnat errorem Origenis lib. 1. periarcon. cap. 6. aſſerentis omnem voluntatem creatam, pro quolibet ſtatu excepta Chriſti propter vnionē ad Verbum eſſe flexibilem in bonum, & malum: cum ergo à malo culpæ ſemel commiſſo etiam ſi potuerit eſſe veniale in Angelis viatoribus (quod gratia diſputationis dumtaxat ſupponimus) eorum voluntas flecti non poſsit, conſequens ſit illam nō eſſe ſuſceptiuam virtutis pœnitentiæ, vtpotè cū eius actus ſit illis omnino impoſſibilis, nimirum libera peccati ſemel commiſsi retractatio, ac deteſtatio, & propoſitum emendandi vitam.

Neque ſufficit propoſitum illud conditionatum emendandi, ſcilicet aut deteſtādi peccatū ſemel commiſsum ſi poſsent, propter duo. Tum, quia cū ſit de obiecto omnino impoſsibili nō eſt ſufficiēs ſpecificare virtutē, imò neque in beatis, neque in damnatis Angelis eſt admittendum: in illis quidem ob imperfectionem, & ocioſitatem huiuſmodi actuum: in illis vero ob voluntatis eorum in malo obſtinationem.

Tum etiam, quia ob ſimile propoſitũ poneretur in Angelis beatis virtus temperantiæ, v.g. aut fortitudinis: ſiquidem etiam ſunt affecti in animi præparatione ad bonum harum virtutum ſi poſſent, quod tamen eſſe falſum conſtat, quia cum paſsionum ſint expertes, in quarum mediocritate in ipſo habente honeſtas harum virtutum conſiſtit, ideo neque illarum ſunt ſuſceptiui.

Virtus pœnitētiæ fuit in B. Virgine quoad habitũ, nõ tamen quoad actum.

20 Dico tertio: in beata Virgine fuiſſe quoad habitum, ſed non quoad actum virtutem pœnitentiæ. Hanc cõcluſionem negant Almainus in d. diſt. 14. q. 2. Gabr. ibidem q. 1. & Vazq. dub 2. art. 3. dub. 6. propter duo. Tum, quia beata Virgo nunquam potuit peccare etiam venialiter, vt diffinitur in Trident. ſeſs. 6. can. 23. eo quod ante conceptionem Chriſti religatum habuit fomitem, quia tunc omnino fuit extinctus, ac proinde ſubſtracta fuit illi materia circa quam virtutis pęnitẽtię: qua ſubſtracta, & ipſam virtutem neceſſe eſt deficere, ob illius enim ſubſtractionẽ in Chriſto, & Angelis defecit: ergo etiã in Beata Virgine. Tum etiam, quia fruſtraneus eſt habitus, qui numquam poteſt reduci ad actum: ſed habitus pœnitentiæ in beata Virgine non poſſet reduci ad actum doloris, aut propoſiti efficacis compenſandi peccatum commiſſum, quia peccatum committere non potuit, & quilibet alius actus non eſt proprius pœnitentiæ, ſed alterius virtutis: ergo.

21 Sed noſtra concluſio præter quã quod eſt conformior D. Thom. vbi ſupra queſtiuncula 2. & 3. defenditur à Paludano in d. diſt. 14. q. 4. Palacios ibidem q. 6. Suarez, & Soto, qui rationem Paludani licet opugnet, cõcluſioni tamẽ eius nõ diſsẽtit, Valentia, & Peſantio in locis præallegatis, & Hẽriquez in ſumma lib. 1. q. de pęnitentia cap. 35. Et probatur primo, quia vt aliquis habitus infuſus ponatur in aliquo ſubiecto, ſatis eſt illum ſuapte natura concomitare gratiam, proindeque poni ad ornatum, & quod aliàs ſubiectum illi⁹ ex conditione ſui ſtatus non habeat conditionem repugnantem, ſed licet beata Virgo ex priuilegio ſpeciali fuerit reſeruata à peccatis venialibus, neque amplius diffinit Concilium vbi ſupra: tamen ex conditione ſui ſtatus fuit libera ad peccandum ſaltem venialiter, dum fuit viatrix, & aliàs habuit gratiam iuſtificantem, ad quam ſuapte natura omnes virtutes morales infuſæ cum pœnitentia conſequuntur, ſi quidem ex parte ſubiecti non fuit conditio aliqua repugnans huiuſmodi pœnitentiæ: ergo non eſt cur in beata Virgine gratiam ab illa ſeiungamus: alioquin etiam ſeiungeremus illam ab habitu infuſo pœnitentię in pueris decedentibus cum gratia baptiſmali ante vſum rationis: quia pro tunc neque peccauerunt, neque potuerunt peccare actualiter, ac proinde neque habitus ad actum reduci potuit: quod tamen eſſe falſum ſequenti concluſione oſtendemus.

Secundo, quia licet habitus pœnitentiæ in beata Virgine non potuerit reduci ad actus recenſitos doloris de peccato à ſe commiſſo, & propoſiti efficacis cõpenſandi illud: tamen potuit reduci ad alios actus ſibi proprios, cuiuſmodi ſũt propoſitum generale cauendi omne peccatum in quauis materia: verè enim volebat nũquam in perpetuum peccare, & hoc illi cõplacebat, licet enim propoſitum vitandi peccatum in hac, aut illa materia in particulari pertineat ad particularem virtutem, quæ verſatur in particulari materia: tamẽ propoſitum vniuerſale vitandi omne peccatum in ratione offenſæ, ne fiat iniuria Deo, aut vt ſeruetur illeſum ius diuinum, ad ſolam virtutem pęnitentiæ poteſt pertinere. Deinde propoſitum illud conditionatum compenſandi pro peccato proprio, ſi illud haberet, exiſtente abſoluta poſsibilitate peccati eſt ſufficiens ſpecificatiuum huius virtutis: ergo ſaltem propter huiuſmodi actus, nedum ad ornatum, ponenda eſt in beata Virgine virtus pęnitentiæ.

Cui non obſtant fundamenta aduerſariorum. Non primum, quia per ſe, & abſolutè loquendo ex conditione intrinſeca ſtatus non fuit, maximè ante conceptionem Chriſti ablata poſsibilitas peccati, cum tamen in illa manſerit fomes, quo manente ſufficiens eſt materia habitus pœnitentiæ, licet ab extrinſeco, & ex priuilegio ſit huiuſmodi potentia impedita ne exeat in actum.

Neque ſecundum, propter duo. Tũ quia præter illos actus iam aſsignauimus alios, propter quos poſſet dari habitus pęnitentiæ in beata Virgine.

Tum etiam, quia potuit huiuſmodi habitus illi infundi ad ſolum ornatum, ex concomitantia ad gratiam, ſicut pueris innocentibus in quibus propterea non oportet

porteт vt in aliquem actum explicetur.

In hominibus innocẽtibus, & beatis eſt virtus infuſa pœnitentia.

22 Dico vltimo: in hominibus innocentibus, & beatis ponendam eſſe virtutem infuſam pœnitentiæ. Hęc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Gabri. Almain. & Vazq. in locis præallegatis, hanc virtutẽ etiam quoad habitum omnibus innocentibus, & animabus beatorum maxime illorum, qui nullum actuale peccatum commiſſerunt in via denegantes eo quod fruſtrane⁹ eſt habitus, qui per ſe ipſum, & idẽ numero manens non poteſt ad actum reduci: eo quod habitus præciſe dantur propter actus: ſed talis eſſet habitus infuſus pœnitentiæ in innocẽtibus, hoc eſt in primis parentibus pro ſtatu innocentiæ, & pueris gratia baptiſmali præditis, atque in beatis: ergo. Minor probatur ſigillatim: in primis quidem parentibus, quia neceſſe fuit huiuſmodi habitum infuſum pœnitẽtiæ expelli prius, quam eſſet materia circa quam operaretur, durante enim ſtatu innocentiæ nulla fuit materia, quia cum nullo peccato, etiam veniali erat ille ſtatus cõpatibilis: illo autem amiſſo neceſſe fuit amitti hunc habitum, quia neceſſe fuit primum peccatum fuiſſe mortale, per quod gratia iuſtificans, ac cæteræ virtutes infuſæ, præter ſpem, & fidem, expelluntur.

In pueris autem, quia teſte eodem D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6 primum peccatũ venientium ad vſum rationis opportuit eſſe mortale, ac proinde gratiæ, ac pœnitentiæ infuſæ deſtructiuum: & conſequenter præexiſtens habitus pœnitentiæ numquã potuit ad actum doloris de peccato cõmiſſo reduci.

In beatis denique, quia actus proprij huius virtutis, nimirum dolor de peccatis commiſsis, atque abſoluta voluntas illa conpenſandi non decent ſtatum patriæ, niſi tantum viæ: quandiu pœnitentiam agere eſt ad ſalutem neceſſarium: propterea enim Apocal. 21. dixit Angel⁹ de beatis, *quod abſterget omnem lachrymam ab oculis ſanctorum, & mors vltra non erit, nec luctus, neque clamor, nec dolor erit vltra, quia prima abierunt:* & Eſai. 65. *Quia oblivioni tradita ſunt anguſtia priores.*

23 Sed noſtra eſt expreſſa D. Tho. quantum ad ſtatum innocentię primorum parentum prima parte quæſtione 93. articulo tertio, quoad omnes vero innocentes in quarto diſtinctione citata quæſt. 1. art. 3. queſtiuncula 2. & quoad animas quorumcumque beatorum ibidem queſtiuncula tertia, quam ſequitur Dionyſius Carthuſianus in eadem diſtinctione quæſt. 3. Alexand. Palud. Soto, Suarez, Valentia, & Peſantius in locis præallegatis.

Et probatur dupliciter. Tum, quia ſufficit ne temere ponatur habitus illum dari in ornamentum ſubiecti, naturaliterque conſequutũ ad aliquam formam, quando non adeſt conditio repugnans illi: hoc eſt quando ſimul ſtat poſsibilitas obiecti primarij, & actus abſoluti circa illud, etſi per accidens ab exercitio talis actus impediatur: in prædictis autem ſubiectis nulla cõditio erat repugnans habitui infuſo pœnitentiæ (acquiſitum enim ſupponimus in illis, non fuiſſe genitum) ſimiliter quando erat poſsibilis materia ſufficiens circa quã nimirum peccati, & contritionis poſsibilitas, in Adamo quidem, quia ſtatus ille iuſtitiæ originalis relinquebat illum liberũ ad peccandum, ac proinde ad deteſtandum ipſum peccatum actu abſoluto: in pueris vero ob eandem rationem, quia in illis etiam manet libera facultas peccandi, licet ob defectum vſus rationis, ſit ab exercitio per accidens impedita, & aliàs eſt naturale conſequium pœnitentiæ, ac cæterarum virtutum infuſarum ad gratiam. In beatis denique, quia ſi hanc virtutem habuerunt in via ob gratiæ ornamentum non eſt cur illam amittant in patria, magis quam alias virtutes morales, verſantes circa paſsiones, quę à ſuis actibus exercſant in patria, quam paſsionum moderatio non decet. Neque tamẽ illas aliquis Theologorum à beatis ſeiungit: ergo.

Tum etiam, quia ſtante abſoluta poſſibilitate primarij obiecti, & actus circa illud, non temere, ſed merito ponuntur habitus virtutum in ſubiectis propter alios actus ſecundarios, quos in illis valent exercere, in prædictis autem ſubiectis virtus pęnitentiæ exercere potuit alios actus ſecundarios, & ſibi proprios præter primarios receſitos: in Adamo enim potuit habere prædictum propoſitum conditionatum ſatisfaciendi pro peccato, ſi illud committeret, imò & potuit abſoluto, & efficaci actu ueniale peccatum compenſare, ſi fortè illud priuſquam mortale cõmitteret, quod poſsibile eſſe admittit Richard. vbi ſupra, ſiquidem per huiuſmodi veniale peccatũ, non expelleretur pęnitentia, ſicut neque gratia.

Et tandem, quia ſic erat diſpoſitus pro illo ſtatu vt pœniteret ſi peccaret, ſicut erat miſericordia in eo, quia ſic erat diſpoſitus, vt compateretur proximo, ſi illum in miſeria videret, vt arguit Diuus Thomas vbi ſupra. In pueris vero innocentibus venientibus ad vſum rationis poſuit habere nedum prædictum propoſitum conditionatum & inefficax, ſed etiã abſolutum & efficax compenſandi peccatum a ſe commiſſum ſaltem veniale, quia licet Diuus Thomas doceat in loco præallegato primæ ſecundæ primum peccatum venientis ad vſum rationis debere eſſe mortale, hoc intelligitur ſi tunc peccat: ſecus autem ſi non peccat, ſed potius, aut iuſtificatur, aut meretur augmentum gratiæ, tranſacto enim illo inſtanti vſus rationis, poterit poſtea puer factus iam adultus veniale peccatum cõmittere, ac proinde de illo pœnitere: vt admittit Diuus Thomas in dicta queſtiuncula ſecunda ad primum dicens: habitum pœnitentiæ poſſe in actũ exire in pueris innocentibus prius fortè reſpectu venialium peccatorum.

Et tandem in beatis, quia teſte Diuo Thoma in dicta queſtiuncula tertia habentalium actum, qui eſt gratias agere Deo pro miſericordia relaxante peccatã, neque hic pertinet ad virturem gratitudinis (vt falſo exiſtimauit Vazqez) ad quam ſolum pertinet gratias rependere Deo benefactori: non autem vt offenſo, quẽ vt ſic reſpicit pœnitentia in prædicto actu: habet etiam gaudere de proprijs actibus habitis in via, vtpotè cum teſte Diuo Thoma prima ſecundæ quæſt. 59. articuló quarto eiuſdem virtutis ſit gaudere de proprijs actibus, cuius eſt & operari illos, ſicut de virtutibus moralibus verſantibus circa paſsiones docet quæſtione 76. articuló primo & ſecundo, & ſecunda ſecundæ quæſtione 52. articulo tertio ad ſecundum, & in tertio diſtinctione 33. quæſtione prima, habere in patria alios actus diſtinctos, ab actibus viæ, maxime illum, quo gaudent de paſsionibus deuictis in via. Ex quo patet ad fundamenta aduerſariorum.

ART. V.

Vtrum principium pœnitentiæ ſit ex timore?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod principium pœnitentiæ non ſit ex timore. Pœnitentia enim incipit in diſplicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad charitatem, vt ſupra dictum eſt *. Ergo pœnitentia magis oritur ex amore, quam ex timore. *4. d. 14. q. 1. a. 2. q. 6. per tot. & q. 6.* *a. 3. huius q.*

2 Præterea, Ad pœnitentiam homines prouocantur per expectationem regni cœleſtis, ſecundum illud Matth. 3. & 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cęlorum. Sed regnum cęlorum eſt obiectum ſpei. Ergo pœnitentia magis procedit ex ſpe, quam ex timore.

3 Præterea, Timor eſt quidam actus interior hominis. Pęnitentia autem non videtur in nobis eſſe ex opere hominis, ſed ex opere Dei: ſecundum illud Hierem. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. Ergo pęnitentia non procedit ex timore.

Sed contra eſt, quod Iſai. 26. dicitur, Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus, ſcilicet per pęnitentiam. Et poſtea ſubditur ſecundum aliam literam, A timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis, id eſt, pęnitentiæ ſalutaris, vt per præmiſſa patet †. Ergo pęnitentia procedit ex timore. *ex q. præc. ar. 6.*

Reſpon-

Reſpondeo dicendum, quod de pœnitentia loqui poſſumus dupliciter. Vno modo quantum ad habitum. Et ſic immediate â Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus: non tamen ſine nobis diſpoſitiue cooperantibus per aliquos actus. Alio modo poſſumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitẽtia cooperamur. Quorum actuum primum principium eſt Dei operatio conuertentis cor, ſecundum illud Thren. vlt. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt motus timoris ſeruilis, quo quis timore ſuppliciorum â peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non iam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quod actus pœnitentię â timore ſeruili procedit ſicut â primo motu affectus ad hoc ordinato: â timore autem filiali ſicut ab immediato, & proximo principio.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum prius incipit homini diſplicere (maxime peccatori) propter ſupplicia, quę reſpicit timor ſeruilis, quam propter Dei offenſam vel peccati turpitudinẽ: quod pertinet ad charitatem.

Ad ſecundũ dicendum, quod in regno cœlorum appropinquante, intelligitur aduentus Regis, non ſolum præmiantis, ſed etiam puniẽtis. Vnde & Matth. 3. Ioannes Baptiſta dicebat, Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere â vẽtura ira?

Ad tertium dicendum, quod ipſe etiam motus timoris procedit ex actu Dei conuertentis cor. Vnde dicitur Deuter. 5. Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me? Et ideo per hoc, quod pœnitentia â timore procedit, non excluditur quin procedat ex actu Dei conuertẽtis cor.

ART. VI.

Vtrum pœnitentia ſit prima virtutum?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod pœnitentia ſit prima virtutum. Quia ſuper illud Matth 3. Pœnitentiam agite, dicit gloſ.* Prima virtus eſt, per pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odiſſe. *4.d.14.q. 1.ar.1.q. 6.ad 6 et ar.2.q.2.* *gl. or. ibi*

2 Præterea, Recedere â termino, prius eſſe videtur, quam accedere ad terminum. Sed omnes aliæ virtutes pertinere videntur ad acceſſum ad terminum (quia per omnes ordinatur homo ad bonum agẽdum) pœnitentia autem videtur ordinari ad receſſum â malo. Ergo pœnitentia videtur eſſe prior omnibus alijs virtutibus.

3 Præterea, Ante pœnitentiam eſt peccatum in anima. Sed ſimul cum peccato nulla virtus animæ ineſt. Ergo nulla virtus eſt ante pœnitentiam: ſed ipſa videtur eſſe prima, quæ alijs aditum aperit, excludendo peccatum.

Sed contra eſt, quod pœnitentia procedit ex fide, ſpe, & charitate, ſicut iam dictum eſt*. Non ergo eſt pœnitentia prima virtutum. *ar. præc.*

Reſpondeo dicendum, quod in virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus: quia cum virtutes ſint connexæ (vt in ſecunda parte habitum eſt *) omnes ſimul incipiunt eſſe in anima. Sed

1.2.q.65 ar.1. dicitur vna earum eſſe prior altera ordine naturæ, qui conſideratur ex ordine actuum: ſecundũ ſcilicet, quod actus vnius virtutis præſupponit actum alterius virtutis. Secundum hoc igitur dicendum eſt, quod actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere poſſunt actum & habitum pœnitentiæ: ſicut actus fidei & ſpei informium, & actus timoris ſeruilis. Actus autem & habitus charitatis ſimul ſunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, , & cum habitibus aliarum virtutum. Nam ſicut in ſecunda parte habitum eſt *, in

1.2. quæ. 113. a.3 & 8. iuſtificatione impij ſimul eſt motus liberi arbitrij in Deum, qui eſt actus fidei per charitatẽ formatus: & motus liberi arbitrij in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit ſecundum: nam actus virtutis pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei: vnde primus actus eſt ratio & cauſa ſecundi. Sic igitur pænitentia non eſt ſimpliciter prima virtutum, nec ordine temporis, nec ordine naturæ: quia ſecundũ ordinem naturæ ſimpliciter præcedunt ipſam virtutes Theologicæ. Sed quantum ad aliquid eſt prima inter ceteras virtutes, ordine temporis quantum ad eius actum, qui primus occurrit in iuſtificatione impij: ſed ordine naturæ videntur eſſe aliæ virtutes priores, ſicut quod eſt per ſe, eſt prius eo quod eſt per accidens. Nam aliæ virtutes, per ſe videntur eſſe neceſſariæ ad bonum hominis; pœnitentia autem ſuppoſito quodã, ſcilicet peccato præexiſtenti, ſicut

q.66.a.4. etiam dictum eſt † circa ordinem ſacramenti pœnitentiæ ad alia ſacramenta prædicta.

Ad primum ergo dicendum, quod gloſ. illa loquitur quantum ad hoc, quod actus pœnitentiæ primus eſt tempore inter actus aliarum virtutum moralium.

Ad ſecundum dicendũ, quod in motib^9 ſucceſsiuis recedere a termino, eſt prius tempore, quam peruenire ad terminvm, & prius natura, quantum eſt ex parte ſubiecti, ſiue ſecundum ordinem cauſæ materialis. Sed ſecundum ordinem cauſæ agentis & finalis, prius eſt peruenire ad terminum; hoc etiim eſt quod primo agens intendit. Et hic ordo præcipue attenditur in actibus animę, vt dicitur in 2. Phyſic.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia aperit aditum virtutib^9, expellendo peccatum per virtutem fidei & charitatis, quæ ſunt naturaliter priores; ita tamen aperit eis aditum, quod ipſæ ſimul intrant cum ipſa. Nam in iuſtificatione impij ſimul cum motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum, eſt remiſsio culpæ & infuſio gratiæ, cum qua ſimul infunduntur omnes virtutes; vt in ſecunda parte habitum eſt †.

IN his duobus articulis poſtremis reſpondet Diuus Thomas tribus concluſionibus. Prima eſt, pœnitentia quoad habitum immediatè à Deo infunditur ſine nobis principaliter operãtibus: non autẽ ſine nobis diſpoſitiuè cooperantibus.

Secunda concluſio: pœnitẽtia quoad actus, quibus Deo cooperamur hunc habet ordinem, primum principium eſt Dei operatio conuertentis cor: ſecundus actus eſt motus fidei: tertius timoris ſeruilis, quo peccator timore ſuplicij à peccatis retrahitur: quartus eſt motus ſpei: quintus eſt charitatis. quo peccatum diſplicet ſecundũ ſe ipſum, & non iam propter ſupplicia: ſextus eſt timoris filialis quo

propter

propter reuerentiam Dei homo emendã voluntariè confert, ad quem immediatè ſequitur actus pœnitentiæ, qui à timore ſeruili, ſicut à primo motu affectus ad hoc ordinato procedit.

Tertia concluſio, pœnitentia, nec ordine durationis, nec ordine naturæ ſimpliciter eſt prima virtutum, licet quoad actum ordine durationis cæteras virtutes morales præcedat, quatenus eius actus prius concurrit in iuſtificatione impij: ordine vero naturæ ſimpliciter præceditur à virtutibus Theologicis: ab alijs autem moralibus præceditur ſicut id quod eſt per accidens ab eo quod eſt per ſe, quę ſingulis dubijs examinanda ſunt.

Dubitatur primo. An pœnitentia ſit virtus ſupernaturalis per ſe, ac immediate à Deo infuſa?

Sententia aſſerẽtium pœnitentiã eſſe per ſe virtutẽ adquiſitã, & naturalem quoad ſubſtantiã aliquibus ſuadetur argumentis.

24 IN hoc dub. duæ verſantur ſẽtẽtię. 1. negãs eſt Durandi in 4. diſtinct. 14. quæſt. 2. & in 3. diſtinct. 34, quęſt. 6. Scoti ibidẽ diſtinct. 36. quæſt. 1. & quæſt. 3. Enriquez quodlibeto 6. quæſt. 12. Medinæ Cõplutenſis Cod. de pęnitentia tractatu 1. q. 1. aſſerentium pœnitentiam eſſe virtutem adquiſitam per ſe, & naturalẽ quoad ſubſtantiam: ſicut & de cæteris virtutibus moralibus, Durand. Scoto, & Enriquez exiſtimarunt, nullas alias virtutes per ſe infuſas, præter tres Theologicas agnoſcentes.

Quorum fundamentum eſt, quia ſicut ars inferior poteſt ordinari, & attingere finem ſoli ſuperiori notum, & ab illa propoſitum, teſtè Philoſopho 1. ethic. cap. 5. ita ſuppoſita cognitione ſupernaturali fidei & reuelatione poteſt voluntas elicere actus naturales quibus doleat de peccatis in ratione offenſæ Dei: ergo per huiuſmodi actus frequentatos, generabitur habitus pœnitentiæ ſufficienter inclinans ad dolendum de peccatis, vt ſunt contra Deum, ac proinde ad præſtandum munus virtutis pœnitentiæ prout eſt virtus diſtincta à charitate, & à cæteris virtutibus, & conſequenter erit virtus adquiſita, ſuperfluaque erit pœnitentia per ſe infuſa.

Secundum eſt, quia alias ſciret homo ſe eſſe in gratia; quia ſciret ſe habere actum pœnitentiæ, deteſtationem ſcilicet peccati in ratione offenſæ; & hunc eſſe ſupernaturalem, & vltimam diſpoſitionem ad gratiam: quod tamen eſt contra illud Eccleſiaſtici 9. *Neſcit homo vtrùm amore, an odio dignus ſit?*

Secundã ſententia tenet virtutẽ pœnitentiæ eſſe per ſe à Deo infuſam.

25 Secunda ſententia affirmans eſt à Theologis communiter recepta: pręſertim illam tuentur Diu. Thom in quarto diſtinct. citata quęſt. 1. art. 2. Albertus ibidem art. 3. Bonauent. artic. 2. quæſt, 2. Paludanus quæſt. 3. Richard. art. 4. Soto quæſt. 2. art. 5. Alexander 4. parte quæſtione 12. membro 3. artic. 2. Canõ relectione de pœnitentia, 2. part. concluſione vltima, Vega lib. 13. in concilium cap. 25. Valentia quæſt. 2. puncto 1. Caietan. hic, Peſantius diſputat. 5. Vazq. dubio ſecundo, & Suarez diſp. 3. ſect. 7. & diſputat. 7. ſect. 1. corolario 2.

Qui auctores in duos modos dicendi diuiduntur: Ricardus enim vult diſtinguendas eſſe duas virtutes pœnitentiæ, alteram per ſe infuſam, & ſupernaturalem: alteram noſtris actibus acquiſitam: Cuius fundamenta ad hæc duo reduci poſſunt. Primum eſt quia ſimilis diſtinctio fit in cæteris virtutibus moralibus, vt præter temperantiam infuſam ponitur alia, quæ noſtris actibus adquiritur, & in ſuo genere eſt vera virtus, ſimiliter præter religionem per ſe infuſam ponitur religio naturalis & adquiſita, quæ Deo vt auctori naturali cultum, & honorem impendit, & eſt vera virtus in ſuo genere, quod etiam de alijs verificatur: ergo non eſt cur hoc ipſum de pœnitentia non verificetur, quod præter infuſam, quæ dolet de offenſis, vt ſunt contra Deum auctorem ſupernaturalem admittenda ſit alia noſtris actibus adquiſita; quæ doleat de offenſis vt ſunt contra rationem, & auctorem naturalem.

Secundum eſt, quia ex actibus huiuſmodi naturalis doloris de peccatis generatur aliquis habitus, qui vera eſt virtus pœnitentiæ: ergo. Maior eſt nota, quia ex actibus liberis frequentatis circa

aliquod obiectum, certum eſt aliquem habitum circa illud generari in potentia à qua tales actus frequentantur. Min. autem probatur tripliciter. Tum quia talis habitus eſt electiuus ſecundum rectam rationem vtpotè inclinans ad actus laudabiles, & honeſtos, cuiuſmodi ſunt dolere de peccatis, & emendare illa quatenus ſunt contra rationem, & auctorem naturalem: ergo. Tum etiam quia ad reſarciendas offenſas proximo illatas requiritur aliqua virtus naturalis, & adquiſita, & hæc formaliter habet rationem pœnitentiæ, cuius eſt offenſas compenſare: ergo ſimiliter ad reſarciendas offenſas illatas Deo vt auctori naturæ ponenda eſt virtus naturalis pœnitentiæ ſimilis illi, quæ humanas iniurias compenſat, aut eadem cum illa. Tum denique quia contraria ſunt ſub eodem genere: ergo cum habitus contrarius pœnitentiæ naturalis ſit ſimpliciter vicium, vtpotè ad actus illicitos inclinans, ipſa quoque virtus ſimpliciter debet eſſe.

26 Reliqui verò auctores ſicut duas pœnitentias agnoſcunt, alteram naturalem, & alteram ſupernaturalem ita rationem virtutis in iſta ſola conſtituunt, pro quorum ſententiæ declaratione. Dico primo. Virtus pœnitentiæ eſt per ſe infuſa, & ſupernaturalis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctor. 1. ſententiæ eſtque certa in eo gradu certitudinis, quo docuimus quæſtione 23, de charitate articul, 1, dub. 1. certũ eſſe dari virtutes ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, ſub his nominibus, *fidei, ſpei, & charitatis*, quamuis ſub ratione virtutis, aut habitus hucuſque diffinitum non ſit dari donum ſupernaturale, neque ſit magis certum dari habitum infuſum pœnitentiæ, quam habitus infuſos cœterarum virtutum moralium, bene tamen ſub nomine pœnitentiæ, & ſic intellecta concluſio probatur, tamquam dogma fidei. Primo ex Conciliorum & Patrum teſtimonijs, in quibus pœnitentia dicitur donum, & gratia Dei, vt ad Romanos 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, & Hieremię 31. *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Domine Deus meus poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, &c.* 2. ad Corinthios 7. *Triſtitia ſecundum Deum pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, quo ſignificatur pœnitentiam eſſe introductionem ad ſalutem, ac proinde ex gratia Dei, & 2. ad Timotheum 2. *ne forte Deus det illis pœnitentiam, & reſipiſcant à diaboli laqueis.* His accedunt duæ diffinitiones Tridentini ſeſs, 6. altera quidem habetur cap. 5. & 7. vbi diffinitur neminem niſi Dei gratia poſſe pęnitentiam agere, & altera Canone 3. ſub his verbis, *Si quis dixerit ſine præuenientis Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem pœnitere poſſe ſicut oportet vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Hoc etiam docent Hieronymus ſuper caput citatum Hieremiæ, Auguſtinus de fide ad Petrum capite 40, & lib. 50. homiliarum homilia 50. cap. 1. Leo Papa epiſtola ad Theodorum & Celeſtinus Papa epiſtola ad Epiſcopos Galliæ.

Hoc argumentum eneruare conatur, Vazq. dupliciter. Tum quia donum, & gratia Dei excitans, ſiue adiuuans latius patet quam donum entitatiuè ſupernaturale ſicut eſt fides Theologica verbi gratia & eius actus, extenditur enim etiã ad auxilium indebitum, quod Deus confert hominibus ad opera bona moralia ordinis naturæ, quod quia indebitum eſt, & ſupra humanam induſtriam, appellatur gratia Dei, ac proinde ex dictis teſtimonijs, quæ indifferenter vtuntur nomine gratię, non colligitur determinatè, pęnitentiam eſſe virtutem ſupernaturalem determinatè, ſed tantum eſſe gratiã Dei, quod de gratia duplici modo poteſt verificari. Tum etiam quia prædicta teſtimonia non loquuntur de actu pœnitentiæ ſpecialiter dictæ, prout eſt virtus ſpecialis à reliquis diſtincta, quæ eſt voluntas compenſandi Deo offenſam, ſed de actu doloris, ſeu attritionis, quæ eſt actus charitatis, ac proinde ex illis tantum colligitur pęnitentiam generaliter dictam prout idẽtificatur cum charitate eſſe infuſam, & ſupernaturalem, quod non ſufficit ad intentum concluſionis.

Sed neutra ſolutio euacuat vim argumenti facti: non prima propter duo. Tum quia iuxta regulam Auguſtini lib. de doctrina Chriſtiana cap. 10. & Athanaſij libro de communi eſſentia Patris, & Filij, verba ſcripturæ in ſenſu proprio, & communiter recepto ſunt accipienda niſi aliquod inconueniens contra fidem, aut bonos mores ex illo ſequatur. *Refutãtur Vazq. dictæ ſolutiones.*

Tum etiam, quia auxilium illud collatum à Deo ad opera bona moralia ordinis naturæ non dicitur gratia ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & cum addito, eo

quod

quod reducitur ad gratiam charitatis, & eſt debitum ſpeciei naturæ rationalis, quę de ſe inclinat ad bonum rationis, licet in indiuiduo ſit indebitum, & propterea cũ analogum ſit nomen gratiæ ſumptum per ſe & ſine addito, debet in prædictis teſtimonijs accipi pro principaliori ſignificato, ideſt pro dono entitatiuè ſupernaturali.

Neque ſecunda, quia nedum illa voluntas compenſandi in actu ſignato, ſed etiam ipſa deteſtatio actualis, & dolor de offenſis ex motiuo compenſandi in actu exercito ſunt actus proprij pœnitentiæ virtutis ſpecialis, vt contra eundem authorem oſtendimus art. 2.

Denique probatur ratione qua vtitur Canus ſub hac forma, actus pœnitẽtiæ eſt entitatiuè ſupernaturalis: ergo vt prompte, ac connaturaliter eliciatur indiget habitu, ſiuè virtute entitatiuè ſupernaturali, ac per conſequens per ſe infuſa à Deo: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, nam cum commune dogma ſit Theologorum receptum, virtutes Theologales & earum actus eſſe quoad entitatem ſupernaturales; actus ab eis per ſe dependens, & eas neceſſario præſupponens, quoad entitatem quoque debet eſſe ſupernaturalis, actus enim naturalis quoad ſubſtantiam, neque per ſe dependet à virtutibus Theologicis, neque illas neceſſario præſupponit: ſed actus proprius pœnitentiæ habet huiuſmodi neceſſariam connexionem, & dependentiam cum virtutibus Theologicis, & earum actibus: cum fide quidem quia ad Hebræos 11. dicitur: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & iterum, *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt*: per contritionem autem homo placet Deo ad quem accedit, & in Tridentino ſeſſione 6, cap. 6. inter motus ad iuſtificationem adulti requiſitos primo loco numeratur motus fidei, quo per modum aſſẽſus, vel ſaltem per modum ſimplicis propoſitionis credat peccator miſterio fidei, & præſertim Deum eſſe ſanctificatorẽ per Chriſti redemptionem, & cap. 8. ſubditur fidem eſſe humanæ ſalutis initium, & radicem iuſtificationis ſine qua impoſsibile eſt placere Deo iuxta illud Pauli ad Roman. 4. *Credenti autem in eum qui iuſtificat impium reputatur fides eius ad iuſtitiam.* Ex quo teſtimonio probat D. Thom. prima ſecunde, quæſt. 113. artic. 4. ad 3. requiri actum expreſſum fidei ad iuſtificationem adulti, quo credat Deum eſſe iuſtificatorem hominum per myſterium Chriſti: & propterea Auguſtin. lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 2. fidem appellat ſacramẽtum pœnitentiæ, eoquod ſine fide remiſſionis peccatorum nullus poſsit ad eorum deteſtationem ac deſtructionem moueri.

29 Cum ſpe vero, quia nemo niſi ſub ſpe veniæ, atque auxilij diuini obtinendi intendit offenſam Deo compenſare, cum terminus huius compenſationis ſit ipſius peccati venia, ac offenſæ remiſſio: quam ſine auxilio diuino ſperare præſumptio eſt: vndè in cap. *nemo* de pœnitentia quæſt. 1. dicitur: *Nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperauerit indulgentiam*, ex Ambroſio lib. 1. de pœnitentia, capit. 1. & propterea ad Roman. 8. dicitur: *Spe ſalui facti eſtis*, Matthæi 9. *Confide Fili remittuntur tibi peccata tua*, & in Concil. Tridentino ſeſsione 6. cap. 6. motus ſpei numeratur inter ſex actus ad adulti iuſtificationem requiſitos, diffiniturque contritionem, quæ eſt propinqua ad gratiam iuſtificantem diſpoſitio, incipere a fide, & ſpe & reſpicere Chriſti merita, quibus peccator credit, & ſperat faciendam eſſe hanc peccatorum remiſsionem & compenſationem: fauet Auguſt. ſerm. 40. in feſto omnium ſanctorum tom. 10. dum ait: *Neceſſe eſt vt in quo eſt fides quæ per dilectionem operatur, quod Deus pollicetur, comeſque eſt fidei ſpes.* Quod autem ſufficiat actus virtualis, & implicitus ſpei patet.

Tum ex eoquod illi ſoli actus debent exigi expræſſe & formaliter, cũ quibus iuſtificatio peccatoris extra ſacramẽtum fit ſuauior, & facilior: ſi autem ſecundum legem ordinariam Dei iuſtificatio exigeret actum expræſſum, & formalem ſpei præter actus fidei charitatis ac pœnitentię, non eſſet ſatis ſuauis, ac facilis ſicut eſt cum ſolo actu ſpei virtuali.

Tum etiam quia ſufficit virtualis intentio & attentio ad dignam confectionem, aut ſuſceptionem ſacramenti, & non magis requiritur ſpei actus ad iuſtificationem, quam intentio & attentio ad ſacramentorum confectionem, aut ſuſceptionem.

Tum denique, quia requiritur pariformiter actus ſpei atque timoris, qui tamen non requiritur ad actum charitatis habendum expræſſus ſeu formalis: ergo ſimiliter neque requiretur actus expræſ-

ſus,

Digitized by Google

ſus, ſeu formalis ſpei ad charitatis actum, ac proinde neque ad gratiam, ſed ſufficiet virtualis, vno ex duobus modis, vt oſtendimus prima ſecundæ quæſt. 113. artic. 3. dub. 1. vel quia tempore antecedēti præceſſerit aliquando in homine actus expręſſus, & formalis ſpei, vel quia continetur virtualiter in actu alterius virtutis videlicet charitatis, ſicut electio dicitur contineri in intentione.

Cum charitate denique: quia eius actus eſt intentio finis iuxta illud primæ ad Timothæum primo. *Finis præcepti charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Primus autem motus animæ ad diuina eſt Dei dilectio, teſtè Dionyſio de celeſti Hierarch. capit. 2. & teſtè Diu. Thom. hic primus motus ex prærequiſitis ad actum pœnitentiæ eſt dilectio charitatiua & 1. 2. quæſt. 113. art. 5. quod ſignum eſt hunc eſſe eiuſdem ordinis cum illis, alioquin non virtualiter, aut formaliter connecterentur, neque vnus aliũ præſupponere: ergo.

30 Dico ſecundo. Præter hanc ſupernaturalem ac per ſe infuſam pœnitentiam datur alia naturalis, quæ eſt laudabilis quidam habitus naturalibus actibus adquiſitus, ſed non virtus.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primi modi defendendi ſecundam ſententiam, & pro prima parte probatur primo: quia homo laudabiliter, & liberè exerceri poteſt in actibus naturalis pęnitentiæ, ſed ex huiuſmodi exercitio neceſſe eſt generari habitum ad ſimiles act⁹ inclinantem: ergo. Min. eſt nota, & mai. probatur, quia nihil vetat quominus etiã modo in lege gratię, ſiue iuſti, ſiue peccatores ex ſolo motiuo naturali doleant de delictis ſuis vt ſunt contra Deum auctorem, & finem naturalem, habeantque frequenter intentionem ſatisfaciendi pro illis in quantum poſſunt; quemadmodum quæſt. 24. de charitate art. 2. diximus nedum poſſibile, ſed etiam vtile eſſe exercitium amoris naturalis erga Deum, ex quo generetur ſimilis habitus naturalis charitatis, niſi eius munus ſufficienter præſtaret naturalis inclinatio voluntatis, quæ propterea impedit generationem ſuperuenientis habitus, & quemadmodum de facto in hæretico amiſſa Tdeologica fide manet alia adquiſita ex aſſenſibus naturalibus ad ſimiles aſſenſus inclinans: ita in peccatore fideli amiſſa pœnitentia infuſa manet habitus pœnitentiæ adquiſitæ ex affectibus naturalibus pœnitendi ad ſimiles affectus inclinans voluntatem, quorũ exercicium ob eorum honeſtatem nõ minus vtile eſt in peccatoribus ad aſſuefactionem ſupernaturalis pœnitentiæ, quã exercitium naturalis dilectionis Dei ad aſſuefactionem charitatiuæ dilectionis, & quam baptiſmus Ioannis vtilis erat pro aſſuefaciendis hominibus ad Chriſti baptiſma recipiendum, vt docet D. Th. ſup. q. 38. art. 1.

31 Secundo probatur, quia naturale eſt homini pro omni ſtatu præceptum pœnitendi, vt docet D. Thom. quæſtio. pręcedenti art. 7. & quæſtione ſequēti art. 6. & D. Bonauentura in quarto diſtinctione 19. 2. part. art. 1. q. 1. quorum doctrina eſt communiter à Theologis recepta: quæ tamen ſic eſt intelligenda non quaſi ad finem conſequend diuinam amicitiam per internam iuſtificationem ſit homini præceptum à natura, cum huiuſmodi finis omnino ſit ſupernaturalis, & naturali lumine minimè aſſequibilis, ſed tantum quoad finem placandi Deum, auctorem naturæ, & ſatisfaciendi illi aliquatenus pro pœna peccatis debita: quamuis ſuppoſita eleuatione hominis ad ordinem gratiæ determinauerit Deus modum pœnitendi per pœnitentiæ infuſæ, potius quam per alterius virtutis actus: huiuſmodi autem naturale præceptum non niſi actibus naturalis pœnitentiæ homines ſolo lumine naturali ducti adimplere poſsũt vtpotè qui ad ſolos illos ex vitalis pręcedēti aſtringuntur: ergo ad huiuſmodi laudabiles actus, & ſub præcepto naturali cadentes connaturaliter eliciendos dabilis eſt habitus naturalis pœnitentiæ laudabilis, & ipſis proportionatus.

Min. probatur tripliciter. Tum quia ratio naturalis dictat nullum congruè reſtitui in amicitiã alterius, ſiue Dei, ſiue hominis niſi compenſando offenſas illi irrogatas, ac proinde ex dictamine rationis naturalis tenetur homo fide deſtitutus compēſare aliquo modo offenſas Deo auctori naturæ irrogatas quod ſolis actibus pœnitentiæ naturalis ex hoc motiuo elicitis, ſiue imperatis poteſt præſtare.

Tum etiam quia hoc naturali lumine ducta gentilium quæcumque natio, quantumcunque lumine fidei deſtituta, ſemper exiſtimauit varijs victimis, & ſacrificijs Dijs eſſe immolandum: tum colē-

di: tum

ditum etiam eos placandi gratia, vt tradit natalis comes lib. 1. Mitologiæ capit. 17 & Ouidius cecinit lib. 1. de Ponto elegia 1. *Sæpe leuāt pœnas, ereptáque numina reddūt cum bene peccati pœnituiſſe vident.* Quod ſignum manifeſtum eſt illos lumine naturali ſe ad aliquos actus pœnitendi aſtrictos agnouiſſe. Tum denique quia ſi homo relinqueretur cōditus in puris naturalibus, teneretur hac naturali lege offenſas contra Deum commiſſas cōpenſare in quātum poſſet, quod pro illo ſtatu non aliter præſtaret niſi actibus naturalis doloris, ac deteſtationis peccatorum: ergo.

31 Deinde pro ſecunda parte probatur, quia cum virtus ſit diſpoſitio perfecti ad optimum, oportet eius actum attingere ad vltimam ſui generis perfectionem: vltima autem perfectio pœnitentiæ naturalis eſſet tollere & deſtruere per cōpenſationem offenſas contra Deum auctorem naturalem, & eius amicitiam recuperare, ad quorum neutrum attingere poteſt ſuis actibus naturalis pœnitentiæ, eo quod, neque offenſa contra Deum auctorem naturalem poteſt tolli niſi per gratiæ donum, per quod ſimiliter tollatur vt eſt contra auctorem ſupernaturalem; quia omne peccatum eo ipſo quod eſt contra Deum ſub priori, eſt contra eundem ſub poſteriori conſideratione, neque eſt dabilis vlla amicitia cum Deo auctore naturali, præter ſupernaturalem ſitam in Theologica charitate, vtpote quæ ſola ad videndum Deum ſub vtraque ratione, & fruendum illo inclinat, vt oſtendimus articulo 1. de charitate dub. 2. ergo non eſt virtus.

32 Dices: charitas naturalis attingit perfecte Deum vt finem vltimum naturalem quia Deus vt ſic eſt obiectum eiuſdem ipſi proportionatum, ſed etiam peccatum vt eſt contra Deum finem naturalem eſt obiectum contentum intra ordinem naturæ, ac per conſequens proportionatur pœnitentię naturali, eſtq; perfectè deſtruibile ab ipſa, quæ proinde erit virtus.

Sed neganda eſt conſequentia; nam quando obiectum naturale habet annexam conditionem ſupernaturalitatis, & ab ea neceſſario dependet in ſui ablatione, nequit perfectè attingi a virtute naturali: tale autem eſt quodcumque peccatū vt deſtruibile, quia licet directè auertat a Deo vt vltimo fine naturali, ſecundario tamen, & ex conſequenti auertit ab eodē vt vltimo fine ſupernaturali, & propterea nequit tolli ſub prima, quin tollatur ſub ſecunda ratione, ac proinde mediante dono gratiæ, ad quod naturalis pœnitentia non diſponit. Amor autem naturalis Dei taliter ad Deum vt finem naturalem terminatur, quod ibi ſiſtat, neque vlterius ad finē ſupernaturalem etiam ex conſequenti terminetur, & propterea Deus vt vltimus finis naturalis, eſt perfectè attingibilis per actus naturalis charitatis.

Neque ideo hæc eſt virtus, non quidem defectu perfectæ attingentiæ ſui obiecti, ſed defectu difficultatis ad virtutem requiſitę, quam nullam patitur voluntas creata in dilectione ſui creatoris, a cuius proinde naturali inclinatione non diſtinguitur charitas naturalis, vt oſtendimus in loco præallegato.

33 Ad fundamentum primę ſententiæ reſpondetur Durandum non fuiſſe ſibi ipſi conſtantem, dum actum pœnitentiæ dicit dependere per ſe a virtutibus Theologicis, & alias eſſe naturalem, ex hac enim dependentia manifeſtè ſequitur illum debere eſſe eiuſdem ordinis cum actibus virtutum Theologicarum.

Quare negandum eſt antecedens acceptum de actu doloris ex motiuo ſupernaturali compenſandi offenſam vſquē ad eius deſtructionem, & amicitiæ diuinę reconciliationem.

Ad ſecundum nego ſequelam, quia licet pœnitens ſciat certo ſe habere deteſtationem peccati: tamen non certo ſcit niſi coniecturaliter, an habeat illam quæ eſt ſupernaturalis cum omnibus cōditionibus, quas petit vt ſit diſpoſitio ad gratiam, ſicut id ipſum ignorat de actu charitatis, vt docet Diuus Thomas prima ſecundæ quæſtione 112. articulo quinto ad ſecundum.

34 Ad primum pro Ricardo neganda eſt conſequentia ob diſcrimen aſſignatum. Ad ſecundum nego minorem: ad cuius primam probationem dicendum eſt habitum illum licet honeſtum, & laudabilem, non eſſe virtutem ob defectum dibitæ perfectionis in deſtruendo offenſas.

Ad ſecundam neganda eſt minor. virtus enim illa, quæ verſatur in reſarciendis iniurijs alteri homini irrogatis non eſt ſpecialis virtus humanæ pœnitentiæ.

tiæ, vt falſo exiſtimauit Valentia in dicta quæſtione 2. puncto 1. ſequutus Soto in dicta diſtinctione 14. quæſtione 2. articulo 3. id ipſum vt probabile aſſertum tenentem: ſed ipſa iuſtitia commutatiua cuius obiectum formale eſt exterior æqualitas rei ad rem, quod etiam in humanarum iniuriarum compenſatione reperitur, dum æqualitatem inter compenſationem, & iniuriam humanam ponit, quæ vt ſic neque propoſitum emendationis per totam vitam, neque placationem aut amicitiam offenſi exigit: quæ tamen eſt circũſtãtia finis propria pœnitẽtiæ ſupernaturalis. Ad tertiam nego conſequentiam; ſatis enim eſt ad ſaluandam prædictam contrarietatẽ illos eſſe in genere habitus: præterquam quod, vitio intemperantiæ opponitur virtus infuſa pœnitentiæ, non obſtãte diuerſitate ordinis, ſiquidem hæc nec obſtat contrarietati, quę inter cæteras virtutes infuſas, ac vitia ipſis aduerſantia reperitur.

Dubitatur ſecundo. An omnes motus liberi arbitrij ad iuſtificationem adulti extra ſacramentum requiſiti, ſeruent eum ordinem inter ſe & reſpectu actus pœnitentiæ, quo a D. Thom. recenſentur?

Cõmunis Theologorũ ſuppoſitio.

35 IN hoc dub. omnes Scholaſtici conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eo quod illi ſex motus a Diu. Thom. numerati ſcilicet fidei, timoris ſeruilis, ſpei, charitatis, timoris filialis, & pœnitentiæ ad eam ſolam iuſtificationem adulti extra ſacramentum quæ fit in Eccleſia regulariter, & ſecundum magis cõſuetum modum in ordine gratiæ requirantur: eoſdem enim ferè motus numerat Tridentinum ſeſs. 6. cap. 6. deſcribens cõſuetum modum, quo peccatores extra ſacramẽtum diſponi ſolent, ſubditque in capit. 7. ſequenti ad vltimum actum ex his nimirùm contritionis, ſiue pœnitentiæ, tamquam ad vltimam diſpoſitionem immediate ſubſequi gratiam iuſtificantem. Cui ſuppoſitioni non obſtat huiuſmodi iuſtificationẽ aliquãdo fieri ſine actu formali, & expræſſo ſpei, aut etiam timoris ſeruilis ſiue filialis cum ſolo virtuali, quia ſcilicet, vel ante præceſsit expræſſus, & formalis, vel in actu eminẽtiori, v. g. dilectionis, aut cõtritionis cõtinetur virtualiter, per quẽ proinde ſupletur, quia vt oſtẽdimus prima ſecundę quæſt. 113. artic. 5. dub. 1. illos ſolum actus expræſſos. & formales, diximus regulariter de lege ordinaria eſſe neceſſarios ad iuſtificationem adulti extra ſacramentum, quibus iuſtificatio fit ſuauior & facilior, ac proindè diuinæ miſericordiæ, & ſuaui prouidentiæ Dei magis proportionata, quique ad tranſitum, & mutationem, qua peccator à ſtatu peccati ad iuſtitiæ ſtatum tranſit, requiruntur, vt acceſſus ad Deum per dilectionem ſuppoſito iuditio, vel apprehenſionẽ fidei ſine qua voluntas viatoris nequit in obiectum ſupernaturale moueri, ne in incognitũ feratur, & receſſus à peccato per contritionem & deteſtationem illius, quæ eſt actus pœnitentiæ, imò & hunc in aliquo caſu, licèt raro poſſe ſupleri per ſolum actum charitatis ibidem oſtẽdimus dub. 2. & amplius quæſt. ſeq. art. 2. oſtendemus.

Expenditur ſtatus cõtrouerſia.

36 Diſcriminantur autem in explicando, an quando omnes prædicti actus, aut aliqui ex illis formaliter, & expræſſe ad iuſtificationem adulti concurrunt aſsignatum ordinem ſeruẽt? In duas ſentẽtias. prima eſt negatiua, quam ſequũtur Alexand. 4. parte quęſt. 12. art. 2. Paludan. in 4. diſtinct. 14. artic. 2. quæſt. 3. Bonauent. ibidem, & Scotus quęſt. 2. art. 1, & Vazq. hic dubio 1. aſſerentes priorem eſſe ſecundum durationem, aut ſaltẽ, ſecundum cauſalitatem actum formalem pœnitentiæ actibus charitatis, ſpei, & timoris filialis.

1. ſententia negatiua argumẽtis quibuſdam ſuadetur.

3. Quorum fundamenta ad hæc quatuor reduci poſſunt. Primum, deſumitur ex teſtimonijs D. Thom. qui in 4. diſtinctione 14. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. docet actum pœnitentiæ priorem eſſe actu charitatis, & in hoc artic. 6. ait quod receſſus à termino à quo eſt prior ex par-

Digitized by Google

te ſubiecti; & in genere cauſæ materialis acceſſus ad terminum ad quem, receſſus autem a peccato fit per actum doloris, & deteſtationis, ſiue pœnitentiæ, ſicut acceſſus in iuſtificatione impij fit per motum in Deum, qui eſt dilectio, vt habet idem Diu. Thom. prima ſecundæ quæſt. 113. art. 5. & ibidem ad 1. artic. 7. ad 2. integra mutatio peccatoris fit per duos actus charitatis, ſcilicet acceſſus in Deum per dilectionem, & receſſus a peccato per odium illius in ratione offenſæ: ergo.

Secundo arguitur: ſi dilectio Dei eſſet prior, tolleret offenſam, vtpotè cum illa incompoſſibilis, & ſic ſuperueniens cõtritio nihil faceret, quod non eſt admittendum: ergo.

Tertio, quia actus proprius pœnitentiæ eſt voluntas compenſandi Deo offenſas, ſed iſte eſt prior actu dilectionis; ſiquidem ex illa voluntate compenſandi prouenit actus charitatis, cum enim volũtas ſit reflexa habet pro obiecto, compenſationem ipſam peccati, quæ fit per dilectionem Dei, & odium peccati, ac proinde ex illo actu excitatur voluntas ad iſtos potius, quam e contra.

Quartũ ſumitur ex incõuenienti triplici quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod iuſtificatio non poſſit fieri in inſtanti, ſed ſemper exigeret tẽporis durationem; ſiquidem illam exigit ſucceſſio horum motuum, quod eſt contra illud Ezech. 18. & 33. *in quacunq; hora*, ideſt inſtanti, *ingemuerit peccator*, &c.

Secundum eſt, quod numquam oriatur actus pœnitentiæ a timore ſeruili, aut filiali, ſiquidem ſufficienter excitatur ab actu dilectionis: quod tamen contrariatur doctrinæ Diu. Thom. in hoc articulo.

Tertium eſt, quod contritio ſimul eſt diſpoſitio ad gratiam, & ad habitus charitatis, & gratiæ, & pœnitentiæ, qui ſimul cum gratia infunduntur: quod tamen non eſt dicendum: ergo.

Secũda ſentẽtia affirmãs duabus elucidatur concluſionibꝰ

37 Secunda ſententia eſt affirmatiua, quam ſequuntur cum Diu. Thom. Caiet. in his duobus articulis Durandus in dict. diſt. 14. q. 2. & diſt. 17. q. 1. Capreolus ibidem q. 2. Argentina art. 4. Ricard. eodem art. q. 2. Soto diſt. 14. q. 2. a. 6. pro cuius ſententiæ declaratione.

Dico primo. Primus motus partis appetitiuæ, quo peccatores excitari ſolent ſecũdum conſuetum modum conuerſionis in Deum ad actum pœnitentiæ eſt timor ſeruilis, ideſt pœnarum, ac diuinæ iuſtitiæ vindicantis delicta. Hæc concluſio communis eſt pro auctoribus vtriuſque ſententiæ, & probatur primo, nam teſtè D. Tho. in 4. diſt. 14. q. 1. art. 1. q. 1. peccatores quando affecti ſunt peccatis ſuis non ita facile ex ſola conſideratione, & amore diuinæ bonitatis ab illis reuocãtur, niſi etiam ex timore pœnarum ad eorum deteſtationem excitentur, & deprauatum affectum ait Philoſoph. 10. ethyc. c. 1. de huiuſmodi peccatoribus, quod proprias delectationes proſequũtur, & fugiũt vt in plurimum oppoſitas triſtitias: ergo etiam vt in plurimum in illis, & regulariter pœnitentia oritur ex timore ſeruili, quem propterea docet D. Tho. eſſe primũ motum ſuppoſito actu fidei, qui eſt in intellectu, ex regulariter requiſitis ad impij iuſtificationem.

Secundo probatur ex decreto Cõcilij Tridentini, quod ſeſ. 6. c. 6. doctrinæ D. Th. inhærens determinat primũ actũ, quo peccatores ad iuſtificationem præparantur eſſe fidem, qua credunt vera eſſe, quę à Deo reuelata ſunt, & illud in primis à Deo hominem iuſtificari poſſe, deinde timorem diuinæ iuſtitiæ, deinde ſequi motum ſpei, quia conſiderantes Dei miſericordiam in ſpem eriguntur, ſtatimq; Deũ fontem iuſtitiæ diligere incipiunt. Vndè tandem in peccatorum deteſtationem, & propoſitum nouæ vitæ mouentur: hancque eſſe veram pœnitentiam, quam ad ſalutem neceſſariam commendat ſcriptura, ad quam immediatè ſequitur iuſtificatio: ergo primus motus partis appetitiuæ, à quo regulariter excitatur actus pœnitentiæ in prima iuſtificatione peccatoris, eſt timor ſeruilis ex determinatione patrum Concilij.

Tertio probatur ex teſtimonijs ſanctorum Patrum id ipſum atteſtantiũ: propterea enim Auguſt. lib. 3. confeſſionum c. 16. fatetur ſe timore percuſſum ad Deum fuiſſe conuerſum, dicens: *Neque me reuocabat à profundiori voluptatum carnaliũ gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij tui*, & Iob cap. 31. *ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum*, vbi Gregor habet, *Timor Dei continuit me*. & Gregor. hom. 26. in Euangelium *Timor eius nos ad vſum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam noſtram à prauitate compeſcat*, &c. prop-

tereaque nomen Dei grecum a timore deriuatum eſſe teſtatur Caſiodorus ſuper Pſal. 21. & 49. Vndè Geneſis 31, dicitur Iacob iuraſſe per timorem patris ſui Iſaac, ideſt, per Deum. quem colebat pater ſuus Iſaac, vtpotè cuius religio, cultus, & amor initium ſumit ab eius timore iuxta illud cuiuſdam Poetarum gentilium adductum à Caſiodoro vbi ſupra: *Primus in orbe Deos fecit timor.*

38 Dico ſecundo. Actus contritionis præſupponit etiam ſecundum ordinariam legem in prima iuſtificatione impij actum dilectionis Dei.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ: & probatur primo: nã quamuis huiuſmodi actus charitatis, & contritionis, quando concurrũt ambo formaliter, & expræſsè in iuſtificatione impij ſint ſimul in eodem inſtanti tẽporis, in natura, & cauſalitate præcedit actus charitatis, vt docet D. Th. in hoc art. 6. remittendo ſe ad tradita in duobus articulis 1. 2. quæſt. 113. nimirum 5. & 8. in quorum priori docuerat duplicem motũ liberi arbitrij concurrere in prima iuſtificatione impij alterum dilectionis in Deũ, & alterum deteſtationis in peccatum, illũque habere modum acceſſus, ac proinde eſſe priorem iſto, qui habet modum receſſus, cum prior ſit in motibus animæ acceſſus ad terminum ad quem, quam receſſus à termino a quo, licet ſecus contingat in motibus corporis: in poſteriori verò ſubdit hanc cauſalem eſſe veram, quia diligo Deum ſuper omnia, deteſtor, ac doleo de peccato, quod eſt contra ipſum, ideoque dilectionem Dei eſſe cauſam, ſiue rationem dolendi de offenſa ipſius: ergo natura, & cauſalitate dilectio Dei eſt prior cõtritione, ſiue actu pœnitentiæ.

Secundo probatur, nam in agentibus liberis intentio finis eſt prior natura, & cauſalitate, quam electio mediorum, vtpotè cum illa ſit cauſa iſtius, alioquin electio fieret a caſu præter intentionẽ, quod derogat debito modo operandi agentis liberi: ſed dilectio charitatiua Dei cum ſit vltimi finis habet modum intentionis; actus verò pœnitentiæ cum ſit circa medium, ſcilicet circa compenſandam offenſam, & peccati deſtructionem habet rationem electionis: ergo illa præſupponitur ad iſtam.

Tertio, nam actus pœnitentiæ dependet per ſe, & regulariter ab actibus virtutum Theologicarum, vt conſtat ex dubio precedenti: naturale autem eſt vnicuique rei eſſe poſteriorem his, a quibus dependet: ergo eſt poſterior natura, & cauſalitate ad actibus fidei, ſpei, & charitatis.

39 Ad primum pro prima ſententia reſpondetur, nihil ex illis teſtimonijs conuinci. In primo enim aut Diu. Thomas loquutus fuit de prioritate ex parte ſubiecti, ac in genere cauſæ materialis cũ quo ſtat quod in genere cauſæ efficientis, finalis, & formalis, ac proinde ſimpliciter actus charitatis præcedat actum pœnitentiæ: ſuffragatur huic expoſitioni reſponſio inducta ibi a Diu. Thom. nimirum quia per pœnitentiam recuperantur virtutes infuſæ cum charitate, hæc autem recuperatio, tantum conuenit pœnitentiæ, vt diſpoſitioni, ſeu conditioni remouenti impedimentum prohibens peccati.

Aut dicas illam ſententiam in hoc articulo ſexto, atque in articulis quinto, & octauo ex prima ſecundæ citatis Diuũ Thomam correxiſſe vbi oppoſitum expræſſe proteſtatur. In ſecundo vero ipſeſe explicat dicens ſecus contingere in motibus animæ in quibus prior eſt acceſſus ad terminum ad quem receſſu a termino a quo ſicut proſecutio boni eſt prior, quam fuga mali, vtpotè cum illa ſit ratio huius. In tertio denique & quarto vltra receſſum a peccato per actum deteſtationis a charitate elicitum non negat D. Thom. requiri regulariter ad iuſtificationem adulti extra ſacramentum alium receſſum per actum doloris compenſatiui elicitum a virtute pœnitentiæ.

40 Ad ſecundum principale nego maior. quamuis enim actus dilectionis Dei ſit incompoſibilis cum peccato mortali, tamen quando ſubordinat ſibi formalem actum pœnitentiæ ſcilicet contritionis tollitur offenſa, ſicut compenſatione tollitur iniuria in humanis, macula autem tollitur formaliter, & immediatè a gratia iuſtificante, diſpoſitiuè autem, & mediatè ab ipſo actu dilectionis, qui ſicut pro illo priori diſponit ad gratiam, vt conditio diſpoſitiua incompoſſibilis cum peccato quoad rationem maculæ, ita illud incipit excludere diſpoſitiue, effectus enim ſecũdum varias rationes collectioni omnium ſuarum cauſarum proportionaliter debet

correſ-

correſpondere, quin aliqua illarum ſuperfluat, non obſtante incompoſsibilitate cuius vis cum forma contraria, vt videre eſt in productione ignis ex ligno ad quem concurrunt ignis generans, vt efficiens principale, calor vt octo tamquam vltima diſpoſitio, forma eiuſdem ignis geniti vt cauſa formalis, & materia prima, vt ſuſceptiuum materiale, neque ſequitur ex incōpoſsibilitate caloris vt octo cum forma ligni ſuperfluere formam ignis geniti, quæ in genere cauſæ formalis expellit formam ligni, quem ſimul tempore in genere cauſæ diſpoſitiuę expellit calor vt octo: ſimiliter ex eo quod in productione hominis ſimul interueniunt concurſus Dei terminatus ad eſſendi & ſolis concurſus ad corporeitatis, & hominis generantis concurſus ad rationalitatis gradum terminatus, licet primus ad ſecundum, & ſecundus ad tertium natura & cauſalitate ſupponatur, & pro ſuo priori quilibet ſit incompoſsibilis cum negatione hominis, implicat enim concurſum Dei efficacem aut ſolis poni circa generationem hominis cum negatione hominis geniti, non ſequitur aliquem ex illis ſuperfluere quia vnaquęq; cauſa in ſuo genere concurrens præſtat ſuum munus; haud diſsimiliter in caſu argumenti charitas, pœnitentia, & gratia ad remiſsionem peccati ſub diuerſis rationibus, & in diuerſis generibus concurrunt, quin ſuperfluat alicuius concurſus, aut ſit cū peccatò mortali compoſsibilis.

Ad tertium nego min. vel illa admiſſa, nego conſequentiam, quia actus pœnitentiæ ad iuſtificationem regulariter requiſitus non eſt illa volitio reflexa compēſandi offenſas, neque de hoc actu loquitur D. Thom. ſed eſt dolor de peccatis aſſumptus in compenſationem illorum in actu exercito, ad quem nequit homo moueri regulariter niſi ex præuio amore diuinæ bonitatis, quia ad illum ſicut concurſus cauſæ vniuerſalioris ad concurſum cauſę minus vniuerſalis, ſibi ſubordinandum comparatur.

41 Ad quartum reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus: non primum, quia iuſtificatio poteſt ſumi, aut pro ſola infuſione gratię, & ſic ſemper fit in inſtanti quia gratia incipit eſſe in anima per primum ſui eſſe teſte Diū. Thoma prima ſecundæ quæſtione 113. articulo ſeptimo, aut pro infuſione gratiæ ſimul cum diſpoſitionibus vltimis, & ſic etiam poteſt fieri in inſtanti, quia huiuſmodi diſpoſitiones cum ſint ex motione Dei & effectus gratiæ operantis etiam poſſunt exerceri in inſtanti: propterea enim dicitur Eccleſiaſtici 11. *Facile eſt in oculis Domini ſubito honeſtare pauperem*, & Actorum nono in conuerſione D. Pauli: *Subito circumfulſit eum lux de Cœlo*, & in Tridentino ſeſsione ſexta capite ſeptimo diffinitur hominem qui proprijs actibus diſponitur ad iuſtificationem ſimul, ideſt, in eodem inſtanti accipere fidem, charitatem, & gratiam, quod etiam habetur diſtinctione prima de pœnitentia, capite *Multiplex*, ex Leone Papa epiſtola nona ad Theodoſium deſumpto.

Aut tandem ſumitur pro infuſione gratiæ ſimul cum tota ſerie, & apparatu omnium operationum, ac diſpoſitionum à prima vſque ad vltimam concurrentium ad iuſtificationem adulti, & ſic non poteſt non indigere aliqua temporis duratione ac morula, de qua ob eius breuitatem verificari etiam poteſt prædictum teſtimonium Ezechielis.

Neque ſecundum quia regulariter excitantur peccatores ad pœnitentiā à timore ſeruili, vt à primo motu ex pertinentibus ad voluntatem, vt dictum eſt, à filiali autē vt a proximo motiuo, cui⁹ aut non meminit Conciliū quia non ita regulariter requiritur expreſſus, & formalis, ſed dūtaxat virtualis in actu charitatis cōtentus: aut dicas ſi malueris illius meminiſſe Conciliū ſub nomine propoſiti inchoādi nouā vitā eo quo à huiuſmodi filialē timorē diffinit D. Th. per propoſitum in d. art. 5. dicens: ſextus actus eſt motus timoris filialis quo propter reuerentiā Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.

Neque tertium, quia iuxta noſtrā ſententiā non eſt inconueniēs, ſed potius naturæ conſentaneū primā contritionem in genere cauſę materialis, ac diſpoſitiuę pręcedere habitus gratiæ, charitatis, & pœnitentiæ, à quibus tamen præceditur in genere cauſæ efficientis, quo pacto ſanitas in genere cauſæ finalis præcedit moderatum exercitium in deambulando, à quo præceditur in genere cauſæ efficientis, vt aer aperiens feneſtram præcedit in genere cauſæ efficientis apertionem, ad quam nihilominus in genere cauſæ diſpoſitiuę

proceditur, ſicque quamuis prima contritio pro illo priori à gratia radicaliter, à charitate imperatiuè, & ab habitu pœnitentiæ eliciti uè, ſimulque à libero arbitrio oriatur, tamen prout eſt à libero arbitrio præcedit in genere cauſæ diſpoſitiuè huiuſmodi habitus, à quibus præceditur in genere cauſæ efficientis.

Cõuincitur falſitatis ſẽtentia Cani

42 Ex quo patet minus veram eſſe ſententiam Cani in 1. p. d. relect. de pœnitentia aſſerentis primam contritione eſſe quidem diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem, non vero ad habitum pœnitentię infuſum, a quo proximè oritur, & hãc conſequentiam nõn valere: prima cõtritio eſt diſpoſitio ad gratiam: ad quam conſequitur habitus pœnitentiæ infuſus: ergo eſt diſpoſitio ad ipſum habitum pœnitentiæ: ſicut neque valet iſta, quę eſt ſimilis formæ, qualitates ſecundæ diſponunt ad animam viuentis ad quam conſequuntur primę qualitates: ergo diſponunt ad primas qualitates: ſed hanc conſequentiam non eſſe ſimilis formæ cum prima ex eo patet, quod ſecundæ qualitates a primis in viuentibus, nedum effectiuè, ſed potius diſpoſitiuè dependent; ac proinde ne detur prioritas, & poſterioritas in eodem genere, nequeunt iſtæ ab illis dependere: neque primæ qualitates ab anima ſecundum ſpecificum gradum, ſed tantum genericũ corporeitatis mixti conſequntur: habitus autem pœnitentię à gratia iuſtificante ſecundum ſpecificum gradum in tali ſubiecto dimanat, qui ſimul eſt proximũ principium elicitiuum primę contritionis, ac proindè non inconuenit, imò eſt neceſſe, hanc ad gratiã primariò, & ſecundario ad habitum pœnitentiæ cum cæteris infuſis diſponere, vt habent eſſe receptum quietum, & permanens in ſubiecto, hoc eſt in facto eſſe, a quibus in fieri, ac per modum actualis auxilij in genere efficientis dependet.

Dubitatur tertio, quam prioritatem in ordine ad alias virtutes infuſas habeat pœnitentia?

43 QVia ad triplicem ſeriem D. Th. in 4. diſt. 14. a. 1. quæſtiunc. 4. ad 2. & 1. 2. q. 62. art. 1. reducit omnes virtutes infuſas, dicẽs; alias eſſe Theologicas, quę habent Deũ pro obiecto *quod* & immediato: alias morales, quę habent Deum tãtùm pro obiecto *cui*, vel fine proximo, quę ſuis actibus attingunt in obliquo, & vt *cui*, cuiuſmodi ſunt religio, & pœnitentia, alias denique eſſe morales etiam, quę Deum neque vt obiectũ, *nec* vt finem proximũ, neque in recto, aut in obliquo immediatè attingunt, ſed tantum ad illũ vt ad finẽ vltimum poſſunt ordinari, cuius generis ſunt tẽperantia, fortitudo, & ſimiles.

Secũdũ triplicẽ cõparatione, pœnitentia ad alias virtutes trimembris ſtatuitur cõcluſio.

Quo ſuppoſito poteſt pęnitẽtia ad hęc tria genera virtutum cõparari ſecundũ triplicẽ modũ prioritatis hic à D. Th. cõſideratum, ſcilicet ſecundum durationẽ, aut ſecundum naturam, & cauſalitatem; aut ſecũdũ dignitatẽ: igitur ſi cõparatio fiat primo modo, neque eſt poſterior virtutibus primi generis, neq; prior virtutibus tertij ſecũdũ durationẽ quoad habitus, bene tamẽ quoad actus, cuius ratio eſt, quia quoad habitus, ſimul infundũtur homini omnes virtutes infuſę, tam Theologicę, quã morales, niſi in peccatore fideli, cuius iuſtificationẽ pręcedũt fides, & ſpes in eſſentia habitus: actus verò pœnitẽtię duratione pręcedit actus aliarũ virtutũ moraliũ, vtpote quos nõ oportet exerceri in prima iuſtificatione adulti, in qua tamẽ exercetur prima cõtritio, quã etiã pręcedere poſſunt duratione actus fidei, & ſpei informes. Si verò cõparatio fiat ſecũdo modo, virtus pœnitẽtię natura, & cauſalitate poſterior eſt omnibus virtutibus Theologicis, vtpotè cuius actus ab actibus illarum dependẽt, vt dictum eſt; & tandem ſi compara-

tio

tio fiat tertio modo dicendum eſt, virtutẽ pœnitentiæ eſſe quidem poſteriorem ſecundũm dignitatem omnibus virtutibus Theologicis, priorem vero omnibus virtutibus moralibus, tam ſecundi, quam tertij generis. Ratio primæ partis deſumitur ex præſtantia obiecti virtutum Theologicarũ, quod cum ſit Deus, qui excelentius eſt obiectis omnium quarumcunque virtutum moralium. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia actus primarius pœnitentiæ, nimirum contritio eſt excellentior actib⁹ aliarum virtutum moralium, nedũm tertij generis, qui Deum neque in recto, neque in obliquo immediatè attingunt, ſed etiã ſecundi generis: nimirum religionis, vtpotè quia ille vltimo diſponit ad gratiam iuſtificantem in adultis, eſtque neceſſarius ad iuſtificationem extra ſacramentum, immediate a virtutibus Theologicis, & earum actibus dependens, per quam deſtruitur omne peccatum effectiuè moraliter; & cunctæ virtutes per peccatum amiſſæ, recuperãtur, quæ ſunt ſigna maioris perfectionis ſimpliciter, licet ſecundũm quid excedatur ab actu religionis; quatenus ſupponit peccatum, & inuoluit imperfectionem repugnantem Chriſto, quam religio non inuoluit.

Sed huic rationi duo videntur obſtare: primo quod pœnitentia vniuocè participat rationem genericam virtutis moralis, & non niſi mediantẽ ratione iuſtitiæ, cuius proinde eſt pars: religio autem eſt perfectior omnibus ſpeciebus, & partibus iuſtitiæ teſte D.Th.2.2.q.81.ar.6. ergo eſt perfectior virtute pœnitentiæ.

Secundo, quia implicat vnam ſpeciem eſſe perfectiorem altera in ratiõne differẽtiali, & imperfectiorem in ratione generica, atque è contra: ſed pœnitentia eſt imperfectior iuſtitia legali, & commutatiua in ratione iuſtitiæ: ergo etiam in gradu generico virtutis.

44 Ad primum nihilominus dicendum eſt pœnitentiam non eſſe partem ſubiectiuam iuſtitiæ ſtrictè dictæ, ſed potentialem dumtaxat vt dictum eſt, ac proinde non excedi a religione, a qua tantum iuxta ſententiam D.Tho. exceduntur illæ partes iuſtitiæ, quæ ſunt ſubiectiuæ, ſeu ſpecies ſubijcibiles illius cum cæteris virtutibus moralibus tertij generis. Ad ſecundum reſpondetur pœnitentiam participare rationẽ virtutis media ſpecie ſubalterna innominata, quę poteſt dici virtus ad alterum, non autem media ratione iuſtitiæ ſtrictè dictæ, ſiquidem non eſt pars ſubiectiua illius, ſed potentialis; & per analogicam conuenientiam. Mai. autem argumenti dumtaxat eſt vera quãdo illa ratio inter media eſt eſſentialiter, & directè inferior ad genericam, vt eius partes.

QVAESTIO LXXXVI.

De effectu pœnitentiæ quantum ad remiſsionem peccatorum mortalium.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm per pœnitentiam omnia peccata remoueantur?

Concluſio eſt: in hac vita omnẽ peccatum per veram pœnitentiam deleri poteſt.

Digitized by Google

ART. II.

Vtrùm ſine pœnitentia peccatum remitti poſſit?

CONcluſio eſt: ad remiſsionem diuinæ offenſæ requiritur quod voluntas hominis ſic mutetur vt conuertatur ad Deum cum deteſtatione peccati, & propoſito emendæ, quod pertinet ad virtutem pœnitentiæ, ſine qua proinde peccatum actuale mortale extra ſacramentum remitti non poteſt.

Circa materiam harum concluſionum, quatuor de actu contritionis, vt eius totidem conditiones examinentur, à Theologis in controuerſiam vocari ſolent. Primum, quam efficaciam habeat ad remiſsionē omniū peccatorū mortaliū. Secūdum, qua neceſsitate ſit neceſſarius ſuppoſito, quod occurrat memoria alicuius peccati lethalis, de quo ſit dolendum, & quia hæc neceſsitas eſt præcepti, diſputāt tertiū quo tempore determinato obliget hoc præceptum contritionis? & quia huiuſmodi contritio habet annexum propoſitum cauendi peccata in futurum, inquirunt quartum: an eadem neceſsitate debeat habere formale, & expreſſum propoſitum non peccandi.

Dubitatur primo. An homo viator poſſit agere fructuoſam pœnitentiam de omnibus peccatis mortalibus, quæ per illam verè ſunt remiſſibilia?

Expeditur ſtatus difficultatis. 1 IN hoc dubio, quoniam ex triplici capite poteſt peccatum mortale excogitari irremiſsibile, nimirum, aut ex defectu efficaciæ, ſiue ſufficientiæ in ipſa virtute pœnitentiæ, aut ex defectu humanæ libertatis, quæ à malo in bonum flecti nō poteſt, aut ex defectu auxilij ſufficientis, ideo triplex eſt ſenſus in quo à Theologis hoc dubium controuerti ſolet.

Primus, an virtus pœnitentiæ extra ſacramentum in re ſuſceptum, ſit ſufficiens, quantum eſt de ſe, quæcumque mortalia peccata deſtruere? Secūdus, an homo dum eſt in via libertate gaudeat, qua poſsit à quouis peccato verti in bonum quantum eſt ex meritis liberi arbitrij, niſi ei deſit gratia auxilij ſufficientis? Tertius eſt, an huiuſmodi gratiam auxilij ſufficientis habeant omnes adulti viatores ad verè de quouis peccato pœnitendum? qui ſenſus ſicut eſt poſterior in executione, eſt prior in intentione controuerſiæ, cui vt ſatisfaciamus ſingulis concluſionibus ad ſingulos eius ſenſus eſt reſpondendum.

2 Igitur dico primo: omnia peccata mortalia eſſe remiſibilia per veram pœnitentiam, ita vt quantum eſt ex parte ipſiꝰ virtutis pœnitentiæ etiam extra ſacramentum in re ſuſceptum, nullum ſit mortale peccatum, quod remitti non poſſit. *Quod omnia peccata ſint remiſsibilia per pœnitentiam.*

Hæc concluſio eſt contra Armachanum, libro nono de quæſtionibus Armenorum capite 27. qui motus aliquibus teſtimonijs Scripturæ ſuſtinet vt probabile aſſertum, quædam eſſe hominum viatorum peccata, ex ordinatione legis diuinæ denegantis veniam, non minus irremiſsibilia eſſe quam peccata eorum, qui ſunt in termino damnationis, quod in primis de peccatis Eſau, & Antiochi verificari videtur: propterea quod de illo dicitur ad Hebr. 12. *Quod nō inuenit pœnitentiæ locū, quamuis cum lachrymis inquiſiſſet eam*, & de iſto dicitur 2. Machabeorum 6. *Orabat ſceleſtus Deum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus*: Similiter idem de peccatis populi Iſraelitici, & ciuitatis Damaſci ſignificat ſcriptura: dū de illo Ezechiel. 14. ait: *Si beſtias induxerint ſuper terram, vt vaſtent eam* (id eſt propter peccatum idolatriæ) *& tres viri iſti* (ſcilicet Noe, Dani. & Iob) *fuerint pro ea, viuo ego dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt*, & Hierem. 14. *Noli orare pro populo in bonū, cum ieiunauerint non exaudiā preces eorum*, & capite 15. *Si Moyſes, & Samuel*

muel ſteterint coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: de ciuitate vero Damaſci dicitur Amos 2. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eam*, vel vt habet Caldæus: *& ſuper quatuor non dimittam eis, eo quod triturauerint in clauſtris ferreis Galaad*, &c.

Denique ipſum verificatur de peccato in Spiritum ſanctum, de quo dicitur Matthæi 12. Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur, & ſtatim ſubditur, quod ſit huiuſmodi blaſphemię peccatum ſub his verbis, *qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, nec in hoc ſeculo, nec in futuro*: de quo etiam Ioannes capit. 5. ſuæ primæ canonicæ, ait: *eſt peccatum ad mortẽ; non dico pro eo vt oret quis*, &c. vtpotè exiſtimans illud eſſe irremiſſibile.

Sed his non obſtantibus noſtra concluſio probatur in eo gradu certitudinis, vt eius oppoſitum ſit error in fide. Primo ex teſtimonijs Scripturæ in quibus Deus vniuerſaliter, & ſine vlla exceptione volens omnes homines iuſtificari, ad pœnitentiam peccatorum illos inuitat, & pro omnibus peccatis pœnitentibus veniam promittit vt Hierem. 3. *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras*; Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor*; & ſtatim ſubdit, *Numquid voluntatis meæ, eſt mors impij dicit dominus Deus, & non vt conuertatur à vitijs ſuis, & viuat?* & cap. 33. *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij*, ideſt nullius impij volo mortem, quacumque impietate fuerit. *Sed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat*, & Matth. 19. *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, hoc eſt, in quantocumque numero fuerint peccata, remittenda eſſe per poteſtatem traditam ſacerdotibus in ſacramento pœnitentiæ, ſicut Ioann. 2 huiuſmodi poteſtatem commendans Chriſtus dicit: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ideſt quorumcunque, & quæcumque peccata, neque ad pauciora extenditur efficacia virtutis pęnitentiæ in cuius actu ſacramẽtum ipſum continetur in voto, idemque ſignificatur Luc. 15. in Parabola filij prodigi, qui poſt multa crimina veniam à parente in ſe reuerſus conſequtus eſt. Ex quibus habetur diuina promiſſio facta hominibus de remiſſione peccatorũ quorũcũque a Deo obtinenda mediante vera pœnitentia, ac proinde derogat diuinæ promiſſionis fidelitati poſitio cõtraria iuxta illud 1. Ioannis 1. *Si confiteamur peccata noſtra* (ideſt quæcumque illa ſint) *fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate*, &c.

3 Secundo, quia colligitur ex decretis conciliorum, nam in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. 3. c. *firmiter* de ſumma Trinit. & Fid. Catho. decernitur, quod ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquã prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pęnitẽtiam reparari; quæ propoſitio, cum indiffinita ſit, & doctrinalis, ęquipollet vniuerſali, & in Trid. ſeſ. 6. c. 14. ſimiliter verbis abſolutis, & indiffinitis decernitur ſemel à gratia per peccatũ excidentes Rurſus iuſtificari poſſe per verã pęnitentiam, quæ ſaltim in voto continet ſacramẽtalẽ cõfeſsionem. Idẽ etiã colligitur ex tota ſeſ. 14. maximè can. 4. & 5. & in decreto diſt. 1. de pœnitentia in c. *nemo*, deſumpto ex Ambr. lib. 1. de pęnitentia c. 1. dicitur, *Deus autem nullum crimen excepit, qui peccata omnia donauit*.

4 Tertio probatur, quia contraria poſitio derogat nõ ſolũ diuinæ fidelitati, vt dictũ eſt, verum etiã dignitati redemptionis Chriſti, ad quã pertinet vt Chriſtus per illã ſit vniuerſalis redẽptor omniũ peccatorũ; iuxta illud 1. Ioann. 2. *Si quis peccauerit* (hoc eſt quocũque genere peccati) *aduocatũ habemus apud Patrẽ Ieſum Chriſtũ iuſtũ; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nõ pro noſtris autẽ tantũ, ſed etiã pro totius mũdi*; & diuinæ miſericordiæ, illi quidẽ obſtaret, quia dedecet eius vniuerſalitati, & plenitudini ſi aliquod peccatum eſſet in hac vita irremiſſibile ob defectũ, vel ob inefficaciã pœnitẽtiæ virtutis, aut ſacramẽti: huic vero derogaret, vtpotè quã decet vt à nullius peccati malitia vincatur, iuxta illud Ioel. 2. *Benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia*: vinceretur autem ab illo peccato, quod per pœnitentiam, de lege ordinaria deleri non poſſet.

Neque oppoſitum cõuincitur ex teſtimonijs præallegatis à prædicto auctore habent enim alienã omnino explicationẽ à ſenſu, quẽ ipſe intẽdit; nã in duobus prioribus ſolũ ſignificatur difficultas impetrãdi veniã ob difficultatẽ in agendo veram pœnitentiã peccatorũ, quã patiũtur, qui per ſuperbiã elati diuinam legẽ contẽnũt cuiuſmodi fuerũt Eſau, & Antiochus, qui non verã, ſed fictã pœnitentiam egerunt

occurritur fundamẽtis Armachani.

ille quidem plorando propter primogenituram amiſſam, iſte vero ob plagam, qua à Deo percuſſus nequiuit hieroſolymam ſubuertere: & neuter propter diuinam offenſã, vt reſpondet D. Th in hoc a. 1. ad 1.

Similiter ad tria ſubſequentia teſtimonia dicendum eſt vno ex duobus modis, iuxta duas regulas explicandi huiuſmodi ſententias, pœnam comminantes in ſacra Scriptura. Prima eſt, quam aſsignat Cantapetrenſis lib. 9. Hypotipo. regul. 3. ex Lucherio li. 2. in Geneſim c. 31. quod huiuſmodi ſententiæ ad ſui veritatem nõ petunt rei euentum, ſed tantum voluntatem antecedentem Dei exequendi comminationem, ſecundum præſentem iuſtitiam, & ſtatum cauſarum diſpoſitarũ ad talem effectũ, quæ propterea dicuntur ſecũdum prophetiam comminationis, in quo ſenſu verificatur Geneſ. 20. & Eſai. 38. & Ionn. 3. ſententia de morte futura contra Abimelech, & Ezechiam, & de ſubuerſione ciuitatis Niniuæ contra Niniuitas prolata: in eodemque verificatur Deum, nec per orationes Noe, Danielis, & aliorum, quorum in teſtimonijs prædictis fit mentio, flectendum eſſe ad remittendum peccatum idolatriæ populo, cum quã tamen comminatione ſtat de facto ex volũtate conſequenti & efficaci fuiſſe ei condonatum, aut de lege ordinaria potuiſſe condonari præmiſſa pœnitentia.

5 Secunda eſt, quod huiuſmodi teſtimonia intelliguntur de remiſsione peccati, non quidem quã ũ ad culpam, aut reatum pœnæ diuinæ, ſed tantum quoad pœnam temporalem, quæ poſt culpæ, & pœnæ æternæ remiſsionem adhuc luenda reſtat, vt tradit Greg. lib. 9. moral. c 27. explicans illud Iob 9. *Verebar opera mea, ſciẽs quod non parceres delinquenti*, & Hieron. Eſaiæ 14. & aduerſus Iouinianũ, & Abulenſ. 4. Reg. 23. c. 42. per hanc regulam inquiũt peccata parentum in ſcriptura aliquando imputari filijs, & in eis puniri: iuxta illud Exodi 20: *Ego ſum Dominus viſitans iniquitatẽ Patrũ in Filios*, &c. ideſt quãtum ad pęnam temporalẽ: alioquin quoad culpam paratus eſt ſeptuagies ſepties dimittere pœnitentibus.

Et iuxta hanc poſteriorem regulam explicandũ eſt teſtimoniũ ſubſequens ex Amos c. 1. cuius duplex eſt ſenſus litteralis alter proprius, & alter metaphoricus, ſecũdũ propriũ quidẽ teſte Rabi David ſignificatur Damaſco, & Siriæ propter tres priores incurſiones cõtra populũ Dei de quibus fit mẽtio 1. Re. 15. 3. Re. 20. & 4. Re. 8. dimitendã eſſe tẽporalẽ pœnã ipſis debitã, ſecus autẽ propter quartam, quæ attrocior fuit. Vt refertur 4. Reg. 13. dum dicitur: *iratuſq; eſt furor Domini contra Iſrael, & tradidit eos in manu Hazael Regis Syriæ*, &c. & infra, *& non ſunt derelicti Ioacaz de populo, niſi Quinquaginta equites, & cẽtũ currus, & decem millia peditũ, interfecerat enim eos Rex Syriæ, & redegerat quaſi puluerem in tritura areæ*. Specialiterque hanc irritationem fuiſſe factã in ciuitate Galaad cõſtat ex præcedentibus capit. 8. & 10. ob quam Deus, vt ſubditur in eodẽ c. 13. *Audiuit deprecationem Ioacaz, & vidit anguſtiam Iſrael, quia attriuerat eos rex Syriæ, & dedit Dominus Saluatorẽ Iſrael, & liberatus eſt de manu Regis Syriæ*, & propterea inquit ſe non eſſe dimiſſurum ideſt eſſe vlturum tẽporali ſupplicio ob quartum ſcelus, ſiue quartã moleſtiã factã à ſirijs populo Iſraelitico. Qua explicatione gaudet idẽ modus loquendi quem propheta ſæpius in d. c. 1. & 2 repetit cõtra Syrios, Gazeos, & Idumeos, & Moabitas, & alios hoſtes incurſantes populum Domini. Metaphoricus eſt, quem ex Hieron. expendunt ibidem Ribera, & Figueiro, nimirum quod pro peccato ter repetito de facili Deus veniam concedit: ſecus autẽ pro peccato quater, aut pluries repetito, & propterea monemur in ſacra Scriptura non ſæpius iterare peccatũ, vt Eccl. 5. *Neq; adijcias peccatũ ſuper peccatũ, & ne dicas miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorũ meorũ miſerebitur*, & Iob 33. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos, vt reuocet animam eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium*, & Paulus ad Timoth. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correctionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit.*

6 Ad tria verò poſteriora teſtimonia dicendũ eſt explicari iuxta Regulam 48. quã ex Hieron. ſuper Matt. 19. deſũptam tradit Cantapetrenſis, lib. 9. Hippotypoteon, dicens, aliquando impoſibile ſumi pro difficili. aut raro contingenti, vt Lucæ 17 dicitur: *impoſsibile eſt vt non veniant ſcandala*, ideſt, difficile; & ſic ait Diu. Thom. in artic. 1 ad 3. & 2. 2, quæſtion. 14. articulo 1. & 3. peccatum contra Spiritum ſanctum dici irremiſsibile, quia cum difficultate peccator agit de illo pœnitentiam, vt veniam conſequatur,

ſumi-

ſumitur enim huiuſmodi peccatum apud Patres tripliciter, aut pro peccato finalis impœnitentiæ: & ſic eſt generalis conditio omnium peccatorum, aut pro peccato ex certa malitia, quod etiam dicitur contra Spiritum ſanctum, cui attribuitur bonitas, ſicut peccatum ex ignoratia dicitur ſpecialiter contra filium, cui attribuitur ſapientia, & peccatum ex infirmitate dicitur contra patrem, cui attribuitur virtus, & potentia; aut pro blaſphemia contra Deum. In prima igitur acceptione dicitur irremiſibile, quia remouet pœnitentiam in hac vita, ſine qua poſt baptiſmum nullum peccatum de lege ordinaria remitti poteſt, & facit quod malitia perueniat vſque ad aliam in qua remiſsio eſſe non poteſt. In ſecunda vero dicitur irremiſibile, quia malitia non habet cauſam excuſationis, & ſicut iteratio peccati ponit obicem diuinæ miſericordiæ, ne de facili moueat ad pœnitentiam, & culpam remittat, licet reſpectu virtutis diuinæ, & efficaciæ pœnitentiæ maneat ſimpliciter remiſsibile. In tertia denique quia per incredulitatem, aut diffidentiam de diuina virtute, aut miſericordiæ ponit homo ſpecialem obicem influxui Spiritus ſancti, cui attribuitur infuſio gratiæ remiſsiuæ peccatorum, dicitur irremiſsibile, & ne omnimoda impoſsibilitas, ſed ſola difficultas in huiuſmodi blaſphemiæ remiſsione intimaretur, dicitur potius non remitti, aut non remittendum, quam irremiſibile.

Et quia pro peccato ad mortem accipitur à patribus: aut peccatum finalis impœnitentiæ, vt voluit Auguſtinus lib. 1. retractationum cap. 19 tomo 1. vbi retractans ſententiam, quam ſcripſerat lib. 1. de ſermone Domini in Monte cap 44. tomo 4. nimirũm quod peccatum ad mortem eſſet inuidia de fraterna gratia; dicens hoc debere intelligi de ſola inuidia perſeuerante vſque ad mortem: quod confirmat tom. 7. lib. de correctione & gratia c. 12. dicens peccatum ad mortem eſſe, charitatem vſque ad mortem deſerere. Et D. Th. q. 3. de malo art. 15. ad 3. ideo dicit irremiſsibile, quia ſine pœnitentia, quam excludit, remitti non poteſt: aut accipitur pro peccato ex certa malitia, quod eſt idẽ cum peccato contra Spiritũ ſanctũ in ſecunda acceptione, quod proinde eodẽ modo poteſt dici irremiſsibile, & ideo conſulit Apoſtolus vt non oret quicũque pro illo, quia non de facili, neque ob deprecationẽ cuiuslibet iuſti remitti ſolet; ſed cum difficultate, & dũtaxat ob deprecationem alicuius iuſti excellentioris ſanctitatis. Et ex his manet noſtra prima concluſio inconcuſſa.

7 Dico ſecundo. Nullum eſt peccatum quod ſit irremiſsibile in via defectu liberi arbitrij hominis vertibilis à malo in bonũ. Hæc cõcluſio eſt contra Luther. a. 36. & Caluin lib. 1. inſtitut. c. 15. & lib. 2. c. 2. & 3. aſſerentẽ nullũ hominẽ, defectu libertatis pœnitentiã agere de ſuis peccatis in via, eo quod Deus cogit quemlibet peccatorẽ ad malum, quæ coactio tollit humanam libertatẽ, & illa ablata nõ poteſt humana volũtas flecti de malo in bonum, ac proinde neque veram agere pœnitentiam de peccato, quorum poſitionẽ vt hæreticam, ac naturæ humanæ iniurioſam, dum ei negat libertatem, qua à brutis animantibus diſcriminatur, confutãt Suarez diſp. 8. ſect. 1. & Valent. q. 3. punt 1. & latè Gualterius in Chronol. ſecul. 1. verit 4. & Soto lib. 1. de nat. & grat. c. 17. Et eam damnat Conc. Trid. ſeſ. 6 can. 5. ſub anathemate dicens: *Si quis liberũ hominis arbitriũ poſt Adæ peccatũ amiſſum, & extinctũ eſſe dixerit, aut rẽ eſſe de ſolo titulo imo titulũ ſine re, &c. Anathema* ſit in qua proinde tãquã in dogmate fidei non minus, quã in prima omnes Theologi cõueniũt.

8 Diſcriminantur autem vt explicẽt, an aliquod peccatũ ſit irremiſsibile reſpectu alicuius viatoris defectu auxilij ſufficientis in tres ſententias: Prima eſt Roffenſis ar. 6. contra Luth. & Arimin. in 1. diſt. 46 q 1. Abulẽſ. ſup 4 Matth q. 12. Cather. opuſc. de prædeſt. Ruardi Taper art. 7. & Michael. de Med. lib. 3 de recta fide in Deũ, Caiet. ſuper Ioan. ad illa verba: *non poterant credere*, Henrici quodlib. 8 q. 5. aſſerentium aliquos ex hominibus viatoribus non poſſe de peccatis pœnitere ob defectum auxilij ſufficientis, ſine quo non poteſt hominis voluntas elicere ſupernaturales actus virtutis pœnitentiæ, nimirùm illos, qui ſunt obdurati, & excæcati.

Quod autem ijs deneget Deus auxiliũ ſufficiens ad pœnitendum de peccatis, probant tripliciter: primo ex teſtimonijs Scripturæ in quibus denotatur huiuſmodi denegatio auxilij ſufficiẽtis ad vere penitẽdũ de peccatis: propterea enim de quibuſdã Eſ. 6. dicitur: quod *excæcauit oculos eorũ & indurauit cor eorũ, vt nõ videãt oculis, et nõ*

 intelligant

gant corde, & conuertãtur, & ſanet eos, quod Chriſtus adimpletum dixit in iudæis non credentibus eius ſignis Ioannis 12, ſubdens; *propterea non poterant credere.* Ad Roman. 1. *Tradidit illis in reprobumſenſum.* Et Eccleſiaſtici 7. *Nemo poteſt corrigere, quem ille deſpexerit*, id eſt per ſubſtractionem auxilij ſufficientis, Ioannis 6. *Nemo poteſt ad me venire, niſi pater meus traxerit eum*, & cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, multos autem derelinquit Deus, quos neque trahit, neque adiuuat ſua gratia, vt de gentibus dixit Paulus acto. 14. quod *Deus in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*, & de Babilonicis Hieremiæ 51: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, quoniam peruenit vſque ad collum iudicium eius*: & de Caimo, & Pharaone dicunt Gregorius lib. 11. moralium capit. 5. & Auguſtinus lib. de prædeſtinatione cap. 15. illos non potuiſſe flecti de malo in bonum, quia erant à Deo derelicti: ergo.

Secundo, quia excęcati, & aggrauati, atque indurati in hoc differunt a reliquis viatoribus, quia illis denegat Deus auxilia ſufficientia ad ſalutem, & remiſsionem peccatorum conſequendam, plures autẽ à Deo excæcãtur, & indurãtur: ergo. Ma. patet quia conſtituit D. Tho. 1. 2. q. 79. art. 3. aggrauationem in ſubſtractione auxilij illuminantis intellectum ad audiendum mandata Dei, quod exigebat Chriſtus Lucæ 8, & Apocal 2. dum dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat.* &c. Excęcationem autem in ſubſtractione auxilij illuſtrantis intellectum ad rectè videndũ quæ agenda ſunt: ergo, Min. patet ex prędicto cap. Eſaiæ 6 *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*, ad Roman. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Et act. 7. *Dura ceruice vos Spiritui ſancto reſtitiſtis.* & Exodi 4. *Ego indurabo cor Pharaonis ne dimittat populum*, & 2. ad Corinthios 4. *Deus huius ſeculi excæcauit mentes infideliũ*, &c ergo.

Tertio, quia ex adultis etiam ſunt plurimi, qui non habent auxiliũ ſufficiens ad pœnitẽdũ de peccatis in hac vita, de quorum numero ſunt infideles, cũ enim illis deſint fides, & ſpes Theologicæ à quibus dependẽt actus pœnitentiæ, conſequens eſt ſine illis non poſſe actus pœnitentiæ ab infidelibus exerceri, ſimiliter reprobi in inſtãti mortis, ſiue in vltimo tẽpore vitæ ſuæ carẽt huiuſmodi auxilio, eoquod ſi tunc illud haberent, poſſent pęnitere, ac proinde reddere irritũ decretũ diuinę pręſcientiæ de ipſorum damnatione, quod tamen non eſt admittendum: ergo.

2 ſententia extremè præcedenti oppoſita.

9 Secunda ſententia huic extremæ oppoſita aſſerit omnes adultos pro toto tẽpore huius vitæ habere auxilia ſufficiẽtia intrinſeca, quibus poſsint ſemper, & quacũque occaſione credere, pœnitere, & ſalutem conſequi, ita vt nullus etiã ob ignorantiam inuincibilẽ poſsit excuſari à peccato non credendi, vel non pœnitẽdi quando inſtat obligatio huiuſmodi præcepti. Ita Adrian. quodlib. 4. q. 1. Gabriel in 2. diſt. 22. q. 2. quibus ſubſcribunt Suarez lib. 4. de prædeſt. c. 3. & hic diſp. citata ſect. 2. Aluarez lib. de auxil. diſp. 112. Fauentinus in 1. ſent. diſp. 62. cap. 3.

Quod probãt dupliciter: primo ex ſuaui prouidentia Dei, quæ dũ vult volũtate antecedenti omnes homines ſaluos fieri, præbet illis auxilia ſufficiẽtia ad ſalutem, prout præbere eſt correlatiuũ ad recipere ac proinde in ipſis intrinſecè recepta. Qua voluntate etiã vult omnes homines agere pœnitentiã, iuxta illud 1. Petri 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiã reuerti*: ac proindè etiam omnibus tribuit auxilia ſufficientia ad pœnitendum.

Secundo, quia teſtè D. Th. q. 24. de verit. art. 6. & q. 19. art. 11. omnes homines venientes ad vſum rationis tenentur conuertere ſe in vltimum finẽ naturalem, ad quod requiritur auxilium intrinſecum, & ſupernaturale: eoquod homo in natura lapſa nequit perfecto modo conuerti in Deum, vt finem naturalem, ſine huiuſmodi auxilio gratiæ, quod ſi huic præcepto pro illo primo inſtanti vſus rationis ſatisfaciant, ſtatim iuſtificabuntur, ſi minus, peccabunt mortaliter, ne detur veniale peccatum ſolum cum originali teſte eodẽ D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. ad hoc autem vt homo, aut iuſtificetur, aut imputetur ei peccatum violationis præcepti, planè neceſſarium eſt auxilium intrinſecũ gratiæ: ergo hoc in omnibus adultis recipitur, à principio vitæ rationalis, in quibus proinde deinceps perſeuerat,

3. & noſtra concluſio.

Tertia nihilominus ſententia quæ à nobis ſtatuitur pro concluſione ſicut aſſerit omnibus adultis adeſſe auxilia ſufficiẽtia ad ſalutem, ac proinde ad media neceſſaria ad illius conſequtionem, de quorum numero eſt agere veram pœnitentiam de peccatis mortalibus cõmiſsis:

ita

ita negat huiuſmodi auxilia ſemper, & pro omni tempore, & in omnibus adultis intrinſece recepta: quam ſententiam ſuſtinēt Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 18. Bañez 1. p. quæſt. 23. art. 3. dub. 5. & Nuño in hoc art. dub. 2. Cuius prima pars probatur primo, quia teſte Auguſtino lib. 1. retractationum cap. 13. de nullius ſalute in hac vita eſt deſperandum, & teſte Ambroſio lib. 2. de Cain, & Abel, *quicumque perierit, mortis ſuæ cauſam aſcribat, qui curari noluit quo poſſet euadere*: ſi autē aliquis auxilio ſufficiēti ad pœnitēdū careret, & poſſemus deſperare de eius ſalute, vtpote impoſſibili ſecundum ordinariam legem, & ipſe non eſſet cauſa ſuæ damnationis, quia nec libere damnaretur, nec poſſet non damnari, ſicut & non peccare, quia nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: ergo.

Secundo probatur ex diffinitione Eccleſiæ in Concilio Nizeno canone 8. vbi diffinitur, omnem hominem ſaluari poſſe, quod non eſſet verum, niſi etiam ſemel lapſus in peccata poſſet de illis pœnitere, & in Concilio Tridentino ſeſs. 6. cap. 6. eadē veritas diffinitur ſub his verbis: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita vt bona Deū operari, non permiſſiuè ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe: anathema ſit.*

Tertio: nam omnibus in via imponitur præceptum pœnitendi, vt ex teſtimonijs Scripturæ oſtendimus art. 1. ſed præceptum ſupponit auxilium ſufficiens, nemini enim Deus præcipit actum impoſsibilem: præciperet autem illum ſi præcipiē do alicui pœnitentiam de peccatis, denegaret ei auxilium ad pœnitendum, ſiquidem ſine huiuſmodi auxilio quod dat poſſe, & conſtituit potentiam in actu primo ad operandum, actus pœnitendi eſſet homini impoſsibilis: ergo.

11 Quarto, quia auxilia ſufficientia ad ſalutem præparantur à Deo ex lege ſtatuta ſuæ generalis prouidentiæ in ordine ad finem ſupernaturalem: ſed hæc extenditur ad omnes homines tā paruulos, quá adultos: ergo omnibus dat auxilia ſufficientia ad ſalutem modo proportionato vnicuique conſequendam: ergo cum proportionatus modus conſequendi ſalutem in adultis fit per proprios actus fidei, charitatis, & pœnitentiæ, conſequens eſt, quod illis dat auxilia ſufficientia, quibus poſsint credere, diligere, & pœnitere. Mai. & vtraque cōſequentia eſt nota: min. autem probatur, nam ex vi huiuſmodi prouidentiæ Deus vult voluntate antecedenti omnes homines ſaluos fieri, vt dicitur 1. ad Timotheum 2. & Sap. 1. dicitur, *Quod ſanabiles fecit nationes orbis terrarum*, dando ſcilicet eis auxilia ſufficientia, quibus ſanari poſſent, & Ezechielis 33. *Cum iuramento aſſirmat Deus ſe nolle mortem alicuius peccatoris, ſed potius vt conuertatur, & viuat*: & 2. Petri 3. dicitur, *Nolens* (ſcilicet Deus) *aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*; & Ioan. 1. *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ideſt illuminatione gratiæ per auxilia ſufficientia, vt multi Patres interpretantur: ergo.

Vltimo, nā Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt, omnibus reliquit ſua ſacramenta, & omnibus prædicatū eſt Euangelium: propterea enim dicitur de illo 1, ad Timotheum 4. *Quod eſt ſaluator omnium hominum, & maxime fidelium*; & ad Rom. 5. *Per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ*: & 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nō pro noſtris autem tantum, ſed pro totius mundi*; & Pſalm. 138. de prædicatione Apoſtolorū dicitur: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, cui conſonat illud Pauli 2. ad Corinth. 2. *Deo autem gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco; quia Chriſti bonus odor ſumus in his, qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt*: ſed hæc ſūt auxilia ſufficientia ad ſalutem ſaltem extrinſeca: alioquin nec eſſet mortuus pro illis, quibus huiuſmodi auxilia denegat, nec eſſet illorum redemptor, quod derogat fidei, quæ in præfatis teſtimonijs adſtruitur: ergo.

Deinde ſecunda pars probatur primo ex duobus teſtimonijs Auguſtini: quorum primum habetur ſuper epiſtolam ad Roman. cap. 9. vbi verba faciens de Pharaone, ſic ait: *Non ergo hoc illi imputatur quod tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, ſed quia talem ſe præbuit cui obduraretur.* Secundum habetur lib. 1. ad ſimplicianum quæſtione ſecunda, vbi ſic habet: *Ad alios vocatio quidem peruenit, ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, vocati dici potuerunt, ſed non electi, &c.* quib⁹ ſignificat, nec Pharaonem ad obtemperandum, nec alios vocatos potuiſſe moueri ad credendum, quod congruè verificari non poteſt niſi de impotentia proueniente ex carentia auxilij ſufficientis intrinſice, quandoquidem

nec

nec Pharaoni tot ſignis percuſſo, nec alijs vocatis ad fidem vocatione externa ſiue interna, auxilia ſufficientia oblata defuere.

12 Secundo probatur, quia aliàs non eſſet admittenda infidelitas negatiua in illis gentilibus, & paganis, quæ habent ignorantiam inuincibilem Euangelij: cōſequens autem eſt contra doctrinam Diui Thomæ communiter à Theologis receptam 2. 2. quæſt. 10. art. 1. aſſerentis infidelitatem contingere dupliciter, vel ſecundum puram negationem, qua dicitur aliquis infidelis ex hoc ſolum quod non habet fidem, quam numquam audiuit, & ignorat inuincibiliter, qui proinde à peccato infidelitatis excuſatur, vel ſecundũ contrarietatem ad fidem, qua ſcilicet aliquis repugnat fidei, aut illam contemnit, cui proinde peccatum infidelitatis imputatur: & in ſolutione ad ſecundum ſubdit idem Diuus Thomas, quod infideles infidelitate negatiua non peccant contra fidei præceptũ, quia nō ſubeſt poteſtati eorum hanc infidelitatem vitare, & nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: ergo.

Sequela autem patet, quia cum quicumque infidelis teneatur fidem recipere, & ad Deum conuerti poſt ſufficientem Euangelij promulgationem Eccleſiæ factam, ſi aliàs poſſet credere, & cōuerti per auxilia ſufficientia in ipſo intrinſecè recepta, nullatenꝰ à peccato infidelitatis excuſaretur, ac proinde non negatiua, ſed priuatiua infidelitate eſſet infidelis: nullus enim excuſatur ab eo ad quod tenetur, & poteſt.

Quæ ratio amplius confirmatur ex duobus teſtimonijs eiuſdem Diui Thomæ, nimirum in dicta ſecunda ſecundæ quæſtione ſecunda articulo quinto ad primum, & tertio contra gentes capit. 59. in quorum altero aſſerit quod homo tenetur ad credendum explicitè aliqua myſteria fidei, quia hoc poteſt facere cum auxilio gratiæ, quod quidem quibuscumque datur, miſericorditer datur, & quibuſcumque denegatur, iuſte denegatur in pœnam præcedentis peccati: in altero vero inquit Deum paratum eſſe omnibus cōferre ſufficientem gratiam, qua illi ſoli priuantur, qui in ſeipſis huiuſmodi gratiæ impedimentum apponunt, ſicut ſole mundum totum illuminante ille ſolum eius luce priuatur, qui oculos claudit, aut obſtaculum aliud opponit, in quibus locis Diuus Thomas agit de gratia ſufficienti qua homo poteſt ad Deum per fidem, & pœnitentiam conuerti, & de hac fatetur aliquando non dari hominibus à Deo in pœnam præcedentis peccati, nec per verbum *dandi* intelligit Diuus Thomas oblationem illam, qua voluntate antecedenti Deus omnes homines ad ſalutem vocans offert illis auxilia ſufficientia, quibus poſſint credere, & pœnitere: hoc enim modo nulli vnquam denegat auxilia ſufficientia, vt dictum eſt: ſed tantum intelligit collationem illam qua infundit hominibus aliqua intrinſeca auxilia ſufficientia, cui ex parte hominum correſpondet intrinſeca receptio huiuſmodi auxiliorum, quibus homines fiunt intrinſece potentes ad credendum, vel pœnitendum, & in hoc ſenſu ait Deum aliquando non dare hominibus adultis (nedum paruulis quod perſpicuum eſt) auxilia ſufficientia, quia aliquando hæc in hominibus intrinſece non recipiuntur.

13 Ex his patet ſolutio ad primum fundamentum primæ ſententiæ, ad quod dicendum eſt ex illis teſtimonijs ſolum conuinci hominibus aliquando denegari à Deo, aut auxilia efficatia, aut ſufficientia intrinſeca, ob quorum defectum dicuntur non poſſe credere, aut conuerti potentia conſequente, licet poſsint potentia antecedente, aut quia non ita facile poſſunt iuxta regulam ſuperius aſsignatam, quæ accipit impoſsibile pro difficili, in quo ſenſu dixit Chriſtus Ioannes 15. ad Iudæos: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* id eſt difficile poteritis credere ob impedimentum, quod diuinæ gratiæ opponitis. *Satis fit fundamentis aduerſariorum.*

Ad ſecundum nego maiorem, induratio enim prout eſt effectus Dei, ſiue malum pœnæ, non in ſubſtractione auxilij ſufficientis, ſed in ſubſtractione continuata auxilij efficacis cor emollientis conſiſtit, ex qua fit conſequens vt induratus ſuo peccato permanenti affectu adhæreat, ſimilique modo de aggrauatione & excæcatione philoſophandum eſt, vt ex Diuo Thoma in dicta quæſtione 79. colligere licet, & ex Auguſtino in libro de prædeſtinatione & gratia capite quarto, vbi ſic habet: indurare Deus dicitur eum, quem mollire noluerit, ſic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare nolue-

noluerit, ſic etiam repellere eum, quem vocare noluerit: in quibus verbis indurationem, excæcationem, & repulſam Auguſtinus in negatione auxilij efficacis, ideſt cum effectu emollientis voluntatem, ſiue illuminantis intellectum, ſiue vocantis ad fidem conſtituit: præmiſſerat enim induratum non excuſari à peccato dicẽs, quod induratio eſt diuinis obuiare mandatis, iuxta illud Actorum ſeptimo, *Dura ceruice vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*: & tamen ſi in negatione auxilij ſufficientis ſaltem oblati, huiuſmodi indurationem conſtitueret, à peccato inobedientiæ, & tranſgreſsionis diuini mandati induratos excuſaret.

Ad tertium nego antecedens pro vtraque parte, de infidelibus enim ſatis dictum eſt, & oſtendit Soto in dicto capit. 418. omnes poſſe ad fidem conuerti, & pœnitere poteſtate antecedenti, quæ ex auxilijs oblatis prouenit, ita vt numquam ſtet per Deum huiuſmodi gratiam eis deficere. De reprobis vero etiam in vltimo tempore vitæ, conſtat etiam poſſe cõuerti, & ſalutem conſequi abſolutè, & in ſenſu diuiſo: non tamen in ſenſu compoſito componente ipſorum ſalutem cum decreto reprobationis, quod propterea irritum facere non poſſunt.

Ad fundamentum autem ſecundæ ſententiæ, reſpondetur quod tantum conuincunt primam partem concluſionis.

Dubitatur ſecundo. An cum adeſt memoria peccatorum præteritorum, ſit ſimpliciter, & iure diuino neceſſarius actus formalis, & expreſſus pœnitentiæ in adulto, ad eorum remiſſionem?

14 In hoc dubio vnum ſupponimus, & alterum inquirimus, ſupponimus quidẽ ex materia de iuſtificatione poſſe hominẽ adultum extra ſacramentum iuſtificari, & conſequi remiſsionem peccatorum cum ſolo actu charitatis ſine expreſſo & formali actu pœnitentiæ, in vnico dumtaxat caſu, ideſt quando non adeſt memoria ſtatus peccati, quia ſcilicet peccator neque in vniuerſali, neque in particulari ſuorum peccatorum mortalium recordatur: quæ ſuppoſitio ſecũdum veriorem ſententiam communiter recipitur à Theologis præſertim à Scoto in quarto diſtinctione 14. quæſtione prima articulo tertio, Gabriele quæſtione prima articulo ſecundo, Soto diſtinctione 15. quæſtione prima articulo ſecundo, Nauarro in ſumma capit. primo numero 30. Medina Complutenſi codice de pœnitentia quæſtione ſecunda, Caietano quæſtione ſequenti articulo primo dubio ſecundo, & Vazqu. hic dubio primo, Belarminio libro ſecundo de pœnitentia cap. 9. & Peſant. diſputat. 1. aſſerentibus non ſufficere ſolã dilectionẽ diuinæ bonitatis ad remiſsionem peccatorum in adulto ſine expreſſo dolore, & diſplicentia, niſi quando non adeſt eorum recordatio, quod etiam Diuus Thomas indicat in dicto articulo primo queſtionis ſequentis circa finem corporis, vbi concludit virtualem dolorem, ſiue diſplicentiam non ſufficere ad remiſsionem peccatorum mortalium niſi quantum ad peccata oblita poſt diligentem inquiſitionem. *Expenditur ſtatus controuerſia.*

Diſſentiunt tamen ab hac ſuppoſitione, Maior in quarto diſtinctione 14. quæſtione ſecunda, Cano dicta relectione de pœnitentia tertia parte, Petrus de Soto de inſtitutione ſacerdotum lectione quarta, & Dominicus de Soto libro ſecundo de natura & gratia capit. 16. & Vega libro ſexto in Concilium capit. 34. & cap. 36. & ſequenti, Suarez diſputatione nona ſectione prima, & Nuño dubio primo, & in dicta quæſtione 66. articul. 12.

Quorum tres priores volunt actum formalem, & expreſſum pœnitentiæ in peccatore adulto eſſe omnino inſuplebilem de lege ordinaria: eo quod exiſtimant illum eſſe neceſſarium extra ſacramentum ad remiſsionem peccatorum neceſsitate nedum præcepti, ſed etiam medij

Alij

Alij autem quatuor poſteriores exiſtimantes huiuſmodi actum ſola neceſsitate præcepti eſſe neceſſarium, volunt in duobus caſibus poſſe ſuppleri per actum charitatis, nimirum in caſu noſtræ ſuppoſitionis, quando deeſt memoria peccatorum, & in caſu quo homo rapitur ad martyrium ob ſpeciale martyrij priuilegium, quod adhuc dupliciter intelligunt: Vega enim vult martyrium ratione actus dilectionis ſufficere ad remiſsionem: alijs vero placet martyrium cum ſola attritione ſufficere, ſicut & in ſacramentis contingit.

Sed noſtra ſuppoſitio aduerſus has duas ſententias probatur. Primo quidem aduerſus primam, quia poteſt homo aliquando de lege ordinaria moueri in Deum affectu dilectionis charitatiuę, quin moueatur affectu doloris circa peccata, ſiquidem poteſt cogitare diuinam bonitatem, non cogitatis peccatis, & ſic à bonitate diuina cogitata excitari ad eius amorem, & non ad dolorem de peccatis, quę non cogitat, neque eorum etiam in communi habet pro tunc recordationem: ab illis autem non apprehenſis neutiquam voluntas excitari poteſt, ſed tunc ſufficienter diſponitur adultus ad iuſtificationem per ſolum actum dilectionis, quia conſtituit hominem amicum Dei diſpoſitiue, & eſt incompatibilis cum omni peccato mortali, quod non tollitur niſi media gratia iuſtificante: ergo.

15 Deinde aduerſus ſecundam ſententiam probatur tripliciter. Tum, quia martyrium non habet vim iuſtificandi niſi in quantum eſt actus charitatis, & includit dilectionem Dei ſuper omnia, vt docet Diuus Thomas ſupra quæſt. 66. articul. 12. dicens in corpore, baptiſmum ſanguinis operari ad iuſtificationem in quantum eſt potiſsimus dilectionis effectus, iuxta illud Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam vt animam ſuã ponat quis pro amicis ſuis*: & in ſolutione ad ſecundum ſubdit, quod effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmi, ſi ſit ſine charitate: & ideò omnis baptiſmus ſanguinis includit baptiſmum flaminis, licet non è conuerſo, iuxta illud Pauli primæ ad Chorinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*: ſed actus dilectionis in adulto nequit ſupplere expreſſum & formalem dolorem de peccatis ſuppoſita eorum recordatione: ergo neque Martirium ſuppoſita recordatione peccatorum mortalium ſufficeret ad eorum remiſsionem ſine expreſſo actu pœnitentiæ. Minor patet, quia ſuppoſita peccatorum recordatione nequit eſſe vera dilectio Dei ſuper omnia quin pariat explicitam eorum deteſtationem ac dolorem: hic enim ex illa naturaliter conſequitur, ſicut ex ſuperbia naturaliter ſequitur inuidia ſuppoſita apprehenſione excellentiæ alienæ, quatenus diminuit propriam, ita ſuppoſita apprehenſione peccatorum commiſſorum in adulto, qui vult eorum remiſsionem conſequi, vt mutetur de malo in bonum, & perfectè in Deum conuertatur, requiritur omnino ſaltem ſecundum ordinariam legem duplex motus expreſſus, & formalis, alter dilectionis in Deum, & alter ad iſtum conſequutus doloris, ac deteſtationis in peccatum, & propterea neque iſte minuit feruorem Illius, ſicut neque affectus inuidiæ minuit affectum ſuperbiæ, vtpote ad quem naturaliter conſequitur: ergo.

Tum etiam, quia vel ille qui rapitur ad martyrium habet tempus, & inducias ex cogitandi peccata ſua, aut ita repente rapitur vt huiuſmodi tempus, ei nõ ſupetat, ſi primum, tenetur ex præcecepto pœnitentiæ peccata expiare, aut per confeſsionem, aut per expreſſam & formalem contritionem, vt etiam aduerſarij fatentur: ſi ſecundum, aut tunc peccata mortalia ſponte veniunt in memoriam, aut non, etſi ſponte veniant in memoriam, tenetur ſimiliter de eis habere contritionem, alioquin neque veram dilectionem Dei habebit, vt probatum eſt, ac proinde neque verum martyrium ſubibit: ſi autem non veniant in memoriam, ſupplebitur talis actus contritionis præciſe ob defectum recordationis peccatorum, & ſic caſus iſte coincidit cum caſu vnico noſtræ ſuppoſitionis.

Tum denique, quia licet martyrium ſit quidam baptiſmus, nimirum ſanguinis quantum ad hoc quod operatur eundem effectum gratiæ, & plenæ remiſſionis peccatorum mortalium, ac venialium quoad culpas, & pœnas, quem operatur baptiſmus aquæ, vt in loco prællegato quæſtionis 66. & in quæſtione ſequenti articulo primo ad ſecundum docet Diuus Thomas, nihilominus diuerſimodè huiuſmodi effectum operatur,

atque

atque baptiſmus aquæ : hic enim tam in paruulis, quam in adultis operatur effectum prædictum vt ſacramentum, & ex opere operato, ac proinde ſolam exigit attritionem peccatorum : ille vero neque vt ſacramentum, neque ex opere operato, ſed tantum ex opere operantis mediante ſcilicet actu dilectionis in adultis prædictum effectum conſequitur, in quibus proinde ſine actu perfecto pœnitentiæ, ſuppoſita recordatione peccatorum illum conſequi non poſſet, ac proinde neque huiuſmodi ſingulare priuilegium iuſtificandi ſine vllo actu tribuendum eſt martyrio niſi in paruulis (cuiusmodi fuerunt innocẽtes occiſi ab Herode pro Chriſto) in quibus ſuplet vicem Baptiſmi aquæ, ita ex diuina diſpoſitione, quod priuilegium probabiliter extendit Soto in dicta diſtinctione 15. quæſtione ſecunda articulo primo, dumtaxat ad adultos dormientes cum ſola attritione, in quibus ſicut ſupleret vicem baptiſmi aquæ, ita videtur & ſuplere poſſe vicem pœnitentiæ. Secus autem ad alios adultos ſuppoſita recordatione peccatorum, in quibus exiſtimat expreſſum actum contritionis (niſi confeſsione ſupleatur) requiri retractando opinionem illam quã in dicto loco de natura & gratia plus æquo priuilegium martyrij ampliando, ſecutus fuerat,

16 Diſcriminantur autem Theologi in explicando, qua neceſsitate ſit neceſſarius actus penitentiæ ad remiſsionem peccatorum extra ſacramentum, in tres ſententias. Prima aſſerit illum eſſe neceſſarium neceſsitate medij: non autem neceſsitate præcepti, quam ſequuti fuerunt Victoria relatus à Cano relectione de pœnitentia parte quarta, & alij relati à Medina Complutenſi codice de pœnitentia quæſtione ſecunda, & à Vega lib. 13. in Concilium capite 19.

Quorum fundamenta ſunt tria. Primum deſumitur ex Diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione 14. articulo ſecundo, & in ſecundo diſtinctione 43. articulo tertio ad tertium aſſerente impenitentiam ſumptam pro permanentia in peccato vſque ad mortem, non eſſe ſpeciale peccatum, ſed quamdam cuiuſcumque peccati circunſtantiam, in quo peccator permaneat, eſſe tamen ſpeciale peccatum, quatenus eſt contra Spiritum ſanctum, ideſt quatenus eſt formale propoſitum non pœnitendi, ac proinde ſentit Diuus Thomas ſolam omiſsionem actus penitentiæ non eſſe ſpeciale peccatum : ergo nec eſt contra ſpeciale præceptum, conſequentia ex eo patet, quod ſi eſſet contra ſpeciale præceptum eius omiſsio in tempore debito eſſet ſpeciale peccatum, & non tantum communis circunſtantia aliorum peccatorum.

Secundo, quia huiuſmodi præceptum, neque eſt poſitiuum, neque naturale: non poſitiuum, quia nullibi imponitur præceptum pœnitendi niſi ſacramentaliter, hoc eſt per realem ſuſceptionem ſacramenti penitentiæ: neque naturale, propter tria. Tum, quia actus penitentiæ virtutis ex ſola ordinatione diuina, quia nimirum Deus ſic ordinauit, & non ex natura rei, aut ab intrinſeco eſt ad remiſsionem peccatorum neceſſarius. Tum etiam, quia ſi naturale eſſet, contineretur inter præcepta Decalogi, in quibus tota naturalis lex continetur: ſed neque in ſecundæ, neque in primæ tabulæ præceptis continetur, vt numeranti patebit: ergo. Tum denique, quia præcepta naturalia ſunt inuariabilia, ſicut & naturæ rerum: ſed præceptum penitendi eſt nedum variabile, ſed de facto variatum: ſiquidem ante legem Euangelicam, & inſtitutionem ſacramentorum erat neceſſaria formalis contritio omnibus adultis ad obtinendam remiſsionem peccatorum, nunc autem in lege Euangelica ſufficit contritio cum ſacramento in re ſuſcepto: ergo.

Tertio ab inconuenienti quod ſequitur, nimirum neminem poſſe condemnari propter vnum præciſe peccatum mortale: ſemper enim incideret homo in aliud nouum, ſcilicet finalis impœnitentiæ, hoc eſt omiſsionis præcepti pœnitendi: quod tamen non eſt admittendum : ergo.

Secunda ſententia aſſerit actum penitentiæ, hoc eſt doloris & contritionis, quatenus eſt à ſpeciali virtute penitentiæ condiſtincta à charitate non eſſe neceſſarium ad ſalutem neceſsitate medij, aut præcepti, ſed tantum prout eſt à charitate; ita Suarius hic diſputatione 15. ſectione prima & ſecũda, & Vazquius quæſtione præcedenti articulo ſecundo à numero 38. & in hoc articulo dubio primo, qui exiſtimant teſtimonia Scripturæ, & Patrum, in quibus indicitur neceſsitas penitentiæ in adultis ad remiſsionem peccatorum, intelligenda eſſe de illo dolore ac

con-

Digitized by Google

contritione, quo charitas deteſtatur peccata ex amore diuinæ bonitatis: fauet etiam huic ſententiæ vterque Medina: Cõplutenſis quidem Codice de pœnitentia capite 12. noſter vero prima ſecundæ quęſtione 113. articulo quinto in ſolutione ad tertium: quorum ille ait ſufficere ad remiſsionem peccatorum, obtinendam etiá ſuppoſita eorum notitia virtualem actum pœnitentiæ contentum in actu formali dilectionis: iſte vero ſubdit huiuſmodi actum dilectionis ſufficientem, & requiſitum ad remiſsionem peccatorum extra ſacramentum identificari formaliter ex natura rei cum actu expreſſo pœnitentiæ, cadente ſub præcepto pœnitendi.

Probantque ſuam ſententiam dupliciter. Primo: nam actus charitatis ſimul cum actu fidei & ſpei poteſt perfectè haberi ſine actu formali ſpecialis penitentiæ, vtpotè cum iſte ſit poſterior illis, vt oſtendimus quæſtione præcedenti articulo quinto: prius autem vt ſic non dependet per ſe à poſteriori, ſed poteſt eſſe ſine illo: huiuſmodi autem actus charitatis eſt ſufficiens ad remiſsionem peccatorum, ſaltem per modum diſpoſitionis: ergo talis remiſsio haberi poteſt ſine actu formali pœnitentiæ: ac proinde iſte neque medij, neque præcepti neceſsitate eſt neceſſarius. Minor patet, nam propterea huiuſmodi actui tribuitur in ſacra Scriptura vis iuſtificandi, ſiue remitendi peccatum, vt Lucæ ſeptimo, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & primæ Petri quarto, *Charitas operit multitudinem peccatorum*; & primæ Ioãnis tertio, *Scimus quoniam translati ſumus ad vitam, quia diligimus fratres*: & de fide formata per charitatem dicitur ad Romanos tertio: *Iuſtitiam Dei per fidem Chriſti in omnes qui credunt, &c.* & idem de actu ſpei formatæ ad Romanos octauo, *Spe ſalui facti ſumus*, & de eleemoſyna quatenus eſt effectus charitatis, dicitur Tobiæ quarto & nono: *Eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat*, & Lucæ 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*: & Danielis quarto, *Peccata tua eleemoſynis redime*: & de remiſsione iniuriæ, quatenus etiam eſt actus charitatis, dicitur Matthæi ſexto: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra*: & de eleemoſyna ſpirituali Iacobi quinto, ſubditur, *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, &c. operit multitudinem peccatorum*: ergo.

Secundo, quia per huiuſmodi deteſtationem ſiue diſplicentiam de peccatis elicitam à charitate ſufficienter ſatiſfacit homo obligationi, & præcepto pœnitendi, & redendi Deo debitam compenſationem: ergo ſufficit ad obtinendam remiſsionem peccatorum ſine actu formali ſpecialis virtutis pœnitentiæ. Conſequentia patet, nam qui ſatisfacit præcepto penitendi verè obtinet remiſsionem peccatorum, neque amplius Deus exigit ab illo. Antecedens autem probatur; quia præceptum penitentiæ non obligat primo, & per ſe ad habendam illam voluntatem veluti reflexam ſatisfaciendi, quæ eſt primus actus ſpecialis virtutis pœnitentiæ, ſed ſolum ad ipſam ſatisfactionem in actu exercito, quæ maxime fit per actum doloris, & contritionis elicitum à charitate, qui quanto perfectior eſt quocumque actu formali ſpecialis virtutis penitentiæ, tanto magis placet Deo, ac proinde magis præcepto ſatisfacit: ergo.

Tertia ſententia aſſerit actum formalem, & expreſſum ſpecialis virtutis pœnitentiæ condiſtinctum ab actibus elicitis à charitate eſſe neceſſarium in adultis vtraque neceſsitate, ſcilicet medij, & præcepti ad obtinendam remiſsionem peccatorum, niſi confeſsione ſuppleatur.

Hanc communiter ſequuntur Theologi, vt Bonauentura in quarto diſtinctione 17, ſecunda parte diſtinctionis articulo primo quæſtione prima, Durandus ibidem, Ricardus articulo ſecundo quæſtione tertia, Dominicus Soto quæſtione ſecunda articulo ſexto, Petrus de Soto de inſtitutione ſacerdotis lectione 13. Corduba libro primo ſummæ quæſtione ſecunda, Vigerius in ſumma capite 16. §. 4. Vega & Canus in locis præallegatis, Suarius diſputatione nona ſectione prima, & Nuño hic dubio primo, & in additionibus quæſtione ſecunda articulo tertio dubio ſecundo, & quia hæc eſt vera ſententia. Pro cuius declaratione.

Defēditur cõtra primã opinionem, quod actus formalis pœnitentiæ ſit, neceſſarius neceſsitate medij, & præcepti, etiã vt eſt diſtinct⁹ ab actu charitatis, cõtra Suarium.

17 Dico primo: neceſſarium eſſe neceſsitate medij & præcepti ex parte hominis actum penitentiæ virtutis in adultis ad obtinendam remiſsionem peccatorum mortalium extra ſacramentum

in re ſuſceptum, ſuppoſita eorum notitia ſiue recordatione.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſit erroneum in fide. Et probatur primo ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus commendatur neceſſitas actus pœnitentiæ verbis ſignificatibus in ſenſu proprio vtramque neceſsitatem, nimirum medij, & præcepti: propterea enim dicitur Eccleſiaſtici ſecundo: *Si pœnitentiam non egerimus incidemus in manus Domini*, Hieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo quod fecit, agam & ego pœnitentiam ſuper malum quod cogitaui*: & Lucæ 13: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: qui modus loquendi ſimilis eſt illi quo commendatur neceſſitas baptiſmi, Ioannis tertio: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: & neceſsitas Euchariſtiæ Ioannis ſexto: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. non habebitis vitam, &c.* quo ſignificatur baptiſmum; & Euchariſtiam eſſe neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem: ergo ex eodem modo loquendi colligitur pęnitentiam eadem neceſsitate proportionabiliter gaudere; & quia omnia media neceſſaria ad ſalutem; ſi ſunt in noſtra poteſtate, cadunt etiam ſub præcepto, eoquod quilibet tenetur quærere, & apponere media neceſſaria ad ſalutem, vt docent Theologi cum Diuo Thoma ſupra quæſtione 63. articulo primo; & quæſtione 84. articulo quinto; & alias huiuſmodi actus pœnitentiæ ſit medium neceſſarium in poteſtate noſtra exiſtens, conſequens eſt huiuſmodi actum pœnitentię etiam neceſsitate pręcepti eſſe neceſſarium ad ſalutem.

Quę ratio ex eo amplius confirmatur, quia medium ad ſalutem neceſſarium quando eſt in noſtra poteſtate cum auxilio Dei, eſt talis conditionis, vt non ſolum ſine illo damnetur homo propter alia peccata, ſed etiam ob eius omiſsionem, aut neglectum etiam ſine alijs peccatis damnetur, quia præcipit Deus huiuſmodi media non omittere, aut negligere: certum autem eſt actum pœnitentiæ eſſe in noſtra poteſtate cum auxilio Dei, qui eius omiſsionem ſiue neglectum prohibet, dum Eſaiæ 65. ait: *Omnes morte moriemini pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis*: vocat autem nos ad pœnitentiam, vt conſtat ex teſtimonijs præallegatis, & Hieremiæ octauo, dum reprehendens omiſsionem pęnitentiæ, ait: *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam de peccato ſuo dicens: quid feci?* Et Concilium vbi ſupra inter diſpoſitiones neceſſarias ad iuſtificationem impij numerat veram pœnitentiam: diſpoſitio autem ſic neceſſaria, eſt medium, ſicut & ipſa iuſtificatio impij, quod non habet honoratio parentum verbi gratia, neque reſtitutio alieni: his enim actibus, licet neceſſarij ſint neceſsitate præcepti, non diſponitur impius ad gratiam: ergo.

18 Huic argumento reſpondent aduerſarij negando conſequentiam ex diſcrimine quod inter baptiſmum & Euchariſtiam, & confeſsionem ex vna parte, & contritionē actū pęnitētiæ virtutis ex alia verſatur, quod homo infidelis iuſtificatus per contritionem teneretur adhuc habita oportunitate baptiſmi, Euchariſtiæ, & confeſsionis huiuſmodi ſacramenta realiter ſuſcipere, tamen ſemel iuſtificatus per actum dilectionis, aut per ſacramentum cum attritione, non teneretur pœnitere per expreſſum & formalem actum pœnitentiæ, ſiue contritionis: ac proinde ſuſceptio illorum trium tunc temporis non ſolum ſub medij, ſed etiam ſub præcepti neceſsitate cadit: ſecus vero elicientia iſtius; quæ tantum videtur eſſe neceſſaria neceſsitate medij, quando per aliud non suppleretur; quæ proinde neceſsitas dumtaxat inſinuatur in prædictis Scripturæ teſtimonijs.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim argumenti facti, quia ſicut confeſsio non eſt neceſſaria ex præcepto iuris diuini, niſi ei qui peccauit mortaliter: ita neque actualis contritio eſt neceſſaria niſi exiſtenti in peccato mortali, ſicut neque præceptum reſtituendi obligat niſi retinentem alienum, quæ nihilominus præcepta verè obligantia ſunt, quamuis in exercitio non obligent, niſi facta aliqua ſuppoſitione: vnde ob defectum huius ſuppoſitionis in dicto caſu excuſatur iuſtificatus ab expreſſo actū contritionis, quamuis Soto, & Vega vbi ſupra admittant illum teneri ad habendum actum contritionis, non ſolum ob dubiam conſcientiam, qua probabiliter putat peccatum mortale non eſſe ſibi remiſſum: ſed etiam per ſe, & ratione ipſius præcepti pęnitentiæ, quod exiſtimant ſemper obligare independen-

ter

xet à dicta ſuppoſitione peccati mortalis ad habendum contritionem de peccato quantumcumque dimiſſo: quæ tamen ſolutio nullum habet fundamentum, ac proinde qua facilitate à ſuis authoribus dicitur, eadem à nobis reijcitur, ſic manet noſtrum argumentum inconcuſum.

Secundo probatur, nam voluntas hominis ſemel per peccatum auerſa à Deo & conuerſa ad bonum commutabile non poteſt conuerti in Deum, & auerti à bono commutabili perfectè niſi actu formali pœnitentiæ, qui eſt contritio: ergo nequit conſequi remiſsionem peccati mortalis extra ſacramentum ſine formali pœnitentia. Conſequentia patet, nam peccatum mortale non poteſt remitti extra ſacramentum niſi formali & perfecta conuerſione peccatoris in Deum, & auerſione à creatura.

Antecedens autem probatur ratione qua Diuus Thomas ſupra quæſtione præcedenti articulo ſexto, & prima ſecundæ quæſtione 113. articulo quinto, oſtendit voluntatem peccatoris ſemel auerſam à Deo, & conuerſam ad creaturam per peccatum non poſſe auerti à peccato, & conuerti in Deum ſine formali peccati deteſtatione: quia nimirum nihil poteſt accedere ad terminũ *ad quem*, niſi recedendo à termino *a quo*: terminus autem à quo huiuſmodi conuerſionis peccatoris in Deum eſt peccatum mortale, & receſſus ab illo eſt formalis eius deteſtatio: ergo ſine hac formali deteſtatione nequit voluntas exiſtentis in peccato mortali recedere ab illo.

Huic argumento reſpondent aduerſarij huiuſmodi conuerſionem peccatoris in Deum, & auerſionem à peccato ſufficienter fieri per ſolum motum charitatis in Deum ſine interuentu formalis deteſtationis peccati: cum enim acceſſus ipſe ad vnum terminum ſit receſſus ab alio in naturalibus, ita & in moralibus acceſſus ipſe in Deum per actum charitatiuæ dilectionis, eſt receſſus à bono commutabili.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim argumenti facti, quia licet verum ſit eius aſſumptum in illis, qui non habent notitiam peccatorum mortalium à ſe commiſſorum: ſecus autem in his qui notitiam huiuſmodi peccatorum habent, vtpote in quibus nequit ſaluari actus charitatis, ſiue dilectionis Dei ſuper omnia ſine formali deteſtatione offenſæ Dei, quæ eſt contritio, & verus actus pœnitentiæ? debet enim dolere de offenſa amici, & velle illi ſatisfacere, vt oſtendit Diuus Thomas ſupra quæſtione 84 articulo quinto ad ſecundum, & nos iam concluſione ſequenti pergimus explicare.

Dices, ante recordationem ſufficit actus charitatis, & per illum ſic homo fuit iuſtificatus, ideſt gratiam obtinuit, ſed poſt recordationem ad nihil amplius tenetur: ergo etiam ſi non eliciat tunc contritionem expreſſam, perſeuerabit in gratia & charitate: ergo & poteſt actum charitatis cõtinuare, qui à principio ſufficiẽs fuit.

Reſpondetur, quod ſi non inſtat præceptum tunc pęnitendi, nõ tenetur ad contritionem: tamen tunc actum dilectionis Dei ſuper omnia non poſſe continuari ſine expreſſa deteſtatione neceſſaria ex pręcepto: & ita manebit in gratia, ceſſabit tamen ab actuali dilectione, ſi de peccatis recogitatis non conteratur: ſicut etiam deteſtatio contritionis de vno peccato expreſſa, poſt aliorum recogitationem ceſſabit, niſi terminetur expreſſe ad alia, non quia cenſeretur complacentia illorum, ſed quia requiritur ex præcepto, & in ordine ad confeſsionem in lege gratiæ quæ debet fieri integra de omnibus lætalibus recogitatis.

19 Dico ſecundo: ad obtinendã remiſsionem peccatorum mortalium, non ſolum requiritur illa formalis deteſtatio peccati, quæ eſt actus charitatis, ſed etiam illa quæ eſt contritio, & actus ſpecialis virtutis pœnitentiæ à charitate condiſtinctæ. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum aliqua temeritate non careat. Et probatur primo ex regula tradita ab Auguſtino libro tertio de doctrina Chriſtiana cap 10. & Atanaſio libro de communi eſſentia Patris & Filij, nimirum quod verba ſacræ Scripturæ in ſenſu proprio & literali ſunt intelligenda, quando ex illo nullum contra fidem, aut bonos mores ſequitur inconueniens; ſed in prædictis teſtimonijs Scripturæ traditur præceptũ pęnitendi, & commendatur neceſsitas actus pęnitẽtiæ verbis ſignificantibus in ſenſu proprio actum virtutis ſpecialis à charitate, & cæteris condiſtinctæ: ergo temere contra regulã Patrũ ad ſenſum minus propriũ de pęnitentia, quę eſt actus charitatis extrahuntur.

Secundo

Secundo probatur: nam in Concilio etiam commendatur neceſsitas actus pœnitentiæ, vt condiſtinctæ ab actu charitatis, & aliarum virtutum: etenim Seſsione 1. cap. 4. dicitur, cõtritionem, quę primum locum inter pœnitentis actus habet, eſſe animi dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero: fuiſſeque pro quouis ſtatu ad impetrandam veniam peccatorum in adultis neceſſariam: vbi fit ſermo à patribus Concilij de partibus ſacramenti pœnitentiæ, & actibus proprijs huius ſpecialis virtutis, vt ex antecedentibus, & conſequentibus capitibus conſtat: & canone 4. ſub anathemate diffinitur huiuſmodi dolorem, & contritionem eſſe vnum ex tribus actibus pœnitentis ad obtinendam remiſsionem peccatorum requiſitis, & Seſſ. 6. canone 3. diffinitur ſub anathemate hominem ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione non poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: in quibus verbis actus pœnitendi condiſtinguitur ab actibus credendi, ſperandi, ac diligendi, & tanquam ſic diſtinctus ab alijs commendatur ad iuſtificationem neceſſarius: ergo.

Tertio probatur, quia formalis actus pœnitentiæ eatenus eſt neceſſarius ad remiſsionem peccati in ratione offenſæ Dei; quatenus talis offenſa indiget ſatisfactione, ſiue compẽſatione vt remittatur, ſed deteſtatio, ſiue dolor de peccato, quatenus eſt à charitate formaliter non habet rationem ſatisfactionis, ſiue compenſationis: ergo vltra illã requiritur alia deteſtatio peccati ex motiuo compenſationis, quæ ſit actus ſpecialis virtutis pœnitentiæ. Maior eſt D. Thomæ in hoc artic. aſſerentis offenſam ad ſui remiſsionem exigere per ſe loquendo ſatisfactionem, & minor relinquitur à nobis probata, quęſt. pręcedenti art. 2. vbi oſtendimus formalem rationem ſatisfactionis pro offenſa ad ſpecialem virtutem pœnitentiæ elicitiue, & proxime pertinere, cuius proprium eſt deteſtari peccatum in ratione compenſabilis, & operari ad deſtructionem illius ex motiuo compenſationis.

Quarto probatur, quia ſpeciale præceptum cuiuſcumquè virtutis per ſe primo obligat ad actum formalem eiuſdem virtutis, ſed præceptum quod datur de actibus pœnitentiæ in prædictis teſtimonijs Scripturæ, eſt ſpeciale condiſtinctum à præcepto quod datur de actibus charitatis: ergo per ſe primo obligat ad actum proprium, & formalem ſpecialis virtutis pœnitentiæ. Maior patet, quia & ſi ſecundario, & per accidens aliquod præceptum obligat ad actus alterius virtutis; quatenus ſcilicet proprius eius actus non poteſt cõueniente ſine illis exerceri, tamen per ſe primo obligat ad actum formalem illius virtutis, de quo datur; & qui eſt propria materia talis præcepti: minor autem ſupponitur ex dictis quæſtione præcedenti, art. 2.

20 Huic rationi dupliciter reſpõdent aduerſarij. Primo reſpondet Suarius negando maiorem, eo quod exiſtimat illud præceptum pœnitendi non obligare per ſe ad actum formalem ſpecialis pœnitentiæ, vt diſtinguitur à charitate, ſed ſolum ad odium ſeu deteſtationem peccati, quæ eſt actus charitatis propter tria: Tũ, quia per huiuſmodi actum exhibetur Deo ſufficiens compenſatio pro peccato cum ſit nedum æqualis, ſed etiam maioris valoris & pretij; quàm dolor exhibitus à pœnitentia; quia illa eſt præſtantior virtus, quam iſta: Tum etiam, quia ſæpe contingit præceptum vnius virtutis obligare ad actum alterius, ſicut præceptum religionis ſæpè obligat ad actus fidei, charitatis, & pœnitentiæ, quando ſine illis non poteſt fieri actus religionis qui per ſe intenditur: Tum denique, quia motiuum actus virtutis non cadit ſub præcepto: propterea enim, qui audit ſacrum in die feſto non tenetur ad audiendum illud ex motiuo ſatisfaciendi præcepto: & qui reſtituit debitum creditori, ſufficienter ſatisfacit præcepto iuſtitiæ per ſolum actum reſtitutionis, etiam ſi non habeat affectum reſtituendi: alioquin ſic reſtituens ſine tali animo, vel affectu non adimpleret præceptum reſtitutionis, tenereturq; iterũ reſtituere, quod eſt abſurdũ: ergo ſimiliter qui cõteritur de peccatis ex ſolo affectu, vel motiuo charitatis plene ſatisfacit obligationi, & præcepto pœnitendi: ſiquidem ex vi huiuſmodi actus conſequitur peccator remiſsionem peccati: manetque liber ab obligatione exhibendi Deo aliam ſatisfactionem, nimirum illam quæ fit per actum formalẽ pœnitentiæ: ac proinde huiuſmodi præceptum non obligat per ſe ad actum formalem ſpecialis virtutis pœnitentiæ, vt à charitate condiſtinctæ ex tali motiuo elicitũ.

Secundò reſpondet Vazquius negando minorē, quia exiſtimat præceptum pœnitentiæ non eſſe diſtinctum à præcepto charitatis: ac proinde nequè obligare ad actum pœnitendi condiſtinctum ab illo, qui eſt à charitate.

Cōuincūtur Suar. & Vazquius.

Sed neutra ſolutio eneruat vim argumenti facti: non, prima quia licet verum ſit quandoquè præceptum vnius virtutis obligare ad actum alterius per accidens, & ſecundario, quatenùs eſt neceſſarius ad executionem proprij actus, vt in exemplis adductis contingit: nulla tamen virtus obligat ad actum alterius ceſſante obligatione proprij actus: vt pote cum iſte ſit ratio obligandi ad illum: ac proinde non poteſt non quælibet virtus obligare per ſe primo ad proprium actum, vt ratione illius poſsit ad alienum obligare: ſed proprius & formalis actus huius virtutis pœnitentiæ eſt condiſtinctus ab actu charitatis, nimirum contritio in quantum eſt compenſatio offenſæ Dei, vt idem Suarius conuictus teſtimonijs Concilij, & Patrum fatetur hic diſp. 3. ſect. 4. & diſp. 4. ſect. 1. num. 4. & ſect. 3. eſſequè expræſſam doctrinam D. Thomæ, quæſtione pręcedenti, art. 2. ergo nequit obligare per ſe primo ad deteſtationem peccati, quæ eſt actus charitatis, & ſecundario ad illam deteſtationem, quæ eſt proprius pœnitentiæ actus: ac proinde quando poſtea diſputat.
15 ſubdit Suarius præceptum pœnitendi per ſe primo obligare ad actum charitatis, quem dicit eſſe contritionem, ſecundario vero ad actum proprium, & formalem virtutis pœnitentię pro tempore pro quo iſte fuerit neceſſarius ad exercitium illius, nequè ſibi, nequè veritati cōſtans eſt. Neq; eius fundamenta alicuius momenti ſunt.

Occurritur Suar. fundamentis.

21 Ad primum enim reſpōdetur, actū deteſtationis peccati, prout eſt à charitate formaliter, non habere rationem compenſationis, ſiue ſatisfactionis, niſi quatenus fit ex imperio, & motiuo pœnitentiæ: vt ſic enim eſt actus iuſticiæ: reſpicitquè peccatum ſub ratione compenſabilis: quā formalitatē, nequè dilectio Dei, nequè deteſtatio charitatiua peccati, ſicut nequè actus cuiuſcumquè alterius virtutis quantumuis maioris perfectionis entitatiuæ, & maioris pretij in ratione meriti ſit, quam actus proprius pœnitentiæ, ſub induere poteſt, prout fit ex motiuo propriæ virtutis, ſed tantum prout fit imperatiue ex motiuo pœnitentiæ.

Ad ſecundum verò dicendum eſt, quod licet præceptum vnius virtutis ſæpe ſæpius obliget ad actum alterius: nunquam tamen obligat per ſe primo ad alienum actum, ſed tantum per accidens, & ratione proprij, ad quem obligat per ſe primo: imò nunquam poteſt adimpleri pręceptum alicuius virtutis ſine proprio, & formali actu ipſius, quo pacto nequè præceptum religionis poteſt adimpleri ſine actu proprio, & formali ipſius virtutis religionis, ſaltem quantum ad ſubſtantiam actus, nequè præceptum iuſtitiæ poteſt vnquam adimpleri ſine actu proprio ſaltem entitatiuo ipſius virtutis iuſtitiæ: ac proinde neque præceptum pœnitendi poteſt adimpleri, ſine eo quod interueniat proprius, & formalis actus ipſius virtutis pœnitentiæ condiſtinctus ab actu charitatis: ſiquidem vnius cuiuſquè virtutis præceptum petit ad ſui adimpletionem actum ſibi proportionatum, & debitum iuxta exigentiam virtutis, cuius eſt præceptum: ratione cuius ad alienū ſecundario poterit obligare, & ſic præceptum pœnitendi ratione proprij actus pœnitentiæ, & non aliter obligat ad deteſtationem, quæ eſt actus charitatis.

Ad tertium negandum eſt antecedens: imò motiuum cuiuſcumque virtutis ſub eodem cadit pręcepto, ſub quo cadit actus eiuſdem virtutis: quare pręceptum reſtituendi obligat, vt reſtitutio fiat ex animo & motiuo ſoluendi debitum: ſicut pręceptum miſericordię obligat ſuccurrere miſero ex animo eius miſeriam ſubleuandi, alioquin dans pecunias creditori ſine animo ſoluendi, vel ſatisfaciendi pro debito, revera non ſoluit, nequè manet liber ex vi illius donationis gratuitę ab obligatione ſoluendi, ſiquidem ſolum tunc actum miſericordię, aut liberalitatis exercet, & qui ſacrum audierit in die feſto, aut inuitus, & coactus omnino, aus cum intentione non ſatisfaciendi pręcepto, revera non ſatisfaceret, & teneretur aliud audire ex animo faciendi opus illud virtutis, quod pręcipitur ab Eccleſia, licet audiens miſſam, talis pręcepti non recordetur, neque expręſſam intentionem habeat illud adimplendi: ſicut enim requiritur ad cuiuſuis præcepti impletionem voluntas libera faciendi opus illius virtutis cadens ſub pręcepto, & quod non habeat intentionem contrariam, nimirum non ſatiſfaciendi per tale opus præcepto: ita neque requiritur intentio formalis, & expreſſa ſatisfaciendi præcepto.

to. Sic Nauarro, capite *quando* de conſecratione diſtinct. 1. Soto lib. 2. de iuſtitia, quæſt. 3. art. 9. Henricus, lib. de miſſa, capit. 25. & Azorius, tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæſt. 6. & lib. 10. cap. 12. quæſt. 8.

Ex quorum ſententia colligitur, minus veram eſſe illam, quam ſequūtur Vazquius 1. 2. quæſt. 116. art. 9. circa litterā, & Thomas Sanchez lib. 1. ſummæ, cap. 1. num. 1. aſſerentes ad præcepta iuſtitiæ implendā requiri, quod actus fiat non ex alio motiuo, quam ſoluendi debitū, quia id peculiare eſt in obligatione iuſtitiæ, quæ ex contrahentium voluntate dependet: ſecus vero in aliorum præceptorum obligatione: quæ quia ex ſola legiſlatoris voluntate dependet, quocumque animo fiat actus præceptus, adimpletur præceptum per illum. Eo quod in omnibus præceptis pariformis militat ratio; videlicet quod præcepta non adimplentur, niſi actibus humanis, & liberis, honeſtiſquè ex obiecto, licet ex circunſtantia vitientur; & cum huiuſmodi actus non operentur vltra agentis intentionem, nequit per illos impleri præceptum, quando fiunt animo non implendi, ac per conſequens pariformiter ad ſatisfaciendum præcepto, & obligationi pœnitentiæ ſpecialis virtutis neceſſarius eſt actus contritionis, ſiue deteſtationis peccatorum ex motiuo compenſandi pro illis, qui vt ſic eſt proprius actus huius ſpecialis virtutis, & neceſſarius ad remiſsionem peccatorum obtinendam: ac proinde cadens ſub præcepto pœnitētiæ, niſi in caſu quo deficiat peccatorum notitia, ſiue recordatio: tunc enim, & non aliàs ſuppletur per ſolum actum charitatiuæ dilectionis à quo præuenitur; & in quo virtualiter continetur, vt dictum eſt.

Nequè ſecunda, quia tollit neceſsitatem virtutis pœnitentiæ, prout eſt ſpecialis à charitate condiſtincta: confunditquè præceptum vnius cum præcepto alterius, & actus vnius cum actibus alterius: quod cum minus modo loquendi Scripturę, Cōciliorum, & Patrum in prædictis locis conſonet, ſine temeritatis nota non eſt aſſerendum: ac proinde manet ratio noſtra inconcuſſa.

Satis fit fundamentis aduerſariorum.

22 Ad primum pro prima ſententia dicendum eſt nedum illud formale propoſitum non pœnitendi, ſed etiam ipſam omiſſionem actus pœnitentiæ pro tempore pro quo inſtat obligatio præcepti pœnitendi, eſſe ſpeciale peccatum impœnitentiæ, quia tamen hæc obligatio per ſe loquendo non inſtat, niſi tempore extremæ neceſsitatis, aūt in articulo mortis, ideo extra hos caſus omiſsio pœnitentiæ non eſt ſpeciale peccatum impœnitentiæ, ſed quædam generalis circunſtantia aliorum peccatorum, in quo ſenſu loquutus fuit D. Thomas in loco præalegato; quando ait impœnitentiam eſſe circunſtantiam aliorum peccatorum, quia nimirum nomine impœnitentiæ intellexit ſolam permanentiam in peccato, vſque ad mortem, quæ poteſt dici impœnitentia materialis, vltra quam diſtinxit aliam formalem, quæ eſt propoſitū non pœnitendi; vel omiſsio actus debiti pœnitentiæ, quando homo poteſt, & tenetur pœnitere, quod proculdubio eſt ſpeciale peccatum oppoſitum virtuti pœnitentiæ.

Ad ſecundum tres ſunt modi dicendi. Primus eſt Medinæ Complutenſis, Codice de pœnitentia, quæſtion. 2. aſſerentis huiuſmodi præceptum pœnitendi eſſe nō iuris diuini; ſed tantum poſitiui, ſicut ſunt ſacramenta nouæ legis, cui ſententiæ ſubſcribit Suarius, diſp. 15. ſect. 3. num. 7. aſſerens quod licet ſatisfactio Deo exhibēda pro peccatis ab homine cōſiderata formaliter ſit debita iure naturę titulo iuſtitię, tamen conſiderata materialiter hoc eſt quatenus fit per hunc, vel illum actū tātū eſt determinata ex iure poſitiuo; nimirum quatenus Deus libere ordinauit huiuſmodi ſatisfactionem pro peccatis fieri ſibi per actus virtutis pœnitentiæ, potius quam per alios.

Secundus eſt, quem ſequitur Vega vbi ſupra exiſtimans huiuſmodi pręceptum pœnitendi eſſe iuris diuini naturalis, reducique ad quintum Decalogi pręceptum de non occidendo: eo quod illo iubemur nedum vitę Chriſti, ſed etiam proprię corporis, ac animę vitę conſulere, ac proinde remedium iuſtificationis, quod eſt pœnitentia quęrere, & adhibere.

Tertius eſt, quem ſequitur Vazquius vbi ſupra exiſtimans ſimiliter huiuſmodi pręceptum iuris diuini naturalis eſſe, & nō poſitiui, quod tamen non ad quintum Decalogi præceptum, ſed ad primum de dilectione Dei ſuper omnia debere reuocari: eo quod ex hoc præcepto oritur obligatio in peccatore quærendi amicitiam, & recōciliationem cum Deo, quod fit mediāte dilectione Dei, & odio peccati in ratione offenſæ, qui ſunt actus charitatis, ac proinde

eorum omiſſio eſt peccatum dumtaxat oppoſitum charitati; neque alius actus pœnitentiæ, vt eſt ſpecialis virtus à charitate condiſtincta, cuiusmodi eſt voluntas cõpenſandi iniurias Deo, eſt debitus, aut neceſſarius ad ſalutem, ac per conſequens neque cadit ſub ſpeciali præcepto pœnitendi à præcepto dilectionis Dei cõdiſtincto; cui etiam fauet Suar. in dict. ſect. 3. n. 14 dicens pertinere radicaliter ad præceptum dilectionis Dei, proxime verò ad idem primum præceptũ quod eſt de colendo Deo, quia exiſtimat virtutem pœnitentiæ à charitate religionis non diſtingui.

23 Sed omnes iſti modi deficiunt à veritate. Primus quidem, quia neceſſariũ fuit pro omni tempore & ſtatu ad obtinendam remiſsionem peccatorum habere contritionem de illis, quæ eſt formalis actus pœnitentiæ, vt determinat Concilium Tridentinum vbi ſupra, quod nõ aliunde colligere potuit, niſi ex ipſa natura remiſsionis peccatorum, quæ cõnaturaliter exigit in adulto huiuſmodi contritionem, & actũ Pænitentiæ tanquam debitam diſpoſitionẽ & compenſationẽ, neque enim id colligere potuit ex ſcriptura veteris legis, ex qua ſolum poteſt colligi neceſsitas huiuſmodi contritionis à ſui initio, vſque ad finem legis ſcriptæ, ſicut ex nouo teſtamento tantum poteſt colligi neceſsitas cõtritionis pro hoc ſtatu durationis Euangelij, ſed quod ante legem ſcriptam, nimirum in lege naturæ fuerit neceſſarius talis actus pænitẽtiæ, nullibi dicitur, neq; Deus Adamum expellens ex paradiſo, Gen. 3. Hoc remediũ ſui delicti indixit; ergo ex ſola traditione Eccleſiæ in ipſa rerũ natura fundata, potuit Concilium ſuam depromere ſententiam de neceſsitate actus pænitẽtiæ pro remiſsione peccatorum obtinenda.

Secundò, nam ad remiſsionem peccati mortalis in adulto debita eſt ex iure naturali ſatisfactio Deo pro ofenſis ſecundũ poſſibilitatem peccatoris, huiuſmodi autem ſatisfactio non aliter, quam per actũ pænitẽtiæ poteſt exhiberi: ergo ad illum tenetur adultus precepto iuris diuini, & naturalis: conſequentia patet, quia ſicut neceſsitas medij exiſtentis in noſtra poteſtate infert neceſsitatem præcepti; ita neceſsitas medij neceſſarij ex iure naturali infert neceſsitatẽ præcepti naturalis, minor etiam eſt nota, quia actus virtutis pænitentiæ per ſe, & ex proprio motiuo habet formalẽ rationẽ ſatisfactionis, & compenſationis pro ofenſis Deo irrogatis, maior autem probatur dupliciter. Pũ, quia ius naturale obligat ad ſatisfaciendũ pro ofenſis alteri illatis, ſiue ſatisfactione iuſtitiæ commutatiuę, qualis eſt illa, quæ exhibetur pro humanis ofẽſis, vt docet D. Th. 2. 2, q. 62. ſiue ſatisfactione iuſtitiæ potẽtialis, qualis eſt illa quã pœnitẽtia exhibet Deo pro ofenſis ipſi illatis. Tũ etiã, quia non eſt minus debita huiuſmodi pœnitẽtialis ſatisfactio in actu cõtritionis cõſiſtens, quã actus fidei, & charitatis, ſiquidem iure naturæ debitum eſt, vt qui propia voluntate ofenſam intulit Deo, & ab illo receſsit, etiam voluntarie illã retractet ac compenſet, & ab illa per deteſtationẽ recedat, ſed iſti actus ſunt neceſſarij, & debiti in adulto ex iure naturæ, vt ſupra ex D. Tho. oſtenſum eſt, vtpote cum per illos fiat amicabilis conuerſio in Deum, & auerſio à peccato ex illiſquè integretur motus liberi arbitrij hominis à peccato in Deum neceſſarius ad amicitiæ deperditæ recuperationem: ergo.

Huic argumento dupliciter reſpondent aduerſarij. Primo reſpondet Med. negãdo maiorem, quia ex iure naturæ, nec contritio, nec dilectio, nec gratia habitualis, nec aliquid aliud eſt medium ex natura rei neceſſarium ad remiſsionẽ peccatorũ, niſi ex libera Dei ordinatione acceptantis potius hoc, quã illud: cum ad præſentiam cuiuslibet alterius formæ ſiue qualitatis poſſet Deus remitere, & condonare peccata, non minus, quam modo de facto illa remitit, & condonat mediantibus actibus dilectionis, ac cõtritionis cũ gratia habituali.

Secũdò reſpondet Suarez, negando minorem, eo quod licet ex natura rei petat remiſsio peccatorum aliquam ſatisfactionẽ, tamen quod hæc ſatisfactio fiat per actum formalem pœnitentiæ, non ex lege naturæ, ſed tantum ex lege poſitiua Dei liberè ſic ordinãtis dependet, vtpote qui alterius virtutis actus potuit pro debita ſatisfactione peccatorum ordinare.

24 Sed vtraq; ſolutio eſt inſufficiẽs. Prima quidẽ, quia ſicut albedo ſuapte natura præſtat hunc effectum formalem, qui eſt cõſtituere album; per nullam aliam formam ſuplebilẽ: ita gratia habitualis ſuapte natura præſtat hunc effectũ formalẽ omnino per aliã formã inſuplebilẽ, qui eſt cõſtituere hominẽ cõſortẽ diuinæ naturæ filiũ adoptiuum, vel amicũ Dei, obiectumque congruum diuinæ dilectionis, ac proinde iſti effectus ſunt nõ ordinationis diuinæ, ſi

ſus

ent alicuius formæ determinatæ, nimirum illius quæ dicitur habitualis gratia, vt contra Scotũ, & Nominales oſtendunt Theologi cum D.Th.1.2.q.112.&q.113.artic.2.atquè pariformiter quod cõtritio, & dilectio charitatiua Dei, ſunt actus talis naturæ, quod præſtant homini hos effectus formales, qui ſunt reddere illũ auerſum à peccato, & conuerſum in Deum, ofenſamque retractatam cõpenſatam, habentquè vim expellẽdi omne peccatũ mortale: ille quidem, quia eſt ipſa actualis, & formalis ofenſæ compenſatio, quam proinde petit lex naturæ, & iuſtitię, quæ petit fieri ęqualitatem ab ofendente pro iniuria cuicumque illata in quantum poſsibile ei fuerit. Iſte vero, quia vera, & formalis amicitia eſt cum Deo, quæ proinde cum quocumque mortali peccato, habet opoſitionem, & cum omne cõtrarium petat expelli, per aliud contrarium ſiue opoſitum proportionatum, conſequens eſt quodcumquè mortale peccatum ad ſui expulſionem poſtulare in ſubiecto capaci, nimirum in adulto actum charitatiuæ dilectionis.

Secunda vero, quia eodem iure eſt neceſſaria contritio, quæ eſt actus formalis pœnitentiæ, quo eſt neceſſarium habere intentionem, ſiue voluntatẽ compenſandi Deo ofenſas, & quo eſt neceſſarium illas compenſare Deo, ſiquidem cõtritio eſt ipſamet formalis, & actualis compenſatio, quam habet pro obiecto prædicta intentio, & quam exhibere, pertinet ad virtutẽ pœnitentiæ, cuius proprium munus eſt ofenſas Deo compenſare. ita vt eius actus ſint ex propria ratione ſpecifica, & formali motiuo ſatisfactorij, atquè ofenſarum diuinarum compenſatiui, imo ſunt ipſę actuales ſatisfactiones, atquè compenſationes, ſed ius naturale exigit, vt homo qui offenderit Deum, habeat voluntatem compenſandi illi ofenſas, illasquè actualiter cõpenſet, ea compenſatione, quam ex auxilio gratiæ exhibere poſsit, quæ quidem eſt pœnitentialis in actibus pœnitentiæ formaliter conſiſtens: ergo & hoc eodem iure naturali, eſt neceſſaria. Minor admittitur plane à Suarez, & maior etiã quia adeo eſt nota, vt non niſi voluntarie ab ipſo poſsit negari, & ſic noſtra ratio manet inconcuſa.

Deinde ſecundus modus deficit propter tria; tũ quia materia quinti precepti ſolum complectitur ea quæ pertinent ad vitam corporalem eiuſquè conſeruationem; igitur non extenditur ad media quæ ad vitę ſpiritualis conſeruationẽ pertinent cuiuſmodi ſunt pœnitere, & reſipiſcere à peccatis. Tum etiam, quia quintũ præceptum eſt negatiuum quo prohibetur præciſe actus indebitus læſionis corporalis proximorum, præceptum vero pœnitendi eſt affirmatiuum, quo præcipitur actus debitæ compenſationis pro peccatis. Tum deniquè, quia illud pręceptum eſt, quædam lex iuſtitiæ commutatiuæ perfectæ. qua tenetur homo alterius corporalem vitam, neque tollere, neque lędere, iſtud vero eſt lex iuſtitiæ commutatiuæ potentialis, & imperfectę qua tenetur homo propriam vitam ſpiritualem emendare in omni genere virtutum, atque propria peccata ſatisfactione pęnitentiali, ac proinde imperfecta Deo compenſare: ergo.

25 Denique tertius deficit, quia propter vnam ex duobus rationibus violatio præcepti pœnitendi eſſet peccatum contrà præceptum primũ dilectionis Dei, vt contendit Vazquez: nimirum, aut quia dum peccator non pœnitet de ſuis peccatis, non proſpicit vitæ animæ ſuæ, cui tamen ex charitate proſpicere tenetur; aut quia non recuperat diuinam amicitiam, ſemel per peccatum amiſſam: quam tamẽ lex ipſa diuinæ amicitiæ, quæ in charitate conſiſtit iubet recuperare. Sed ex neutra ratione licet colligere impœnitentiam eſſe ſpeciale peccatum cõtra charitatem, & eius pręceptum: non ex prima, quia non reſipiſcere à peccato ſed cũ illo permanere, eiuſdem prorſus rationis eſt, atque idem nocumentum ſpirituale infert, atque prima peccati perpetratio: vnde nequè ſpecialis eſt malitia in hoc ſecundo, quæ non ſit in primo, alioquin omne peccatum mortale duplici malitia ſpecie diſtincta, ac neceſſario explicanda confeſsione conſtaret, vna quidem ex contrarietate ad propriam virtutẽ, altera vero ex damno ſpirituali, quod animæ infert contra charitatem, quod tamen eſt abſurdum; hæc enim ſecunda ratio nocumenti ſpiritualis, generalis quædam omnium mortalium peccatorum eſt conditio, neque ſpecialem malitiam contra charitatem ſubinduit, niſi quando eſt per ſe, & directe volita, ſicut neque actus aliarum virtutum, aliorum præceptorum adimpletiui ex eo quod charitati, aut obediẽtiæ ſubordinentur, ſpecialem honeſtatem, harum virtutum formaliter ſuſcipiunt; prę ter quandam eſſentialem harum virtutum

conditionem quã obſeruantia cuiuslibet præcepti diuini, dilectio Dei, ſeu obedientia denominatur, neque ex ſecunda propter duorum propter argumentum ſecundum quo ipſe Vazquez vtitur aduerſus authores ſecundi modi dicendi, & nos ſimul in ipſum retorquemus: nimirum, quia eiuſdem omnino rationis eſt, in genere moris, amicum diligere, & eius amicitiam conſeruare illamque ſemel amiſſam velle recuperare: vtpote cum lex amicitiæ pariformiter ad vtrunque obliget: ergo etiam eiuſdem rationis eſt amicum Deum odire, aut offendere, atque eius amicitiam amiſſam non recuperare. Tum etiam, quia aliàs præceptum pœnitendi coincideret cum præcepto charitatis, virtuſque pœnitentiæ, & eius actus vt neceſſarij ad ſalutem non diſtinguerẽtur à charitate, & eius actibus, neque haberent ſpeciale motiuum, quod à charitate immediate, & eliciriue eſſet attingibile, ſicque neque pœnitentia, vt eſt ſpecialis virtus à charitate, & cæteris condiſtincta non eſſet ad obtinendam remiſsionem peccatorum neceſſaria, quæ omnia licet Vazquez admittit, non tamen ſine aliqua temeritate, vtpote non ſatis cohærentia, ne dicam repugnantia teſtimonijs Scripturæ, art. 1. & 2. quæſtionis præcedẽtis adductis; quæ vtuntur verbis ſignificantibus præceptum pœnitendi diſtinctum eſſe, ac ſuperadditum præcepto dilectionis Dei, ac per conſequens actum cadentem ſub illo eſſe ſpecialis virtutis à charitate diſtinctæ, & eadem ratione conuincitur, neque pertinere ad præceptum religionis, quia virtus penitentiæ quoad habitum, & quoad actum eſt diſtincta à religione non minus, quam à charitate, ac proinde cadit ſub præcepto diſtincto à præceptis charitatis, ac religionis, illiusquè obligatio ab obligatione iſtorum eſt diuerſa, vt in art. 2. quæſtionis præcedentis oſtendimus: reiectis itaquè his modis dicendi.

Præfertur modꝰ dicendi Thomiſtarum conſtituentium ſpeciale præceptũ pœnitendi, & ſatiſfaciendi pro offenſis contra Deũ commiſsis.

26 Verus, & à nobis tenẽdus eſt, quẽ ſequuntur Cano 4. p. de pœnitẽtia. Dominicus de Soto in 4. diſt. 17. q. 2. art. 6. Petrus de Soto, lect. 3. de inſtitutione Sacerdot. Enriquez in ſumma lib. 4. cap. 7. & Nuño quæſtion. 2. additionum, articul. 3. dub. 2. ad primum aſſerentes præceptum pœnitendi eſſe ſpeciale, & obligare ad ſpecialis virtutis pœnitentiæ actum, titulo iuſtitiæ potentialis, quo vnuſquiſque tenetur pro iniuria Deo irrogata ſatisfacere, quod tamen ſub primo Decalogi præcepto implicite continetur, ad illudquè remote, & radicaliter reuocatur, vtpote à quo deriuatur, ex illo enim principio, quod Deus eſt ſuper omnia amandus, & colendus, deducitur non eſſe illi irrogandam iniuriam, eamque ſemel illatam eſſe compenſandam, ſicut ex eo quod proximus eſt à nobis diligendus deducitur non eſſe iniuriandum, & ſupoſita iniuria eſſe illi ſatisfaciendum, iuxta quam doctrinam ad formam ſecundi argumenti principalis, negandum eſt antecedens pro ſecunda parte.

Ad cuius primam probationem, negatur ſimiliter antecedens. Ad ſecundam neganda eſt minor. Siquidem ex dictis cõſtat illud in primo præcepto totius Decalogi ac primæ tabulæ, implicite contineri, propterea quod ab illo deducitur, ob quã rationem in eodem præcepta fidei, & ſpei implicite continentur.

Ad tertiam dicendum eſt cum D. Tho. 1. 2. quæſt. 100. art. 8. præcepta iuris naturalis, variationem aliquando pati non quidem, quoad formam obligationis, ſed tantum quoad eius materiam, & modum ab illo, qui ſupra eam habet poteſtatem; qua ratione in lege gratiæ benignitas Dei volens faciliorem reddere hominum iuſtificationem inſtituit ſacramenta, quæ per virtutem paſsionis Chriſti gratiam in non ponentibus obicem cauſarent. Ex qua benigna ordinatione factum eſt, vt inuariata manente forma obligationis præcepti pœnitendi, ob quam quilibet adultus pro peccato mortali tenetur Deo aliquam pœnitentialem ſatisfactionem exhibere, cum hoc tamen diſcrimine, & variatione, quo ad materiam, & modum, quod in lege veteri, quilibet ad præfatã ſatisfactionem pœnitentialem in actu contritionis conſiſtentem, in noua autem ad hanc ſolus ille teneatur, qui ſacramẽtum in re non ſuſcipit, qui vero illud ſuſcipit ad imperfectã ſolutionẽ que conſiſtit in atritione teneatur, per quã ſufficienter obligationi præcepti pœnitẽdi ſatisfacit; defectum contritionis virtute ipſius ſacramenti in re ſuſcepti ſuplente, ſicut etiam per accidens poteſt debitor ab obligatione præcepti reſtitutionis in totum, aut in partem excuſari ob liberalem condonationem creditoris, qui ſupra materiam reſtitutionis plenam habebat poteſtatem, iuxta quam diſtinctionem ſunt diſtinguendę maior, & minor tertię probationis.

27 Ad tertium principale, negan-

da

da eſt ſequela, in tribus enim caſibus qui decedit impœnitens in peccato mortali, poteſt propter ſolum illud condemnari, ſine ſpecialis peccati impœnitentiæ imputatione. Primus eſt, quando peccator ob repentinam mortem ſit inuincibiliter immemor obligationis præcepti pœnitendi. Secundus eſt, quando poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, manet cum ignorantia, ſeu in aduertentia inuincibili immemor ſtatus ſui peccati. Tertius eſt, quando conſcius peccati, & præcepti, nitens ad habendum de peccato commiſſo contritionem exiſtimat probabiliter ſe illam habere, quæ tamen re vera ſolum eſt attritio, ac proinde inſufficiens extra ſacramentũ in re ſuſceptum ad obtinendam peccati remiſsionem: in hijs itaque caſibus excuſatur impœnitens per accidens ab obligatione habendi contritionem, & ob defectum illius, atque ſacramenti in re ſuſcepti propter ſolum præcedens peccatum condemnabitur: extra illos verò non eſt inconueniens, ſed potius neceſſarium nouum, ac ſpeciale peccatum impœnitentiæ ſuper addi in peccatore moribundo, ac proinde illum propter duo ad minus peccata mortali fore damnandum.

Ad primum fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur negando maiorem, ſi procedat de illo, qui habet notitiam ſtatus ſui peccati mortalis, hac enim ſuppoſita neque veram dilectionem Dei ſuper omnia, & conſequẽter, neque actum fidei, aut ſpei formatum habere poteſt, ille quidem offenſa commiſſa contra Deum non conteritur, & pro illa Deo non vult ſatisfacere, vt docet D. Thom. ſupra quæſt. 84. articul. 5. ad ſecundum, vnde quoties vis iuſtificandi actibus huiuſmodi virtutum in ſacra Scriptura tribuitur, cenſenda eſt tribui illis non ſine actu expræſſo Pœnitentiæ, ſed vt ei aſociatis.

Ad ſecundum nego ſimiliter antecedens, ſuppoſito enim ſtatu peccati mortali, & eius notitia, non eſt ſufficiens compenſatio ſolus actus charitatis propter duo, tum quia vt diximus iſte nequit haberi ſine conſortio actus formalis, & expræſsi pœnitentiæ, qui licet poſterior natura, eſt tamen ſimul cũ illo ſubſiſtẽdi cõſequẽtia, tum etiã, quia licet haberi poſſet, verus actus charitatis in tali caſu, ſine actu pœnitentiæ formali, & tunc eſſet maioris valoris in ratione meriti; ſecus verò in ratione ſatisfactionis, quia hæc formaliter in ſolis actibus pœnitentiæ virtutis inuenitur ex cuius motiuo, & imperio in actibus charitatis, atque aliarum virtutum participatur, quibus proinde præceptum proprium, & ſpeciale pœnitendi, nequit adimpleri, niſi quando ob defectum notitiæ peccati expræſſus pœnitentiæ actus, per actum ſolius charitatis ſupletur.

Dubitatur tertio, quod nam ſit tempus determinatum pro quo obligat hoc præceptum ad habendum actum formalem, & expræſſum pœnitentiæ.

28 IN aſsignando huiuſmodi tempore diſcriminantur Scholaſtici in quatuor ſententias. Quarum duæ ſunt extremæ, & aliæ ſunt mediæ. Prima illarum aſſerit tempus obligationis huius præcepti eſſe illud quod immediatè ſequitur poſt commiſſum mortale peccatum, & eò vſquè eius obligationem durare, quouſque peccator illud adimpleat, & remiſsionem peccatorum obtineat, quam tuentur Guillelmus Pariſienſis, tractatu de pœnitentia, Bernardin. Senenſis in lib. de æterno Euãgelio, ſermone de confeſsione. Inocentius Quartus in cap. *Omnis vtriuſquè ſexus*, de pœnitentia, & remiſsionibus, Archidiaconus in cap. *ille Rex* de pœnitentia, diſtinction. 3. Maior in 4. diſtinct. 17. quæſt. 2. Argent. ibidẽ, art. 4. Petrus de Soto lect. 13. de pœnitentia, & Caietanus tom. 1. opuſculorum, tract. 17 quæſt. 1. Quorum fundamenta ſunt tria. Primum deſumitur ab exemplo præcepti de correctione fraterna, quod quidem ſtatim nos obligat ad eripiendum noſtra correctione proximũ à miſeria peccati, niſi comodior oportunitas ipſi corrigendo expectetur, aut periculum iacturæ grauis immineat corrigenti; *Variæ opiniones circa tempus obligationis huius præcepti recenſentur.*

tunc enim correctio diferri poteſt ex ſentẽtiã Auguſtini lib. 1. de ciuitate, c. 9: ſed prę ceptum conſulendi propriæ vitæ ſpirituali per pœnitentiam nõ minori, ſed potiori iure nos obligat, quam præceptum conſulendi vitæ alienæ ſpirituali, per correptionem fraternam, & aliàs in huiuſmodi pœnitentiali emendatione, qua tenemur ex præcepto Pœnitentiæ nos ipſos liberare à peccato cõmiſſo, nec cõmodior oportunitas expectetur; nec periculum immineat volentibus pœnitentiam agere, conſequens eſt nos teneri ſtatim ad illàm agendam: niſi obliuione, aut ignorantia ſtatus peccati à talis præcepti obligatione, per accidens excuſemur.

Secundũ deſumitur ex comparatione huius præcepti ad illud, quo vnuſquiſquè tenetur proprium corpus, & eius membra tueri, hoc enim ſtatim obligat vnumquemquè, ne mortem corporalem, aut membri mutilationem, etiam volens patiatur, & vt ab hac miſeria, periculoque imminẽti, quã primum potuerit ſe ipſum, & proximos liberet: ergo cum potiori iure vnuſquiſque teneatur ſe à miſeria ſpirituali liberare conſequens eſt ad id ſtatim teneri.

Tertiũ deſumitur ex comparatione ad præceptum reſtituendi bona aliena, quod quidem obligat ſtatim detentorem, ſeu debitorem ad reſtituendum, quam primum potuerit honorem debitum, famam, ſiue pecuniam à proximo ablatam, nec tamen eſt ſtrictioris obligationis, quam præceptum reſtituendi Deo honorẽ ablatum per peccatum, eiuſque ofenſam compenſare per actum pœnitentiæ: ergo afortiori ad hunc ex præcepto pœnitendi ſtatim poſt peccatum commiſſum obligamur.

Secunda ſententia, & media eſt Bonaventurę, in 4. diſt. 17. 2. part. art. 2. quæſt. 2. aſſerentis huiuſmodi obligationem ad ſtatim pœnitendum non omnibus, ſed aliquibus incumbere; nimirũ religioſis, quos exiſtimat teneri ad ſtatim confitendũ peccata ſua, ſi adſit copia confeſſoris, vel hac deficiente ad contritionem de illis habendam, vt ſic quam primum iuſtificentur: cuius fundamentum nullũ aliud eſt, niſi quia eorum ſtatus ob ſui perfectionem ſtrictiori obligatione eos obligat ad agendum Pęnitentiam de peccatis commiſsis, ac proinde ad ſtatim pœnitendum, nec enim in alio huiuſmodi ſtrictior obligatio ſaluari poteſt: ergo.

29 Tertia ſententia aſſerit præceptum hoc non obligare ſtatim poſt peccatum commiſſum, ſed poſtea infra certum tempus, aut vnius anni, aut octo menſium plus minus vè, quam ſequuntur aliqui ex neothericis Theologis, de quorum numero eſt Nuño, quæſtion. 2. additionũ art. 3. dubio 3. qui illam probat dupliciter. Primo, quia hoc præceptum obligat pro omni tempore pro quo obligant præcepta fidei, & charitatis: hæc autem non ſolum obligant in fine vitæ, vel articulo mortis, ſed etiam extra illum ſaltem intra ſpatium vnius anni: ergo & illud. Secundo nam huiuſmodi præceptum agendi pœnitentiã per internum actum contritionis cum ſit iuris diuini obligat pro tempore, pro quo obligat præceptum confeſsionis, vt iuris diuini eſt, ſed hoc, ſuppoſita Eccleſiæ determinatione, obligat pro ſingulis annis, quæ ipſam obligationem iuris diuini in huiuſmodi determinatione declarauit: ergo etiã & illud. Maior patet, quia ſtando in iure diuino ſuppoſita inſtitutione ſacramenti pœnitentiæ eadem eſt ratio obligationis huius ſacramenti, & contritionis: minor autẽ probatur, quia Eccleſia pro illo tempore determinauit, & præcepit confeſsionem eſſe faciendam, quo iudicauit hominem teneri ex iure diuino abſolute ſumpto ad illam faciendam: ergo.

Quarta ſententia, aſſerit huiuſmodi præceptum nec ſtatim poſt peccatum commiſſum, nec infra ſpatium vnius anni, aut alterius temporis determinati obligare per ſe, & ratione ſui, niſi ſit extremæ neceſsitatis quale eſt tempus vltimum vitæ, vel periculi imminentis mortis, aut per accidens, & ratione alterius: nimirum propter receptionem, ſiue adminiſtrationem alterius ſacramenti.

Hanc communiter ſequuntur Theologi præſertim, Diuus Thomas, in quarto diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia, articulo primo, quæſtiuncula quarta, Paludanus, & Durandus ibidem, quæſtion. 1. Soto, quæſtion. 2. articul. 6. Adrianus, quæſtion. 3, de confeſsione, Alexander, 4. part. quæſtion. 17 membro 2. art. 2. Cano, 4. part. relectionis, Nauarró in ſumma, cap. 1. à num. 27. Vigerius in ſumma, capite 16 §. 4. Caietan. in ſumma, verbo, *contritio*, Azor tomo primo, capite 41. quæſito octauo, Suarez in dicta diſputatione decima quinta, ſectio-

ne ſexta; & Vazquez hic dubio quinto.

30 Pro cuius declaratione. Dico primo, nullum hominem ſiue ſæcularem, ſiue religioſum teneri ſtatim poſt peccatū mortale commiſſum habere de illo contritionem, etiam deficiente copia confeſſoris: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas priores ſententias, & pro prima parte probatur. Primo, quia præceptum agendi pœnitentiam, ſiue per cōtritionē, ſiue per confeſsionem eſt pure affirmatiuum, ſiquidem ſub hoc præcepto cadit actus pœnitentiæ ob finem reconciliationis cum Deo de quo proinde nequit dari negatiuum prohibens, ſed tantum affirmatiuum præceptum illum, vtpotè actum honeſtum præcipiens: præceptum autem affirmatiuum non obligat pro ſemper, ſed pro certis temporibus, & ocaſionibus in eo enim à negatiuo diſcriminatur, quod hoc pro ſemper obligat ſecus vero illud: ergo.

Huic argumento reſpondent aduerſarij præceptum hoc eſſe mixtum ex affirmatiuo, & negatiuo: ex affirmatiuo quidem quatenus præcipit haberi actum contritionis (niſi confeſsione ſupleatur) ad diuinam amicitiam conciliandam; ex negatiuo autem quatenus prohibet hominem manere in ſtatu peccati, & inimicitiæ Dei, & ex hoc capite obligare pro ſemper, quouſquè peccator ad diuinam amicitiam redeat.

Sed hæc ſolutio falſo innititur principio, quia falſum eſt huiuſmodi præceptum ex aliqua parte, & in ſenſu explicato eſſe negatiuum alioquin quamdiù quis nō pœniteret, & à peccato reſipiſceret, continuo peccaret, ſicut continuo peccat, qui alienum detinet; & ſicut continuata detentio alieni, continuatum peccatum eſt in debitore, qui cum poſsit non reſtituit: ita permanentia in ſtatu peccati, continuatū peccatum eſt impœnitentiæ, vtpotè continuata omiſsio debiti actus. Ac tandem quodcūque peccatum duplici malitia gauderet ſpecie diſtincta, altera ex proprio obiecto, & altera ex retentione honoris diuini ablati, atquè permanentia in ſtatu peccati contra pœnitentiæ præceptum, quæ tamen abſurda ſunt nullatenus concedenda. Nequè valet euaſio Caietani in dicto opuſculo, aſſerentis hæc abſurda non ſequi, quia hoc præceptum affirmatiuum pœnitendi nō obligat ratione ſui, ſed ratione alterius negatiui, ſcilicet non permanendi in ſtatu inimicitiæ; & propterea non peccat homo contra illud, quouſquè adueniat obligatio iſtius, ideſt quando habet voluntatem expræſſam manendi in ſtatu peccati, aut non conciliandi diuinam amicitiam: non inquam valet hæc euaſio, quod probatur tripliciter.

Tum, quia implicat in adiecto: nimirum, quod ſecundum præceptum ſit negatiuum, & quod non ſtatim, ac pro ſemper obliget, cum hæc ſit intranea præcepti negatiui conditio, & inſuper, quod primum ſit affirmatiuum, & ſtatim obligans poſt peccatum commiſſum, & aliàs quod non ſtatim peccatur cōtra illud in omiſsione actus debiti ex meritis eiuſdem obligationis.

Tum etiam quia ſupponit præceptum habendi actum pœnitentiæ, videlicet contritionem non obligare per ſe, ſed ratione alterius actus, ſicut præceptum confeſſionis ſacramentalis obligat habentē conſcientiam lætalis criminis, ad ſumendam Euchariſtiam, ratione huius ſuſceptionis, quæ ſuppoſitio falſa eſt, derogatque honeſtati, diſtinctioni, ac neceſsitati virtutis pœnitentiæ, ex quo enim eius actus eſt honeſtus, à reliquarum virtutum actibus diſtinctus, & neceſſarius ad ſalutem, debet dari præceptum per ſe obligans ad illum ratione ipſius.

Tum dequè, quia ſupponit contra huiuſmodi præceptum tantum delinqui per expræſſam voluntatem non reſipiſcendi à peccato, aut non conciliandi diuinam amicitiam: quæ ſuppoſitio etiam ex eo conuincitur falſitatis, quia quandiù debitor cum aduertentia, & oportunitate reſtituendi non reſtituit, negligendo, aut ſimpliciter omitendo actum reſtitutionis, etiam ſine expræſſa voluntate detinendi alienum, continuo peccat contra tale præceptum: ergo ſimiliter continuo peccaret contra præceptum pœnitentiæ peccator, quamdiu ſimpliciter omiteret actum pœnitendi, etiam ſine expreſſa voluntate detinendi honorem ablatum à Deo, aut non reſipiſcendi à peccato. Quare ex his manet prima ratio inconcuſſa.

31 Secundo probatur alia ratione deſumpta ex præcepto Eccleſiaſtico de confeſsione annuali facienda, quod in capi-

te, *omnis vtriuſque ſexus*, de pœnitentia, & remiſsionibus continetur, hoc enim præcepto Eccleſia determinauit preceptum iuris diuini agendi pœnitentiam ſacramentalem, de mortalibus peccatis, aut quia vt àliquibus Scholaſticis placet, de quorum numero eſt Caietan. part. 6. de pœnitentia Eccleſia iudicans ius diuinum ad ſacramẽtaliter pœnitẽdũ de lætalibus criminibus intra ſpatium vnius anni ſaltem obligare, eius obligationem ſuo poſsitiuo præcepto fidelibus intimauit. Aut quia vt alijs verius placet; obligationem iuris diuini; quæ tantum ex vi illius in caſu neceſsitatis extremæ inſtabat ad ſpatium vnius anni modificauit, ac determinauit, vt intra illud ſacramentaliter pœniterent de lætalibus peccatis, quorum conſcientiam haberent, ob vtilitatem vſus, àc frequentiæ ſacramentalis confeſsionis: ſed præceptum habendi contritionem non poteſt ex iurè diuino breuiori tempore obligare ſuppoſita hac Eccleſiæ lege, quæ per obligationem de pœnitentiam agendo iuris diuini, per dictum ſpatiũ vnius anni, aut explicuit, aut coartauit: ergo ſicut præceptum confeſsionis, non obligat ſtatim poſt commiſſum peccatum, ſed habet vnius anni latitudinẽ, afortiori neque ſtatim obligat præceptum contritionis, vtpote cuius obligatio non minori latitudine debet gaudere, ſed eo maiori; quo hucuſque ab Eccleſia non eſt determinata.

Deinde pro ſecunda parte probatur concluſio, quia præceptum pœnitendi, conſideratum abſolutè, & ſecundum ſe prout à iure diuino dimanat, pariformiter obligat omnes fideles, tàm regulares, quã ſeculares: ergo ſi iſtos non obligat ſtatim, ita neque illos.

Quæ ratio amplius cõfirmatur per perpendendo clementinam, *ne in agro dominico*, de ſtatu Monachorum, in qua Eccleſiaſtica lege præcipitur, quibuſcumque Monachis Benedictinis ob regularis obſeruantiæ perfectionem, & vtilitatem vſus, ac frequentiæ ſacramentalis confeſsionis, vt ſingulis menſibus ad illam accedant, vbi tempus anuale obligationis confeſsionis ſtatutum pro cunctis fidelibus, in dicto capite, *omnis vtriuſque ſexus*, eadem Eccleſià prędictis Monachis ad tempus vnius menſis determinauit: tempus vero obligationis præcepti iuris diuini ad pœnitendum ſimpliciter, hoc eſt per actus virtutis pœnitentiæ extra ſacramentum, neque pro ſæcularibus, neque pro Religioſis, hucuſque Eccleſia determinauit: imò in ordine ad actus internos, de quibus modo eſt ſermo, cuiuſmodi eſt contritio, neque legem ferre poteſt, vtpote quæ in tales actus iuriſdictionem non habet: ergo quamuis ex dicta lege Eccleſiaſtica teneantur prædicti Monachi ad menſtruam confeſsionem ſacramentalem de peccatis faciendam: non tamen tenentur ad ſtatim illam faciendam poſt peccatum commiſſum, neque ad cõtritionem de illis habendam ob defectum talis confeſsionis.

32 Dico ſecũdo, præceptum pœnitẽdi, extra ſacramẽti realẽ ſuſceptionem nõ obligat ratione ſui, niſi in tempore neceſsitatis quam in fine vitæ, aut in articulo, ſiue periculo vere imminenti mortis dicimus cõtineri. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus authores tertiæ, & pro authoribus 4. ad cuius ſenſus expoſitionem prius operę pretium eſt aduertere, quod propterea dixi in illa, ratione ſui, quia teſte D. Th. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 4. duobus modis poteſt obligare præceptum pœnitẽdi. Primo ratione ſui, ideſt propter actũ exercendũ ipſius met virtutis pœnitẽtiæ. Secũdo ratione alterius, ideſt propter exercendũ actũ alterius virtutis religionis, v. g. aut charitatis; quo pacto obligat hoc præceptum ad habẽdũ contritionem eum, qui præmitur conſcientia lætalis criminis, quoties aliquod ſacramentum viuorũ miniſtraturus, aut recepturus accedit, excepto Euchariſtiæ ſacramento ad cuius debitam ſuſceptionẽ, habitá cõpia confeſsionis, nedum ſatis diſponitur per contritionẽ; niſi etiã adhibeat ſacramentalem cõfeſsionẽ ad quam cõpellitur ex Eccleſiaſtica lege Cõcilij Trid. Seſſ. 13. c. 7. & Can. 11. traditioni Apoſtolorum initentis: ad reliquorũ autẽ ſacramentorũ dignã, ac debitã ſuſceptionẽ ſufficit, & requiritur cõtritio preuia, defectu cuius, ſuſceptio, atque etiã ſolemnis adminiſtratio peccatũ mortale eſt ſacrilegij cõtra religionẽ; inter quos modos obligandi, hæc eſt diferencia, quod quãdo obligatio contingit primo modo omiſsio contritionis eſt ſpeciale peccatũ impenitentiæ contra ſpecialem pœnitentiæ virtutem. Secus autem ſecũdo modo, in quo tantũ peccatur contra virtutẽ religionis ad cuius actus exercitiũ neceſſarius eſt præuius actus pœnitentiæ, vnde quãdo adminiſtraturus, aut recepturus ſacramentum ordinis, aut confeſsionis, v. g. aut Euchariſtiæ

Præfertur opinio reſtringens tẽpus hoc ad articulum extremæ neceſsitatis.

tum conſcientia peccati lætalis, omittit contritionem, aut ſacramentalem confeſſionem, non contra pœnitentiæ, ſed tantũ contra religionis virtutem, peccat peccato ſacrilegij, de quo dumtaxat tenetur in confeſſione ſe accuſare dicens ſe ſacrilege, ac indigne tale ſacramentum ſuſcepiſſe, aut adminiſtraſe, quia hæc obligatio actus cõtritionis, non ex ipſius virtutis pœnitentiæ, ſed ex religionis neceſsitate, atquè honeſtate exigitur: noſtra autem ratio procedit de obligatione præcepti pœnitendi ex ipſius virtutis pœnitentiæ honeſtate, ac neceſsitate orta, atquè exacta ad eius virtutis actus exercitium, de qua aſſerit tantum in fine vitæ, aut in articulo, ſiue periculo mortis inſtare, & in hoc ſenſu probatur primo, quia cum præceptum pœnitendi affirmatiuum ſit ad actum ſpecialis virtutis, tãtum ad obtinendam remiſsionem peccatorum neceſſarium (quando cõfeſsione ſacramentali non ſupletur) ex iure diuino naturali, vt dictũ eſt, habet vim obligandi pro aliquo tempore cum hæc ſit intranea conditio præcepti affirmatiui; quæ vis aliquando ad actum reduci debet ne inanis, & fruſtranea ſit: ergo aliquod tempus eſt ſignabile, pro quo obliget de facto hoc præceptum, tunc vltra ſed non obligat ſtatim poſt peccatum commiſſum, vt oſtendimus in prima concluſione, nequè pro ſpatio vnius anni: propter tria: tũ quia ius diuinum ſecundum ſe ſpectatum hoc ſpatium nullibi determinauit pro eliciendo contritione; nequè Eccleſia illud aſignauit, niſi pro confeſsione ſacramentali: ergo voluntaria, & ficta eſt talis annualis contritionis determinatio: ſiquidem ex nulla lege, aut iure habetur.

Tum etiam, quia aliàs qui habens cõſcientiam lætalis peccati contritionem omitteret ſupoſita, quod non ſuperet ei facultas ad confeſsionem ſacramentalem, peccaret ſpecialiter contra præceptum diuinum pœnitendi de quo peccato impœnitentiæ teneretur confiteri, quod abſquè damno, & periculo animarum admiti non poteſt, etiã ſi ab aduerſarijs admitatur: ergo. Tum denique, quia ſi daretur huiuſmodi annualis contritionis obligatio, hoc eſſet ob periculum obliuionis peccatorum propter quod dicunt Soto vbi ſupra, & Nuño, quæſt. 6. additionum, art. 5. obligate præceptum pœnitendi, ſiue per actũ contritionis, ſiue per ſacramentalem confeſsionem, quando adeſt copia illius, & facultas ad illam faciendam, ſed nullatenus huiuſmodi periculum aducit obligationem pœnitendi, ſiquidem præceptum pœnitendi non obligat ad retinendum memoriæ omnia peccata in particulari, ſed ſolũ ad cõfitẽdum ea, vel ad cõterendum de illis quæ poſt adhibitam ſufficientem diſcuſſionem memoriæ occurrerint, vnde licet inſtet periculum obliuionis aliquorum per dilationem temporis intra annum, nullus tenetur ex præcepto confeſsionem anualem, aut contritionem præuenire: ergo dumtaxat in tempore extremæ neceſsitatis, hoc eſt in fine vitæ, articulo, ſiue etiam periculo mortis inſtat obligatio iuris diuini, ad pœnitendum de peccatis extra ſacramentalem confeſsionem, huiuſmodi autem finem vitæ ſiue articulum mortis, atque periculum diffiniunt Cano, part. 6. de pœnitentia, Nauarro in ſumma, cap. 22. à num. 14. & Enriquez in ſumma, lib. 3. de pœnitentia, cap. 9. aſſerentes eſſe, quãdo quis ex morbo, aut ſenectute, aut vulnere, aut per ſententiam iudicis, nullo iuris aut facto remedio impedibilem eſt in eo ſtatu, vt infalibiliter mors, paulò poſt ſequatur, licet per miraculum euadat: periculum autem eſſe, quãdo homo eſt in eo ſtatu, etiam ſanus in quo probabiliter, & regulariter ſolet mors contingere, vt dum miles intrat cruentum prælium, vel lõgam periculoſam maris nauigationem, vel dum puerpera primo partui apropinquat, extra quod tempus non inſtat obligatio iuris diuini agendi pœnitentiam de peccatis mortalibus, vtpote extra quod neque imminet ſpecialis neceſsitas pœnitendi, nec periculum decedendi ſine pœnitentia.

33 Ad primum pro prima ſententia omiſsis varijs modis explicandi obligationem, & materiam præcepti correctionis fraternæ, quæ videri poſſunt apud Canum 4. part. de pœnitentia. §. *ad quartum*, & Vazquez in dicto dubio quinto ex gloſſa, in cap. *ſi peccauerit*, Silueſt. verbo, *correctio*, quæſt. 1. & verbo, *denuntiatio*, q. 1 Angelo in verb. *correctio*, & Abulenſi quæſt. 83. ſuper Matth. cap. 18. cum eodem Cano. Reſpondetur negando conſequentiam, eo quod cum homo ſit dominus bonorum ſuorũ ſpiritualium, prolibito poteſt eorum iacturas pati, ac per conſequens non tenetur ſtatim ad eorum recuperationẽ, reſpectu autẽ bonorũ ſpiritualiũ alterius eſt tãtũ cuſtos, qui proinde ad inſtar cuſtodis tenetur ſtatim habita opor-

Satis fit fundamentis aduerſariorũ.

Digitized by Google

tunitate ſpirituale damnũ proximi reparare,& vt illũ a ſpirituali miſeria eripiat, correctionẽ fraternã adhibere, quia materia correctionis fraternæ obligans ſub mortali non eſt peccatum preteritum, vt præteritum, quia iam dimiſſum eſt, ſed tantum aut futurum imminens, aut perſeuerantia præſentis, cuius continuatio, aut complacentia futura imminet, ac proinde huiuſmodi præceptum tunc obligat nos, quando proximus indigens noſtra correctione, tenetur illam acceptare , & per illam, & mediante illa eripi à peccato, nequit enim ex parte corrigentis ſtare obligatio ad præbendum beneficium conſilij, non ſtante ex parte indigentis ad illud aceptandum, alioquin, nec ordo illorum trium graduum à Chriſto Matth. 18. aſsignatus ſeruaretur, videlicet corripe eum inter te, & ipſum ſolum, poſtea adhibe duos , vel tres teſtes, deinde dic Eccleſiæ : ſi enim ille non teneretur pro tunc meo conſilio obedire, quia non tenetur peccatum ſtatim relinquere, non eſſet inobediens, ac per conſequens nec in pœnam inobedientiæ eſſet coram teſtibus corripiendus , & Eccleſiæ denunciandus, vt tanquam inobediens, & vt etnichus haberetur, quod tamẽ non eſt admittendum, vtpote contra formã à Chriſto in huius præcepti obſeruatione præſcriptam , & ideò negat maiorem argumenti, quia huiuſmodi præceptum non obligat ſtatim, niſi quando proximo inſtat obligatio pœnitendi, aut periculum peccati euadendi, ne vel incomplacentia peccati perſeueret, vel nouum peccatum admittat. Sed hæc ſolutio deficit propter duo : tum quia ſupponit tantũ in caſu extremæ neceſsitatis obligare legem correctionis fraternæ, quod eſt contra communem ſententiarum Theologorum , & patrum ſententiam, & contra intelligentiam præfati teſtimonij Euangelij.

Ad ſecundum dicendum eſt cum Cano in dict. 4. part. §. *pro ſecundi vero argumenti*, quod diſcrimen inter vtrumquè precептum in eo conſiſtit, quod homo non eſt dominus, ſed tantum cuſtos vitæ ſuæ, ac membrorum corporaliũ , ac proinde ſicut quo iure cuſtos vineæ domini ſui tenetur illam ſeruare, ac defendere, ita homo eodẽ iure proportionabiliter corporalem vitam ac corporis membra illęſa ſeruare : atquè ab inminenti damno, quan totius poſsit, defendere tenetur, alioquin ſpeciale peccatũ, pluribus malitijs inuolutum committit; in iuſtitiæ quidem erga rem publicam, ſiue communitatem cuius eſt pars, quam ex iuſtitia legali in ſui, atque aliorum integritate ac vita corporali tenetur conſeruare: audaciç vero, aut molliti ei contra fortitudinem, erga ſe ipſum, ex qua nequè timidus, aut mollis in periculis ſuperandis , neque audax in eiſdem agrediendis, aut non vitandis eſſe tenetur. Odij vero contra charitatem ſecundum quam poſt Deum, ſe ipſum in ſpiritualibus, & corporalibus bonis diligere debet. Cum autem homo ſit dominus vitæ ſuæ ſpiritualis ſicut pecuniæ, ac ſupellectilis, eo quod Deus bona ſpiritualia eius voluit eſſe ſubiecta voluntati, iuxta illud Eccleſ. 15. *Deus abinitio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Neque damnum in illis voluntarie patiendo, neque in illo non vitando ſpeciale cõmittit peccatum, ſicut neque illud committit pecuniæ propriæ (citra prodigalitatẽ) iacturam faciendo, aut illam non vitando, iuxta quã doctrinã negãda eſt cõſequẽtia.

Ad tertium vt reſpondeamus, ſupponendum præmitimus, illam comparationem poſſe fieri in duplici caſu. Primus eſt, quando vterquè tam nolens pœnitere, quàm nolens reſtituere alienũ, habet formale propoſitum non ſatisfaciendi Deo, aut creditori: ſecũdus eſt, quando vterquè conſcius delicti, & obligationis, negatiue ſe habens difert ſatisfactionem Deo , aut creditori exhibendam, & quidem in primo caſu Cano, in dicta part. 4. §. *quod ſi voluntas*, Soto, & Palacios in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 6. docent vtrũquè pariformiter peccare; eo quod ille qui vult expreſſe permanere in peccato , & inimicicia Dei peccat mortaliter, quia complacet ſibi in eadem peccati mortalis malitia, ſed ſimiliter qui vult expreſſe non pœnitere, & extra tempus obligationis præcepti pœnitendi, vult permanentiam in peccato commiſſo, ſaltem virtualiter cum hæc ad volitionem nõ pœnitendi, neceſſario conſequatur: ergo. Sed verius Suarez in dicta diſp. 15. ſect. 5. & Nuño, quæſt. 2. additionum, artic. 3. dub. 3. ſentiunt volentem non reſtituere, habita oportunitate, & facultate peccare: ſecus vero volentem pro tunc non pœnitere, eo quod ille habet voluntatem contrariam præcepto negatiuo de non retinendo alienum inuito domino: ſecus vero iſte qui ſicut nullo precepto tenetur agere pœnitentiã extra tẽpus obligationis, ita neq; alicui præcepto habet contrariã volũtatẽ.

Digitized by Google

Tum etiam, quia quod non licet facere, neque licet velle, ſicut è contra, quod licet facere, licet & velle: ac proinde ſicut non licet retinere alienum inuito domino, ita neque licet illud velle: & è contra, ſicut extra tempus obligationis præcepti pœnitendi, licet non pœnitere, ita licet & illud velle.

Neque eſt eadē ratio de voluntate permanendi in peccato, atque de volūtate nō pœnitendi: illa enim complacet in peccati malitia, quæ proinde diuinæ amicitiæ ac charitati aduerſatur: hæc vero talem complacentiam, nec virtualiter admiſcet: etſi ad illam ſequatur permanentia materialis in peccato; quatenus volens non pœnitere remediū peccati non apponit, quod nō eſt illud velle, ſed tātū illud permitere: permiſio autē hæc, nō eſt per ſe mala, quia nulli pro tunc præcepto, ſed ſoli conſilio contrariatur: omitere autē operā conſilij, aut eorum contraria velle, per ſe malum culpę non eſt. Si autem fiat comparatio in ſecūdo caſu tenenda eſt verior ſententia cum Nau. in ſumma, c. 17. n. 54. Caiet. 2. 2. q. 66. art. 2. ad ſecundum, & tom. 1. opuſc. 1. tract. 17. Azorio tom. 3. ſummæ, lib. 4. c. 36. q. 1. Suar. & Vazq. in locis proxime allegatis aſſerētibus eum qui habita opportunitate non reſtituit, continuo peccare, quamdiù inuito domino retinet alienum; quia præceptum reſtituendi eſt negatiuū, teſte D. Th. 2. 2. q. 62. art. 8. vtpotè quo pręcipimur alienum non detinere inuito domino, ſed illud iterato in eius dominium ſtatuere, ac proinde obligat pro ſemper. Secus autem eum, qui non pœnitet, cū poſsit extra pręfatum tempus neceſsitatis, quia pręceptum pœnitendi eſt pure affirmatiuum, ac proinde non pro ſemper, ſed pro determinato tempore obligat. Duo tamen, adhuc in hac ſententia ſunt explicanda. Primū eſt, an non reſtituens, idem continuet aut nouum peccatum furti, ſiue iniuſtitiæ cōmittat. Secundum eſt, cur nō pœnitens detinendo honorem ablatē Deo quoad affectum, imoquè aliquando quoad effectum, vt quando prębet proximis ſcandalum, ex quo dehonoratur Deus, & eius gloria, ac fama denigratur, non peccabit continuo, quamdiu hęc damna, per pœnitentiam non reparat?

Ad primum reſpondet Azorius vbi ſupra non reſtituentem in noſtro caſu nouum peccatū iniuſtitiæ comittere quoties actu interno repetit propoſitum non reſtituendi, aut conſumendi rem alienam, aut actu externo illam conſumit, vtpote, quia ſe reddit impotētem ad illam reſtituēdam. Si autem neque huiuſmodi actus interni, neque externi facit repetitionem; tantum primū peccatū continuat, quamdiu ſciens, volens, ac potens reſtituere, alienam rem, detinet contra domini voluntatem.

Ad ſecundum vero dicendum eſt, ideò impœnitentē in tali caſu non peccare, nec nouo peccato, nec præexiſtens continuando, quia Deus ex offenſis contra ipſius honorem, nullum damnum, aut detrimētū in ſe ipſo patitur, nihilque eſt, quod ei detineamus ablatum, vtpote qui nec in ſe, nec in ſuo iure per noſtra peccata realiter leditur, ſicut leditur homo per iniuſtam actionem, aut detentionem, vtpote per quam ſuis bonis, aut vtilitatibus, aut iuribus priuatur, ac proinde quamdiu hoc damnum durat, continuè durat obligatio negatiui præcepti non detinendi alienum, ſecus verò quamdiú durat ofenſa Dei, quę ſicut nullum damnum vere infert Deo, itá nullam fundat obligationem negatiui præcepti non detinendi diuinum honorē ablátum quoad effectum, ſi tamen vltra huiuſmodi ablationem honoris diuini, quoad affectum peccator inferat proximis aliquod damnum ſcandali, ſcilicet peccati, aut deceptionis contra fidem, occaſionem præbendo, fatemur tunc peccatorem teneri ad huiuſmodi damnum reparandum, non quidem ratione obligationis, ſed aliarum virtutum, vt charitatis & fidei; nimirum proximum ædificando boni operis exemplo, aut coram illo veritatem docendo, ſiue fidem firmiter cōfitendo, iuxta ea quæ docuimus, quæſt. 3. de fide art. 2. Et iuxtá hanc veriorem ſententiam admiſſa maiori, & minori neganda eſt conſequentia.

35 Ad primum pro ſecunda ſententia patet ex dictis in prima concluſione.

Ad primum pro tertia nego maiorem; quia illa præcepta de actibus virtutum Theologicarum cum ſint de vltimo fine vitæ Chriſtianę, obligāt vltra tempus neceſsitatis, ſaltem initio vitæ; quia homo, teſte D. Thom. 1. 2 quæſt. 89. art. 6. tenetur diſponere de vita ſua, ac proinde de vltimo fine illius: tráſacto autē illo primo pūto vſus rationis, exiſtimo hęc præcepta affirmatiua tātū obligare in tēpore extremæ neceſsitatis vt in fine vitę, aut in articulo ſiue periculo mortis, in quo dūtaxat obligat præceptū iuris diuini de habendo

actum

actum pœnitentiæ extra ſacramentum, eo quod cum ſit de medio in ordine ad finem vltimum ſuppoſito lætali peccato non oportet eius obligationem ad aliud tempus extēdere. Dixi hæc præcepta affirmatiua fidei ſpei, & charitatis, nam de negatiuis earundem virtutum pro certo habēdū eſt illa pro ſemper obligare nam pro ſemper tenetur homo non negare fidem, nequè deſperare, aut agere contra charitatē; non tamen pro ſemper tenetur credere, ſperare, aut diligere, qui ſunt actus harum virtutum, de quibus dantur affirmatiua præcepta de quibus fit ſermo.

Ad ſecundum reſpondetur dupliciter iuxta duplicem modum ſentiendi, circa tēpus obligationis præcepti confeſsionis atento ſolo iure diuino, cuius fecimus mentionem in ſecunda probatione prioris partis primæ concluſionis. Primo negando maiorem, quia preceptum habendi contritionem eſt iuris diuini naturalis independens omnino à ſacramentorum inſtitutione, ac proinde extra tempus dictæ neceſsitatis eius obligatio, ſine vllo fundamento extenditur preceptum vero confeſsionis ſacramentalis eſt iuris diuini poſitiui, quod ex Chriſti inſtitutione ortum eſt, ex qua etiam potuit pro ſingulis annis (iuxta Eccleſiæ interpratationem) ob huius ſacramenti vſus vtilitatem obligare.

Reſpondetur ſecundò, negando minorem, obligatio enim annualis confeſsionis non oritur ex iure diuino, quod dumtaxat pro tempore extremæ neceſsitatis fideles ad ſacramentalem cōfeſsionem obligabat; ſed ex iure humano Eccleſiaſtico, quo Eccleſia ſpatium vnius anni fidelibus determinauit pro confeſsione ſacramentali facienda, vnde qui intra illud ſpatium confeſsionem omitat, non cōtra diuinum, ſed tantum contra Eccleſiaſticum præceptum cōfeſsionis peccabit, quādo vero poſtquā ſemel confeſſus eſt intra annum, conſtitutus in articulo mortis confeſsionem, quam facere potuit omiſerit, non contra Eccleſiaſticum, ſed contra iuris diuini preceptum confeſsionis peccabit.

Dubitatur quarto: An vltra actum pœnitentiæ, qui eſt dolor de peccatis præteritis, requiratur alius, qui eſt propoſitum cauendi peccata in futurum ad obtinendam peccatorum remiſsionem.

36 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & alia media. Prima illarum affirmante: quam tuentur Scotus in 4. diſtinct. 14. quæſt. 4 art. 2. & Bonauētura ibidem, 1. part. diſtinction & 2. part. dub. 5. circa textum, Soto diſt. 15. quæſt. 1 art. 2. Paludan. diſtinction. 17. quæſt. 1. Alexander, 4. part. quęſt 17. memb 3. art. 9 & Adrian. quotlib. 5. art. 3. quorum fundamentum eſt, quia vera pœnitentia peccatorum remiſsiua pariformiter futura, atquè præterita reſpicit peccata de eis ſiquidem dolendo, illa verò proponendo cauere; ideò enim diffinitur ab Ambroſio, quod eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, & à Gregorio, quod eſt anteacta peccata deflere, & flenda non commitere: ergo ſicut ad obtinendam remiſsionem peccatorum requiritur dolor de præteritis, ita & expræſſum propoſitum cauendi futura. *Varia Theologorum placita circa propoſitū cauēdi peccata in futurum recenſentur.*

Secunda ſententia omnino negans eſt, quam ſequuntur Maior in 4. diſt. 14. quæſt. 1 Medina Co. de pœnitentia, quæſtion. 3. Vega libr. 13. in Concil. cap. 21. Nauarr. in ſumma cap. 1 num. 6. & Vazquez hic dub. 4 eamquè probant tripliciter primo, ſolus actus contritionis de peccatis præteritis cum actu dilectionis Dei ſuper omnia, eſt vera ac perfecta conuerſio peccatoris in Deū ſufficiens ad remiſsionē peccatorū, & cū Deo recōciliationē obtinendam, & in hac non includitur formale, aut expræſſum, ſed tātū virtuale propoſitū: ergo illud nō requiritur. Secūdò, quia

quis contingere poteſt, hominem non cogitare de futura vita, ac per conſequens, neque de futuris peccatis vitandis, ſed tantũ de diuina bonitate, atque anteactæ vitæ turpitudine: iſtæ enim cogitationes non ſunt ita neceſſario connexæ, vt prima à ſecunda ſeparari non poſsit: ſed tunc ex illa ſancta cogitatione excitabitur in voluntate dilectio charitatiua Dei, & verus dolor contritionis de peccatis commiſsis ſine propoſito expreſſo, ac formali cauendi futura, vtpote quod circa obiectum non apprehenſum, aut cogitatum eſſe non poſsit: ergo in tali caſu datur vera contritio ſufficienter reconciliatiua hominis cũ Deo, ſine formali propoſito.

Tertio, quia aut hoc formale propoſitum eſt neceſſarium ad obtinendam remiſſionem peccatorum ſola neceſsitate præcepti, autem neceſsitate medij: & hoc aut eſſet, quia ſine tali propoſito expræſſo, nequiret in homine vera contritio reperiri: aut quia talis vera contritio non eſſet ſufficiens ad reconciliandum peccatorem cũ Deo: ſi primum; cum à cuiuslibet præcepti, etiam iuris diuini, obligatione excuſemur ob inuincibilẽ ignorantiã ſiue naturalem inconſiderationem; etiam ab iſtius obligatione excuſabitur ille; qui ob defectum cogitationis de futura vita nihil circa illam proponit; eo quod defectus hic naturalis ac inuincibilis poſsit eſſe, ſiquidem cũ prima cogitatio hominis naturalis ſit, non eſt in illius poteſtate eãm habere, aut à ſe repellere, ac proinde poteſt humanus intellectus naturali cogitatione de diuina bonitate, & vita præterita ſic præocupari, vt nihil pro eo tẽporis momento de futura poſsit cogitare: ſi ſecundum, ſine fundamento dicitur, quia ſicut ille qui non habet recordationem lætalis peccati à ſe commiſsi, poteſt habere, vt ſupra vidimus dilectionem Dei ſuper omnia ſufficientem ad remiſsionem peccatorum obtinendam, ſine actu formali pœnitentiæ; cur ille, qui nihil cogitans de futura vita, cogitat tamẽ de præteritæ vitæ turpitudine non habebit verum dolorem contritionis, ſine formali propoſito cauendi futura peccata?

Et vrgentiori ratione conuincitur tertium dictum eſſe ſine fundamento: nam cum hic dolor ſit vera contritio, veruſque actus pœnitentiæ charitatiuæ dilectioni Dei ſubordinatus, ex ſe habet vim auertendi hominem à peccato, reconciliandi cum Deo, & diſponendi illum proxime ad iuſtificationem, & non à propoſito; quod cum ſit natura poſterius contritione, vtpote effectus illius, ab ea habens, quidquid virtutis, & perfectionis habet, nequit ei tãlẽ vim cõmunicare; prius enim, vt prius & vt cauſa, à poſteriori & cauſato neque poteſtatem, neque virtutem emendicare poteſt: ergo.

Tertia ſententia media eſt, hoc propoſitum formale, ſiue expræſſum vitandi peccata in futurum eſſe per ſe regulariter neceſſarium ad obtinendam peccatorum remiſsionem, ſicut eſt regulariter neceſſarium ad habendam veram contritionem de peccatis commiſsis, quæ modo ordinario haberi ſolet in Eccleſia à peccatoribus, qui dum in anteactæ vitæ turpitudinem mouentur affectu deteſtationis, ſimul cogitant de futura: cum quo tamen ſtat, vt in aliquo caſu, qualis eſt ſignatus ab authoribus ſecundæ ſentẽtiæ, ſi defectus expreſſi propoſiti ſupleatur per actus dilectionis Dei ſuper omnia, & doloris de peccatis preteritis. Hanc ſequuntur Suarez, hic diſput. 4. ſect. 3. & Nuño quæſt. 1. additionum, art. 1. dub. 5. & nos ſtatuimus pro concluſione, vtpote veriorem; & per quã duæ priores ſententiæ ad concordiam reuocantur, & varia teſtimonia D. Thom. explicantur: in quorum alijs huiuſmodi propoſitum numerat inter diſpoſitiones neceſſarias ad adulti iuſtificationem extra ſacramentum, & per illud diffinit verum ac perfectum dolorem pœnitentiæ, vt in art. 4. quæſtionis præcedentis, & in art. 1. ad primum quæſtionis ſequentis: in alijs vero huius propoſiti non meminit, ſed ſine illo ſaluat perfectam peccatoris in Deũ conuerſionem, vt in art. 5. quæſtionis præcedentis, & in 1. 2. art. 5. & 8. quæſt. 113. Declarantur etiam teſtimonia Conciliorum Florentini, & Tridentini, quorum illud Seſſ. vlt. in decreto Eugenij inter partes ſacramenti Pœnitentiæ numerat contritionem, ad quam dicit pertinere propoſitum cauendi peccata in futurum: illud vero Seſſ. 6. c. 6. inter actus ad deteſtationẽ perfectam peccatorũ neceſſarios numerat propoſitum, ineundi nouam vitam, & Seſſ. 14. cap. 4. diffinit contritionem eſſe dolorem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Et tandem ſatis ſit argumentis vtriuſque ſententiæ.

ART. III.

Vtrùm per pœnitẽtiam vnum peccatum poſsit remitti ſine alio?

CONCLVSIO eſt negatiua, quæ intellecta de lege ordinaria eſt certa ſecundum fidem.

Sed an ſit vera in ordine ad potentiam Dei abſolutam, vertitur apud Scholaſticos in dubium.

In quo vnum ſupponimus, & alterum inquirimus: ſupponimus quidem de potentia Dei abſoluta poſſe fieri à Deo remiſsionẽ peccatorum mortalium, ſine vllo actu ipſius Peccatoris: ac proinde ſine vlla formali, aut virtuali eius pænitentia, quæ ſuppoſitio aduerſus vtrũquè Soto, quorum alter in 4. diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 2. & alter lectione 4. de neceſsitate pęnitentiæ negatiuam tuetur partem, communiter recipitur à Theologis, & vno ex duobus modis verificatur. Primus eſt per vnionẽ hypoſtaticam, qua ſcilicet Deus de potentia abſoluta poteſt vnire ſibi hypoſtaticè naturam humanam alicuius peccatoris nulla interueniẽte operatione ex parte illius, ſiquidem illam dormientem, & ab omni operatione ceſſantem poſſet Deus ad ſe aſſumere, cum in hoc nulla inuoluatur implicatio, ac per conſequens mediante vnione hypoſtatica, quæ eſt forma ſanctificans, ac per ſe, & ex natura ſua incompoſsibilis cũ peccato illam ſanctificare, & eius præexiſtentia peccata remittere.

Secundus eſt per infuſsionem gratiæ habitualis, quam Deus ſe ſolo poteſt facere ſine aliqua cooperatione ex parte peccatoris illam recipientis: gratia enim habitualis vno ex tribus modis habere poteſt dependentiam in ſui infuſsione à cooperatione, & diſpoſitione recipientis, nimirum aut eſſentialem, & omnino inſuplebilem à Deo, aut connaturalem, quia ſcilicet ex natura rei petit in tali ſubiecto, nimirum in adulto, qui proprio actu à Deo fuit auerſus, diſpoſitionem ex propio actu conuertente eius voluntatem in Deum, & illam auertente à peccato, aut moralem, quia nimirum ex libera ordinatione Dei petit gratia in ſui infuſsione in tali ſubiecto diſpoſitionem proprij actus voluntatis: Sed non primo modo, ſiquidẽ illa infunditur paruulis baptizatis ſine vllo actu ipſorum: ſi autem ſecundo modo licet de lege ordinaria inſuplebilis ſit talis diſpoſitio, ſecus autem de potentia abſoluta, quamcumquè enim connexionem, & dependentiam effectus ab aliqua cauſa (maxime diſpoſitiua) & concurſum cuiuſcumquè diſpoſitionis non requiſitæ eſſentialiter Deus de potentia abſoluta ſuplere poteſt, & de facto ſuplet concurſum perfecti actus pęnitentiæ, & charitatis, hoc eſt contritionis, & dilectionis, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam recipiendam in adulto per ſacramenta baptiſmi, & pęnitentiæ. Ad quorum fructuoſam ſuceptionem ſufficit ſola attritio, quá etiam ſuplere poſſet diuina omnipotentia infundendo gratiam adulto independẽter ab omni eius operatione, vel per huiuſmodi ſacramenta, vel extra illa. Sicut etiam de facto in adulto gratiam conferũ at independenter ab omni eius operatione. Si autem tertio modo, non eſt cur diſpoſitio, quæ ex ſola Dei libera ordinatione requiritur, ſuplerinon poſsit Deo aliter ordinante.

Inquirimus autem, an extra hunc caſum poſsibilem dumtaxat de potentia abſoluta, in quo Deus media gratia, ſiue quauis forma intrinſece ſanctificante habituali, vel actuali tolleret maculam, & auerſionem relictam ex quouis præcedẽti peccato mortali actuali, vtpotè cum illa incompoſsibili, ſine vllo actu pęnitentiæ ex parte peccatoris, de quo proinde non procedit quæſtio, ſed in caſu (vt de lege ordinaria contingit) quo peccator mediãte vero actu pænitentiæ remiſsionem peccatorum mortalium conſequitur, poſsit vnum de potentia abſoluta remiti per huiuſmodi veram pęnitentiam ſine alio.

2. In quo duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam tuentur Adrianus in 4. quæſt. 4. de pęnitentia, & Medina Codice de pęnitentia, quæſt. 12. Scotus in 4. diſtinct. 14. quæſt. 1. Ocan ibidem quæſt. 9 Gabriel quæſt. 1. art. 1. & Suarez hic diſp. 9. ſection. 4. & diſput. 10. ſect. 1. & ſequaces qui vno ex tribus modis illam defendunt ſecundum tripli-

cem

Digitized by Google

tem etiam modũ cõſtituendi rationem eſſentialem peccati habitualis, & eius oppoſitionem cũ gratia, Scotiſtę enim exiſtimãtes peccatũ habituale eſſentialiter conſiſtere in ſola deputatione, ſiue obligatione ad pœnam debitam, conſequenter tenent poſſe per pœnitentiam de potentia abſoluta remitti vnum peccatũ alio non remiſſo, eò quod Deus de potentia abſoluta poteſt facere quod per pęnitentiam tollatur reatus, vel obligatio ad pęnam debitam vni peccato, quin tollatur obligatio ad pęnã debitã alteri, ſiue æternam, ſiue temporalẽ, ſicut qui aſtringitur pluribus debitis poteſt ordinare ſolutionem præciſſe ad vnum, & nõ ad alia, & ſic manere liber ab obligatione vnius, & nò aliorum, & ſicut qui pluribus titulis, ſiue cauſis eſſet in carcerem detruſus poſſet ſolui quantum ad vnum, adhuc remanente alio, ſic etiam poſſet de potẽtia abſoluta actus pœnitentiæ in quantũ ſatiſfactorius ordinari ad tollendam obligationem pęnæ, ſiue reatum vnius peccati, & nõ alterius: ergo tunc illud maneret ſolutum, & compenſatum, ac proinde remiſſum ſine altero. Alij verò exiſtimantes peccatũ habituale conſiſtere præciſe in aliquo poſitiuo phiſico, vel morali relicto ex peccato actuali conſequenter tenẽt etiam poſſe de potentia abſoluta vnũ remitti ſine alio; eo quod nulla eſt implicatio ex pluribus formis poſitiuis permanentibus in aliquo ſubiecto ad aduentum contrariæ tolli vnã remanente altera, propter duo. Vel quia cum expulſio talis formæ non ſit effectus primarius & eſſentialis, ſed tantum ſecundarius formæ contrariæ, poteſt cũ illa de potentia abſoluta præexiſtens remanere, vt cũ calore introducto frigiditas præexiſtens remanere poteſt, etſi plures frigiditates per poſibile, vel impoſibile in eodẽ ſubiecto reſiderent, poſſet de potentia abſoluta per aduentum caloris vna expelli, altera remanente. Vel quia Deus poteſt concurrere cũ forma, quæ introducitur ad expulſionem vnius, ſuſpendendo, ac denegãdo ei concurſum ad expulſionem alterius vt in caſu prædicto poſſet Deus concurrere cum calore ad expulſionem vnius frigiditatis, denegando ei concurſum ad expulſionem alterius: ergo ſimiliter vno ex his duobus modis, vel vtroque ſimul poteſt de potentia abſoluta fieri quod per pęnitẽtiam expellatur vnum peccatum ſine alio, nimirum vel quia cum hæc expulſio ſit tãtum effectus ſecundarius pœnitentiæ poſſet ſine illo ſaluari, & cum altero peccato compati, vel quia concurſus quem à Deo habet ad expulſionem vnius, denegatur ei ad expulſionẽ alterius, ſicut ſi eſſentiæ productæ ad quam connaturaliter ſequuntur duæ paſsiones, Deus denegaret cõcurſum reſpectu emanationis vnius, proculdubio emanatio huius impediretur non impedita emanatione alterius.

3 Alij denique quamuis exiſtiment peccatum habituale conſiſtere in priuatione gratiæ, ſiue rectitudinis, & conformitatis, ad rectam rationem debitæ in eſſe, nihilominus exiſtimant adhuc poſſe tolli, ac remitti ſine gratia intrinſicè recepta in ſubiecto, eo quod huiuſmodi priuatio poteſt de potentia abſoluta in ſimplicem negationem trãſire. Quod probat Suarez, quia poteſt Deus facere quod homo non habeat debitum habendi gratiam, in quo proinde eius carentia, quæ antea erat priuatio fiet carentia formæ non debitæ, ac proinde ſimplex negatio, quemadmodũ è contra ſimplex negatio poteſt tranſire in priuationẽ vt contingit in catulo, in quo carentia viſus quæ ante nonum diem eſt ſimplex negatio poſt illum tranſactum tranſit in priuationem viſus, quia ex tunc incipit eſſe ei debitus viſus: ergo poteſt tolli peccatũ habituale de potentia abſoluta, abſque intrinſeco dono gratiæ, ac proinde etiam vnum peccatum poterit tolli ſine alio: antecedẽs verificare nititur hic author in triplici caſu.

Primus eſt reſpectu peccati originalis de quo quantum ad hoc eadem eſt ratio atque de peccato habituali perſonali in hac ſententia, cum vtrumque formaliter in priuatione gratiæ conſiſtat, poſſet enim Deus per ſuam ordinationem illud tollere modo prędicto ordinando, ſcilicet & ineũdo pactum cum Adamo à principio, vt ſi non peccaret originalis iuſtitia deriuaretur ad eius poſteros vſque ad quartam generationem dumtaxat, qua tranſacta nullum eſſe debitum habendi originalem iuſtitiam in reliquis, ac proinde tunc carẽtia iuſtitiæ originalis, quæ in poſteris Adami ante quartam generationem eſſet priuatio poſt illam in ſimplicẽ negationẽ trãſiret.

Secundus eſt de homine cõdito in puris naturalibus, qui ſi peccaret poſſet ad eũdem ſtatum purorum naturaliũ reuocari, in quo proinde nulla eſſet priuatio, ſed ſola ſimplex negatio gratiæ per quã maneret remiſſum tale peccatum.

Tertius eſt de homine qui poſtquam habet gratiã, illam amitteret ſine culpa ip-

ſius, poſſet enim Deus illã auferre ab ipſo homine ſine peccato, etiã ſi ineius ablationem liberè cõſentiret, ſicut probabilis multorum tenet interpretatio de facto contigiſſe Moiſi, & Paulo, quorũ alter Exodi 32 pro ſalute populi amiſsionem ſuæ gratiæ deſiderabat, dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo, quẽ ſcripſiſti*, ideſt de libro iuſtorum. Alter verò ad Rom. 9. *Optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis*, ideſt ſeparatus à Chriſto per voluntariam carentiã gratiæ, qua ſic ablata tunc maneret homo veluti in puris naturalibus, hoc eſt ſine debito habendi gratiã, & ſine peccato cum ſola ſimplici negatione gratiæ.

4 Sed his non obſtãtibus ſecunda & vera ſententia eſt negatiua, quæ ſicut negat peccatũ mortale poſſe tolli de potẽtia abſoluta ſine aliquo intrinſeco dono gratiæ, ita conſequẽter negat poſſe vnũ tolli, aut remitti ſine alio, quã ſequũtur Ricard. in 4. diſt. 1. art. 6 q. 3. Sotus d. 15. q. 1. ar. 3 & lib. 2. de natura & gratia c. 18. Petrus de Soto lect. 4 de pœnit. Caiet. art. præcedenti, & 12. q. 113. ar. 2. Vazq. in cõ. ẽt. huius art. & 12. diſp. 206. c. 2. & 5. Valẽt. diſp. 7. q. 3. puncto 3. & Lorca tom. 2 in 1. 2. diſp. 37. dub. 1.

Quę proinde à nobis ſtatuitur pro cõcluſione, & cõuincitur rationibus D. Th. in hoc art. Quarum prima eſt, quod peccatũ mortale non poteſt remitti ſine infuſione gratię, vt ſupponitur ex dicto ar. 2. quęſtionis de iuſtificatione, ſed hac infuſa nullum peccatum mortale poteſt remanere, ſi quidẽ nullũ eſt cũ quo nõ habeat gratia pariformẽ oppoſitionẽ: ergo illa infuſa, aut nullũ, aut omne mortale peccatũ remittitur. Secunda eſt, quia poſita vera pęnitẽtia peccatorum quorũcumque, neceſſe eſt illa remitti, quia vt ſupponimus ex dictis eſt deſtructiua efficaciter peccatorum, ſed nequit vera pęnitentia haberi de vno peccato mortali quim habeatur de omnibus, ſiquidẽ peccata omnia mortalia cõueniũt in ratione offẽſæ diuinæ expiabili, quæ eſt motiuũ formale, ſub quo pœnitẽtia reſpicit illa: ergo cũ eadẽ ſit ratio formalis deteſtationis in omnibus eo ipſo quod vera pęnitẽtia deteſtatur vnũ ſimul deteſtatur & reliqua, quia vbi eſt eadẽ ratio, & idẽ effectus debet eſſe. Tertia eſt, quia cõtra perfectionẽ miſericordiæ Dei, cuius perfecta ſunt opera eſſet vnũ mortale peccatũ ſine alio remittere, vt enim inquit Aug. lib. de vera & falſa pœnit. c. 6, impietas quædam infidelitatis eſt à Deo dimidiam ſperare veniam: ergo.

Quæ rationes amplius confirmari, & ad hanc ſumã reduci poſſunt: remiſsio vnius peccati mortalis habet inſeparabiliter anexã in ſuis cauſis remiſsionẽ alterius: ergo per nullã potentiã dari poteſt remiſsio vnius ſine remiſsione alterius. Conſequẽtia patet, quia ea quæ omnino inſeparabilia ſunt per nullã potentiã ſeparari poſſũt. Antecedẽs autem probatur, nã triplex eſt cauſa remiſsionis peccati perſonalis, nimirum formalis, quæ eſt gratia Dei, diſpoſitiua, virtus pœnitentiæ, & efficiẽs, diuina miſericordia, in quarum ſingulis remiſsio vnius peccati inſeparabiliter, & intrinſicè eſt anexa remiſsioni alterius. In prima quidẽ, quia gratia priuatiuè opponitur omni peccato mortali ſub eadẽ ratione formali maculæ, & auerſionis, cũ peccatũ quodcũque mortale perſonale, ſiue actuale, ſiue habituale, aut formaliter cõſiſtat in priuatione gratiæ, & auerſione à Deo, aut illam neceſſario includat, ac proinde poſita gratia in anima excludẽdo vnũ peccatũ excludit reliqua, vtpote cũ nulla priuatio poſsit cõpati cũ forma, cuius eſt priuatio: opponũtur enim cõtradictoriè, vel priuatiuè, ſicut ens, & nõ ens, cœcũ, & vidẽs, quæ per nullã potẽtiã poſſunt eſſe ſimul. In ſecũda vero, quia pœnitẽtia ſub eadẽ ratione formali, ſcilicet offenſæ cõtra Deum deſtruit, & deteſtatur omnia peccata, quæ cõueniunt in ratione offenſæ, & vbi eſt eadẽ ratio debet eſſe idẽ effectus, ac proinde deteſtatio vnius eſt ſimul, & aliorũ deteſtatio. In tertia denique, quia miſericordia Dei ſub eadẽ ratione formali, ſcilicet miſeriæ in qua conueniunt omnia peccata, condonat illa: ergo cõdõnatio vnius ſimul eſſe debet, & aliorum condonatio.

5 Sed hanc rationẽ eneruare conantur aduerſarij, ex eo quod contritio de vno peccato dari poteſt quim deteſtetur explicitè, vel implicitè reliqua non obſtante conuenientia eorum in vna ratione formali maculæ, vel offenſæ quemadmodum nõ obſtante conuenientia omnium concluſionum logicalium, v. g. in eadem ratione formali poteſt quis aſſentiri vni non aſſentiẽdo reliquis, aut etiam illis diſentiendo: ergo deteſtatio, ſiue deſtructio vnius peccati non neceſſario habet annexam deteſtationem, & deſtructionem aliorum ſaltem in ordine ad potentiam Dei abſolutam, cõſequentia eſt nota, & antecedens probatur, tum à ſimilitudine exempli inducti,

cum

tum etiam exemplo attritionis, quæ poteſt deteſtari vnum peccatũ modo imperfecto excludendo affectum circa illud, quin deteſtetur alia, aut excludat affectum eorũ, quamuis omnia attingat in ratione offenſæ Dei, ac proinde ſimiliter contritio poterit perfectè deteſtari vnum peccatum ſine alijs non obſtante eorum conuenientia in ratione offenſæ. Tum denique exemplo eiuſdem contritionis circa venialia, quorum vnum poteſt remitti, deſtrui, & deteſtari per contritionem ſine alio non obſtante eorum conuenientia in ratione leuis offenſæ contra Deum: ergo ſimiliter poterit ex mortalibus vnum attingi, ac deſtrui per contritionem ſine alio.

Sed Nihilominus ab hac obiectione facile vindicãtur rationes Diui Thomæ, & diſcurſus ex illis conflatus, negandum enim eſt antecedens. Ad cuius probationem ab exemplo concluſionum logicalium deſumpto reſpondetur negando cõſequentiam: in illis enim non eſt vna ſimplex, & indiſimilis ratio formalis, ſed potius diſſimilis materialiter in totidem partes, ſeu indiuia illius, quæ ſunt media ad demonſtrandas ipſas concluſiones, & propterea aſſenſus vnius poteſt ſtare ſine aſſẽſu alteriꝰ, aut etiã cũ diſſenſu alteriꝰ, in peccatis autẽ mortalibus eſt eadẽ omninò ſimplex ratio formalis offenſæ auerſionis, & maculæ ſi non ſubiectiuè, ſiquidẽ iuxta numerum peccatorum multiplicantur, & offenſæ, ſaltem obiectiuè, quia in omnibus eſt offenſa eiuſdem Dei, læſio eiuſdem iuris diuini, eſt auerſio ab eodem Deo, & eſt carentia eiuſdem gratiæ, ſiue coniunctionis cum eodem Deo, ac proinde potentia excludens vnum debet neceſſario, & reliqua excludere ne ſimul cum oppoſito ſibi priuatiuè compatiatur.

Ad ſecundam nego ſimiliter conſequentiam, quia cum attritio ſit imperfecta deteſtatio peccati, ſicut nec illud deſtruit in re, ita neque ponit formam incompoſſibilem cum illo ex vi cuius neceſſe ſit deſtrui omnia, ac proinde poteſt attingere vnum ſine alio: ſecus vero contritio, quæ eſt perfecta deteſtatio peccati illius quę deſtructiua, quæ proinde ponit formam, ſiue diſpoſitionem omni peccato priuatiuè oppoſitam, ac per conſequens cum nullo eorũ compatibilem, vnde non poteſt deteſtari vnum quin ſimul omnia alia ſaltem implicitè, & in confuſo deteſtetur.

Ad tertiam neganda eſt ſimiliter, conſequentia, cuius diſcrimen aſsignabimus quæſtione ſequenti, ſicque manet ratio facta inconcuſa. Deinde probatur alia ratione, quia ſcilicet peccatum mortale habituale, ſiue in aliqua poſitiua de ordinatione phiſica, aut morali, ſiue in priuatione conſiſtat non poteſt remitti etiam de potẽtia Dei abſoluta, niſi per pœnitentiam ſimul cũ gratia ſãctificãte, & interius renouante hominem, ad quam diſponit, & cum qua habet neceſſariam connexionem pœnitentia: ſed poſita gratia non poteſt remitti vnum peccatum ſine alio, propter duo. Tum, quia peccatum mortale, & gratia opponuntur priuatiuè, ſiue virtualiter, ſiue formaliter: priuatio autem & forma qua priuat per nullam potentiam poſſunt eſſe ſimul. Tum etiam, quia cum gratia ſit formaliter ſanctitas reddẽs ſubiectum formaliter amicum Dei, & obiectum congruum diuinæ dilectionis non poteſt compati cũ aliquo peccato mortali, quod vel eſt ipſa priuatio ſanctitatis, vel neceſſario, & inſeparabiliter huiuſmodi priuationem inducit: ergo.

Tertia ratio eſt; quia quando peccatũ mortale remittitur per pęnitentiã neceſſe eſt, vt peccator auertatur à creaturã, & conuertatur in Deũ, tanquã in vltimum finẽ, cum enim peccatũ mortale cõſiſtat in conuerſione ad creaturã, & auerſione ab vltimo fine non poteſt pęnitẽs illud deſtruere niſi per contrarium motum proportionatum, qui in cõuerſione ad Deũ, et auerſione à creatura cõſiſtat, ſed implicat peccatorẽ eſſe auerſum à creatura, & conuerſum in Deũ, & ſimul manere auerſum à Deo, & cõuerſum in creaturã, ſicut implicat corpus aliquod recedere à termino *à quo*, & ſimul manere in illo, atque ſimul peruenire ad terminũ *ad quem*, & manere in termino *à quo* ergo implicat per pęnitentiam peccatorẽ deſtruere vnũ peccatũ mortale, & ſimul permanere in alio. Cõſequẽtia patet, quia deſtructio vnius peccati mortalis fit per auerſionã à creatura, & cõuerſionẽ in Deũ. & permanẽtia in alio fit per habituãlẽ auerſionem a Deo, & conuerſionem in creaturam.

Hanc rationem eneruare conantur authores ſecũdi modi defendendi primam ſententiam negando eius maiorem, quia ſcilicet cum ipſi exiſtiment conuerſionem, & auerſionem habitualis peccati ex actuali relictam eſſe poſitiuam conſequenter dicunt: Deum illam poſſe tollere

ſine inteructu oppoſitę conuerſionis, & auerſionis per ſolam ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui, ſicut poteſt deſtruere quemcumque habitum, ſiue entitatem poſitiuam per ſolam ſubtractionem ſui concurſus ſine interuentu alicuius formæ oppoſitæ.

7 Sed hæc ſolutio eſt inſufficiẽs, propter duo. Tum, quia quamuis duo admitamus prædictis authoribus Deum per huiuſmodi ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui poſſe deſtruere, ac remittere poſitiuam auerſionem, & conuerſionem peccati habitualis ſine intruentu alicuius, intrinſecæ formæ, aut diſpoſitionis contrariæ, cuiuſmodi ſunt gratia & pęnitentia, de quo diſputari ſolet art. 2. de iuſtificatione; tamen in noſtro caſu, de quo eſt præſens quæſtio, quando ſcilicet ad remiſsionẽ peccati interuenit motus pœnitentiæ hoc ſuſtineri non poteſt, quia interueniente huiuſmodi motu iam fit intrinſeca mutatio in ipſo peccatore, per aduentum diſpoſitionis contrariæ, cum peccato mortali, qualis eſt actus pęnitentię deteſtatiuus, ac deſtructiuus illius phiſicè diſpoſitiuè, & moraliter ſatisfactoriè, ac proinde iam non fit remiſsio peccati per ſolam ſubſtractionem concurſus conſeruatiui.

Tum etiam, quia interueniente huiuſmodi motu pœnitentiæ ſi auferatur auerſio à Deo contracta per peccatum, aut tũc homo manet conuerſus in Deum, vel auerſus ab illo, neque enim in hoc vt exercẽte illũ motũ eſt dare mediũ in quo nec ſit auerſus neq; cõuerſus: ſed nõ poteſt manere aauerſus ſiquidẽ ſupponimus ablatam fuiſſe auerſionẽ per ſubtractionẽ cõcurſus ſine qua proinde nequit manere eius effectus formalis, qui eſt hominem eſſe auerſum: ergo manet conuerſus in Deum, ac proinde neceſſario ibi interuenit cõuerſio ad Deũ; quæ eſt ratio formalis huius effectus, qui eſt hominem eſſe conuerſum: ergo quãdo remiſsio peccati fit per pœnitentiam non poteſt tolli auerſio per illud contracta niſi per oppoſitam conuerſionem, & ſic manet ratio inconcuſa.

Vnde ad fundamenta primæ ſententiæ reſpondetur iuxta primum eius modũ quod nullatenus eſt à nobis admittendus, qui vltra deputationem ad pœnam agnoſcimus in peccato habituali maculam, quæ eſt priuatio gratiæ, & conſequenter ſine illa nullatenus auferibilis: illo enim admiſſo fatemur rectè inferri poſſe Deum vnũ peccatum remittere ſine alio relaxando, ſcilicet pęnam vnius non relaxata pęna alterius, ſiue temporali, ſiue æterna.

Iuxta ſecundum vero reſpondetur, neque illum à nobis eſſe admittẽdum, qui habitualẽ peccatum non in ſolo poſitiuo conſtituimus, ſed potius in ſolo priuatiuo; tamen adhuc illo admiſſo, eius fundamentum non conuincit poſſe vnum peccatum remitti ſine alio, quando remiſsio fit per pęnitentiam, & cum intrinſeca hominis renouatione, vt dictum eſt, quãuis conuincat poſſe quidem tolli vnum ſine alio abſolutè, & ſimpliciter hoc eſt ſine motu peccatoris, & intrinſeca eius renouatione per ſolam extrinſecam Dei donationem.

Iuxta tertium denique quem vt veriorem, & conformiorem D. Tho. amplectimur quantum ad conſtituendum habituale peccatum in ſola priuatione gratiæ, & rectitudinis debitæ cum reſpectu ad actum peccaminoſum tranſactum, reſpondetur eius fundamentum non cõuincere poſſe tolli peccatum ſine gratia, maximè in noſtro caſu, quãdo ſcilicet remiſsio fit per pęnitentiam, quæ neceſſario, & inſeparabiliter conectitur cum gratia, & in illa radicatur.

Vnde ad formã argumenti negandũ eſt antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum eſt, quod in homine ſemel eleuato ad ordinem gratiæ, & ordinato ad finem ſupernaturalem maculã ſemper retinet rationem priuationis, quia ſemper eſt carentia formæ debitæ, hoc eſt gratiæ in ſubiecto apto illam habere ex Dei ordinatione.

Ad ſecundam vero admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia de homine ordinato in finem ſupernaturalẽ de quo eſt queſtio.

Ad tertiam negandum eſt antecedens, neque enim homo ſemel iuſtificatus poteſt ſine peccato liberè gratiam amittere, ac proinde neque ſine contracta macula, quæ verè priuatio ſit. De ſenſu autẽ legitimo illius duplicis teſtimonij diximus q. 26 art. 4 de charit. Vel poteſt ſecũdo reſpõderi admiſſo antecedẽti negãdo cõſequentiã, quia eo ipſo quod priuatio vnius peccati tranſiret in ſimplicẽ negationẽ; ſimul & priuatio cuiuſcumque alterius peccati mortalis transferretur in ſimplicem negationem: cùm enim ſit priuatio eiuſdem gratiæ ablato debito habendi gratiam nulla relinquitur, priuatio gratię in ſubiecto,

ac proinde nullum manebit peccatum mortale, neque vnum ſine alio remittetur.

ART. IIII.

Vtrum remiſſa culpa per pœnitentiam remaneat reatus pœnæ?

CONCLVSIO eſt affirmatiua, de pœna temporali intellecta.

ART. V.

Vtrum remiſſa culpa mortali tollantur omnes reliquiæ peccati?

CONCLVSIO eſt, manere reliquias peccati dimiſſa culpa, non per modum habitus, ſed per modum diſpoſitionis debilitatæ, non dominantis ſubiecto.

ART. VI.

Vtrum remiſſio culpæ ſit effectus pœnitentiæ?

CONCLVSIO eſt affirmatiua, tàm de pœnitentia virtute, quàm de pœnitentia ſacramento intellecta.

IN His tribus articulis duo ſunt circa effectum pœnitentiæ, quantum ad remiſſionem pœnæ temporalis: quæ à Theologis in controuerſiam vocantur.

Primum eſt. An & quo iure poſt remiſſam culpam, & reatum pœnæ æternæ, maneat aliqua pœna temporalis, aut per pœnitentiam in hac vita, aut in alia per ignem purgatorij exoluenda?

Secundum eſt. An huiuſmodi temporalis pœna ex peccato relicta reuera in hac vita per actus pœnitentiæ vel ſecundum totum, vel ſecundum partem exoluatur?

Quibus proinde à nobis ſuo ordine eſt reſpondendum.

9 AD primum igitur dubium Lutherus art. 5. ſuarum aſſertionum, & Caluinus lib. 1. inſtitutionum capit. 4. & lib. 3. cap. 4 & 5. laboris, & pœnitentiæ inimici negarunt aliquam temporalem pœnam poſt remiſſam culpam purgandam re

Digitized by Google

manere, quos referunt & refutant Soto in quarto diſt 19. q. 1. art. 3. & lib. 3. de natura & gratia cap, 6. Caſtro de hæreſibus verbo pænitentia. Roſenſis art. 5. contra Lutherum, Prateolus in elēcho hæreſum verbo Lutherani, Hoſtius in confeſsione fidei cap. 48. & Gualterius in cronologia ſæculo primo veritate 9 §. 17. & ſequenti. Cuius erroris ex odio indulgentiarum Eccleſiæ, ob quarum quæſtum inductam fuiſſe ſatisfactionem pro pænis tēporalibus, in Eccleſia ab eius Pontificibus exiſtimauit Lutherus, ortum habentis: fundamenta ad hæc tria reduci poſſunt.

Primum, quia oppoſitum derogat plenitudini redemptionis, & ſatisfactionis Christi, qui pleniſsimè pro noſtris culpis, & pænis ſatisfecit, ad quam proinde pertinet, vt efficacior, & abundantior ſit ad remiſsionem culparum, & pænarū inferēdā quā peccatum adæ ad inficiendos nos ex cuius culpa, omnes pænas traximus, iuxta illud Pauli ad Romanos quinto: *Non enim ſicut delictum, ita & donum, ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt multo magis gratia Dei, & donum per gratiam vnius hominis IeſuChriſti in plures abundauit, nam iuditium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem*: ſi igitur ex vno peccato Adami omnes incurrimus culpā, & pænas, à fortiori per iuſtitiam Chriſti quæ efficacior eſt, & abundantior liberamur à culpa, & conſequenter à debito omnis pænæ.

Secundum eſt, quia derogat plenę perfectioni diuinæ miſericordiæ ad quam pertinet vere pænitentibus plenam facere condonationem peccatorum quam Ezechielis 18. promittit Deus dum dicit ſe amplius non recordaturum peccata eorū, qui ſemel egerunt pænitentiam: ſi autem poſt remiſſam culpam relinqueret pęnam temporalem luendam, neque plenam faceret peccatorum condonationem, neque eorum obliuiſceretur, obliuiſci enim peccatorum Deum in Scriptura eſt quando nō punit illa aliqua pæna, ſicut recordari eſt quando ea punit aliqua pæna etiam temporali: ergo.

Tertium eſt, quia derogat ordini diuinæ iuſtitiæ contra quem eſt vt pænam ſoluat. qui non eſt debitor pænæ, ſed poſt remiſſam culpam, & reatum pænæ æternæ ſublatum, homo non manet debitor pænæ temporalis: ergo iniuſtū eſt ad illam exoluendam obligari, Minor probatur, quia aut reatus huiuſmodi pænæ tēporalis poſt dimiſſam culpam manet in homine ex natura ipſius iuſtificationis, ita vt per illam non auferatur omnimodo cauſa reatus, ſiue obligationis ad pænam temporalem, & ſic adhuc dimiſſa culpa peccati mortalis maneat homo dignus alicuius temporalis pænæ, vt videtur innuere Diuus Thomas in hoc art. 4. dicens, propterea manere hominem dimiſſa culpa obnoxium pænæ temporalis ſenſus, quia hæc ſequitur ad peccatum ratione conuerſionis, quæ non omnino per gratiam remouetur: aut quia volūtas diuina libere commutauit pænam æternam ſenſus correſpondētem peccato mortali ratione conuerſionis ante culpam dimiſſam in pænam temporalem poſt culpæ remiſsionem: aut quia eadem voluntas Dei liberè ſtatuit poſt dimiſſam culpam addere illam pænam temporalem pro ſuo libito, cuius aliàs homo iuſtificatus nō eſt dignus, neque alia cauſa, aut ratio relinquendi pænam temporalem poſt dimiſſam culpam aſsignari poſt: ſed ob nullam iſtarum relinqui debet: non ob primam, quia gratia iuſtificans ex natura rei tollit omnimodo culpam peccati mortalis quoad auerſionem, & conuerſionem, ex quibus integratur eſſentia peccati, quod cum gratia ſecundum nihil ſuæ eſſentiæ compatitur, ac proinde tollit cauſam reatus cuiuſcumque pęnæ, cum iſte ſit effectus culpæ: ſed ablata cauſa debet auferri effectus: ergo etiam remiſſa culpa ex vi gratiæ iuſtificantis debet quęuis pœna ad illam conſecuta relaxari.

Neque ob ſecundam, quia ſicut Deus non remittit culpam per extrinſecam condonationem, aut fauorem ſuæ voluntatis, ſed media gratia phiſicè mutante, & interius hominem renouante, ita neque per voluntariam commutationem debet æternam pænam in temporalem transferre, niſi mediante aliqua forma id exigente ex natura rei.

Neque ob tertiam, quia Deus neminem panit, qui nō ſit dignus pœna, alioquin ſi pro ſuo libito aliquem plecteret ſine cauſa, aut demerito ipſius, iniuſtus aut crudelis eſſet, quod à nullo catholico eſt admittendum: ergo.

10 Communis tamen ſententia Theologorum huic errori oppoſita tenet homi-

homines ſæpè poſt dimiſſam culpam mortalem per pœnitentiam, tàm cùm ſacramēto in re ſuſcepto, quàm extra illud manere obnoxios pœnæ temporali luēdæ, vel in hac vita per actus ſatisfactorios pęnitentiæ, vel poſt illam in purgatorio, qui tamē in explicanda ratione, & cauſa ob quam manet ex parte hominis iuſtificati debitū huiuſmodi pœnę temporalis, & ex parte Dei ius ad illam exigendam in tres modos dicendi diuiduntur.

Primus eſt, quem ſequuntur Vega lib. 13. in Concilium cap. 28. & Vazq. infra quæſt. 94. art. 1. dubio 2. aſſerentes huiuſmodi cauſam eſſe in ipſa natura iuſtificationis, ſecluſa omni extrinſeca diuinæ voluntatis commutatione, aut ordinatione quod non aliter probant niſi à poſteriori: Vega quidem, quia Deus mediante leui dolore in hac vita remittit culpam, & pęnam æternam, quæ illi exequari non poteſt: ergo iuſtum eſt vt adhuc exigat aliquam aliam pœnam: Vazq. vero, quia neque illa commutatio, neque illa ordinatio voluntatis diuinę ſuſtineri poſſunt ob argumentum factum tertio loco.

Secundus eſt Scoti in quarto diſt. 22. queſt. 1. §. de ſecundo argumento, aſſerentis rationem eſſe, commutationem illam, qua voluntas diuina pœnam æternam debitam peccato mortali poſt illud remiſſum in temporalem commutauit, eoquod exiſtimat eius remiſsionem non fieri per ipſam gratiam iuſtificantem ex natura ipſius, ſed per diuinam volūtatem, & extrinſecum fauorem qui ad præſentiam gratiæ remittit, vel condonat peccatum præciſe non imputando illud ad pœnam æternā, quamuis per commutationem quandoque imputet ad temporalem, dum ſcilicet non exibetur Deo plena pro illo ſatisfactio. Cui etiam ſubſcribunt Alexander quarta parte quæſtion. 24. membro 1. & Medina Complutenſis quæſt. 1. de ſatisfactione, & Suarez diſputatione 10. ſectione tertia.

Tertius eſt Diui Thomæ in hoc articulo 4. & in quarto diſt. 14. quæſt. 2. artic. 1. queſtiuncula 2. Durandi diſtin. 15. quæſt. 2. Soto diſt. 19. quæſt. 1. art. 3. & lib. 3. de natura & gratia cap. 20 & diſt. 15. quæſt. 1. articul. 4. & Caietani tom. 1. opuſculorum tractatu 4. quæſt. 4. aſſerentium rationem, & cauſam propter quam remanet poſt dimiſſam culpam reatus pœnę temporalis eſſe conuerſionem inordinatā peccati, cuius pœna non tollitur vſque ad exhibitionem exactæ ſatisfactionis. Pro cuius declaratione.

11 Dico primo: ſecundum ordinariam legem poſt remiſſam culpam, tàm in ſacramento pœnitentiæ, quàm extra illud remanet aliqua pœna temporalis homini iuſtificato luenda quādiu plene pro peccato non ſatisfacit. Hæc ſtatuitur aduerſus ſectarios recenſiti erroris tanquā dogma fidei. Et probatur primo, ex teſtimonijs Scripturæ, quæ ſunt in duplici ſeriè.

Ad primum ſpectant illa, in quibus indicitur debitum mortis, vel alterius pœnæ temporalis, aliquibus peccatoribus etiam poſt eorum culpas remiſſas, vt Geneſis 3. dicitur ad Adamum, quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, &c. Maledicta terra in opere tuo, & infra, in ſudore vultus tui veſceris pane donec reuertaris in terram: quē tamen à culpa ante finem vitæ Dei gratia eripuerat, vt dicitur Sap. 10. & eduxit à delicto ſuo: ſimiliter Exodi 32. condonata culpa idolatriæ populo Iſraelitico tum ob eius pœnitētiam, tum ob Moiſis deprecationem, nihilominus à debito pœnę nō abſoluit eū Dñs dū dicit, ego autē in die vltionis viſitabo, & hoc peccatū eorū, & infra, percuſſit ergo Dominus populū pro reatu vituli, quem fecerat Aaron: & Numerorum 12. legimus Mariam ſororem Moiſis poſt peccatum murmurationis remiſſum, percuſſam lepra, & extra caſtra ſeptem diebus excluſam fuiſſe, & cap. 20 dicitur populo cui data fuerat venia ad Moiſis deprecationem peccati murmurationis, non intrabitis terram ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem præter Caleph, & Ioſue, & infra: veſtra cadauera iacerent in ſolitudine. Et infra iuxta Numerum 40. dierum quibus conſideraſtis terram annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam, &c. & cap. 20. Simili pœna plectitur Aaron ob peccatū incredulitatis iam remiſſum quoad culpam. Et Deuteronom. 32. eadem fertur pœnalis ſententia contra Moiſem ob idem peccatū, dū dicitur: morere in mōte ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, quia præuaricati eſtis contra me, ad aquas contradictionis, in Cades, & non ſanctificaſtis me inter filios Iſrael, è contra videbis terram, & non ingredieris

in eam, &c. Et 2. Regum 12. Dauid audiuit Natham ſibi Dei nomine pronunciantem remiſſam eſſe culpam adulterij, pœnã tamen aliquam tollerandam, ſcilicet mortem filij, ex adulterio nati, ſub his verbis: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, nõ morieris: veruntamen quoniam blaſphomare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur.* Et primæ ad Corinthios 11. de his qui indignè ſacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiebant, inquit Paulus: *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi* Et tamen ex ſequentibus verbis, ſcilicet, *Quod ſi nos met ipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur, dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*: colligitur pluribus ex illis Corinthijs remiſſam fuiſſe talem culpam.

12 Ad ſecundam ſpectant illa in quibus commẽdatur neceſsitas rei ſignificatę per nomen ſatisfactionis pro debito pœnæ temporalis, quamuis nomen hoc expreſſum in Scriptura nõ habeatur, vt Matthæi 16. & Ioan. 20. *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in cœlis, & quorum remiſeritis peccata erunt remiſſa, & quorum retinueritis retenta ſunt*, ideſt quantũ ad culpam per denegationem abſolutionis, & ſimiliter quantum ad pœnam impoſitam pœnitenti à ſacerdote claue non errante, retenta ſiue ligata erunt huiuſmodi peccata apud Deum, vt ex Patribus interpretatur Soto in dicto loco de natura & gratia. Et Matthæi 3. *Facite vobis fructus dignos pœnitentiæ*, ideſt opera ſatisfactoria pro pęnis relictis ex peccatis iam dimiſsis quoad culpam, quæ propterea dicuntur fructus, quia ſunt effectus ipſius pœnitentiæ, vt Chriſoſtomus Theophylactus, & Eucherius interpretantur, & Paulus ad Romanos 6. hortatur iam iuſtificatos, vt ſicut exibuerunt membra ſua ſeruire iniquitati, ad iniquitatem, ità exibeant membra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, ad plenam, ſcilicet remiſsionem peccatorum.

Secundo probatur ex teſtimonijs Conciliorum & Patrum, in quibus hæc opera pœnitentiæ commendantur, vt neceſſaria ad plenam peccatorum emundationem, ſub nomineque ſatisfactionis ſignificantur, quæ referunt Caſtro in loco citato, Caniſius in ſuo Catechiſmo de ſacramento penitentiæ cap. 7. & Vazq. in dicto dubio primo: Valentia puncto quarto, & Bellarminus libro quarto de pœnitentia per totum. Nouiſsimè autem contra Lutherum diffinitur hæc veritas in Cõcilio Tridentino ſeſsione 14. cap. 8. & canone 12. 13. & 14. & ſeſsione 6. can 14. & can. 30. Ex quibus patet, non ſine Scripturæ, & Patrum fundamento huiuſmodi ſatisfactionem à catholicis defendi, vt perperam Lutherus, & Caluinus conantur.

13 Tertiò probatur, ex duplici inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, non eſſe neceſſario ponendum locum purgatorij poſt hanc vitam pro reliquijs, & pœnis temporalibus exoluendis ex peccatis relictis, quod tamen eſſe contra fidem, quam Scriptura & Patres atteſtantur, & maximè illud ſecundi Machabeorum 12. *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*, oſtendit Diuus Thomas in quarto diſtinctione ſecunda q 1. art. 1.

Secundum eſt, tollendas eſſe ab Eccleſiâ indulgentias tanquam omnino inutiles, & ſuperfluas, & conſequenter denegandam eſſe Pontificibus poteſtatem ad illas concedendas, ſiquidem poſt dimiſſam culpam nulla relinquitur temporalis pæna exoluenda, cum tamen indulgentia nihil aliud ſit, quam relaxatio pænæ debitæ pro peccatis extra ſacramentum facta, vel quod in idem coincidit, donatio alicuius partis theſauri Eccleſiæ alicui vt ſatisfaciat pro pæna debita coram Deo: cõſequens autem eſſe falſum, & hæreticum conſtat ex extrauagãti vnigenitus de pœnitentijs & remiſsionibus, vbi dicitur theſaurum Eccleſiæ committi Petro, & eius ſucceſſoribus per indulgentias fidelibus diſpenſandũ, & ex Cõcilio Tridentino ſeſione 21. cap. 9. vbi tanquam vtiles ab ordinarijs locorum publicare iubentur, & ſeſsione 25. in decreto de indulgentijs ſub anathemate damnantur, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, aut poteſtatem eas concedend in Eccleſiâ negant: ergo.

14 Dico ſecundo. Ratio & cauſa ob quam poſt dimiſſam culpam manet in homine reatus pęnæ temporalis, præciſe eſt inordinata conuerſio, quæ ad ordinem diuinæ iuſtitiæ non reducitur quouſque debita exhibeatur pro pœna temporali ſatisfactio. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos defendendi communem Theologorum ſententiam, & pro-

batur

batur primo: nam ex tribus conditionibus ſiue medijs pœnæ debitæ pro peccato mortali nimirum pœna damni, quæ in carentia diuinæ viſionis conſiſtit, pœna ſenſus, quæ cruciatum, & dolorem importat, & veri uſque æterna duratione, quarum ſingulæ, ſingulis etiam conditionibus in peccato repertis coreſpondēt teſte Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 3. 4. & 5. Pœna quidem damni correſpondet peccato ratione auerſionis à Deo; pœna vero ſenſus reſpondet peccato ratione conuerſionis ad bonum cōmutabile, quæ ſicut eſt finita, ita etiam quantum eſt de ſe pœnam ſenſus finitam inducit, at duratio æterna correſpondet irreparabilitati eiuſdem peccati, quod ratione auerſionis à Deo, eſt irreparabile quantum eſt de ſe, licet virtute diuina reparari poſsit: culpâ autem quæ eſt irreparabilis, de ſe gaudet perpetua duratione, cui proinde æterna pœna debetur à parte poſt tam damni, quam ſenſus, quam de facto patiuntur dānati, ſed remiſso peccato mortali per pœnitentiam, & gratiam iuſtificantem aufertur auerſio, & macula ratione cuius debebatur ei pœna damni, & æterna duratio pœnæ damni, & ſenſus: ergo conſequenter debet auferri reatus pęnæ damni & æternæ durationis pœnæ ſenſus, vtpote cum ſicut per peccatum mortale fit homo dignus carentia diuinæ viſionis, & æternæ pœnæ ſenſus, ita per gratiam fit acceptus ad vitam æternam, & eius æternā fruitionem, implicat autem hominem ſimul eſſe dignum carentiæ diuinæ viſionis; & dignū ipſius diuinæ viſionis, ſicut implicat ſimul hominē frui diuina viſione & illa carere tunc vltra; ſed cum gratia, & acceptatione ad vitam æternam nō repugnat dignitas ſiue reatus alicuius pœnæ temporalis, ſiquidem hęc non habet oppoſitionem cum gratia, & dignitate ad vitam æternam, ſed ſolum cum ipſa vita æterna iam conſecuta: ergo ex vi gratiæ iuſtificantis, & remiſsiōę peccatorum obtentæ per pœnitentiam, vel alio modo non neceſsario, aut infallibiliter aufertur reatus totius pęnæ temporalis, ſed poteſt manere maior, vel minor pęna luenda iuxta exigentiam grauitatis culpæ, & minoris, ſiue maioris ſatisfactionis interuenientis in iuſtificatione ad eum modum quo in humanis, quando aliquis irrogat iniuriam proximo poteſt ad eius gratiam, & amicitiam reſtitui manente adhuc obligatione ſatisfaciendi pro damno temporali ipſi illato, exhibendo ſatisfactionem ſecundum ordinem iuſtitiæ debitam. Quæ ratio amplius declaratur, & confirmatur; nam lex iuſtitiæ exigit vt qui per peccatum ordinem ipſius diuinæ iuſtitiæ transgreditur, ad eundem redeat, & ei ſubijciatur per alicuius pęnæ compenſationem, quæ ad æqualitatem iuſtitiæ reducit, vt ſcilicet qui plus voluntatis ſuæ indulſit quam debuit contra mandatum Dei, aliquid cōtra illud quod vellet, ſpontaneus, vel inuitus patiatur, iuxta illud legis precepꝛū, Deuth. 25. *Secundum quantitatem delicti erit plagarum, & modus*, & Apocalypſ. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormētum, & luctum*, quod etiam in iniurijs humanis obſeruatur, vt per recōpenſationem pęnæ reintegretur æqualitas iuſtitiæ: ſed homo peccando mortaliter transgreſſus eſt ordinem diuinæ iuſtitiæ: ergo lex eiuſdem iuſtitiæ exigit, vt adhuc poſt remiſſam culpam, & ablatam auerſionem, & conuerſionem inordinatā maneat obnoxius debito alicuius pœnæ temporalis conuerſioni ex proprijs meritis correſpondentis, vt per huiuſmodi pęnæ compenſationem ad debitam ordinationem redeat, & ordini diuinæ iuſtitiæ ſubijciatur. Minor eſt diffinitio peccati mortalis, & mai. eſt D. Thomæ 1. 2. in dicta quæſt. 87. art. 13, & 6. approbaturq; à Patribus Concilij Tridentini ſeſsione 14. cap. 2. vbi fructum baptiſmi à fructu penitenciæ diſtinguentes penes hoc quod in illo plenā, & integrā peccatorū omniū remiſsionē quoad culpā, & pęnā cōſequimur: ſecus vero in iſto: ſub dunt huius diſcriminis rationem, ſub his verbis: ad quā nouitatem, & integritatem per ſacramentum penitentiæ ſine meritis, magnis fletibus, & laboribus, diuina id exigente iuſtitia peruenire nequaquā poſſumus, &c. & cap. 8 damnantes illorum errorem qui aſſerebant culpam à Deo nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pena condonetur: & ſatisfactionis neceſsitatem commendantes idem diſcrimen proſequuntur ſub his verbis: ſane & diuinæ iuſtitię ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante lapſum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui ſemel à peccati ſeruitute liberati ſcienter templum Dei violare non formidauerint, & diuinā clementiam decet ne ita nobis, abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur vt occa-

ſione accepta peccata leuiora putantes in grauiora labamur, &c. ergo.

614. Secundo probatur labefactando duos illos priores modos dicendi: primus enim deficit ex eoquod ſi natura iuſtificationis poſtularet poſt dimiſſam culpam manere debitum pœnæ temporalis, neque in baptiſmo, neque vnquam in ſacramento pœnitentiæ, aut cum perfectiſsima contritione relaxaretur totius pœnæ temporalis debitum ſiquidem oppoſitum illius, quod conuenit alicui per ſe, neque per ſe, neque per accidens poteſt illi conuenire quod tamen eſſe falſum patet, quia in baptiſmo dari plenam omnium peccatorum quoad culpas, & pœnas remiſsionem docet Diuus Thomas quæſt. 69. art. 2. & determinat Concilium Tridentinum in locis præallegatis; conſtat etiam Magdalenę ob perfectiſsimam contritionem dimiſſa fuiſſe cuncta peccata, & totius pęnæ reatum, vtpotè cui dixit Chriſtus, Lucę ſeptimo: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*, & Latroni in cruce pendenti cui dixit Chriſtus Lucę 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, & B. Brigidę lib. 4. ſuarum reuelationum cap. 48. reuelatũ fuit à Chriſto, quorundam hominũ tam perfectam contritionem eſſe, qua non ſolum dimittitur eis peccatũ, ſed etiã pœna purgatorij: ob eandẽque perfectiſsimam diſpoſitionem poſſe in ipſo ſacramẽto Pœnitentiæ reatum totius pœnæ remitti patet, ex eoquod cum huiuſmodi pœnæ temporalis debitum finitum ſit, poteſt ab aliqua perfectiſsima ſatisfactione adequari, cum nullum ſit finitum, quod ab alio finito exequari non poſsit: ergo.

Secundus verò impugnatur ex eoquod iuſtificatio, & remiſsio culparum non fit per extrinſecum fauorem, ſiue condonationem diuinæ voluntatis, niſi media gratia iuſtificante, ex natura ſua culpas mortales expellente: ergo ſicut harum remiſsio non ad talem extrinſecum fauorem, vel condonationem reducitur ita neque remiſsio pęnæ æternæ, & cõmutatio in tẽporalem ad illũ eſt reducenda: eo vel maximè quod magis certũ eſt relinqui debitũ tẽporalis pœnæ poſt dimiſsã culpam quam remiſsionem culpæ fieri per extrinſecum fauorem diuinæ volũtatis, cum hoc ſub dubia opinione verſetur, minuſque probabili in Theologia, illud verò ſit dogma fidei totius dubietatis expers: ergo nequit ex hoc ſumi fundamentum illius, ac perconſequens cum neque ad naturam iuſtificationis, neque ad extrinſecam diuinæ voluntatis commutationem, aut imputationem reduci poſsit debitum temporalis pœnæ ex peccato relictũ, conſequens eſt vt ad legem diuinæ iuſtitiæ, & in ordinationem conuerſionis ſit reducendum.

Sed cõtra has rationes, tria obijcere poſſunt aduerſarij: primo quia ex illis ſequitur eundem eſſe reatum pœnæ, correſpondentem conuerſioni, ante & poſt remiſsã culpam, conſequens autem eſſe falſum cõſtat, quia ante remiſſam culpam, eſt reatus inferni & pœnæ ęternæ; inimicorum Dei contra propriam voluntatem ſuſtinendæ: poſtea verò manet reatus pœnæ purgatorij, aut temporalis, quæ dicitur pœna ſatisfactoria, & ſecundum quid, vtpotè amicorum Dei, atque voluntariè ſuſtinenda, teſte Diu. Thom. in dicta quæſt. 87. 1 2. artic. 6. ergo dicẽdum eſt illam fuiſſe per voluntatem Dei, in iſtam comutatam.

Secundo, nam ſupponit pœnæ temporalis reatum deberi ſoli cõuerſioni peccati, quod etiam eſſe falſum patet ex eoquod talis reatus debetur peccato quatenus eſt culpa, ſed eſt culpa ratione auerſionis, vtpotè quæ ad conuerſionem comparatur, vt formale ad materiale, quod proinde ab illo ſortitur rationem culpæ, vt etiã fatetur Diu. Thom. in hoc art. 4. ad 1. ergo.

Tertium quod ſequitur ex ſecundo: nimirum quia ſi conuerſio eſt inordinata ratione auerſionis; ergo ablata auerſione per gratiam, non manet conuerſio quatenus inordinata ſiue culpabilis: tunc vltra, ſed ad illam vt ſic conſequitur reatus pœnæ temporalis: ergo illa vt ſic ablata, conſequenter, & aufertur talis reatus.

Si dicas eſſe aliam inordinationẽ lõgè diuerſam ab illa, quam includit auerſio, ſcilicet inæqualitatem diuinæ iuſtitiæ ordinantis hominem ad tãtam pęnam pro conuerſione peccati etiam remiſsi, vt conſtat ex præallegatis Scripturæ, & Concilij locis. Et hanc manere poſse ſublata auerſione peccati.

Sed contra, nam hæc; neque manere poteſt: neque etiam ſi maneat poteſt cõſequi ad illam reatus pœnæ temporalis: nõ primum; quia teſte Paulo ad Roman. 8. *Nihil damnationis eſt in his qui renati ſunt in Chriſto Ieſu*: maneret autem aliquid dam-

natio

nationis, in iuſtificato, ſi ad talem pęnam adhuc eſſet deputatus. Neque ſecundũ, quia hæc inordinatio nihil eſt aliud quàm debitum ſoluendi ſtatutam pœnam ex diuina lege: debitum autem iſtud eſt ipſemet reatus pœnæ: ergo non manet ex parte cõuerſionis aliqua inordinatio antecedens cuius effectus ſit ipſe reatus: ac per conſequens ſine cauſa huiuſmodi imputabitur.

16 Sed ab hijs obiectionibus facile noſtræ concluſiones vindicantur: ad primam reſpondetur, negando ſequelam; quia conuerſioni ex proprijs meritis, & ex propria ratione correſpondet dumtaxat pœna ſenſus temporalis, tam ante, quam poſt remiſſam culpam, quàmuis ante culpæ remiſsionem conuerſio inducat reatum pœnæ æternæ, ſiue inferni per accidens, & ratione alterius; hoc eſt ratione auerſionis: quatenus perpetua, & irreparabilis, qua ſublata per gratiam manet idẽ reatus, pœnę ſenſus temporalis, ſiue in hac vita ſiue in alia puniendæ, ſublata etiam æternitate, & perpetuitate, quæ auerſioni, & inamiſsibilitati culpæ correſpondebat.

Ad ſecundam diſtinguo minorem: eſt culpa ratione ſolius auerſionis reduplicatiuè concedo, ratione ſolius auerſionis ſpecificatiuè nego minorem; quamuis enim formalis ratio malitiæ conueniat actui humano ab auerſione primordialiter vt in dicta ſolutione ad primum innuit Diuus Thomas: tamen non ſola auerſio, ſed etiam conuerſio habet rationem culpæ, & mali moralis, & cum reatus pœnæ debeatur culpæ, ideò tam auerſioni, quàm conuerſioni aliquis reatus debetur, illi quidẽ ſolus reatus pœnæ damni, vt patet in paruulis, quibus pro peccato originali, quod in ſola auerſione à Deo, ſiue priuatione originalis gratiæ conſiſtit, ſola pœna damni id eſt carentia diuinæ viſionis debetur: huic verò pœna ſenſus ſiue temporalis per ſe loquendo, ſiue per accidens vt perpetuitati cõiuncta ob culpæ irreparabilitatem, vt dictum eſt.

Ad tertiam ſuſtinenda eſt ſolutio inter arguendum aſsignata, ad cuius improbationem negandum eſt antecedens pro vtraque parte.

Ad primæ partis probationem neganda eſt min. quia propterea nihil damnationis manet in iuſtificatis per gratiã Chriſti teſte D. Thoma lect. 1. ſuper dicto capit. ad Rom. 8. quoniam neque quoad culpam, neque quoad pœnam æternam manet damnatio peccati, reatus autem pęnæ temporalis, ſiue ſatisfactoria cum ſit pœna amici Dei; & amicabiliter ſuſtinenda non meretur nomen damnationis.

Ad ſecundæ partis probationem, nego maiorem, quia huiuſmodi inordinatio conuerſionis peccati manens poſt illius remiſsionem eſt lex diuinæ iuſtitiæ ſtatuentis, & ordinantis hominem ad talem, ac tantam pœnam, quatenus non eſt reducta ad debitam ęqualitatem, neque eſt impleta, vel eſt ipſa inæqualitas, ſeu exigentia talis legis, vt ad æqualitatem perſolutione pœnæ reducatur, quæ eſt valde diſtinctum quid ab ipſa, & antecedens ad ipſum reatum, qui eſt debitum hominis paſſiuè in ipſo contractum, & receptum ex talis legis exigentia, ac proinde ille ad iſtam conſecutiue ſe habet.

Ad primum autem principale fundamentum pro ſectarijs adductum reſpondetur quod ad plenitudinem, & ſuperabũdantiam ſatisfactionis Chriſti tantùm pertinet eſſe remiſsiuam quoad ſufficientiam noſtrorum peccatorum quantum ad culpas, & pœnas, non autem quod illa tollat, quoad efficatiam niſi in illis hominibus quibus plenè applicatur, vt contingit in baptizatis, & martyribus, vtpotè in quibus medio baptiſmo aquæ, & ſanguinis, vt inſtrumento paſsionis Chriſti applicatur independenter à cooperatione liberi arbitrij: ac proinde operatur in illis plenam remiſsionem peccatorum quoad culpam, & pœnam, in martyribus autem ex priuilegio martyrij ſimilem effectum operatur Paſsio Chriſti dependenter ab actu dilectionis, vt ſupra docuimus: quia verò in alijs iuſtificatis, ſiue intra ſacramentũ pœnitentiæ, ſiue extra illud applicatur virtus paſſionis Chriſti dependentur à cooperatione liberi arbitrij, & diſpoſitione ipſius pęnitentis, ideò & gratia remiſsiua peccati non communicatur eiſdem niſi iuxta menſuram talis diſpoſitionis, quę multoties totam pęnam debitam non exhaurit.

17 Ad ſecundum reſpondetur dupliciter: primo quod ad miſericordiam Dei expectat plenam facere condonationem peccatorum quoad culpam, & pœnam æternam, quoad hoc enim iuſtificatio eſt opus miſericordiæ: ſecus autem quantum ad pęnam temporalem cuius remiſsio ali-

quale

quale eſt opus juſtitiæ: ſiquidem fit intuitu æqualis, & condignæ ſatisfactionis, & propterea in prędicto loco Ezechielis primam dumtaxat verè pœnitentibus pollicetur miſericordem peccatorum condonationem: in eoque ſenſu dicit ſe amplius eorum non eſſe recordaturum vt ſcilicet illos æterna morte puniat, iuxta quam ſolutionem diſtinguenda eſt maior, vel neganda eſt minor Argumenti.

Secundo, reſpondetur cum Caſtro & Vega vbiſupra in prædicto loco Ezechielis ſermonem fieri de illis qui veram agunt de peccatis pœnitentiam non ſolum per contritionem ſatisfaciendo pro offenſa, ſed etiam per alia opera ſubſequentia ſatisfactoria expiantia temporales pœnas & propterea non ſolũ dicitur ſi peccator conuerſus fuerit à peccatis ſuis, hoc eſt per contritionem, ſed ſubditur ſi egerit pœnitentiam, & fecerit iuditium, & iuſtitiam peccatorum, illius amplius non recordabor, &c. quibus verbis ſignificatur perfecta pœnitentia cum debita ſatisfactione operum pœnalium, & his merito promittit Deus plenam quoad culpam, & pęnam temporalem peccatorum cõdonationem: iuxta quam ſolutionem admiſſa maiori, & minori neganda eſt conſequentia quaten⁹ in illa infertur in quibuſcumque iuſtificatis etiam in illis, qui perſectam pœnitentiam vſque ad exactam ſatisfactionem pœnalem egerunt, nihil temporalis pœnæ relinqui.

Ad tertium nego minorem, ad cuius probationem, aut neganda eſt maior, quoad omnes partes, aut illa admiſſa neganda eſt min. pro prima parte, ſi naturæ ipſius iuſtificationis adiungatur lex, & ordinatio diuina ex qua prouenit quod gratia remiſsiua peccati quamuis tollat auerſionem, & conuerſionem culpabilem, quę eſt de eſſentia peccàti, non tamen tollat inordinationem, & inæqualitatem ex læſione legis diuinæ iuſtitiæ relictam ad quam vt diximus ſequitur reatus pænæ temporalis, & ad illius primæ partis impugnationem reſpondet Diuus Thomas in duobus locis, nimirum prima ſecundæ quæſt. 87. art. 6. ad 1. quod ſicut ceſſante actu peccati manet macula in anima ita ceſſante macula manet reatus pœnæ ſecundum quid, ſcilicet temporalis ſatisfactionis, & amicabilis, denotans quod ſicut actus peccati tantum eſt cauſa infieri, & non in conſeruari, & ideo tranſacto actu poteſt conſeruari macula, ita conuerſio, & macula peccati tantum ſunt cauſa infieri, & non in cõſeruari reatus pœnæ tẽporalis, & propterea etiam illis ſublatis poteſt huiuſmodi reatus relinqui, & conſeruari.

Iuxta quam ſolutionem diſtinguenda eſt illa minor: ablata cauſa auferetur effectus, & de cauſa quidem infieri, & conſeruari eſt concedenda: neganda verò de cauſa à qua effectus in ſolo fieri dependet.

Secundo, reſpondet in hoc articulo ad primum dicens, non auferri omnino cauſam huius reatus, quæ eſt inordinata conuerſio ad bonum commutabile, eo quod hæc conflatur ex ipſo actu conuerſionis culpabilis, & inordinatione diuinæ legis, & licet per gratiam, & pœnitentiam tollatur quoad primum, non tamen quoad ſecundum, manet enim huiuſmodi inordinatio quoad vſque per temporalem pœnam, aut debitam ſatisſactionem ordinetur, & cum ratione huius inordinationis manentis poſt remiſſum peccatum inducat conuerſio reatum pænæ temporalis ideo negat Diu. Thomas maiorem prædicti argumenti, nimirùm tolli per gratiã, & pœnitẽtiã cauſam omnimodã huius reatus, aut conuerſionem quantum ad rationem formalem illum cauſandi.

18. AD ſecundum dubium, omnes Theologi conueniũt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eoquod pro huiuſmodi pęna temporali relicta ex peccatis homines iuſti ſatisfaciunt in totum, vel ſecundum partem per actus pœnitentiæ, & opera pœnalia in gratia, & charitate facta: quæ ſuppoſitio eſt aduerſus prædictos ſectarios diffinita in Concilio Tridentino in locis ſupracitatis præſertim ſeſ. 14. c. 9. vbi dicitur tantam eſſe diuinę munificientiæ largitatem, vt non ſolum pœnis ſpontè à nobis pro uindicãdo peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam quod maximum amoris argumẽtum eſt temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis ſatisfacere apud Deum valeamus, & canone 13. ſub anathematè diffinitur nos pro peccatis, quoad pęnam temporalem pęnis à Deo inflictis, patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, & alijs ſponte ſuſceptis

vt

Digitized by Google

vt ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, vel etiam alijs pietatis operibus ſatisfacere: in qua diffinitione fundamentum habet communior, & verior ſententia Theologorũ aſſerentium nedum per actus pœnitentiæ & opera pœnalia, ſed etiam per quæcumque opera virtutum in gratia facta, & æternæ vitæ meritoria homines iuſtos Deo pro pœnis temporalibus ſatisfacere, quamuis quo opus huiuſmodi ſit magis pœnale cæteris paribus ſit etiam magis ſatisfactorium, vt videre eſt apud Scotum in 4. diſtinctione 15. quæſtione prima, Sotum diſtinctione 19. quæſtione 2. articulo primo, Medinam Codice de ſatisfactione, queſtione quarta, & Vazqu. infra quæſtione 94. articulo 1. dubio quinto.

Diſcriminantur autem Theologi vt explicent, an huiuſmodi ſatisfactio pro pœna temporali fiat de condigno per opera prædicta pœnalia, ſiue meritoria ab homine iuſtificato elicita à prima contritione, ſiue attritione media qua iuſtificatur, vſque ad vltimum tempus vitæ in quo perſeuerat in gratia, in tres ſententias.

19 Prima eſt Durandi in 4. diſtinction. 15. quæſtione 5. ad 2. & Ledeſm. 1. parte queſtione 12. articulo 1. dubio 2. aſſerentium per huiuſmodi opera ſatisfactoria tantum ſatis fieri Deo ad æqualitatem pro pena tempotali ex beneuolentia Dei acceptantis illa & dependenter ab extrinſeco nouo fauore; & acceptatione dictis operibus ſuperuenienti: cui ſententiæ fauet Scotus in 4. diſt. 14. q. 2. & diſt. 15. q. 1. art. 4. Et Soto in 4. diſtin. 19. quæſt. 1. art. 2. concluſione 3. ille quidem quatenus aſſerit opera hominis iuſti tantum eſſe ſatisfactoria de congruo apud Deũ pro pena temporali: ac proinde etiam per huiuſmodi opera facta in ſtatu peccati mortalis poſſe hominem ſatisfacere pænæ temporali in quam commutata fuit pæna æterna peccati, & quamuis exemplum ponat Scotus in ſatisfactione impoſitâ virtute clauium in ſacramento pænitentiæ, tamen vniuerſaliter id docet de quacunque ſatiſfactione voluntariè aſſumpta à pænitente. Iſte verò quatenus aſſerit noſtra opera ſatisfactoria ex paſsione, & ſatisfactione Chriſti ipſis aſſociata, & ſpecialiter imputata fieri magis condigna ad exoluendam pænam temporalem, quam ſine illa.

Id autem in quo omnes iſti auctores conueniunt probari poteſt duobus teſtimonijs Concilij Tridentini, nimirum ſeſs. 14. cap. 8. vbi dicitur ſatisfactiones noſtras vim habere ex Chriſti, & noſtrorum applicatione, & Dei acceptantis fauore ſub his verbis: in quo ſcilicet Chriſto viuimus; in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre, &c. & cap. 9. vbi ſubditur, quod maximũ amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum, ſatisfacere valeamus: quaſi vim ſatisfaciendi per acceptationem voluntariam flagellorum à Deo inflictorum tribuat concilium ſpirituali Dei beneuolentiæ, & fauori, atque ſpeciali oblationi per Chriſtum Deo Patri factæ.

Deinde poteſt ratione confirmari, nam prima contritio media qua vltimo diſponitur impius ad iuſtificationem extra ſacramentum non eſt de condigno ſatisfactoria pro pœna temporali debita peccato in tali iuſtificatione remiſſo & eadem ratione de alijs operibus pœnitentiæ ſubſecutis: ſiquidem neque perfectiora, neque magis à gratia iuſtificante informantur: ergo nulli tribuenda eſt ratio condignæ ſatisfactionis. Min. ſupponitur, & maior probatur dupliciter.

Tum quia teſte Diuo Thoma, in hoc art. 4. ad 2. remiſsio pænæ temporalis eſt effectus gratiæ cooperantis: Prima autem iuſtificatio, & actus liberi arbitrij quibus peccator ad illam diſponitur ſunt effectus gratiæ operantis de quorum numero eſt contritio: ergo pro eo inſtanti illis non debetur, neque correſpondet remiſsio pænæ temporalis.

Tum etiam, quia poſt contingere aliquem diſponi ad primam iuſtificationẽ per contritionem minimam; ſed hæc non habet vim remittendi aliquid pænæ temporalis ſiquidem eius totalis vis exhauritur in remiſsione culpæ, ac pænæ æternæ: illa enim contritio quæ vltra remiſsionem culpæ, & pen æ æternæ operatur alicuius partis pænæ temporalis remiſsionem non eſt minima, vltra quam non poſsit dari alia minor quæ proinde minoris virtutis, & efficaciæ ſit: hęc autem non eſt aſsignabilis niſi in illa contritione, quæ præciſſe habeat vim ad culpæ, & pænæ æternę remiſsionem.

Ter-

Tertio probari poteſt, ab inconuenienti duplici quod ſequitur ex oppoſita ſententia: primum eſt quod poſt primā contritionem in iuſtificatione impij interuenientem nulla vnquam relinquatur temporalis pœna per opera, ſubſequētia exſoluenda, ſiquidem cum prima contritio ſufficiens ſit de ſe, & ex propria virtute ad tollendam culpam, & pænam æternam quod eſt quid maius, etiam ſufficiet ex propria virtute tollere totam pœnam temporalem quod eſt quid minus, hoc autem derogat diffinitionibus Concilij Tridentini in dubio præcedenti.

Secundum eſt, quod per nulla opera ſubſequētia iuſtificationem quantūuis pænalia, & charitate informata ſint, poſsit homo ſatisfacere pro pœna temporali in totum, vel in partem quod eiſdem Concilij teſtimonijs aduerſatur, ſequela autē patet, ſiquidem omnia talia opera ſunt meritoria vitæ æternæ, & aliàs cum idem prætium nequeat duobus debitis diſtinctis adæquari ſi prætium cuiuſcunque meriti adæquatur debito gloriæ nequit debito ſolutionis pœnæ temporalis adæquari.

20 Secunda ſententia eſt Medinæ Codice de pęnitentia quæſt. 1. aſſerentis noſtram ſatisfactionem eſſe condignā pro pęna temporali huius vitæ, & etiam pro pæna purgatorij ſi eſt eiuſdem rationis cum pœna huius vitæ: ſecus verò ſi ſit alterius rationis eo quod condignitas, & æqualitas prætij ad rem pro qua ſoluitur petit pro fundamento, proportionem, & conuenientiam vtriuſque extremi: hæc autem inter extrema diuerſæ rationis inueniri non poteſt: ergo ſi pæna Purgatorij eſt diuerſæ rationis à pœnalitatibus huius vitæ per has non poteſt exhiberi condignum, & æquale pretium pro illa, ac proinde indigebit noſtra ſatisfactio miſericordia, & fauore creditoris, illam acceptantis.

Tertia ſententia aſſerens per quæcunque opera pænalia imo, & meritoria ab homine iuſto elicita ſatisfieri Deo de condigno, & ad æqualitatem pro pæna tēporali in totum, vel in partem condignitate independenti à noua acceptatione, ſiue fauore diſtincto ab illo quo Deus propter merita Chriſti gratiam, & auxilia infundit quibus ſatisfaciat, eſt communiter à Theologis recepta qui ſimilem tribuunt operibus meritorijs reſpectu vitę æternæ, & augmenti gratiæ condignitatem, vt videre eſt apud interprætes Diui Thomæ prima ſecundæ, quæſt. vltima art. 3. Suarez hic diſp. 10. ſect. 3. & Vazq. infra q. 94. art. 1 dubio 3.

Quę proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur aduerſus duas priores ſententias: primo, ex Bulla Pij V. & Gregori XIII. aduerſus Michaelem Bayum edita qui hanc propoſitionē quæ eſt ipſius LXXVII. reijciunt: ſatisfactiones laborioſæ iuſtificatorum non valēt, expiare de condigno pænam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam. Ac proinde cum hæc propoſitio à prædictis ſummis Pontificibus inter alias eiuſdem auctoris ſit damnata, non poſt condignitas. & æqualitas òperibus ſatisfactorijs pro pœna temporali ſine aliqua temeritatis nota negari.

21 Secundo probatur ratione Theologica deſumpta ex Diuo Thoma prima ſecundæ, quæſt. vltima art. 3. & 8. ad hanc formam reducta: ad condignitatem meriti apud Deum non requiritur æqualitas phiſica, aut gradualis inter opus meritorium, & premium, ſed ſufficit proportio moralis, & ſecundum exiſtimationem ſicut ſemen fructui, & prætium rei venali proportionatur quamuis diuerſimodæ rationis ſint: vnde licet noſtrum ſit leue, & momentaneum æternum gloriæ pondus operatur in nobis, & quamuis peccatum ſit temporaneum condignè pænam æternam promeretur propterea quod hoc ab inimico Dei: illud verò ab amico Dei procedit gratiaque iuſtificante, & charitate informatur ex qua dignitas meriti prouenit, quæ non ſolum ad vltimum terminum, qui eſt vita æterna, ſed etiam ad terminos inter medios cuiuſmodi ſūt augmētū gratiæ & charitatis extenditur: ſed opera ſatisfactoria elicita ab homine iuſto habent vim ſatisfaciendi coram Deo per modum meriti, vtpotè cum habeant rationem ſatisfactionis voluntariæ, & amicabilis vt dictū eſt, ergo eo ipſo quod informantur gratia, & charitate habent condignitatem ad tollendam pænam temporalem ſecundum totum, vel ſecundum partem iuxta menſurā diuinæ iuſtitiæ. Conſequentia probatur dupliciter.

Tum quia cum huiuſmodi opera bona ex gratia & charitate habeant condignitatem meriti reſpectu vitæ æternæ, quod eſt quid maius, à fortiori habebunt

con-

condignitatem meriti; & ſatisfactionis reſpectu pœnę temporalis auferendæ, quæ eſt quid minus: tum quia cum condignitas meritoria huiuſmodi operum extendatur ad præmium vitæ æternæ, quæ eſt vltimus terminus meriti, etiam extendi debet ad terminos intermedios, vt ad augmentum gratiæ, & charitatis, & ad ablationē pœnæ temporalis, quæ eſt medium neceſſarium in tali ſubiecto ad conſecutionem vitæ æternæ, vtpotè mouēs impedimentum prohibens, & retardans eius conſecutionem, licèt talis condignitas reſpectu pœnæ temporalis cum fiat per modum ſolutionis debiti, potius ſit & dicatur ſatisfactoria, quam meritoria.

22 Ex quibus reſpondetur ad primum fundamentum pro prima ſententia quod ex illis teſtimonijs Concilij nihil contra noſtram conuincitur; in priori enim acceptatio, & oblatio non ſignificant nouam imputationem meritorum Chriſti, neque nobam acceptationem diſtinctam ab illa, qua Deus per merita Chriſti confert nobis gratiam, & auxilia, quibus ipſa operā ſatisfactoria condigna & Deo ex ipſorummet bonitate, & dignitate grata eliciamus: in poſteriori verò amoris argumentum non eſt quia opera ſatisfactoria elicita ab homine iuſto nouo fauore, aut noba applicatione meritorum Chriſti acceptentur, ſed quia Chriſtus cōtulit nobis gratiam, & auxilia quibus flagella patienter tolleremus, & ita ſatisfaciamus pro pęnis debitis, quod eſt magnū amoris argumentum.

Ad ſecundum Durandus in 4. diſtinct. 17. quæſt. 3. ait minimam contritionem, ſiue attritionem qua homo extra ſacramentum, aut in ſacramento pœnitentiæ diſponitur ad iuſtificationem, conſequi remiſsionem culpæ, & pœnæ æternę, non autem temporalis in quam commutatur æterna.

Sed vera ſolutio eſt, quod in omni tali iuſtificatione contritio, ſiue attritio interueniens quantacunque illa ſit cū ſit actus pœnitētiæ, ſiue pœnalis, & alias hominis exiſtentis in gratia, eſt ſatisfactoria pro pœna temporali ſecundum totum, vel partem ſuppoſita remiſsione culpæ, & pœnæ ęternæ, qua ſententia veriori ſuppoſita neganda eſt maior argumenti. Ad cuius primam probationem dicendum eſt illos actus liberi arbitrij quibus adultus vltimo diſponitur ad iuſtificationem poſſe conſiderari dupliciter pro illo inſtanti temporis, ſeu in quo ipſius iuſtificationis nimirū vt ātecedēte, iuſtificationem, & ad illam diſpoſitiue concurrunt, vel vt gratia informantur, & ad ipſam conſequūtur.

Et primo quidem modo non ſunt effectus gratiæ cooperantis, ſed operantis, ſicut & ipſa iuſtificatio, & propterea, neque ſunt meritorij vitæ æternę, neque ſatisfactorij pro pœna temporali.

Secundo autem modo ſunt effectus gratiæ cooperantis, & propterea etiam ſunt ſatisfactorij pro pœna temporali ſicut & ſunt meritorij vitæ æternę, vt oſtendimus quæſt. præcedenti art. 2. ex Diu. Thoma 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1. alioquin nunquam ſubito, & in eodem momento iuſtificationis Deus peccatorem à culpa, & pœna æterna per gratiam, & ab omni pœna temporali per actum pœnitentiæ liberaret: cuius oppoſitum in aliquibus peccatoribus contigiſſe, & ſæpius modo contingere docet D. Thom. in hoc art. 5. in ſolutione ad primum.

Iuxta quam diſtinctionem admiſſa maiori, & minori diſtinguendum eſt conſequens.

Ad ſecundam probationem dicendum eſt, aut non dari minimam contritionem citra quam non poſsit alia minor dari, cum in huiuſmodi actibus, & qualitatibus ſupernaturalibus non ſit minimum aſſignare, aut admiſſo illam dari, adhuc quātumuis minimæ intenſionis ſit, nihil hominus ſicut habet vim diſponendi ad remiſſionem culpæ, & pęnæ æternæ ita & illam habet quatenus dolorem, & pęnalitatem inuoluit ad alicuius partis pęnæ temporalis relaxationem, & proportionabiliter philoſophandum eſt de minima attritione diſponente cum ſacramento ad remiſsionem culpæ, & pænæ æternæ, quod ſcilicet prout ſimul tempore à gratia ſacramentali informatur aliquid pœnæ temporalis remittit magis, aut minus ſecundum menſuram pœnalitatis, ac doloris ipſius. Iuxta quam doctrinam admiſſa maiori neganda eſt minor.

23 Ad tertium reſpondetur negando ſequi illa inconuenientia, & ad primi probationem nego maiorem, in effectibus enim non ſubordinatis per ſe non ſequitur quod qui poteſt in maius poſsit in minus, ac proinde neque ſequitur quod cōtritio habens vim diſpoſitiuam ad tollendam

dam culpam, & pęnam æternam, quod eſt maius, habeat etiam vim ſemper ad tollendam totam pœnam temporalem, quod eſt minus quia iſti effectus per ſe ſubordinati, aut connexi non ſunt: ad remiſsionem enim culpæ, & pœnæ æternæ concurrit cõtritio dumtaxat per modum diſpoſitionis & per modum ſatisfactionis non condignæ, ſed in perfectæ, & acceptatæ à Deo pro offenſa; ad remiſsionem autem pœnæ temporalis concurrit per modum condignæ ſatisfactionis, & debiti prætij ſolutionis: Poteſt autem contingere tantam eſſe pœnam debitam peccatis præcedentibus, vt mediocris contritio non ſit condigna, & ęqualis illius ſatisfactio, vt totius pęnæ debitum exhauriat. Sicut ob eandem rationem contingit ſæpius nos per opera meritoria vitam æternam, & augmentum gratiæ promereri quin per illa mereamur bona temporalia, aut liberari a pænalitatibus temporalibus huius vitæ, quamuis illud maius præmium ſit, quam iſtud.

Ad ſecundi verò probationem iam patet ex dictis illa duo debita, nimirùm gloriæ, & relaxationis pœnæ temporalis eſſe ſubordinata quatenus hæc remouet prohibens ad illius conſequtionem, quo pacto etiam idem meritum eſt prætiũ condignum gloriæ eſſentialis, in alia, & augmenti gratiæ in hac vita, imò & ceſſante quacunque ſubordinatione dum ſatisfactio fit coram Deo per modum meriti (ſecus verò contingit in materia iuſtitiæ conſiſtentis in datis, & acceptis) eodem actu, & eadem ſatisfactione poſſumus duobus debitis ſatisfacere de condigno independenter à noua, & extrinſeca Dei acceptatione.

QVAESTIO LXXXVII.

De remiſsione venialium peccatorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm peccatum veniale poſsit remitti ſine pœnitentia?

CONCLVSIO eſt: ſine expreſſo, & formali actu pœnitentiæ aut virtuali, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia includens virtualiter diſplicentiam venialis peccati; remitti non poteſt huiuſmodi, veniale peccatum.

ART. II.

Vtrùm ad remiſsionem venialium peccatorum requiratur gratiæ infuſio.

COncluſio eſt: non requiritur gratiæ infuſio vt peccatum veniale remitatur. Quãdocũque autem de nouo gratia infunditur

ditur adulto eius peccata venialia remittũtur.

Circa has concluſiones tria examinari ſolent.

Primum eſt. An illa formalis, aut virtualis pœnitentia ſufficiens, & requiſita ad remiſsionem peccatorum venialium in ſolo actu contritionis, aut dilectionis ſaluetur: ita vt per nullum alium actum cuiuſcunque alterius virtutis poſsit de lege ordinaria fieri remiſsio peccatorum venialium, tam in ſacramento pœnitentiæ, quam extra illud?

Secundum eſt. An non ſolum in hac vita, ſed etiam in alia remittatur peccatum veniale quoad culpam; & non tantum quoad pœnam?

Tertium eſt. An remiſsio peccatorum venialium poſsit fieri ſecundum legem ordinariam ſine noua gratiæ infuſione, vel praexiſtentis augmento?

Ad quæ proinde à nobis ſuo ordine eſt reſpondendum.

2 AD primum dubium vnum ſupponimus, & alterum inquirimus, ſupponimus quidem remiſsionem peccatorum venialium quoad culpam, quę fit de lege ordinaria in adultis (ſiue in ſacramento pœnitẽtiæ, ſiue extra illud, de hac enim remiſsione fit ſermo in iſta quæſtio.) & quando fit ſeorſum à peccatis mortalibus hoc eſt, quando obtinetur remiſsio venialium ſine remiſsione actuali mortaliũ nõ poſſe fieri, niſi ſubiectum ſimul tẽpore ſit in ſtatu gratiæ: quæ ſuppoſitio communiter admittitur à Theologis (paucis exceptis Scoto nimirum, Durando, Gabriele, & Maiore in locis infra citandis) præſertim à Diuo Thoma articulo quarto ſequenti, & prima ſecundæ, quæſtione 87. articulo quinto ad tertium, & quæſtione ſeptima de malo, articulo decimo, & in 4. diſtinctione 16. quæſtione ſecunda articulo primo, quæſtiuncula 2. ad tertium. Et habetur in additionibus quæſtione decimaquarta, articulo primo & ſecundo vbi ait exiſtenti in peccato mortali nullam prodeſſe ſatisfactionem ad remiſsionem peccati, ſiue quoad culpam, ſiue quoad pœnam eo quod huiuſmodi ſatisfactio fit ſecundum acceptationem Dei eſtque amicabilis, ac proinde exiſtentis in ſtatu amicitiæ cum Deo, à Bonauentura, Richardo, Alenſi, Soto, & alijs, quos referunt, & ſequuntur Suarez diſputatio prima ſectione ſecunda. Vazqu. in hoc articulo dubio primo, & prima ſecundę, diſputatio. 194. Nuño in articulo quarto ſequenti.

Probatur noſtra ſuppoſitio dupliciter: primo, quia remiſsio culpę cuiuſcunque etiam venialis, eſt effectus gratiæ, & amicitiæ Dei: propterea enim Paulus ad Roman 4 gratiæ Dei tribuit quod homini non imputet peccatum quodcumque ſit illud iuxta id Pſalmi 31. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*: ergo qui non exiſtit in gratia nequit remiſsionem culpæ venialis obtinere.

Secundo, nam vel veniale peccatum remittitur ex opere operato in ſacramento, vel ex opere operantis extra ſacramentum. Si primum iam ſimul remittitur

tur cum infuſione gratiæ ſacramentalis. Si ſecundum, debet remitti per exhibitionem debitæ ſatisfactionis, ſiquidem offenſa non remittitur extra ſacramentum niſi media ſatisfactione, vt ſupra oſtendimus, ſed exiſtenti in peccato mortali nulla ſatisfactio prodeſt ad remiſsionem culpæ, immo nec ad remiſsionem pœnæ illi debitæ, nullum enim opus extra charitatem factum valet ad meritum, vel ad ſatisfactionem iuxta illud Pauli primæ ad Corinthior. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum*, &cet. *Charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*, vt etiam oſtendit Diuus Thomas in locis citatis: ergo qui exiſtit in peccato mortali nullo actu per modum meriti, ac proinde ex opere operantis poteſt remiſsionem alicuius culpæ venialis obtinere.

2 Inquirimus autem an in homine iuſtificato remiſsio peccatorum venialium debeat fieri neceſſario, aut per formalem pœnitentiam ipſorum, quæ eſt contritio, aut ſaltem per virtualem ipſorum pœnitentiam in actu dilectionis charitatiuæ Dei conſiſtentē: in quo tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & alia media.

Prima illarum negans eſt, quam tuentur Scotus in quarto diſtinctione 21 quæſtione prima § *Non ſic autem*: Gabr. diſtinctione 16. quæſtione quinta, articulo ſecundo, & articulo tertio dubio ſecundo, Medina tractatu primo de pœnitentia quæſtione 3 Soto in eodem quarto diſtinctione 15. quæſtione ſecunda articulo primo, Abulenſis in quarti Regum ſecundo quæſtione 39 Enriquez in ſumma libro quarto capite 15 Azor libro quarto inſtitutionum tomo primo capite decimo quæſtione 13 & Suarez hic diſputatione 11. ſection. 3. exiſtimantes ad remiſſionem peccati venialis ſufficere nedum actum pænitentiæ, ſiue diſplicentiæ actualis de tali peccato per contritionem, vel attritionem habitæ, ſed etiam quemcumque alium actum alterius virtutis à charitate informatum, & imperatum, quamuis diuerſimodè præfati auctores ſuam explicent ſententiam. Scotus enim vno ex duobus modis illam defendit, nimirum aut quia exiſtimat peccatum veniale habituale ex actuali relictum in ſola obligatione ad pœnam temporalem conſiſtere, conſequēterque tolli per æquiualentis pęnæ in hac vita ſolutionem, quæ exhibetur per quodcunque opus virtutis meritorium ab ipſo operante ex intentione ſatisfaciendi pro veniali elicitum: aut quia vt probabilius eſſe, & ſanctis Patribus magis conforme agnoſcit, aliud eſt peccatum etiam veniale remitti quoad culpam, quam ſolui pœnam illius, vel abſolui ab obligatione pœnæ, ideò ſubdit peccatum veniale remitti per quemcumque actum bonum & meritorium hominis iuſti, qui ſaltem tantum Deo placeat, quantum veniale peccatum diſplicuit vt ſic malitia, & culpa venialis peccati apud Deum bonitate operis compenſetur.

Gabriel verò eidem ſententiæ duplicem addit moderationem: prima eſt quod neque talis intētio ſatisfaciendi pro veniali culpa in opere bono hominis iuſti ad illius remiſsionem requiratur. Secunda eſt, quod neque requiritur vt tale opus culpam venialem remittat placeat Deo tantum, aut magis, quantum culpa diſplicuit, ſed etiam ſi minus placeat, & quodcunque ſit illud dummodo ſit opus bonum, & meritorium à charitate informatum ſufficiet ad venialis culpæ remiſsionem, & in eodem ſenſu Soto, Suarez & reliqui recentiores loqui videntur.

Id autem, in quo conueniunt probant tripliciter. Primo, quia minus requiritur ad remiſsionem venialis, quam ad remiſsionem mortalis, ſiquidem cum illud leuis offenſa ſit, minori contentum eſt cōpenſatione, & ſatisfactione, quanto enim offenſa minor eſt, per minorem remittitur ſatisfactionem, ſicut quanto maior, exigit maiorem ſatisfactionem ad ſui remiſsionem, ſed ad remiſsionem mortalis requiritur perfectus actus pœnitentiæ, ſcilicet contritio cum dilectione Dei ſuper omnia: ergo actus imperfectior iſtis, ac proinde actus bonus cuiuſcunque alterius virtutis ſufficiet ad culpæ venialis remiſsionem.

Secundo, nam de facto plures ſunt actus aliarum virtutum quibus peccata venialia remittuntur quoad culpam, quod tamen verum non eſſet ſi ad eorum remiſſionem exigeretur dolor contritionis, aut dilectio Dei ſuper omnia virtualiter illam includens: ergo. Mai. patet, nam de facto remittūtur peccata venialia per vſum ſacramentalium, nimirum aquæ benedictæ, benedictionis Epiſcopalis,

&c.

Digitized by Google

&c. vt docet Diuus Thomas, articulo tertio ſequenti, & per martyrium receptum ſine actuali dolore de peccato veniali, ſicut & baptiſmum, vt docet Diuus Thomas hic articulo primo ad ſecundum, & per receptionem ſacramenti pœnitentiæ cum ſola attritione, quæ non eſt actus perfectus virtutis pœnitentiæ: eoquod tunc homo recipit gratiam ſacramentalem ſiquidem illi non ponit obicem, quoties autem homo de nouo gratiam recipit à venialibus peccatis quoad culpam abſoluitur, vt videtur docere D. Thom. art. 2. ergo.

Tertium deſumitur ex duplici inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia: primum eſt quod actus aliarum virtutum à charitate, & pœnitentia diſtinctarum elliciti ab homine iuſto non ſint meritorij vitæ æternæ, ſi enim mererentur vitam æternam, quod eſt quid maius à fortiori remiſsionem culpæ venialis, quod eſt quid minus mererentur.

Secundum eſt, quod attritio de peccato veniali ellicita ab homine iuſto illud non remitteret, quod tamen eſſe falſum patet, quia talis attritio opponitur peccato veniali, & excludit complacentiam illius, neque enim cum tali complacentia poteſt compati, & vnumquodque per ſuum contrarium expellitur: ergo.

Tertium eſt, quod nullum opus aliarum virtutum hominis iuſti ſit ſatisfactorium pro pœna temporali debita peccatis venialibus: ſiquidem pœnam huiuſmodi tollere non poteſt niſi ablata culpa, quod tamen non eſt admittendum: ergo.

3 Secunda ſententia eſt Durandi in 4. diſtinctione 16. quæſtione 2. & diſtinctione 21. quæſtione 2. & Paludani ibidem quæſtione 1. articulo 2. & Thomæ Argentinas in eadem diſtinctione 16 aſſerentium veniale peccatum quoad culpam deleri poſſe per ſolum dolorem expreſſum, ſiue expræſſam, & actualem diſplicentiam de illo, ſiue huiuſmodi expræſſus dolor ſit contritionis, ſiue etiam attritionis actus ab homine iuſto elicitus: quæ dupliciter probatur.

Primo à Durando, quia nullum contrarium expellitur niſi per aliud contrarium ipſi proportionatum, vt experientia, & naturali ratione compertum eſt: ſed peccati venialis quoad culpam proportionatum contrarium eſt ſolus actus doloris, qui eſt ipſius actualis diſplicentia, & retractatatio, tam in attritione, quam in contritione conſiſtens: ergo ſolum per huiuſmodi actum remittitur. Minor. cum ſit excluſiua continet has duas exponentes, nimirùm quod iſte actualis formalis dolor ſit proportionatum contrarium culpæ venialis, & quod nullus alius actus culpæ veniali contrarietur. Et quoad primam probatur minor, quia cum venialis culpa conſiſtat in conuerſione inordinata voluntatis, atque in complacentia obiecti indebita eius immediatum contrarium eſt ordinatio eiuſdem voluntatis, atque diſplicentia, & retractatio actualis prędictæ culpæ venialis, & inordinationis, quæ in actu contritionis, vel etiam attritionis de peccato veniali conſiſtit cum vterque ſit eius actualis diſplicentia, & retractatio, qua poſita nequit manere voluntas in priori affectu, aut cōplacentia.

Deinde quoad ſecundam partem probatur, quia ſi aliquis alius actus eſset ſufficiens contrarium ad tollendam venialem culpam, maximè feruidus charitatis, vtpote cum illa feruori charitatis opponi videatur: ſed huiuſmodi actus nullam oppoſitionem habet cum culpa veniali, quæ compati poteſt, cum quantumcunque intenſa, & feruida charitate, tam habituali, quam actuali: ergo.

Secundo probatur, ex duplici inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia: primum eſt, quod remiſsio vnius peccati venialis quoad culpam haberet ſemper annexam remiſsionem aliorum, ac proinde vnum non poſset remitti ſine alio, ſicut de mortalibus dictum eſt, hoc autem non eſt admittendum ob manifeſtum diſcrimen, quod in hac parte inter veniale, & mortale peccatum verſatur: ergo. Sequela patet, quia ſi ad remiſsionem vnius peccati venialis ſufficeret actus dilectionis Dei, ſine expræſſo dolore, aut diſplicentia, conſequenter ſufficeret ad aliorum remiſsionem: ſiquidem non eſt magis retractatio, & diſplicentia vnius, quam aliorum, imo cum nullius ſit expræſſa diſplicentia, omnium pariformiter eſt diſplicentia virtualis.

Secundum eſt quod per quem-

cumque actum cuiuſcumque virtutis à charitate informatum remittatur venialis culpa, quod tamen negat Diuus Thomas in hoc articulo: ergo. Conſequentia patet, nam quocunque tali actu homo iuſtus auget ſuam gratiam, & charitatem, vel ſaltem meretur de condigno ſuę gratiæ, & charitatis augmentum, ac proinde in quolibet huiuſmodi meritorio actu feruet charitas, cuius feruor cùm iuxta oppoſitam ſententiam opponatur culpæ veniali, erit ſufficiens illam deſtruere; ergo.

4 Tertia ſententia aſſerit ad remiſsionem peccati venialis ſufficere, & requiri actum formalem, & expræſſum, vel virtualem, & implicitum pœnitentiæ, hoc eſt, ſufficere & requiri actum contritionis qui ſit expræſſa, & formalis deteſtatio peccati venialis, vel actus charitatis qui ſit virtualis, & implicita illius deteſtatio, ita Diuus Thomas in hoc articulo primo, & articulo ſecundo ad ſecundum, & articulo tertio ad primum & ad tertium, Ricardus in 4. diſt. ſectione 16 articulo quinto quæſtione prima, Argentinas diſtinctione 21. articulo primo, & quarto, Caietanus in hoc articulo, §. *in reſponſione ad tertium* Petrus de Soto, de inſtitutione ſacerdotum lectione 18. Abulenſis ſuper Matthæi caput 25. quæſtione 718. & Vazqu. hic dubio primo. Vt autem explicent prædicti auctores quam repugnantiam, ſiue contrarietatem habeat huiuſmodi actus formalis, vel virtualis pœnitentiæ cum culpa veniali, vt illam expellat à ſubiecto: in tres modos dicendi diuiduntur.

Alij enim dicunt huiuſmodi actum habere non ſolum moralem, ſed etiam phiſicam repugnantiam, & contrarietatem cum peccato veniali ex vi cuius illud non tantum moraliter ſatisfactoriè, ſed etiam effectiuè phiſicè expellat, & cauſet eius remiſsionem ſicut ſimilem efficientiam tribuunt actui pœnitentiæ circa remiſsionem peccatorum mortalium, vt vidimus ſupra quæſtione 85. artic 2

Alij verò, de quorum numero ſunt Paludanus vbi ſupra quæſtione prima articulo ſecundo concluſione 2. & Azorius quæſtione 17. dicunt huiuſmodi actum pœnitentiæ ſolum moraliter, hoc eſt per modum meriti, & ſatisfactionis, atque moralis diſpoſitionis concurrere ad remiſsionem culpæ venialis, quam ſolus Deus effectiue producit.

Alij verò, tribuunt huiuſmodi actui duplicem concurſum reſpectu remiſsionis venialium, nimirum phiſicum diſpoſitiuum, ſiue formalem ratione phiſicæ repugnantiæ, & contrarietatis, & effectiuum moralem in ratione meriti ſiue ſatisfactionis; in cuius cócurſus moralis explicatione adhuc diuiduntur Theologi in alios duos modos dicendi, aliquibus enim, quos refert, & refutat Azorius vbi ſupra quæſtione 16. placet actum contritionis, ſiue charitatis non de condigno, ſed dumtaxat de congruo, & ex gratuita acceptatione Dei extrinſeca remittere venialem culpam.

Contra quos tenet communior Theologorum ſententia præſertim Paludani, & Gabrielis vbi ſupra Scoti in quarto diſtinctione 21. quæſtione prima Durandi ibidem Ledeſma in prima parte quarti quæſtione 28 articulo quarto, Suarez libro 12. de gratia capite 24. & tomo primo in tertiam partem diſputatione quarta ſectione 11. Vazqu. articulo tertio ſequẽti dubio primo circa finem, Cabrera tomo primo in tertiam partem diſputatione 15 quæſtionis primæ articulo ſecundo, & Azorij in dicta quæſtione 16 a qua ſententia non eſt alienus Petrus à Soto vbi ſupra, quamuis pro oppoſita referatur, vt infra oſtendemus: pro cuius ſententiæ declaratione quę vera eſt.

5 Dico primo. Ad remiſsionem culpæ venialis in homine iuſto non ſufficit quodcunque opus bonum alterius virtutis à charitate, & pœnitentia diſtinctæ quantumuis meritorium ſit vitę æternæ, & charitate informatum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primę ſententiæ. & probatur primo. Ex teſtimonijs Diui Thomæ in quibus aſſerit ad remiſsionem culpæ venialis requiri motum pœnitentiæ formalis, vel virtualis, hoc eſt actum contritionis, vel charitatis, ſic enim habet in fine corporis huius articuli, & in articulo 2. ad ſecundum & articulo tertio ad primum & in quarto diſtinctione 16. quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, quæſtiuncula ſecunda, & diſtinctione 21. articulo 3. quæſtiuncula 1: de nullo autem actu alteri⁹ virtutis poteſt verificari quod ſit actus pœnitẽtiæ, proprius, & formalis niſi de contritione, orta ex dilectione Dei

ſuper omnia; vnde Diuus Thomas ſupra quæſtione 85. articulo quinto per actum proprium pœnitentiæ huiuſmodi dumtaxat contritionem intelligit, neque de aliquo actu alterius virtutis poteſt verificari, quod ſit actus pœnitentiæ virtualis præterquamquod de huiuſmodi dilectione, ſiue actu charitatis: ergo.

Secundo probatur: nam in tantum actus alicuius virtutis remittit peccatum veniale quoad culpam, in quantum habet oppoſitionem cum illo, non enim remittitur aliquod peccatum, ſiue mortale, ſiue veniale de lege ordinaria per ſolam non imputationem, vel extrinſecam condonationem vt ſupponimus, ſed per actum, ſiue formam cum illo incompoſsibilem, & repugnantem ratione contrarietatis, ſiue oppoſitionis, ſed nullus actus alterius virtutis à pœnitentia, & charitate diſtinctæ habet oppoſitionem aliquam cum peccatis venialibus habitualiter permanentibus: ergo non eſt ſufficiens ad illorum remiſsionem. Minor inductione probari poteſt diſcurrendo per actus temperantiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, & ſimilium qui omnino compoſsibiles ſunt cum peccatis venialibus habitualiter permanentibus etiam in proprijs materijs earundem virtutum, vtpotè cum non ſint retractatiui, nec compenſatiui illorum ex proprio motiuo, imo vt ex dictis quæſtione 85. præcedenti articulo 2. conſtat, operari ad deſtructionem culparum ex proprio motiuo eſt ſolius virtutis pœnitentiæ: ergo.

6 Dico ſecundo: Neque ad remiſsionem culpæ venialis ſufficit quæcunque expræſſa, & formalis illius deteſtatio, ſiue diſplicentia, qualis eſt attritio extra ſacramentum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo: nam ex prædictis teſtimonijs Diui Thomæ conſtat requiri ad remiſsionem culpæ venialis verum actum pœnitentiæ formalis, ſiue virtualis: nomine autem actus virtutis pœnitentiæ formalis non intelligitur attritio niſi ſola contritio, & nomine actus pœnitentiæ virtualis intelligitur ſola charitatiua dilectio: ergo ex mente Diui Thomæ attritio non ſufficit.

Secundo probatur: nam attritio nullam habet oppoſitionem cum peccato veniali: ergo non ſufficit ad illius remiſsionem: conſequentia patet, quia tam peccatum mortale, quam veniale non tollitur niſi per actum, ſiue formam ſibi contrariam, aut oppoſitam.

Antecedens autem probatur, quia nec habet talem oppoſitionem ratione ſui, nec ratione adiunctæ charitatis: non quidem ratione ſui quia ob ſui imperfectionem, non eſt per ſe ſufficiens retractatio peccati venialis, ita vt ſit cum illo incompoſsibilis alioquin etiam eſſet ſufficiens retractatio peccati mortalis, & incompoſsibilis cum illo, etiam ſine ſacramento, ſiquidem magis pugnat cum mortali, quam cum veniali cuius eſt diſplicentia, quod tamen non eſt admittendum: neque ratione adiunctæ charitatis: quantumuis enim habitualis charitas ſit in eiſa non pugnat, neque habet incompoſsibilitatem cum peccatis venialibus, ac proinde illa non remittit: forma autem, quæ per ſe non habet oppoſitionem, vel repugnantiam non poteſt illam alteri præbere: ergo neque charitas habitualis poteſt præſtare attritioni oppoſitionem, ſiue repugnantiam cum peccatis venialibus, quam in ſe non habet.

7 Dico tertio. Ad remiſsionem culpæ venialis ſufficit, & requiritur, vel actus contritionis, qui ſit illius formalis diſplicentia, vel actus charitatis, qui ſit virtualis illius diſplicentia, ſiue deteſtatio per quem de condigno moraliter effectiuè in ratione meriti, & ſatisfactionis tollitur.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primi modi defendendi tertiam ſententiam, & pro auctoribus tertij. Cuius pars prima, & ſecunda, in qua omnes prædicti auctores conueniunt probatur: nam in tantum aliquis actus remittit peccatum veniale in quantum habet oppoſitionem cum illo, vt dictum eſt, ſed tam actus contritionis, quam actus charitatis habet oppoſitionem cum illo peccato veniali præciſſe, cuius eſt expræſſa, aut virtualis diſ-

plicentia, ſiue deteſtatio : ergo ſufficit, & requiritur ad illius remiſsionem.

Minor eſt expræſſa Diui Thomæ in hoc articulo, vbi ad remiſsionem peccati venialis requirit pœnitentiam ; quæ ſit eius explicita deteſtatio, hoc eſt contritio, vel virtualis diſplicentia, hoc eſt actus charitatis, qui aptus natus ſit parere explicitam eius diſplicentiam quoties memoriæ occurreret ; & in dicta quæſtiuncula quarta ad tertium ait, quod tam contritio, quam dilectio Dei poteſt eſſe talis, ac tanta quod deteſtetur omnia peccata venialia, & tunc omnia remitteret : & poteſt talis, ac tãta eſſe quod nõ omnia, ſed vnum, vel alterum deteſtetur eo quod poteſt ſecum permitere complacentiam in aliquo peccato veniali, vtpotè cum amor amicitiæ, licet non ſecum patiatur grauem offenſam erga amicum diſſoluentem eius amicitiam bene tamen compatitur cum leui offenſa, quam pariformiter amor charitatis ſecum admittit erga Deum licet non admittat mortalem offenſam, vtpotè diuinæ amicitiæ repugnantem, & tunc talis actus contritionis, ſiue dilectionis nõ omnia peccata venialia delet, ſed dũtaxat vnum, vel alterum nimirùm illud cuius eſt expræſſa, aut virtualis deteſtatio.

8 Secundo probatur : nam vel peccata venialia memoriæ occurrunt, vel non ſupponitur eorum memoria, ſiue notitia.

Si primum, requiritur formalis, & expræſſa eorum deteſtatio ſicut quæſtione præcedenti diximus de mortalibus quod ſuppoſita eorum notitia, ſiue recordatione neceſſaria eſt formalis, & expræſſa pœnitentia ad illorum remiſsionem obtinendam.

Si ſecundum, ſufficit virtualis illorum pœnitentia ſiue deteſtatio, quæ in actu charitatis ſaluatur, quo ſcilicet homo ita diligit Deum, & ita eſt diſpoſitus vt propter Deum ſuper omnia dilectum expræſſam, & formalem haberet deteſtationem, hoc eſt contritionem de illis peccatis venialibus, quæ protunc eius memoriæ occurrerint : ergo ſicut requiritur formalis pœnitentia quæ eſt contritio ad remiſsionem illorum peccatorum venialium, quorum pœnitens recordatur: ita ſufficit virtualis pœnitentia incluſa in actu charitatis ad remiſsionem illorum peccatorum venialium, quæ pœnitentis recordationem ſubterfugiunt.

Antecedens pro prima parte eſt notum, quia quoties haberi poteſt formalis pœnitentia de aliquo peccato, non eſt ſufficiens virtualis in actu charitatis incluſa ad eius remiſsionem obtinendam: & pro ſecunda parte probatur dupliciter.

Tum quia expræſſe aſſeritur à Diuo Thoma in fine corporis huius articuli primi, vbi ſic habet : *Verè ſequitur quod requiratur quædam virtualis diſplicentia puta cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, & res diuinas, vt quidquid ſibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſsiſſe, etiam ſi actu de illo non cogitaret*, &cet. Vbi per virtualem diſplicentiam ſufficientem, & requiſitam ad remiſsionem peccatorum venialium memoriæ non occurrentium, Caietanus & alij interpretes Diui Thomæ dilectionem Dei ex qua nata ſit ſequi formalis diſplicentia peccati ſi tunc occurreret memoriæ, communiter interpætantur.

Tum etiam, quia etiam deficiente notitia peccatorum mortalium poſt adhibitam ſufficientem inquiſitionem ſufficit ad eorum remiſsionem talis actus charitatiuæ dilectionis, vt ſuperius oſtenſum eſt, quia protunc non poteſt habere formalem eorum deteſtationem, ſiue pœnitentiam, quæ proinde ſuppletur per actum dilectionis : ergo à fortiori pro remiſsione peccatorum venialium memoriæ non occurrentium obtinenda, ſufficiet virtualis pœnitentia in actu charitatis incluſa, ſiquidem minus pro venialium, quam per mortalium optinenda remiſsione requiritur.

Deinde tertia pars concluſionis probatur, quia actus contritionis, ſiue dilectionis ex vi cuius remittitur peccatum veniale per modum meriti, atque ſatisfactionis, exſuperat grauitatem peccati venialis, tantumque, ſiue etiam magis placet Deo, quam venialis offenſa diſpliceat quæ ſunt conditiones meriti, atque ſatis-

factio-

Digitized by Google

factionis de condigno : ergo de condigno remittit veniale peccatum. Minor eſt certa, & maior probatur, nam huiuſmodi actus contritionis, ſiue dilectionis auertit hominem ſimpliciter à creatura tanquam à fine, & conuertit in Deũ tanquam in vltimum finem, peccatũ autẽ veniale ſolum auertit à Deo, & conuertit ad creaturam ſecundum quid, ac proinde, neque infinitatẽ habet ſimpliciter in ratione offenſæ, ſed tantum ſecundum quid, eſtque prædictus actus quia à gratia procedit, & ad Deum perfectè conuertit maioris valoris, & ęſtimationis coram Deo, quam veniale peccatum in ratione offenſæ: ergo.

9 Ad primum igitur pro prima ſententia, vel nego mai. vel illa admiſſa cũ minori: nego conſequentiam: quod enim ad remiſsionem peccati venialis, minus requiratur, quã ad remiſsionem mortalis nõ verificatur in eo quod actus imperfectior ad illius, quam ad iſtius remiſsionem requiratur: ſed dumtaxat in eo quod actus charitatis ſufficiens ad venialium remiſsionem non præexigit adhiberi pro eorum recordatione diligentem inquiſitionem, quam tamen præexigunt peccata mortalia, vtpotè quæ ſunt materia neceſſaria cõfeſsionis, ſicut & ſunt neceſſario confitenda.

Ad ſecundum nego mai. Ad cuius primam probationem dicendum eſt, in ar. 3. Ad ſecundam verò dicendũ eſt martirium dumtaxat habere priuilegium baptiſmi, ac proinde ſicut baptiſmus non remittit peccata adulto niſi præſuppoſita formali, vel virtuali eorum diſplicentia, ita neque Martirium purgabit hominem ab illis peccatis, ſiue venialibus, ſiue mortalibus, quorum non habet formalem, vel virtualem diſplicentiam, idque inſinuat D. Thomas in dict. ſolutione ad ſecundũ: dum dicit martirium purgari ab omni culpa veniali, & mortali, niſi actualiter volũtatem peccato inuenerit inhærentem, hoc eſt per eius formalem, ſiue virtualem complacentiam, ſiue ob defectum formalis, vel virtualis diſplicentiæ, in quo minus fideliter & nimis large priuilegium martirij extendit Caietanus, mentẽq; ſui auctoris eſt interpretatus, concedens martirio vim remittendi veniale peccatum de quo voluntas ſuſcipientis martirium haberet cõplacentiam, quam tamen baptiſmo iudicat denegandam.

Ad tertiam dicendum eſt, quod licet attritio cum ſacramento in re ſuſcepto ſufficiat quandoque ad remiſsionem venialium peccatorum, vt in dicto articulo 3. oſtendemus, ſecus vero extra ſacramentum propter ipſius actus imperfectionem.

Ad tertium reſpondetur, nullum ſequi ex illis inconuenientibus, non enim ſequitur, primum quia in his, quæ diuerſæ rationis ſunt, aut ſubordinata non ſunt, non ſequitur quod potens in maius, ſit potens in minus, aut è contra, ac proinde neque ſequitur quod ſicut quilibet actus meritorius in homine iuſto promeretur vitam æternam, debeat etiam promereri remiſsionem peccatorum venialium, quę licet cum vita ęterna compatibilia non ſint, benè tamen cum gratia huius vitæ, & iure ad vitam æternam. Sicut neque ſequitur quod ſicut quilibet actus charitatis, vel contritionis eſt ſufficiens ad remiſsionem omnium peccatorum mortalium quod eſt maius, ita ſufficiat ad remiſsionem omnium venialium, quod eſt quod minus.

Neque ſecundum, quia licet attritio ob rationem ibi adductam ſit incompoſsibilis, & pugnans cum peccato veniali actuali, non tamen cum habituali quod relinquitur ex actuali, & ideo licet habens attritionem, de aliquo peccato veniali, ſiue mortali non poſsit illud ſimul committere, poteſt tamen ſimul manere in peccato iam commiſſo, quia ob imperfectionem actus non ſufficit ad illud remouendum, vt dictum eſt.

Tertium vero, licet ſequatur, non tamen eſt inconueniens, quia nullum opus quantumuis meritorium poteſt ſatisfacere pro pœna peccati mortalis, aut venialis, niſi præſupponatur illius culpa ablata, cuius ablatio longè diuerſa eſt ab ipſa pœnæ ſolutione ſicut & ipſius malitia, atque inordinatio habitualis non in ſolo reatu, ſiue obligatione ad pœnam conſiſtit.

Ad primum pro ſecunda ſententia nego minorem quoad vtramque partem, quoad primam quidem quatenus vim expellendi culpam venialem non ſolum ad contritionem, ſed etiam ad attritionem extendit, quæ tamen de ſe ob imperfectionem actus, illam expellere non poteſt, alioquin etiam in homine exiſtẽte

in peccato mortali ſola attritio veniale peccatum remitteret, quod tamen eſt contra ſuppoſitionem aduerſus eundem Durandum, & alios factam.

Quoad ſecundam verò quia denegat huiuſmodi vim expellendi venialem culpam illi actui charitatis qui eſt adeo feruidus vt eius diſplicentia virtualis ſit, eo quod formalem diſplicentiam, ac expræſſũ dolorem eius pareret ſi memoriæ occurreret. Cum huiuſmodi enim actu feruido charitatis non eſt compatibile habituale veniale peccatum cuius ille eſt virtualis deteſtatio, ac diſplicentia, vtpote habens cum eo oppoſitionem, ſiue contrarietatem.

10 Ad ſecundum reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus, non quidem primum, quia hoc eſt diſcrimen inter venialia, ac mortalia peccata quod in his nequit fieri remiſsio vnius, quin ſimul fiat remiſsio aliorum ob vniuocam conuenientiam omnium in ratione auerſionis à Deo, & contrarietatis cũ gratia & amicitia Dei, ob quam vt quæſtione præcedenti oſtendimus, deteſtatio vnius perfecta per contritionem, vel per actum charitatis eſt formalis, vel virtualis omnium aliorum deteſtatio, ac proinde remiſio vnius, eſt ſimul & aliorum remiſio cum nullum ſit cum gratia, & amicitia diuina compatibile: at in illis ſecus cõtingit, propterea quod neque conueniunt in ratione auerſionis à Deo, aut contrarietatis cum gratia & amicitia, niſi tantum in ratione leuis offenſæ quæ amicitiam diuinam non tollit, neque minuit, neque amicitia Dei eſt incompoſsibilis cum peccato veniali, ſicut neque humana amicitia eſt incompoſsibilis, aut contraria cum leui offenſa irrogata amico, ſed potius illam permittit. Vnde poteſt contingere remiſsio mortalium, ſine remiſsione alicuius venialis, & remiſsio vnius venialis ſine remiſsione alterius, & tandem remiſſio omnium venialium ſimul obtineri poteſt.

Ratio primi eſt, quia ſtare poteſt contritio de mortalibus cum complacẽtia omnium venialium.

Ratio vero ſecundi eſt, quia poteſt haberi contritio, vel etiam dilectio Dei, talis, quod illius expræſſa & huius virtualis diſplicentia ad vnum, & non ad alterum veniale peccatum extendatur.

Denique ratio tertij eſt, quia poteſt eſſe contritio, ſeu dilectio, circa venialia talis ac tanta quod illius actualis, & iſtius virtualis diſplicentia ad omnia ſimul extendatur.

Neque ex hoc licet colligere difficilioris remiſsionis eſſe venialia, quã mortalia peccata per contritionem, aut dilectionem, ſiquidem illa, quauis contritione, aut dilectione remittuntur, ſecus vero iſta, imo ſimpliciter facilioris remiſsionis ſunt venialia propter tria.

Tum quia plura pro illis remittendis ſint remedia, nimirum ſacramenta quam pro mortalibus. Tum etiam quia ad venialium remiſsionem obtinendam non requiritur præuia diligentia, vt in memoriam reducantur, ſed ſufficit dilectio Dei includens virtualem eorum diſplicentiam, quæ tamen non ſufficit pro mortalibus ſine præuio examine.

Tum denique, quia venialia ad ſui remiſsionem non indigent ſacramento in re ſuſcepto, neque ſacramento in voto quia non ſunt materia neceſſaria confeſsionis: quod tamen requiritur pro remiſsione mortalium, vtpote quæ ſunt neceſſaria confeſsionis materia, cum quo tamen ſtat quod ſecundum quid, & quantum ad modum, ſeu feruorem actus difficilior ſit remiſsio venialium, quam mortalium extra ſacramentum, quia pro iſtorum remiſsione ſufficit quævis contritio, ſeu dilectio Dei ſuper omnia, pro illorum vero remiſsione requiritur feruida, cuius feruor in eo conſiſtat quod ſit formalis, ſeu virtualis diſplicentia, ac deteſtatio illius culpæ venialis, cuius proinde eſt remiſsiua.

Neque ſequitur ſecundum inconueniens, quia licet quilibet actus meritorius in homine iuſto mereatur gratiæ & charitatis augmentum, non tamen quilibet auget ſtatim, ſed ſolum actus intenſior charitatis, vt oſtendimus quæſt. 24. de charitate articul. 6. Et propterea non in quolibet feruet charitas quoad augmentum & intenſionem: & quamuis in quolibet actu ſic ferueret charitas, non tamen ferueret quoad diſplicentiam formalem, vel virtualem peccati venialis, ſed in illo dumtaxat qui huius diſplicentiam includit, ac proinde ſolum huiuſmodi actus veniale peccatum habituale ſuo feruore expellit, vtpote habens cum illo contrarietatem.

Digitized by Google

11 CIrca ſecundum dubium duę verſantur ſententiæ. Prima fuit quorũdam antiquorum, ſcilicet Hugonis de S. Victore, & Alenſis, quos referunt Diuus Thomas, Bonauentura, & Durandus, negantium veniale peccatum quoad culpam in alia vita deleri poſſe, eoquod exiſtimabant omne ueniale peccatum hominis iuſti decedentis in gratia debere in hac vita deleri, & dumtaxat quoad pœnam in alia vita expiandum relinqui.

Secunda ſententia affirmatiua eſt quã communiter Scholaſtici tuentur, nimirũ D. Th. q. 7. de malo art. 11. & in 4. di. 21. q. 1. art. 3. queſtiunc. 1. Scotus ibidem q. 1. Ricardus, & Bonauentura artic. 2. q. 1. Durand Palud. & Maior ibidem q 1. Soto diſt. 15, q. 2. artic. 2. Alexander 2. p. q. 107. memb. 10. & alij quos refert Vaz. in hoc art. 1. dub. 2. Belarminius tom. 2. lib. 1. de purgatorio c 14. Azor lib. 4. c. 1. q. 8. Suarez diſp. 11. ſect. 4 aſſerentes veniale peccatum nedum in hac, ſed etiam in alia vita quoad culpam de lege ordinaria deleri poſſe: vt autem explicent prædicti authores circunſtantias loci, temporis, & modi, quibus venialis culpa in alia vita deleatur, in quatuor modos dicendi diuiduntur.

Primus eſt Alexandri exiſtimantis quod peccata venialia cum quibus iuſtus decedit deleri in ipſo inſtanti ſeparationis animæ, à corpore quod eſt primum eſſe termini, & primum non eſſe viæ, & tunc deleri quidem non per aliquem actũ ipſius animæ, ſed per ſolam finalem gratiá habitualem, quæ licet tunc non ſit ſummá ſecundum intenſionẽ, eſt tamen ſumma ſecundum ſtatum cum ſit in termino ex vi cuius ſtatus reditur potentior, quam antea, ac proinde potens excludere omnem culpam venialem ab anima. Quod confirmatur dupliciter.

Primo ab ipſo Alexand. quia venialia peccata non remittuntur quoad culpam in purgatorio, ſed tantum purgantur quoad pœnam, cum illic tantum exhibeatur ab anima ſolutio æquiualentis pœnæ per ſatisfactionem: ergo ſupponuntur remiſſa quoad culpam ante ingreſſum purgatorij, & non niſi in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore.

Secundo: nam huiuſmodi remiſsio venialis culpæ non poteſt fieri ab aliquo actu ipſius animæ: ergo debet fieri à ſola gratia habituali habente ſtatum termini: tunc vltra ſed gratia habet huiuſmodi ſtatum, vbi primum anima ſeparatur à corpore: ergo in illo inſtanti ſeparationis, quod eſt primum eſſe animæ ſeparatæ à corpore, remittit venialia peccata quoad culpã. min. ſubſumpta cum ſecunda conſequentia eſt nota: & prima conſequentia patet etiam à ſufficiente diuiſione, cum non ſit alia forma per quam poſſit fieri remiſsio venialis culpæ præter actum, aut gratiam animæ iuſtæ. Antecedens autem probatur, quia actus elicit⁹ ab anima iuſta nõ poteſt aliter cauſare remiſsionem culpæ venialis niſi per modum meriti, aut ſatisfactionis, hoc enim modo dumtaxat cauſat illam in hac vita, ſed nequit habere rationem meriti, aut ſatisfactionis in alia vita, eoquod iſtæ ſunt conditiones actuũ viatoris, quę proinde repugnant conditioni ſtatus animæ iam exiſtentis extra viam: ergo.

12 Secundus modus eſt Scoti aſſerẽtis venialia peccata quoad culpam, aut remitti in alia vita, dũtaxat in purgatio per condignam pœnæ ſolutionem; aut deleri in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore propter opera bona præterita ex intentione, quaſi ad hoc reſeruata vſque ad illud tempus. cui ſententiæ vt probabili ſubſcribunt Gabriel, & Maior. Eiuſque fundamentum eſt, quia vt dubio præcedẽti vidimus Scotus duos modos auferendi veniale peccatum agnoſcit, nimirum aut per ſolam pœnæ ſolutionem, quia exiſtimat probabiliter idem eſſe remitti peccatum, quoad culpam, & quoad ſolutionem pœnæ cum ex actu præterito peccati ſola obligatio pęnę remaneat, & ſic nequit fieri remiſsio venialis culpę niſi in purgatorio, vbi exhibetur condigna ſolutio pęnæ, aut per rectificationem, ſiue ordinationem voluntatis quatenus exiſtimat, vt probabili⁹ & conformius ſanctis Patribus habituale peccatum aliquam inordinationem includere ex actuali relictam præter obligationem ad pœnam, ac proinde aliam formam exigi ad remiſsionem culpæ venialis, quã ſolutionem pœnæ: & ſic cum nullã alia forma aſsignari poſsit in alia vita ſufficiẽs & potens ad remiſsionem culpæ venialis præter opera meritoria præcedentia huius vitæ ad hunc finem à Deo reſeruata, & hęc applicentur animæ in intentione Dei in primo inſtãti ſeparationis à corpore, hinc conuincitur quod in eodem inſtanti fiat remiſsio culparum venialium.

Tertius aſſerit peccata venialia cum quibus homo iuſtus decedit remitti quoad culpam per actum contritionis, & charitatis quo voluntas animæ ſeparatæ à corpore illa condignè retractat in primo inſtanti antequam locū purgatorij ingrediatur. Sed quartus eſt D. Tho. in 4. diſt. 21. q. 1. art. 3. queſtiunc. 1. & in dicto artic. de malo, Dionyſi. Cartuſian. in eadem diſt. 4. q. 1. Palud. Durād. vterque Soto in locis præallegatis, & Vazq. in hoc ar. 1. dub. 2. quamuis non nihil à mente D. Tho. & ſequacium diſcriminari videatur dum inſinuat huiuſmodi actum remiſsiuum culparum venialium elici ab anima iuſta in primo inſtanti mortis hominis, ſiue ſeparationis animæ à corpore antequam purgatorij locum ingrediatur, in quo dumtaxat pęna relinquitur luenda, cum tamen D. Th. & ſequatium ſententia conſtans ſit in aſsinando huiuſmodi actum remiſsiuum culparum venialium in ipſo purgatorij loco vbi ſimul fit cōdigna ſolutio pęnæ. Pro cuius ſententiæ declaratione.

13 Dico primo. Peccata venialia ne dum quoad pęnam, ſed etiam quoad culpam in alia vita remittuntur. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſentētiæ in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum ſit error in fide. Et probatur primo, quia ex teſtimonijs Scripturæ, & ſanctorum Patrum colligitur aliquas leues culpas eſſe, quę in alia vita remittuntur, vt ex illo Matthæi 12 *Qui peccauerit in Spiritum ſanctum non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, neque in futuro*, quo ſignificatur aliqua peccata eſſe, quæ in futuro ſeculo dimittuntur, vt Magiſter ex ſententia ſanctorum Patrum in dicta diſt. 21. interpretatur, & ex illo Pauli 1. ad Corinth. 3. de illis, qui edificant lignum, fęnum, & ſtipulam per quæ Aug. lib. 21. de ciuit. c. 26. intelligit peccata venialia, quæ in igne purgatorij conſumentur, quibus accedunt alia duo teſtimonia, Gregorij ſcilicet in 4. Dialog. cap. 39 & eiuſdem Aug. in lib. de vera pœnitētia, aſſerentium, quaſdam eſſe leues culpas, quæ in futuro ſeculo remittuntur, & Anaſtaſ. Nizen. lib. queſt. in Scripturam to. 1. Bibl. q. 20. conſonat, dicens: *Quod ſi ſint leuia delicta, eius qui deceſſit is accipit aliquam vtilitatem ex his quæ pro ipſo peragūtur, ſi ſin antē ſint grauia Deus cum excludit*, & infra, proſunt autē preces quoq; pro pijs defunctis, nam & ſi magna crimina nō amputent, proſunt tamen propterea quod cū ſimus homines, ſæpè labāmur voluntarie, & inuoluntarie: quibus verbis denotat peccata leuia dimitti in alia vita propter ſatisfactiones & ſuffragia, quæ pro ipſis in hac vita offerūtur, nō quia talis remiſsio fiat ſine actu proprio animæ iuſti, aut ſolū ob merita viuorum, ſed quia iuſtus in hac vita meruit, quod nequit intelligi de remiſſione quoad pœnam, quia ſic omnes culpę quantumcumque graues quantum ad pœnā per ignē purgatorij expiantur: ergo.

Secundo probatur, quia ſi omnia peccata venialia, quoad culpam hominis iuſti in hac vita deberent remitti, hoc contingeret propter vnā ex tribus cauſis ab aduerſarijs aſsignatā, nimirum vel quia gratia ipſa habitualis hominis iuſti propè mortem prædominaretur radici culparū venialiū fomiti, ſcilicet & cōcupiſcētiæ, ac proinde illas extingueret, vt vult Alenſis 4. p. qu. 15. mem. 3. art. 3. aut quia neceſſario in actum contritionis, vel charitatis, tunc homo iuſtus prorumperet quo proinde fieret omniū culparum venialium remiſsio, aut tandem quia circa vltimum tēpus mortis teneretur homo iuſtus neceſsitate præcepti de venialibus actualem, vel virtualē pœnitentiam habere, alioquin tanquā cōtemptor gratiæ, & gloriæ ſuæ in æternum damnaretur, vt ſic eius peccata etiam venialia irremiſsibilia omnino fierēt, vt vult Hugo Victorinus lib. 2. de ſacramentis p. 15. c. 13. ſed nulla illarū ſuſtineri poteſt. Non prima, quia defectus virium corporaliū, qualis eſt in vltimo vitæ nec aufert, neque minuit concupiſcentiæ corruptionē quantū ad radicem, ſed ſolum quantum actum, neque tranquilat potentias animæ, vt eas gratiæ ſubijciat, quia huiuſmodi potentiarum trāquilitas, & ſubiectio eſt quādo inferiores potentiæ obediunt ſuperioribus, quæ legi Dei condelectantur, ac proinde in ſtatu illo ſaluari non poteſt, in quo exercitium vtrarumque potentiarum impeditur, niſi tranquilitas ſumatur minus propriè pro priuatione pugnæ, quæ ſic etiam in dormientibus accidit, neque tamē ideò ſomnus dicitur concupiſcentiam minuere, aut potentias animæ gratiæ ſubijcere. Neque ſecunda, quia licet gratis admittatur decedententem in gratia quando mētis, & vſus rationis eſt compos in actū cōtritionis peccatorum venialium deteſtatiuum prorumpere, poteſt tamen contingere illum ſomno, aut amentia præocupatū ē vita decedere quando nullum actū contritionis

tritionis, aut charitatis exercere poteſt, ac perconſequens neque tunc culparum venialium remiſsionem optinebit in hac vita. Neque tertia, quia peccata venialia, ſicut neque confeſsionis ſacramentalis, ita neque penitentiæ ſunt materia neceſſaria, ac proinde nulla eſt neceſsitas præcepti ad pœnitendũ de illis: neque propterea quod homo propè mortẽ habeat de illis cõplacẽtiã, aut eã nõ retractet, trãſit aliquid illorũ in peccatũ mortale, propter duo. Tũ, quia idem numero peccatũ, quod antea fuit veniale, nequit tranſire in mortale obſtante eiuſdem numero actus moralis vnitate, vt oſtendit D. Tho. in d. q. 7. de malo art. 3. Tũ etiã, quia non quælibet complacentia peccati venialis præteriti conſtituit mortale, alioquin omne veniale eſſet mortale, ſiquidem eſt voluntarium, & terminus complacentiæ: ſed talis cõplacentia conſtituit mortale, quæ ad cõtemptũ Dei peruenit, & ad fruitionem ſpectat, in qua teſte Aug. lib. 1. de doct. Chriſt. c. 3. & 4. omnis humana peruerſitas cõſiſtit dũ fruimur rebus vtendis: ergo nulla eſt ratio aſſerendi omnia venialia peccata hominis iuſti in hac vita propè mortẽ neceſſario dimitti.

14 Sed huic rationi videtur obſtare teſtimonium Greg. lib. 4. Dialog. cap. 24. aſſerentis peccata leuiora ſanctorum ipſa eorum morte quã durius patiũtur, eiuſque acerbitate voluntariè tollerata expiari, ſicut contigit illi Prophetæ miſſo contra Samariam, qui vt refertur 3. Reg. 13. à Leone in itinere fuit occiſſus, ob leue peccatũ inobedientiæ: quod quidem in ipſa morte fuit expiatum, in cuius ſignum leo de eius cadauere non comedit, igitur nullum peccatũ veniale hominis iuſti relinquitur in aliam vitã expiandum, ſiquidem quodcũque ſufficienter per mortem ipſam expurgatur.

Sed hæc obiectio non eneruat vim rationis factæ: neque enim mens Gregorij eſt in prædicto teſtimonio, quod mors ipſa ex opere operato valeat peccata venialia iuſtorum expiare, aut etiã eiuſdem mortis voluntaria tollerantia, cum hæc in actu ſecundo aliquando, imo ſæpius hominib9 iuſtis deficiat: ſed dumtaxat quod mors ipſa imminẽs aliquãdo excitet in hominib9 iuſtis, imo in peccatoribus, motum contritionis, & charitatis, quo propter Deũ ſummè dilectum de culpis, etiam leuibus ſibi diſpliceant, ac proinde medio huiuſmodi actu earum optineat remiſsionẽ, idque dicto Prophetæ cõtigiſſe, vt veroſimile Gregorius atteſtatur ab effectu, & ſigno, quia nimirum leo, qui prius peccatoris vitam necauerat poſt modum cadauer iuſti cuſtodiuit, is enim qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iuſtus ex morte.

Remiſsio venialiũ cum quibus homo decedit, nõ fit in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore.

Dico ſecundo: peccata venialia cum quibus iuſtus decedit, neque per ſolã gratiam habitualem, neque propter ſolius pœnæ ſolutionem in purgatorio, neque propter merita præcedentia, in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore quoad culpam remittuntur. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos defendẽdi ſecũdã ſentẽtiã, & probatur ſingulos impugnando. Primus enim deficit, quia gratia habitualis, quamtumuis intenſa, dum non eſt conſumata per viſionem beatam nõ eſt incompatibilis, aut pugnans cum peccatis venialibus, alioquin etiam in ſtatu huius vitæ illa ſecum non admitteret, quod tamẽ conſtat eſſe falſum: ſed gratia illa cum qua homo iuſtus decedit obnoxius culpis venialibus, in primo inſtanti ſeparationis animæ, adhuc eſt veluti in via, hoc eſt citra ſtatum beatitudinis, & gratiæ conſumatæ ergo non eſt incompatibilis cum peccatis venialibus, ac proinde neque illa remittis quoad culpam.

Deinde ſecundus modus, quoad primum dictum impugnatur ex eo quod ex peccato veniali actuali præterito non ſolum manet in homine deputatio ad pœnã, ſed etiam aliqua habitualis macula, & inordinatio habitualis, vt docet D. Tho. in hoc art. 2 licet 12. q. 89. artic. 1. neget ex pecato veniali actuali ſimpliciter maculã relinqui, ad denotandum huiuſmodi maculam venialis culpæ non conſiſtere in priuatione gratiæ non tamen negat aliquam maculam ex illo relinqui, quæ in carentia debitæ rectitudinis moralis, & habituali obliquitate, ſeu inordinatione conſiſtat ex qua fit homo dignus, quod deputetur ad pœnam temporalem: hæc enim cauſalis eſt vera, quia homo eſt dignus pœna per peccatum, ideo ad illam deputatur, & non è contra: ergo ad auferendam huiuſmodi habitualem malitiam, & inordinationem culpæ venialis aliquid amplius requiritur vltra debitæ pœnæ ſolutionem, nimirum oppoſita ordinatio voluntatis, & condigna retractatio præteriti actus.

Quod amplius confirmatur, nam alias etiam in inferno fieret remiſsio culparum

rum venialium per pœnæ ſolutionem, ſiquidem aceruitas illius pœnæ per aliquã temporis durationem tolleratæ adæquat, imò exuperat venialis offenſæ grauitatẽ, quod tamen licet iuxta ſententiam Scoti ſit admittendum, non tamen caret manifeſta falſitate: ſiquidem in damnatis tota dignitas pœnæ, ſiue malitia culpæ venialis perſeuerat in æternum ſicut, & malitia culpæ mortalis, eo quod nunquam retractatur eorum voluntas à culpis tam mortalibus, quam venialibus, cum quibus deceſſerũt ac per conſequens etiam in æternum cauſa pœnæ, & propterea nunquam eius ſolutio finitur, ſed perpetuo durat venialis culpæ pœnitio concomitanter ad peccati mortalis punitionem: ergo.

Deinde quoad ſecundum dictum deficit, quia opera meritoria præcedentia huius vitæ, vel fuerunt ſufficientia ad remiſſionem culparum venialium, vt actus contritionis, ſeu dilectionis earum deteſtatiui, vel non, ſicut dictum eſt de operibus aliarum virtutum. Si primum à principio in hac vita cauſarent huiuſmodi venialiũ remiſsionem, & ſic nihil culpæ relinqueretur in alia vita remitendum. Si ſecundum, ſicut in hac vita huiuſmodi opera ſunt inſufficientia ad remiſsionem venialium, ita & in alia eadem inſufficientia gaudebunt, eo vel maxime quando ſunt tranſacta, & præterita ac proinde minoris efficatiæ, quibus abſque fundamento, & merè voluntariè talis efficatia, tunc tribuitur, quę eis in hac vita denegatur, ac proinde qua facilitate hæc poſitio ab Scoto dicitur, eadem à nobis negatur.

Conuenientiꝰ fit in purgatorio per actum contritionis, vel charitatis.

15 Dico tertio: non eſt neceſſe quod remiſsio culparum venialium in alia vita fiat in primo inſtanti ſeparationis animæ, ante ingreſſum in purgatorium, ſed potius conuenientius eſt illam fieri in ipſo purgatorio per actum contritionis, & charitatis ibi elicitum, & includentem eorum diſplicentiam. Hæc cõcluſio aduerſus authorem ſtatuitur tertij modi dicendi, & pro authoribus quarti: eiuſque prima pars probatur primo argumẽto ad hominem, nã ipſe Vazquius admittit 1. p. diſp. 195. c. 9. & 196. c. 4. motũ Angeli, & proinde etiã animæ ſeparatæ poſſe fieri in inſtanti, & conſequenter tenetur admittere, quod anima toto tempore antecedenti ad inſtans ſeparationis, exiſtens in corpore in illo medio inſtanti, quod eſt primũ eſſe illius extra corpus, poteſt adquirere locum nouũ, ac per conſequens poteſt eſſe in purgatorio: & quãuis nequeat localiter moueri in inſtanti, vt dicit D. Tho. 1. p. q. 53. art. 3. bene tamen poteſt locum adquirere in inſtanti, hoc eſt quando tempore antecedente aliquo, fuit in aliqua parte vniuerſi præſens, poteſt in vltimo inſtanti, illius tẽporis alicui loco applicari, quo pacto anima Chriſti Domini ſecundũ eiuſdem ſentẽtiã in primo inſtanti ſeparationis à corpore potuit eſſe in limbo Patrum præſentialiter, & ita de facto contigiſſe docet Caietanus ſupra q. 52. art. 2. circa finẽ: ergo quãuis anima obtineat remiſsionem culparum venialium per actum contritionis, & charitatis exercitum in primo inſtanti ſeparationis, non ſequitur id contingere debere extra purgatorium: ſiquidem in illo medio inſtanti, ſecundum prædicti authoris ſentẽtiam poteſt anima adquirere nouum locũ, & ingredi in purgatorium: eo vel maximè quod teſte D. Tho. in dicta diſt. 21. q. 1. ar. 1. queſtiunc. 2. aliquando ſecundũ diuinam diſpenſationem in qualicumque huius mũdi parte locus purgatorij aliquibus animabus aſsignatur, ac proinde poſſet alicui animæ ſecundũ diuinam diſpenſationẽ aſsignari locus purgatorij iuxta proprium corpus, a quo fuit ſeparata, in quo proinde poſſet poni in primo inſtanti ſuæ ſeparationis, ſine motu, per ſolã inſtantaneã mutationem: ergo.

Secundo probatur, & cõfirmatur amplius hæc ratio, nam anima iuſti in primo inſtanti, quo à corpore recedit ſubit iudicium deputationis ad pœnam ſuſtinendam pro ſuis peccatis, quod cum nõ fiat ſine illorum diſcuſsione, neceſſe eſt, illa pro tũc recogitare: ſed habita recogitatione culparum non eſt rationabilis cauſa, ob quã nõ debeat ſtatim in illarum deteſtationẽ prorumpere, media qua remiſsionem earũ obtineat: ergo. Minor eſt nota: & maior colligitur ex illo ad Hebr. 9. *Statutũ eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc iuditium*, id eſt immediate poſt hoc: & ex Concilio Florẽtino ſeſs. vlt. in decreto vnionis diffiniente animas morientium ſtatim euolare ad cœlum, vel ad infernum deſcendere, vt debitum præmium, ſiue penam recipiant, & ex Anaſtaſio vbi ſupra q. 19. ſub his verbis: *Credo ijs, quæ dicunt ſapientes, quod omnis anima bona & religioſa poſtquam liberata fuerit à corpore, ſtatim verſans in ſenſu, & contemplatione boni; libenter pergit ad ſuum Dominum, &c.* Et id ipſum docet D. Tho. ſup q. 52. art. 5.

art. 5. ad primũ, in quibus teſtimonijs per ly *ſtatim*, aut ſignificatur primum inſtans ſeparationis, aut ſaltem ſecundum: & fortè conuenientius, & magis rationi conſentaneum ſit animam ſeparatam in primo inſtãti ſeparationis alijs actibus præocupari, nimirum recognitionis proprij ſtatus, diuini iudicij ſubeundi, & receptionis ſpecierum à Deo infuſarum, vt ad modum Angelici intellectus fiat eius intellectus cognoſcitiuus: ita vt ſic præocupata in illo inſtanti, aut non poſsit, aut ſaltim non debeat actum contritionis, ſiue charitatis peccatorum venialium deteſtatiuum exercere: igitur dicendum eſt, quod poſt illud primum inſtans elicit huiuſmodi actum in purgatorio, vbi ex vi ipſius, & cruciatus pœnarũ debitarum, obtinet culparum venialium remiſsionem.

Quæ eſt ſecunda pars cõcluſionis, & à ſufficiente diuiſione, aliorumque modorum impugnatione relinquitur probata. Ampliuſque confirmatur ex eo quod huiuſmodi remiſsio culparum venialium in purgatorio non poteſt fieri niſi vno ex tribus modis: videlicet, aut per ipſam pœnæ ſolutionem, aut per eiuſdem pœnæ voluntariam acceptationẽ, aut per motum pœnitentiæ & charitatis: ſed non fit primo modo, quia culpa non tollitur ſolius pœnæ ſolutione, vt oſtenſum eſt: neque ſecundo, quia acceptatio pœnæ cum non ſit amor amicitiæ, ſed potius timoris ſeruilis, teſtè Diuo Thoma in dicto articulo de malo ad nonum, non eſt condigna culpæ retractatio, aut deteſtatio: ergo tollitur tertio modo.

16 Ad primum igitur pro primo modo dicendi reſpondetur venialia peccata, quoad culpam non remitti in purgatorio ex vi ignis purgantis, aut pœnæ tolleratę, ſed ex vi actus contritionis, ſiue charitatis habentis cum illis contrarietatem & repugnantiam.

Ad ſecundum reſpondetur. Primo cum D. Tho. in dicto art. 3. diſt. 21. ad 4. quod licet poſt hanc vitam non poſsit eſſe meritum reſpectu premij eſſentialis, bene tamen reſpectu alicuius premij accidentalis quamdiu manet anima aliquo modo in via ad beatitudinem, vt manet quandiu eſt in purgatorio, in quo proinde poteſt eſſe meritum remiſsionis culpæ venialis, quæ eſt premium quodã accidentale: iuxta quã ſolutionem negandũ eſt antecedens: ad cuius probationem neganda eſt minor.

Secundo reſpondetur cum eodem D. Tho, ar. 11. de malo negando ſimiliter antecedens: ad cuius probationẽ negãda eſt maior, quia licet actus contritionis, vel dilectionis in hac vita, quæ eſt ſtatus merendi & ſatisfaciendi remittat venialem culpã per modũ meriti & ſatisfactionis, tamẽ in alia vita nõ ſeruat iſtũ modum propter defectũ prædictæ conditionis, ſed ſubinduit aliũ modum illi ſtatui proportionatũ, nimirũ condignæ retractationis, & diſplicentiæ auferentis culpæ venialis impedimentũ, & ſic ibi tollit culpam venialem per modũ remouentis prohibens. Vnde colligo inſufficiẽtes eſſe duas ſolutiones, quas ad hoc argumentũ adhibent authores ſecundæ ſententiæ.

Primã quidem Vazquij dicẽtis actũ contritionis eſſe ipſam formalem remiſsionem culpæ venialis: alteram vero aliorum dicentium actum contritionis præſtare remiſsionẽ culpæ venialis non per modum meriti, aut ſatisfactionis, ſed phiſicè ex natura rei propter phiſicam cõtrarietatẽ, quã ſemper & ſecundũ ſe habet cũ illa. Ex quibus ſolutionib⁹ prima deficit propter duo. Tũ, quia ſupponit huiuſmodi actum cõtritionis ac dilectionis eſſe formã ſanctificantẽ, nedũ à venialibus, ſed etiam à mortalibus peccatis: cuius oppoſitum oſtendim⁹ 1. 2. q. 113. art. 2. Tum etiã, quia remiſsio peccati tã venialis quã mortalis conſiſtit in non imputatione illius facta ex gratia Dei, vt probat D. Th. in hoc art. 5. ex Paulo ad Rom. 4. qui ex illo Pſal. 31. *Beatus vir cui non imputauit Dñs peccatum*, oſtẽdit remiſsionem peccatorũ fieri ex huiuſmodi gratuita non imputatione.

Secunda vero ſolutio deficit, propterea quod pœnitentia eodẽ modo operatur ad deſtructionem peccatorum tàm mortaliũ, quàm venialiũ: ſed ad illorum deſtructionem concurrit effectiuè moraliter dũtaxat, vt oſtendimus q. præcedente 85. ar. 2. ergo & ad horũ deſtructionẽ concurrit tantũ effectiuẽ moraliter. Tũ etiam, quia licet contritio quatenus diſplicẽtia eſt, habeat contrarietatem ex natura rei cum peccato veniali actuali, quod in actuali cõplacentia de eodem obiecto cõſiſtit, cum quo proinde compati nõ poteſt: ſecus vero cũ peccato veniali habituali, quod tranſacto actu (excepto habitu genito ex frequentatione actuũ) nihil phiſicũ reale includit, niſi ſolam habitualẽ obliquitatẽ, quæ moralis quædam denominatio eſt cum reſpectu

ctu rationũ ad actũ præteritũ, & ratio eſt offenſæ diuinæ, quæ in omnibus peccatis moralis eſt, ac proinde incapax terminandi phiſicam efficientiam: ergo cum contritio operetur ad deſtructionem peccati venialis & mortalis, quæ moralis omnino eſt, non phiſicè, ſed tantum moraliter effectiuè eius deſtructionẽ operatur: in hac quidem vita per modum meriti, & ſatisfactionis: in alia vero, aut etiam per modũ ſatisfactionis, aut per modũ impetrationis remouentis impedimentum prohibens, intuitu cuius vt condignæ retractationis, diuina voluntas mouetur ad culpę venialis relaxationem..

Ad fundamenta pro ſecundo & tertio modo dicendi, patet ex dictis.

16 AD Tertium dubium reſpõdetur bimembri concluſione, nimirũ poſſe de lege ordinaria optineri venialium remiſsionem extra ſacramẽtum ſine noua gratiæ infuſione, aut prçexiſtentis augmẽto, regulariter tamen quoties fit noua gratiæ infuſio in adulto extra ſacramentũ & peccatorum mortalium remiſsio, optinetur etiam & remiſsio venialiũ. Hæc cõcluſio eſt expreſſa D. Tho. in hoc art. 2. & Caietani ibidem, à Theologisque communiter recepta, quos referunt & ſequuntur Soto vbi ſupra, Nuño in hoc art. dub. 3. & Azorius to. 1. lib. 4. c. 10. q. 7. & 8.

Eiuſque prima pars probatur, quia poteſt homo iuſtus optinere remiſsionẽ peccatorũ venialiũ per aliquem actum cõtritionis, vel charitatis minus intenſum: ſed tunc neque de nobo infunditur noua gratia, aut charitas, ſed potius ſupponitur iam infuſa, alioquin neque fieret venialiũ remiſsio, neque prçexiſtẽs gratia, aut charitas augetur, quia hæc non augetur ſtatim niſi ſolis actibus intenſioribus, vt oſtendimũs. q. 24. de charitate ar. 6. ergo & venialium remiſsio fieri poteſt ſine noua gratiæ infuſione, atque ſine præexiſtentis incremẽto. Deinde ſecunda pars probatur, nã quoties adultus extra ſacramentum optinet primam iuſtitiam, & remiſsionem lethalium peccatorum, diſponitur regulariter per actum penitentiæ, nimirũ contritionẽ qua ob amorem Dei dolet ſe peccaſſe, & proponit numquam amplius peccare, ac Deo pro peccatis ſatisfacere, vt eius amicitiã ſibi conciliet: ſed hic actus non ſolũ mortalium, ſed etiam venialium eſt deteſtatio, aut diſplicentia formalis, vel ſaltim virtualis: ergo omnium optinet remiſsionẽ. Mai. patet experientia, qua compertũ eſt, eum qui per motum pœnitentiæ conuertitur in Deum raro, vel nũquam præciſe de peccatis mortalib⁹ dolere, & potius de omnibus peccatis in communi habere dolorẽ & diſplicẽtiam. Min. vero probatur, quia affectus doloris, & deteſtationis, quo voluntas fertur in aliquam rationem communem explicitè, ſaltem implicitè, & virtualiter fertur in omnia ſingularia, ſub illa ratione communi contenta: ergo ſi voluntas peccatoris illo affectu contritionis explicitè cõmunem rationem offenſæ, vel peccati contra Deum deteſtatur, conuenienter implicitè, ſeu virtualiter omnia peccata tam lethalia, quã venialia ſub illa ratione cõmuni cõtenta deteſtatur, ac proinde hac deteſtatione omnem peccandi volũtatẽ remouet, & retractat, vtpotè ipſi contrariam, in qua retractatione conſiſtit venialium remiſsio: ergo.

17 Neque obſtat veritati noſtrę cõcluſionis, quod ad primam gratiæ infuſionem ſufficit cum ſacramento attritio de ſolis mortalibus, & extra ſacramentum contritio, quæ mortalia peccata dumtaxat deteſtetur, cum qua poteſt manere affectus, & cõplacentia de veniali comiſſo, imò & deſideriũ aliquod veniale peccatum cõmittendi, cuius proinde remiſsio pro tunc non poſsit optineri, optenta remiſsione mortalium. Non inquam obſtat, quia licet verum ſit adultum poſſe tàm in ſacrameuto, quàm extra illud diſponi ad gratiã iuſtificantem optinendã per huiuſmodi contritionis, ſeu attritionis actũ, qui ſolum mortalium ſit deteſtatio, & cũ affectu, ac complacentia de venialibus cõpatiatur: tamen aut ſententia D. Thom. non loquitur de illo, qui diſponitur ad gratiã iuſtificantem cũ deſiderio, & cõplacentia de peccato veniali, ſed de eo qui cum in gratiã reſtituitur explicitè, vel implicitè omnem culpã deteſtatur, & omnem voluntatẽ peccandi abſolutè deponit: aut intelligenda eſt de regulari modo quo ſolent adulti conuerti in Deũ, & diſponi ad iuſtificationẽ, quia iſte regularis modus eſt per motum pœnitentiæ, quo volũtas cõmunẽ rationẽ offenſæ, & peccati cõtra Deũ deteſtatur, & tũc omniũ tã mortaliũ, quã veniaIiũ optinet remiſsionẽ, cui vniuerſali propoſitioni regulariter intellectæ nõ officit vnius, vel alterius ſingularis exceptio.

ART.

Digitized by Google

ART. III.

Vtrum venialia peccata remittantur per aſperſionem aquæ benedictæ, & huiuſmodi?

PRima concluſio peccata venialia remittuntur per omnia ſacramenta, in quibus gratia infunditur.

Secunda concluſio; ſacramentalia operantur ad peccatorum venialium remiſsionem, quatenus in eorum vſu excitatur, vel expreſſa ipſorum deteſtatio, vel affectus reuerentiæ erga Deum, & res diuinas, qui eſt virtualis eorum deteſtatio.

ART. IIII.

Vtrum veniale peccatum poſſit remitti ſine mortali?

CONCLVSIO eſt, veniale peccatum quando eſt coniunctum cum mortali, non poteſt ſine illo remitti.

18 Circa has cõcluſiones tria à Theologis examinari ſolent.

Primum eſt. An & quo pacto per omnia ſacramenta non ponentibus obicem gratiæ fiat venialium remiſsio?

Secundum eſt. An & quã ratione, fiat per ſacramentalia remiſsio peccatorum venialium?

Tertium eſt. An & ob quam rationem veniale cõiunctũ cũ mortali, nequeat ſine illo remitti?

Ad quæ proinde à nobis ſuo ordine eſt reſpondendum.

AD primum omiſsis varijs modis dicendi relatis ab Azorio vbi ſuprà cap. 11. quæſtione prima, ſecunda, & tertia, Soto in quarto diſtinctione 15. quæſtione ſecundà articulo tertio, Suarez diſtinctione 12. ſectione prima; Vázquez in hoc articulo tertio dubio ſecundo, & Nuño dubio ſecundo, reſpondetur hac bimembri concluſione. Per omnia ſacramenta nouæ legis ex opere operato remittuntur omnes culpæ veniales ſuppoſita debita diſpoſitione ad earum remiſsionem obtinendam ex parte ſuſcipientis, ſcilicet contritione, aut ſaltem attritione de illis. *Satisfit primo dubio bimẽbri cõcluſione.*

Prima

Prima pars concluſionis ſtatuitur aduerſus Alenſem quarta parte quæſtione 69. membro tertio articulo quarto, Ricardum, & alios exiſtimantes, venialia peccata, quoad culpã dũtaxat per duo ſacramenta, ſcilicet Baptiſmum, & pœnitentiam remitti, eo quod ſola ad venialium remiſsionem ſint à Chriſto inſtituta. Sed nihilominus hæc pars eſt Diui Thomæ in hoc articulo 3. vbi vniuerſaliter & ſine reſtrictione dicit per ſacramẽta veniales culpas dimitti, conuenienterque recipitur à cæteris Theologis, in eo gradu certitudinis, vt abſque errore, aut errandi in fide periculo negari non poſsit. Et probatur, nã ille effectus ex opere operato, fit per aliquod ſacramentum, quod eſt intentus, & ſignificatus per illius formam, cùm ſacramenta nouę legis efficiant ex opere operato, vt diuinæ virtutis inſtrumenta, id quod ex Chriſti ordinatione ſignificant. Sed remiſsio venialium etiã eſt intẽta, & ſignificata per formas quorumlibet ſacramentorum: ergo ex opere operato cauſatur ab illis. Minor patet inductione per ſingula diſcurrendo, nam per formam baptiſmi ſignificatur plena ablutio, ſeu remiſſio omnium culparũ etiam venialium, vt habetur in Concilio Florentino in decreto vnionis Græcorum, & Armenorum. Similiter remiſsio venialium fit per ſacramentum pœnitentiæ, cuius formæ ſupponi etiam tanquam materiam ſufficientem peccata venialia determinat Conciliũ Tridentinũ ſeſsione 14 cap. 5. De Euchariſtia vero docet Diuus Thomas, & Extrema vnctione in hoc articulo tertio, & idẽ in dicto articulo de malo in ſolutione ad 14. hoc ipſum de omnibus ſacramentis generaliter affirmat dicens: quod licet nullum ſacramentum nouæ legis ſit cõtra peccata venialia principaliter inſtitutum, eo quod omnia inſtituta ſunt ad gratiam conferendam, eiuſque ſpeciales effectus, & ad remiſsionem venialium non requiritur nouæ gratiæ infuſio, vt dictũ eſt, nihilominꝰ per illa peccata venialia remittuntur: ergo.

19 Deinde ſecunda pars ſtatuitur aduerſus Azorium, Suarez, & Vazquium in locis præallegatis aſſerentes huiuſmodi ſacramenta cauſare remiſsionem venialium peccatorum, ſine eorum formali, vel virtuali pœnitẽtia, ſiue deteſtatione cum ſola diſpoſitione ad ſuſceptionem gratiæ ſacramentalis, & intentione vtendi tali ſacramento, vt remedio ad peccata venialia tollenda: & contra Sotũ, & Nuño aſſerentes remitti peccata venialia, deficiente tamen eorum complacentia per ſacramenta ex opere operato, ex vi ipſius gratię ſacramentalis, aut omnia, aut ſaltem illa quæ magis opponuntur cum talis gratiæ effectu, vt per cõfirmationem illa, quæ ſunt contra fortitudinem, per Euchariſtiã illa quæ ſunt contra charitatem, & ſic de alijs.

Sed nihilominus hæc pars probatur dupliciter. Tum, quia eſt expreſſa Diui Thomæ articulo primo præcedenti, vbi aſſerit peccatum veniale non remitti ſine formali, vel virtuali illius pœnitentia, hoc eſt ſine formali diſplicentia incluſa in actu contritionis, vel ſine eius virtuali diſplicentia incluſa in actu charitatis, vt ibidem explicuimus: ſed ſola attritio de mortalibus verbi gratia cum intentione vtendi ſacramento tanquam remedio ad venialium remiſsionem optinendam, neque eſt formalis, neque virtualis venialium diſplicentia, ſiue deteſtatio: ergo non eſt ſufficiens ad eorum remiſsionem optinendam in ſacramento. Tum etiam, quia huiuſmodi attritio de ſolis mortalibus, vel intentio ſuſcipiendi ſacramentum ad remiſsionem venialium optinendam, etiam vt coniuncta cum gratia ſacramentali, ex vi ſacramẽti cauſata non habet oppoſitionẽ cũ peccato veniali habituali: ergo non ſufficit ad illud remittendum: conſequentia patet, quia ex dictis conſtat peccatum veniale non remitti niſi per formam oppoſitam, cõdignè primam voluntatem retractantem. Antecedens autem probatur, nam prædicta attritio, ſiue intentio, neque habet oppoſitionem cum peccato veniali per ſe, alioquin ſemper, & vbicumque, ac proinde etiã ſine ſacramento, & eius effectu opponeretur illi, & cauſaret eius remiſsionẽ quod nõ admittũt aduerſarij: neq; habet oppoſitionẽ cum illo, vt coniuncta cũ gratia ſacramentali, quia gratia, & effectus cuiuslibet ſacramenti non habent per ſe oppoſitionem cum peccato veniali, ſiquidem poteſt compati cum illo, & retenta gratia recepta per quodcumque ſacramentum poteſt quis de nouo in peccata venialia incidere. ſed forma, quæ de ſe non habet oppoſitionem, nequit illam alteri communicare: ergo.

Huic

Digitized by Google

Huic argumento tripliciter reſpondent aduerſarij. Primo reſpõdet Suar. remiſsionem peccati venialis non fieri ratione oppoſitionis gratiæ, vel attritionis cũ peccato veniali ex natura rei, ſed tãtũ moraliter ex ordinatione diuina diſponente in receptione ſacramenti cum tali intentione, & diſpoſitione fieri venialium remiſsionem.

Secundo reſpondet Vazq. vbi ſupra, & 12. diſp. 207. c. 4. quod remiſsio peccati venialis non fit ratione gratiæ ſacramentalis, aut prædictæ diſpoſitionis abſolutè loquendo, ſed quatenus per illam gratiam ſimul cum iuſtificatione fit rexiliatio corã Deo, quæ ſufficit ad omnia peccata etiam venialia remittenda.

Tertio reſpondet Nuño huiuſmodi remiſsionem venialium fieri ex vi gratiæ ſacramentalis ſuppoſita illa diſpoſitione ratione oppoſitionis ſpecialis licet imperfectæ, quam habet cum illis.

20 Sed omnes iſtæ ſolutiones ſunt inſufficientes. Prima quidem, quia peccatũ veniale non remititur, niſi voluntas quæ per ipſum fuit de ordinata, conuertatur, & ordinetur in Deum, vt dictum eſt, ſed hæc ordinatio, vel conuerſio includit formalẽ, vel virtualem eius diſplicentiam, ſine qua prior voluntas inordinata condigne retractari non poteſt: ergo neque ſine illa remiti poteſt de lege ordinaria veniale peccatum: neque de illa diuinæ voluntatis ordinatione diſponente remiti veniale peccatum ſine forma oppoſita nobis ex reuelatione, aut Sanctorum Patrum teſtimonijs conſtat, ac proinde qua facilitate à ſuo authore adſtruitur, eadem à nobis reijcitur.

Secunda vero, quia multoties homo per ipſam realem ſuſceptionem ſacramenti non accipit primam gratiam, ſed augmentum præexiſtentis: ergo tunc ex vi ſacramenti non recipit formam aliquam, quæ ſit incompoſsibilis cum peccatis venialibus, & cõſequenter, nequè formam quę ſit illorũ remiſsiua. Tum etiam, quia admiſſo quod per realẽ ſuſceptionẽ ſacramenti recipiat primã gratiã, & recõciliationẽ cũ Deo, adhuc neque hæc eſt forma ſufficiens ad remiſsionẽ venialiũ ſine eorũ formali, vel virtuali diſplicentia, eo quod non habet pugnã aut oppoſitionem cũ illis ſiquidem perſeuerans homo ſic iuſtificatus in huiuſmodi gratia, & reconciliatione cum Deo poteſt labi de nouo in peccata venialia: ergo.

Tertia denique deficit, quia gratia ſacramẽtalis cũ nullis peccatis venialib⁹ habet ſecluſa eorũ formali, vel virtuali diſplicẽtia ſufficientem oppoſitionem ad eorũ expulſionẽ ſiquidẽ in ipſa perſeuerans homo iuſtus poteſt venialiter peccare, vt dictum eſt: & quamuis aliquæ gratiæ ſacramentales, iuxta earũ proprietates, ac differẽtias diſponant ac inclinent animam ſpecialiter contra aliqua peccata venialia potius quã contra alia vt gratia Euchariſtiæ ad feruorem charitatis ad euitanda venialia illi cõtraria, & gratia confirmationis ad roborãdum animum in confeſsione fidei, & vitanda, tam mortalia, quam venialia huic cõfeſſioni contraria diſponit, atquè inclinat: nihilominus nõ habet cum huiuſmodi venialibus perfectã oppoſitionẽ, quæ ſufficiens ſit ad omnia illa remitenda, aut omnino vitãda alioquim homo huiuſmodi gratia affectus omnia venialia in tali materia de lege ordinaria vitare poſſet, quod eſt contra cõmunem Theologorum ſententiam, quę huiuſmodi perfectionem non niſi ex priuilegio aliquibus perfectioribus ſanctis affirmat conuenire: igitur.

21 His ſolutionibus omiſsis, & reiectis dicendũ eſt, quod in ſuſceptione reali ſacramenti peccata venialia ſuſcipientis remitũtur nõ ex vi ſolius gratiæ ſacramentalis, neque ex vi diſpoſitionis ſufficiẽtis, & requiſitæ ad huiuſmodi gratiæ receptionem, ſed ex vi attritionis, quæ nõ ſolũ ſit mortaliũ peccatorũ, ſed etiã venialiũ diſplicentia, ac deteſtatio, vt coiũctæ cũ ipſa gratia ſacramẽtali, & eleuatę per ſacramẽtũ ad ordinẽ, & perfectionẽ talis diſpoſitionis. Pro cuius declaratione ſupponẽda eſt doctrina Cai. ſupra q. 84. art. 1. aſſerentis dolorẽ internũ pœnitentis poſſe eſſe talẽ, ac tãtũ, qui etiã ſine ſacramẽto in re ſuſcepto ſuficiat ad peccatorũ ſiue mortaliũ, ſiue etiã venialiũ remiſsionem, cuiuſmodi eſt cõtritio includens eorũ diſplicẽtiã, propter Deũ ſumme dilectũ, & poſſe eſſe talẽ, ac tam diminutũ, qui nec cũ ſacramẽto in re ſuſcepto ſufficiat ad peccatorũ remiſsionem obtinendam, cuiuſmodi eſſet attritio tam exigua, vt non excluderet peccatorũ affectum, & complacentiam: & poſſe eſſe talem, ac tantum, vt cum ſacramento in re ſuſcepto ſufficiat ad peccatorum remiſsionem cuiuſmodi eſt attritio includens peccatorum diſplicentiam, qua mediãte in ſacramento fiat homo ex attrito contritus, & quia ad hanc attritionem concurrit Deus in ſacramento pœnitentiæ, non ſolum me-

dio auxilio interiori, ſed etiam mediâte ipſo exteriori ſacramento elebat ipſam vt ſit res, & ſacramentum ſimul, vtpotè cauſata, & ſignificata per exterius ſacramentum, iuxta quem modum, ſicut in ſacramento pœnitentię eleuatur huiuſmodi attritio ad perfectionem rei, & ſacramenti ſimul, quæ illi ſecundum ſe non conueniebat, ita & in baptiſmo, atque in alijs ſacramẽtis, ex ſubordinatione ad ipſa, & ordine ad eorum effectus, ac fines eleuatur ad perfectionem talis, ac tãtæ diſpoſitionis, vt ſit ſufficiens ad remiſsionẽ illorum peccatorum venialium obtinendam, quorum eſt retractatio, ac diſplicentia. Quod ſi dicas ex hac ſolutione ſequi, nunquam per ſacramentũ pœnitentiæ, (& idem inconueniens pariformiter, de alijs ſacramentis inferri poteſt) remiti venialia peccata, quod tamen eſt cõtra ſententiam D. Th. quam hùc vſque defendimus: ergo, ſequella patet, nam realis ſuſceptio ſacramenti ſupponit præuiã contritionem, vel attritionem, tanquã neceſſariam diſpoſitionẽ in ſubiecto, ſed pro illo priori huiuſmodi præuia contritio, ſiue attritio includens diſplicentiam venialium, operatur eorum remiſsionem, ſiquidẽ pro illo priori ſupponitur contritio conſumata, quæ eſt de ſe forma ſufficiens indepẽdẽter à ſacramento in voto, & in re ad venialium remiſsionem, vt dictum eſt, vel ſupponitur attritio, quæ in ordine ad ſacramẽtũ in re ſuſceptum, etiam eſt ſufficiens forma ad excludenda venialia peccata quorũ eſt diſplicentia: ergo quando aduenit ſacramẽtum in re ſuſceptum, ſemper inuenit venialia peccata remiſſa ex vi huiuſmodi præuiæ contritionis, aut attritionis.

Sed huic obiectioni reſpondetur, negãdo ſequelam, quia quamuis quando diſponitur adultus ad ſacramentum in re ſuſceptum per contritionem includentem diſplicentiam venialium, ſemper inueniat illa remiſſa ex vitalis cõtritionis: ſecus vero quãdo diſpoſitio fit per attritionem, hæc enim licet in ratione diſpoſitionis præcedat realem ſuſceptionem ſacramenti, & gratiæ ſacramentalis infuſsionem, non tamen pro illo priori eſt forma ſufficiens ad venialium remiſsionẽ, quia pro tunc nõ cõſideratur, niſi cũ prędicatis eſſẽtialibus, & proprijs, quæ illi ex propia ratione cõueniunt, ſecũdũ quæ non habet oppoſitionẽ, & incõpatibilitatẽ cũ peccatis venialibus, ſicut nequè eſt eorum condigna retractatio, tàm in homine, qui eſt in gratia, quã in illo, qui eſt in peccato mortali, vt contra Durandũ oſtendimus, ſupra art. 1. dub. 1. Sed efficitur ſufficiens diſpoſitio ad remiſsionẽ venialiũ, prout ſubordinatur ſacramẽto in re ſuſcepto, & infuſioni gratiæ ſacramẽtalis ex qua ſubordinatione, & coiunctione eleuatur ad ordinem, & perfectionẽ talis, ac tãtæ diſpoſitionis, vt illa ſuppoſita ipſa ſacramentalis gratia præſtet remiſsionẽ, nedũ mortaliũ, ſed etiã illorum venialiũ quorũ illa includit diſplicẽtiã, & quia hãc perfectionẽ nõ habet antecedẽter ad realẽ ſuſceptionẽ ſacramenti, ſed potius dependenter ab illa, propterea non ſequitur quod ſacramẽtũ ſemper inueniat venialia peccata iam remiſſa, aut quod nũquã operetur eorum remiſsionem.

22. Circa ſecũdũ dubiũ omnes Theologi cõueniunt in vno, & diſcriminãtur in alio, cõueniunt quidẽ in eo, quod nouem ſunt ſacramentalia, quibus regulariter loquendo peccata venialia, quoad culpã remitũtur: vnũ orationẽ Dominicã, piã, ac Religioſam pectoris tũſionẽ, generalẽ cõfeſsionem peccatorum, largitionẽ eleemoſinæ, Pontificiã, ſeu Epiſcopalem benedictionẽ ſolemni ritu, ac ſigno Crucis populo datam, ieiuniũ religioſe ſuſceptum, Euchariſtiæ ſuſceptionem, ſacram vnctionẽ, & aquam luſtralem, ſiue benedictam, quorum numerus colligitur ex Eccleſiæ patribus, & põtificũ decretis adductis ab Azorio in dict. c. 1. lib. 4. q. 5.

Expenditur ſtatus, ſecundi dubij de modo, quo venialiũ remiſsio ſit per ſacramentalia.

Diſcriminantur autem, vt explicent modum quo hęc ſacramentalia maximè, quæ purè ſacramentalia ſunt operentur peccatorũ venialiũ remiſsionem in duas ſententias. Prima aſſerit ea cauſare venialium remiſsionem ex opere operato, ſuppoſita tamen debita diſpoſitione ex parte ſuſcipiẽtis, hoc eſt aliqua formali, vel virtuali venialiũ deteſtatione in actu ſaltẽ attritionis incluſa, ſicut de remiſsione mortaliũ per ſacramentũ cauſata dici ſolet, quã ſequuntur Vvaldenſis tom. 3. de ſacramẽtalibus tit. 4. c. 68. Cano in relectione de ſacramẽtis, part. 1. & lib. 12. de locis cap. 13. ad 9. Soto in 4. diſtinction. 15. quæſt. 2. art. 3. Nuño hic dub. 2. Enriquez in ſumm. lib. 4. cap. 15. & Azorius vbi ſupra, quæſt. 4.

Quorum fundamenta ſunt duo. Primũ eſt, quia Eccleſia per authoritatem acceptã à Chriſto Domino, poteſt inſtituere remedia ſufficiẽtia, & efficiẽtia ad remitẽda peccata venialia ex opere operato, & huiuſmodi authoritatẽ conceſſam fuiſſe de fa

cto

ꝺto in inſtitutione huiuſmodi ſacramentalium, maxime aquæ benedictæ conſtat ex decreto Alexandri primi de conſecratione diſt. 3, cap. *aqua*: ergo non eſt cur huiuſmodi ſacramentalibus virtutem ad remitenda venialia peccata ex opere operato denegemus. Mai. probatur, quia Chriſtus Dominus dedit Eccleſiæ plenam poteſtatem ad ligandum, & abſoluendum à peccatis, remiſsio autem venialium per ſacramentalia eſt quædam abſolutio à peccatis: ergo. Minor vero patet: nam in dicto decreto legimus ſic: aquã ſale cõſperſam in populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur: & infra ſubditur, ſi enim cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mũdabat, multo magis aqua ſale conſperſa populum ſanctificat, & mũdat, &c. & Eccleſia ipſa quando conſecrat aquam ſale mixtam, ſic ait, vt ſit ſumentibus ſalus mentis, & corporis, quibus ſignificatur aquam ipſam conſecratam habere virtutem ad venialium remiſsionẽ, eaque ad hunc effectum Deum, vt inſtrumento vti, ſicut in lege veteri vtebatur cinere vitulæ ad mundandum populum à peccatis, & ſicut Eliſeus vſus fuit ſale aſperſo ad aquæ ſterilitatem tollendam, quæ ſunt exẽpla Alexandri: ergo.

Secundum deſumitur ex duplici inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſentẽtia. Primũ eſt, quod improprie, imo, & falſo diceretur aquam benedictam, & alia ſacramentalia remitere venialia peccata, ſiquidem, ſi talis remiſsio fieret ex opere operantis, fieret potius in virtute actus contritionis, vel charitatis ab illis excitati, & ſic ſolus actus contritionis, aut charitatis eſſet, qui remiteret venialia peccata, ſiquidem ſolus ille ad eorum remiſsionẽ eſt ſufficiens, quod tamen prædicto Alexandri decreto, & alijs adductis ab Azorio vbi ſupra derogat: in quibus vſui ſacramentaliũ, & actibus contritionis, aut charitatis ſuſcipientis tribuitur, venialium remiſsio: ergo. Secundum eſt, quod non tantum nouem, ſed plura eſſent ſacramentalia numeranda, ſiquidem plura alia ſunt, quæ nos ad pœnitentiæ, & charitatis actus excitare poſſunt, quod tamen eſt contra Patrum, & Theologorum communem ſentẽtiã: ergo.

23 Sed his non obſtantibus, ſecunda & verior ſententia, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione aſſerit: huiuſmodi ſacramentalia non ex opere operato, ſed dumtaxat ex opere operantis, hoc eſt medio actu pœnitentiæ, vel charitatis, qui in eorum vſu excitatur cauſare venialium remiſsionem, ſupoſita gratia iuſtificante in ſucipiente, quã inſinuat D. Th. in hoc art. 3. in ſolutione ad 1. & ad 3. & in q. 7. de malo, art. vlt. & in 4. diſt. 16. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 4. & ſequuntur antiqui omnes Dur. in eod. 4. diſt. 21. q. 3. Ricard. art. 3. q. 1. Palud. in dict. diſt. 16. q. 1. art. 2. Petrus de Soto, tract. de pœnitentiæ ſacramẽto, lect. 29. Abul. 4. ſuper 4. Reg 2. q. 39. Suar. diſp. 12. ſect. 2. & Vazq. in hoc art. dub. 1. Et probatur primo: nã peccatum veniale ſecundum ordinariã legem non remititur, niſi per poſitionẽ, aut productionẽ alicuius formæ oppoſitæ, & incõpatibilis cum ipſo, ſaltem ex diuina ordinatione, ſed huiuſmodi ſacramẽtalia, nihil ex opere operato poſſunt efficere in anima, quod talem oppoſitionem, aut incõpatibilitatẽ habeat cũ veniali peccato: neque enim ex vi benedictionis, aut cõſecrationis ipſorũ recipiunt virtutem, phyſicam, aut moralẽ intrinſecam ad huiuſmodi effectum producendum, ſicut contingit in ſacramentis à quibus neque ſatis diſtinguerentur ſi talem haberent virtutem: ergo nõ eſt illis talis virtus concedenda.

Huic argumento reſpondent aduerſarij, aquam benedictam (& idẽ proportionabiliter de alijs ſacramentalibus) ex vi benedictionis Eccleſiæ eleuari à Deo tanquam inſtrumẽtum ad producendum actũ pœnitentiæ, vel charitatis, quo venialia tolluntur. Sed hæc ſolutio falſo inititur fundamento: nimirum, quod Eccleſia habeat poteſtatẽ ad cõmunicãdũ talem virtutem ſacramentalibus, quã poſsint ex opere operato cauſare actum charitatis, & pœnitentiæ; quo peccata venialia remitantur. Eccleſiæ enim benedictiones, & conſecrationes nihil reale inprimunt ipſis rebus benedictis, & conſecratis, niſi purum reſpectũ rationis, quatenus manent ad cultum, aut vſum aliquem ſacrum deputatæ: alioquim etiam poſſet Eccleſia virtutem rebus tribuere ad producendam gratiam, & peccatorum mortalium remiſsionẽ, ac proinde ſacramenta inſtituere cum eadem de vtriſque ſit ratio, quod tamen non eſt admitendum, cum hæc ſit proprium poteſtatis excellentiæ, quã Chriſtus nulli alteri cõmunicauit, teſte D. Th. ſupra q. 64. art. 4. ergo.

Secundo, nam cum ſacramentalia ex æquo ſe habeant ad omnia peccata venia-

ria, ſiquidem non magis vnum, quam alterum, quantum eſt de ſe reſpiciunt, ſi ex opere operato cauſarent eorum remiſsionem, aut omnia ſimul, aut nullum remitterent: ſicut contingit in ſacramentis, circa remiſsionem mortalium, quod ſupoſita diſpoſitione ex parte ſuſcipientis, cũcta mortalia remitunt: quod tamen non eſſe admitendum, docet D. Th. in dict. q. 4. ad 3. & art. vltimo, quæſtionis de malo ad 4. dicẽs, per vſum ſacramentalium, non omnia venialia peccata ſemper remiti, ſed vnum ſine alio, iuxta feruorem actus charitatis, ac pœnitentiæ excitati: ſi enim feruor actus ſit talis ac tantus, quod omnium ſit formalis, aut virtualis deteſtatio, omnia remitet: ſi vero ſit talis vt aliqua deteſtetur, & non alia, illorum dumtaxat operabitur remiſsionem, quorum includit deteſtationẽ, ac diſplicentiam.

Tertio probatur, quia huiuſmodi ſacramentalia in tantum operantur ad remiſsionem peccatorum venialium in quatum deſeruiunt ad excitandum prædictum actum pœnitentiæ, vel charitatis eorum deteſtatiuum: hæc enim eſt expreſſa ſententia D. Th. in locis allegatis, ſed non concurrunt ad excitandum huiuſmodi actum ex opere operato: ergo neque ex opere operato cauſant venialium remiſsionem. Min probatur dupliciter. Tum, quia ſi ex opere operato ad illum excitandum concurrerent, ſẽper & infalibiliter illũ excitarent, ad inſtar ſacramẽtorũ, quæ ſemel aplicata ſi omnia, quæ ſunt de neceſsitate ſacramenti, ſeruentur, ſemper, & infalibiliter ſuum effectum ſortiuntur, quod tamen in vſu ſacramentalium, ſæpius deficere experientia cõſtat, qua compertum eſt plures aqua benedicta aſpergi, & benedictionem Epiſcopalem recipere, non elicientes neque ſentientes talem actum pœnitentiæ, aut charitatis. Tum etiam, quia cum huiuſmodi actus vitalis ſit, ab anima vtentis ſacramentalibus vitaliter, & principaliter effectiuè, vt à principio intrinſeco debet prouenire: ſi autem ex opere operato à virtute ſacramẽtalium produceretur, ſuſcipiens tãtum paſſiuè ſe haberet ad illius ſuſceptionem, ſicut ſe habet ad effectus, quos ex opere operato ſacramenta in ſuſcipiente operantur: ergo.

24 Ad primum igitur pro prima ſententia, nego maiorem. Ad cuius probationem reſpondetur, quod licet Christus Dominus dederit Eccleſiæ plenam poteſtatẽ ad ligandum, & abſoluendum à peccatis ex opere operato medijs ſacramentis, quibus huiuſmodi virtutem inſtrumentalem communicauit; non tamen medijs ſacramẽtalibus, aut alijs remedijs quibus noluit virtutem communicare ad remiſsionem venialium cauſandam ex opere operato, ſed dumtaxat ex opere operantis, mediante propio actu vtentis per ipſa ſacramentalia ſpecialiter excitato. Neq; maior virtus in eſſe aquæ benedictę colligitur ex adducto decreto Alexandri, vt patet in exemplis cineris, vitulę, & ſalis aſperſi ab Eliſeo ad tollendam aquæ amaritudinẽ & ſterilitatem, 4. Reg. 2. quibus vtitur Alexander, ad explicandam virtutem aquæ benedictæ ad cauſandam remiſsionem venialium. Sicut enim illa non ex opere operatò prædictos effectus cauſabant, ſed dumtaxat ex opere operantis, quatenus ex diuina ordinatione, & præcibus ſacerdotis offerẽtis, ſeu Prophetæ ſale aquam aſpergentis illos effectus à Deo impetrabant, ita & vſus aquę benedictæ: tum ex præcibus, quibus conſecratur, & ad effectum mundandi à venialibus ordinatur: tum ex ipſa Eccleſiæ benedictione, & conſecratione, habet impetrare à Deo, vt animum vtentis moueat, & excitet interiùs ad eliciendum actum pœnitentiæ, ſiue charitatis medio quo remiſsionem venialium obtineat.

Ad ſecundum, reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus: non enim ſequitur primum: quia vt verè, propriè, & abſolutè dicatur aquam luſtralem, & alia ſacramentalia remitere culpas veniales ſatis eſt, quod habeant ſpecialem vim, atquè deſtinationem, ſiue deputationem ex Eccleſiæ ordinatione in ipſa eorum benedictione, ſiue conſecratione ad excitandum in vtentibus prædictum actum pœnitẽtiæ vel charitatis venialium remiſsiuum, aut ad impetrandum à Deo huiuſmodi actus impetrationem, quod explicat D. Th. ſupra q. 83. art. 3. ad 3. reddens rationem, ob quam ſacramentum Euchariſtiæ, non niſi in domo, altari, & vaſis ſacris, (Eccleſia ſic ordinante) poteſt celebrari, ſub his verbis: *Eccleſia, & altare, & alia huiuſmodi inanimata conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiua, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui, vt ſcilicet homines deuotionem quandã exinde percipiant, vt ſint paratiores ad diuina, & inde eſt quod huiuſmodi ante cõſecrationẽ emũdantur, & exorcizantur,*

vt exinde virtus inimici pellatur, & eadem ratione Eccleſiæ, quæ ſanguinis, aut ſeminis effuſione pollutæ fuerint, reconciliantur, &c. & infra: *Vnde & quidam probabiliter docent, quod per ingreſſum Eccleſiæ conſecratæ homo conſequitur remiſſionem venialium peccatorum, ſicut & per aſperſionem aquæ benedictæ, inducentes quod in Pſalmo dicitur: Benedixiſti Domine terram tuã, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ; & ideò propter virtutem, quæ ex conſecratione Eccleſiæ adquiritur conſecratio Eccleſiæ non iteratur*, & infra, *propter hoc quòd aliqui ſpiritualem virtutem adipiſcuntur per conſecrationem in eadem diſtinctione. (ſcilicet de conſecratione) ſtatutum legitur: ligna Eccleſiæ dedicata non debent ad aliud opus iungi, niſi ad aliã Eccleſiam, vel igni comburenda, &c.*

Ex quibus plane colligitur ſecundum ſententiam D. Th. ſacramentalia ex ipſa eorum benedictione, ac conſecratione, & præcibus quibus ab Eccleſiæ miniſtris benedicuntur, ſiue conſecrantur, recipere ſpiritualem quandam vim non phyſicam, aut in ipſis intrinſece receptam, ſed per extrinſecã deputationẽ, & ordinationem ab Eccleſia ad impetrandum à Deo actus pęnitentiæ, ſiue charitatis excitationem, ſicut & aliæ res conſecratæ in miniſterium ſacramenti altaris deſeruientes, ob ſimilem deputationem ac ordinationem in eorum conſecratione ab Eccleſia factam dicũtur habere vim ad excitãdum affectum reuerẽtię, ac deuotionis erga res diuinas; quę virtus media eſt inter illas, quæ competit ſacramentis ad cauſandum gratiam remiſſiuam peccatorum, & illam quæ competit alijs rebus ſacris, vt imaginibus, ad excitãdum deuotionis, aut pænitentiæ affectum: illa enim, quæ competit ſacramentis, eſt phyſica, & intrinſece in ipſis recepta, vt ea mediante, tanquam diuinæ virtutis inſtrumenta ex opere operato gratiam, ac peccatorum remiſſionẽ efficiant; quæ verò imaginibus ſacris competit à naturali ipſorum repræſentatione non differt, media qua occaſionaliter mouent videntem, hoc eſt prębent ei occaſionem, vt veniendo in cognitionem prototypi, ſimul in affectum deuotionis, aut reuerẽtiæ, circa illud excitetur, ſed virtus conueniens ſacramentalibus, in ipſorum vſu, eſt impetratiua, quatenus pręces, & orationes quibus à miniſtris Eccleſiæ benedicuntur, ſiue conſecrantur, ea intentione funduntur, vt proficiant eis, qui ſacramentalibus vtuntur ad excitandum in ipſis affectum pænitẽtiæ circa venialia vel affectum amoris, & reuerentiæ erga Deum, & res diuinas in quo virtualis venialium diſplicentia includatur, & ex tunc manent prædictæ præces, & orationes vtẽtibus aplicatæ, & in virtute illarum ſacramentalia manent deputata ad hunc finem, vt qui eiſdem vtatur moueat diuinam voluntatem per modum impetrationis, vt intuitu præcedentis benedictionis, & conſecrationis factæ à miniſtris Eccleſiæ cum ſpecialibus præcibus, & orationibus excitet animum vtentis ad vnum ex prædictis affectibus peccatorum venialium remiſſiuum. Et ob eandem rationem, neque ſequitur primum inconueniens, quia licet aliæ res ſacræ ſint, quę aliquando per accidens, & occaſionaliter excitent in animo vtentis affectum pænitẽtiæ, charitatis, aut religionis, vt de ſacris imaginibus dictum eſt, ea tamen, quæ ſpecialiter ex vi benedictionis, & conſecrationis Eccleſiæ ad huiuſmodi excitationem inſtituta, & deputata ſunt in illis nouem recenſitis continentur.

25 Ad tertium dubium duplicem caſum diſtingunt Theologi in quo quæſtio locum habere poteſt. Primus eſt, quando veniale peccatum eſt coiunctum cum mortali perſonali. Secundus eſt quando veniale eſt cõiunctum cum ſolo originali peccato, & homo obnoxius vtrique decedit: & quidẽ in primo caſu omnes Theologi diſcriminantur in tres ſententias, duas nimirum extremas, & aliam mediam. Quarum prima eſt Scoti in 4. diſt. 21. q. 1. Gabrielis, & Maioris ibidem, & Almayni tractat. 3. Moralium, c. 23. in vniuerſum aſſerentiũ, tã in hac vita, quàm in alia apud inferos de lege ordinaria veniale peccatũ remiti quoad culpam, & pœnam ſine mortali, cum quo eſt coiunctum: eo quod exiſtimant iſti authores peccatum quoad culpam ſufficienter tolli per debitæ pœnæ ſolutionem, ſiquidem in ſola deputatione, & obligatione ad pœnam talis culpa conſiſtit: venialis autem culpa non meretur pœnam æternã, ſed dumtaxat temporalem, cuius proinde ſolutionem tempore exhauriri, etiam in inferno neceſſe eſt, alioquim Deus maiorem pœnam repeteret, quàm venialis culpa de ſe mereretur, quod eius iuſtitiæ, ac miſericordię derogat.

Secunda eſt Durandi in diſt. 21. 4. ſentẽtiarũ, q. 2. aſſerẽtis, ſub diſtinctione, quod licet peccatũ veniale, neq; in iſta, neq; in alia vita poſſit dimiti, quoad culpam ſine mor-

mortali cõiunctо: benè tamẽ remiti poteſt in alia vita quoad pœnã pro qua peccator in hac vita non ſatisfecit cui tamen dimiſſum fuit veniale peccatum quoad culpam. Cuius fundamentum eſt pro prima parte, idem quod fauet tertiæ ſententiæ: pro ſecũda vero parte eſt, quia quando vel homo cum ſolo peccato mortali decedit poſt dimiſſam venialem culpam in hac vita manẽte tamen debito temporalis pęnæ, nihil peccati venialis manet in illo, quod per debitę pænæ ſolutionem tolli non poſsit, ſiquidẽ ſoli pęnæ obnoxius deceſsit, ſed hæc cum temporalis ſit exactè ſolui poteſt, & finiri in alia vita: ergo, & relaxari pęna debita peccato veniali dimiſſo quoad culpam in præſenti vita.

Tertia ſentẽtia omnino negat peccatum veniale coiũctum mortali poſſe alicubi de lege ordinaria, quo ad culpam, vel pęnam dimiti ſine illo, quam ſequuntur communiter Theologi præſertim, Albertus in 4. diſtinct. 21. art. 8. Bonau. ibid. art. 1. q. 1. Ricard. q. 3 Altiſiodorenſis lib. 2. tract. 18. c. 4. q. 3. Alexand. 4 p. q. 15, mẽbro 3. art. 3. & alij quos referunt, & ſequuntur Suarez diſp. 11. ſect. 2. Nuño in hoc artic. 4. Vazq. in eodem art. & 12. diſp. 207. & Azorius lib. 4. c. 10. q. 5. & quia eſt expræſſa D. Th. in eodem 4. diſt. 21. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 3. & 12. q. 87. art. 5. ad 2. ad 3. & in hoc art. 4.

Veniale cõiũctum cũ mortali nequit de lege ordinaria, ſine illo remiti.

16 Ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione aduerſus duas priores ſententias, & probatur pro prima parte: nã peccatum veniale quoad culpam neque in hac, nequè in alia vita remititur de lege ordinaria, ſine ſuppoſita gratia in ſubiecto, vtpotè cũ eius remiſsio ſit effectus gratiæ, ac diuinæ condonationis, & amicitiæ, ac proinde prę ſupponens gratiam iuſtificantem in ſubięcto: ſed exiſtens in peccato mortali, nequit gratiam habere, vtpotè cum illo incompatibilem: ergo nequè eſt capax remiſsionis culpæ venialis. Tum etiam, quia actus remiſsiuus venialis culpæ debet habere modum meriti, aut ſatisfactionis: aut debet eſſe condigna retractatio illius, grata Deo, quæ illi tantum placeat quantum venialis ofenſa diſplicuit, ſed opera facta ſine gratia, & charitate nullam ex his conditionibus habere poſſunt, cũ nullius valoris ſint apud Deum: ergo. Dixi de lege ordinaria: nam in ordine ad potentiam Dei abſolutam, nullus Theologorum expræſſe negat poſſe veniale coiunctum cum mortali remiti ſine illo, quia nulla apparet ratio repugnantiæ, ob quam Deus de potentia abſoluta non poſsit ſine gratia iuſtificante venialem culpam dimitere: nimirum aliquo actu, vel dono gratuito ordinis naturæ, aut ſupernaturali, non tamen ſupponente neceſſario gratiam iuſtificantem, quæ ſicut non opponitur peccato veniali ita nequè eſt cur in ordine ad potentiam Dei abſolutam ad eius remiſsionem requiratur.

Deinde pro ſecunda parte probatur concluſio, quia quamuis in caſu aducto à Durando, homo ille decedens cum peccato mortali ſolum pœnæ peccati venialis maneat obnoxius, non tamen illam poteſt ſoluere in alia vita legitimè, aut pro illa legitimè ſatisfacere, ſicut Dei lex, & iuſtitia poſtulat: hæc enim poſtulat vt debita ſatisfactio pro pœna relicta ex culpa dimiſſa fiat ex gratia Dei, & initendo meritis, ac ſatisfactioni Chriſti, alioquin nullius valoris erit apud Deum, nequè aliquid proderit ad pœnæ relaxationem, vt dictum eſt, ſed has conditiones habere nequit ſolutio talis pœnæ in alia vita ſiquidem decedens cũ peccato mortali, nequit habere gratiam iuſtificantem, quæ eſt radix omnis meriti, & legitimę ſatisfactionis apud Deum: & aliàs cũ ſit damnatus ad infernũ nequeunt ei merita Chriſti prodeſſe, aut communicari, vtpotè, quæ damnatis apud inferos Chriſtus prodeſſe noluit: ergo nequè talis damnatus poteſt temporalem pœnam culpæ veniali debitam ſoluere, aut eius debitum extinguere, cõſequentia patet, quia nullus debitor ſatisfacit, aut ſoluit debitum creditori, niſi ſecundum legis, & iuſtitiæ exigentiam ſatisfaciat.

Ex quibus patet ad fundamẽtum pro prima ſententia, quod ſupra ſatis oſtendimus falſo initi fundamento. Et ad inconueniens illatum reſpondetur nullum eſſe in hoc quod culpa venialis, quæ de ſe, & ex proprijs meritis ſolam temporalem pęnam promeretur per accidens, & propter concomitantiam peccati mortalis facti iam irremiſsibilis in alia vita pœna æterna puniatur; eo quod ſicut, & ipſa culpa venialis facta eſt irremiſsibilis ob obſtinationem, & impœnitentiam damnatorum, ita & pœna ei correſpondens in æternum duret, eiuſquè ſolutio numquam extinguatur. Ad fundamentum pro ſecunda ſententia patet ſolutio ex doctrina ſecundę partis noſtræ concluſionis.

In

27 In ſecundo vero caſu diuiduntur Theologi in alias tres ſententias. Prima aſſerit veniale peccatum cum ſolo originali reperiri, & in alia vita puniri poſſe: quam ſequuntur Durand. in 4. diſt. 21. q. 2. ad 1. Sotus diſt. 15. q. 1. art. 4 Ledeſma 4. p. 1. q. 28. art. 4. & Azorius vbiſupra q. 6. qui circa locum in quo puniendum ſit huiuſmodi veniale cum ſolo originali coiunctum diuerſimode ſentiunt, quibuſdam enim placet illud in inferno ex accidenti, & per concomitantiam perpetuo ſuplicio eſſe puniendum, quia tunc decedens perpetuo manet in illa culpa obſtinatus, ac proinde perpetuo etiam debet pœnam luere: alijs verò placet in alio loco à Deo determinando, quamuis nobis ignotum: eſſe pena æterna, quamuis leuiori puniendũ propter rationem factam, quia nimirum tale peccatum ex coiunctione ad originale poſt mortem fit irremiſibile: alijs deniquè placet, quod nunquam diuina bonitas patietur quemquã cum ſolo veniali, & originali, ſimul ex hac vita decere, cum in alio ſæculo cõſtituta ſint loca in quæ benè, vel malè mærentes recipiantur, & inter hæc hucuſquè non ſit conſtitutus, aut repoſitus locus pro huiuſmodi veniali puniẽdo.

Secunda ſententia huic affinis eſt Paludan in 4. diſt. 16. q. 1. art. 1. aſſerentis poſſe aliquem cũ ſolo veniali, & originali decedere, nihilominus tamen ex liberali Dei benignitate huiuſmodi veniale dimittendũ fore poſt exitum animæ à corpore, aut in primo inſtanti ſeparationis ipſius à corpore per aliquem actum naturalis amoris, ſiue pænitentiæ ab anima naturæ viribus elicitum.

Tertia tamen ſententia, quæ à nobis ſtatuitur pro concluſione eſt D. Tho. 12. q. 89. art. 6. & q. 5. de malo, art. 2. Alexandri, Bon. & Ricardi in locis allegatis negantium poſſe quempiam decedere cum ſolo veniali, & originali, eo quod cum primum puer peruenit ad vſum rationis tenetur ex diuino præcepto ad bonum rationis proſequendum, & conuertendum ſe in vltimum finem, quod ſi pro tunc præceptum hoc ad impleat, ſpeciali Dei auxilio iuuatur, & gratiam diuinam ſibi conciliat, qua ab originali mundatur ſi baptizatus nõ erat: ſin minus, violat huiuſmodi præceptum, & læthale peccatum committit, ac proinde numquã veniale cum ſolo originali coiunctũ inuenitur: illo tamen admiſſo dicendum eſt tunc peccatum veniale puniendum eſſe nõ quidem pæna temporali, vt exiſtimauit Nuño, hic in ſolutione ad primũ, ſed pęna in inferno, aut in alio loco ex diuina prouidentia determinando: non quia pęna æterna ſit debita per ſe peccato veniali, ſed quia illud redditur irremiſibile ex coiunctione ad originale poſt mortem, quæ ad homines comparatur, ſicut caſus ad Angelos.

QVAESTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimiſſorum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum peccata dimiſſa reddeant per ſequens peccatum?

CONCLUSIO: eſt peccata ſemel dimiſſa per penitentiam quantum ad conuerſionem, nullatenus reddeunt per ſubſequens peccatum: quantum vero ad id quod tenet ſe ex parte auerſionis non reddeunt in quantum cauſatur ex peccatis prius dimiſsis, ſed in quantũ cauſantur ex peccato ſubſequẽti, quod agrauatur ex præcedentibus peccatis iam dimiſsis: & hoc non eſt peccata dimiſſa redire ſimpliciter, ſed ſolũ ſecũdũ quid in quãtũ ſcilicet in peccato ſubſequẽti cõtinentur.

ART. II.

Vtrum peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundum odium fraternum, apoſthaſiam à fide, contemptum confeſſionis, & dolorem de pœnitentia habita?

Concluſio eſt, quamuis peccata dimiſſa reddeant quodammodo ratione ingratitudinis incluſæ in quolibet peccato mortali, eo quod omne peccatum mortale poſt pœnitentiam commiſſum habet quandam ingratitudinem, quam aliàs non haberet, quia ſicut pœnitens propter beneficium acceptum remiſſionis peccatorum debebat agere gratias Deo magis, quàm ſi tale beneficium non recepiſſet, ita per ſubſequens peccatum incurrit maiorem ingratitudinem contrariam prædictæ obligationi: nihilominus ſpecialiter reddeunt ratione ingratitudinis incluſæ in quatuor recenſitis generibus peccatorum, eo quod illa quatuor genera peccatorum in titulo articuli relata ſpecialem habent malitiam ingratitudinis, quatenus ſpecialiter beneficio remiſſionis peccatorum præcedentium opponuntur, nedum ex parte ipſius beneficij acepti, ſed etiam ex parte benefactoris, aut ex parte accipientis beneficium.

ART. III.

Vtrum per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum?

Concluſio bimembris eſt: non eſt neceſſe reatum peccati ſubſequentis eſſe tantum, quantus fuerat peccatorum præcedentium: tamen cæteris paribus, quantò peccata priùs dimiſſa fuerunt plura, & maiora, tantò eſt maior ingratitudo peccati mortalis ſubſequentis, ac proinde, & maior eius reatus.

ART. IV.

Vtrùm ingratitudo, ratione cuius ſequens peccatū facit redire peccata priùs dimiſſa, ſit ſpeciale peccatum?

Concluſio eſt etiam bimembris: ingratitudo ratione cuius dicuntur redire peccata dimiſſa, non ſemper eſt ſpeciale peccatum, ſed generalis circunſtantia aliorum pecca-

to.

ctorum, tamen ſi peccatum committitur in contēptum Dei benefactoris, & eius beneficij ingratitudo eſt ſpeciale peccatum, ſpeciali gaudens malitia.

Circa doctrinam horum articulorum, tria ſunt, quæ à Theologis in controuerſiam vocantur.

Primum dubium eſt: An peccata remiſſa redeant quantum ad id, quod tenet ſe ex parte auerſionis per ſubſequens mortale peccatum.

Secundum eſt: An ingratitudo peccantis mortaliter poſt pœnitentiam ſit grauior, quam peccatis poſt inocentiam.

Tertium eſt: An huiuſmodi ingratitudo ſit ſpeciale peccatum.

Quæ etiam à nobis ſuo ordine examinanda ſunt.

1 Circa primũ dubium duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam ſequuti fuerunt Hugo de Sancto Victore, lib. 2. de ſacramentis, part. 14. cap. 9. Guillelmus Pariſienſis in tractatu de pœnitentia, & Gratianus in decreto, diſt. 4 de pœnitencia, cap. *qui recedit*, cui fauet Magiſter in 4. diſt. 22. aſſerẽtes peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiam redire per ſubſequens peccatum mortale, quantum ad maculam, & reatum pœnæ æternæ, ita vt pro illis puniatur peccator, ac ſi non fuiſſent ei dimiſſa.

Et omiſsis varijs teſtimonijs Sanctorum Patrum à Gratiano vbiſupra adductis, qui explicantes illam parabolam, Matth. 18. de ſeruo nequam, cui dimiſſum fuerat debitum, de quo dicitur traditum eſſe tortoribus, quouſq; redderet nouiſsimũ quadrantem, inſinuant ea Chriſtum denotare voluiſſe, ita agendum eſſe cum illis, qui dimiſsis ſibi peccatis, nõ dimitunt ſuis fratribus, quod non ſolum ſunt puniendi propter peccatum ſubſequens non dimitendi ſeruis, ſed etiam propter alia peccata iam dimiſſa.

Poteſt hæc ſententia probari tripliciter. Primo, nam ablata cauſa formali aufertur eius effectus nedum primarius, ſed etiam ſecundarius, ſicut ablata quantitatē neceſſe eſt, & extenſionem in ordine ad locum auferri, vtpotè quæ eſt effectus ſecundarius quantitatis, qui ſine illa conſeruari non poteſt, ſed remiſsio peccatorum eſt effectus formalis ſecundarius gratiæ iuſtificantis: ergo ablata gratia per ſubſequens peccatum mortale neceſſe eſt, & peccatorum remiſsionem auferri. Tunc vltra, ſed idem eſt auferri remiſsionem peccatorum, atque peccata ipſa quantum ad culpam, & reatum redire, ac ſi prius dimiſſa non fuiſſent: ergo.

Si dicas huiuſmodi effectum remiſsionis peccatorum fuiſſe abſolutè & independenter à qualibet conditione preſtitum, quia abſolutè fuerunt abolita peccata coram Deo, & alias eſſe priuatiuum in ſola non imputatione peccatorum conſiſtentem, qui proinde etiam abſente forma, ſcilicet gratia poteſt ſubſiſtere. Contra hoc eſt, quia remiſsio peccatorum fit ſub conditione hac: nimirum quod redeant ſi homo poſtea iterum peccauerit: ergo appoſita conditione in eſſe neceſſe eſſet peccata antea remiſſa, iterum redire per ſubſequens peccatum. Antecedens patet, quia nulla eſt implicatio in hoc quod Deus ſub hac conditione poſsit peccatorum præteritorum facere remiſsionem, poſsibili autem poſsito in eſſe nullum ſequitur incõueniens: ergo nullum eſt inconueniens in hoc quod de facto Deus voluntate conditionata, hoc eſt dependenter à præd ctà

cond

condítione faciat præteritorum peccatorum condonationem.

Secundò, quia ex parte auerſionis habent ſe macula, ſiue carentia gratiæ, & reatus pœnæ æternæ, ſed vtrumque redit per ſubſequens peccatum: ergo. Maior ſupponitur ex dictis in quæſt. 86. præcedenti. Minor vero probatur de macula quidē, quia habet ſe in anima ad inſtar priuationis lucis in aere, vtpotè cum illa ſit priuatio gratiæ, quæ eſt lux, & nitor animæ, ſed priuatio lucis in aere redit eadem, ſaltem ſecundum ſpeciem per iteratam abſentiam eiuſdem ſolis: ergo & eadem macula, ſaltem ſecundum ſpeciem redire poteſt per ſubſequens peccatum: maximè ſi hoc ſit eiuſdem ſpeciei cum primo, ex quo prior macula fuit cauſata, vt ſi poſt primum peccatum dimiſſum, quod fuit homicidium, v.g. labatur homo in aliud homicidium. Conſequentia patet: nam poſita cauſa eiuſdem ſpeciei, & effectus eiuſdem ſpecici debet reſultare: de reatu vero probatur, quia poteſt contingere ſecundum ordinariam legem quod poſt peccatum dimiſſum quoad culpam maneat reatus pœnæ tēporalis, pro qua homo in hac vita plene non ſatisfacit, ac proinde ſit in alia vita luenda; tunc ſi labatur de nouo in peccatum mortale, & in illo decedat punietur in inferno pœna debita, nedum huic peccato non dimiſſo, ſed etiam pœna debita illi peccato, quod iam fuerat dimiſſum, ſed hæc non erit pœna temporalis: ergo erit æterna, ac proinde eadem pœna ęterna debita iam peccato dimiſſo reuiuiſcit per ſubſequens peccatum.

Tertiò, opera meritoria elicita ab homine exiſtente in gratia, ita per peccatum ſubſequens mortificantur, vt per pœnitentiam, & nouam gratiam in qua talis homo conſurgit redeant, & reuiuiſcant, vt quæſtione ſequenti oſtendemus: ergo pariformiter peccata præterita ſemel dimiſſa per pœnitentiam, & gratiam redeunt, & reuiuiſcunt per ſubſequens peccatum mortale, conſequentia patet, quia peccatum ſubſequens, nequè ex natura rei, nequè ex lege, aut ordinatione diuina eſt minus efficax ad ſucitanda peccata præterita, quàm pœnitentia ad ſucitanda præcedentia merita: ergo.

2 Sed his non obſtantibus, ſecunda & vera ſententia, negat peccata præterita iam dimiſſa, ſecundum ordinariam legem redire per ſubſequens peccatum mortale, aut poſſe reuiuiſcere ſimpliciter, & abſolutè. Quā communiter tuentur Theologi, vt Bonauentura, Durand. in 4. diſt. 22. art. 1. quæſt. 1. Scotus ibidem, Soto diſtinct. 16. quæſt. 1. art. 1. Valencia, hic diſputat. 7. quæſt. 4. puncto 1. Suarez diſp. 13. ſect. 1. & Vazq. dubio 1.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum temeritate aliqua non careat, & probatur primo ex teſtimonijs ſcripturæ, & Patrū in quibus hæc lex ordinaria Dei ſignificatur, vt Naun primo dicitur *non conſurgit duplex tribulatio*, vbi 70. legunt, *non punit bis dominus in id ipſum*: ſi autem peccata ſemel dimiſſa redirent per ſubſequens peccatum, ita vt homo tam dimiſſorum peccatorum, quam ſubſequentis nō dimiſsi pœnas lueret, bis pro eodem peccato puniretur: & Ezechielis 18. *ſi impius egerit pœnitentiam*, &c. *iniquitatum eius non recordabor*, ideſt non puniam pœna æterna pro illis debita, & ad Rom. 10. ſine pœnitentia ſunt dona Dei, ideſt non pœnitet Deum de donis ſemel comunicatis, ita vt vellit ea reſcindere, ſi autem peccata ſemel dimiſſa redirent, iam pœniteret Deū de dono remiſsionis illorum, quibus conſonat decretum Gelaſij Papæ relatum, diſtinction. 4. de pœnitentia cap. *diuina*, ſub his verbis, *diuina clementia dimiſſa peccata in vltionem vlterius redire non patitur*, & teſtimonium Auguſtini, in reſponſionibus Proſperi, ad capitula galorum relatū, etiam in eadem diſtinct. cap. *qui recedit*, ſub his verbis, *qui recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem vadit, ſed non in id, quod remiſſum eſt recedit*, &c. ergo.

Secundo probatur ratione Diui Thomæ, ad hanc formam reducta: id quod re vera deſtruitur, redire non poteſt, ſaltem ſecundum legem Dei ordinariam, quia ſemel corruptum idem numero reproduci non poteſt, vt probari ſolet ſecundo de generatione, & corruptione, cap. 10. ſed peccata mortalia, quando remituntur re vera deſtruuntur: ergo ſecundum ordinariam legem per ſubſequens peccatum redire non poſſunt. Minor probatur, quia remiſsio peccatorum, vt de facto ſecundum fidem catholicam fit in Eccleſia, non ſolum eſt non imputatio eorum ad pœnam, aut extrinſeca condonatio, ſed vera & phyſica illorum deſtructio, vtpotè quæ fit mediante gratia iuſtificante, quæ eſt forma ex na-

tura rei deſtructiua peccatorum mortaliũ, & incompatibilis cum illis, ac proinde abſolute, & independenter à quacumque cõditione, aut beneplacito extrinſeco preſtat effectũ remiſsionis, aut deſtructionis illorum, hæc enim eſt modus proprius præſtãdi effectus formales illarum formarũ, quæ ex natura rei habent præſtare ſuos effectus cum alijs formis incompoſsibiles, vt inductione in omnibus alijs formis oſtendi poteſt facile.

3 Neque oppoſitum colligitur ex dicta parabola, Matthæi 18. cui varias expoſitiones adhibent, Ianſenius in concordia ſuper illum locum, Suarez hic diſp. 13. ſect. 1. Nuño dubio 1. & Vazq. num. 24. & 1. 2. diſp. 208 cap. 7. Abulenſis ibidem quæſt. 140. & Peſantius diſp. 1.

Quarum prima eſt, quod peccata præterita iam dimiſſa dicantur redire per illud ſubſequens peccatum crudelitatis in fratrẽ comiſſæ, ratione ingratitudinis, quia illud eſt tantæ grauitatis propter circunſtantiam remiſsionis præcedentium peccatorum, vt mereatur puniri tanta pœna, quanta punirentur præcedentia ſi non fuiſſent remiſſa. Sed hanc reijcit Vazq. & merito, quia non opportet huiuſmodi ſubſequens peccatum crudelitatis eſſe tantæ grauitatis vt parificetur omnibus præcedentibus dimiſsis, ac proinde neque d bet eſſe tãti reatus pœnæ: ergo neque coram Deo promeretur tantam pœnam, quanta præcedentia peccata promerebantur. Quare ſubdit ipſe Vazq. ſecundam expoſitionem dicens dicta parabola denotari, quod propter ſubſequens peccatum punietur homo tanta pœna, quanta debebatur præcedentibus dimiſsis, non quia illud ſubſequens peccatum ſit ſemper æqualis grauitatis cum omnibus præcedentibus, ſed quia Deus iuſto iudicio permitet huiuſmodi contemptorem accepti beneficij dimiſsionis peccatorum labi in plura peccata, quorum vnum, aut omnia parificentur in grauitate cum præcedentibus dimiſsis. Sed nõ minus eſt reijcienda hæc expoſitio, quam prior vtpote gratis, & ſine fundamento dicta: voſũtarie enim dicitur Deum permiſſurum eſſe ſic peccantem labi in peccata tantæ grauitatis ſicut præcedentia fuerant cum oppoſitum nedum de poſsibili, verumetiam de facto ſæpius contingat.

Explicatur parabola de ſeruo nequam de reditu peccatorũ quo ad pœnam.

Quare verior expoſitio eſt, quam aſſignat D. Thom. in art. 3. ſequenti dicens in corpore, & ad tertium, quam aprobant Abulenſis, & Peſantius huiuſmodi reditum peccatorum dimiſſorum intelligendũ eſſe, non abſolute, & ſimpliciter, ſed ſecundum proportionem beneficij accepti, & grauitatis peccati ſubſequentis, ita vt ratione ingratitudinis incluſæ in illo redeat debitum, & reatus pœnæ, nõ ſecũdũ totũ quod debebatur præcedentibus peccatis, ſed ſecundum partem illam, quæ tali peccato ſubſequẽti reſpõdet ob circũſtãtiã ingratitudinis; & quæ tãto maior eſt proportionabiliter, quanto beneficium remiſsionis fuit maius, & hoc eò fuit maius, quò peccata dimiſſa plura, & grauiora fuerunt; abſolute tamen non creſcit grauitas peccati ſubſequentis, niſi ſecundum quantitatem oſenſæ, & contemptus beneficij accepti, vnde per *ly* vniuerſum debitum in dicta parabola (vt recte ait Peſantius) non eſt intelligẽdum debitum totius pœnæ, quæ peccatis pręcedentibus dimiſsis, correſpondebat, ſed dumtaxat debitum pœnæ vltimo peccato correſpondentis & per illud contractæ, aut ſolum denotatur, vt vult Abulenſis, quod ob peccatum odij fraterni, ratione ingratitudinis talis peccator ſit acerbiſſime puniendus, quod eſt peccata pręcedẽtia, & eorum debitum redire, non abſolute ſed ſecundum quid, & quodammodo ob ingratitudinem præcedentis beneficij.

Ocurritur argumẽtis primæ opinionis.

Ex quibus ad primum pro prima ſententia reſpondetur ſuſtinendam eſſe ſolutionem ibi aſsignatam. Ad cuius impugnationem negandum eſt antecedens, quia licet de potentia abſoluta poſsit Deus facere remiſsionem peccatorum præteritorum ſub illa conditione, de quo caſu in pręſentiarum non eſt diſputatio: tamen loquendo de remiſsione peccatorum, quæ de facto contingit in Eccleſia, nimirum mediante gratia iuſtificante, & pęnitentia, quæ ex natura rei eſt forma deſtructiua peccatorum & incompatibilis cum illis non poteſt eſſe conditionata, ſed abſoluta à dicta conditione independens: eo vel maxime, quod huic oppoſitioni, & incompatibilitati gratię cum peccatis adiungitur diuina ordinatio, qua Deus voluit peccatorum, ſemel remiſſorum in æternum obliuiſci quantum ad culpam, & reatum æternę pęnæ, ita vt nunquam pro illis ęternam pęnam debitã infligat.

4 Ad ſecundum nego minorem, quoad vtramque partem, & ad probationem primæ reſpondetur, hoc eſſe diſcrimen inter priuationem lucis in aere, & priuationem

nem lucis in aere, & priuationem gratiæ, ſiue maculam in anima, teſte D. Thom. 1 2. quæſt. 86. art. 1. quod illa eſt priuatio abſoluta ſine ordine ad cauſam: hæc verò inuoluit intrinſece ordinem ad cauſam: hoc eſt ad actum præteritum peccaminoſum à quo fuit cauſata, ac proinde illa à ſola forma, cuius eſt priuatio ſpecificatur, & ideò redire poteſt eadem formaliter: iſta vero nõ à ſola forma, cuius eſt priuatio, ſed etiã ab ordine ad actum præteritum ſpecificatur, & ideo ſicut actus præteritus reproduci non poteſt, ita nequè eadem macula formaliter, vt effectus talis act⁹ redire poteſt: benè tamen materialiter hoc eſt in alia macula conſimili ab actu peccaminoſo eiuſdem ſpeciei cauſata, quod non obſtat veritati noſtræ concluſionis.

Ad probationem ſecundæ partis, neganda eſt minor, quia in dicto caſu non punietur homo in inferno eadem pœna æterna formaliter debita priori peccato iam dimiſſo, in quantum pœna debita illi erat, ſed dũtaxat pœna debita peccato ſubſequenti nõ dimiſſo, quæ materialiter, & ſecundum ſpeciem poteſt dici eadem pœna prioris peccati iam dimiſſi.

Ad tertium nego conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quod peccata per gratiã & pœnitentiam non ſolum impediuntur, ſed reuera deſtruuntur, & ideò redire non poſſunt formaliter, & ſimpliciter, ſed tantum virtualiter, & ſecundum quid ratione ingratitudinis peccati ſubſequentis in ſenſu ſuperius explicato: opera verò meritoria per ſubſequens peccatum mortificata ex diuina miſericordia ſic ordinante non ſunt verè deſtructa, ſed tantum impedita, & propterea ablato impedimento reuiuiſcunt, & redeunt cum eodem iure, & valore, quem antea habebant.

5 AD ſecundum dubium, duæ verſantur ſententiæ. Prima aſſerit maiorem ingratitudinẽ in peccato poſt inocentiam, quam in peccato poſt pœnitẽtiã, & remiſsionem peccatorum comiſso reperiri, ita Bonauentur. in 4. diſt. 22. art. 1. q. 2. Scotus quæſt. vnica, art. 2. & Gabriel ibidem.

Quorum fundamenta ſunt tria. Primũ deſumitur ex teſtimonijs Sanctorum Patrum aſerentium maius beneficium eſſe ſimpliciter, & abſolute inocentiam, quam pœnitentiam, & remiſsionem præcedentium peccatorum: Cyprianus enim, epiſtola 3. ait primum fælicitatis genus eſſe non delinquere. Secundum vero delicta cogitare, & retractare, & Hugo de Sancto Victore, lib. 2. de ſacramentis, p. 14 c. 4. inquit ſi magnum eſt aliquando ſurgere, maius eſt certè numquã cecidiſſe, quibus conſonat Auguſt. lib. 2. confeſsionũ, c. 7. aſſerens non eſſe minoris miſericordiæ, aut gratiæ Dei reſeruare aliquem à peccatis comitendis, quam à peccatis comiſsis liberare: ex quo infert non eſſe minus diligendũ Deum propter beneficiũ præſeruationis à peccatis comitendis, hoc eſt inocentiæ, quàm propter liberationis beneficium à peccatis iam commiſsis ergo.

Secundũ eſt, quia tantò maior eſt ingratitudo, quantò poſt maius beneficium acceptum aliquis peccat, ſed maius beneficiũ eſt inocentia, quàm iuſtitia reſtituta per pœnitentiam ſiue remiſsio omnium peccatorum: ergo & maioris ingratitudinis eſt peccare poſt inocentiam, quam poſt pœnitentiam. Min. probatur dupliciter. Tum quia inocentia eminenter continet quidquid boni eſt in pœnitentia, forma autem eminenter continens aliam eſt perfectior illa: tum etiam, quia beneficium inocentiæ collatum fuit maxime gratis, & à Deo dilectis, vt Angelis. Beatæ Virgini, & Ioanni Baptiſtæ, qui propterea tenentur magis ad agendum gratias pro huiuſmodi maiori beneficio recepto: ergo.

Tertiũ eſt, quia ille per ofenſam eſt magis ingratus, qui ad maiorem gratiarum actionẽ tenetur, ſed inocens tenetur ad maiorem gratiarum actionem, quã pœnitens: ergo & peccando fit magis ingratus Deo, maior patet quia ſicut vinculo gratitudinis opponitur ingratitudo, ita & maiori vinculo oponitur maior ingratitudo. Min. autem probatur, ex teſtimonijs D. Thomæ 1. part q. 20. art. 4. ad 4. vbi ait quod licet pœnitens, & inocens ſe habeant, ſicut excedens, & exceſſum, tamen cæteris paribus inocentia dignior eſt, & magis à Deo dilecta: eatenus autem dicitur Deus plus gaudere de pœnitente, quam de inocente, iuxta illud Lucæ 15. dico vobis, quod maius gaudium erit in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper 99. iuſtis, qui non indigent pænitentia, quia plerumque pænitentes cautiores, humiliores, & feruentiores reſurgunt: & idem habet in 3. diſt. 32. q. 1. art. 5. q 2. in corp. & ad 3. concludit dicens, quod licet bene-

ficium pœnitentię ſit maius reſpectu illius qui liberatur, non tamen eſt maius ſimpliciter, & in 4. diſt. 22. q. 3. art. 2. quæſtiunla 2. ait, quod conſiderando quantitatẽ doni, ſic inocens magis tenetur; quia maius eſt quod accepit, ſed cõſiderãdo hoc quod eſt gratis dare magis tenetur pœnitẽs, quia magis elongatus erat à debito recipiendi, & ideò vterque aliquo modo plus tenetur ad gratiarum actionem, & aliquo modo æqualiter, & idem habet in hoc art. 2. ad 3. Ex quibus colligitur ſecundum mentem D. Th. inocentẽ magis ſimpliciter, aut ſaltem non minus, quàm pœnitentem teneri ad gratiarum actionem.

Præfertur ſentẽtia S. Tho. quod maior ſit ingratitudo peccantis poſt pœnitẽtiam.

Secunda ſententia aſſerit maiorem eſſe ingratitudinem ſimpliciter peccantis poſt pœnitentiam, quam peccantis poſt inocentiam; ita Ricard. in 4. diſt. 22. art. 1. q. 5. Medina Complutenſis, q. 9. de pœnitẽtia, Soto in eodem 4. diſt. 16. q. 1. art. 2. Petrꝰ de Soto, lect. 7. de pœnitentia, & Cai. 22. q. 106. art. 2. ad 1. & 6. Dur. & Peſant. in hoc art. diſp. 1. & quia hæc eſt expreſſa D. Th. art. præallegato ex 2. 2. ideò ſtatuitur à nobis pro concluſione, & probatur ratione, qua vtitur ibidem ad hanc formã reducta: quo eſt maior ingratitudo oponitur maiori gratiæ, ſiue dono in ratione gratiæ, & doni, quia ſicut gratiarum actio formaliter reſpicit gratiam dantis, ita & ingratitudo formaliter opponitur gratiæ, vt gratuitum donum eſt, ſed pœnitẽtia, & remiſſio peccatorum eſt maior gratia in ratione gratiæ, ac beneficij gratuiti formaliter, quã inocentia cæteris paribus: ergo pœnitens tenetur magis ad gratiarum actionẽ cæteris paribus, ac proinde peccatum poſt pœnitentiã magis habet de ingratitudine, quã poſt inocentiam. Minor probatur, quia in beneficio, ſeu dono gratuito duo atenduntur, ſcilicet magnitudo rei collatæ ſecundũ ſe, & modus gratuitæ collationis, & ex vtroque capite creſcit quantitas ipſius, & licet quantum ad magnitudinem rei collatæ ſecundum ſe, cæteris paribus maius ſit beneficium inocentiæ, quam pœnitentiæ, tamen quantum ad modum gratuitæ collationis maius eſt beneficium pœnitentiæ, propter duo: tum quia cõfertur indigno hoc eſt peccatori habenti debitum carendi tali beneficio. Ex qua conditione indignitatis creſcit ratio gratuiti beneficij, quò enim ſubiectum eſt minus dignum, eò beneficiũ ei magis gratis confertur. Tum etiam, quia in pœnitente gratia habet duo: nimirum reddere ſubiectum gratũ, & remittere ei peccata. Ex quibus tantum primũ habet in inocẽte: & quia ratio gratiæ, & doni gratuiti abſolute, & ſimpliciter pẽſatur ex cõditione gratuitę donationis, hinc eſt quod abſolute, & ſimpliciter cæteris paribus dicendum ſit maius donum gratiæ pœnitentia, & remiſſio peccatorum, quam inocentia, vtpote cùm habeat magis de conditione gratuitæ donationis in pænitente, quã in inocente, in cuius ſignum ille tenetur magis ad diligendum Deum, quam iſte, iuxta illud Lucæ 7. cui plus dimititur, plus diligit, id eſt magis tenetur ad diligendum ille cui plura peccata dimiſſa ſunt: ergo.

7 Ad primũ pro prima ſententia reſpondetur, quod dumtaxat cõuincit inocẽtiam eſſe maius donum, ſeu beneficiũ ſecũdum ſe, & ex parte rei collatæ, quam pœnitentia, quæ dicitur ſecũda tabula poſt naufragium, non autem in ordine ad ſubiectũ recipiens, ſiue quantum ad conditionem gratuiti.

Ad ſecundum nego minorẽ. Ad primã probationem reſpõdetur diſtinguendo maiorẽ ſub eadẽ diſtinctione: nimirum quod gratia inocentiæ, continet eminẽter gratiã pœnitentiæ, quoad quantitatem rei collatę, non autem quoad cõditionem gratuitæ collationis, factæ ſubiecto indigno, & habenti debitum carendi tali beneficio, & admiſſa minori, diſtinguẽdũ eſt conſequens ſub eadem diſtinctione, vel negandum, ſi ſimpliciter, & abſolute ſumatur.

Ad ſecũdã probationẽ dicendũ eſt in illis Sanctis perfectioris ſanctitatis, maius fuiſſe beneficiũ inocentię, quia cætera nõ ſunt paria, pluribus enim gradibus eſt maior gratia collata Beatæ Virgini, quã collata quibuſcunque pœnitẽtibus, & ideò magis tenetur ad gratiarũ actionẽm pro beneficio recepto Beata Virgo, quæ eſt ſpeculũ inocentiæ, quã Magdalena quæ exẽplũ pœnitentiæ: ſimiliter gratia collata Angelis, & collata Baptiſtæ, maior eſt incomparabiliter, quam collata aliquibus pœnitentibus, ita vt teneantur magis illi ad gratias agendum, quam iſti.

Ad tertiũ Caietan. in dict. dub. vltimo negat maiorem, quia exiſtimat inocentem cæteris paribus teneri ad maiores gratias agendũ in Deum, quã pœnitentem, nõ tamẽ magis teneri ad gratias agẽdũ, eo quod aliud eſt teneri ad maiores gratias agendum vel magis teneri. Primũ enim reſpõdet maiori beneficio recepto. Secundum vero reſ-

pon-

pondet maiori obligationi agendi gratias, quæ conſurgit non ex ſola quantitate beneficij recepti, ſed etiã ex cõditione indignitatis recipientis, & quia hæc eſt in pœnitente, & non in inocente, ideò in illo conſurgit maior obligatio ad gratias agendũ: in iſto vero cõſurgit obligatio ad maiores gratias agendum, propterea quod quantitas beneficij recepti eſt maior.

Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens: propterea quod D. Th. in dict. art. 2. q. 106. & in dict. quæſtiuncula 2. pro eodem accipit aliquem teneri ad maiores gratias agendũ, atquè magis teneri ad gratias agendum: & merito, quia obligatio gratitudinis oritur ex beneficio recepto, vnde quò hoc eſt maius reſpectu recipiẽtis, eò & obligatio gratitudinis eſt maior. qua & magis, & ad maiores gratias tenetur, vnde & pœnitens, quia maius beneficium abſolutè recepit in ſenſu explicato, ideò & magis, & ad maiores gratias agendum tenetur cæteris paribus, quam inocens. Qua propter hac ſolutione reiecta. Reſpondetur ſecundo admiſſa maiori negando minorem. Ad cuius probationem dicẽdũ eſt, quod in duobus prioribus teſtimonijs, D. Th. docet ex inocente, & pœnitente illum abſolutè magis diligi à Deo, qui habuerit maiorem gratiam intenſiuè, tamẽ cæteris paribus ſubdit gratiam inocentiæ eſſe maiorem, ac proinde inocentem magis diligi à Deo, quia per ordinem ad dilectionẽ diuinam non attenditur conditio indignitatis ſubiecti, aut modus gratuitæ collationis (hæc enim ſolum attenduntur per ordinẽ ad recipiens) ſed ſola quantitas, & magnitudo rei collatæ, & quia hæc cæteris paribus eſt maior in inocente, ideo & conſtituit eum terminum maioris dilectionis diuinæ. In tertio autẽ teſtimonio D. Th. non facit abſolutam cõparationem inter donũ pœnitentiæ, & donum inocentiæ, ſed tantum proportionalẽ, & ideò nequè determinat, quodnã illorum ſit maior ſimpliciter, & abſolutè inducens maiorem ingratitudinem in peccante, ſed aplicando ſingula ſingulis determinat illa ſe habere, ſicut excedens, & exceſſum, qua etiã cõparatione proportionali vti voluit in hoc art. 2. ad 3. quæ tamen doctrina non obſtat ei, quã docuerat in dict. q. 106 ex 2. 2. art. 2. vbi faciens inter vtrumquè donum abſolutã cõparationẽ inquit, quod licet donum inocentię cæteris paribus ſit maius dono pœnitentiæ ex quantitate rei datæ, & propter maiorẽ continuationẽ, atque præſeruationẽ à peccatis, nihilominus abſolutè, & ſimpliciter propter prædictas duas conditiones eſt maius donum pœnitentię, inducenſquè maiorem obligationem gratitudinis in recipiente.

8 AD tertiũ dubiũ duæ verſantur ſententiæ. Prima eſt Ricardi in 4. diſt. 22. q. 4. art. 1. Med. Cod. de pœnitẽtia, q. 9. & Abulenſis ſuper Matth. 28. q. 141. aſſerentium peccatum illud ratione cuius præterita peccata iam dimiſſa redire dicuntur ſemper gaudere malitia ſpeciali ingratitudinis à cæterorũ peccatorum malitijs, ſecundum ſpeciem condiſtincta, quod ſuadent tripliciter. Primo, quia ingratitudo, teſte D. Th. 2. 2. q. 107. art. 2. eſt ſpeciale peccatum, quia opponitur ſpeciali virtuti, nimirum gratitudini, ſed quodcũquè mortale peccatum poſt pœnitentiam habet malitiam ingratitudinis, vt dictum eſt: ergo, & habet ſpecialem malitiam à cæteris condiſtinctã. Neque obſtat huiuſmodi malitiam in quolibet peccato generaliter reperiri: hoc enim non tollit quo minus ſit ſpecialis, ſicut nequè ex eo quod odiũ, & inobediẽtia, generaliter in omni peccato repeříatur, tollit quo minus ſpecialia peccata cõſtituant, quoties aliquis ex Dei odio, & cõtemptu diuini præcepti illud violat: ergo. Secundo, quia ingratitudo formalis cõſtituens ſpeciale peccatum eſt illa, quæ fit cũ cõtemptu benefactoris, & beneficij, vt docet D. Th. in hoc art. 4. eo quod peccatum recipit ſpeciem ex intentione peccantis, & cum peccatum ex prædicta intentione fiat in contemptũ beneficij ſuſcepti trahitur ad ſpeciem ingratitudinis, ſed peccatum mortale quodcunque poſt pœnitentiam fit ex intentione ſaltem virtuali contemnendi Dei beneficium, quæ ſufficit ad illud cõſtituẽdũ in ſpecie ingratitudinis: ergo trahitur ad ſpeciẽ ingratitudinis gaudetquè eius ſpeciali malitia. Minor probatur tripliciter. Tũ, quia adhoc nõ requiritur formalis contemptus beneficij ſuſcepti à Deo ſed ſufficit virtualis, aut interpræ tatiuus alioquin, nequè qui ofendit hominẽ benefactorem: etiam ſine formali cõtemptu, comiteret ſpeciale peccatum ingratitudinis: quod non eſt admitendum: qui autem quouis peccato mortali offendit Deum: ſaltem virtualiter, & interpræ tatiuè vult ipſum cnotemnere ergo. Tum etiam, quia vt aliquis actus ſumat ſpeciẽ ex obiecto malo

vel

vel ex mala eius circunſtantia ſufficit tale obiectum, vel circunſtantiam virtualiter vel indirectè, eſſe volitam, vt patet in peccatis ſacrilegij, furti, vel homicidij, pro quibus non requiritur obiecta mala directè, aut expreſſe eſſe volita, ſed ſuffitit voluntariũ virtuale, ſiue indirectum: ergo vt peccatum quodlibet peccantis poſt pœnitentiam trahatur ad ſpeciem ingratitudinis, ſufficit virtualis, & indirectus contemptus beneficij remiſsionis precedentium peccatorum. Tum denique inſtante præcepto gratitudinis pro beneficio accepto ſi nõ retribuatur etiã non interueniente contẽptu formali benefactoris comititur ſpeciale peccatum ingratitudinis: ergo ſufficit virtualis, & indirectus, qui in quocũque peccato inbibitur.

Tertio argumentatur, quia præceptum gratitudinis obligat ad actum propium, & formalem, talis virtutis: & alias poteſt cõtingere quod aliquando huiuſmodi præceptum obliget ſeorſum ad actũ huius virtutis independenter ab actu alterius, & cõſequẽter poſsit tranſgredi, ſine trãſgreſsione alterius præcepti: ergo tunc omiſsio talis actus debiti erit ſpeciale peccatũ ingratitudinis ſecluſo formali contemptu benefactoris, aut beneficij, cõſequentia patet: nam data hac hypotheſi omiſsio actus gratitudinis erit peccatum ingratitudinis à cæteris condiſtinctum, & nõ erit aliorum circunſtantia, antecedens autẽ pro prima parte probatur, a paritate rationis; quia nimirum præceptum obediẽtiæ obligat ad actũ proprium, & formalẽ virtutis obedientiæ, & præceptum temperantię obligat ad actũ formalẽ virtutis tẽperantiæ, & idẽ de preceptis aliarũ virtutũ ſiquidẽ neceſſe eſt proprios illarũ actus cadere aliquãdo ſub præcepto. Pro ſecũda vero probatur, quia actus gratitudinis non habet eſſentialẽ dependentiã ab actu alterius virtutis: ergo.

Defenditur ſententia ſancti Thomæ negans huiuſmodi peccatũ eſſe ſemper ſpecialis ingratitudinis.

9 Sed his non obſtantibus ſecunda, & vera ſententia eſt D. Th. in hoc art. 4. & 2. 2. art. citato, Cai. ibid. Bonau. & Scoti in dict. diſt. 22. q. 1. quã cõmuniter ſequũtur recentiores: nimirũ quod peccatũ illud ratione cuius redeunt peccata prius dimiſſa non ſemper eſt ſpecialis ingratitudo, niſi quando fit ex contemptu formali Dei benefactoris, ſiue beneficij recepti, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur ſupponendo peccatum ingratitudinis ſpecialiter dictæ cõſumari in actu interno voluntatis, & in tantum habere ſpecialẽ deformitatẽ, in quantũ opponitur ſpeciali virtuti gratitudinis, quæ non ſolũ iubet, vt benefactori benefaciamus exterius, ſed vt ei benefaciamus ex affectu remunerandi beneficij, ſicut & peccata inobedientię, atque odij in tãtũ habent ſpecialẽ deformitatẽ, in quãtũ opponũtur obediẽtię, & charitati ſpecialibus virtutibus quæ nõ ſolũ iubent vt exterioribus ſignis pareamus imperanti, aut bonum proximo velimus, ſed ex affectu parendi, & diligẽdi, & ideò non in quacũque tranſgreſsione præcepti, aut omiſsione, ſed ſolũ in ea, quæ ex cõtẽptu præcepti, vel ex diſplicentia Dei, ſiue proximi procedit, formaliter cõſiſtũt, alioquin ratio inobedientiæ, vel odij materialis eſt, & generalis circũſtantia, in quibuſcũquè peccatis inbibita: ſed nõ minus requiritur ad formalẽ ingratitudinẽ expreſſus, ſiue formalis contemptus benefactoris, & beneficij recepti: ergo ſine huiuſmodi expræſſo, ſiue formali cõtẽptu Dei non erit formalis malitia ingratitudinis erga Deum, ſed tantum materialis, ac generalis conditio, ſiue circunſtantia omnium peccatorum.

Confirmatur hæc ratio amplius dupliciter, tum quia teſte D. Th. in dict. q. 106. art. 1. licet gratitudo erga homines ſit ſpecialis virtus hoc nomine ſignificata tamẽ erga Deũ eſt eadem cũ virtute religionis, quia ſicut religio eſt quædam ſuper excellens pietas, ita & eſt quædã ſuper excellẽs gratitudo, quæ quatenus Deo, vt ſupremo Domino impendit debitũ cultũ dicitur religio, vt vero eidem vt primo principio impendit debitum obſequiũ dicitur pietas, & tamen quatenus eidem vt benefactori exhibet debitas gratias dicitur eminens gratitudo: ſed nõ quodlibet peccatum peccãtis poſt pœnitentiã opponitur religioni, aut habet malitiam ſpecialem irreligionis, vt perſpicuum eſt, ergo neque eſt ingratitudinis erga Deũ. Tum etiã, quia alias quodlibet peccatum poſt pœnitẽtiã afficeretur duabus malitijs ſpecie diſtinctis, ac proinde neceſſario in confeſsione explicãdis, altera nimirũ deſumpta ex proprio obiecto talis peccati, & altera orta ex virtuali, vel materiali cõtẽptu Dei vel beneficij recepti, quod tamẽ abſurdũ eſt: ergo. Neque valet ſolutio Medinæ vbi ſupra aſſerẽtis propterea huiuſmodi ſecundam malitiã ingratitudinis in quolibet peccato repertã non eſſe in confeſsione manifeſtãdam, quia eſt anexa omni peccato inſeparabiliter, & ſa-

tis

tis nota confeſſori. Probatur duo, tũ quia ex eo, quod ſit anexa inſeparabiliter omni peccato proculdubio ſequitur illam eſſe generalem conditionem omnium peccatorũ, ac proinde non formalem, ſed materialẽ ingratitudinem, ſicut generalis conditio inobedientiæ, ſiue odij in omnibus peccatis reperta non formalis, ſed materialis dũtaxat inobedientia, ſiue odiũ eſt: ex quo cap. prouenit illam non eſſe in confeſsione pandendam, quia non ponit in numero cũ malitia propria cuiuſquè peccati, ſicut nequè prædicatum tranſcendens ponit in numero cũ ſubiecto in quo in bibitur. Tũ etiã, quia ſi talis ingratitudo formalis eſſet, quantũbis nota confeſſario, (quod voluntariè dicitur plures enim minus doctos poſſet latere) adhuc non excuſaretur pœnitens ab obligatione illam manifeſtandi ob integritatem confeſsionis, quæ vt egreditur ex ore pœnitentis integra debet eſſe, ac proinde manifeſtatiua cuiusvis malitiæ ſpecialis hoc eſt diſtinctam ſpeciem peccati conſtituentis: ergo.

Occurritur fundamẽtis, Medinæ, & Abulenſis.

10 Ad primũ reſpõdetur iuxta ſolutionẽ ibi aſsignatã, ſicut enim peccatũ formalis inobedientiæ, aut odij non eſt illud, quod generaliter circũſtat omnia peccata, ſed tãtũ illud quod committitur ex affectu non obediẽdi Deo, aut volẽdi malũ Deo, & ſic opponitur ſpecialibus virtutibus obedientiæ, & charitatis, ſic pariformiter illa ingratitudo in quolibet peccato reperta eſt tãtũ materialis, & formalis, atquè ſpecialis oppoſita ſpeciali virtuti gratitudinis eſt ſola illa, quæ fit ex contemptu formali benefactoris.

Ad ſecũdũ admiſſa maiori, nego minorẽ pro ſecũda parte, nõ enim virtualis, ſed formalis, & expręſſa intẽtio cõtẽnendi benefactorẽ, aut beneficiũ requiritur vt peccatum cõſtituatur in ſpecie ingratitudinis. Ad cuius primã probationẽ nego maiorẽ, nequè illud eſt habẽdũ pro inconueniẽti cũ nulla ſit ſpecialis ingratitudo erga Deũ vel homines ſine huiuſmodi formali, vel expręſſo cõtẽptu beneficij, aut benefactoris. Ad ſecũdã negãdum eſt antecedens ſi vniuerſaliter ſumatur de omni volũtario virtuali, vel indirecte, ſolũ enim verũ eſt quãdo volũtariũ virtuale, vel indirectum opponitur ſpeciali pręcepto alicuius virtutis, vt cõtingit in exẽplis allatis: peccata enim illa opponũtur præceptis ſpecialibus, quæ prohibent generaliter homicidiũ, ſacrilegiũ, & furtũ ex quocũque affectu interiori fiant: ſecus verò cõtingit in peccato ingratitudinis cuius præceptũ propriũ non prohibet prędictũ peccatũ materialiter aceptũ, ſed dũtaxat illud quod fit ex affectu formali contemnẽdi, & idẽ de peccatis inobedientiæ, & odij dicendum eſt.

Ad tertiã negãdũ eſt antecedens, adhuc enim in illo caſu omiſsio retributionis pro acepto beneficio ſine formali cõtẽptu illi⁹ non eſt ſpeciale peccatum ingratitudinis, quia illud præceptum pro tunc nõ obligat ad retribuẽdũ ex intentione formali gratitudinis, ſed ſolum ad ſubſtanciam operis in quo fit retributio, ac proinde eius omiſsio pro tunc nõ ſubinduit ſpecialem malitiã ingratitudinis, niſi adſit formalis cõtemptus beneficij.

Ad tertiũ nego antecedens pro vtraquè parte. Ad probationẽ primæ dicẽdum eſt, quod licet de actibus aliarũ virtutũ dẽtur afirmatiua pręcepta: de actib⁹ verò obediẽtiæ, & gratitudinis dãtur negatiua præcepta, non tamẽ affirmatiua. ac proinde actus proprius, & formalis obediẽtiæ ſiue gratitudinis nũquã per ſe ſeorſum cadit ſub præcepto, niſi comitãter cum actu alterius virtutis, & ideò nũquã reperitur peccatũ inobedientiæ, aut ingratitudinis per ſolã omiſsionem ſine peccato contra aliã virtutẽ cuius actus præcipitur. Ad probatio ıẽ vero ſecundæ partis dicendũ eſt, quod actus proprius, & formalis gratitudinis, neque circa proximũ eſt neceſſarius, ſine actu alterius virtutis, videlicet iuſtitiæ, pietatis, liberalitatis, vel alterius ſimilis, qui eſt proximo neceſſarius: neq; circa Deũ, niſi quatenus coiũgitur cũ actu virtutis religionis & ideò neque cadit ſub præcepto, niſi vt coiũctus cũ aliquo ex prędictis actibus, neque eius omiſsio eſt peccatũ, niſi ſimul habeat anexã alicuius præcepti de actu alterius virtutis tranſgreſsionem: poteſt etiam ſecundo reſponderi gratitudinẽ erga Deũ eſſe eandẽ cũ virtute religionis, vt dictum eſt cuius proinde omiſsio inſtãte obligatione præcepti erit peccatũ ſacrilegij dumtaxat omiſsionis ad quod nõ requiritur formalis Dei benefactoris cõtẽptus: hic enim ſolum requiritur ad cõſtituẽdũ peccatũ cõmiſsionis in ſpecie ingratitudinis contra Deũ, vtpote cũ ad omiſsionem, ſicut ſufficit actus in cauſa, ſiue virtualis, ita & virtualis contemptus ſufficiat: ad peccatum vero commiſsionis, ſicut requiritur formalis actus voluntatis, ita & formalis contemptus requiritur.

QVAESTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum per pœnitentiam, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum per pœnitentiam virtutes reſtituantur?

Conclusio eſt per pœnitentiam recuperari gratiam iuſtificatem, & omnes virtutes reſtitui, vtpote ad gratiam conſequutas.

ART. II.

Vtrum poſt pœnitentiam reſurgat homo in æquali virtute?

Conclusio eſt: hominem per pœnitentiam quandoque in maiori, quandoque in minori, & quandoque in æquali gratia, ac proinde virtute, iuxta variationē diſpoſitionis ſubiecti pœnitentis, reſurgere.

ART. III.

Vtrum per pœnitentiam reſtituatur homo in priſtinā dignitatem?

Concluſio eſt: reſtitui ad principalē dignitatem, nimirum gratiam, ac Dei filiationem: ſecus vero ad innocentiam amiſſam.

ART. IIII.

Vtrum opera virtutum in charitate facta poſſint mortificari?

Concluſio eſt: illa mortificari per peccatum mortale, quatenus retardatur, vel impeditur eorum effectus: non autem mori.

ART. V.

Vtrum opera mortificata per peccatum, per pœnitentiā reuiuiſcant?

Concluſio eſt affirmatiua.

ART. VI.

Vtrum per pœnitentiam ſubſequentem etiam opera mortua viuificentur?

CONCLVSIO eſt negatiua. Circa has concluſiones ſex ſunt quæ à Theologis cõtrouerti ſolent, quæ proinde ſuo ordine ſingulis dubijs à nobis examinanda ſunt.

Dubium primum eſt. Vtrum per pœnitentiam omnium meritorum principia, & omnes virtutes cum gratia cõnexa reſtituantur?

11 IN Hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima eſt Martini de Magiſtris quæſtione ſecunda de virginitate, relati à Caietano ſecunda ſecundæ quæſtione 152. artic. 2. & Martini de Ledeſma in hoc articulo primo relati à Suarez ibidem aſſerentium, nõ omnes virtutes etiam infuſas per pœnitentiam recuperari, ſed dumtaxat illas quæ ſine peccato amitti non poſſunt, cuius generis ſunt virginitas, & voluntaria paupertas, quarum altera per copulam coniugalem, & altera per diuitiarum licitam profeſsionem labefactatur: quæ ſententia poteſt probari dupliciter.

Primo, quia virginitas eſt ſpecialis virtus infuſa condiſtincta à caſtitate communiter dicta ſicut magnificẽtia diſtinguitur à liberalitate, teſte Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 152 articul. 3. & tamen non recuperatur per pœnitentiam: ergo. Minor patet, quia virginitas dicit duo, de materiali carnis integritatem expertem omnis venerei voluntarij experimenti. De formali vero affectum, & propoſitum omnis huiuſmodi experimentum excludendi, ſed quoad neutrum ſemel amiſſum, recuperari poteſt: non quoad primum, quiã dicit negationem præteriti experimẽti: ad præteritum autem faciendum quod non fuerit, non eſt potentia: quoad ſecundum vero non eſt reparabilis, tum ob eandem rationem: tum etiam, quia vbi materia virtutis eſt impoſsibilis, etiã eius formale eſt impoſsibile, qua ratione in Chriſto, & in Angelis diximus eſſe impoſsibilem actũ formalem pœnitentiæ, quia eius materia eſt impoſsibilis; ſed in illo qui amiſsit carnis integritatem voluntarie fit impoſsibilis materia virginitatis: ergo.

Secundo, quia nec innocentia, nec tota intenſio gratiæ amiſſæ per peccatum recuperatur per pœnitentiam, & tamen pertinet ad priſtinam iuſti hominis dignitatem, & eius meritorum premia, imò innocẽtia, non ponit in numero cum gratia, & virtutibus, ſed eſt idem formaliter cum illis: ergo non omnia meritorum præmia nec principalis dignitas per pœnitentiam recuperatur. Major patet, de innocentia quidem, quia teſte Diuo Thoma iu art. 2. homo quandoque reſurgit in minori gratia quam fuerat amiſſa per peccatum: ergo tunc non recuperat per pœnitentiam totã gratiæ intenſionem.

12 Secunda ſententia aſſerit omnes virtutes connexas cum gratia per pœnitẽtiam recuperari, quæ per præcedens peccatum fuerant amiſſæ, ita D. Thom. in hoc articulo primo, & in loco dicto ſecundæ ſecundæ. Cuius ſententia communiter recipitur à Theologis, vt videre eſt apud Soto in quarto diſtinctione 16. q. 2. Valentia diſputat. 7 q. 6. puncto 1. Suarez, & Vazquez in commentario huius articuli. Pro cuius declaratione.

Dico primo, quando adultus iuſtificatur per pœnitentiam, ſiue quæ ſit ſacramentum, ſiue quæ ſit actus virtutis recuperat gratiam, & omnes virtutes amiſſas per præcedens peccatum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ. Et probatur, nam in eodem genere, in quo per ſacramentum pęnitentiæ recuperatur gratia amiſſa recuperantur etiã virtutes amiſſæ, quæ ad gratiam veluti paſsiones ſequũtur, ſiquidẽ eiuſdẽ eſt cauſare formã, & eius proprietates; ſed per ſacramen-

Refellitur opinio negãs omnes virtutes infuſas recuperari per pœnitẽtiã.

mentum pœnitentiæ recuperatur gratia iuſtificans effectiuè inſtrumentaliter: ergo eodem genere cauſalitatis, & virtutes amiſſæ recuperantur, qua ratione proportionabiliter facta probatur per actũ virtutis pęnitentiæ, quæ eſt contritio extra ſacramẽtum gratiam, & virtutes amiſſas diſpoſitiuè recuperari, in cuius veritatis ſignum filio Prodigo ex iuſſu parentis reſtituta eſt ſtola prima, id eſt gratia iuſtificans cũ virtutibus, quæ peccatori conuerſo per pœnitentiam à Deo reſtituitur, vt communiter illam parabolam Patres interpretãtur. Dixi in concluſione, quæ per peccatum precedens fuerunt amiſſæ, quoniam fides, & ſpes quando non amittuntur, vt contingit in peccatore fideli, & etiam virtutes adquiſitę, quoad habitum manentes non recuperantur per pœnitentiam.

Dico ſecundo: reſurgens per pœnitẽtiam aliquando reſurgit in æquali, aliquando in maiori, & aliquando in minori gratia, & idem dicendum eſt de virtutibus ad gratiam conſequutis. Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſentẽtias extremas. Alteram Gandauenſis, quodlibeto 5. q. 13. aſſerentis hominem ſemper in gratia reſurgere æquali illi, quam amiſſerat per peccatum: & alteram Ocham q. 8. in 4. & Medinæ Codice de pęnitentia q. 8, aſſerẽtium ſemper reſurgere in maiori.

Sed noſtra concluſio eſt Diui Thomæ in art. 2. communiterque à Theologis recepta, & patet prima pars: nam forma dependens à diſpoſitionibus ſubiecti nunquam introducitur, niſi iuxta proportionem ad illas, vt docet Diuus Thomas 1. 2. q. 52. art. 1. ſed gratia collata homini adulto dependet à motu liberi arbitrij in Deũ, & in peccatum, tanquam à diſpoſitione, vt etiam docet Diuus Thomas in eadem 1. 2 q 113. art. 5. ergo infunditur iuxta proportionem & menſuram talis diſpoſitionis: tunc vltra, ſed cõtingit huiuſmodi motum, quandoque eſſe maioris intenſionis, quandoque æqualis, quandoque minoris quam fuerat tota latitudo gratiæ intenſiua deperditæ: ergo quandoque erit proportionata maiori, quandoque æquali, quandoque minori gratiæ recipiendæ.

Deinde ſecunda pars probatur eadem ratione proportionabiliter facta. quia proprietates alicuius formæ dependentis à diſpoſitionibus in ſubiecti introductione, etiam dependent ab eiſdem: & graduantur ſecundum menſuram, & proportionem ad ipſas.

Dico tertio: per pœnitentiam ſemper homo reſtituitur in priſtinam dignitatem primariam, quantum ad Deum, non tamen in ſecundariam, aut Eccleſiaſticam dignitatem. Hæc concluſio etiam communiter recipitur à Theologis: & probatur à D. Tho. in art. 3. ex eo quod triplex poteſt eſſe dignitas, quæ per peccatum amittitur: duplex quidem quoad Deum, & primaria, quæ in filiatione Dei per gratiam cõſiſtit. Secunda vero, & minus principalis, quę in ſtatu innotientiæ cõſiſtit: altera eſt dignitas quoad Eccleſiam, ſiue Eccleſiaſtica, quæ in habilitate ad officia Eccleſiaſticæ poteſtatis exercenda ſita eſt, ſed ex his homo per pęnitẽtiã dũtaxat primã ſemper conſequitur, quia ſemper conſequitur gratiam iuſtificantem: per gratiam enim iterum filius Dei conſtituitur: non tamen cõſequitur ſtatum innotentiæ, qui vt ſic eſt ſtatus gratiæ continuus, nullam permittẽs diſcõtinuationẽ: inuoluẽſque omnimodam negationem præteriti peccati mortalis, ac proinde ſemel amiſſa nequit reparari, quia nequit fieri, vt quod fuit diſcõtinuatũ fuerit ſemper cõtinuum, aut quod non fuerit peccatum prętęritum: cum ad præteritum, non ſit potentia: ſimiliter de dignitate Eccleſiaſtica probat D. Tho. in aliquibus caſibus per pœnitentiam non redire, licet in alijs homini preſtina dignitas concedatur.

13 Ex quibus ad primum argumentum reſpondetur ſupponendo duplicem eſſe modum dicendi. Quorum primus fuit Altiſiodorenſis lib. 1. ſummæ cap. 11. q. 6. & Gregorij in 1. d. 42. q. 1. exiſtimantium virginitatem omnino tã quoad materiale quam quoad formale virtutis eſſe irreparabilẽ à Deo, & propterea per pęnitentiã recuperari non poſſe. Secundus eſt D. Th. locis citatis aſſerentis: virginitatẽ eſſe quidẽ irreparabilẽ quoad materiale: reparabilem vero quoad formale virtutis, & ſic per pænitentiã recuperari: cuius ſententiã diuerſimodè explicant Suar. vbi ſupra, & Caiet. ibidem, atque in hac 3. p. q 85. a. 2. Suar. enim ait virginitatẽ eſſe eãdẽ virtutẽ cum caſtitate cõmuniter dicta, ſolumque addere modũ quẽdã accidẽtalẽ, ſicut quid perfectius in tali ſpecie caſtitatis, & ideò ſicut caſtitas, ita & virginitas recuperatur per pœnitentiam quoad formale: Caietanus vero ſequitus D. Th. ait, virginitatẽ abſque voto eſſe eãdẽ virtutẽ cũ caſtitate cõmuniter dicta, & dũtaxat prop. voto ſit *Ocurritur fundamentis Martini de Magiſtris, & Ledeſma.*

eſſe diſtinctã ab illa, ac perconſequens eſſe ſpeciem religionis, ſiue eandem virtutem religionis in tam excellenti materia, vnde ſicut religio recuperatur per pœnitentiam, ita & virginitas quoad formale: ſecus vero quoad materiale ſecundum quod, nec habet coniunctionem cum gratia, ac proinde nec oportet recuperari ad recuperationem gratiæ. Quo poſito ad formam argumenti, nego minorem. Ad cuius probationem pro ſecunda parte dicendum eſt, quod licet materia virtutis reddatur impoſsibilis ex ſuppoſitione, adhuc poteſt manere formale talis virtutis, ſicut in paupere manere poteſt affect⁹ magnificentiæ, & in beatis propter affectus conditionatos, quibus complacent de obiectis magnificentiæ, v. g. pœnitentiæ temperantiæ, & ſimilium diximus ſaluari huiuſmodi morales vir utes, ita & formale virginitatis propter ſimilem affectum conditionatum ſaluatur in corrupta.

Ad ſecundum diſtingo minorem, quoad vtramque partem· innociẽtia enim quantum ad modum, quem ſuperaddit gratiæ, & virtutibus non ad primariam, ſed ad ſecundariam pertinet dignitatem, & idẽ dicendum eſt de intenſione gratiæ: ac proinde non oportet hæc per pœnitentiam recuperari quamuis omnia meritorum premia, quoad ſubſtantiam recuperantur.

Dubitatur ſecundo. An opera meritoria per peccatum mortificata, reuiuiſcant per actum pœnitentiæ, & qua certitudine hæc reuiuiſcentia ſit aſſeueranda?

Expenditur ſtatus controuerſiæ.

24 IN Hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem cum Diuo Thoma in articulo 4. quod opera meritoria facta in gratia per ſubſequens mortale peccatum mortificantur: cuius ſuppoſitionis ratio eſt, quia mortificari vere opera nihil eſt aliud quã habere ſe ad ſimilitudinem alicuius membri mortificati quantum ad id, quod ſicut iſtud perdit ſuam operationem, ſic & illa perdunt ſuum effectum, & ab illius conſecutione impediũtur: ſed merita per ſubſequens peccatum impediuntur à conſecutione ſui effectus, & reſpectu hominis obnoxij peccato amittũt ſuam vim & efficaciam perducendi illum in vitam æternam, iuxta illud Ezechielis 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur*, ideſt effectũ ſuum coram Deo non conſequentur permanente peccato: ergo mortificantur. Diſcriminantur autem in explicando an huiuſmodi merita mortificata per peccatum poſtea adueniente pœnitentia reuiuiſcant, an omnino mortua fuerint, ita vt nullatenus recuperentur, in duas ſententias.

Prima ſententia fuit quorumdam antiquorum, quos refert D. Th. in hoc ar. 5. & in 4. d. 14. q. 2. art. 3. queſtiunc. 3 negãtium huiuſmodi merita ſemel mortificata per aduenientem pœnitentiam aliquando redire, aut reuiuiſcere. Quorum fundamenta ad hæc quatuor reducuntur. Primũ fundamentum eſt, quia præcedentia merita per ſubſequens peccatum verè fuerunt mortua, & deſtructa, ſed quod fuit ſemel deſtructum, non poteſt de lege ordinaria iterum reuiuiſcere. Minor patet ex dictis queſt. præcedẽti. Et maior probatur, quia illa forma verè eſt deſtructa, quæ ſecundum nihil ſui manet in ſubiecto, ſed merita ſecundum nihil ſui manent in homine peccatore, à quo fuerunt elicita: nihil enim phiſicum, aut morale relinquunt in illo: ergo.

Secundum eſt, nam non eſt minus efficax peccatum mortale ad deſtructionem gratiæ, & meritorum, quam ſit gratia ad deſtructionem peccatorum præcedentium, imò maior efficatia videtur eſſe peccati, vt pote cuius malitia in ratione offẽſæ eſt infinita, bonitas autem gratiæ eſt finita: ſed gratia ſuperueniẽs operatur omnimodã deſtructionẽ peccatorũ præcedentiũ, ſiquide nihil phiſicum, aut morale relinquitur: ergo à fortiori lethale peccatum operabitur omnimodam gratiæ deſtructionem, ita vt nihil phiſicum, aut morale illius relinquat.

Dices,

Dices, efficatiorem eſſe gratiam ad deſtructionem peccatorum, non ex natura ſua, ſed ex lege & ordinatione Dei miſericorditer volentis remunerare præterita merita ſemel mortificata, & nolentis punire delicta ſemel dimiſſa. Sed hec ſolutio eſt inſufficiens propter tria. Tum, quia nullum eſt fundamentum talis legis: ſi enim aliquod eſt, maximè quia homo reſurgens per pœnitentiam gaudebit de meritis præcedentibus, illaque etiam Deus aducet ad iudicium, & quia Ezechiel. 18. dicitur: *Omnium iniquitatum non recordabor, &c.* ſed etiam pariformiter quodlibet peccatum quamtumuis dimiſſum infert diſplicētiam ſui, & adducetur à Deo ad iudicium: Eccleſiaſt. enim vltimo dicitur: *Quod Deus cuncta affert ad iudicium, ſiue bonum, ſiue malum*: & in dicto capite Ezech. ſicut dicitur: *Omnium iniquitatum non recordabor*, ita dicitur: *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur*: ergo ſicut iniquitates ſemel dimiſſas non recordari, eſt illas omnino aboleri, ita iuſtitiam & merita non recordari eſt illas omnino deſtrui, & aboleri: alias in eodem textu idem verbum recordari equiuoce ſumeretur, quod non eſt admittendum. Tum etiam, quia gratia propterea deſtruit omnino peccata præcedentia, quia eſt forma contraria, & incompoſibilis cum illis in eodem ſubiecto, ſed etiam peccatum ſuperueniens, eſt etiam forma contraria, & incompoſibilis cum gratia, & iure ſiue valore meritorum præcedentium: ergo omnino illa deſtruit. Tum denique, quia ideò peccatum deſtruitur omnino per gratiam & pœnitentiam, quia tollitur per illam fundamentum reatus, ſcilicet macula, qua ſublata neceſſe eſt tolli acceſſorium, ſcilicet reatum ipſum & obligationem ad penam æternam, ſed etiam per peccatum deſtruitur fundamentum, & radix valoris iuris, & condignitatis, quam habent merita ad gloriam, nimirum ipſa gratia iuſtificans: ergo etiam & merita omnino deſtruuntur.

Tertium fundamentum eſt, ſicut merita manent in diuina acceptatione, ita & peccatum in diuina reprobatione, non ſolum abſolutè, & ſecundum ſe, ſed etiam vt fuerunt huius hominis peccatoris, ſed hic modus manendi non ſufficit, vt peccata ſemel dimiſſa redeant: ergo nec ille ſufficiet, vt merita ſemel mortificata reuiuiſcant. Maior probatur, quia merita manent in diuina acceptatione, quatenus ſemper placent Deo, & vt placentia acceptantur, ſed etiam peccata in ſe, & vt huius peccatoris ſemper diſplicent Deo, & vt diſplicentia reprobantur, vtpote cum ſemper ſint obiectum diuini odij, ac diſplicentiæ, iuxta illud Eccleſiaſt. 12. *Odio ſunt Deo impius, & impietas*: ergo.

15 Quartum, quia actus conditionatus deficiente conditione omnino manet extinctus, vt patet in contractu, quo Petrus promittit Paulo librum ſub hac conditione, ſi diſputauerit craſtina die qua deficiente extinguitur obligatio cōtractus: ſed contractus quo Deus pepigit merita remunerare eſt conditionatus, nimirū dependens ab hac conditione, ſi tollatur ex parte hominis impedimētum, vtpote quia volūtas in Deo dandi gloriā, propter merita eſt cōditionata ſub cōditione ſi homo non aponat impedimentum, & ſe indignū conſtituat: ergo adueniente huiuſmodi impedimento per ſubſequens peccatum mortale, contractus manet extinctus, & nullus ac proinde merita etiam manent extincta, & nulla durante peccato, quod eſt oppoſitum contractus conditioni. Minor patet dupliciter: tum, quia ſi illa voluntas eſſet efficax, & abſoluta ſemper impleretur: quod tamen eſſe falſum cōſtat in pluribus qui bene incipientes in gratia & meritis proficientes, poſtea per ſubſequens peccatum damnātur, & in Salomone, de cuius ſaluatione poſt multa merita, quæ in initiò habuit, dubitat Auguſtinus. Tum etiam, quia voluntas puniendi propter demerita eſt conditionata ab hac conditione dependens, ſi peccator in illis decedat: ergo ſimiliter voluntas dandi gloriam propter merita eſt conditionata, aliàs darentur in Deo duę voluntates abſolutę reſpectu eiuſdem hominis contrariæ, alteram dandi gloriam illi propter merita, & alteram infligendi pœnam eidem propter demerita ſubſequentia, quod tamen nō eſt admittendum: ergo.

Secunda ſententia aſſerit præcedentia merita ſemel per peccatum mortificata poſtea per veram pœnitentiam reuiuiſcere, quam communiter tuentur iuris Canonici, & Theologiæ profeſſores: ex illis quidem Gratianus de pœnitentia d. 2 canone *non eſt tam iniuſtus*, & di. 4 can. *intermittentes*, Nauarro, & Turrecremata ibidem, & Couarr. in cap. *alma mater.* 1. p. §. 10.

Digitized by Google

§. 10 exiſt'ſ autem D. Thom. in hoc art. 5. & in 4. diſt & q. citata, & diſt. 21. q. 1. artic. 1. & ad Hebræos 6. lectione 1. & 3. Hugo Victorinus lib. 2. de ſacramentis p. 4 c. 9. Alenſis 4 p. q. 12. mēb. 4. & omnes Scholaſtici, vt Bonauentura, Albertus Palud. Scot. cum Magiſtro in eadē 4. diſt. 22. & Soto diſt. 16. q. 2. art. 5. Suarez in relectione citata ſect. 1. & 2. Valentia vbi ſupra puncto 3. Vazq. 1. 2. diſput. 221 cap. 4. & Bañes 2. 2. q. 24. art 6 dubio vltimo, qui in explicanda certitudine huius aſſertionis in tres modos dicendi diuiduntur. Suarez enim in dicta ſect. 2. aſſerit duo: ſcilicet quod ſicut explicatio teſtimonij Pauli ad Hebr. 6. de remuneratione meritorum mortificatorum, non eſt autentica, ſed opinabilis, ita aſſertio de reuiuiſcentia meritorum cadit ſub opinione nihilominus eſt adeo certa, ſubdit in fine ſectionis, vt abſque temeritate, & impietate negari non poſsit. Alij vero de quorum numero eſt Soto volunt hanc aſſertionem eſſe adeo certam, vt oppoſitum temeritatis nota ſit inurendum. Alij denique, de quorum numero eſt Bañes volunt eſſe adeo certam, vt oppoſitum ſit erroneum, aut errori proximum. Pro cuius ſententiæ declaratione.

Omnia merita mortificata reuiuiſcunt per pœnitentiam,

16 Dico primo: omnia merita hominis iuſti per peccatum ſubſequens mortificata, poſtea per veram pœnitentiam reuiuiſcunt. Hæc concluſio ſtatuitur contra auctores primæ ſententiæ. Et probatur primo ex lege diuinæ miſericordiæ, & iuſtitiæ, quæ nobis per Scripturā, & Concilia iuxta Sanctorum Patrum explicationem innoteſcit: lex ergo Dei ſtatuta erga iuſtos eſt vt eorum merita in charitate facta remuneret: dummodo in gratia decedant & erga peccatores eſt vt eorum peccata ſemel dimiſſa amplius eis, non imputentur ad æternam pœnam, ſed huiuſmodi lex ſeruari non poteſt, niſi merita præcedenti à reuiuiſcant, & peccata ſemel dimiſſa omnino aboleantur: ergo. Minor patet ex terminis. Et maior probatur ex tribus teſtimonijs Scripturæ.

Quorum primum habetur Ioelis 2. *Reddam vobis annos quos commedit locuſta & brucus:* quem locum explicans Gloſſa ex Hieronymo, ait, per annos vbertatem bonorū operū intelligi quæ per peccata ſubſequentia homines amittunt, ad inſtar vbertatis quam devaſtare ſolet locuſta, tunc igitur reddit Deus annos quos cōmedit locuſta quando remunerat merita, quæ peccatum mortificauerat.

Secundum habetur Ezechielis 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, &c. Omniū iniquitatum eius nō recordabor, in iuſtitia ſua quē operatus eſt viuet*: quorum verborum duplex ſenſus eſt, alter quod agenti verā pœnitentiam præterite iniquitates non imputabūtur, ita vt pro illis æterna pęna nō puniatur, & hoc inſinuatur vſque ad illa verba, *omnium iniquitatum eius non recordabor*: alter eſt quod agens veram pœnitentiam ad priſtinum ſtatum gratiæ, & meritorum reſtituetur, & iſte inſinuatur in vltimis verbis, *in iuſtitia ſua, quam operatus eſt viuet*: & iuxta primum ſenſum colligitur abſolutè lex Dei de abolendis peccatis ſemel dimiſis per pænitentiam: iuxta ſecundū vero colligitur lex conditionata Dei de abolendis meritis ſub conditione impedimenti poſsiti ex parte hominis dumtaxat pro tempore quo poſitum fuerit, & conſequenter de illis ſuſcitandis ſecluſo impedimento.

Tertium habetur ad Hebræos 6. vbi Paulus conſolans Hebreos, & erigens in ſpem vitæ æternæ, & iuſtitię Dei circa meritorum remunerationem, ſic ait: *Confidimus autem de vobis dilectiſsimi meliora, & viciniora ſaluti: non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis.* in quorum verborum ſenſu aſsignando tripartiti ſunt Theologi, & expoſitiui Doctores, ſecundum quod opera bona ex obiecto de quibus loquebatur Paulus poſſunt eſſe in triplici differentia: alia ſcilicet mortua priuatiuè, quia ſunt facta in peccato mortali, & priuata gratię informatione, alia ſunt viua, vt opera hominis iuſti ex imperio charitatis facta, alia denique ſunt mortificata, vt opera facta ex charitate per ſubſequens peccatum mortificata. Quidā igitur quos refert & refutat Benedictus Iuſtinianus in commentario eiuſdem loci, exiſtimāt Paulū loqui de operibus primi generis, & Hebræos exortari, vt ab operibus mortuis ad operum viuorum exercitium conſurgant: Alij vero de quorum numero ſunt Theophilatus, Chriſoſtomus, Adamus, & præfatus Iuſtinianus exiſtimant Paulum loqui de operibus ſecundi generis, & Hebræos iuſtos exortari, vt ad perſeuerandum in gratia, & maius augmentum virtutum aſpirent.

Sed

Sed neutra explicatio cum illa cauſali Pauli coheret: non prima, quia peccator non habet ius ad gratiam recuperandam, nec Deus ſeruat iuſtitiam erga illum quando eum iuſtificat, ſed poteſt abſque leſione ſuæ iuſtitiæ illum non iuſtificare: tũ etiam, quia commendat eis dilectionem erga proximos, & miniſterium charitatis in nomine Dei exhibitũ, & quod adhuc tũc exhibebat, quæ omnia nõ coherent ſi ſermo fiat ad peccatores dumtaxat, & de eorum operibus mortuis præteritis. Nec ſecunda propter duo: tum quia donum perſeuerantiæ nõ cadit ſub merito, nec eſt materia iuſtitiæ, ſed ſolius miſericordiæ, & Deus denegando illud homini iuſto nõ eſſet iniuſtus. Tum etiã, quia Paulus exortatur Hebræos ad agendum pœnitentiam de malis operibus, & ad recuperationẽ bonorum antiquorum: ergo nõ loquitur pręciſe de operibus viuis.

17 Dicendum eſt ergo cum Anſelmo & D. Thõ. in commentario eiuſdem loci Greg. homil 4 ſuper Ezechielem, & Hieronymo, & Gratiano, in duplici canone citato de pœnitentia Paulum loqui ad totã Eccleſiam Hebræorum, ex iuſtis perſeuerãtibus in gratia, & ex peccatoribus à priori gratia prolapſis collectam; illoſque omnes ad meliorem ſtatum exortari, & ſpẽ remunerationis iuſtitiæ Dei, vtpote qui perſeuerantes & creſcentes in bonis operibus abundatiori premio remunerabit: peccatores etiam reſurgentes per pœnitentiam remunerabit, tum propter merita ſubſequentia, tum propter merita præterita; ita vt ſenſus ſit, id quod vos mouere debet ad pęnitentiam eſt, quia Deus non eſt iniuſtus, ſed potius vt iuſtus remunerator nullorum meritorum obliuiſcitur, ſed omnia remunerabit ſecũdum iuſtitiam, & ſic per pęnitentiã, tum premium antiquorũ operum, tũ ſubſequẽtiũ lucrabimini: ergo ex lege Dei merita mortificata per pęnitentiam reuiuiſcunt. Quæ cõfirmãtur ex Cõcilio Tridentino ſeſs. 6. c. 16. vbi Patres Concilij eundẽ locũ Pauli cũ altero eiuſdem ad Corinth. 15. adducunt in hæc verba: *Hac igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptam gratiam perpetuo conſeruauerint ſiue illam recuperauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: abundate in opere bono ſcietes quod non eſt innanis labor veſter in Domino: non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, &c.* Quorum verborum ſenſus eſt, vt hominibus iuſtificatis, qui gratiã perpetuo conſeruarunt proponãtur verba Pauli 1. ad Corinth. 15 *Abundate, &c.* vt ſic ad maius augmentum ſuæ iuſtitiæ prouocentur: hominibus vero qui gratiam poſt peccatũ recuperarunt proponãtur verba Pauli ex 6. ad Hebræos: *Non enim iniuſtus eſt Deus, &c.* vt ſic fiduciam de ſuorum operum pręcedentium remuneratione concipiant, & ad noua opera aſpirent: ergo.

Secundo probatur ex conditione ipſorum meritorum ſuppoſita ipſius Dei duplici lege, nam agẽs quod à ſuo effectu impeditur, ſecluſo impedimento poteſt ac debet conſequi illum, ſed merita antiqua per ſubſequens peccatum tantum fuerunt impedita à ſuo effectu, qui eſt conferre homini ius ad vitam æternam: ergo ſecluſo hoc impedimento per pœnitentiam poſſunt ac debent eundem effectum homini tribuere in quo illorum reuiuiſcentia conſiſtit. Maior eſt nota lumine fidei: & min probatur à D. Tho. ex conditione mortificationis meritorum, quã aſſerit in huius effectus impedimento conſiſtere, & ex lege diuinæ miſericordiæ ſtatuentis merita valere, non ſolum quandiu ſunt in actu, ſed etiam in diuina acceptatione.

Tertio probatur ex parte diuinæ iuſtitiæ, cui non congruit punire hominem pęna ſpeciali propter peccatum ſemel dimiſſum, vt colligitur ex illo Ezechiel. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor*, id eſt quatenus ad pœnam æternam, & tẽporalem, ſed ſi Deus non remuneraret merita præcedentia poſt actam pœnitentiam puniret hominem pęna ſpeciali, ſcilicet priuatione illius gloriæ, quæ meritis præcedentibus debita fuerat propter peccatũ ſubſequens iam dimiſſum: ergo. Minor patet, nam huiuſmodi gloria debita præcedentibus meritis, nulla alia cauſa denegaretur, niſi propter peccatum ſubſequens, quod dimmittitur per nouam pœnitentiam, & ſi ciam Deus recordaretur iniquitatis dimiſſę, ita vt poſſet dicere, etiam ſi iuſtus agat pœnitentiam, nihilominus iniquitatum eius recordabor cuius oppoſitum per Ezechielem proteſtatur.

Nec obſtat, quod Deus de potentia abſoluta, vt ſupra diximus, & vt Dominus omniũ, & attenta malitia peccati poſſet abſque læſione ſuæ iuſtitiæ ſtatuere legem, vt homo propter peccatum ſubſequens puniatur ſpeciali pœ-

næ, & irreparabili amiſsione præcedentium meritorum & gloriæ illis debitæ quia huius pœnæ, & multo maioris homo per peccatũ quod eſt maliciæ infinitæ, dignum ſe conſtituit, nam vt iudex, & iuſtus remunerator meritorum de lege ordinaria eſt adſtrictus legibus ſuæ miſericordiæ, qua voluit iuſtitiæ rigorẽ temperare, & legem illam ſtatuere de remunerandis meritis ſemel mortificatis, & aliam de non puniendis peccatis ſemel dimiſsis, quas ſicut ſuauiores, & vtiliores nobis ita diuinæ miſericordię, & iuſtitię cõgruẽtiores eſſe exiſtimãdũ eſt, quibus ſubinde Deus ſecundum ordinariam legem tenetur adſtringi.

Quarto probatur, ex conditione contractus diuinæ promiſsionis quo pepigit cõferre gloriam hominibus pro meritis, qui licet abſolutus non ſit tamen huic conditioni duntaxat innititur, nimirum quod ex parte hominis non adſit impedimentum finalis impœnitentiæ, quando decedit ex hac vita, vt colligitur ex Concilio Tridentino in dicto capite 16. ſeſsione ſexta, & canone 32. in quibus recenſitis conditionibus meriti de condigno, quod ſcilicet ſit opus bonum hominis iuſti, liberum, & ex charitate relatum in Deum: duntaxat poſtulat Concilium ex parte hominis ad premium gloriæ promiſſum conſequendum, quod decedat in gratia, ſed per nouam pœnitentiam ex parte hominis impletur illa vnica conditio deceſſus cum gratia, vt ſupponimus: ergo manet in tali ſtatu vt illi debeatur priſtina gloria, & liber ab huiuſmodi impedimẽto ad illam ſuo tempore conſequendã, quod eſt apud omnes Theologos merita reuiuiſcere.

Doctrina hæc de reuiuiſcẽtia meritorũ, ſine errore negari non poteſt.

18 Dico ſecundo: poſitio hæc de reuiuiſcentia meritorum eſt adeo certa vt oppoſitum ſit erroneum, vel errori proximum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos explicandi huius ſententiæ certitudinem, & probatur quia quãdo aliqua propoſitio infertur ex altera propoſitione de fide, vel teſtimonio Scripturæ, iuxta Canonicum ſenſum explicata eſt adeo certa, vt oppoſitum ſit error in fide, quia eſt concluſio Theologica ſicut Chriſtum eſſe riſibilem quæ infertur per euidentem conſequentiam ex articulo de fide in quo Chriſtum eſſe verum hominẽ credimus, Quando vero colligitur aliqua propoſitio ex altera de fide per cõſequentiam probabilem, aut ex teſtimonijs Scripturæ iuxta ſenſum communiter receptum à Patribus, & Doctoribus, eſt adeo certa vt oppoſitum ſit errori proximum: qua ratione non dari in Eccleſia poteſtatem iudicandi actus pure internos eſt adeo certum vt oppoſitum ſit errori proximum quia deducitur per probabilẽ conſequentiam ex illo Pauli ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus*, &c communiter ad hunc ſenſum à ſanctis Patribus explicato, licet huiuſmodi explicatio vſque ad huc nõ ſit pro canonica diffinita, ſed reuiuiſcentiã meritorum deduci ex teſtimonijs Scripturæ ſic communiter a ſanctis Patribus explicatis conſtat ex dictis, quamuis eorũ explicatio vſque ad huc non ſit pro canonica habita: ergo eſt adeo certum vt oppoſitum, aut ſit error, aut errori proximũ.

Ad primum in contrarium reſpondet Scotus vbi ſupra negando minorem, quia exiſtimat merita mortificata relinquere in homine ius ad gloriam, licèt impeditum, ita vt non competat illi actio illã repetendi pro tempore quo manet in ſtatu peccati. Sed hæc ſolutio ſuſtineri non poteſt propter duo: tũ quia destructo fundamento deſtruitur quidquid in illo fundatur, ſicut teſtè Philoſopho deſtructis ſubſtantijs neceſſe eſt deſtrui quæ in illis ſubiectãtur, ſed per pecatũ ſubſequens deſtruitur gratia quæ erat fundamentum iuris, & valoris præcedẽtiũ meritorum: ergo & ipſum ius deſtruitur. Tum etiã, quia ius ad gloriam conſtituit ſubiectum acceptum Deo, & obiectum congruum diuinæ dilectionis, peccator verò nullatenus manet Deo acceptus, aut obiectum congruũ diuinæ dilectionis, ſed potius obiectũ diuini odij, ac diſplicentiæ: ergo non habet ius ad gloriã durãte ſtatu peccati alioquin ſimul afficeretur prædicatis omnino contradictorijs, eſſet enim Deo acceptus, & inuiſſus, & ſimiliter eſſet dignus vitæ ęternæ, & reus pœnæ æternæ, quod non eſt admittendum.

Reſpondetur ergo ſecundo, negando maior. ſi intelligatur de deſtruitione morali: quia hæc petit vt nihil formæ maneat in ſubiecto, aut in alio: merita autem mortificata quamuis ſecundum ſui nihil maneant in homine peccatore, manent tamen ſecundum totum valorem in diuina acceptatione.

Ad ſecundum ſubſtinenda eſt ſolutio ibi aſsignata, ad cuius primã improbationem reſpondetur fundamentum vtriuſque legis ex locis adductis Scripturæ iuxta Concilij Tridentini, & ſanctorum Patrum ſenſum, colligi congruenter ex ipſis meriti, & peccati naturis, atque ad maiorem Dei ad miſſerendum quam ad puniendum pronitate: lex enim de ſuſcitandis meritis naturæ gratiæ, & meritorum, quæ de ſe eſt perpetua, & inamiſsibilis congruit etiam miſericordiæ Dei ſecundum quod Deus ſemper remunerat merita vltra condignum ex quo conſequitur, vt non tantum præſentia & viua, ſed etiã mortificata merita, ſecluſo impedimento remuneret. Lex vero de abolẽdis omnino peccatis ſemel dimiſsis congruit naturæ peccati, quia peccatum eſt contra naturã rationalem, & de ſe amiſsibile quoniam nullum violentum eſt de ſe perpetuum, ac proinde per pœnitentiam eſt omnino deſtruibile, & veluti anihilabile, congruit etiam minori pronitati Dei ad puniendum quia ſemper punit citra condignum, & ità contentus eſſe voluit dum peccata præſentia, & non priſtina, ſemel dimiſſa puniat.

Ad ſecundam neganda eſt maior, ſed quia gratia eſt taliter incompoſsibilis cum peccato ex lege Dei volentis punire citra condignum, & abolere omnino peccata ſemel dimiſſa, non amplius imputando illa quoad pœnam tẽporalem, ſiue æternam.

Ad tertiam nego minor. quia licet per peccatum collatur, ideſt impediatur effectus gratiæ, & ius ad gloriam circa hunc hominem peccato obnoxium non tamen omnino aboletur, & deſtruitur moraliter, quia manet obiectum diuinæ acceptationis.

Ad tertium argumentum nego maior. pro ſecunda parte, ad cuius probationem nego minorem, nam licet peccata Petri v. g. vt Petri non placeãt Deo, non tamen ſequitur quod vt ſic diſpliceant Deo ita vt redant Petrum obiectum diuini odij, placuit enim Deo peccata ſemel dimiſſa amplius non imputare Petro.

Ad quartum reſpondetur negando maiorem pro ſecunda parte, contractus enim ille dandi gloriam propter merita cõditionatus non ab illa conditione dependet, ſed duntaxat ab iſta, ſi homo decedat in gratia: vel ſi non apponat prorſus impedimentum, & ideo non quodlibet peccatum mortale, ſed duntaxat illud quod durat vſque ad inſtans mortis incluſiue tollit remunerationem pręcedentium meritorum, & extinguit prædictum contractum ex quo patet ad duplicem probationem antecedentis.

Dubitatur tertio. An huiuſmodi meritorum reuiuiſcentia ſit opus propriæ iuſtitiæ, vel potius ſolius miſericordiæ diuinæ?

19 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno & diſcriminantur in alio; conueniunt quidẽ in eo quod reuiuiſcentia meritorum, quantum ad id quod includit antecedenter eſt ſolius miſericordiæ opus, & quantum ad id quod includit conſequẽter eſt op⁹ ſoli⁹ iuſtitiæ. Pro cuius ſuppoſitionis declaratione, notandum eſt reuiuiſcentiam meritorum tria includere, aliquod præuium, & antecedẽter ſe habens, quod in illa duplici lege Dei prædicta, & remotione impedimenti peccati conſiſtit: & aliquod conſequenter ſe habens quod eſt remuneratio meritorum iam viuificatorum, quam recepit homo decedens in gratia & aliquod formaliter in quo ipſa formalis reuiuiſcentia conſiſtit, quod eſt ex parte Dei acceptatio meritorum ad gloriam illis debitam, & ex parte hominis ius quod ex antiquis meritis accepit ſecluſo impedimento ad talem gloriam. *Proponitur ſtatus controuerſiæ.*

Quo ſuppoſito probatur prima pars, nam lex illa duplex Dei non ex meritis noſtris, ſed ex ſola Dei miſericordia prouenit: poſſet enim Deus abſque leſione ſuæ iuſtitiæ merita ſemel mortificata numquam acceptare, & peccatorem punire irreparabili eorum amiſsione: & ſimiliter remotio impedimenti peccati eſt effectus gratię iuſtificantis formaliter: diſpoſitione autem eſt effectus primæ contritionis,

nis, ſed vtroquē modo fit gratis, & abſque rigore iuſtitiæ: primo quidem quia gratia infunditur gratis iuxta illud Pauli ad Ro. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*, &c.

Secundo vero, quia prima contritio eſt effectus gratiæ operantis, quam Deus in nobis gratis operatur: ergo.

Deinde ſecunda pars ſuppoſitionis probatur, nam ſuppoſita remotione impedimenti, & remiſsione peccati, homo recuperat ius ad gloriam debitam meritis antiquis, ſed retributio premij debiti eſt opus iuſtitiæ: ergo. Mai. patet, nam ſecluſſo impedimento merita recuperant eādem vim quam habebant antea, & ſortiuntur eundem effectum, quem tribuebant ante mortificationem: tribuebant autem ius ad gloriam. Min. verò probatur dupliciter: tum quia actus propriæ iuſtitiæ eſt redere vnicuique ſecundum ſuum ius: ſed Deus reddendo gloriam debitam pro meritis viuificatis reddit homini ſuum ius: ergo exercet actum iuſtitiæ: tum etiam quia actus iſte, quo Deus remunerat merita cōſtituit & denominat illum iuſtum iudicem, vt iuſte operantem quæ denominationes non poſſunt niſi à proprio actu iuſtitiæ præſtari: ergo. Maior patet, nam ab huiuſmodi actu Paulus denominat iuſtum, & iudicem dicens: *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri*, &cet. & alibi: *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex*, &c. ergo. Diſcriminantur autem circa id in quo reuiuiſcentia meritorum formaliter conſiſtit in tres ſententias, quarum duæ ſunt extremæ oppoſitæ, & alia media: prima illarum aſſerit reuiuiſcentiam formaliter ſumptam eſſe opus iuſtitiæ ſicut & ipſa retributio gloriæ pro meritis eſt opus iuſtitiæ, eo quod ſicut ad hanc, ita & ad illam habet homo ius fundatum in condignitatē meritorum, & in valore primæ contritionis, per quam impedimentum peccati remouetur: huius ſententiæ auctores ſunt illi qui docent contritionē eſſe ſatisfactoriam ad æqualitatē pro peccato mortali.

20 Secunda ſententia, & media aſſerit reuiuiſcentiam meritorum quantum ad formale eſſe opus vtriuſque virtutis ex æquo, iuſtitiæ ſcilicet & miſericordiæ: iuſtitiæ quidem quatenus in illa interuenit acceptatio meritorum mortificatorum ad gloriam ipſis debitam, miſericordiæ vero quatenus ſupponit legem Dei miſericorditer, merita retinentis in ſua acceptatione, & quatenus ſupponit remotionem peccati per gratiam, & pœnitentiam miſericorditer infuſam: ita Suar. in d. relect. ſect. 3. & Valent. vbi ſup. punt. 3, concl. 4. in quam etiam inclinat Vaz q. 1. 2. diſp. 221 cap. 4. & id in quo vtraque ſententia conuenit probatur à ſuis auctoribus quadrupliciter. Primo, nam relaxatio cuiuslibet pœnę ad peccatum cōſecuta fit ex iuſtitia ſiquidem homo ſatisfaciendo per contritionem pro offenſa, ſatisfacit de condigno pro pœna ad illam conſecuta ſed mortificatio meritorum præcedentium eſt pęna peccati ſubſequentis, pro qua homo ſatisfacit per contritionem: ergo eius relaxatio fit ex iuſtitia, & per conſequens recuperatio meritorum quæ eſt ablatio mortificationis eorumdem eſt opus iuſtitię.

Dices pœnam peccati eſſe duplicem, altera quę in ſui abſolutione non inuoluit gratiam, aut eius formalem effectū & hanc cadere ſub ſatisfactione, & auferri ex aliquali iuſtitia, & altera, quæ in ſui ablatione inuoluit huiuſmodi gratiæ effectum, & hanc nec cadere ſub ſatisfactione, nec auferri ex iuſtitia, talemque eſſe mortificationem meritorum, quæ ſicut cōſiſtit in amiſsione gratiæ, ita nequit auferri niſi per reparationem gratiæ.

Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens propter duo: tum quia alias nec pœna æterna caderet ſub ſatisfactione ſiquidem conſiſtit in ſeparatione hominis a Deo, quę ad ſui remotionem petit primariū effectum gratiæ, qui eſt coniūctio hominis cum Deo, conſequens autem eſſe falſum patet, quia pœna ęterna ſequitur ad offenſam cadentem ſub noſtra ſatisfactione: tū etiam quia ablatio mortificationis meritorum ſupponit in aliquo priori naturæ gratiam iuſtificantem, & vt auferentem maculam: ergo etiam inter gratiam vt ſic, & ablationem talis mortificationis poteſt mediare ſatisfactio, & conſequenter poteſt cadere ſub ſatisfactione, & eſſe terminus illius.

Secundo, quia quando homo eſt in gratia poteſt mereri ſibi de condigno reparationem poſt lapſum: ergo tunc reparatio præcedentiū meritorum cadit ſub merito condigni; ac proinde, eſt opus iuſtitiæ: Antecedens patet, nam poteſt homo exiſtēs in gratia poſtulare a Deo reparationē ſuam poſt lapſum ſicut illam poſtulabat, Dauid Pſalm. 70. dicens: *Cum defecerit virtus*

tus

tus mea ne derelinquas me, &c. & alias huiuſmodi petitio cũ ſit actus religionis habet condignitatem cum reparatione gratiæ & meritorum: ergo.

Tertio, nam homo habet ius ex duplici capite ad reuiuiſcentiam meritorum: nimirum ex condignitate eorundem contẽtentorũ in diuina acceptatione, ex contritioneque remouente impedimentum peccati: ergo de iuſtitia debetur illi meritorũ reparatio: antecedens patet quod ex condignitate meritorum, quia ſuppoſita lege Dei merita retinent ſuam condignitatem, & ſecluſo impedimento illam recuperant huic homini, ac proinde conſtituunt gloriam eidem debitam: ex contritione vero, quia contritio eſt quędam ſatisfactio procedens à virtute pœnitentiæ, quæ eſt potentialis iuſtitia, & alias cum ſit informata à gratia de condigno, & ex iuſtitia conſequitur reparationem gratiæ & præcedẽtium meritorum.

Quarto probatur ab inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirum quod merita non reuiuiſcant quoad præmium eſſentiale: cõſequens autem eſt falſum, vt ex infra dicendis conſtabit: ergo. Sequela patet nam merita reuiſceré nihil aliud eſt, quam quod recuperẽt eamdem vim, quam antea habebãt in ordine ad premium eſſentiale, ſed hanc non poſſent recuperare, ſiquidem antea habebant ius conſequendi, & promerendi gloriam ex iuſtitia tamquam meccedem debitam, & non ſolum vt hæreditatem. Sed ſi reuiuiſcentia fiat ex ſola miſericordia merita non haberent ius promerendi gloriam ex iuſtitia, nec gloria cõrreſponderet illis vt merces, ſed preciſſe vt hæreditas: ergo.

Præfertur opinio aſſerẽs reuiuiſcẽtiã meritorũ eſſe opus ſolius miſericordiæ.

21 Sed his non obſtantibus tertia ſententia, & verior aſſerit reuiuiſcentiam meritorum quantum ad id in quo formaliter conſiſtit eſſe opus non iuſtitiæ propriè dictæ, ſed ſolius miſericordiæ, ſicut & ipſa primi hominis iuſtificatio: quam ſequitur Bonau. in 4. diſt. 22. art. 1. q. 1. Palud. ibidem Scotus art. 2. & Gab. ar. 3. dub. 2. quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et pro prima parte probatur nam iuſtitia propriè dicta eſt ad alterum habentem verum ius quod eſt obiectum iuſtitiæ: at in homine poſt peccatum mortale nullum ius manet ad premium ſupernaturale, cuiuſmodi eſt antiquę gratiæ, & meritorum recuperatio, vt oſtẽdimus dubio præcedenti: ergo talis recuperatio, nõ eſt opus iuſtitiæ propriæ dictæ.

Secundo, quia meritum, & ſatisfactio iuſtitiæ, licèt poſsit fundari in gratia antecedenti, nequit tamen fundari in gratia cõcomitanti, ſed reuiuiſcentia meritorum nõ ſolum ſupponit gtatiam Dei antecedentẽ qua miſericorditer ſtatuit legem de retinẽdis meritis in ſua acceptatione, ſed etiam inuoluit gratiam cõcomitantem remiſsionis peccati & infuſionis pœnitentiæ, quæ gratuito conferuntur peccatori: imò adhuc ſuppoſita gratia, & pœnitentia in homine reſurgente à peccato eſt noua gratia, quod merita antiqua recuperet: poſſet enim Deus abſque leſione ſuæ iuſtitiæ illa non reparare, quia homo per peccatũ condigne meruit, quantum eſt ex parte ſua irreparabili amiſsione illorum puniri, nec de facto Deus tenetur remiſſo peccato Petri v.g. merita eius antiqua acceptare, & reddere illi antiquum ius niſi ex fidelitate propter pactum, & legem, quam miſericorditer ſtatuit non puniendi hominẽ irreparabili meritorum amiſsione, actus autem iuſtitiæ eſt ille ad quem operans tenetur ex iuſtitia, & non ex fidelitate: ergo.

Tertio probatur labefactando fundamentum huius iuſtitiæ: nam ſi homo haberet ius aliquod ad reuiuiſcentiam ſuorum meritorum maxime eſſet, vel ex cõdignitate ipſorum meritorum, vel ex condignitate contritionis, vel ex vtraque ſimul: non primum quia talis condignitas per ſubſequens peccatum eſt impedita ne ſuum effectum homini tribuant: & iuſte fuiſſet omnino extincta ex demerito peccati niſi prædicta lex illam miſericorditer reſeruaret.

Nec ſecundum propter tria, tum quia contritio non tollit offenſam peccati mortalis vt ſatisfactio perfecta, & ęqualis, ſed duntaxat citra æqualitatem, ac proinde ex iuſtitia imperfecta, & licet tollat offenſam ex huiuſmodi imperfecta iuſtitia, tamen maculam quæ eſt malum animæ ſola gratia tollit, vnde remiſsio integra peccati fit gratis ſicut ipſa iuſtificatio. Tum etiam quia contritioni non debetur ex iuſtitia gratia, aut remiſsio peccati, ad quam ſequitur reuiuiſcentia meritorum: nec enim meretur iure debiti cõdigni, alias prima gratia caderet ſub merito cõdigni, quod eſt contra fidem: nec iure ſatisfactionis condignæ quia nec habet vim ſatisfactionis,

Digitized by Google

nis niſi vt ſubſequitur ad gratiam & informatur per illam vt ſupra docuimus, nec adhuc vt ſic informata eſt condigna, ſed imperfecta ſatisfactio: ergo nec illi debetur ex iuſtitia meritorum reuiuiſcentia: ſi quidem hæc cum acceſſoria ſit ad gratiam ſequitur naturam principalis. Tum denique quia aliquando reuiuiſcentia fit per ſolam attritionem cum ſacramento, & eſt eiuſdem rationis cum illa, quæ fit per contritionem: ergo ſicut quando fit per attritionem non eſt opus iuſtitiæ fundatum in condignitate attritionis, ita nec quando fit mediante contritione.

Denique quod nec tertium patet, quia deſtructis duobus prioribus titulis deſtruitur tertius qui ex illis conflatur. Deinde ſecunda pars concluſionis probatur ex rationibus factis pro prima, nã ex illis conſtat reuiuiſcentiam nullatenus eſſe opus iuſtitiæ perfectæ, nullumque ius ſupponi in homine ad illam: ſed fieri mere gratis ſicut ipſam remiſsionem peccati: at ſi eſſet opus ex æquo ſimul iuſtitiæ, & miſericordiæ deberet eſſe ſub aliqua ratione opus iuſtitiæ, & ſupponere ius in homine, atque non fieri mere gratis: ergo.

Satis fit argumẽtis aduerſariorũ

22 Ad primum pro prima ſententia patet iuxta ſolutionem ibi aſsignatam, ad cuius primam probationẽ patet etiam ex tertia ratione facta pro concluſione: ad ſecundam reſpondetur negando antecedẽs, quia ablatio mortificationis fit per duplicem cauſam: altera eſt per ſe, & directè cauſa illius, & hęc eſt gratia antiqua, & condignitas ſiue valor præcedentium meritorum permanens in diuina acceptatione: altera eſt per accidens vt remouẽs prohibens. & hæc eſt pœnitẽtia & gratia pręſens in qua reſurgit peccator: ad eum modum quo gratia baptiſmalis infuſa in ſacramento pœnitentiæ poſt baptiſmi fictam ſuſceptionem, cauſatur à duplici cauſa, & à baptiſmo per ſe, & directè, à ſacramento vero pœnitentiæ mediate, & per accidens vt à remouente prohibens. & quia cauſa formalis intrinſecè includitur in ſuo effectu, & illius communicatio non ſupponitur ad effectum eius, ita communicatio iterata gratiæ priſtinæ, & condignitatis meritorum in ipſa fundatæ, in qua formaliter conſiſtit reuiuiſcentia non ſupponit gratiam ipſam communicatam, aut eius effectum formalem, ſed potius illum includit.

Ad ſecundum nego antecedens, licet enim poſsit iuſtus petere, & conſequi à Deo ſuam reparationem poſt lapſum per modum impetrationis non tantum per modum meriti de condigno propter duo: tum quia alias ipſa merita præcedentia eſſent adæquata cauſa ſuæ reuiuiſcentiæ, & viuificarent ſeipſa; quod tamen eſt impoſsibile cum nihil ſuam vitam cauſare poſsit: tum etiam, quia in termino talis meriti inuoluitur indignitas ſubiecti, vſque ad inſtãs remiſsionis peccati, quæ remiſsio fit ex gratia & non cadit ſub merito, ac perconſequens nec reparatio priſtinæ gratiæ, aut meritorum cadit ſub merito.

Ad tertium nego antecedens, ad cuius probationem patet ex dictis.

Ad quartum nego ſequelam, quia vt merita reuiuiſcant quoad premium eſſentiale ſatis eſt quod recuperent ius conſequendi gloriam debitam ipſis ex iuſtitia, & cuius conſecutio ſit opus iuſtitiæ, quãuis recuperatio ipſa meritorũ nõ ſit opus iuſtitiæ, ſed ſolius miſericordiæ.

Dubitatur quarto. An merita reuiuiſcant in ordine ad totum augmentum gratiæ, & gloriæ, quod antea habebant condiſtinctum ab illo, quod præſenti diſpoſitioni correſpondet?

23 IN hoc dubio duæ verſantur ſententię: prima aſſerit merita ſemper reuiuiſcere quoad integrũ premium eſſentiale, ita vt vltra gloriam illam ad quam reſurgens habet ius ex vi præſentis contritionis & gratiæ ei correſpondentis, etiam adquirat ius ad totam gloriam priſtinæ gratiæ, & meritis præcedentibus correſpondentem: ita Scotus in 4. di. 22. q. 1. Enriquus quodlibeto 5. q. 23. Durãd. in 3. diſt. 13. q. 2. Adrian. in 4. tract. de ſatisfact. q. 2. Med. C. de pœnit, tract. 1. q. 8. Couarr. in c. *Alma mater*, 1. p. § 4. Suarez in relection. citata diſp. 2, ſect.

2. ſect. 2. & Vazq. p. 2. diſp. 227. a cap. 6. ex quibus auctoribus alij, de quorum numero eſt Enriquus volūt hominem per pœnitentiam ſemper reſurgere in æquali gratia, & iure adæqualem gloriam cū illa quę ante lapſum eius meritis debita erat. Alij verò, de quorum numero ſunt Nominales Suarez, & Vazquez volunt hominē per pœnitētiam ſemper in maiori gratia reſurgere, & iure ad maiorem gloriā, quam ante lapſum promeruerat, quia nimirum habet plura merita, antiqua ſcilicet omnia, & inſuper meritum præſentis diſpoſitionis per quam reſurgit. Qui ſuam ſentētiā probant quadrupliciter: primo, quia merita mortificata reuiuiſcere nihil aliud eſt, quā illa recuperari quoad aliquid premij eſſentialis ipſis debiti: ſi enim recuperētur quoad premium totum reuiuiſcunt in totum, & ſi recuperentur quoad partem reuiuiſcunt ſecundum partem. Sed non eſt ratio quare reuiuiſcant, quoad partem, & non quoad totam quantitatem premij eſſentialis: ergo dicendum eſt illa reuiuiſcere quoad totum. Maior patet, quia merita reuiuiſcere eſt illa recuperare eandem vim quam antea habebant: antea vero habebāt vim perducendi hominem in tantam gloriam, ac proinde vt reuiuiſcant debent recuperare vim perducendi hominem in eandem gloriam, vel in totum, vel . cundum partem. Minor vero probatur, quia præcedens diſpoſitio non magis concurrit ad partem, quam ad totam quantitatem illorum: ſiquidem ex natura rei non eſt diſpoſitio ad reuiuiſcentiam meritorum, vtpotè cum poſſit ſaluari abſq; illa, in eo qui nulla habuit merita ante peccatum: neque ex lege Dei quia nullibi conſtat talis lex taxans præſenti contritioni partem iuſtitiæ præcedentis; ergo. Quod ſi dicas ad reuiuiſcentiam ſufficere quod recuperetur eadem vis perducendi in premium eſſentiale quoad totum cathegorematicè, ſed non quoad tantum, vel quoad totum ſyncathegorematicè & totaliter. Contra hoc eſt, nam etiam ſi nulla merita mortificata recuperaret adhuc ex vi præſentis cōtritionis; v. g. vt duo, conſequeretur gratiam, & ius ad gloriam vt duo, independēter à precedentibus meritis, ac proinde nihil premij eſſentialis debiti ipſis recuperaret, quod eſt illa nec ſecūdum partem, nec ſecundum totum reuiuiſcere.

Secundo probatur, nam effectus impeditus remoto impedimento integer recuperatur, & ponitur in eſſe, vt patet in quolibet agente naturali, quod ſi liberetur ab impedimento producit eundem effectum quem produceret à principio, ſed effectus gratiæ, & meritorum præcedentium quoad ſubſtantiam, & quantitatem premij eſſentialis fuit tātum impeditus per peccatum, vt ſupponimus: remoto ergo impedimento per pœnitentiam integer effectus debet recuperari, ac proinde debet homo reſurgere in tota gratia amiſſa cum toto valore, ac iure meritorum ad premium eſſentiale.

24 Tertio, nam ſi merita non reuiuiſcerent ad totum premium, hoc eſſet quia pœnitens non reſurgeret in tanta gratia, quanta fuerat ante mortificationem, hoc eſt fundamentum oppoſitæ ſententiæ, & D. Th. in hoc art. 5. Sed hoc non obſtare probatur tripliciter. Tum quia quando contritus accedit ad ſacramentum recipit maiorem gratiam, quam reciperet cum ſola contritione extra ſacramentum, vtpotè cum ſacramenta nouæ legis cauſent gratiam ex opere operato, ac proinde maiorem gratiam cauſant in re ſuſcepta, quam in ſolo voto: & tamen talis gratia non cōmenſuratur phiſicè præcedenti diſpoſitioni per quam pœnitens reſurgit: ergo. Tū quia determinat Concil. Trid. ſeſ. 6. c. 10. & 19. & can. 24. & 32. per quæcumque bona opera, ſiue intenſa, ſiue remiſſa quibus mandata ſeruantur, hominem creſcere in iuſtitia, & ſāctitate, ideſt in gratia: ergo gratia non correſpondet noſtris actibus vt phiſicę, ſed tantum vt morali diſpoſitioni, ac proinde gratia in qua pœnitens reſurgit non debet præſenti diſpoſitioni commenſurari. Tum denique quia licet actus charitatis, & pœnitētiæ reſpectu gratiæ, quæ de nouo confertur habeant rationem phiſicę diſpoſitionis cui illa ſit commenſuranda, tamen reſpectu recuperationis priſtinę gratiæ contritio, per quam pœnitens reſurgit nequit eſſe phiſica diſpoſitio, ſiquidem tantum ſe habet reſpectu illius vt cauſa remouens prohibens, ac proinde non debet illi proportionari, nec dari iuxta mēſuram illius, effectus enim conſecutus ad remotionem impedimenti nō cauſæ remouenti, ſed cauſæ impeditæ commenſuratur, vt in naturalibus perſpicuū eſt: ergo.

Qu:rtū deſumitur ex duplici inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia: primum eſt Deum eſſe iniuſtum, & obli-

Digitized by Google

obliuiſci operis noſtri boni ſiquidem contra iuſtitiam eſt merita relinquere irremunerata, & priuata debito premio; ita vt ſi priuentur illo quoad totũ, ſit iniuſtitia circa totũ, & ſi priuentur premio quoad partẽ, ledatur iuſtitia quoad partem, & ſic obliuiſcatur Deus illorum operum, ſiquidem obliuiſci Deum nihil aliud eſt, quam non tribuere premium promiſſum operibus, ſiue quoad totum, ſiue quoad partem facta proportione, quod tamen eſt contra illud Pauli ad Hebr. 6. *Non enim iniuſtus eſt De⁹* &c. & illud Pſal. 10 *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.*

Secundum eſt, quod peccatum iam dimiſſum adhuc noceret pœnitenti, & Deus recordaretur iniquitatis præteritæ dimiſſæ, ſiquidem propter peccatum illud ſubſequens adhuc puniretur pœnitens priuatione reuiuiſcentiæ, & recuperationis gratiæ deperditæ ſecundum partem, vel ſecũdum totum, quod tamen eſt contra illud Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam omnium eius iniquitatum non recordabor*, & etiã Ezechielis 33 *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.*

25 Secunda ſententia aſſerit merita mortificata non reuiuiſcere quantum ad ius premij eſſentialis niſi iuxta menſuram & proportionem præſentis diſpoſitionis, & gratiæ in qua pœnitens reſurgit, ita Bonau in 4. diſt. 14. a. 2. q 1. Capreol. & Palud. ibidẽ q. 1. a. 3. Soto diſt. 16. q. 2. ar. 2. Alenſ. 4. p. q. 77. memb. 5. Caiet in art. 5. huius quæſtionis. Valencia vbiſ. punct. 1 & 3. Petrus de Soto lect. 6. de pœnitentia Bañes 2. 2. q. 24. a. 6 & Aluarez lib. 7. de auxilijs diſp. 61. qui auctores in explicãda huiuſmodi proportione reuiuiſcentiæ meritorum, & recuperatione gratiæ deperditæ ad præſentem diſpoſitionem, & gratiam in qua penitens reſurgit: diuiduntur in tres modos dicendi: Alij enim, vt Paluda. Petrus de Soto, Caiet. & Bañes dicũt, hanc proportionem conſiſtere in quadam æqualitate iuſtitiæ deperditæ, & præſentis diſpoſitionis, ita vt tot gradus illius dũtaxat recuperentur, quot ſunt gradus iſti⁹ vt ſi Petrus reſurgit cum contritione, vt quatuor vltra nouam gratiam, quam recipit vt quatuor commenſuratam eidem cõtritioni, recipiet demeritis antiquis dumtaxat valorem, & ius ad gloriã, vt quatuor. Alij vero, de quorum uumero ſunt Soto, & Aluarez dicunt, conſiſtere in quadam proportionalitate meritorum precedentium ad preſentẽ contritionem, cuius regula ſit ſumma contritio, non abſolute quidẽ ſed quæ per Dei auxilium hic & nunc poteſt haberi, ita vt ſumme contritioni reſpõdeat totalis reuiuiſcẽtia meritorum, & medietati medietas, & quartæ quarta pars meritorum. Huc accedit aliorum explicatio circa hanc ſummam contritionem, quam conſtituunt ſummam non ſolum reſpectu auxilij diuini; ſed etiam reſpectu ſtatus peccatoris, & quantitatis peccatorum à quibus reſurgit: ita vt illa ſit ſumma quæ à peccatore deſiderari poteſt, ac perconſequens ſufficiens ad integram meritorũ recuperationem, quæ eſt ſufficiens ad integram remiſsionem peccatorum quoad culpam, & penam obtinendam, & huius ſummę medietas erit ſufficiẽs ad medietatem, & quarta ad quartam partem meritorũ recuperandam, quod probant iſti auctores dupliciter.

Primo, nam contritio non eſt ſolum diſpoſitio ad gratiam, quæ de nouo confertur, ſed etiam ad reuiuiſcentiam meritorũ mortificatorum: ergo etiam hæc debet dari iuxta quãtitatem illius, vt docet D. Th. a. 2. & 5. huius quæſtionis, ac proinde tot gradus iuſtitiæ, & dignitatis priſtinæ recuperat pœnitens, quot ſunt in contritione, per quam reſurgit: cuius regula nulla alia eſſe poteſt niſi ſumma contritio in ſenſu explicato.

Secundo, nam merita mortificata comparantur aquæ congelatæ, & impeditę ne fluat, teſte Aug. Pſ. 125. ſuper illud, *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro*, ideſt *pœnitẽtia, auſtro aquæ ſũt merita*, &c. & Ieremię 6, *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ita frigidam, fecit Iſrael iniquitatem ſuam*, & Ioann. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitã æternam*, ideſt, *meritorum*, quæ ante aduentum charitatis, & pœnitentiæ erant congelata frigore peccati, ſed aqua ſic congelata non ſtatim reſoluitur totaliter, ſed ſecundum partem: ergo nec merita mortificata ſtatim reuiuiſcunt in totum, ſed ſecundum partem quaſi liquefiant iuxta qaantitatem feruoris charitatis, & contritionis ex auxilio Spiritus ſancti, iuxta illud Pſ. 147. *Cryſtallum ſuã mittit ſicut buccellam, ante faciem frigoris eius quis ſubſtinebit, emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea*, &c. Alij denique, de quorum numero eſt Valentia aſſerunt huius proportionis regulam eſſe ſolam diuinæ miſe

ricor-

ricordiæ, & voluntatis taxationẽ, quæ in beneficio reuiuiſcentiæ attendens non ſolum ad præſentem, ſed etiam ad præteritæ charitatis, & contritionis diſpoſitionem, voluit, vt prçter nouam gratiam correſpõdentem præſenti diſpoſitioni aliquid amplius de præterita recuperaret, vtpote quia liberalior eſt Deus ad reparationem gratiæ deperditæ, & antiquis meritis debitæ: ſed pro explicatione veritatis.

Reuiuiſcẽtia tantum fit ſecundũ menſuram præſentis diſpoſitionis quoad quantitatẽ gratiæ receptæ.

26 Dico primo: in reuiuiſcentia meritorum non fit recuperatio gratiæ deperditæ, & iuſtitiæ antiquæ niſi iuxta menſuram præſentis diſpoſitionis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ: & probatur primo, ex teſtimonijs D. Thom. quorum primum habetur in ar. 2. huius quæſtionis ſub his verbis: *Secundum quod motus liberi arbitrij in pœnitentia eſt intenſior, vel remiſsior ſecundum hoc pœnitens conſequitur maiorem, vel minorem gratiã contingit autem intenſionem motus pœnitentis quandoque proportionatam eſſe maiori gratiæ, quam illa à qua ceciderat per peccatum: quandoque autem æquali, quandoque verò minori, & ideò pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia, quam prius habuerat, quandoque minori, & quandoque æquali, &c.* Ex quibus plane colligitur quod tota gratia in qua pœnitens reſurgit commenſuratur præſenti diſpoſitioni, & quia hæc aliquando eſt maior, aliquando æqualis, aliquando minor: ideò aliquando exæquatur per maiorem, aliquando per minorem, aliquando per çqualem gratiã, quã fuerat deperdita.

Secũdũ habetur ar. 5. ad 3. vbi ſic reſpõdet D. Th. ad 3. dicendũ, quod ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate conſequitur quidem premiũ eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis in qua inuenitur, habebit tamen maius gaudium de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in ſecũda fecit quod pertinet ad premiũ accidentale: in quibus verbis tria inſinuat D. Th. primum eſt, quod aliquando reſurgit pœnitens in minori gratia & charitate, quam fuerat amiſſa, in quo directe auctoribus primæ ſententiæ contradicit: ſecundum eſt, quod ille conſequitur premium eſſentiale ſecundũ menſuram gratiæ & charitatis in qua inuenitur, in quo illud verbum *conſequitur*, non refertur ad tempus in quo reſurgit pœnitens, ſed ad vltimum tempus vitæ in quo premium conſequitur, ita vt ſenſus ſit quando homo reſurgit non ſtatim habebit totam charitatem amiſſam nihilominus erit acceptus ad totum premium eſſentiale, quod conſequitur in fine vitæ iuxta quantitatem gratiæ, & charitatis, in qua tunc inuentus fuerit: tunc enim inuenitur in maiori gratia; & charitate quæ per modum premij illi conferretur ſi in diſcurſu vitæ ad illam recipiendam per modum formæ non ſe diſpoſuerit per actum feruentiorem.

Tertium eſt, quod facta comparatione inter premium accidentale correſpondẽs bonis operibus ante lapſum, & premium accidentale correſpondẽs bonis operibus poſt pœnitentiam, illud erit maius quam iſtud vtpotè cum illa opera iam viuificata ſint materia maioris gaudij. Tertiũ teſtimonium habetur in 1. 2. q. vlt. art. 8. ad 1. vbi reſpondet D. Th. quod ſicut homo quolibet actu meritorio etiã remiſso meretur vitam æternam; ita meretur augmentum gratiæ, ſed ſicut vita æterna non ſtatim, ſed ſuo tempore reditur, ita nec gratia ſtatim, ſed ſuo tempore augetur cum ſcilicet homo fuerit ſufficienter diſpoſitus ad gratiæ augmentum, & 2. 2. q. 24. art. 6. explicans, quæ ſit hæc ſufficiens diſpoſitio, ait eſſe actum feruentiorem dilectionis quo homo conatur ad charitatis augmentum, ex quibus locis tale deducitur argumentum. Iuſtus in gratia, & charitate, vt quatuor conſtitutus ſi eliciat dilectionem vt duo non ſtatim conſequetur augmentum gratiæ, quoad vſque ſe diſponat per actum feruentiorem, ſed ſurgens à peccato per contritionem, vt duo poſt amiſſam gratiam & merita vt quatuor v. g. nõ debet eſſe melioris conditionis, quam alter qui ante lapſum habuit ſimilem actum ergo nec reſurgens per talem actum debet recipere augmentum gratiæ; ſupra duos gradus, antequam per feruentiorem actũ ſe diſponat.

Secundo probatur: quia in Concil. Trident. ſeſ. 6. c. 7. decernitur; quod quando adultus iuſtificatur, accipit gratiam iuxta menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & iuxta menſurã diſpoſitionis ſubiecti: ergo gratia, quam accipit homo reſurgens a peccato debet commenſurari eius diſpoſitioni, ac proinde ſi hæc fuerit minor, quam præcedens etiam tota gratia illi infuſa erit minor, quã præcedens.

Huic argumento reſpondet Suarez in dict. ſect. 2. n. 26. dupliciter: primo, quod hæc

hæc commenſuratio ſolum exigitur à Cõcilio inter gratiam nouam, per ſe pertinentem ad hominis iuſtificationẽ, & eius diſpoſitionem, non autem inter gratiam reſpondentem eius meritis præteritis, & præſentem contritionem, quoniam illa gratia, non per ſe, ſed per accidens pertinet ad huius hominis iuſtificationem, cui accidentale fuit habuiſſe merita ante peccatum, & iuſtificari ſimul reſurgendo ab illo.

Secundo reſpondet, quod pręſens contritio, habet rationem duplicis diſpoſitionis, nã per ſe ſumpta eſt diſpoſitio ad gratiam nouam, & vt coniuncta meritis antiquis, iam viuificatis eſt diſpoſitio ad totã gratiam deperditam, ac proinde illam ſtatim in totum recuperant.

Sed vtraque ſolutio eſt inſufficiens: prima quidem nam vel gratia iuſtificans appellatur a Cõcilio ſolus ille gradus, qui ſufficit hominem iuſtificare, vel tota gratia, quæ infunditur peccatori in inſtanti conuerſionis à Deo ex vi actionis iuſtificantis: ſi primum, ſequitur quod ſolus primus gradus gratię daretur iuxta menſuram diſpoſitionis ſubiecti, & nullus alius etiam illius gratiæ: quæ de nouo cõfertur, ſiquidem ſolus primus gradus eſt per ſe requiſitus, & ſufficiens ad iuſtificationem: ſi ſecundum, ſequeretur quod non ſolum noua, ſed etiam recuperata debet dici gratia iuſtificans: ſiquidem tota illa datur tũc per modum formæ ac primæ gratiæ, & ita tota debet diſpoſitioni recipiẽtis cõmẽſurari, quod eſt intentum, ſed primum eſt contra mentem Concilij. Secunda verò propter duo: tum quia contritio non eſt diuerſæ rationis in illo, qui habuit merita mortificata, atque in illo qui abſque meritis præcedentibus mortificatis iuſtificatur de nouo: ergo ſicut in iſto non ſortitur duplicis rationem diſpoſitionis, ita nec in illo: tum etiam quod merita antiqua quando viuificantur per præſentem contritionem non poſſunt concurrere cũ illa per modum phiſicæ diſpoſitionis: ſiquidem nullum eſſe phiſicum habet in ſubiecto, nec per modum diſpoſitionis moralis, hoc eſt per modum meriti, nam alias daretur huic homini gratia deperdita per modum premij, & intuitu precedentium meritorum, ac proinde prima gratia quæ datur in primo inſtanti iuſtificationis caderet ſub merito, & ſic formalis ipſa recuperatio antiquæ gratię & meritorum reuiuiſcentia eſſet opus iuſtitię, cuius oppoſitum oſtendimus dub. præcedenti: ergo ratio noſtra manet inconcuſſa.

28 Dico ſecundo. Nihilominus omnia merita mortificata ſtatim per pœnitẽtiam recuperantur cum toto valore, & iure ad premium eſſentiale ipſis debitum, & non ſolum iuxta menſuram, & quantitatem gratiæ correſpondentis præſenti diſpoſitioni.

Reuiuiſcũt tamen merita cũ toto iure, & valore ad gloriam.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententię: & probatur primo, nam vel in reuiuiſcentia meritorum accipit pœnitens ius ad aliquam perceptionem gloriæ eſſentialis debitæ antiquis meritis vltra illam, quæ debetur merito præſentis contritionis vel non: ſi primum cũ non ſit maior ratio de vna parte quantitatis gloriæ, quam de alia, conſequens eſt, quod aut recipiet ius ad gloriam debitam ſecundum totum, aut nihil illius recipiet: ſi ſecundum ſequitur non ſaluari vere, & propriè niſi nomine tenus reuiuiſcentia meritorum: ſiquidem nihil iuris, aut valoris priſtini recuperat pœnitens vltra ius, & valorem præſentis contritionis erga premium eſſentiale, quod eſſe temerariũ, & errori proximum oſtendimus dub. 24 præcedenti: ergo.

Secundo probatur, labefactando tres illos modos defendendi prædictam ſentẽtiam: primus enim deficit propter tria: tũ quia contritio præſens non concurrit per ſe & directè ad recuperationem præcedẽtium meritorum, nec ſe habet ad illam vt diſpoſitio, ſed tantum vt cauſa remouens prohibens cui proinde non debet commẽſurari: ergo non eſt cur huiuſmodi recuperatio fiat iuxta menſuram præſentis diſpoſitionis & gratię illis correſpondentis. Tum etiã, quia præſens contritio, ſiue diſpoſitio adæquate diſponit ad gratiã, quæ de nouo confertur iuxta menſuram ipſius & conſequenter adæquate diſponit ad ius & acceptationem ad primam gloriam ipſi debitam: ergo nullatenus diſponit ad ius, & acceptationem ad gloriam debitam præcedentibus meritis, ac proinde, aut hæc non recuperatur ex vi pręſentis contritionis, aut recuperatur tota acceptatio, & valor recuperabitur per quancumque minimam cõtritionem. Tum denique propter duo inconuenientia, quæ ex hac ſententia ſequuntur: primum eſt, quod habens plura merita mortificata vix aut numquã poſſet illa recuperare eo quod indiget multiplicatione, ac tanta actuum pœnitentiæ

&

& charitatis repetitione, quæ ferè eſt impoſsibilis in diſcurſu huius vitæ, quod tamen prædictæ legi miſericordiæ diuinæ de meritis viuificandis repugnat.

Secundum, quod ex duobus hominibus habentibus inæqualia merita mortificata, reſurgentibus tamen per contritionem eque intenſam vterque reſurgeret ad æqualem valorem, & acceptationem ad gloriam eſſentialem, quod etiam eidem legi, imò & iuſtitiæ diuinæ repugnat, quia ſumma æqualitas, ſumma iniuſtitia eſt, vbi eſt inæqualitas meritorum. Deinde ſecũdus modus deficit propter tria, tũ quia ſumma contritio, aut dicitur ſumma abſolutè, aut reſpectiuè; hoc eſt reſpectu auxilij efficientis mouentis ad pœnitendum: non primo modo; quia abſolutè non eſt dabilis ſumma contritio, ſicut nec in gratia, aut charitate eſt dabilis maximus terminus augmenti, vt etiam aduerſarij fatentur: nec ſecundo modo, quia ſic quælibet contritio eſt ſumma ſiquidẽ ad efficaciam auxilij pertinet vt operetur ſecundum vltimũ ſuæ potentiæ, ac perconſequens vt producat actum ſibi æqualem in intenſione: ergo. Tum etiam, quia illa proportio regulata à ſumma contritione eſt contra diuinam æqualitatem, & coincidit cũ ſententia Nominalium, quam vult vitare: & facit peccatorem melioris cõditionis quã perſeuerantem in gratia, quæ omnia abſurda ſunt. Quorum primum patet, quia ad diuinam æqualitatẽ pertinet vt habenti maiorem diſpoſitionem in duplo detur maior gratia in duplo ſicut pertinet vt habenti perfectiorem naturam accipiat perfectiores proprietates eidem debitas, teſtè Diu. Tho. 1. p. q. 21. ar. 1. ſed ille, cuius ſumma contritio eſſet vt duo, reciperet magis de iuſtitia deperdita: quam alter cuius cõtritio vt quatuor eſſet citra ſummam. Secundum verò patet, quia in caſu quo homo decedes à gratia, & meritis reſurgat per ſummam contritionem, v.g. vt duo tota iuſtitia huius hominis recuperatur: quia vltra duos gradus nouæ gratiæ recipit totam latitudinem gratiæ deperditæ: tum patet nã reſurgens à peccato per ſummam contritionem vt duo, recipit vltra duos gradus nouæ gratiæ totam deperditam, vt volũt iſti auctores, perſeuerãs autẽ in gratia vt quatuor ſi eliciat cõtritionẽ vt duo, nõ recipit ſtatim tale augmẽtũ vt ex ſẽtẽtia D. Th. oſtẽdimꝰ q. 24. de charit. a. 6. dub. 4. ergo. Tũ denique quia ex hac ſentẽtia ſequitur melioris conditionis eſſe cadentẽ à maiori iuſtitia, & reſurgentem per minorem contritionem, quam cadentem à minori iuſtitia, & reſurgentem per magis intenſam contritionem, quod tamen eſſe falſum conſtat ex maiori ingratitudine illius & meliori diſpoſitione iſtius: ergo. Sequela patet in duplici caſu. Primus eſt, ſi Petrus & Ioanes cadant à iuſtitia inæquali, & reſurgant per æquales cõtritiones ſummas. Secundus eſt, ſi Paulus & Franciſcus cadant ab æquali iuſtitia, v. g. vt duo & reſurgant per inæquales contritiones, alter quidem per contritionem ſummam, vt duo: alter verò, vt quatuor citra ſummam: ille quidem reparabit totam ſuam iuſtitiam, ſecus verò iſte: ergo. Tandem tertius modus deficit, tum propter eadem inconuenientia ex ſecundo modo illata, tũ etiam quia regula huius proportionis, aut eſt præſens contritio ex natura rei, aut ex aliqua lege, & voluntaria Dei ordinatione: ſed non primum quia cum omnes contritiones ſint eiuſdem ſpeciei, non eſt cur magis vna, quam alia diſponat ad meritorum præcedentium, & iuſtitiæ recuperationem. Nec ſecundum, quia talis lex, vel ordinatio nullibi conſtat, nullibi eſt reuelata, aut diffinita, ac proinde à nobis reijcitur. Dicẽdum eſt ergo per quamcũque contritionem quantumuis minimam reſurgere pœnitentẽ in toto valore, & iurè præcedentium meritorum circa premium eſſentiale: quãuis gratiã deperditã in eſſe qualitatis nõ recuperet, niſi per actũ feruẽtiorẽ in hac vita ſe diſponat, aut in alia per modum premij de quo dub. ſeq. dicemus.

Occurritur fundamẽtis aduerſariorum.

29 Ad primũ igitur, & ſecundũ pro prima ſententia reſpõdetur, quod probãt noſtrã ſecundam concluſionẽ. Ad tertiũ quatenus intẽdit, quod in reuiuiſcẽtia ſemper fiat recuperatio totius gratię deperditæ in eſſe phiſico & qualitatis, & non ſolũ in eſſe morali, hoc eſt quantum ad ius, & acceptationẽ ad gloriã per merita negãda eſt min. Ad cuius probat. primã, reſpondetur quod gratia collata in ſacramentis depẽdet in adultis à diſpoſitione ſuſcipiẽtis, tamen excedit quãtitatẽ diſpoſitionis ſecũdũ ſe cõſideratæ, auctore ſacramẽtorũ ita diſponẽtẽ, qui ſicut ſuplet defectũ diſpoſitionis in paruulis recipientibus gratiã per baptiſmũ, ita in adultis ſuplet defectũ maioris diſpoſitionis, dũ illis per ſacramenta ex opere operato cõfert maiorẽ gratiã, quã alias cõſequerentur ex opere operãtis ex

ſacramentũ ex vi talis, ac tantæ diſpoſitionis, cum quo tamẽ ſtat quod ex lege & ordinatione Dei, gratia, quæ datur adultis ex opere operantis extra ſacramentũ in re ſuſceptũ ſit iuxta menſurã actus charitatis & cõtritionis, vt cõſtat ex dicta Cõc. Trid. determinatione, ſiue huiuſmodi actus ad gratiã phiſicè, ſiue moraliter tãtum diſponat. Ad ſecundã reſpondetur, quod ex dictis teſtimonijs Conc. colligitur hominem iuſtũ per quæcunque bona opera meritoria, quibus ſeruantur mandata, fieri quidẽ magis ſanctũ & iuſtũ non ſanctitate habituali, quæ in maiori gratia, & charitate formaliter conſiſtit, niſi opera ſint intenſiora quibus dumtaxat ſtatim prædicti habitus augẽtur, ſed maiori ſanctitate, ſiue virtuali, ſiue actuali, quæ in pluribus operibus meritorijs cõſiſtit vtpote a quibus vis, & acceptatio ad maiorem gloriã prouenit, & in quibus virtus gratię magis explicatur, & exercetur, ac proinde multiplicatis huiuſmodi operibus creſcit virtualis, & actualis hominis iuſticia, quamuis entitate prædictorũ habituũ ſolis actibus intenſioribus augeantur. Ad tertiam reſpõdetur, quod licet præſens contritio in ordine ad merita mortificata habeat ſe tantum vt remouens prohibens: tamen in ordine ad priſtinã gratiam, quæ in alia eiuſdem ſpeciei, & quãtitatis recuperanda eſt (ſupponimus enim eandẽ numero qualitatem gratiæ ſemel per peccatũ amiſſã numquã redire, ſicut eadẽ numero merita redeũt) ſiue ſit vt phiſica, vel moralis diſpoſitio, cui ex ordinatione Dei debet cõmẽſurari eo quod talis gratia datur reſurgenti per modũ primæ gratiæ: omnis autem prima gratia ſemper infunditur iuxta menſurã diſpoſitionis recipientis. Ad quartum argumentum reſpondetur, nullũ ſequi ex illis inconuenientibus in noſtra ſentẽtia, quæ adſtruit cuncta merita mortificata cũ toto iure & valore, per quãcũque minimã contritionem ſtatim reuiuiſcere; quamuis gratia deperdita non recuperetur in eſſe phiſico, niſi vel in hac vita iuxta menſurã præſentis diſpoſitionis, vel in alia per modũ premij, & ſic nec peccatũ ſemel dimiſſum nocet pœnitẽti, nec Deus eſt iniuſtus aut obliuiſcitur operis noſtri: ſiquidẽ nullum meritum mortificatum relinquit irremuneratum in homine decedente in gratia, nulloque gradu gratiæ priſtinæ illum defraudabit. Ad primum pro ſecunda ſententia nego antecedens quia vt dictum eſt præſens contritio ad reuiuiſcentiã meritorum non ſe habet vt diſpoſitio & cauſa per ſe: ſed dumtaxat vt remouens impedimentum peccati. Ad ſecundum nego cõſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: quod in aqua congelata non aufertur impedimentum in inſtanti, ſed ſucceſsiuè, reſpectu autem meritorum mortificatorum tollitur impedimentum in inſtanti per contritionem; quę actio inſtantanea eſt, vtpotè in inſtanti elicita.

Dubitatur quinto. An in eodem inſtanti in quo pœnitens reſurgit per quamcunque contritionem, etiam minus intenſam, totam qualitatem gratiæ deperditæ, aut partem illius recuperet?

30 IN hoc dubio quatuor verſantur ſententiæ duæ extremæ, & aliæ duę mediæ, quarum prima abſolutè affirmãs eſt, quam ſequuntur *Quatuor ſententiæ recẽſentur.* Nominales relati, Medina Complut. Hẽricus, & alij quos retulimus pro prima ſententia dubij præcedentis quibus ſubſcribunt Suar. diſp. 2. dictæ relect. ſect. 2. & Vazq. vbi ſup. c. 7. & in hac q. a. 5. dub. 2. Quorum fundamenta ad hæc tria reduci poſſunt. Primũ eſt, quia per quãcũque contritionẽ etiã minimã, vel etiam per attritionẽ in ſacramento, ſtatim & in eodem puncto conuerſionis peccatoris omnia eius antiqua merita reuiuiſcunt, vt dictũ eſt ſed non poſſunt reuiuiſcere, niſi tota gratia in qua fuerant fundata ſtatim, & in eodẽ puncto recuperetur: ergo & hęc ſecundum totam quantitatem ſtatim recuperatur: Min. patet quia ſicut vitalitas actus ſupponit principium in quo radicatur: ita condignitas, & vitalitas meritorum debet ſupponere principium in quo radicatur, quod eſt gratia iuſtificans deperdita per peccatum, ſine eius proinde recuperatione nequeunt merita viuificari, hoc enim

non

non minus eſt impoſsibile, quam intellectionem; v.g. ſeruari ſine intellectu & omnia quæ ſunt vitalitatis ipſius principia.

Secundum, nam tota gratia antiqua, vel ex iuſtitia, vel titulo connaturalitatis antiquis meritis debetur ad hunc ſenſum, quod illa portio, quæ fuit prima gratia, debetur primæ contritioni, vt diſpoſitioni iure connaturalitatis, ſicut forma cōnaturaliter debetur ſubiecto diſpoſito: portio verò alia quæ habuit rationem augmēti debita fuit meritis antiquis ex iuſtitia, vtpotè quibus illam homo tanquam debitum premium promeruit, ſed tam prima cōtritio, quam ſubſequentia merita ſtatim reuiuiſcunt in homine reſurgente per minimam contritionem, vtpote cū illa prima contritio etiam fuerit meritoria primæ gratiæ: ergo & tota quantitas primæ gratiæ eſt debita huic homini in eodem puncto cōuerſionis: tunc vltra, ſed vt aliquis recuperet vim ſuam, aut ſibi debitam non indiget alia diſpoſitione niſi remotione impedimenti, quæ remotio in noſtro caſu ſufficienter fit per minorem contritionem: ergo non eſt expectanda alia diſpoſitio ad recuperationem totius gratiæ deperditæ.

Tertium deſumitur, ab inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirum quod huiuſmodi merita iam viuificata poſſent de lege ordinaria, perpetuo carere augmento gratiæ ipſis debito: ſiquidem poteſt contingere quod pœnitens in diſcurſu vitæ, nunquam prorrumperet in actum feruentiorem; quod tamen fidelitati diuinæ promiſsionis contradicit iuxta illud Marci 9. *Qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem ſuam*: ergo.

31 Secunda ſententia aſſerit, quod homo reſurgens à peccato per quamcunque contritionem ſtatim vltra gratiam nouam, correſpondentem preſenti diſpoſitioni recipiat aliquid gratiæ deperditæ, licet non ſemper recipiat illam ſecundū totam quantitatem, ſed iuxta proportionem præſentis diſpoſitionis ad illam, vno ex tribus modis adductis pro ſecunda ſententia dubij præcedentis: cuius fundamenta ſunt eadem atque illius ſententiæ.

Tertia ſententia eſt Capreoli. Palud. & Bañes in locis citatis aſſerentium quod duntaxat quando homo reſurgit per actū intenſiorem, quā fuerat gratia, & diſpoſitio præcedens, recuperet ſtatim aliquam partē illius iuxta latitudinē exceſſus eiuſdē actus ſupra illā: quorū fundamēta ſunt eadē, quæ retullimus in q. 24. de charitate a. 6. dub. 4. ad probandum non actibus remiſsioribus, aut æqualibus, ſed ſolis intēſioribus diſponi hominem ſufficienter ad ſtatim recipiendū augmētū gratiæ & charitatis exceſſui eorundē actuū correſpondens, eo quod præſens diſpoſitio per quam homo reſurgit cōparatur ad gratiā deperditā, ſicut actus intenſior ad augmētū habitus præexiſtentis minus intenſi.

Quarta verò, & vltima ſentētia eſt Scoti ſupra d. 22. Durād. in 3. d. 37 q. 2. Marſilij, & Henrici vbi ſupra aſſerentiū gratiā deperditā per peccatū, nūquam in hac vita recuperari, ſed in ingreſſu alterius dari per modū premij, eiuſdē ſententiæ eſt Mōteſinos 1. 2. q. vlt. a. 8. pro cuius declarat.

Citra maiorē diſpoſitionē nihil gratia deperdita recuperatur.

Dico primo: quando pœnitens reſurgit a peccato per actū minoris, aut æqualis intenſionis cum gratia antiqua & eius diſpoſitione, neque gratiā deperditā in totū, nec in partē recuperat. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ, & ſecundæ ſententiæ; & probatur primo: nam omnis prima gratia iuſtificans datur in hac vita iuxta menſurā diſpoſitionis ſubiecti, vt oſtendimus dub. præcedenti, ſed ille qui reſurgit per diſpoſitionem vt duo v.g dūtaxat eſt diſpoſitus ad recipiendum duos gradus nouæ gratiæ pro eodem inſtanti vtpotè quibus adæquatè huiuſmodi quantitas nouæ gratiæ commenſuratur: ergo nullus gradus antiquæ gratiæ deperditæ illi correſpondet: ac proindè nullus ſtatim infunditur. Secundo, quia vt docet D. Th. a 2. contingit hominem reſurgentē a peccato per pœnitentiā aliquando in maiori, aliquādo in æquali, aliquando in minori gratia reſurgere, quam fuerat deperdita: ſed ſi ſtatim recuperet per quācunque diſpoſitionem totam gratiā amiſſam ſemper reſurgeret in maiori, quia illa ſuperaddita quantitati gratiæ, quam de nouo ſecū adducit præſens diſpoſitio; ſemper efficeretur maior; quā fuiſſet ſola gratia deperdita, & ſimiliter efficeretur ſi reſurgens per æqualem contritionem aliquam partem antiquæ gratiæ recipiat vltra nouam, quæ ratione illius ſuperadditæ excederet antiquam in intenſione, ac proinde non verificarentur duo membra diſtinctionis aſsignatæ à D. Th. quod non eſt admittēdū: ergo Tertio probatur, omnibus rationibus quib[9] in d. dub. 4. a. 6, de charitate oſtēdimus actib[9] meritorijs remiſsis nō ſtatim

augmentum gratiæ & charitatis ipſis debitum, pariformiter enim philoſophandum eſt de meritis antiquis iam viuificatis reſpectu quantitatis ſuæ gratiæ, ad quam vt merita remiſſa comparantur, ac proinde illam ſtatim non recipiunt ante aduentum ſufficientis diſpoſitionis.

Dico ſecundo, nec quando pœnitens reſurgit per actum feruentiorem recuperat ſtatim gratiam deperditam, ſed totam in alia vita recipit per modum premij. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores tertiæ ſententiæ, & probatur primo, quia nunquam pœnitens in diſcurſu huius vitę poteſt ſufficiēter ſe diſponere per actum feruētiorem ad receptionem deperditæ gratiæ: ergo reſeruatur conferenda per modum premij in alia vita: antecedēs probatur, quia quilibet actus feruentior adæquate diſponit ad gratiam quæ de nouo confertur, ita vt latitudo huius adæquate commenſuretur illius latitudini intenſiuę, ac proindè ad nullum gradum gratiæ deperditæ diſponere poteſt. conſequētia verò patet, nam alias daretur gratia iuſtificans in hac vita independenter à debita diſpoſitione ſubiecti, ac non per modū formæ: quod non eſt admittendum: ergo.

Secundo probatur, quia actus intenſior, nec ratione ſui exceſſus ſeorſum ſumpti, nec ratione exceſſus vt adiuncti præcedentibus meritis iam viuificatis diſponit ad receptionem gratiæ deperditæ: non primo modo quia exceſſus ſecundū totam ſuam latitudinem adęquatè diſponit ad augmentum ipſi debitum, de nouo ei correſpondens. Nec ſecundo propter duo, tum quia antiqua merita ſemel mortificata nihil reale relinquunt in ſubiecto. Tum etiam, quia alias priſtina gratia daretur vt terminus meritorum præcedentiū, ac proinde eius recuperatio fieret per modum premij debiti ex iuſtitia, quod oſtendimus eſſe falſum dub. 3, præcedenti, in quo mortificata merita à remiſsis nō mortificatis diſtinguntur, quod hæc vt adiuncta actui ſubſecuto feruentiori diſponunt ad receptionem ſui augmenti in hac vita recipiendi: ſecus verò illa, quæ ob rationes aſsignatas nequeunt diſponere per ſe, & præſenti contritioni aſſociata ad receptionem gratiæ deperditæ in diſcurſu huius vitæ.

33 Ad primum pro prima ſententia nego mi. quia vt merita reuiuiſcant nō opportet quod redeat modus phiſicus vitalitatis ipſorum, ſed ſolum moralis dignitas, & valor atque ſufficit vt acceptētur à Deo in ordine ad gloriam ipſis debitam in virtute talis condignitatis & valoris fundata in gratia antiqua quę eſt huic homini conferenda quando peruenerit in alia vita ad premij perceptionem.

Ad ſecundum admiſſa prima conſequentia neg. mai. ſumptam maximè quando talis res debita recipienda eſt per modum formæ quo pacto recipitur gratia, & eius augmentum in hac vita, imò & gloriā ipſā quæ dumtaxat confertur per modum premij non ſtatim atque illam promeremur conſequimur, ſed ſuo tempore, nimirum in alia vita vbi fit plena meritorum remuneratio.

Ad tertium reſpondetur, nullū eſſe inconueniens; nec contra diuinæ promiſſionis veritatem, ſi non recuperetur debitum gratię augmentum quamdiù homo ad illius receptionem in hac vita nō ſe diſponat, dum modo in alia per modum premij conferatur. Ad fundamenta autem ſecundæ, & tertiæ ſententiæ patet ex dictis dubio præcedenti.

Dubitatur ſexto. An per pœnitentiam recuperet ſtatim homo gratiam illam deperditam, quam abſque meritis fuerat conſecutus?

34 IN hoc dubio nomine gratiæ abſque meritis conſecutæ, duplex gratia communiter intelligitur à Theologis, nimirū illa quā ex opere operato per aliquod ſacramentū in re ſuſceptū homo accepit, & illa quā ex opere operantis adultus conſequitur per primā contritionem: vtraque enim habet rationem primæ gratię, atque proinde infunditur independenter a meritis, hoc eſt, nō vt terminus, nec intuitu alicuius meriti præcedētis, & de vtraque diſputāt Theologi, an ſtatim per pœnitētiā homo reſurgēs à peccato illam recuperet, in quo tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & alia media.

Explicatur titulus & ſtatus quæſtionis

Pri-

Prima ſententia eſt, quæ aſſerit quantunque contritionem etiam minimam, per quam homo reſurgat à peccato habere efficaciam ad ſtatim totam gratiam recuperandam, quam habuerat ſine meritis, ſiue illam, quam per ſuam diſpoſitionem extra ſacramentum, ſiue illam quam per ſacramenti operationem conſecutus fuerat.

Hanc ſententiam tuentur Nominales, & alij Auctores primæ ſententiæ dubij præcedentis, quos ſequitur Suarez ſect. 2 citata nu. 53 ex qua colligit num. 58. corolarium neceſſario inferendum, nimirũ, ſemper hominem reſurgentem à peccato, reſurgere cum maiori gratiæ cumulo, quã habuerat ante peccatum, eoquod reſurgit cum tota gratia deperdita, ſiue ex meritis ſiue abſque illis conſecuta, & inſuper cum illa quantitate gratiæ nouę, quæ præſenti diſpoſitioni correſpondet, quorum fundamenta ſunt eadem, quæ retulimus pro prima ſententia dubij præcedentis.

35 Secunda ſententia aſſerit ſolam gratiam correſpondentem antiquis meritis, atque illam quæ primæ contritioni correſpondet, recuperari ſtatim per pœnitentiam, illam autem quæ ex opere operato per ſacramẽtum fuerat collata, nunquam reſtitui per quamcunque etiam inténſiorem contritionem pœnitens reſurgat, ita Vazqu. vbi ſupra cap. 7 a nu. 55. qui in hoc ab auctoribus primæ ſentẽtiæ declinauit, conſequenter ad ſuam loquẽs ſententiam: ex qua tamen infert aliud corollarium neceſſario inferendum, nimirũ hominem per pœnitentiam aliquando ad maiorem, aliquando ad æqualem, & aliquando ad minorem reſurgere gratiam, eoquod quamuis facta comparatione gratiæ præſentis in qua reſurgit ad gratiã priſtinam, habitam dependenter à meritis, & a prima contritione ſemper illa ſit maior iſta propter gradum ſuperadditum ex vi præſentis diſpoſitionis: tamen defectu ſacramẽtalis gratiæ, quæ poteſt eſſe maior, æqualis, aut minor, quam alia gratię portio correſpondentis meritis, & cooperationi liberi arbitrij, ideò abſolutè poteſt contingere pœnitentem ad maiorem, vel ad æqualem, vel ad minorem gratiam reſurgere, cuius ſententiæ fundamenta ſunt quinque.

Primum fundamentum eſt, nam de his quæ dependent ex libera voluntate Dei, ſolum id, quod reuelatur aſſeuerandũ eſt; at reſtitutio gratiæ deperditæ eſt dependens ex mera Dei voluntate, & ordinatione, & aliàs nullibi reuelata eſt reſtitutio gratiæ, quæ per ſacramenta confertur ex opere operato: ergo talis gratiæ reſtitutio non eſt adſtruenda.

Secundum eſt, quod ſi propter aliquam rationem adſtruenda eſſet: maximè propter excellẽtiam meritorum Chriſti, ſed hanc rationem non eſſe ſufficientem ex eo patet: quod plures alię excellentię potuerunt competere meritis Chriſti de potentia abſoluta, quæ tamen illis, de facto ex ordinatione Dei fuerunt denegatæ: cuiuſmodi ſunt iuſtificatio Angelorũ, & Incarnatio Patris, vel Spiritus ſancti, ad quas promerendas potuerunt de potentia abſoluta extendi merita Chriſti, quas tamen de facto non promeruerunt: ergo ſimiliter & hæc excellentia promerendi reſtitutionem gratiæ ſacramentalis eſt illis deneganda; ſiquidem non magis de hac quam de illis hucuſque conſtat.

Tertium eſt ab inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirũ quod quando merita Chriſti remoto impedimento peccati ſortiuntur in pœnitente prædictum gratiæ effectum, dicantur reuiuiſcere, quod non eſt admittendum: ergo. Sequela patet, quia illud meritum dicitur reuiuiſcere, quod ſortitur effectum à quo per peccatum fuerat impeditum, & tale eſſet meritum Chriſti. Minor autem probatur, quia nullum meritum dicitur reuiuiſcere niſi prius fuerit mortificatum, meritum vero Chriſti nunquam fuit mortificatũ, quia nec per propriũ, nec per alienum peccatum potuit mortificari, vtpotè cum illud ſit impoſsibile, & iſtud in alio ſubiecto: ergo.

Quartum eſt, nam propterea prima gratia collata extra ſacramentũ adulto non reſtituitur, niſi iuxta menſuram pręſentis diſpoſitionis quia cõfertur depẽdẽter a cooperatione liberi arbitrij ſuſcipientis, & intuitu illius, vt diſpoſitionis, ſed etiã gratia ſacramẽntalis infunditur maior, aut minor ex opere operato iuxta maiorem, vel minorem deuotionem, & diſpoſitionem ſuſcipientis, vt probabilis tenet ſententia Theologorum: ergo eadem ratione non debet reſtitui niſi iuxta menſuram præſentis diſpoſitionis, ac proinde ſaltem quando hæc fuerit minor, aut æqualis nihil de quantitate huiuſmodi gratiæ reſurgens conſequitur. Quintum eſt, nam gratia regeneratiua, quæ confertur

per baptiſmum numquam recuperatur: ergo nec aliqua alia ſacramentalis gratia ſemel amiſſa recuperabitur, vtpotè cum de omnibus ſit eadem ratio. Antecedens autem probatur. Tum quia gratia regeneratiua infunditur ex vi actionis generatiuę, quæ eſt diſtinctæ ſpeciei ab actione regeneratiua, qualis eſt illa per quam pœnitens reſurgit: hæc enim eſſentialiter à generatione diſtinguitur: ergo ex vi illius homo non regeneratur: ac proinde non accipit gratiam regeneratiuam: tum etiam nam gratia reſpondens præſenti diſpoſitioni de nouo eſt prior, vtpote cum per illam remoueatur impedimentum peccati, gratiæ autem regeneratiua eſt illa, quæ nullam priorem præſupponit: ergo numquam per pœnitentiam recuperatur.

Tertia ſententia aſſerit quod licet prima gratia correſpondens primæ contritioni extra ſacramentum, non recuperetur ſtatim, niſi iuxta menſuram, prę̈ſentis diſpoſitionis, aut in alia vita per modũ premij: nihilominus tota gratia ſacramentalis, quæ ex vi alicuius ſacramenti collata fuerat, ſtatim in puncto conuerſionis remoto impedimento peccati, per quancumque etiam minimam diſpoſitionem recuperatur, ita Martinus de Ledeſma, Bañes in locis allegatis, & Monteſinos in dicto art. 8. dub. vlt. & quia hæc eſt verior ſententia: pro eius declaratione.

Gratia adquiſita ſine ſacramẽto, non reſtituitur in hac vita, benè tamẽ adquiſita per ſacramẽtum.

36 Dico primo. Gratia illa, quam homo recipit mediante contritione ſine ſacramento numquam illi reſtituitur, niſi in alia vita per modum premij. Hæc concluſio ſtatuitur, contra primam, & ſecundam ſentẽtiã, & probatur: nam eodẽ modo philoſophandum eſt de huiuſmodi gratia, atque de illa, quam homo dependenter à meritis conſecutus fuerat, ſiquidem vtraque data fuit dependenter à diſpoſitione ſubiecti, & iuxta illius mẽſuram: ſed illa quæ dependet à meritis numquam reſtituitur, vſque ad aliam vitam, vt ex profeſſo oſtẽdimus dub. præcedenti: ergo eadem ratione nec iſta quæ correſpondet primæ contritioni vſque ad aliam vitam reſtituetur. Quæ ratio amplius cõfirmatur ex eo quod licet gratis admittamus manere fundamentum aliquod in meritis antiquis ad gratiã illam, quæ habet rationem augmenti ſtatim recuperandam, tamen ad illam quæ fuit prima gratia nullum manet fundamentum, quia ſicut illa numquam fuit cauſata ex meritis, ita merita numquam habuerũt virtutem cauſandi illam: ergo nec in reuiuiſcentia retinent virtutẽ, illam recuperãdi: conſequentia patet, quia merita viuificata, tantum habent virtutem, quam ante ſui mortificationem habuerunt: numquã autem ante ſui mortificationem habuerũt virtutem in primam gratiam: ergo.

Dico ſecundo. Tota gratia ſacramentalis, quam homo accipit ex opere operato alicuius ſacramenti, ſtatim in ipſius hominis conuerſione per quãcunque diſpoſitionem facta recuperatur. Hæc concluſio ſtatuitur contra Auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo, quia ſacramentum fictè ſuſceptum non eſt magis efficax, quam ritè ſuſceptum, & propterea à ſuo effectu impeditur, ſed quando eſt fictè ſuſceptum ſecluſo impedimento ſortitur ſuum effectum, vt docent Theologi cum D. Th. ſupra q. 69. a. 10. ergo etiã ritè ſuſceptum, poſtea remoto impedimento peccati ſortitur ſuum effectum, ac proinde conferet eandem gratiam ſacramentalem, quã a principio contulerat. Mai. probatur tripliciter, tum quia, quando eſt ritè ſuſceptum non efficitur peioris conditionis nec debet reddi debilius ex prima ſui effectus productione. Tum etiã quia quod appoſitio impedimenti fiat in principio ſuſceptionis, aut poſtea, non variat naturam, & conſequenter, nec efficaciam ſacramenti. Tum denique, quia tota ratio efficaciæ in primo caſu eſt infinitus valor meritorum Chriſti applicatus, & operans per ſacramẽtum: nulla autem ratio eſt, cur in ſecundo caſu non applicetur pariformiter, & operetur per ſacramentum: ergo.

Secundo probatur, argumento ad hominem, nam ratio recuperandi ſtatim illã gratiæ portionem, quæ ex meritis fuit habita, eſt valor precedentium meritorũ manens in diuina acceptatione, à ſuo effectu propter ſubſequens peccatum impeditus, ſed etiam reſpectu gratiæ ſacramentalis manet ſufficiens cauſa in diuina acceptatione, licèt à ſuo effectu pro tunc impedita, nimirũ valor meritorũ Chriſti, qui meritoriè, & phiſicè cauſat ſacramẽtalẽ gratiã: ergo pariformiter remoto impedimento peccati illã ſtatim cauſabit. Tertio probatur etiã ad hominẽ: nã omnis excellentia & dignitas, quę tribuitur cauſalitati noſtrorũ meritorũ, à fortiori tribuẽda eſt cauſalitati meritorũ Chriſti, ſed cauſalitati noſtrorum meritorum tribuitur efficacia recuperandi antiquam gratiam

collata ex opere operato per ſacramenta, ac per conſequens qui tenet primum, male negat ſecundum.

37 Ex his ad primum eius argumentum reſpondetur diſting. mai. de aſſeueratione certa, concedo maior. de aſſeueratione probabili nego: Sicut enim aſſerim⁹ baptiſmum, & alia ſacramenta fictè ſuſcepta ſortiri ſuum effectum recedente fictione abſque aliqua expræſſa reuelatione dumtaxat propter probabilia in Theologia fundamenta, ita noſtra aſſertio defenditur propterea quod probabilioribus in Theologia innititur fundamentis, nimirum adductis in ſecunda concluſione.

Ad ſecundum nego min. propter rationes ibi aſsignatas.

Ad tertium nego ſequelam propter rationem inter arguendum adductam.

Ad quartum reſpondetur, quod ſi admittatur illa probabilis ſententia, noſtra cõcluſio ſolum debet intelligi de illa quãtitate gratiæ, quæ confertur ex vi ſacramenti qualis eſt quæ confertur paruulis per baptiſmum, & quæ in adultis correſpondet præciſſe operationi ſacramentorũ illa autem quantitas quæ correſpondet cooperationi adulti ſuſcipientis ſacramentum non reſtituitur, niſi aut iuxta menſuram præſentis diſpoſitionis, aut in alia vita per modum premij. Præterquamquod oppoſita ſententia eſt probabilis, quæ aſſerit ſacramẽtum ex opere operato æqualem omnino cauſare gratiam in ſubiecto, ſiue maiori, ſiue minori diſpoſitione diſpoſito.

Ad vltimum, nego antecedẽs: ad cuius primam probationem reſpondetur, quod gratia reſuſcitatiua non dat gratiam baptiſmalem per modum cauſæ regenerantis, ſed per modum cauſæ per accidens, & remouentis prohibens, vt remoto impedimento Deus ex meritis Chriſti illam infundat.

Ad ſecundam reſpondetur, quod licet gratia regeneratiua quantum eſt de ſe, ſit prima, tamen quando propterea quod fuit amiſſa recuperatur, eſt poſterior per accidens, vtpotè conſecuta ad illam, quæ remouet impedimentum peccati & eſt ſanatiua.

QVAESTIO XC.

De partibus pœnitentiæ in generali, in quatuor Articulos diuiſa.

AB hac quæſtione incipiebat Angelicus Doctor ſecundam partem huius tractatus, in qua agere intẽdebat de ſingulis partibus pœnitentiæ, hoc eſt de contritione, cõfeſsione, & ſatisfactione: de quibus ſeruato ordine doctrinæ, quo a communioribus incipiẽdum fore præſcribitur, in hac priori quæſtione de huiuſmodi partibus in communi agit, nimirum determinãs debere aſsignari aliquas partes, ex quibus ſacramentum pœnitentiæ integretur: illaſque eſſe contritionẽ, confeſsionem, & ſatisfactionem: vtpotè quia iſti actus humani exiguntur, & concurrunt ad perficiendum ſacramentũm pœnitentię. Cuius etiã vt virtus eſt, diſtinguit cum Aug. in lib. de vtilitate pœnitentiæ alias tres partes, ſcilicet pœnitentiam ante baptiſmum, pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium. Quam & nos cum Angelico Doctore ſic inchoatam relinquimus, eò vel maxime, quod præcipuas eius quæſtiones in priori parte diſcuſsimus: à quibus proinde merito ſuperſedere: ac ſuperaddere duntaxat tractatum de indulgentijs pro eiuſdem partis complemento, contentiſumus.

TRACTATVS AD COMPLEmentum huius tertiæ partis de Indulgentijs, in quinque dubia diuiſus.

DE hac materia diſputant Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſtinct. 20. & 21. vt Diuus Thomas diſtinctione 20. Bonauentura, Durandus, & Paludanus ibidem, Albertus in eadem diſtinctione, & Soto diſtinctione 21. Maironius diſtinctione 19. Syluester verbo *indulgentia* part. 2. Diuus Antoninus 1. part. ſummæ tit. 1. cap. 3. & 3. par. tit. 22. cap. 5. § 6 Caietanus in tribus opuſculis ſub hoc tit. *de indulgentijs*, diſcipuli Diui Thomæ in additionibus ad tertiam partem quæſt. 25 & duabus ſequentibus, Michael de Medina lib. de indulgentijs à diſputatione 5. & Puteanus in ſua 3. parte. Suarius tomo 4. in 3. partem diſputat. 49. & ſequentibus, & Valentia in tomo de controuerſijs circa finem ſpeciales tractatus ediderunt.

Et quia in quinque potiſsime controuerſia à Theologis poſita eſt, nimirum de indulgentiarum concedendarum poteſtate & vſu: nec non qui ſit earum effectus, ac valor.

Tertio de earum cauſa veluti materiali, & ex qua, quæ eſt Theſaurus Eccleſiæ.

Quarto, quæ ſit earum cauſa efficiens; ac tandem quod ſit ſubiectum capax eas recipiendi, & de recipientis idoneitate, quæ proinde a nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: de poteſtate concedendi indulgentias, & earum vſu, & ex quo tempore inceperit in Eccleſia?

1 SVB huius dubij vnico titulo tria examinanda proponimus, nimirum, an in Eccleſia ſit poteſtas concedendi indulgentias: deinde an earum vſus ſit vtilis, & legitimus. & tandem ex quo tempore inceperit talis vſus in Eccleſia, vt ſic iuxta ordinem doctrinæ à Philoſopho ſtatutũ primo Poſt. textu ſecundo, a quæſtione an eſt exordiamur, quia in his quæ ad bonum animæ pertinent, idem eſt eſſe, atque vtile eſſe, ad horum ſingula ordinate reſpondendum eſt.

Igitur, dico primo: in Eccleſia eſſe poteſtatem concedendi indulgentias, per quas relaxentur fidelibus pœnæ temporales, debitæ pro culpis remiſsis apud Deum. Hec concluſio ſtatuitur, tanquam dogma fidei aduerſus errorem Vvaldenſium negantium vllam eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi huius modi indulgẽtias, quem ſequuti fuerunt Vvicleph, Ioãnes Hus, & Hieronymus Praga damnati in Concilio Conſtantienſi ſeſsion. 8, 15. & 19. nouiſsimeque eundem errorem ſuſcitauit Lutherus, qui ex affectu impugnãdi indulgentias, occaſionem ſumpſit ſuæ apoſta-

Digitized by Google

apoſtaſiæ, vt referunt, & refutant Roffenſis art. 17. & ſequenti, Oſius in inſtitutionibus c. 46. Lindanus lib. 4. Panopliç c. 73. Prateolus in elencho hæreſum, verbo *indulgentia*, & Caſtro eodē verbo, Gualterius in Chronologia ſeculo 12. c. 15. de Vualdēſibus, & ſeculo 14. c. 14. de Ioane Vbiclepho, & ſeculo 16. c. 1. de Martino Luthero. Et ſuadetur primo ex duobus locis Euangelij, nimirum Matth. 16. & 18. in quibus huiuſmodi poteſtas Petro Apoſtolo, & eius ſucceſſoribus promiſſa fuit à Chriſto Domino: dicitur enim Matt. 16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcumque ſolueris ſuper terrā, erit ſolutum, & in cœlis, & quodcumque ligaueris ſuper terrā, erit ligatum, & in cœlis*, & c. 18. ſubdit Chriſtus loquens cum omnibus Apoſtolis ſimilia verba dicens: *Amen dico vobis, quæcūque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* quam promiſionē impleuit Chriſtus Ioan. 21. dicens: *Paſce oues meas*. Ex quibus locis tale deducitur argumentum: poteſtas conferendi indulgentias data fuit Eccleſiæ à Chriſto Domino, vt expreſſe decernit Concil Trid. ſeſs. 25. in decreto de indulgentijs, dicens: *Cum poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, &c*, & paulo infra, *illos anathemate damnat, qui indulgentias, aut inutiles eſſe aſſerūt; vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatē eſſe negant.* Sed maxime videtur fuiſſe à Chriſto Dño promiſſa, & conceſſa huiuſmodi poteſtas in prędictis locis, vbi ſub illis verbis vniuerſalibus promiſſa, & cōceſſa fuit Petro, & ſucceſſoribus omnis poteſtas iuriſdictionis cōducēs ad aperiendū, & claudendum regnum cœlorum, quia poteſtas concedendi indulgentias etiam conducit ad aperiendum regnum cœlorum, vtpotè quia per illas remouetur impedimentū reatus pœnç temporalis, retardans animas ab ingreſſu regni cœlorum: ergo.

Secundo probatur ex Eccleſiæ antiqua traditione, quæ à tempore Apoſtolorum huiuſmodi poteſtatem ſemper in Eccleſia agnouit, & eius vſum approbauit, quæ autem per huiuſmodi traditionem cōſtant, firmitatem, ac certitudinem fidei habent, vt oſtendimus 2. 2. q. 1. art. 10. q. 5. dub. 1. de traditionibus: ergo. Maior probatur, quia Bonifacius 8. in extrauagante *antiquorum*, de pœni. & remi ait, ex antiquis traditionibus conſtare ſibi ſuos antecesſores vſos fuiſſe huiuſmodi poteſtate concedendi indulgentias: & Diuus Thomas in dicta d. 20. art. 3. queſtiūc. 2. ad 1. fatetur teſtimonium illud Pauli 2. ad Corinth. 2. *Nam & ego quod donaui, ſiquid donaui propter vos in perſona Chriſti, &c.* intelligi de liberali cōdonatione facta per indulgentiam: quam expoſitionem deſumpſit ex Chriſoſt. Theophil. Theodoret. Aecumenio, & Ambroſ. aſſerentibus Paulum vſum fuiſſe, liberali remiſsione, & condonatione cū illo inceſtuoſo, quē prius grauiter punierat, & nihilominus quia nondum plenè ſatisfecerat pro delicto, & Paulus liberalem conceſsit relaxationem vlterioris pęnæ debitæ, vel ex prudenti miſericordia, ne fortè præ nimia triſtitia abſorberetur, vt idem Apoſtolus dixit: vel in gratiam Corinthiorum, qui pro ipſo interceſſerant, vt verbum illud *propter vos* ſignificat. Vnde merito Soto in dicta diſt. 21. q. 1. art. 3. colligit ex hoc loco vſum indulgentiarū inchoatū fuiſſe ab Apoſtolis licet hoc nomen indulgentia non dum fuerit tunc inuentum, vſque ad Gregorij Magni tempora: ergo.

2 Si autem inquiras, an hæc poteſtas ſit ordinis, vel iuriſdictionis: reſpondetur cum communi ſententia Theologorum, illam neque formaliter conſiſtere in aliqua poteſtate ordinis, neque eam præſupponere, aut requirere neceſſario: ſed tantū pertinere ad poteſtatem iuriſdictionis vnice excepto Durand. qui in dicta diſt. 20. q. 3 & 5. aſſerit huiuſmodi poteſtatem, & eius actum non eſſe iuriſdictionis, ſed cuiuſdā alterius prouidētiæ paſtoralis, præſupponētis neceſſario ordinis poteſtatem, quod ſibi perſuadet tripliciter. Tum, quia nullus non ſacerdos poteſt indulgentias concedere, quod eſt ſignum manifeſtum ad huiuſmodi actum prærequiri ordinis poteſtatem: ergo. Antecedens patet, quia per indulgentiam remittitur pęna, etiam iniūcta à ſacerdote in ſacramento penitentiæ, ſed hāc nemo poteſt remittere, niſi habeat ęqualem poteſtatem in eodem foro, quam nullus niſi ſacerdos habere poteſt: ergo. Tum etiā, quia ſi eſſet actus iuriſdictionis poſſet exerceri in inuitum, nec poſſet frui indulgentia, qui illam cōcedit: nemo enim in ſe ipſū poteſt exercere iuriſdictionem: conſequens autem eſt falſum, & contra Eccleſiæ vſum: ergo. Tum denique, quia Eccleſia concedit indulgentias defunctis, in quos iuriſdictionem nō habet: ergo nō eſt actus iuriſdictionis, ſed potius eſt quædam paterna, & miſericors diſpenſatio Eccleſia-

cleſiaſtici theſauri ad ſubueniendum ſpiritualiter indigentibus.

Sed his non obſtantibus oppoſita ſententia eſt communiter recepta à Theologis, de quorum numero ſunt D. Tho. in dicta diſt. 20. q. 1. art. 4. queſtiũc. 2. Palud. q 4. Sot. d. 21. q. 1. art. 4. Caiet. opuſc. de indulgentijs ad Iulium c. 2. & Suar. in dicta diſp, 49. ſect. 3. & indubitate eſt tenenda: & probatur, quia in primis huiuſmodi actus concedendi indulgentias non poteſt eſſe à ſola poteſtate ordinis, nam ex viſolius poteſtatis ordinis, nemo habet ſubditos, vt perſpicuum eſt: nullus autem poteſt indulgentias concedere niſi ſuis ſubditis, vt decernitur in cap. *quod autem*, de pœnitentijs & remiſsionibus: ergo non eſt actus ſolius poteſtatis ordinis. Deinde neque illã neceſſario requirit, aut præſupponit, quia ſi illam præſupponeret, maxime præſupponeret poteſtatem ſacerdotalem, vtpote quæ ſola per ſe ordinatur ad remittenda peccata: cæteri autem ordines inferiores non per ſe ordinantur ad remittenda peccata, ſed potius adminiſtrandum ſacerdoti, &c. Hæc autem ſacerdotalis poteſtas, nec requiritur neceſſario, nec præſupponitur ad actum concedendi indulgentias: ergo. Minor patet dupliciter: tum ex vſu Eccleſiæ: ſæpè enim Diaconi Cardinales ex conceſsione Papæ indulgentias concedunt, & ipſe Summus Pontifex electus quamuis non ſit conſecratus, nec ordinatus ſacerdos poteſt indulgẽtias concedere, ſicut & à cenſuris abſoluere. Tũ, quia poteſtas ordinis ſacerdotalis per ſe loquendo tantum ordinatur ad aliquod ſacramentum conficiendum, ſiue ad actũ ſacramentalem. qualis non eſt diſpenſatio indulgentiarum, vtpotè quæ fit extra ſacramentum: ergo. Antecedens patet ex decretali Leonis 10. miſſa ad Caiet. quam ipſe refert 3. p. q. 48. artic. 5.

Defẽditur cõtra ſectarios poteſtas iuriſdictionis in Eccleſia cõcedendi indulgentias

Ex quibus reſpondetur ad fundamẽta Durandi, ad quorum primum negandũ eſt antecedens. Ad cuius probationem reſpondetur remiſsionem pœnæ, quæ fit per indulgentiam non fieri conſequẽter ad remiſsionẽ culpæ, ſed potius ſupponere culpam iam remiſſam ex vi ſacramenti, aut ex opere operantis, ac per conſequens nõ pertinere ad poteſtatem ordinis ſacerdotalis, ad quam pertinet remiſsio pęnæ, quæ fit per iniunctam pœnitẽtiam à ſacerdote in ſacramento pœnitentiæ.

Ad ſecundum negatur ſequela, nam licet actus iuriſdictionis includentis coactionem, vel obligationem poſsit exerceri in inuitum, ſecus autẽ iuriſdictionis voluntariæ pertinentis ad gratiam, & fauorẽ, qualis eſt diſpenſatio indulgentiæ, quę proinde neque poteſt conferri in inuitum, neque ad illã ſuperior poteſt obligari. Et ob eandem rationem huiuſmodi actum fauorabilis, & beneficę iuriſdictionis poteſt ſuperior exercere in ſeipſum, quatenus obnoxius reatibus peccatorũ, & quaten⁹ pars cõmunitatis, cui per ſe primo cõceditur indulgentia: ſecus autem actũ iuriſdictionis coactiuæ.

Ad tertium reſpondetur, huiuſmodi actum applicatiuum indulgentiæ non fieri, ita primario erga defunctos quim directè, etiam exerceatur iuriſdictio erga viuentes, quibus conceditur vt per modum ſufragij indulgentias pro defunctis lucrentur, vt inferius explicabimus.

3 Dico ſecundo: vſus indulgentiarũ antiquus & legitimus fuit ſemper in Eccleſia. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus eoſdem ſectariores, qui licet huiuſmodi vſus antiquitatem fateantur: eius tamen legitimitatem ac vtilitatem diſſitentur. Et ſuadetur primo ex communi Eccleſiæ cõſenſu & acceptatione, quæ ſemper hunc vſum vt legitimum & vtilem acceptauit, & tanquam hæreticos damnat eos, qui illum reprehendunt, ſed cõmunis Eccleſiæ catholicæ acceptatio errare non poteſt in his, quæ ad cultum Dei, & bonos mores fidelium expectant, vt oſtendimus 2. 2. q. 1. art. 10. ergo.

Secundo probatur ex diffinitionibus Conciliorum, in quibus huiuſmodi indulgentiarum vſus approbatur, nimirum in Concilio Vienenſi ſub Clemẽte quinto in Clementina vnica de reliquijs, & veneratione ſanctorum, & in Concilio Conſtantienſi ſeſs. 8. & 15. & Trid. ſeſs. vlt. in decreto de indulgentijs, & Clemente 6. in extrauaganti *vnigenitus*, de pœnitentijs, & remiſsionibus, & in pluribus alijs decretalibus eiuſdem tituli, & in bulla Leonis 10. contra Luterum, atque in decretali, quam ad Caietanum legatum ſuũmiſit in Germaniam, quam ipſe refert 3. p. q. 48. art. 5. ſub his verbis: *Per præſentes tibi ſignificandũ duximus Romanam Eccleſiam tradidiſſe Romanum Pontificem Petri Clauigeri ſucceſſorem poteſtate clauium, quarum eſt apperire regnũ cœlorum, &c. tollẽdo illius in Chriſti fidelibus impedimenta culpam, ſcilicet & pœnam, &c. culpam*

pam quidem mediante ſacramento pœnitentiæ: pœnam vero temporalem pro actualibus præteritis debitam mediante Eccleſiaſtica indulgentia, &c & in bulla Sixti 4. contra Petrum Oxomenſem, qui in hunc errorem lapſus fuit, & damnatus in Concilio Prouinciali Complutenſi.

Tertiò probatur à ſimili, quia ſicut à principio naſcentis Eccleſiæ Epiſcopi remittebant ex toto, vel ex parte pœnas impoſitas peccatoribus pro peccatis publicis, quando ad bonum animarum expedire iudicabant, de qua cõſuetudine conſtat in Concilio Nizeno can. 11. Cartagin. 4. c. 75. Agatenſi. c. 60. & Laodiceno can. 1. & 2. cuius etiam conſuetudinis meminerunt Tertulianus in lib. ad martyres c. 1. Ciprianus epiſt. 11. & 14. & in lib. de lapſis, & epiſt. 52. ad Antonianum, & epiſt. 54. ad Corneliũ, & Baſilius can 84. & Innocent. 1. in epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ aſſerẽtes: ſemper fuiſſe in vſu quod Epiſcopi de huiuſmodi pœnis impoſitis pro publicis peccatis, propter interceſsionem aliorum fidelium, præſertim martyrũ facerent aliquam remiſsionem, qua facta peccator talis admittebatur ad pacẽ, & cõmunicationẽ cum alijs fidelibus, ſicut igitur huiuſmodi remiſsio pœnarum temporalium ſiebat in foro externo: ita veroſimile eſt, etiam fieri in foro interno quantũ ad pœnam debitam apud Deum, quãdo id facere expediebat, eo quod poteſtas clauiũ ligãdi, & ſoluendi quantũ eſt de ſe ad verãque remiſsionem extenditur, ſicut & de facto videtur fuiſſe extenſa à Paulo, in dicto loco 2. ad Corinth. 2. cum illo inceſtuoſo: propterea enim ſubdit, illam cõdonationem feciſſe in perſona Chriſti, ideſt per poteſtatem à Chriſto datã, quæ proinde non ſolum ad relaxationem pęnæ temporalis in foro externo, ſed etiam ad relaxationem pœnæ temporalis debitæ in foro interno per veram indulgentiam extendi potuit.

Quæ ratio amplius cõfirmatur ex eo quod illæ pœnæ impoſitæ in foro externo pro publicis criminibus, non ſolum ad ſatisfactionem Eccleſiæ, ſed etiam ad compenſationem ipſorum delictorum coram Deo imponebantur: ergo veroſimile eſt à Cipriano, Innocentio, Baſilio, & alijs Epiſcopis, nõ remitti ſolere, quin alia via compenſaretur ſatisfactio, ſeu remiſsio pœnæ debitæ coram Deo, quod non obſcure indicat Ciprianus in dicta epiſt. 14. dicẽs: *His remiſsiones ſolitas eſſe fieri per interceſsiones martyrum, vel confeſſorum quorum auxilio peccatores in delictis ſuis adiuuarentur apud Dominum*, hoc eſt, vt illorum ſatisfactiones per modum ſuffragij prodeſſent ipſis ad remiſsionem coram Deo, & ideò eorum interceſsione fiebat remiſsio in foro externo apud Eccleſiam.

4. Dico tertio: huiuſmodi indulgentiarum vſus quamuis antiquiſsimus ſit in Eccleſia, & à tempore Apoſtolorum inchoatus, nihilominus ſub hoc nomine indulgentiæ, non incepit niſi à temporibus Gregorij Magni. Hæc concluſio eſt communiter recepta à Theologis ſupra relatis. Et pro prima parte probatur, tum ex dicto loco Pauli 2. ad Corinth. 2. ex quo ſecundum communem Patrum expoſitionem conſtat, illũ fuiſſe vſum poteſtate cõcedendi veram indulgentiam, ſibi à Chriſto conceſſa: tum etiam arguit Soto vbi ſupra: quoties Pontifices mentionem faciũt de indulgentijs, ſemper loquuntur de illis tãquã de re antiquiſsima, & procedente à poteſtate ligandi, & ſoluendi, à Chriſto Domino conceſſa, vt patet ex illa extrauaganti Bonifacij 8. *antiquorum*, & ex alijs Pontificum decretalibus, ac bullis in quibus aut antiquas indulgentias confirmãt, ſiue augent, ſiue moderãtur, aut etiam nouas concedunt: ergo.

Vſus indulgentiarum inceptus cum Eccleſia: maxime à temporibus Gregorij.

Deinde pro ſecunda parte probatur, quia Gregorius magnus fuit primus, qui ſub hoc nomine indulgentiæ illas conceſſit, vt referunt Diuus Thomas in 4. diſt. 20. q. 1. art. 3. queſtiunc. 2. & Altiſiodorenſis lib. 4. ſummæ tract. 6 c. 9. illum ſeptenam indulgentiam conceſsiſſe, qui vſus maxime viguit à tempore Lucij ſecundi, & Alexãdri 3. qui plurimas indulgentias in fauorem belli terræ ſanctæ, & contra infideles cõceſſerunt, qui deinceps per 500. annos, vſque ad noſtra tempora ſemper fuit à Pontificibus legitime, & vtiliter cõtinuatus.

5. Rogabis, cur in primitiua Eccleſia nõ fuerit hoc nomen vſitatum indulgentiæ, neque expreſſum inueniatur apud antiquos Patres Eccleſiæ? Reſpondet Roffenſis art. 18. ideò non fuiſſe in principio Eccleſiæ, adeo notum huiuſmodi nomen, neque conſuetum huiuſmodi vſum remittendi pœnas per indulgentiam: quia tunc nõdum erant omnibus fidelibus notæ purgatorij pœnæ, ratione quarum indulgentiæ conceduntur.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc ſolutio falſa eſt, quia Concilium Tridentinum ſeſſi. 25. in decreto de purgatorio expreſſe ait, in Eccleſia ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione purgatorium eſſe, animasque ibi detentas, fidelium ſuffragijs adiuuari. Quare melius reſpondet Soto diſt. 21. artic. 3. & Suarius vbi ſupra ſect. 2. circa finem: ideo tunc ignotum fuiſſe hoc nomen, & magis rarum indulgẽtiarum vſum, propter duo: tum, quia non dum exorti fuerant hæretici indulgentiarum calumniatores. Tum etiam, quia rigor diſciplinæ Chriſtianæ, & ſeueritas pœnitentiæ, ac ſatisfactionis tũc magis vigebat; ac proinde minus neceſſaria erat diſpenſatio indulgentiarum pro remiſsione pœnarum temporalium, debitarum pro culpis apud Deum.

Dubium ſecundum eſt de effectu & valore indulgentiæ?

§ IN Hoc dubio præmittenda eſt diffinitio indulgentiæ, vt eius effectus, valor, & efficacia inueſtigetur. Et quia diffinitio quid nominis conducit ad manifeſtationem, & intelligentiam ipſius quod quid eſt rei: propterea ante omnia præmittenda eſt diffinitio, quid nominis indulgẽtiæ, deinde ſtatuẽda eſt ipſa diffinitio quid rei. Igitur quantũ ad diffinitionẽ, quid nominis ſciẽdũ eſt, quod licet hoc nomen indulgentia varias ſortiatur ſignificationes, vt videre eſt in Silueſtro verbo *indulgentia*, §. 1. tamen in præſentiarum accipitur à Theologis, quatenus ſignificat gratuitam liberalem, & facilem remiſsionem alicuius debiti, in qua ſignificatione accipitur à Gloſſa in extrauaganti *antiquorum*; & ab Iſidoro lib. 2. æthimologiarum c. 7. & in decreto 1. q. 7. & diſt. 1. de penitẽtia cap. *libenter*, & in eodem ſenſu habetur Eſaiæ 61. *Spiritus Domini miſit me, &c. vt prædicarem captiuis indulgentiam*, vbi Septuaginta pro indulgẽtia legunt remiſsionem. In idem coincidit alia acceptio eiuſdem nominis ſecundum quam ſignificat liberalem conceſsionem, ſeu diſpenſationem, in qua acceptione vtitur Eccleſia hoc verbo *indulgendi* in canone, dicens: *Ipſis Domine, & locum refrigerij lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur*, id eſt vt concedas, & in Concilio Trid. ſeſs. 6. c. 2. de reſidentia prælatorum c. 2. dum ait: *Indulgentijs vero, & diſpenſationibus temporalibus, &c.*

Præmittitur duplex indulgentiæ diffinitio.

Deinde circa diffinitionem, quid rei aſsignandam diuiduntur Theologi in tres ſententias, duæ extremæ, & alia media. Prima illarum aſſerit indulgentiam eſſe actũ ſolutionis, ſiue diſpẽſationis, per quã datur alicui, vnde ſoluat debitam pęnam pro peccatis, hanc ſequuntur Durandus in 4. d. 20. q. 3. art. 2. Silueſter vbi ſupra, §. 3. Adrianus in 4. q. de indulgentijs, & D. Antonin. 1. p. tit. 1. c. 3. Quorum fundamentum eſt, quia indulgentia non eſt actus iuriſdictionis formaliter loquẽdo, neque eſt in genere abſolutionis, ſed potius in genere ſolutionis debitę, ac proinde nõ habet effectum remittendi pęnas, niſi quatenus applicat de theſauro Eccleſiæ eam quantitatem ſatisfactionis, quæ ſufficiens eſt ad condignam debiti ſolutionem: ergo per ſe & formaliter eſt ſolutio quædã debiti. Sicut ſi quis ſolueret ingentẽ pecuniã pro altero damnato ad mortem, vt eum ab illa pęna liberaret, non diceretur abſoluiſſe reum ab illa pęna, neque actum iuriſdictionis in eum exercuiſſe, ſed pro eo potius debitum ſoluiſſe.

Quod fundamentum poteſt amplius cõfirmari dupliciter. Tum ex teſtimonijs Clementis 6. in extrauaganti *vnigenitus*, de pœnitentijs, & remiſsionibus, & Leonis 10. in Bulla contra Luterum ſupra citatis, ſignificantium indulgentias à ſe conceſſas nomine diſpenſationis, quibus theſaurus Eccleſiæ fidelibus ſalubriter diſpẽſatur, & D. Th. in 4. d. 20. ar. 3. queſtiunc. 1. ad 2. vbi ait, eum qui indulgentiam ſuſcipit non abſolui ſimpliciter à debito pœnæ, ſed accipere vnde debitum ſoluat, & in ſolutione ad 3. ſubdit diſcrimen hoc inter abſolutionem ſacramentalem, & indulgentiam: quod abſolutio ſacramentalis eſt diminutio reatus: & hic effectus non inducitur per indulgentias, ſed pro eo dans indulgentias ſoluit pęnam, quam debebat de cõmunibus Eccleſiæ bonis. Tum etiam ratione, quia ſic ſe habet dans indulgentias, ſicut qui de bonis communibus daret alicui debitori, vnde ſolueret, vel ſicut æconomus, qui de bonis domini ſui daret debitori, vnde ſolueret domino ſuo: ſic enim prælatus diſpenſat fidelibus de theſauro

Eccle-

Eccleſiæ, vnde ſoluãt debitas pœnas Deo ac ſi ipſimet illas pœnas paterentur, vnde iuxta hanc ſententiam indulgentia, vel ſic diffinienda eſt cum Silueſtro: *Eſt donatio alicuius partis theſauri Eccleſiæ facta alicui, vt ſatisfaciat pro pœna debita coram Deo*, vel ſic cum Durando vbi ſupra, *indulgentia eſt communicatio pœnæ Chriſti, & Sanctorũ quæ fit nobis ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris.*

6 Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium indulgẽtiam eſſe formaliter actũ abſolutionis, & relaxationis à pœnis debitis coram Deo, ac proinde ita eſſe diffiniẽdam, *indulgentia eſt relaxatio pœnæ debitæ extra ſacramentum facta*, ita Caietanus in dicto opuſ. 2. de indulgentijs c. 2 & 6. Gloſſa in extrauagenti *antiquorum*, Soto in dicta d. 21. q. 1. art. 1. & 2. Corduba q. 3 de indulgentijs, Angelus, Roſela, & Armila in verbo, *indulgentia*, & Medina Complutenſis diſ. 4. de indulgentijs c. 11.

Quorum fundamentũ eſt duplex: primum quidem, quia in allegato c. *quid autẽ* de penitẽtijs, & remiſsionibus, Alexander tertius appellat indulgentiam nomine remiſsionis, & ait non poſſe concedi niſi ſubditis, quia nullus poteſt ſolui, aut ligari niſi à ſuo iudice, aut ſuperiori, vbi reddit rationem ex propria natura indulgentiæ, cur non poſsit in non ſubditum concedi, nimirum quia eſt actus abſolutionis.

Secundum eſt, quia indulgentia per ſe formaliter loquendo eſt actus iuriſdictionis & poteſtatis clauium, & non eſt actus ligandi: ergo eſt actus ſoluendi: ergo eſt abſolutio.

Secunda conſequentia eſt nota: & prima patet, quia omnes actus poteſtatis clauium ad hos duos reducuntur.

Tertia & media ſententia eſt Belarminij lib. 2. de purgatorio c. 16. & lib. 1. de indulgentijs c. 5. & Suarij in dicta diſp. 49. ſect. 4. aſſerentium indulgentiam pro viuis eſſe veram, & iudiciariam abſolutionem: indulgentiam vero pro defunctis eſſe actum ſolutionis, & habentem formam ſubſidij, ſeu ſuffragij, quod pro defunctis offertur, in communi autem ſumptam abſtrahere ab actu abſolutionis, ſiue remiſſionis, & ab actu ſolutionis, ſiue ſuffragij conuenireque in eo, quod ſit actus clauiũ per quem liberatur peccator, a reatu pœnæ temporalis coram Deo, & extra ſacramentum. Ratio primæ partis eſt fundamentũ adductum pro ſecunda ſententia. Ratio vero ſecundæ partis eſt, quia Pontifex cõcedens indulgentiam exercet directam iuriſdictionem in homines viuentes, & ideò poteſt eos abſoluere à peccatis, ſiue in ſacramento, ſiue extra ſacramentum ſecundum diuerſos ſuæ poteſtatis actus: in animas vero purgatorij non exercet directã iuriſdictionem, quia ſicut per mortem cõſtitutæ ſunt extra ſtatum viæ, ita & extra forum Eccleſiæ militantis, ac proinde non ſubduntur directè eius iuriſdictioni: ergo indulgentia reſpectu earum nequit habere rationem abſolutionis, niſi tantum ſuffragij: vnde neque Pontifices concedentes indulgentias pro defunctis dicunt ſe remittere pœnas illis, ſed tantum concedere indulgentiam viuis, vt per modum ſuffragij poſsint eam pro defunctis offerre.

7 Ratio denique tertiæ partis eſt, quia vtrique datur aliqua ratio communis per hoc nomen indulgentia ſignificata: neque enim nomen æquiuocum eſt, ſed vniuocũ aut ſaltem analogum, ac proinde ratio per ipſum ſignificata vtrique indulgentię, tam pro viuis, quam pro defunctis communis eſt, & per aliquam diffinitionem explicabilis, quæ ſententia veritati conformior eſt, & duas priores ad concordiam reddu cit congruenter. Modo tamen congruentiori fiet huiuſmodi reductio. Si dicamus, indulgentiam pro viuis, etiam habere modum ſolutionis, & ſimul abſolutionis, ſiue remiſsionis diuerſimodè tamẽ, illum quidem præſuppoſitiuè, & antecedenter, ſiue cauſaliter, iſtum verò formaliter, ita vt quando Pontifex concedit indulgentiam pro viuis prius exercet actum donationis, ſiue diſpẽſationis, quo applicat aliquam partem de theſauro Eccleſiæ, vnde peccator ſatisfaciat, & ſuppoſito huiuſmodi actu donationis, & diſpenſationis exercet ſimul tempore actum abſolutionis, & relaxationis iudicialis: non enim inconuenit, coniungi ſolutionem cũ abſolutione, quando ipſa forma abſolutionis fit per modum iudicij paterni, & gratuiti, quod proinde ſimul poteſt admiſcere & rationem relaxationis, & gratuitæ condonationis, qualis iudicij forma in conceſſione indulgentiæ reperitur, vnde iuxta hunc modum dicendi ad concordiam reducuntur duæ priores ſententiæ, nam diffinitio aſsignata ab auctoribus primæ ſententię, quod indulgentia eſt donatio alicuius partis Theſauri Eccleſiæ, &c. debet intelligi in ſenſu cauſali. Diffinitio vero

aſsig-

aſsignata à Soto, & alijs authoribus ſecũdæ ſententiæ, qua indulgentia dicitur eſſe Eccleſiaſtica relaxatio pœnæ, &c. debet intelligi in ſenſu formali. Cum authoribus vero tertiæ ſententiæ tenendum eſt indulgẽtiam pro defunctis tantum eſſe in genere donationis, ſiue ſolutionis ob rationes adductas, cui adaptatur prædicta diffinitio à Soto aſsignata, quaten⁹ nomiñe relaxationis intelligitur nõ abſolutio ſtrictè ſumpta, ſed liberatio à pęna temporali, ſiue fiat per modum abſolutionis, ſiue per modum ſuffragij. Cum qua proinde diffinitione coincidit illa, quã aſsignat Suarius vbi ſupra, ſub his verbis: *Indulgẽtia eſt actus ſpiritualis iuriſdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra ſacramentum.* Quarum duarum diffinitionum rectitudo, & conuenientia planè colligitur ex eo quod per vtramque ſufficienter explicantur genus, & diferentia indulgentiæ, genus quidem dum dicitur Eccleſiaſtica relaxatio, vel actus ſpiritualis iuriſdictionis, quia indulgentia eſt actus quidam poteſtatis clauium, conueniens in genere cum alijs actibus eiuſdem poteſtatis, per quod excludũtur remiſsiones factæ in ſacrificio miſſæ, & alijs ſacramentis (excepto ſacramento pænitentiæ) quæ vel non ſunt ſolius pęnæ temporalis, ſed etiam culpæ, vel ſi quandoque remittũt ſolam pęnam temporalem relictam ex culpis, non ſunt actus clauium, nec habẽt modum abſolutionis. Differentia autem explicatur, dum dicitur a reatu pęnæ tẽporalis extra ſacramentum, nam per hoc diſcriminatur indulgentia ab omni remiſsione culpæ, & pœnæ æternæ, quarum neutra fit per indulgentiam, ſed tantum ſuppoſita remiſsione culpæ, & pœnæ æternæ indulgentia remittit pœnam temporalem relictam ex culpis. Diſcriminatur tandem à remiſsione pœnæ temporalis, quæ fit in ſacramento pęnitentiæ, licet ex opere operato remittat reatũ pœnæ temporalis per actum iuriſdictionis, & per modum abſolutionis: non tamen eſt indulgentia, ſed excellentior quædam remiſsio, & abſolutio, ſcilicet ſacramentalis. Extra ſacramẽtum vero virtute clauium nulla fit remiſsio pœnę temporalis admodum operis operati, niſi per indulgentiam. His ſuppoſitis circa diffinitionem indulgentiæ opere pretium eſt explicare iam eius effectum, & quia triplex poteſt excogitari effectus indulgentiæ, nimirum remiſsio culpæ mortalis, necnon remiſsio culpæ venialis, & remiſsio pœnæ tẽporalis debitæ apud Deũ, de ſingulis per ſingulas concluſiones propriam ſtatuere oportet ſentẽtiam: igitur pro veritatis declaratione.

Dico primo: indulgentia per ſe, & ex propria natura non poteſt conferre remiſsionem culpæ mortalis. Hæc concluſio eſt communiter recepta à Theologis, in qua conueniunt cum D. Tho. in dicta diſput. 20. q. 1. art. 5. queſtiunc. 1. Palud. Durand. & Capr. ibidem Soto d. 21. q. 2. art. 3. D. Anton. 1. p. n. 10. c. 3. §. 5. Silueſter verbo *indulgentia*, q. 10. & Suarius diſput. 50. lect. 1. Et probatur tanquam dogma fidei, ratione Theologica deſumpta ex Cõcil. Trid. ſeſs. 6. c. 7. & can. 4. & ſeſs. 14. c. 2. in quibus locis diffinitur ſacramenta nouæ legis eſſe ad ſalutem neceſſaria, ita vt ſine eis, aut eorum voto nemo poſsit iuſtificationis gratiam, aut remiſsionem peccati mortalis adipiſci, hoc eſt ſine ſacramento baptiſmi, aut eius voto pro infidelibus, & ſine ſacramento pœnitentię, aut eius voto pro fidelibus lapſis poſt baptiſmum.

Indulgentia per ſe non eſt remiſsio culpæ mortalis.

Ex quibus tale deducitur argumentum: in Eccleſia non eſt poteſtas ad conferendam gratiam iuſtificantem, vel remiſſionem peccati mortalis homini lapſo poſt baptiſmum extra ſacramentum pœnitentiæ, aut eius votum. Sed indulgentia neque includit ſacramentum pœnitẽtiæ, nec per ſe includit eius votum: ergo non poteſt conferre gratiam iuſtificãtem per quã remittatur peccatũ lethale. Maior eſt certa ſecundum fidem ex dictis diffinitionibus Concilij: minor autem probatur quoad primam partem, quia ex diffinitione indulgentiæ conſtat illam fieri extra ſacramentum. Deinde quoad ſecundam partem oſtenditur, quia votum ſacramenti pęnitentiæ, aut eſt attritio, aut perfecta contritio: ſi primum, neutiquam poteſt cauſare cum indulgentia remiſsionem peccati lethalis, quia ſola attritio per ſe nõ poteſt hominem iuſtificare niſi coniuncta cum ſacramento pœnitentiæ, aut cum altero ſacramento cauſante gratiam ex opere operato, vt idem Concilium determinat ſeſs. 14. c. 4. ergo cum indulgentia nõ ſit ſacramentum quantumuis coniũgatur illi attritio non poterit gratiam iuſtificantem cõferre, aut remiſsionem peccati mortalis operari. Si ſecundum, iam tunc indulgẽtia non conferet remiſsionem peccati mortalis, ſed illam ſupponet factam virtute con-

tritio-

tritionis, quæ de ſe, & prout includit votũ ſacramenti pœnitentiæ hominem ſtatim Deo reconciliat, etiam ſi indulgentia nõ adiungatur, & licet homo habeat propoſitum non lucrandi illam.

Dixi in concluſione per ſe, & ex natura ſua, quia per accidens, & concomitanter ſolet contingere, vt ſimul indulgentia ſecum afferat aliquid, quod ad conſequendam facilius remiſsionem culpæ mortalis conducit: vt quando cum indulgentia conceditur facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis, vel à cenſuris, vel ad commutanda vota, vel interdum etiam ad alia debita componenda, quæ omnia multum iubant ad facilius obtinendam remiſsionem, & abſolutionem culparum mortaliũ: huiuſmodi autem facultates non ſunt indulgentiæ propriè loquendo, ſed quædam priuilegia quæ indulgentijs adiunguntur, & ad illas diſponunt. Similiter ad obtinendam indulgentiam, ſæpè exiguntur opera virtutis, per quæ remiſsio culparum obtinetur impetratorie, aut diſpoſitiue. Et quia pœna æterna non remittitur niſi ad remiſsionem culpæ mortalis, ideò neque indulgẽtia per ſe valet ad eius remiſsionem.

Imò neque culpa venialis.

8 Dico ſecundo: neque indulgentia poteſt per ſe cauſare remiſsionem culpæ venialis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam Scoti, & Paludani in 4. d. 20. q. 4. & D. Antonini 1. p. q. 20. ca. 3. aſſerentium indulgentiam valere ad remiſsionem culpæ venialis, qui tamen diuerſimodè hanc ſententiam defendunt. Scotus enim ex eo mouetur, quod exiſtimat tranſacto actu peccati venialis nihil manere in homine niſi reatũ pœnæ tẽporalis: ſed quilibet reatus pœnæ temporalis remitti poteſt per indulgentiam: ergo & culpa venialis habitualis.

Alij vero triplici ratione ducũtur. Primo, quia ad remiſsionẽ culpæ venialis nõ eſt neceſſaria infuſsio gratiæ, neque operatio, aut votum alicuius ſacramenti, ſicut ad remiſsionem culpę mortalis. Tum etiam per ſacramentalia delentur culpæ veniales ex opere operato, propter ſolam Eccleſiæ inſtitutionem: hæc autem non poteſt eſſe niſi liberalis quædam conceſsio, per modum indulgentiæ facta vtenti hoc, aut illo ſacramentali: ergo. Tum denique id probant ex ſupradicta poteſtate cõcedendi indulgentias, quæ colligitur ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcũque ſolueris ſuper terrã, &c.* vtpote quæ eſt poteſtas clauium, conducens ad aperiendum regnum cœlorum, & tollendum omnia eius impedimenta, quæ ſunt culpa & pœna: ad quæ proinde talis poteſtas debet extẽdi: neque eſt ratio cur ex vniuerſali conceſsione Chriſti reſtringatur ad tollendum impedimentum ſolius pęnæ; atque ex tenore quorumdam iubileorum, quibus indulgentiæ cõceduntur, & in quibus promittitur plenaria abſolutio à culpa, & à pęna: ergo vtrumque indulgentia poteſt remittere.

Sed noſtra concluſio, licet non ſit tam certa ſicut prima, nihilominus eſt multo probabilior, quam oppoſita ſententia, & communiter defenditur à Theologis cum Nauarro in commentario de indulgentijs notabili primo, Adriano, & alijs, quos citat & ſequitur Suarius ſectione citata numero primo. Et probatur primo ex forma & tenore vſitato concedendi in Eccleſia indulgentias: ſemper enim explicatur, eas cõcedi hominibus cõfeſsis, vel contritis, ad denotandum, quod proprius effectus indulgentiæ tantum eſt remiſsio pęnæ temporalis ſupponens remiſsionem culparum factam per confeſsionem, vel per contritionem, & ad denotandum quod per indulgentiam compenſatur quidẽ aut ſuppletur ſatisfactio, quæ eſt tertia pars pęnitentiæ, non autem confeſsio, vel contritio: ergo.

Secundo, quia ſecundum ordinariam legem venialis culpa deleri non poteſt ſine actu hominis, quo eius voluntas retractetur, & aliquo modo mutetur, ſed per indulgentiam non datur homini huiuſmodi actus contra peccatum veniale: ergo. Maior ſupponitur ex dictis in materia de pęnitentia quæſtione 87. vbi oſtendimus peccatum veniale de lege ordinaria non remitti extra ſacramentum niſi per contritionem deteſtatiuam ipſius, licet cum ſacramento operante gratiam, aut eius augmentum ex opere operato ſufficiat ſola attritio. Minor autem eſt nota, quia indulgentia per ſe loquendo non ſecum affert attritionem, aut contritionem, imò neque petit aliquam intrinſecam mutationem, aut diſpoſitionem in homine, vtpotè qui per extrinſecum ſuffragium ſacrificij, aut ſatisfactionis alienæ poteſt indulgentiam lucrari, & eius effectum obtinere, nimirum ablationem reatus pœnę tẽporalis: ergo.

Ex his ad argumenta aduerſariorũ

Facile

facile reſpondetur. Ad fundamẽtum enim Scoti negatur aſſumptum, falſum enim eſt quod tranſacto actu peccati venialis non maneat vera ratio culpæ niſi tantum reatus pœnæ temporalis.

Deinde ad primum ex adductis in ſecunda ſerie negandum eſt antecedens pro ſecunda parte, quamuis enim non requiratur gratiæ infuſsio ad remiſsionem culpæ venialis extra ſacramentum, requiritur tamen aliquis motus voluntatis ipſius culpæ venialis deteſtatiuus, vt oſtendimus cum D. Tho. in dicta q. 87. de pœnitentia art. 2.

Ad ſecundum ibidem oſtendimus ſacramentalia, vt vſum aquæ benedictę, Epiſcopalem benedictionem, & ſimilia nõ delere culpas veniales ſine aliquo motu pœnitentiæ ipſius peccatoris.

Ad tertium dicendum eſt, poteſtatem datam Petro, & ſucceſſoribus ſub illis verbis vniuerſalibus Matthæi 16. & Ioannis 21. extendi quidem ad remiſsionem culparum per ſacramentum: ſed hanc non eſſe determinate poteſtatem concedendi indulgentias: quia hæc ſolum extẽditur ad remiſsionem pœnarum temporalium extra ſacramentum, & nihilominus comprehenſa fuit ſub illa vniuerſali, & ſuprema poteſtate iuriſdictionis, quæ ſecundum diuerſa munia ad huiuſmodi diuerſos actus extenditur. Neque oppoſitum conuincitur ex tenore iubileorum, in quibus conceduntur plenariæ indulgentiæ peccatorum: nam nomine peccatorum ſolent pœnæ, pro illis debitæ ſignificari, iuxta illud ſecundi Machabeorum 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*, id eſt à pęnis ex peccatis relictis: dum autem in prædictis iubileis promittitur abſolutio à culpa & à pęna, vt in dicta extrauaganti *antiquorum*, ſenſus in rigore tantum eſt, per talem indulgentiam concedi, vt qui eam lucratus fuerit, maneat abſolutus à culpa & à pœna: non quia indulgentia vtramque tollat, ſed quia vt ſortiatur ſuum effectum debet ſupponere culpam remiſſam, & tunc ipſa complet totius pœnæ remiſsionem. Poteſt etiam eſſe ſenſus horum verborum, quod ex vi illorum cõceditur, non tantum indulgentia remiſsiua pœnarum, ſed etiam facultas, vt fideles poſsint abſolui ſacramentaliter ab omnibus culpis etiam reſeruatis.

8 Dico tertio: per indulgentiam remittitur pœna temporalis debita coram Deo, ſiue antequam in ſacramento fuerit iniuncta pęnitentia pro peccatis, ſiue poſtquam fuerit iniuncta. Hæc concluſio etiam eſt communiter à Theologis recepta, eamque docent Diuus Thomas diſtinctione citata quæſt. 1. artic. 3. Bonauentura quæſt. 2. Soto diſtinct. 21. artic. 1. & 2. & Suarius diſput. 50. ſect. 2. Et probatur tanquam dogma fidei. Primo quia ſecundum fidem certum eſt, eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgẽtias, per quas intelliguntur veræ remiſsiones, quæ hunc effectum habeant coram Deo, & hæc eſt praxis Pontificum illas concedentium, & hoc modo ſuam mentem interpretantium, vt videre eſt in extrauaganti *vnigenitus*, de pęnitentijs, & remiſsionibus: ergo.

tantum per ſe eſt remiſſiua pœnæ temporalis

Secundo, quia Chriſtus Dominus promittens huiuſmodi poteſtatem ſub illo verbo vniuerſali, *quodcumque ſolueris, &c.* nec limitauit, nec reſtrinxit ſuam promiſsionem, ſiue poteſtatem promiſſam ad reatum pœnæ, debitum ex iniuncta pœnitentia ſacramentali, ſiue ex diuina lege, ac iuſtitia: ergo neque nos illam limitare, aut reſtringere debemus, ac proinde fateri tenemur illam extendi ad remittendum reatum pœnæ temporalis, ſiue pro illa fuerit iniuncta pęnitentia ſacramentalis, ſiue non.

Tertio probatur, nam debitum pœnæ temporalis apud Deum, non eſt maius, neque difficilius ante iniunctam pęnitentiam ſacramentalem, quam poſt illam, imò difficilius videtur poſt iniunctam talem pęnitentiam, quia præter debitum iuris diuini taxantis pęnam temporalẽ pro culpa, accedit noua obligatio ex humano præcepto confeſſoris, pęnitentiam iniungentis: ergo ſi Eccleſia poteſt remittere talem pœnam poſt iniunctam pęnitentiam à fortiori illam poterit remittere antequam ſit iniuncta per indulgentiã, & extra ſacramentum.

Vltimo probatur ſatisfaciendo duabus obiectionibus, quæ oppoſitæ ſententiæ fauere poſſent. Prima eſt, quod Eccleſia non poteſt ſoluere hoc vinculum pęnæ donec culpa fuerit remiſſa: culpa autem non remittitur, niſi per iudicium confeſſoris, in quo iniungitur pœnitentia ſacramentalis: ergo remiſsio per indulgentiam tantum videtur eſſe de peccatis pro quibus eſt iniuncta ſacramentalis pęnitentia.

Digitized by Google

uincentia. Secunda eſt, quia Eccleſia ſoluere nō poteſt, quod non ligauit, eoquod poteſtas ligandi, & ſoluendi, ſibi inuicem proportionari, ac correſpondere debent: Eccleſia autem nec imponit, nec taxat pœnas debitas in foro Dei, niſi iniungendo ſacramentales pœnitentias: ergo ſolum poteſt ſoluere ab huiuſmodi pęnis peccatorum, pro quibus tales pœnitentiæ fuerint iniunctæ.

Sed ad vtranque facile reſpondetur. Ad primam quidem, vel nego minorem, quia culpę non ſolum remittuntur per ſacramentum confeſsionis in re ſuſceptum, ſed etiam in voto, hoc eſt per contritionem, & tunc nulla ſacramentalis pœnitentia pro eis iniungitur: vel admiſſa maiori, & minori, nego conſequentiam, quia licet ad lucrandam indulgentiam pręmittenda ſit peccatorum confeſsio, adhuc extenditur remiſsio indulgentiæ ad eas pœnas debitas, pro quibus non præceſsit pœnitentia ſacramentalis iniuncta: potuit enim, qui lucratur indulgentiam, in confeſsione obliuiſci aliquorum peccatorum, quæ per accidens fuerunt remiſſa quoad culpam, & pro quorum pœnis conſequitur remiſsionem per indulgentiam, quamuis pro eis, vtpote non cōfeſsis, nulla fuerit impoſita pœnitentia ſacramentalis.

Ad ſecundam neganda eſt maior: latius enim patet, poteſtas ſoluendi in Eccleſia quam ligandi: poteſt enim Pontifex ſoluere hominem à voto, & eius obligatione, quamuis ipſe illum non ligauerit: probabileque eſt poſſe Pontificem aliquando iuſtis de cauſis diſpenſare in obligatione ex iure diuino proueniente, atque ita poſſe ſoluere, quod non ligauit. Vel diſtingo maiorem, Eccleſia non poteſt ſoluere, quod non ligauit, actu poſsitiuo nego maiorem: quod non ligauit actu ſaltem negatiuo, concedo maiorem: Eccleſia autem licet per ſe, & actu poſsitiuo non liget ad pœnas purgatorij, ligat tamen ad illas negatiuè, hoc eſt retinendo illas, quandiu indulgentias non concedit, vel quando reuocat conceſſas, vel priuando aliquem illarum vſu & fructu, aut alijs Eccleſiæ ſuffragijs: & in hoc ſenſu, poteſtas ſoluendi adæquatur poteſtati ligandi.

9 Dico quarto. Per indulgentias quæ ſunt in vſu Eccleſiæ relaxantur, non ſolum pœnitentiæ impoſitæ in confeſsione, ſed etiam aliæ pœnæ temporales debitæ pro peccatis coram Deo. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias, alteram iuriſtarum quorumdam, & alteram Theologorum.

Quarum prima eſt Gloſſæ in capite *quod autem*, de pœnitentijs, & remiſsionibus, & aliorum Iuris Canonici interpretum ibi aſſerentium, indulgentiam nō relaxare abſolutè pœnitentiam ſacramentalem, niſi ſub conditione, & dependenter à voluntate, & conſenſu ipſius confeſſoris, qui illam impoſuit: aut ſub conditione quod ille, qui indulgentiam conceſſit obligetur ad ſatisfaciendum pro illo, cui fuit iniuncta ſacramentalis ſatisfactio.

Cuius fundamentum poteſt eſſe hoc, quia nimirum in ſacramentali pœnitentia iniuncta, duplex ratio ſiue formalitas inuenitur, ſcilicet medicinæ præſeruantis, & ſatisfactionis, ſiue vindictæ, ſed ſecundum neutram rationem indulgentia poteſt tollere obligationem implendi illam: ergo. Minor patet, quia quantum ad rationem medicinæ non ceſſat eius obligatio per indulgentiam, ſicut nec ceſſat neceſsitas medicinæ, eoquod indulgentia, nec moderatur carnis paſsiones, nec remittit vicioſum habitum, ſiue prauam conſuetudinem: ergo. Deinde quantum ad rationem ſatisfactionis, & vindictæ: aut eius obligatio tollitur per diſpenſationem Summi Pontificis, vtpotè quia per ſupremam ſoluendi poteſtatem poteſt tollere vinculum impoſitum ab inferiori ſacerdote, nimirum à confeſſore: ſed hæc diſpenſatio fieri non poteſt à Summo Pontifice, propter duo. Tum quia tractata ac deffinita aliqua cauſa in ſupremo foro, quale eſt forum ſacramentale, in quo ipſe Chriſtus per ſuum miniſtrum fert ſententiam, non poteſt in alio reuocari, vt colligitur ex capite ſecundo de exceptionibus in Sexto, & lumine naturali per ſe eſt notum. Tum etiam propter rationem ſuperius factam, quia poteſtas ſoluendi eſt proportionata, & adæquata poteſtati ligandi: ergo cum Pontifex non poſsit ligare ad pœnitentiam ſacramentalem extra illud forum internum ſacramenti: ita neque poterit ſoluere illam extra idem ſacramentum per indulgentiam, aut per ſubtractionem materiæ,

& hoc

& hoc non, quia alias ſiquis per alia opera ſatisfactoria propria, vel aliena, aut in alijs ſacramentis ex opere operato obtineret remiſsionem totius pœnæ temporalis, eſſet liber ab obligatione adimplendi pœnitentiam iniunctam in confeſsione, quod tamen eſt abſurdum inductum in capite *cum ex eo*, quatenus ibi dicitur per indiſcretas indulgentias ſatisfactionem ſacramentalem eneruari: ergo.

Secunda ſententia eſt Caietani in dicto opuſculo ſecundo capite ſeptimo, & Gloſſæ in extrauaganti *antiquorum*, & in Clementina vnica de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & Alberti in dicta diſtinctione 20. articulo ſexto, aſſerentium indulgentiam tantum eſſe remilsionem, ſiue relaxationem pœnitentiarum iniunctarum in confeſsione, ita vt ad nullas alias pœnas debitas coram Deo extendatur.

Cui affinis eſt ſententia Durandi, & Paludani diſtinctione citata, quæſtione quarta, Alenſis quarta parte quæſtione 23. Adriani quæſtione vltima de indulgentijs, & Petri de Soto lectione ſecunda, aſſerentium per indulgentiam ſolum remitti pęnam debitam pro illis peccatis, quæ ſemel delata ſunt ad forum pœnitentiæ, ita tamen, quod non ſolum remittit indulgentia obligationem implendi pœnitentiam iniunctam, ſed etiam reatum pœnæ purgatorij, pro qua compenſanda talis pœnitentia iniuncta fuerat, in quo hij poſteriores authores à prioribus, non tam re quam vocibus diſcriminantur, ac proinde eorum omnium vnica ſententia eſt, quæ ab ipſis ſuadetur tripliciter.

Primo ex tenore conſueto concedendi indulgentias: regulariter enim conceduntur ſub hac forma, *de pœnitentijs iniunctis*, & cum huiuſmodi limitatione, vt habetur in capite *cum ex eo*, de penitẽtijs, & remiſsionibus, & capite *Romana*, eiuſdem tituli in ſexto, & in Clementina vnica de reliquijs, & veneratione Sanctorum, ex quibus tale deducitur argumentum: indulgentiæ tantum valent quantum ſonãt, ſed regulariter, & fere ſemper ſonant ab iniunctis penitẽtijs: ergo tantũ habent valorem ſoluendi penitentias iniunctas, & ad ſummum pęnam purgatorij pœnitentiæ iniunctæ correſpondentem. Quod ſi aliquando indulgentia verbis abſolutis concedatur, & abſque talium verborum reſtringentium adiectione, nihilominus debet in illa dicta eadem reſtrictio ſubintelligi, propter duo. Tum, quia verba iudicis debent accipi iuxta conſuetum ordinem iuris, cuius ipſe iudex eſt anima, & vita.

Tum etiam, quia in capite *cum ex eo*, de penitentijs, & remiſsionibus diffinitur ab Innocentio tertio, quod indulta remiſsio iniunctas penitentias non excedat, & in capite *neceſſario*, eiuſdem tituli limitatur Archiepiſcopis, & Epiſcopis poteſtas concedendi indulgentias, quoad iniunctas penitentias, & ex hoc abſolutè limitata dicitur talis poteſtas in eiſdem capitulis: ergo.

Secundo, quia ſæpè Pontifices concedunt indulgentias ſub hac forma: *Concedimus ſeptem annos, vel quadraginta dies, aut tot quadragenas indulgentiæ*: quæ numeratio non intelligitur de annis, aut diebus pęnæ purgatorij, ſed tantum de duratione penitentialis ſatiſfactionis in hac vita exhibendæ pro peccatis imponendæ: ergo. Minor patet dupliciter. Tum, quia multoties conceduntur ſub hac forma, *Mille, vel decem mille anni indulgentiæ*: cum tamen pœnæ purgatorij regulariter in vnaquaque anima non ſint tanto tempore duraturæ, vt probant Soto in quarto diſtinctione 19. quæſtione tertia articulo ſecundo, & Suarius in hoc quarto tomo in tertiam partem diſputatione 46. ſectione quarta. Tum etiam, quia ex ipſis verbis conſtat, per illa nomina quadragena, & ſeptena, & ſimilia ſignificari antiquas pęnas quas ſolum taxabat Eccleſia pro criminibus imponendas: ergo.

10 Tertio ratione Theologica, quia nimirum debita materia actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, eſt illa, quæ poteſt ſubſterni iudicio Eccleſiaſtico, ſed pœnitẽtia non iniuncta non ſubſternitur iudicio Eccleſiaſtico: ergo non eſt debita materia ſupra quam poſſit cadere iudicialis actus Eccleſiæ, qualis eſt indulgentia. Minor patet,

quia

quia non eſt delata ad forum Eccleſiaſticum, & alias eſt incognita ipſi iudici Eccleſiaſtico: ergo quandiu pœnitentia, ſiue ſatisfactio non eſt iniuncta ab Eccleſiaſtico iudice, nequit ſubſterni eius iudicio.

Sed his non obſtantibus noſtra cõcluſio defenditur communiter à Theologis præſertim à Diuo Thoma in dicta diſtinctione 20. articulo tertio queſtiuncula prima, Paludano quæſtione quarta articulo primo, Soto diſtinctione 21. queſtione ſecunda articulo primo, Diuo Antonino vbi ſupra titulo 10 capit. 3. §. 3. à Gabriele in ſuplemento diſtinctione 45. quæſtione tertia articulo ſecundo, Medina diſputatione quarta de indulgentijs capit. 14. Nauarro in commentario de indulgentijs capit. 9. Corduba quæſtione nona, Silueſtro vbi ſupra quæſtione ſeptima dicto octauo, & quæſtione octaua dicto quarto, & Suario diſputatione 50. ſect. 3.

Et pro prima parte probatur ex allegatis capitibus iuris canonici de pœnitẽtijs, & remiſsionibus, in quibus dicitur, indulgentiam facere relaxationẽ à pœnis iniunctis, quod quidem ita intelligendũ eſt, vt tollant obligationem, quam homo habet implendi præceptum ſatisfaciendi in confeſsione impoſitum, ita vt per conceſsionẽ indulgentiæ maneat in arbitrio hominis poſitum, vel ſatisfactionem implere, vel indulgentiam lucrari, qua cum effectu lucrata, & obtenta, ſtatim & non antea ceſſat obligatio adimplendi ſatisfactionem, iuxta modum, ſeu quantitatem ipſius indulgentiæ: nam ſi pœnitentia iniuncta fuerit vnius anni, & indulgentia ſolum cõcedit remiſsionem dimidij anni, non ſtatim remittitur tota pęnitentia ſacramentalis, niſi tantum ex parte cum dicta proportione: ſi autem fuerit indelgentia plenaria, ſiue excedens pœnitentiam ſacramentalem ex toto illam remittet.

Secundo probatur ratione à priori, quia ablato debito pœnæ, aufertur etiã debitum ſatisfaciendi pro illo per ſubtractionem materiæ, vndecumque tale debitum ortum habuerit, ſiue ex lege diuina, ſiue ex præcepto confeſſoris: ſed per indulgentiam cum effectu obtentam, aufertur debitum pęnæ temporalis in foro Dei: ergo aufertur etiam debitum ſatisfaciendi pro illo, ac proinde obtento effectu indulgentiæ tollitur, & ceſſat obligatio adimplendi pęnitentiam iniunctam à confeſſore. Conſequentia eſt nota, & minor conſtabit ex ſecunda parte concluſionis. Maior autem probatur dupliciter. Tum, quia ſicut in communi lege, ceſſante eius fine ceſſat eius obligatio, ita in lege particulari impoſita à ſacerdote, ceſſante eius fine intrinſeco, & particulari, ceſſat eius obligatio: finis autem eius intrinſecus, & particularis eſt ſatisfacere pro pęnis debitis: ergo ſi tale debitum abolitum eſt per indulgentiam, ceſſabit obligatio talis præcepti. Tum etiam quia ſubſtracta materia cuiuſcumque actus virtutis, ceſſat obligatio excercendi illum propter defectum materiæ, vt inductione probari poteſt in actibus iuſtitiæ religionis, & liberalitatis, ac miſericordiæ: nullus enim tenetur reſtituere, aut ſacrificium offerre, aut eleemoſynam facere de his, quæ non habet: ergo cum materia ſatisfactionis pœnitentialis impoſitæ à confeſſore ſit debitum pœnæ temporalis: ſublato hoc per indulgentiam ceſſabit conſequenter obligatio implendi talem ſatisfactionem.

Deinde ſecunda pars probatur ſupponendo indulgentiam poſſe, & ſolere concedi quandoque cum limitatione, & adiectione illius particulæ de iniunctis pœnis: & quãdoque verbis vniuerſalib⁹ ſine limitatione, aut adiectione illius particulæ, & vtroque modo remittit alias pœnas temporales debitas coram Deo, vltra pœnas iniunctas, & illam portionem pęnæ purgatorij, quæ iniunctis pœnis correſpondet. Et quidem quod hunc effectum operetur quando conceditur abſolutè, & ſine illo addito. Probatur ſufficienter ex illo communi axiomate, quod indulgentia valet tantum, quãtum ſonat, id eſt valet prout conceditur: neque à nobis eſt reſtringenda, ſed potius amplianda quantum verba patiuntur; quia fauores, præſertim animabus conceſsi, qualis eſt fauor indulgentiarum ampliandi ſunt, & quia in hac materia indefinita æquipollet vniuerſali; & in hoc nullum eſt diſcrimen inter præfatos authores: ergo.

Deinde quod etiam huiuſmodi effectum operetur quando conceditur cum dicto addito, licet negetur à Soto, Nauarro, Corduba, & Silueſtro. Probatur

primo, quia illa adiectio de pœnis iniunctis, non eſt reſtrictiua, ſed potius ampliatur: ergo non reſtringit effectum indulgentiæ ad remiſsionem pœnitentiarum iniunctarum. Antecedens patet, quia maius eſt remittere pœnas, pro quibus ſacramentalis pœnitentia fuerat iniuncta, quam reliquas pœnas, ſicut in foro externo difficilius eſt iudici remittere crimen poſtquam iam eſt iudicatum, & damnatum per ſententiam diffinitiuam, quam antea: ergo cui conceditur indulgentia de pęnis iniunctis, non negatur de alijs non iniunctis. Conſequentia vero probatur ex regula quæ habetur in capite *ex parte* 17. de decimis, nimirum quod vbi maius cōceditur, minus conceſſum eſſe videtur: quæ maxime tenet locum in his quæ ſunt eiuſdem ordinis, & per ſe ad idem priuilegium, atque ad eandem poteſtatem expectant, cuiuſmodi ſunt iſtæ remiſsiones, de quibus agimus.

Secundo probatur, quia Diuus Thomas vbi ſupra articulo tertio queſtiuncula prima ait, abſolutè, & ſimpliciter indulgentias valere ad remiſsionem pœnarum, ſiue pœnitentiæ ſint iniunctæ ſiue non: quibus verbis denotat, quod indulgentia ſub quacumque forma verborum concedatur valet ad remiſsionem pœnarum, etiam ſi pœnitentiæ pro illis non ſint iniuctæ.

Tertio, quia quando dicitur in indulgentia de pœnis iniunctis, vel intelligitur de iniunctis in vltima confeſsione, vel de quibuſcumque iniunctis in toto tempore vitæ: ſed neutro modo poteſt congruenter applicari: ergo non reſtringitur ad ſolas pęnitentias iniunctas. Minor patet, quod non primo modo, quia conceſsio illa eſt indefinita, ac proinde æquipollet vniuerſali: ergo ſine fundamento limitatur ad pęnitentiam iniunctam in hac, vel in illa confeſsione determinate. Deinde quod non ſecundo modo probatur, aut enim intelligeretur de pœnis iniunctis non dum impletis: & hoc non quia alias, qui eſſet negligentior in pęnitentijs adimplendis, fieret aptior ad obtinendas tales indulgentias, & qui conſulto illas omitteret, eſſet melioris conditionis ad impetrandum effectum indulgentiæ: quod tamen eſt contra rationem, & contra intentionem Pontificum, qui in ipſis conceſsionibus indulgentiarum ſolent homines ad ſatisfactionem pro peccatis, nihilominus exhibendam exhortari. Aut intelligitur de pęnis iam impletis: & hoc non, quia ſi pœnitentiæ impoſitæ iam impletæ ſunt, nullum iam remanet debitum illarum, ac proinde neque tale dabitum iterum remiti poteſt per indulgentiam: quod deſtruit poſitionem aduerſariorum: ergo talis adiectio non obſtat, quo minus effectus indulgentiæ extendatur ad alias pęnas, pro quibus non dum pęnitentia ſacramentalis fuerat iniūcta.

Indulgentia data cū hac limitatione de pœnitentijs iniūctis, nō extenditur ad alias.

Sed his non obſtantibus argumentis Suarij, verior eſt modus dicendi Nauarri, Soti, Cordubæ, Silueſtri, Durandi, & Adriani, & aliorum aſſerentium, quod quando conceditur indulgentia cum hac limitatione, & adiectione huius particulæ *de pœnitentijs iniunctis*, ſolum valet ad remiſsionem huiuſmodi pœnitentiarum, & pœnarum purgatorij, pro quibus tales pœnitentiæ impoſitæ fuerunt. Et probatur primo ex dicto axiomate: effectus indulgentiæ debet eſſe iuxta formam conceſsionis ipſius, quia tantum valet quantum ſonat: ergo ſi cum tale reſtrictione cōceditur: non plus valet.

Secundo probatur, quia ſine fundamento, & in damnum Eccleſiasticæ diſciplinæ fit extenſio talis indulgentiæ conceſſæ cum huiuſmodi reſtrictione ad alias pœnas non iniunctas: hoc enim eſt, quod reprehenditur in capite *cum ex eo* de pœnitētijs, & remiſsionibus, dum dicitur per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias ſatisfactionem ſacramentalem eneruari, & à Concilio Tridentino in decreto citatò, dum dicitur, nimia facilitate indulgentiarum Eccleſiaſticam diſciplinam eneruari: indiſcreta autem, & ſuperflua, atque nimia facilitate facta videtur extenſio indulgentiæ datæ cum reſtrictione, ad totum effectum, ad quem extenditur data ſine reſtrictione: ergo.

Tertio probatur, quia alias nulla eſſet diſtinctio indulgentiæ in partialem, & totalem, ſiue plenariam: conſequens autem eſt falſum, & contra ſententiam Clementis ſexti in extrauaganti *vnigenitus*, de pœnitentijs, & remiſsionibus, aſſerentis: *Theſauri Eccleſiaſtici diſpenſationem Petro eſſe commiſſam, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſsione pœnæ temporalis pro peccatis debite applicandam*, vbi totalis iuxta cō-

mune

Digitized by Google

munem interpræſationem iuriſtarum, & Theologorum dicitur, quæ remittit de ſe totam pœnam, quam inuenit in ſubiecto cui applicatur: partialis vero dicitur, quæ tantum remittit partem pœnæ: ergo Sequela autem probatur, quia ſi indulgentia quæ concedit partem pœnæ cum limitatione, qualis eſt illa, quæ conceditur de pœnitentijs iniunctis operatur remiſſionem totius pœnæ alias debitæ coram Deo, iam erit plenaria, & totalis, ac per conſequens coincidet vnum membrum diuiſionis cum altero.

11 Vltimo probatur ſatisfaciendo argumentis Suarij. Ad primum quidem reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum eſt, quod licet remiſſio pœnitentiarum impoſitarum, maius quid & difficilius ſit ſeorſum ſumpta, quam remiſſio aliarum pœnarum, pro quibus pęnitentiæ non ſunt impoſitæ: tamen maior & difficilior eſt remiſſio vtrarumque collectiuè, & ex cōceſſione vnius partis, non benè ſequitur conceſſionem fieri vtriuſque, ſimul aut totius, & adhuc admiſſo antecedenti, non valet conſequentia, quia ex conceſſione illius quod eſt maius iuxta ſubiectam materiam non ſequitur conceſſio illius quod eſt minus, eoquod ille cui iniuncta eſt pœnitentia dignior efficitur reſpectū Eccleſiæ ad obtinendam remiſſionem illius, propterea quod illam acceptauit, & adimplere propoſuit ſubijciendo ſe clauibus Eccleſiæ, quam alter cui pœnitentia non eſt iniuncta, vel quam idem met reſpectu pœnarum, pro quibus non fuit ei iniuncta pęnitentia ſacramentalis, ac proinde non ſequitur quod ſi conceditur ei per indulgentiam cum dicta limitatione remiſſio vnius, debeat illico concedi remiſſio alterius partis, vel totius pęnæ.

Præcludūtur effugia Suary.

Ad ſecundum reſpondetur, quod Diuus Thomas planè loquitur de indulgentijs conceſſis ſub forma abſoluta abſque tali reſtrictione.

Ad tertium admiſſa maiori pro ſecunda parte neganda eſt minor: Ad cuius probationem reſpondetur, quod talis indulgentia valet ad remiſſionem, quarumcumque pœnitentiarum iniunctarum, & pœnarum ipſis correſpondentium, iniunctarum quidem hoc eſt ab homine in ſacramento pœnitentiæ, & non à iure, vt idem Suarius falſo exiſtimauit, quia pęnitentiæ quæ taxantur à iure non ſunt iniunctæ propriè loquendo, ſicut neque ſunt ſacramentales, ſed potius iniungendæ, ac proinde ſicut dicta particula, non intelligitur de pęnitentijs iniungendis: ita neque detaxatis à iure, niſi fortè exprimatur in conceſſione indulgentiæ, ſed tantum de iniunctis, tam impletis, quam non impletis. De non impletis quidem, quia tollitur obligatio illas ad implendi, vt dictū eſt, & remittitur pœna purgatorij illis correſpondens. De impletis vero, quia licet indulgentia nil operetur ad tollendam obligationem illas ad implendi, eoquod iam ad impletæ ſunt, tamen operatur ad remiſſionem reſidui pęnæ purgatorij, quia quandoque plus debetur pœnæ purgatorijs pro peccatis, pro quibus iniucta fuit pœnitentia, quam per illam potuerit expiari, & compenſari. Quod ſi hæc fuerit etiam per talem pœnitentiam impletam expiata: per accidens eſt, quod nil talis indulgentia operetur in hoc ſubiecto, ſicut per accidens etiam plenaria indulgentia nullius pęnæ remiſſionem operatur in illo, qui nullius pęnæ purgatorij debitor eſt.

12 Ad fundamentum autem pro priori ſententia, reſpondetur negando minorem pro ſecunda parte. Ad cuius probationem patet eſt dictis, obligationem adimplendi pęnitentiam ſacramentalem in ratione ſatisfactionis, quando alias ceſſat eius neceſsitas in ratione medicinæ, tolli à Pontifice media indulgentia, non quidem per modum diſpenſationis, ſed tantum per materiæ ſubtractionem.

Ad primum vero ex adductis pro ſecunda ſententia reſpondetur, quod tantum probat indulgentiam valere ad ſolam remiſſionem pęnarum, pro quibus ſunt iniunctæ pęnitentiæ quando conceditur cum limitatione illa, & adiectione illius particulæ de iniunctis pœnitentijs: ſecus autem quando conceditur abſolute, & abſque tali limitatione, neque oppoſitum conuincitur ex illis capitibus iuris, in quibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſtringitur poteſtas concedendi indulgentiam, ad pęnitentias iniunctas, & pœnas eis correſpondentes, eoquod non reſidet in eis plenaria poteſtas ſicut in Summo Pontifice, aut per pœnitentias iniunctas

intelligitur materia primaria, & principalitatis reſpectu talium indulgentiarũ ſine excluſione materię, veluti ſecũdarię, & minus principalis, quæ cõtinet alias pęnas purgatorij.

Ad ſecundum dicendum eſt, indulgentiam conceſſam ſub illa forma tot dierum, ſiue annorum, eſſe partialem diſtinctam à totali, ſiue plenaria, per quam remittitur tota pena, quæ inuenitur in ſubiecto: per illam autem numerationem dierum, ſiue annorum intelligitur iuxta communem ſententiam Soti vbi ſupra quæſtione ſecunda articulo primo, Cordubæ quæſtione 11. & Suarij diſputatione 50. ſectione 5. non tot annos, vel dies durationis pœnæ purgatorij, vt falſo exiſtimauit Viguerius in inſtitutionibus capite 18. §. 6. ex cuius ſententia hæretici occaſionem ſumunt irridendi indulgentias, vtpotè quæ id remittunt quod numquam futurum eſt: ſed tanta pœna purgatorij, quanta per pœnitentiam, ſiue impoſitam à confeſſore, ſiue taxatam à iure, tot dierum, vel tot annorum remitteretur. Et hoc probat argumentum factum, ad cuius formam admiſſa maiori, vel neganda eſt minor: vel etiam admiſſa minori in ſenſu explicato neganda eſt conſequentia.

Rogabis, in quo igitur diferunt indulgentia totalis, ſiue plenaria à pleniori, & pleniſsima: ſiquidem plenaria, totam pœnam remittit, ac proinde non videtur ſuſcipere magis, aut minus, quod tamen eſt contra dictam extrauagantem *antiquorum*, vbi Bonifacius octauus ſic ait: *Non ſolum plenam, largiorem, imò pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniã peccatorum, &c.*

Reſpondetur, illa membra indulgentiæ totalis, ſiue plenariæ, iuxta communiorem ſententiam Soti vbi ſupra quæſtione ſecunda articulo primo. Cordubę, & Medinæ in locis præallegatis, & Suarij diſputatione citata ſectione quarta, nõ differre quoad ſubſtantiam, vel ſecundum ſpeciem, niſi tantum quoad modum ex parte cauſæ, quia ſicut totalis priuatio, aut formalis relatio in ſe non ſuſcipit magis, & minus: bene tamen ex parte cauſæ, ſiue fundamenti: ita indulgentia appellatur plenaria, plenior, aut pleniſsima, non quia aliquid magis efficiat circa remiſsionem pœnæ, ſed quia maiorem, vel maximam cauſam habet, quæ proinde de effectu ipſius indulgentiæ poteſt certiores fideles reddere, & magis tollere ſcrupulos, qui ex talibus opinionibus oriri poterãt. Supra huiuſmodi autem plenariam, ſiue pleniſsimam indulgentiam additur nomen iubilei, quo vltra remiſsionem totalem pœnarum, ſignificantur quædam alia priuilegia, ſeu fauores, vt abſolutio à caſibus reſeruatis, & à cenſuris, commutatio votorum relaxatio iuramentorum, & ſimilia, quæ cum illa indulgentia, & in ordine ad eius effectum lucrandum concedi ſolent.

Ad tertium nego minorem, ad cuius probationem reſpondetur, quod licet pena non iniuncta à ſacerdote, non ſit delata ad forum Eccleſiaſticum ſacramentale, neque poſsit eſſe illius materia: bene tamen poteſt eſſe materia alterius fori Eccleſiaſtici, quale eſt forum indulgentiarum, quod quidem longe diuerſum eſt à foro ſacramentali: eo quod potius eſt gratiæ, quam iuſtitiæ, nec remittit per ſententiam particularem, ſed per ſententiam veluti generalem, & ideò aut non ſupponit culpæ cognitionem, ſed tantum requirit rationabilem cauſam ad remittendum debitum reatum pęnæ coram Deo ſub hac cõditione, ſi tale opus fiat: aut ſat eſt quod ſupponat in Pontifice ſaltem in communi cognitionem debiti, hoc eſt, quod cognoſcat fideles, vt in plurimum eſſe debitores aliquarum pęnarum, ac per conſequens quod indigent indulgentijs, imò ob eandem rationem, neque poſſet Pontifex remittere pęnitentias iniunctas à ſacerdote, ſiquidem nec eas in particulari cognoſcit.

Dubium

Dubium tertium eſt. An in Eccleſia ſit ſpiritualis theſaurus, qui per indulgentias poſsit diſpenſari?

Variæ opiniones circa theſaurum Eccleſiæ referuntur.

23 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ Theologorum. Prima fuit Maioris in 4. d. d. 19. q. 2. aſſerentis non dari in Eccleſia theſaurum conſtantem ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, aut Sãctorum, ac proinde neque hunc diſpenſari ad effectum indulgentiarum, ſed Pontificem authoritatiuè, & ex plenitudine poteſtatis iuriſdictionis gratuito, & abſque tali theſauro per modum abſolutionis effectum indulgentiarum communicare. Cuius fundamentum eſt, quia opus perfecte remuneratum in vno, non poteſt nec debet in altero remunerari: ſed opera Chriſti tam in ratione meriti, quam in ratione ſatisfactionis (& à fortiori aliorum ſanctorum) ſufficientem remunerationem habuerunt in Chriſto homine, quando propter illa fuit exaltatus, & accepit gloriam corporis, & nomen quod eſt ſuper omne nomen: ergo non debent in alijs hominibus remunerari, ac proinde ex illis nequit conſtare Eccleſiæ theſaurus.

Secunda fuit Durandi in eodem 4. d. 20. q. 3. aſſerentis, dari quidem in Eccleſia theſaurum, prout conſtantem ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti: non verò prout conſtantem ex meritis & ſatisfactionibus aliorum ſanctorum. Quam ſuadet dupliciter. Primo ratione eadem Maioris, quæ licet in Chriſto ſit inualida: in alijs verò ſanctis efficax videtur, ait Durandus, quia valor operum ipſorum finitus eſt, atque recipit adæquatum premiũ à Deo remunerante opera iuſtorum vltra condignum, iuxta illud Lucæ 6. *Menſurã bonam, & coagitatam, & ſuper affluentem dabunt in ſinu veſtro*: & ad Rom. 8. *Non ſunt cõdignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Ex quo conſequens fit, nulla merita ſanctorum ſuperfluere ipſis, ſed omnia eis eſſe neceſſaria, & vtilia ad aliquod premium à Deo recipiendum: ac proinde nulla ſuperſunt opera ipſorum, quæ in theſauro Eccleſiæ reponantur.

Secundo, quia opus vnius non poteſt alteri prodeſſe de iuſtitia, niſi ad hunc finem ab ipſomet operante referatur, cum enim ſit quædam liberalis donatio, propria voluntate operantis fieri debet, ſed homines iuſti nunquam habuerunt hanc intentionem reponendi opera ſua in theſauro Eccleſiæ, vt alijs prodeſſent, ſed ſibi merendi quantum potuerint apud Deum: ergo eorũ opera in theſauro Eccleſiæ nõ reponuntur.

Tertio poſſumus has duas rationes Durandi confirmare ab inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirum derogari per huiuſmodi theſaurũ ex ſatisfactionibus ſanctorum dignitati Chriſti, & copioſæ eius redẽptioni, quod tamen eſt falſum, & contra illud Pſal. 129. *Copioſa apud eum redemptio*, quo dennotatur Chriſti redemptionem fuiſſe ſufficientem ab omnibus culpis, & pœnis, & contra illud Actorum 4. *Neque enim eſt aliud nomen datum hominibus, in quo opporteat nos ſaluos fieri*: ergo. Sequela autẽ patet, quia ſi merita & ſatisfactiones ſanctorum diſpenſarentur ex theſauro Eccleſiæ ad remiſsionem reatus penæ, iam concurrerẽt, & coadiuuarent, ad complendum munus redemptionis. Vnde D. Tho. vt hoc inconueniens vitaret 3. p. q. 48. art. 5. in ſolutione ad tertium ait paſsiones ſanctorũ non prodeſſe nobis per modum redemptionis, ſed tantum per modum exempli, & exortationis, iuxta illud 2. ad Corinth. 1. *Siue tribulamur, pro veſtra exortatione, & ſalute*; & in eodẽ ſenſu explicat ibi illud eiuſdem Pauli teſtimonium ad Coloſ. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

Tertia ſentẽtia, & cõmuniter à Theologis recepta aſſerit, dari in Eccleſia theſaurum conſtantem ex Chriſti, & aliorum Santorum meritis, ac ſatisfactionibus, ex quo indulgentiæ conceduntur, ſiue diſpẽſantur, ita D. Tho. in 4. diſt. citata, qu. 1. art. 3. queſtiunc. 1. Bonauentura ibidem q. 5. Palud. & Ricardo, Soto di. 21. art. 2. ſupplementum Gabrielis diſt. 45. q. 3. Diuus Antoninus vbi ſupra, Petrus de Soto lect. 2. de indulgentijs, Corduba qu. 4. & 5. Caietanus opuſc. 1. de indulgentijs, q. 1. & 2. & opuſc. 3. q. 1. & Suarius diſp. 51. ſect. 1. & 2. Silueſter verbo *indulgentia*, p. 2.

Digitized by Google

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro cõcluſione, quæ continet tres partes probandas: quarum prima eſt Eccleſiæ theſaurũ conſtare ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti. Secunda eſt eundem theſaurum, conſtare etiam ex ſuperabundantibus aliorum Sanctorum ſatisfactionibus. Tertia denique eſt, indulgentias ſemper ac neceſſario fieri ex huiuſmodi theſauro.

24 Quę ſigillatim probanda ſunt; prima igitur pars ſtatuitur aduerſus auctorem primæ ſententiæ, tanquam dogma fidei, & ſuadetur primo, quia expreſſe eſt tradita a Clemente VI. in extrauagãti *vnigenitus*, de pœnitentijs, & remiſsionibus, vbi poſtquam dixiſſet Chriſtum Dominum per effuſionem totius ſui ſanguinis nos redemiſſe, cum vna gutta ſanguinis propter vnionem ad Verbum, ad redemptionem totius generis humani ſufficere potuiſſet, ſubdit, *Quod ne ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio rederetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit* &c. vt ſic ſit infinitus theſaurus hominibus quo qui vſi ſũt Dei amicitię participes ſũt effecti, quẽ quidem theſaurum per beatum Petrum cœli clauigerum, eiuſque ſucceſſores in terris commiſsit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, *& inſuper de cuius conſumptione, ſeu diminutione non eſt aliquatenus formidandum, tum propter infinita Chriſti merita,* &c. & à Bonifacio VIII. in extrauaganti *antiquorum*, & à Leone X. in prędicta decretali miſſa ad Caietanum Germaniæ legatum: ſed diffinitionibus decretaliũ, poſt ſacræ Scripturæ, & Conciliorum diffinitiones, fides adhibenda eſt, vt dicitur in decreto diſt. 19. cap. *in Canonicis*, & diſtin. 20. cap. *deceptionis*, maxime in his quæ ad materiã de ſacramentis, aut eorum partibus expectant, vt dicitur in extrauaganti *ad abolendam* de hæreticis, vnde teſte Caiet. tomo 3. opuſculorum ca. 1. hereticus cenſendus eſt, qui pertinaciter aduerſatur reuelationi factæ in ſacra Scriptura, aut in decretalibus: ergo.

Secundo probatur, nam theſaurus in primeua ſui acceptione eſt depoſitio quædam pecuniæ, cuius non extat memoria, vt diffinitur a Iuriſconſulto in lege *nunquam*, ff. de adquirendo rerum dominio. Vnde vulgariter accipi ſolet pro cummulo, in quo res precioſiſsimæ cuſtoditæ, & reconditæ ſunt: atque hinc accipitur à Theologis theſaurus Eccleſiæ, pro abundantiſsimo cummulo ſatisfactionum, ac diuitiarum Chriſti: quæ in diuina acceptatione veluti cuſtoditæ, ac repoſitæ manſerunt, vt alijs diſpenſarentur: ex quo tale deducitur argumentum: theſaurus eſt cumulus in quo diuitiæ reponuntur, ac reconduntur: ſed in Eccleſia eſt cummulus ſatisfactionum Chriſti fidelibus diſpenſandus: ergo theſaurus Eccleſię conſtat ex ſatisfactionibus Chriſti: Maior eſt diffinitio, & minor probatur dupliciter, tum ex parte ipſius Eccleſiæ quæ eſt perfecta communitas, & reſpublica: opportet autem rempublicam perfectam habere theſaurum diſpenſandum ciuibus in tempore neceſsitatis, per Principem qui curã habet illius, qua ratione vtitur Diu. Thom. vbi ſupra art. 3. queſtiuncula 1. ergo opportuit Eccleſiã ſpiritualem habere theſaurum diſpenſandum ſuis fidelibus per ſummum Pontificem, qui curam habet illius, ac proindè ex bonis ipſius Chriſti capitis, & redemptoris conſtantem. Tum etiam ex parte ipſius Chriſti, cuius opera vtpotè infiniti valoris fuerunt ſuperabũdantia, tam in ratione meriti, quam in ratione ſatisfactionis: bona autem, quæ ſuperabundant, conuenienter reponuntur in theſauro, vt alijs prodeſſe poſsint, ergo & opera Chriſti quatenus ſuperabundantia in theſauro Eccleſiæ ſunt repoſita, vt fidelibus proficiant ad peccatorum remiſsionem. Maior colligitur ex teſtimonijs Scripturę; propterea enim Paulus ad Philippenſes ſecundo, appellat huiuſmodi opera Chriſti abundãtes diuitias gratiæ, quas Deus in bonitate ſuper nos oſtendit in Chriſto Ieſu, & cap. 3. eas appellat inueſtigabiles diuitias Chriſti. & diſpenſationem ſacramenti à ſæculis in Deo; quaſi repoſitas in Theſauro Fidelibus diſpenſando, Eſaiæ 0. dicitur: *Conſummatio abrebiata inundabit iuſtitiam*, vbi Lxx. legunt, *Verbum abrebiatum inundabit iuſtitiam*, &c. ideſt, dabit ſuperabundantem iuſtitiam, quem locum Paulus ad Roman. 9. intelligit de Verbi Incarnatione, in qua ſe exinaniuit, vt daret iuſtitiæ ſuperabundantiam, & 1. Ioannis 2. dicitur: *Ipſe eſt propitiatio pro pecatis noſtris non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi* & Pſalmo 129 dicitur: *Copioſa apud eum redemptio*, & Luc. 9. *Moyſes, & Elias viſi in maieſtate dicebant exceſſum eius quẽ completurus erat in Hieruſalem*: quæ duo poſteriora teſtimonia adducit in hoc ſenſu Gloſſa in Extrauaganti *antiquorum*; & alia videantur

tur

Digitized by Google

tur in Diuo Thoma ſupra q. 48. & 49. vbi probat Paſsionem Chriſti in ratione meriti, & ſatisfactionis habuiſſe infinitũ, & ſuperabundantem valorem: ergo huiuſmodi Theſaurus Eccleſiæ, prout cõſtans ex operibus Chriſti habet fundamentum in ſacra Scriptura, & eſt conformis dignitati, & valori operum Chriſti.

Deinde ſecunda pars aduerſus Durandum ſtatuitur, tanquam certa in eodẽ gradu certitudinis atque prima. Et ſuadetur primo: ex eiſdem decretalibus in quibus diffinitur in Theſauro Eccleſiæ etiam reponi ſatisfactiones ſuperabundantes aliorum iuſtorum, ſubdit enim Clemens. VI. in ſua Extrauaganti: *vnigenitus*, in hæc verba, *Ad cuius quidem Theſauri cummulũ Beatæ Deigenitriticis, & omniũ Electorum, à primo iuſto, vſque ad vltimum, adminiculum præſtare noſcuntur*, & Leo X. in ſua decretali ſubdit in hæc verba: *Indulgentias fieri ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & Sanctorum, & tam pro viuis, quam pro defunctis Apoſtolica auctoritate Eccleſiam Theſaurũ meritorum Ieſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſare*, &c. & infra ſubdit: *Ita ab omnibus teneri & parari debere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua illam incurrentes, ab alio quam à Romano Pontifice niſi in mortis articulo nequeunt abſolutionis beneficium obtinere*, &c.

15 Secundo, quia huiuſmodi ſuperabundantia ſatisfactionum aliorum Sanctorum in Theſauro Eccleſiæ cuſtodita pariter habet fundamentum in ſacra Scriptura, dicitur enim Iob 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas: quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret*, idẽ poſſent dicere Abel, Noe, & alij ſãcti Patriarchæ, & Prophetæ quorum mortes excellerunt, & Paulus ad Coloſſenſes 1. ait: *Adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, id eſt* ſuſtineo, pœnas vltra debitum peccatorũ meorum, vt ſuperabundantia mearum pœnarum cedat in aliorum membrorum Eccleſiæ vtilitatem: quam Pauli ſententiam extendit Auguſtinus in Pſalmo 66. ad alios ſanctos, & 2. ad Corinth. 12. ait; *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos, neque enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs, ego autem libentiſsime impendam, & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris:* quibus verbis ſignificat Paulus ſe vt ſpiritualem patrem theſaurizare bona ſpiritualia filijs ſuis quos per Euangelium genuerat, &c.

Dices: ergo ante aduentum Chriſti in lege naturæ & in lege veteri iam erat Theſaurus Eccleſiæ, conſtans ex ſuperabundantibus ſatisfactionibus Iobi, Abelis, & aliorum Sãctorum, ac proinde eſſet poteſtas diſpenſandi illum: alioquim eſſet nullius vtilitatis quia in theſauro abſcondito & inuiſo nulla eſt vtilitas vt dicitur Eccleſiaſt. 20. conſequens autem eſt falſum, & contradicta dubio 1. vbi docuimus huiuſmodi poteſtatem cõcedẽdi indulgẽtias à Chriſto fuiſſe datã & eius vſum ad ſummum ab Apoſtolis incepiſse: ergo.

Reſpondetur concedendo primam partem ſequelæ, & negando ſecundã quia poteſtas clauium & iuriſdictionis ad aperiendũ regnum cœlorũ, cuius act⁹ eſt indulgentia eſt propria nouæ legis & à Chriſto Domino Eccleſiæ conceſa, vt colligitur ex locis adductis Matt. 16. & Ioã. 21. Et cum aliàs ſit poteſtas ſupernaturalis à ſola voluntate diuina dependens nõ eſt adſtruenda niſi quatenus conſtans, & reuelatur nobis in ſacra Scriptura: non autẽ conſtat illã fuiſſe conceſſã ante Chriſti aduentũ. Nec tamẽ fuit tunc inutilitatis illa collectio & inchoatio Theſauri: quia ſuo tempore fructum habitura erat: quando ſcilicet Euangelicus diſpẽſator poſſet proferre de Theſauro ſuo noua & vetera vt ipſe Dominus loquitur Math. 13.

16 Tertio probatur ex lege miſericordiæ, quã Deus cum hominibus iuſtis ſtatuit, vt eorum opera meritoria, & ſatisfactoria in ſtatu iuſtitiæ facta per peccatũ ſubſequens non omnino perirent, ſed manerent in diuina acceptione, quæ lex colligitur ex pluribus locis ſacræ Scripturæ præſertim ex illo ad Hebræos 6. *Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius* &c. & ex illo Ioel 2. *Reddam vobis annos, quos commedit locuſta, id eſt non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione animi amiſiſtis* (ait gloſſa), quæ vbertas eſt multitudo bonorum operum, & ex illo Canticorum 3 *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertũ ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij*, vbi Chaldæus ſic habet, *quando aſcenderunt filij Iſrael de deſerto, & tranſierunt Iordanem, dixerunt populi terræ, quæ eſt iſta gens electa, quæ aſcendit de deſerto fumigata ab incenſis aromatum, & adiuta propter meritum Abrahæ,*

qui ſeruiuit & creuit coram Domino in monte Moriba, & cæterſa, propter iuſtitiã Iſaac, qui fuit ligatus in loco domus ſanctuarij, &c. cui conſona: Chryſoſt. hom. 42. in Geneſim, dicens: *Quando non eſt inuentus in præſenti vita iuſtus a iquis, tunc propter defunctorum virtutem, ac pietatem Deus viuentium curam habet*, &c. & Bernardus in ſermo de conuerſione ad clericos cap. 15. dum ait: *Neque enim opera noſtra tranſeunt, vt videntur, ſed temporalia quæque velut æternitatis ſemina iaciuntur*: ex qua lege inferunt omnes Theologicũ Magiſt. in 4. diſt. 15. & cum D. Th. 3. p. q. 89. a. 5. merita iuſtorum ſemel mortificata per peccatũ poſtea per pœnitentiam reuiuiſcere coram Deo. Eadem autem lex diuinæ miſericordiæ quæ fundat reuiuiſcentiam meritorum, fundat pariter theſaurum Eccleſiæ ex operibus ſanctorum conſtantem: ergo, Minor patet, quia eadem eſt ratio fundandi vtrumque, nimirum permanentia talium operũ in diuina acceptatione.

Quarto probat. ex 10. art. ſymboli de communione ſanctorum, condito, ac diffinito a ſanct. Simone in Chryſopaſo viri diſignato Apocal. 21. in quo credimus nõ ſolum communicationem in vno baptiſmate & eiſdem ſacramentis, vt falſo putauit auctor Fortalicij fidei lib. 4. fol. 111. ſed etiam communicationem ex mutuis operibus eorum, qui communicant in gratia & charitate, ex quibus omnia Chriſti & Eccleſiæ membra in charitate connexa aliquod emolumentum reportant, qualis communicatio fit per indulgentiam, & per applicationem ipſius operantis qui aliqua opera ſpecialiter ad hoc facit vt alijs proſint & valeant ad ſatisfactionis impletionem, vt explicant D. Th. in 4. d. 45. q. 1, art. 1. queſtiunc. 1. & eius diſcipuli in additionibus, q. 71. ar. 1. ergo ad fidẽ huius art. de communione ſanctorum pertinet credere poteſtatem diſpenſandi de theſauro Eccleſiæ ſatisfactiones aliorum ſanctorum, & non tantum Chriſti.

Ex tali theſauro indulgẽtiæ Deſpenſantur.

Denique tertia pars probatur, quia ſiue indulgentiæ concedantur per modum abſolutionis, ſiue per modum auxilij, & ſuffragij: ſemper ac neceſſario concedi debent ex theſauro diuitiarum Chriſti, & ſanctorum, ita vt theſaurus iſte ſit cauſa neceſſaria, & moraliter per ſe concurrens ad hunc effectum: ex parte quidem Chriſti quia fuit vniuerſalis redemptor hominum quoad culpas & pœnas, cuius redemptionis fuit cauſa per modum meriti, & ſatisfactionis, teſte D. Th. in d. q. 48, art. 2 ſed remiſsio pœnæ facta per indulgentiã eſt vnus ex effectibus redẽptionis: ergo neceſſario debet fieri ex applicatione meritorum, & ſatisfactionum Chriſti. Ex parte vero aliorum ſanctorum non ita neceſſario concurrit theſaurus iſte ad indulgentiam, eo quod ſi ex hac parte eſſet exhauſtus & conſumptus (quod non repugnat ſimpliciter propter eius finitatem, & innumera hominum peccata ac reatus) ſolus operum Chriſti valor ſufficeret ad indulgentiæ, diſpenſationem, & efficaciã: tamen ex ſuppoſitione quod aliorum ſanctorum ſatisſactiones in hoc theſauro inueniũtur, etiam concurrũt, & prçſupponuntur ad indulgentias, quas Pontifices iuxta ordinariam legem, & conſuetũ ordinem voluerunt concedere, & de facto concedunt de ſatisfactionibus Chriſti ſimul & aliorum ſanctorũ. Cuius ratio eſt quia ſicut vnus homo ex ſua intentione poteſt alteri ſuam ſatisfactionem aplicare & ei obtinere remiſsionem pœnç temporalis in quo conſiſtit teſte Diuo Thoma vbiſupra artic. de communione ſanctorum: ita ſimiliter ſatisfactio alicuius ſancti quæ effectum non habuit, repoſita in theſauro Eccleſiæ poterit diſpenſari, & applicari à Pontifice ad remiſsionem pœnæ alterius, ac proinde ex illa poteſt concedi indulgentia.

Ocurritur fundamentis aduerſariorum.

17 Ex his reſpondetur ad fundamenta aduerſariorum. Ad fundamentum quidem Maironis negãda eſt minor, quia falſum eſt quod Chriſtus in ſua humanitate receperit premium adequatum ſuis meritis, cũ quibꝰ, vtpote infiniti valoris, neque exaltatio nominis, neq; gloria corporis, aut aliud premium poteſt adæquari: & gratis admiſſo eius opera in ratione meriti fuiſſe ad æqualitatem remunerata, id tamen nequit dici de illis in ratione ſatisfactionis, quia vt ſic non ipſi ſed nobis profuerunt, vt conſtat ex diſcrimine quod, q. 1. art. 2. inter meritum & ſatisfactionem conſtituimus.

Ad primum autem fundamentum Durandi reſpõdetur eodem modo, diſtinguẽdo antecedens de operibus aliorum ſanctorum in ratione meriti, & ſatisfactionis nam licet ſecundum primam rationem accipiant adæquatum premium in ipſo operante, non vero quantum ad ſecundam rationem, quia in ratione ſatisfactionis mul

toties

toties ſuperexcedunt debitum pœnæ tēporalis ipſius operantis.

Ad ſecundum diſtinguo minorem, homines iuſti non habuerunt intentionem reponendi opera ſua in theſauro Eccleſiæ quantum ad rationem ſatisfactionis, formaliter & expræſſe tranſeat: implicite & virtualiter nego minorem: eo enim ipſo, quod ab ipſis non fuerint applicata alicui in particulari, & aliàs eis ſuperſunt, habent virtualem intentionem aggregandi illa ad bona communia Eccleſiæ: quæ etiam tanquam mater iure hæreditario in bonis ſuorum filiorum, quæ ipſi alijs noluerunt legare, diſponit.

Ad tertium, neganda eſt ſequela, ad cuius probationem reſpondetur, quod licet ſatisfactiones ſanctorum concurrãt ad effectum indulgentiæ in ſenſu a nobis explicato, non tamen propterea ipſi ſancti poſſunt dici nos redimere, etiam ex parte propter duo: tum quia ille redimit, qui propria virtute ſoluit ſufficiens precium pro alio, quo modo ſolus Chriſtus potuit ſoluere: & ex perfecta iuſtitia ſatisfacere; alij verò ſancti ſolum in virtute Chriſti, & ex gratia ab ipſo accepta. Tum etiam, quia Chriſtus ex hac primaria intentione & cauſa paſus eſt vt pro alijs ſolueret. Alij vero Sancti ſiue Martyres paſsi ſunt, propter alios fines primario, & ſolum quaſi ex conſequenti nos iuuant, in quo Chriſtus, qui teſtè Baſilio Magno, axiomata ſua largitur ſuis, voluit eos honorare faciēdo eos adiutores noſtræ redemptionis quoad effectum remiſsionis pœnarum. Neque hoc munus denegat Diuus Thomas in loco citato, ſed tantum explicat id ad quod eorum opera per ſe, & veluti primario conducunt, atque independenter ab vſu, & authoritate clauium, ſic autem ſolum conducunt ad noſtrum profectum per modum exempli, & exhortationis, vt ibidem explicat Caietanus.

Dubium quartum eſt, de cauſa efficienti indulgentiarum: an ſcilicet poteſtas illas concedendi ſoli ſummo Pontifici ex iure diuino conueniat, ex cuius commiſsione ad alios Eccleſiæ Prælatos deriuetur?

18 QVONIAM tria ingerunt difficultatē, ſcilicet, an à iure diuino Papa, an iure ordinario, aut quo iure Epiſcopi illam habeant, & quæ cauſa finalis ex parte dantis requiratur? Ideò pro huius dubij declaratione. Dico primo, ſolus ſummus Pontifex habet poteſtatem concedendi indulgencias immediate a iure diuino, tam circa totam Eccleſiam, quam circa determinata loca, vel perſonas.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias, quarum altera eſt Panormitani in Clementina 2. de pœnitentijs, & remiſsionibus, & Felin. tractatu de indulgentijs num. 44. & Soti dicta diſtinct. 21 quæſt. 1 art. 4. & Cordubæ quæſt. 12. de indulgentijs aſſerentium nedum ſummũ Pontificem, ſed etiam Concilium generale, vt à capite condiſtinctum, imò & ſeparatum in ſede vacante habere immediate à iure diuino poteſtatem concedendi indulgencias circa totam Eccleſiam. Altera eſt quam tenet idem Soto, & Corduba vbi ſupra Medina diſputatione 5. de indulgentijs capite 27. Nauarro in commentario citato notabili 31. & Petrus de Soto, lectione 3. de indulgentijs aſſerentes vnumquemque Epiſcopum, etiam a iure diuino habere poteſtatem concedendi indulgencias in ſua Diœceſi, atque ſuis ſubditis.

Quam etiam poteſtatem extēdunt Marſil. in 4 q. 12. art. 2. & Gaillelm. d. 19. q. 1. ad omnes ſacerdotes ratione poteſtatis ordinis quamuis de facto nunc illam non

habeant

habeant: eo quod ſummus Pontifex eam ſibi reſeruauerit, ſed noſtra concluſio eſt D. Thom. in dict. diſt. 20. art. 4. defenditurque communiter à Theologis præſertim à Durand. ibidem q. 5. Bonauent. art. 3. q. 2. Palud. q. 4. art. 3. Ricardo art. 5. q. 3. Alenſe 4. p. q. 23. membro 3. a Gerſon lib. de poteſtate Eccleſiæ conſider. 1. & à Caiet. opuſc. 2. c. 2. & 5. & à Suario diſp. 55. ſect. 1, & 2. Et probatur primo, nam hæc poteſtas dicitur conuenire ſoli ſummo Pontifici ratione vniuerſalis iuriſdictionis, & curæ circa totam Eccleſiam: hæc autem eſt propria ipſius, ita vt nulli alteri conueniat: ergo pariter hæc poteſtas concedendi indulgentias iure diuino ipſius ſolius, eſt propria. Min patet quia ſolus Pontifex eſt caput & vniuerſalis paſtor totius Eccleſiæ, vtpotè Petri ſucceſſor, maior autem probatur, quia Chriſtus in præallegatis locis, Matth 16. & Ioannis 21. ſoli Petro & ſucceſſoribus huiuſmodi poteſtatem conceſsit, dicens: *Tibi dano claues regni cælorum*, &c. *& paſce oues meas*: vnde Clemens VI. in dicta extrauaganti *vnigenitus*, ait, *Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ ſua theſaurum ſuorum meritorum quem per beatum Petrum cœli clauigerum eiuſque ſucceſſores ſuos in terris Vicarios commiſſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum*, &c. Quæ propoſitio eſt virtualis quædam excluſiua, vt perſpicuum eſt: ergo.

19 Secundo probatur, nam ille habet poteſtatem aliquam immediate à iure diuino, qui eam immediate accepit à Deo ſiue à Chriſto qui eſt auctor iuris diuini: ſed nullus præter Petrum, & ſucceſſores, hoc eſt ſummos Pontifices, legitur accepiſſe huiuſmodi poteſtatem concedendi indulgentias immediatè a Chriſto: ergo. Minor patet, nam in primis, id non legimus de Concilio Generali, vt conſtat ex locis Euangelij, imò neque hoc erat neceſſarium quia Concilium Generale, aut congregatur præſidente in illo Pontifice per ſeipſum, & tunc includit ipſum, & cõſideratur in illo Eccleſia cum ſuo capite, ac proindè tunc eandem habet poteſtatẽ concedendi indulgentias quam habet ſuũ caput quod eſt Pontifex: aut præſidet in illo per ſuos Legatos, & tunc poteſt Cõcilium accipere facultatem concedendi indulgentias ex conceſsione ipſius Pontificis facta eiſdem Legatis, ſicut ſæpe contingit in Eccleſia, aut tandem Concilium Generale legitimum congregatur ſine vlla præſidentia ſummi Pontificis, vt in ſede vacante & hoc quia rariſsimè contingit: ſemelque dumtaxat legimus fuiſſe factum in Concilio Conſtantienſi quod pro ſedãdo ſchiſmate congregatum fuit, in quo nullus erat certus, & indubitatus Pontifex; ideo nullum ordinarium ius pro tali Concilio in materia indulgentiarum conſtitutum eſt neque alicubi legimus Chriſtum ei hanc poteſtatem dediſſe, neque ex traditione aliqua, aut ex ſola neceſsitate colligi poteſt.

Similiter, neque talis poteſtas fuit à Chriſto immediate Epiſcopis conceſſa: etenim facultas concedendi indulgentias in Archiepiſcopis, & Epiſcopis limitatur vel augetur ex beneplacito Pontificis, & poſſet eis tolli omnino hoc autem eſt ſignũ iuriſdictionis dimanantis ab homine, & non à Chriſto: ergo neque huiuſmodi facultas conueniens Epiſcopis eſt iuris diuini, ſed tantum humani, maior patet ex præallegatis capitibus *cum ex eo, & noſtro*, de pœnijs & remiſsionibus, in quibus limitatur poteſtas concedendi indulgentias in Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quantum ad quantitatem indulgentiæ nimirũ, vt ſit de iniunctis pœnitentijs dumtaxat: & quod in dedicatione alicuius Eccleſiæ poſsint concedere annum huiuſmodi indulgentiæ, in aniuerſario autem die talis dedicationis, atque in quocumque alio caſu ex cauſa ſufficienti poſsint, ſolum cõcedere indulgẽtiam quadraginta dierũ, & in cap. *quod autem* eiuſdem tituli, iterum limitatur eadem poteſtas quantum ad perſonas, hoc eſt, vt huiuſmodi indulgentiã vnius anni, ſiue quadraginta dierum de iniunctis pœnijs non poſsint concedere Epiſcopi, niſi pro viuis, ſibi ſubditis. Minor probatur, quia ſi Epiſcopi haberent hanc poteſtatem immediate a Chriſto, & de iure diuino, proculdubio illam haberet ſine vlla limitatione quia Chriſtus abſolute, & ſine limitatione, poteſtatem clauium Petro & ſucceſſoribus conceſsit, ac proindè poſſent Epiſcopi in quacumque quantitate, & tam pro viuis, quam pro defunctis indulgentias concedere ex iure diuino, vtpotè quod nullam limitationem facit circa talem poteſtatem, ac proinde nõ poſſet à Pontifice, ita limitari ſiue auferri ex parte, ſicut de facto ablata eſt, niſi ex cauſa vrgentiſsima quæ certa & nota eſſet, & in præſentiarum talis cauſa aſsignari non poteſt, ergo.

Dico

Iure tamē humano eſt in Epiſcopis cū quadā limitatione.

20 Dico ſecundo. Nihilominus habent Archiepiſcopi, & Epiſcopi iuriſdictionem, & poteſtatem ordinariam iuris humani, cōcedendi aliquas indulgentias, cum limitatione tamen aſsignata iuxta iuris diſpoſitionem. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam Durandi vbiſupra quæſt. 5. & aliorum aſſerentium neminem præter ſummum Pontificem poſſe cōcedere indulgentias poteſtate ordinaria: niſi per poteſtatem delegatam ab illo: quorum fundamentum eſt quod cum ſolus ſūmus Pontifex, habet hanc poteſtatem a Chriſto, ideò illi ſoli conuenit ex vi ſui muneris & officij, quāuis ipſe poſsit alijs hanc facultatem delegare, poteſtas autem ordinaria, ſiue iuriſdictio dicitur illa, quæ alicui conuenit ex vi muneris, & officij, ſicut & delegata dicitur illa, quę ſolum cōmittitur ab eo cui iure ordinario conuenit, vt ab altero vice ſui exerceatur: ergo.

Sed noſtra concluſio communis eſt D, Th. Bonau Palud Ricar. & Nauarri, & Alenſis vbiſupra, & Suarij diſp. 55. ſect. 3. Et ſuadetur primo, veluti ab effectu, ſiue a ſigno. & a poſteriori, quia poſſe delegare iuriſdictionem eſt ſignum manifeſtum ordinarię iuriſdictionis, vtpote quia delegatus non poteſt ſubdelegare regulariter loquēdo: ſed Epiſcopi habēt iuriſdictionē aliquā licet limitatā cōcedēdi indulgentias, vt conſtat ex dictis, & alias illam poſſent alijs Epiſcopis delegare: ergo habent huiuſmodi poteſtatem, & iuriſdictionem vt ordinariam. Minor colligitur ex dicto capite *quod autem*, quatenus ibi decernitur, vt ſubditi vnius Epiſcopi de ipſius licentia poſsint lucrari indulgentiam ab Epiſcopo alterius Diœceſis conceſſam: qui eſt modus quidam delegationis, & inſuper experientia, & vſu conſtat Epiſcopos ſolere hanc iuriſdictionem delegare, & illa vti tanquam ordinaria: ergo.

Secundo probatur, ratione oſtenſiua à priori, quia Epiſcopi habent hanc poteſtatem concedendi indulgentias cum dicta limitatione ex iure communi Eccleſiaſtico, atque adeo ex vi ſui muneris, & officij prout a ſummis Pontificibus inſtitutum, ac diffinitum eſt, ſed iuriſdictio ordinaria eſt, quæ conuenit alicui ex vi ſui muneris & officij: ergo. Minor eſt diffinitio, & maior patet quia licet dignitas Epiſcopalis, quoad poteſtatem ordinis ſit immediate ex Chriſti inſtitutione. & quantum ad poteſtatem paſtoralem iuriſdictionis ſit etiam ex Chriſti mandato in communi loquendo: tamē in particulari, quoad talem, & tantam poteſtatem hoc eſt, quoad iſtos, vel illos actus iuriſdictionis, eſt diffinita ex iure humano, & ordinatione Eccleſiæ. & huiuſmodi eſt iuriſdictio quoad actum concedendi indulgentias: poſtquam autem huiuſmodi poteſtas iuriſdictionis iure humano ordinario diffinita, & determinata eſt, reuera conuenit Epiſcopis tanquam ordinaria: ergo.

Tertio probatur ex congruentia adducta, à D, Th. & a D. Bonau. quia nimirum Epiſcopi ſunt ſponſi ſuarum Eccleſiarum particularium, & ſunt Iudices, & Paſtores, ac Principes ordinarij, ſicut Papa eſt Sponſus, & Paſtor, ac Princeps totius Eccleſiæ vniuerſalis: ergo conueniēs fuit vt illi haberent aliquam poteſtatem ordinariam ad diſpenſandum bona ſuæ ſponſæ, aliquas remiſsiones liberales faciendo, ſicut & conueniens fuit Papam habere poteſtatem ordinariam diſpenſandi bona ſpiritualia de communi theſauro Eccleſiæ.

In hac autem congruentia & paritate obſeruandum eſt diſcrimen duplex aſsignatum: nimirum quod Papa eſt abſolute primarius diſpenſator theſauri totius Eccleſiæ, ſicut eſt Sponſus illius, atque Chriſti Vicarius in terris: Epiſcopi vero ſunt diſpenſatores ſecundarij & veluti inadęquati eiuſdem theſauri. Et quod Papa immediate à iure diuino habet huiuſmodi poteſtatem diſpenſandi, ſine limitatione theſaurum Eccleſiæ: Epiſcopi vero habent poteſtatem diſpenſandi cum prædictis limitationibus à Papa deriuatam, ac dependentem.

Ad valorē indulgētiæ requiritur cauſa finalis honeſta & proportionata.

21 Dico tertio. Neceſſaria eſt aliqua cauſa finalis honeſta ac pia diſtincta ab ipſo effectu, ſeu fine intrinſeco indulgentiæ, ob quam expediat indulgentiam concedere, & ſine qua ſit inualida ex toto, vel ex parte, ſecundum proportionē ad talem cauſam: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias, quarum altera ait piam cauſam finalem requiri quidem ex parte dantis indulgentiam, vt rite fiat, non tamen vt valeat, pro qua ſententia refert quoſdam ſuppreſſo nomine Paludan. in 4 d. 12. illam ſequi tenetur Maironius vbi ſupra in eodem 4. d. 19. dum ait indulgentias non concedi ex diſpenſatione theſauri

cauſa

ſauri Eccleſiæ, ſed ex gratuita omnino & liberali remiſsione facta à Pontifice per poteſtatem a Deo acceptã. Altera vero aſſerit requiri quidem cauſam piam ad valorem indulgentiæ, non tamen ad quantitatem valoris, ſiue effectus indulgentiæ, ita vt ſi cauſa ſit pia, etiam ſi ſit minor, quantacunque fuerit indulgentia, totum ſuum effectum ſortietur, ita Palud. in 4. d. 20. q. 4. Bonau. q. 6. Ricard. art. 5. q. 1. Durãdus q. 4. Gabr. in ſupplemento diſt. 45. q. 3. art. 1. Michael de Medina in q. vlt. de indulgentijs, Angelus, & Syluester, verbo *indulgentia* num. 3. & in eandem inclinat D. Th. in dict. d. 20. art. 3. quæſtiuncula 2.

Quorum fundamentum duplex eſt: nimirum conſuetudo Eccleſiæ, & Põtificum, qui pro eadem cauſa quandoque minorem, & quandoque maiorem concedunt indulgentiam: & quia axioma receptum eſt, quod indulgentiæ tantum valẽt quantum ſonant: quod quidem abſolute intelligendum eſt, & non cum limitatione hac, ſcilicet iuxta proportionem ad cauſam motiuam, ſeu finalem.

Sed noſtra concluſio defenditur à Caietano opuſcul. 1. quæſito. 1. quæſt. 1. & 2. & opuſc. 20. cap. 8. & a Soto in d. diſt. 21, q. 2. a. 2. & à D. Antonino vbi ſupra. & Alberto in eod. 4 diſt. 20. art. 27. Corduba q. 20. de indulgentijs, & a Suario diſp. 54. ſect. 3. probaturque quantum ad primam partem dupliciter. Tum à priori quia hæc poteſtas concedendi indulgẽtias data eſt Eccleſię non in deſtructionẽ ſed in ædificationem, ac proinde eſt poteſtas diſpenſatiua, quia & ipſa conceſsio indulgẽtię, vt dictũ eſt, aut includit formaliter, aut ſupponit diſpenſationem: omnis autem diſpenſatio requirit cauſam piam diſtinctam ab ipſo effectu, & fine intrinſeco diſpenſationis: ergo & conceſsio indulgentiæ requirit cauſam piam diſtinctã ab effectu, & fine intrinſeco ipſius indulgentię: alioquin diſipatio potius eſſet & in deſtructionem, ac perniciem fidelium. Tum etiam a ſigno & a poſteriori, quia ſi abſque huiuſmodi pia cauſa conceſsio indulgentiæ eſſet prudens, & rationabilis poſſet Pontifex pro ſua voluntate ſpoliare Purgatorium, vel omnibus fidelibus rite confeſsis totum reatum pœnæ remittere, eo tantum fine vt eos a tali malo liberaret: qui eſt finis honeſtus, & intrinſecus indulgentiæ: conſequens autem eſt planè abſurdum & contra conſuetum modum concedendi indulgentias: ergo.

Deinde quoad ſecundam partem probatur, quia ſummus Pontifex non eſt Dominus, ſed tantum diſpenſator Eccleſiaſtici theſauri, id enim ſignificatur in illo 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miſteriorum Dei*, & 1. Petri 4. *Sicut boni diſpenſatores multi formis gratiæ Dei*, ſed diſpenſator non poteſt pro ſuo libito facere diſpẽſationem validam, ſed ſolum iuxta Domini voluntatem, & intentionem: ergo nec Pontifex poteſt abſque rationabili cauſa facere pro ſuo arbitratu indulgentiam validam. Minor probatur, quia facultas diſpenſatoris ex proprijs meritis non extenditur vltra Domini intentionem & volũtatem, vt inductione probari poteſt. Nam ſi famulus cui pater familias commiſsit pecunias certas, diſtribuendas inter quoſdam pauperes determinatos, alijs diſtribuat, vel in alios vſus conſumat, talis erogatio pecuniarum ne dum ilicita, ſed etiam inualida erit, ita vt tam ipſi quam alij qui pecunias receperunt, ad earum reſtitutionem per ſe loquendo teneantur: idem eſt de curatore in teſtamento relicto, qui niſi legata reſtituat iuxta teſtatoris voluntatem, non ſolum male faciet, ſed etiam nihil faciet.

Conſequentia vero eſt nota, quia Chriſtus non conceſsit Petro & ſucceſſoribus hanc poteſtatem diſpenſatiuam dandi indulgentiam, niſi ſub hac conditione, & cum dependentia à rationabili cauſa, vt indicat Clemens VI. in ſua Extrauaganti *vnigenitus*, dum ait: *Theſaurum iſtum diſpenſandum pro pijs, & rationabilibus cauſis nunc pro totali; nunc pro partiali remiſsione pœnæ, vel vt aliqui legunt pro pijs, & rationabilibus cauſis*, &c.

Dices: diſpenſatio in recitatione horarum, in ieiunio, atque in alia ſimili lege iuriſpoſitiui, licet non poſsit ritè fieri ſine cauſa: tamen ſemel facta ex plena voluntate habente poteſtatem valida eſt: ergo pariter, licet pia cauſa requiratur vt cõceſsio indulgentiæ ritè & recte fiat, non tamen vt ſemel facta valeat. Reſpondetur admiſſo antecedenti negando conſequentiam: quia conceſsio indulgentię includit diſpenſationem in iure diuino, eo quod vt dictum eſt poteſtas hæc immediate à Chriſto dimanauit: hoc autem diſcrimen verſatur inter diſpenſationem humani & diuini

ni iuris, quod diſpenſatio in iure diuino fit in bonis alienis, & in aliena voluntate ſuperioris, & propterea vt valide fiat, requiritur cauſa, quia ſine illa non cenſetur ſuperior conſentire, & ſine eius conſenſu nihil fit in tali negotio: qui verò diſpenſat in lege humana, diſpenſat quidem in re propria, ſiue in ſua met voluntate, & ideo talis diſpenſatio ſemel facta tenet quia etiam ſi talis voluntas illicitè, & ſine cauſa mutetur, tamen verè mutatur, & retractatur, ac proindè tollitur obligatio, quæ ab illa pendebat.

Denique pro tertia parte probatur primo: quia Pontifices requirunt vt indulgentia ſit valida cauſam non ſolũ piam ſed etiam iuſtã & rationabilem, vt patet ex illis verbis *rationabilibus cauſis*, quibus vtuntur Clemens VI. in Extrauaganti *vnigenitus*, & Leo X. in decretali miſſa ad Caiet. & ex ſimilibus verbis, ſcilicet, *ex cauſa pia & iuſta*, quibus vtitur Martinus V. in Concil. Conſtantie. ſeſs. vlt. ſed vt cauſa ſit rationabilis & iuſta, debet eſſe rationi conſentanea, ac proinde proportionata, quia recta ratio ſemper vitat quidquid eſt improportionatum: ergo.

Secundo, nam propterea Innocentius III. in cap. *cum ex eo*, de pœnitentijs, & remiſsionibus reprehendit indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias: eò quod per illas, penitentiales ſatisfactiones eneruantur, ac ſi diceret, quod per illas non adimplentur debitæ ſatisfactiones coram Deo. Superfluas autem & indiſcretas indulgentias vocat eas, quæ largiùs conceduntur, quàm poſtulat cauſa: ergo cauſa rationabilis requiſita ad valorem indulgentiæ vltra pietatem petit adæquationẽ, & proportionem: proportionem inquam vel æqualitatis, vel à fortiori maioris inęqualitatis, ſed non minoris.

Tertio probatur, nam quanto cõceſsio indulgentiæ excedit cauſam, tantò in illa conceditur ſine iuſta cauſa, & pro ſola voluntate concedentis: igitur quoad totum illum exceſſum non eſt valida: ergo vt ſit integrè valida, petit cauſam proportionatam. Antecedens cum ſecunda conſequentia eſt notum. Prima autem probatur dupliciter. Tum quia omnis remiſsio facta pro ſola voluntate diſpenſatoris ſine alia cauſa eſt inualida, vtpotè quia hoc non diſpenſatoris, ſed proprij domini munus eſt. Tum etiam, quia ſicut in phiſicis à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, ita nec in cauſis moralibus, ſi rationabiliter operentur.

Sed rogabis: numquid quando cauſa pia, ob quam conceditur indulgentia eſt inadæquata, ideſt minor reſpectu integri effectus indulgentiæ, operabitur ſaltem partem effectus ſibi adæquate correſpondentem?

23 Reſpondeo affirmatiuè, & hoc ipſum continetur in tertia parte noſtræ aſſertionis ſi rectè intelligatur, cuius ratio eſt, quia quando Pontifex concedit indulgentiam pro minori cauſa, vult cõcedere quantum poteſt: ſed poteſt efficere effectum adæquatum tali cauſæ: ergo hoc vult & quantum ad hoc ſaltem implet voluntatem ſuam. *Quod ſi cauſa inadæquata ſuerit non totũ effectũ, ſed partem operabitur.*

Ad primum pro ſecunda reſpondetur in cauſa proportionata eſſe latitudinem, ac proinde quandoque Pontifices pro eadem cauſa, proportionata tamen cõcedere minorem, & quandoque maiorem indulgentiam, numquam tamen credendum eſt illos concedere pro cauſa minori indulgentiam maiorem, & ſuperexcedentem ipſam cauſam quia grauitas cauſæ nõ eſt penſanda ſolum ex opere quod iniungitur pro lucranda indulgentia, ſed ex alio altiori bono, ad quod tanquam ad finem ordinatur, vt eſt Dei gloria, vel communis vtilitas Eccleſiæ: pro indulgentia enim publica requiri publicam cauſam, hoc eſt commune bonum, docent Albertus in 4. d. 20. a. 17. & Soto d. 21. q. 2. ar. 2. pro indulgentia autem priuata ſufficere priuatam cauſam, hoc eſt priuatum bonum illi proportionatum, & non requiri publicum bonum contra præfatos auctores tenet probabiliter Suar. diſp. 54. ſect. 4. concluſ. 2.

24 Ad ſecundum reſpondetur, quod tres modos dicendi, & explicandi illud axioma refert D. Th. in d. quæſtiun. la 2. Primus eſt eorum qui dicunt indulgẽtiam valere tantum quantum ſonat iuxta fidem & deuotionem ſuſcipientis. Secundus eſt Alberti d. 20. & aliorum aſſerentium indulgentiam valere iuxta quantitatem ſubſidij dati, vel operis exhibiti, propter quod indulgentia conceditur, vel etiam laboris impenſi penſata conditione perſonæ & Eccleſiæ neceſsitate. Tertius eſt eorum qui dicunt valere iuxta menſuram, & proportionem cauſæ rationabilis pro qua conceditur indulgentia.

Hos dicendi modos refutat Diu. Tho-

Thom. Primum quidem quia fides, & deuotio ſuſcipientis nec eſt cauſa indulgentiæ, nec diſpoſitio ad eius effectum requiſita. Secundum vero, quia opus iniunctũ propter quod conceditur indulgentia, cũ ſit tantum diſpoſitio ſiue conditio quædã requiſita ad effectum indulgentiæ, nec eſt pretium per quod ſoluitur pœna quę remittitur, ac proinde non opportet quod ſit condigna ſatisfactio, cui debeat commenſurari effectus indulgentiæ, alioquin indulgentia, potius haberet modum commutationis, quam abſolutionis: quod eſt falſum.

Tertium denique refutat, quia cauſa indulgentiæ eſt meritorum Chriſti abũdantia & valor, cui proinde commenſurari debet effectus indulgentiæ, & non alteri cauſæ extrinſecæ: quibus modis dicendi reiectis ſubdit D. Th. quartum, ex propria ſententia dicens: indulgentiam ſemper valere totum quod ſonat dummodo adſint tres conditiones, nimirum poteſtas in dante, charitas in ſuſcipiente, & pietas in cauſa, in quo videtur fauere ſecũdę ſententiæ, & noſtræ concluſioni diſſentire, ſed quia ipſemet infra d. 45. q. 2. a. 3, quæſtiuncula 2. explicat ſe dicens: *Nec tamen ſequitur quod prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas à purgatorio liberare, quia ad hoc vt indulgentia valeant requiritur cauſa conueniens indulgentias concedendi, vt ſupra d. 20. dictum eſt*, &c. Quibus denotat ad valorem indulgentiæ requiri cauſam non ſolum piam, ſed etiam conuenientem, hoc eſt rationabilem, & proportionatam. Nec in hoc cenſendus eſt refutare tertium modum dicendi d. 20. quem poſtea d. 45. amplexus eſt, ſed in eo quod eius auctores innuebant requiri huiuſmodi cauſam finalẽ vt coniunctam cum opere, propter quod conceditur indulgentia, tanquam condignam ſatisfactionem ad effectum indulgentiæ, vel opus vt relatum ad cauſam, quod quidem falſum eſt, quia ſatisfactio condigna, ex qua ſumitur æqualitas ſolutionis, & precij tantum eſt Chriſti & Sanctorum ſatisfactionum valor. Cauſa autem rationabilis, & proportionata propter quã datur indulgentia, tantum eſt neceſſaria ex parte dantis ad hoc, vt ſit valida ipſa conceſsio indulgentiæ. Et in hoc ſenſu explicatus tertius modus dicendi, nec refutatur à D. T. ſed potius approbatur, & à nobis amplectitur, iuxta quem explicandum eſt prædictum axioma quod indulgentiæ valent quantum ſonant iuxta cauſæ proportionem.

25 Hinc colligo primo, quod ſpeculatiuè loquendo indulgentiæ ſemper valent quantum ſonant, concurrentibus omnibus cauſis ad eas neceſſarijs, quarum vna eſt cauſa finalis pia & proportionata.

In quo ſenſu indulgẽtiæ tãtũ valeãt, quantũ ſonant.

Colligo ſecundo, quod in praxi, & in particulari incertum eſt aliquando, an indulgentia operetur totum effectum quem promittit: eo quod etiam in particulari incertum eſt, an cauſa finalis propter quam conceditur ſit æqualis, vel proportionata, ſed quia ſuperioris factum ſemper præſumendum eſt legitimum, & validum, & maximè factum ſummi Pontificis propter ſpecialem Spiritus ſancti aſsiſtentiam ipſi promiſſam ad Eccleſiam gubernandam: propterea quandiu inſufficientia cauſæ euidenter non conſtiterit, nulla tenus eſt indulgentia reputanda, & à fortiori nec prædicanda minoris efficatiæ, aut valoris, quam verba ſonant, de quo videantur Cajet. in d. opuſc. 2. ad Iuliũ, q. 2. Corduba q. 22. & Suarius diſp. 56. ſect. 5.

Dubium quintum eſt, de idoneitate, & conditionibus requiſitis ex parte ſubiecti ſuſcipientis effectum indulgentiæ.

26 IN hoc dubio, quod de cauſa materiali indulgentiæ, hoc eſt de ſubiecto recipiente illam diſputandum inſtituimus: duo ex actenus dictis recolenda ſunt. Primo quidem recolendum eſt duas eſſe indulgentias veluti ſpecie diſtinctas. Alteram quæ habet modum abſolutionis, & conceditur pro hominibus viuis: alteram vero, quæ habet modum ſolutionis, & ſuffragij, & conceditur pro defunctis: quarum vtraq; diuiditur in totalem ſiue plenariam, & partialem vt dictum eſt: & inſuper vtra-

que

quæ ſubdiuidi poteſt ex parte ſubiecti in perſonalem, realem, & localem, quia licet omnes huiuſmodi indulgentiæ conueniãt in hoc quod ordinentur ad vſum & vtilitatem hominũ reſpectu quorum importãt quaſdam remiſsiones, ſiue relaxationes pœnarum debitarum coram Deo: tamen diſcriminantur in eoquod indulgentia perſonalis immediatè veluti inhæret homini bus, & afficit ipſas perſonas: realis verò eſt quæ inhęret, & annexa eſt quibuſdam reb⁹ ſacris, vt imaginibus, ſiue calculis benedictis, & tandem localis eſt, quæ alicui pio loco inhæret, & eſt annexa vt altari Eccleſiæ, ſiue oratorij, quarum quælibet in ſui ſubiecto receptiuo ſpeciales, & proprias exigit conditiones.

Secundo recolendum eſt diſcrimẽ inter illas duas indulgentias priores, ſcilicet per modum abſolutionis, & ſuffragij: inter quas duplex verſatur diſcrimen, nã indulgentia, quæ habet modum abſolutionis differt ab illa, quæ habet modum ſuffragij, ſicut includens ab incluſo, quia illa includit rationem diſpenſationis, ſolutionis, & abſolutionis: iſta verò tantum habet rationem diſpenſationis, & ſolutionis æquiualentis precij, ſiue commutationis fundatæ in promiſsione diuina: ex quo diſcrimine ſequitur aliud, nimirum quod illa tantum poteſt concedi ſubditis, vtpotè cum ſit actus iuriſdictionis: iſta verò poteſt concedi etiam non ſubditis: quare conditiones ſubiecti receptiui vtriuſque indulgentiæ ſygillatim examinandæ ſũt. Pro cuius declaratione.

Sex ſunt cõditiones lucrantis indulgẽtiã

Dico primo. Conditiones quibus homo fit idoneus ad recipiendum effectũ indulgentiæ pro viuis ſunt ſex: nimirũ vt ſit viator, quod habeat characterẽ baptiſmalem, & fidem habitualem: & inſuper quod ſit in ſtatu gratiæ, & charitatis pro tempore pro quo debet recipere effectum indulgentiæ, & quod non ſit ligatus vinculo alicuius excommunicationis maioris, vel minoris, & tandem quod faciat opus iniunctum pro quo indulgentia data eſt, iuxta formam ipſius indulgentiæ.

Hæc concluſio quantum ad tres priores conditiones communiter recipitur à Theologis, vt videre eſt apud Suarium diſputatione 52. ſectione ſecunda, & Puteanum in ſua tertia parte tractatu de indulgentijs quæſt. 5. per totam. Et ratio primæ conditionis eſt, quia ſolus homo viator eſt capax reatus, ſiue debiti pœnæ temporalis, ac per conſequens ſolus ille eſt capax remiſsionis talis debiti: ergo ſolus ille eſt capax recipiendi effectum indulgentiæ. Antecedens patet diſcurrendo per omnes & ſingulos ſtatus, nam in primis beati in ſtatu beatitudinis cum ſint in gratia conſummata nullius pœnæ ſunt debitores. Deinde damnati in inferno cum ſint in termino damnationis, neque habent reatum ſolius pœnæ temporalis, neque iſte eſt in eis remiſsibilis, quia in inferno nulla ex redemptio. Exiſtentes autem in Limbo puerorum, etiam ſunt in termino damnationis quantum ad ęternã pœnam damni: & alias carent omni peccato actuali, ac per conſequens nullius pœnæ tẽporalis ſunt debitores; vtpote quæ pro ſolis peccatis actualibus debetur. Et tandem exiſtentes in purgatorio eatenus ſunt capaces recipiendi effectum alicuius indulgentiæ, quatenus adhuc ſunt quodammodo viatores, quia ad vltimum terminum beatitudinis, non dum peruenerunt: ergo ſtat⁹ viæ eſt conditio requiſita in omnibus ad recipiendum effectum indulgentiæ.

Ratio verò ſecundæ conditionis, nimirum quod requiratur character baptiſmalis eſt, quia indulgentia pro viuis eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt dictum eſt: ergo extendi non poteſt niſi ad ſubditos exiſtentes intra ianuam Exccleſiæ. Tunc vltra: ſed ianua ad Eccleſiam eſt Baptiſmus: ergo ſolum ad baptizatos extendi poteſt Eccleſiaſtica iuriſdictio, ac proinde effectus indulgentiæ pro viuis, ixta illud Pauli 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de his qui foris ſunt iudicare?* id eſt de his qui ſunt extra Eccleſiam.

27 Deinde ratio tertiæ conditionis, nimirum quod requiratur habitualis fides eſt duplex. Prima quidem eadem quæ militat pro ſecunda conditione, quia ſubiectum idoneum ad effectum indulgẽtiæ pro viuis debet eſſe ſubiectum iuriſdictioni Eccleſiæ, ac proinde membrum illius: fit autem homo membrum Eccleſiæ per habitualem fidem: ergo indiget huiuſmodi habituali fide.

Secunda ratio eſt, quia participatio indulgentię, vt diximus dub 3. pertinet ad communionem Sanctorum: hæc autẽ non fit niſi inter membra Eccleſiæ, quæ coniunguntur mediante fide & charitate: ergo neque effectus indulgentiæ extendi poteſt niſi ad habentes fidem. Præterquá

Eee quod

quod cum in recipiente effectum indulgentiæ requiratur charitas & gratia, quæ ſine fide in viatoribus eſſe non poſſunt, etiam de primo ad vltimum neceſſaria eſt habitualis fides.

Circa quartam conditionem omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eò quod pro tempore pro quo homo recepturus eſt effectum indulgentiæ debet eſſe in ſtatu gratiæ & charitatis, quia effectus indulgentiæ eſt remiſsio gratuita, & amicabilis ſolius pœnæ temporalis debitæ coram Deo quæ proinde ſupponit remiſſam culpam, & propterea ſemper concedi ſolet confeſsis & contritis de ſuis culpis: remiſsio autem culparum fit per gratiam & charitatem, per quam etiam conſtituitur homo amicus Dei, & capax communicandi cum illo in bonis ſpiritualibus, & ſupernaturalibus, de quorum numero eſt beneficium indulgentiæ: ergo hoc ſupponit in recipiente gratiam & charitatem. Diſcriminantur autem in explicando an recipiens debeat eſſe in gratia pro tempore antecedenti pro quo facit opus iniunctum pro quo datur indulgentia in duas ſententias.

Prima affirmans eſt quam tuentur Caietanus in dicto opuſc. de indulg. ad Iuliũ cap. 9. & in alio opuſc. q. vlt. Nauarro vbi ſupra notabili 19 & Soto eam vt probabilem defendit diſt. 21. q. 2. art. 3. vbi ait hãc ſententiam forte eſſe veram, qui illam probant quadrupliciter. Primo arguit Caietanus ex ipſa forma concedendi indulgentiam, nimirum ſub his verbis: *Omnibus contritis & confeſsis, hoc aut illud opus facientibus talem concedimus indulgentiam, &c.* quo tenore verborum ſignificatur, quod confeſsio & contritio debet ſupponi in recipiente, nedum ad effectum indulgentiæ, ſed etiam ad opera, pro quibus indulgẽtia conceditur: ergo ad huiuſmodi opera præ requiritur ſtatus gratiæ & charitatis.

Secundo, quia eatenus poſtulatur opus aliquod virtutis ad obtinendum effectum indulgentiæ, quatenus eſt conducẽs ad promouendam piam cauſam, propter quam conceditur indulgentia: ſed opus virtutis factum extra ſtatum gratiæ non eſt aptum ad promouendum piam cauſam, ſiquidem nullius valoris eſt apud Deum: ergo debet fieri in gratia.

28 Tertio, quia aut opus iniũctum pro quo conceditur indulgentia præcedit tempore eius effectum, aut concomitanter ſe habet ad illum, ita vt debeat fieri in eodẽ puncto, in quo conſumatur indulgentia: ſed in vtroque caſu petit, tanquam neceſſariam conditionem, ſtatum gratiæ in recipiente. In primo quidem ratione ipſius indulgentiæ, quæ vt dictum eſt, non ſortitur effectum, niſi ſuppoſita gratia & charitate pro eodem temporis momento, ſiue inſtanti pro quo indulgentia operatur ſuũ effectum, quia remiſsio pœnæ temporalis non fit niſi ſuppoſita remiſsione culpę ob quam debetur. In ſecundo vero, quia tũc opus præcedens requiritur ex parte hominis tanquam meritum diſponens ipſum ad obtinendum effectum indulgentiæ: ſed nullum opus poteſt eſſe meritorium corã Deo, niſi procedat à gratia & charitate, vt docent Theologi cum D. Tho. 1. 2. q. vlt. art. 4. ergo.

Quarto & vltimo, quia quicumque theſaurus debet applicari per opera ipſi proportionata: ergo theſaurus vitalis applicari debet, per opera vitalia: tunc vltra, ſed theſaurus Eccleſiæ eſt vitalis, vtpotè comparatus per ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum; quæ fuerunt opera vitalia & facta in gratia: ergo diſpẽſari debet per opera ſimiliter vitalia; ac per conſequens facta in gratia: ergo opera iniũcta pro quibus datur indulgentia debẽt procedere à gratia, vt medijs illis theſaurus Eccleſiæ poſsit diſpenſari.

29 Sed his nõ obſtantibus ſecunda ſententia eſt negatiua, quam tuentur D. Antoninus 1. p. titulo 10. cap. 3. § 4. Sylueſter verbo *indulgentia*, num. 32. Gloſſa in extrauaganti prima de pœnitentia & remiſsione, verbo *conſueuerunt*, Felinus in tractatu de indulg. num. 28. Soto vbi ſupra eam vt probabiliorem defendit, Suar. diſp. 52. ſect. 5. n. 8. & Putean. in dicta q. 5. dubitatione 3. aſſerentes nõ requiri ſtatum gratiæ & charitatis in recipiente indulgentiam ad opera antecedentia eius effectum: non inquam requiri ex vi ipſorũ operum, neque ex communi & conſueta forma in Eccleſia concedendi indulgentias, licet abſolutè poſſit Pontifex id poſtulare, ſi vellet indulgentiã cõcedere ſub alia forma, nimirum facientibus tale, vel tale opus in ſtatu gratiæ, & non aliter. Quæ ſententia quia veritati ac D. Thom. quodlibeto ſecundo artic. vlt. conformior eſt, ſtatuitur à nobis pro concluſione, & probatur dupliciter.

Non requiritur ſtatus gratiæ ad opera antecedentia effectum indulgentiæ.

Prima

Primo à priori, quia ſine hac conditione ſaluantur omnes aliæ cōditiones, quæ iuxta communem ſententiam requiruntur, & ſufficiunt ad lucrandam indulgentiam: ſcilicet authoritas in dante, charitas in recipiente, & pietas, ac proportio in cauſa: ergo huiuſmodi conditio ſtatus gratiæ & charitatis ad opera iniuncta non requiritur. Antecedens patet, quia ſine hac conditione ſaluatur authoritas in dante: hæc enim nunquam defficit in Summis Pontificibus: deinde ſaluatur charitas in recipiente, ſi illam habeat homo pro illo inſtanti, in quo conſumatur indulgentia, quia in illo Deus confert effectum ipſius indulgentiæ, & non antea: denique ſaluatur pietas, & proportio in cauſa, quia hæc poteſt etiam ſubſiſtere independenter ab operibus antecedentibus factis in gratia, vtpote à quibus omnino poteſt eſſe diſtincta & ſeparata: ergo.

Secundo probatur à poſteriori, quia opus iniunctum nullatenus requiritur, vt meritoriū, neque vt ſatisfactoriū ad obtinendum effectum indulgentiæ, vtpotè qui non datur homini intuitu proprij meriti, aut ſatisfactionis, ſed tantum intuitu ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum: omnis autem alia vtilitas in huiuſmodi opere poteſt ſaluari, etiam ſi fiat extra ſtatum gratiæ, quia tantum poteſt eſſe vtilitas impetrationis ad quam non requiritur gratia, vtpotè cum impetratio non innitatur dignitati operis, vel ſubiecti, niſi ſoli diuinæ miſericordiæ: ergo.

30 Ex quibus reſpondetur ad fundamenta aduerſariorum. Ad primum quidem dicendum eſt, quod illa conditio pœnitentię, confeſsionis, aut contritionis quæ poſtulatur in forma indulgentiæ tantum exigitur vt præcedens ad applicationem effectus indulgentiæ: non autem ad opera iniuncta antecedentia pro quibus conceditur indulgentia.

Ad ſecundum neganda eſt minor, quia etiam opus factum extra gratiam poteſt promouere piam cauſam, eoquod poteſt eſſe impetratorium coram Deo, atque remotæ diſpoſitiuum ad conſequendum diuinum auxilium ad veram pœnitentiam, & ad quodcumque aliud beneficium à Deo obtinendum.

Ad tertium neganda eſt minor pro ſecunda parte. Ad quartum, vel nego antecedens, quia diſpenſatio theſauri poteſt fieri ſine vllo opere ex parte recipientis, per ſolam operationem legitimam, & proportionatam ex parte dantis, ſiue diſpenſantis: & ſic etiam abſolute, & ſimpliciter poteſt Pontifex diſpenſare theſaurū Eccleſiæ per indulgentiam ſine vllo opere actuali, requiſito ex parte recipientis, vt dicemus circa ſextam conditionem. Vel admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, quia etiam ſi opera antecedentia non ſint vitalia, & in gratia facta, ſunt proportionata, vt dependenter ab illis tāquam à conditione, ſeu diſpoſitione applicetur homini vitalis theſaurus meritorum Chriſti per indulgentiam, quemadmodum in ſacramentis mortuorum operantibus primam gratiam applicantur merita Chriſti dependenter à diſpoſitionibus factis ab homine extra gratiam.

Sed rogabis: an impedito effectu indulgentiæ propter indignam recipientis ſuſceptionem, quia nimirum fictè confeſſus eſt, aut ad perfectam contritionem nō peruenit, recedente fictione recuperetur effectus indulgentiæ præteritæ?

Reſpondet Paludanus in 4. diſt 20 quæſt. 4. artic. 3. affirmatiuè, eoquod propterea ſacramenta fictè ſuſcepta poſtea recedente fictione & impedimento, ſortiuntur ſuum effectum, quia cauſant gratiam ex opere operato, & non ſunt opus hominis recipientis, ſed Dei conferentis illa per ſuum miniſtrum: quorum proinde effectus manet applicatus in diuina acceptatione: ſed etiam indulgentia operatur ſuum effectum ex opere operato, & non eſt opus hominis recipientis, ſed Dei offerentis illum per ſuum miniſtrum, cuius effectus manet applicatus ex meritis Chriſti in diuina acceptatione: ergo etiā recuperabitur recedente impedimento fictionis.

31 Sed verius reſpondetur negatiuè cum Caietano in dicto opuſculo ad Iulium cap. 9. & Suario diſput. 52. ſectione 2. eoquod neque eſt in vſu, neque in poteſtate Eccleſiæ concedere indulgentiam ſub tali forma, vt applicetur homini exiſtenti in peccato mortali, in quo poſtea recedente impedimento recuperet ſuum effectum à principio impeditum. Non quidem eſt in vſu, quia iuxta communem, & conſuetam formam ſemper conceditur indulgentia contritis, vel confeſsis, & nunquam applicatur, niſi ſuppoſita remiſsione culpæ. Neque eſt in poteſtate Eccleſiæ, quia hæc ſolum po-

eſt applicare indulgentiam homini apto, & capaci effectus ipſius, atque per voluntatem rationabilem ex parte diſpenſantis: ſed homo exiſtens in peccato mortali propter defectum confeſsionis fructuoſæ, aut veræ contritionis eſt incapax effectus indulgentiæ, vt dictum eſt, ac proinde voluntas, ſiue intentio applicandi indulgentiam homini pro eo tempore pro quo eſt ſic impeditus eſt irrationabilis, & contra diuinum ius: ergo nullatenus applicatur illi vera indulgentia, quæ poſtea remoto impedimento poſsit ſortiri ſuum effectum, neque eſt ſimile de ſacramentis, quia hæc non ſortiuntur ſuum effectum, ex eo quod cauſant illum ex opere operato: ſed ex eo quod aliqua illorum, non poſſunt iterari, ſed ſemel tantum applicantur, & ideò ne fruſtrentur ſuo effectu ex diuina ordinatione habent hanc virtutem, & efficaciam recuperandi ſuũ effectum recedente fictione: quod fortè non præſtant alia ſacramenta, quæ ſunt iterabilia, & ſæpius eidem homini applicari poſſunt: & quia indulgentia iterabilis eſt, & eius effectus obtineri poteſt pluribus alijs modis, ideò non oportuit, vt ex diuina ordinatione, & Chriſti inſtitutione hãc virtutem haberet recuperandi ſuũ effectum recedente fictione: & admiſſo, quod omnia ſacramenta nouæ legis, tam quæ non iterantur, quam illa quæ poſſũt iterari gaudeant hanc excellentia, & efficatia, vt ſemel impedita poſtea remoto impedimento fictionis ſortiantur ſuum effectum: hoc non prouenit ex eo præciſſe, quod cauſant gratiam ex opere operato, vel quia ſunt opus Dei, & non hominis, ſed quia ſunt quædam inſtrumenta ex diuina inſtitutione, quæ verè perficiuntur ex propria materia & forma, & verè applicantur homini impedito propter peccatũ fictionis: quo impedimento ablato poſtea operantur effectum quem in ſubiecto impedito à principio operari non potuerunt: ſed indulgentia nec verè perficitur, nec verè applicatur homini impedito quã diu durat impedimentum fictionis: eo quod neque ex parte dantis eſt poteſtas, aut rationabilis intentio applicandi verã indulgentiam homini ſic impedito, neque eſt capacitas ex parte recipientis.

32 Circa quintam conditionem omnium eſt concors ſententia requiri ex parte recipientis, quod non ſit ligatus vinculo excommunicationis maioris, & propterea ſolet cum indulgentia concedi facultas abſoluendi ab excommunicatione, vel ſolet præmiti ipſa abſolutio. De minori autem excommunicatione inſinuat Suarius diſputatione 52. ſection. 2. num. 3. non impedire effectum indulgentiæ dum loquens de excommunicationis vinculo, quod impedit effectũ indulgẽtiæ ſolum facit mentionem de maiori. Sed quod etiam minor excommunicatio impediat: probatur, quia vtriusque eadẽ eſt ratio: quia propterea excommunicatio maior impedit receptionem effectus indulgentiæ, quia priuat fideles communicatione omnium beneficiorum ſpiritualium Eccleſiæ: de quorum numero eſt fructus indulgentiarum: ſed etiam excommunicatio minor æqualiter priuat fideles cõmunicatione, & participatione paſsiua omnium beneficiorum ſpiritualium Eccleſiæ: & aliàs receptio effectus indulgentię eſt paſsiua participatio alicuius ſpiritualis beneficij: ergo impeditur per minorẽ excommunicationem ex parte recipientis. *Vtraq; excõmunicatio impedit effectũ indulgẽtiæ.*

De ſexta denique conditione communis ſententia eſt, quod requiritur de facto, non de potentia abſoluta Pontificis, qui poſſet abſolute concedere indulgentiam, abſque conditione alicuius operis exhibendi: quia iuxta commune dogma Theologorum tria ſufficiunt ad cõceſsionem indulgentiæ, nimirum poteſtas in dãte, gratia & charitas in recipiente, & pietas in cauſa proportionata: quæ omnia ſine nouo opere, aut onere ex parte recipiẽtis poſſent ſubſiſtere: poteſtas quidem in dante, quia hæc ſemper inuenitur in Summis Pontificibus, gratia & charitas in recipiẽnte, quia hæc cũ ſit habitualis nõ dependet ex actualibus operibus ſubiecti, & pietas in cauſa, quia poſſet Pontifex titulo gratitudinis propter aliqua obſequia olim facta Eccleſiæ nunc viuentibus concedere indulgentiam. Sed quia de facto ſẽper ſolet concedi indulgentia ſub conditione alicuius certi operis exhibendi, propterea neceſſe eſt illud facere ad obtinendum effectum indulgentiæ, propter tria. Tum, quia indulgentia non valet niſi quãtum ſonat, & in eius forma denotatur effectum indulgentiæ dari dependenter à tali opere. Tum etiã, quia quoties promiſſio, ſeu donatio eſt cõditionata nihil operatur niſi impleta conditione, quia conditionalis non impleta conditione, nihil po-

nit

ſit in eſſe: omnis autẽ indulgentia ſub cõditione operis exhibendi cõceſſa, eſt quædam promiſsio ſiue donatio conditionata: ergo nihil operabitur ſi cõditio non adimpleatur. Tum denique a ſimili, quia in omni alio effectu gratiæ, qui ex opere operato ſub conditione alicuius operis promittitur, non obtinetur talis effectus niſi illud opus fiat, vt gratia promiſſa in baptiſmo, aut mediante ſacrificio Miſſæ obtinẽda, præſupponit exhibitionem talis operis: ergo ſimiliter & gratuita remiſsio pœnarum promiſſa in indulgentia dependet ab exhibitione talis operis, ſub cuius conditione promittitur.

Ad lucrãdum effectũ indulgentiæ requiritur opus hominis viatoris, & in defuncto ſtatus gratiæ & character baptiſmalis.

35 Dico ſecundo; Vt anima defuncti ſit capax, & idonea ad recipiendũ fructum indulgentię per modum ſuffragij vltra illam generalem conditionem, nimirũ quod ſit in ſtatu gratię (ſupponimus enim ad ſolas animas exiſtentes in Purgatorio quæ ſunt in ſtatu gratiæ extendi huiuſmodi indulgentias) duæ tantum ſpeciales cõditiones requiruntur: nimirum character baptiſmalis, & quod homo viator exequatur opus illud pro quo conceditur indulgentia, defuncto per modum ſuffragij. Hæc concluſio cum excluſiua ſit reſoluitur per has duas exponentes: nimirũ iſtæ duæ conditiones requiruntur in anima defuncti ad lucrandam indulgentiam, & nullæ aliæ conditiones ſunt neceſſariæ: & cõtinet tres partes probandas. Prima eſt, quod requiritur in anima defuncti character baptiſmalis. Hæc pars licet a nemine expræſsè negetur vertitur tamen in dubium à Palacios in 4. d. 45. q. vlt. à quo proinde neque expræſsè negatur, neque aſſeritur: ſed expreſsè defenditur à Suar. diſp. 53. ſect. 4. n. 7. & à Puteano in d. q. 5. p. 2. dubitat. 4. qui illam probat ex eo quod indulgentia per modum ſuffragij etiam eſt actus Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, qui proinde exerceri non poteſt niſi in eos qui ſunt, vel aliquãdo fuerunt ſubiecti Eccleſiaſticæ iuriſdictioni: cuiuſmodi nõ fuit defunctus qui in hac vita nũquã ſuſcepit characterẽ baptiſmalẽ: ſed hęc ratio falſo innititur fundamẽto, quia indulgẽtia per modũ ſuffragij poteſt extẽdi ad nõ ſubditos, vt patet ex ſecundo diſcrimine inter vtranque indulgentiã conſtituto, eo quod non eſt actus iuriſdictionis, licet ſit actus poteſtatis diſpẽſatiuæ, quare hac ratione omiſſa probatur alijs tribus efficacioribus.

Prima eſt, quia ſicut poteſtas offerẽdi ſacrificiũ etiã per modum ſuffragij pro viuis & defunctis coarctata eſt ad ſolos baptizatos: nã iuxta cõmunẽ regulam ſanctorũ Patrũ, cathecumenus nõ eſt capax recipiendi effectũ gratię ex opere operato; in virtute alicuius ſacrificij pro ipſo oblati, quantũuis efficax ſit, vt eſt ſacrificiũ Miſſæ: ita etiã poteſtas clauiũ concedendi indulgentias limitata debet eſſe ad ſolos baptizatos, quia nullus non baptizatus eſt capax recipiendi remiſsionem pœnæ tẽperalis ex opere operato: ergo neque eſt capax recipiendi fructũ indulgentiæ.

Secunda eſt, quia Pontifex nõ poteſt alicui cõcedere indulgentiã per modũ ſuffragij, cui viuenti nõ poſſet illã concedere per modũ abſolutionis: ſed hanc nõ poteſt concedere cathecumeno, licet exiſtat in gratia, eo quod non eſt intra ianuã Eccleſiæ, vt ſuperius dictũ eſt: ergo neq; poteſt eidẽ concedere indulgẽtiã per modũ ſuffragij. Maior patet, quia indulgentia per modũ ſuffragij, licet formaliter nõ ſit vſus iuriſdictionis, eſt tamen vſus poteſtatis clauium diſpenſatiuæ theſauri Eccleſiaſtici, quæ nequit extendi niſi ad illos qui ſunt, vel aliquando fuerunt ſubiecti iuriſdictioni Eccleſiaſticæ: cui anima catechumeni non habentis characterẽ baptiſmalem nunquã fuit ſubiecta: ergo neque poteſt recipere fructum indulgentiæ per modum ſuffragij.

Tertia ratio deſumitur à ſimili, quia ſicut theſaurus temporalis reipublicæ in ſolos ciues illius congruenter diſpẽſatur, ita theſaurus Eccleſiæ congruum eſt, vt in ſolos Eccleſiæ ciues, ac membra diſpenſetur: ſed ſine charactere baptiſmali nullus vnquam fuit ciuis, aut membrum Eccleſiæ: ergo non congruit vt particeps ſit diſpenſationis theſauri Eccleſiaſtici, & ideo in ſignum huius nunquam fuit in vſu talis indulgentia conceſſa per modum ſuffragij, non habentibus characterem baptiſmalem.

Deinde ſecunda pars concluſionis, nimirum quod à viuente fiat opus, vel obſequium pro quo conceditur talis indulgentia: probatur, quia etiam huiuſmodi indulgentia per modum ſuffragij eſt promiſsio, ſiue donatio conditionata, quæ fit à Pontifice ſub cõditione talis operis exibendi: ergo non impleta conditione non ſortietur effectum.

Sed rogabis, vtrùm quando viuens exequitur huiuſmodi opus, vel obſequium, ſiue ſacrificium pro anima defuncti debeat exiſtere in ſtatu gratiæ? Reſpõdeo cum communi ſententia Theologorum, quod ſicut non requiritur gratia in lucrante ſibi indulgentiam, quando facit opus antecedens ad effectum ipſius indulgentiæ: ita neque requiritur gratia in lucrante indulgentiam alteri, quando facit opus antecedens effectum & conſummationem ipſius indulgentiæ. Sed adhuc inquires. An debeat eſſe in gratia quando facit opus, quo conſumato ſtatim lucranda eſt indulgentia à defuncto? Reſpondet affirmatiuè Angelus, verbo *indulgentia*, n. 21. & Cardinalis in clemẽt. 2. de pœnit. & remiſs. eoquod in ſimili caſu requiritur gratia in lucrante ſibi indulgentiam: ergo pariter requiritur in lucrante indulgentiam alteri.

Sed verius reſpondetur negatiuè cum Diu. Thom. & Richardo vbi ſupra, quos citat & ſequitur Gabriel in additione ad lectionem 57. ſuper Canon. & Suarius diſp. 53, ſect. 4. & Cord. q. 26. cuius ratio eſt, quia in lucrante ſibi indulgentiam propterea requiritur gratia ad opus cum quo conſumatur indulgentia, quia tunc debet optinere effectum indulgentiæ ad quem requiritur vt non ponat obicem: obex autem tollitur per gratiam: at quando aliquis lucratur alteri indulgentiam, non eſt idem operans, & obtinens effectum indulgentiæ, quia tunc obtinẽs merè paſsiuè ſe habet, ac proinde culpa operantis, non eſt obex obſtans receptioni effectus indulgentiæ, quæ fit in altero exiſtenti in gratia.

Denique tertia pars, nimirum quod nullæ aliæ conditiones requirantur ſtatuitur aduerſus duas ſententias: quarũ altera eſt Caiet. tom. 1. opuſc. 3. tract. 10 q. 1, aſſerentis requiri inſuper ad lucrandam indulgentiam aliam diſpoſitionem actualem, ſcilicet quod anima defuncti in hac vita habuerit affectum, & ſolicitudinem quandam ad ſatisfaciendum per opera propria pro ſuis peccatis, quam opinionem nouam eſſe fatetur Caietanus, & illam ſequutus fuit Sotus, Nauarro in commentario de Iubileo, notabili 21.

Cuius fundamentum eſt, quia non eſt dignus alieno adminiculo, qui negligens eſt in ſubueniendo ſibi ipſi: ſed qui non habet prædictam ſolicitudinem ad ſatisfaciendum per opera propria, negligens eſt in ſubueniendo ſibi ipſi: ergo indignus eſt ſubſidio indulgentię. Quod confirmari poteſt ex Auguſtino in Enchiridion capite 108 dicente quod ſuffragia, & ſacrificia eis, ſcilicet defunctis proſunt, qui cum viuerent, hæc ſibi vt poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt, & infra: nemo autem ſe ſperet quod hic neglexerit, cum obierit, apud Dominum promereri: ergo vt anima defuncti obtineat fructum indulgentiæ indiget habuiſſe hoc meritum de congruo, quo meruerit vt ei indulgentia, poſt mortem prodeſſet.

Altera eſt Hoſtienſis in capite *ex eo*, de pœnitentijs, & remiſſionibus numero quinto, aſſerentis vltra dictas conditiones requiri in anima defuncti ad lucrandam indulgentiam notitiam actualem, & acceptationem beneficij impenſi; ac proinde ſi Deus huiuſmodi beneficium illi non reuelet, neque fructum illius obtinebit.

Sed noſtra concluſio fuit ante Caietan. communiter recepta ab Scholaſticis in quarto diſtinctione 20. ſupponiturque à Diu. Thom. tanquam certa in quodlibeto ſecundo, articulo vltimo, & defenditur a Iuris Canonici interpretibus in capite *noſtro* de pœnitentijs, &c. Et à Soto vbi ſupra, Corduba, quæſtione 20. & Suario diſputatione 52. ſectione 9. probaturque aduerſus Caietan, dupliciter. *In anima autẽ defuncti, nec requiritur affectus ad indulgẽtias, nec acceptatio ſuffragij impenſi.*

Tum ex vſu & communi forma concedendi indulgentias, in qua tantum dicitur, *confeſsis, vel contritis*, &c. & numquam additur hæc particula *ſatisfacientibus, aut volentibus ſatisfacere per opera propria*, & tamen ſi huiuſmodi affectus, & ſolicitudo ſatisfaciendi per opera propria eſſet conditio requiſita ad obtinendum effectum indulgentiæ, apponeretur in eius forma dicta particula: ergo. Tum etiam, quia poteſtas clauium concedendi indulgentias efficax eſt, & efficaciter operatur ſuum effectum iuxta intentionem Pontificis, ſecluſſo obice ex parte recipientis: ſed intentio concedentis eſt concedere effectũ indulgentiæ omnibus exiſtentibus in gratia, & exæquentibus opus iniunctũ pro quo conceditur indulgentia: ergo in omnibus

nibus his operatur ſuum effectum quantumuis deſit in eis prædictus affectus, & ſollicitudo. Conſequentia eſt nota, quia carentia huiuſmodi affectus non eſt obex ex parte recipientis: ergo non obſtat quo minus recipiat fructum indulgentiæ, alioquin eneruaretur efficatia poteſtatis clauium concedendi indulgentias.

Deinde aduerſus Hoſtienſem probatur, quia illa notitia actualis beneficij impenſi, nec requiritur in anima defuncti ratione effectus indulgentiæ, quia non eſt conditio, aut diſpoſitio ad illum neceſſaria, ſicut nec defectus huius notitię eſt obex impediens effectum indulgentiæ ex parte recipientis. Nec requiritur ratione operis iniuncti, quia anima defuncti omnino paſsiuè ſe habet ad obtinendum effectum indulgentiæ per modum ſuffragij, ac proinde nihil operari debet: & tandem nec requiritur ratione acceptationis, quia acceptatio huiuſmodi beneficij nō debet fieri à recipiente illud: ſed à Deo cuius eſt acceptare Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones, ex quibus diſpenſatur, & applicatur hæc indulgentia per modum ſuffragij: ergo ex nullo capite talis notitia eſt neceſſaria. Ex his ruit fundamentum Caiet. Ad quod neganda eſt maior. Ad cuius confirmationem dicēdum eſt, requiri quidem meritum illud generale, quo viuens indiget vt perſeueret, & decedat in gratia & hoc poſtulat Auguſtinus, vt ſuffragia viuorum defunctis prodeſſe poſsint: non autem aliud ſpeciale, ſpecialiter applicatū à defunctis cum viuerent ad ſatisfaciendū per opera propria pro pœnis temporalibus debitis coram Deo. Cui ſit honor, & gloria.

FINIS.

INDEX

RERVM OMNIVM AC VERBORVM, QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

Abſolutio eſt pars eſſentialis ſacramenti pœnitentię, pagin. 521. col. 1.

Abſolutioni ineſt principalius virtus cauſatiua gratiæ ſanatiuæ, ibi col. 2.

Abſolutio comparata ad actus pœnitentis habet ſe vt forma: comparata vero ad ſignificationem, habet ſe vt materia pag. 525. col. 1.

Ex abſolutione & actibus pœnitentis fit compoſitio cum *his*, ibi col. 2,

Conſiſtit determinate in iſtis verbis vocalibus: *ego te abſoluo*, pag. 553. col. 1.

Hoc verbum *abſoluo*, conuenjens eſt ad formam ſacramenti pœnitentię, pagin. 561. col. 2.

Eiuſque ſenſus eſt, confero tibi gratiam remiſsiuam peccatorum pagin. 564. col. 1.

Actio Dei formaliter eſt immanens & virtualiter tranſiens, qua operatur ad extra, pag. 309. col. 1.

B.

Baptiſmus fuit inſtitutus a Chriſto ante eius paſsionem pag. 138. col. 2.

Baptiſmus datus à duobus, altero muto, & altero carente manibus, non valet, pag. 135. col. 1.

Inualidus quoque eſſet, datus in nomine Genitoris & Geniti, &c. ibid.

Valeret tamen, datus ſub forma Græcorum, *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris*, &c. pag. 140. col. 1.

Peccaret tamen Latinus vtens tali forma ibid.

Inualidus quoque eſſet baptiſmus datus in nomine ſolius Chriſti, ibidem columm. 2.

Forma baptiſmi petit expræſſam inuocationem trium perſonarum ibid,

Ad eſſentiam baptiſmi, neque trina, neque vna immerſio requiritur determinate. pag. 141. col, 1.

Baptiſmus eſt triplex, ſcilicet aquæ, flaminis, & ſanguinis, ex quibus potiſsimus eſt ſanguinis, ibi col. 2,

Laicus poteſt valide baptiſmum conferre pagina 142. columm. 2.

Idem baptiſmus poteſt validè a pluribus conferri, ſcilicet ſimul finientibus ablutionem, & orationem hanc: *ego te baptizo*, &c. ibid, col. 1.

De requiſitis ad baptiſmum ex parte recipientis, à pag. 143. col. 2.

Baptiſmus operatur plenam remiſsionem peccatorum quoad culpam & reatum pœnæ, pag. 145. col. 1.

Baptiſmus confert gratiam regeneratiuã

inæ-

inæqualem quidem inæqualiter diſpoſitis: pag. 146. col. 1.

C.

Characterem imprimunt tria tantum ſacramenta nouæ legis, ſcilicet baptiſmus, confirmatio, & ordo, pagin. 128. col. 1.
Character eſt qualitas ſupernaturalis ſecundæ ſpeciei, pag. 130. col. 2.
Recipitur immediate in intellectu, pagin. 133. col. 2.
Non eſt virtus infuſa: quia eo poſſumus bene & male vti, pag. 135. col. 1.
Confirmationis ſacramentum confert ſpecialem gratiam, quæ eſt robur ſpiritualis vitæ, pag. 148. col. 1.
Eius materia eſt Chriſma confectum ex oleo ex balſamo, ibid.
Eius forma eſt hæc: *conſigno te ſigno Crucis*, &c. ibid. col. 2.
Confirmationis ſacramentum à ſolis Epiſcopis conferri poteſt, pag. 149, columm. 1.
Eius effectum quandoque Apoſtoli conferebant ſine ipſo ſacramento ibidem.
Eius ritus conuenienter ab Eccleſia obſeruatur, ibi. col. 2.
Confeſsio eſt pars integralis ſacramenti pœnitentiæ, pag. 521. col. 1.
Confeſsio ſacramentalis fuit à Chriſto inſtituta, pag. 570. col. 2.
Confeſsio ſacramentalis in re ſuſcepta, non eſt medium neceſſarium ad ſalutem, pag. 573. col. 2.
Bene tantum in voto ſuppoſito peccato mortali actuali poſt baptiſmum, pag. 574. col. 2.
Eſt in re ſuſcepta confeſsio præcepta à Chriſto Domino, pag. 578. col. 2.
Præceptum annuæ confeſsionis nihilominus eſt pure humanum, & Eccleſiaſticum, pag. 579. col. 1.
Præceptum diuinum confeſsionis ſacramentalis colligitur ex illo Ioann. 20. *Quorum remiſſeritis peccata*, &c. pagin. 584. col. 1.
In præcepto annuæ confeſsionis poteſt Papa diſpenſare, pag. 585. col. 2.
Confeſsio ſacramentalis qualiter debeat eſſe integra, & ſecreta, pag. 587. columm. 1.
Ad eius integritatem manifeſtari debent circunſtantiæ peccatorum mutantes ſpeciem, & aggrauantes, pagin. 588. col. 2.
Semper debet fieri Sacerdoti, pag. 591. col. 2.
Facta laico in caſu neceſsitatis eſt vtilis, ſed non ſacramentum, pagin. 592. columm. 1.
Annus confeſsionis annualis cumputandus eſt ab vna quadrageſsima in alterã pag. 594. col. 1.
Tranſacto anno, & completo tempore Paſchatis obligat præceptum Eccleſiaſticum faciendi confeſsionem omiſſam, ibi. col. 2.
Teneturque fideles intra annum confiteri quæuis peccata mortalia oblita, vel omiſſa in priori confeſsione, pagina 595. col. 1.
Contritio eſt proprius actus pœnitentiæ ſpecialis virtutis, pag. 628 col. 2.
Deſtruitque peccata mortalia effectiue moraliter in ratione offenſæ pag. 634. & ſeq.
Actus contritionis formalis, & expreſſus eſt neceſſarius ad obtinendam remiſsionem peccatorum mortalium extra ſacramẽtum pag. 686. col. 2, & ſeq.
Contritio quantumuis minima diſponit ad pœnę æternæ remiſsionem, & ad alicuius partis pœnæ temporalis relaxationem, pag. 719. col. 2.
Conuerſio Euchariſtica congruenter appellatur à Patribus tranſubſtantiatio, pag. 302 col. 2.
Conuerſio hæc eſt vera actio pagin. 307 col. 2.
In hac conuerſione aqua non conuertitur immediate in ſanguinem, pag. 276. col. 2.
Circumciſsio fuit in lege veteri verum ſacramentum, pag. 61. col. 1.
Circumciſsio non conferebat gratiam ex opere operato, pag. 61. col. 2.

D.

Diſpoſitio aliqua requiritur ex parte ſuſcipientis ad hoc, vt ſacramenta nouæ legis conferant gratiam, pag. 83.
Cum æquali diſpoſitione confert idem ſacramentum æqualem gratiam, & inæqualem cum inæquali diſpoſitione, pagin 86.
Dilectio Dei præſupponitur ſecundum

legem

legem ordinariam ad contritionem in prima iuſtificatione impij pag. 672. colum. 1.
Diſpoſitio ad recipiendum gratiæ, & charitatis augmentum eſt ſolus actus ferventioris dilectionis Dei, pagin. 767. col. 2.
Dolendum eſſe de peccatis in ratione offenſæ dictat ratio naturalis, maxime ſuppoſita diuina reuelatione, pag. 601 col. 2.

E

Euchariſtia ſecundum fidem eſt ſacramẽtum nouæ legis, pag. 155. col. 1.
Euchariſtia eſt ſacramentum diſtinctum à cæteris nouæ legis, pag. 157 col. 2.
Euchariſtiæ vſus, neque eſt totum ſacramentum, neque pars illius, pagin. 159. col. 1.
Neque ad conſtitutionem intrinſecam ſacramenti Euchariſtiæ pertinet conſecratio paſsiuè accepta, pag. 161. colum. 1.
Verba conſecrationis pertinent eſſentialiter ad ſacramentum Euchariſtiæ, pag. 162. col. 2.
Verba conſecrationis ſunt forma Euchariſtiæ, pag. 167. col. 2.
Quæ permanent moraliter in ſpeciebus cõſecratis, & hoc ſufficit, vt hoc ſacramẽtum ſit permanens, pag. 170.
Sacramentum Euchariſtiæ ſupponit pro ſpeciebus conſecratis, prout continentibus corpus & ſanguinem Chriſti, pagin. 175. col. 1.
Solæ ſpecies, vt ſic continentes ſunt ſacramentum tantum, ibidem.
Res & ſacramentum ſimul in Euchariſtia ſunt corpus & ſanguis Chriſti, p. 183. col. 1.
Eſtque corpus Chriſti virtus huius ſacramenti, ibidem.
Euchariſtia eſt vnum ſacramentum vnitate ſpecifica, pag. 189. col. 1.
Eſt quoque vnum ſacramentum vnitate numerica, quæ ſumitur ex vnitate rei contentæ, pag. 195. col. 1.
Euchariſtia non eſt paruulis neceſſaria ad ſalutem, pag. 202. col. 1.
Euchariſtia in re ſuſcepta, non eſt etiam adultis neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem, pagi. 205. col. 2.
Imò neque eſſe ſic neceſſariam in voto determinate, defenditur vt probabilius, pag. 209.
Euchariſtia pluribus nominibus gaudet ſecundum plures eius effectus, pag. 211. col. 2.
Materia huius ſacramenti eſt panis triticeus, & vinum vitis, pag. 219.
Non eſt de neceſsitate huius ſacramenti, quod conficiatur in vtraque ſpecie: bene tamen conſecratio vtriuſque ſpeciei eſt de neceſsitate præcepti diuini, pag. 223. col. 1.
In quo proinde non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, pag. 224. col. 2.
Materia huius ſacramenti non eſt determinata ſecundum magnitudinem, pag. 233. col. 1.
Partes minores minimo naturali panis, vel vini, neque ſeparatæ, neque coniũctæ alijs in minimo naturali ſunt aptæ conſecrationi, ac proinde materia huius ſacramenti verſus minimũ eſt determinata, pag. 235. & ſeq.
Materia apta, & ſufficiens conſecrationi, debet eſſe ſenſibilis, hoc eſt ad ſenſum demonſtrabilis, pag. 237. col. 2.
Similiter debet eſſe præſens ſacerdoti etiã ſi oculis non videatur, p. 239 col. 2.
Materia ſacramenti corporis eſt ſolus panis confectus ex tritico, pag. 244. colum. 1.
Nõ eſt de neceſsitate huius materiæ, quod ſit panis azimus, pag. 350. c. 2.
Materia ſacramenti ſanguinis eſt ſolum vinum vitis potabile, pag. 258. col. 2.
Aqua vino permixta, per verba conſecrationis non tranſit immediate in ſanguinem, pag. 261. & ſeqq.
In hoc ſacramento ſecundum fidem realiter ſunt corpus & ſanguis Chriſti, etiã quando actu non ſumitur à fidelibus, pag. 286. col. 2.
In Euchariſtia ex vi verborum conſecrationis deſinit eſſe ſubſtantia panis, & vini, pag. 289. col. 2.
Sed non deſinunt eſſe per annihilationem pag. 295. col. 2.
In Euchariſtia fit vera conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, pagin. 302. col. 2.
Quæ conuerſio in vera actione conſiſtit, pag. 307. col. 2.
Huiuſmodi Euchariſtię conuerſio, neque eſt actio aductiua, pag. 315.
Neque creatiua, vel conſeruatiua, ſed cõuerſiua, pag. 317. col. 1.
Ejus terminus eſt corpus, ſiue ſãguis Chriſti, vt ſubſunt modo de nouo ſuperaddito, ibidem col. 2.
In

In Euchariſtia ex vi verborum conſecrationis corporis eſt ſolum corpus de prędicamento ſubſtantię, prout indiuiduũ genericum pag 337. col. 2.
Ex vi autem verborum conſecrationis vini ponitur in hoc ſacramento, ſolus & totus ſanguis Chriſti, pagin. 341. colum. 1.
Per concommitantiã verò ſub ſpeciebus panis, etiam ponitur ſanguis & anima rationalis p. 341. col. 1.
In Euchariſtia totus Chriſtus continetur ſub omnibus partibus cõtinuis hoſtiæ, etiam minoribus minimis, pag. 348. colum. 2.
In Euchariſtia ſunt quantitas, & alia accidentia Chriſti Domini, p. 356. c. 1.
In Euchariſtia corpus Chriſti & ſanguis habent ſub ſpeciebus veram præſentiã realem, p. 362. col. 1.
Et ſupernaturalem omnino, p. 364 co. 1.
Huiuſmodi præſentia diſtinguitur à præſentia naturali ipſius Chriſti, neque illa per ſe dependet ab iſta, p. 366. c. 2.
Vltra huiuſmodi præſentiam interuenit vnio quædam realis inter Chriſtum, & ſpecies: quæ, & quãlis ſit, explicatur, pag. 370.
Quę accidentia panis & vini maneant in Euchariſtia poſt conſecrationẽ, & quo ordine, explicatur pag. 384. & ſeqq.
Quando in Euchariſtia producitur noua ſubſtantia ex ſpeciebus corruptis ſit vera generatio, p. 400. c. 1.
Cuius ſubiecti vicem gerit quantitas, pagin. 401. col. 1.
In Euchariſtia ad validam conſecrationẽ corporis ſufficiunt illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, pag. 417. col. 1.
Ad validam autem conſecrationẽ ſanguinis neceſſaria ſunt omnia verba, quibus vtitur Eccleſia in ea forma, pagin. 419. col. 1.
Quæ verba vtriuſque formæ ſumuntur ſimul ſignificatiue, & recitatiuè, pagin. 421. col. 1.
Euchariſtia in aliquo caſu cõfert primam gratiam, p. 436. c. 2.
Ad conferendam vero propriam gratiam cibantem ſufficit ex parte recipientis ſtatus gratiæ habitualis, ſine alia diſpoſitione actuali, p 438. c. 1.
Euchariſtia confert huiuſmodi gratiam toto tempore, quo durant ſpecies in ſtomacho, pag. 439. c. 2.
Communio Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie non eſt neceſſaria neceſsitate præcepti, p. 466. c. 1.
Vtilior tamen eſt ſub vtraque ſpecie, quã ſub vna ſola; quia copioſiorem gratiam confert, ibidem.
Non tamen expedit, quod populus Chriſtianus communicet ſub vtraque ſpecie. pag. 467 c. 2.
Euchariſtia eſt ſacramentum ſimul, & ſacrificium ſub diuerſis rationibus: & vt ſacrificium conſumatur formaliter, nõ in ſola cõſecratione, ſed in ſumptione, ob quã in die paraſceues verũ Miſſæ ſacrificium offertur, pag. 508. colum. 1. & 2.

F.

Fictio contingit in receptione ſacramentorum quando impediuntur à ſuo effectu, p. 94. c. 2.
Fictione recedente, poſtea per pœnitentiã ſacramentum ficte ſuſceptum confert ſuam gratiam, ibidem.
Peccatum fictionis baptiſmi, tollitur per pœnitentiæ ſacramentum, pagin. 545. col. 2.

G.

Gratia ſacramentalis ſupra gratiam iuſtificantem ſimpliciter dictam, addit quodam auxilium ſpeciale, p. 110. c. 2.
Gratiæ ſacramentales formaliter conſideratæ differunt ſpecie, p. 111. c. 2.
Gratia baptiſmalis, quam confert baptiſmus recedente fictione, eſt prior in genere cauſæ formalis, quam gratia ſanatiua, pag. 96. col. 2.

I.

In Eccleſia eſt poteſtas concedendi indulgentias, p. 776. c. 2.
Indulgẽtiarum vſus vtilis, & antiquus in Eccleſia incepit à temporibus Apoſtolorum, p. 777. c. 1. & p. ſeq. c. 2.
Sub hoc tamen nomine indulgentiæ non incepit niſi à tempore Gregorij Magni pag. 779. col. 2.

Indul-

Indulgentiarum cõceſsio eſt actus ſolius poteſtatis iuris diuinis, p.778.c.1.
Indulgentiæ duplex diffinitio, ſcilicet, quid nominis, & quid rei, p.780.c.2.
Indulgentia pro viuis eſt actus iudicialis abſolutionis, ibidem.
Pro defũctis verò eſt actus ſolutionis per modum ſubſidij, & ſuffragij, ibidem colum.2.
Indulgentia per ſe non operatur remiſsionem culpæ mortalis, p.782.c.2.
Imò neque remiſsionem culpæ venialis, pag.783.col.1.
Per indulgentiam remittitur pœna temporalis debita coram Deo, ſiue ante, ſiue poſt iniunctam pœnitentiam ſacramentalem, pag.784.c.2.
Indulgentia facit relaxationem à pœnis iniunctis, pag.787.c.1.
Necnon relaxat pœnas non iniunctas, ibid.col.2.
Maximè quando eſt plenaria, ſecus autẽ quando conceditur cum hac limitatione, *de pœnitentijs iniunctis*, p.788.c.2.
Indulgentiæ ſemper conceduntur de theſauro diuitiarum Chriſti, p.794.c.1.
Solus Summus Pontifex habet à iure diuino poteſtatem concedendi indulgentias circa totam Eccleſiam, pag.795. col.2.
Prelati cæteri maiores Eccleſiæ tantum habent à iure humano ordinarium poteſtatem concedendi aliquas indulgentias cum limitatione, p.797.c.1.
Ad valorem indulgentiæ requiritur aliqua cauſa finalis pia diſtincta ab ipſo effectu indulgentiæ, ibi.c.2.
In quo ſenſu indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, pag.799.col.2.& ſequenti.
Indulgentia relaxat non ſolum pœnitentias iniunctas in confeſsione, ſed etiam alias pœnas debitas coram Deo temporales pag,785.c.2.
Indulgentia tantum valet, quantum ſonat iuxta cauſæ proportionem, pagin.800. col.1.& ſeq.
Sex ſunt conditiones quibus homo fit idoneus ad lucrandam indulgentiã conceſſam pro viuis, pag.801.col.1.
Pro tempore pro quo homo lucratur indulgentiam, debet eſſe in ſtatu gratiæ, p.802 c,1.
Non vero pro tempore antecedente, pro quo facit opus iniunctum propterquod datur indulgentia, ibi.col,2.
Lucrans indulgentiam debet eſſe expeditus a vinculo excommunicationis, tam maioris, quam minoris, pag.804.c.2.
Vt anima defuncti recipiat fructum indulgentiæ per modum ſuffragij, vltra ſtatũ gratiæ debet habere characterem baptiſmalem, & quod viator faciat opus illud pro quo conceditur indulgentia defuncto, pag.805.c.1.
Non tamen requiritur ſtatus gratiæ in lucrante indulgentiam, alteri quando facit opus pro quo conceditur indulgentia, pag.806.col.2.

M

Datur in aqua minimum naturale, p.277 col 2.
Datur quoque minimum naturale in homogeneis, pag.343.col.2.
Non datur minimum in actu attritionis, aut contritionis, p.719.c.2.

P

Nullum peccatum eſt irremiſsibile in via defectu liberi arbitrij, p.679.c.2.
Peccata venialia non remittuntur quoad culpã ſeorſum à mortalibus, niſi ſubiectum ſit in gratia, p.721.c.2.
Ad remiſsionem peccatorum venialium, quoad culpam ſufficit, & requiritur extra ſacramentum, vel actus contritionis qui ſit formalis eorum deteſtatio, vel actus charitatis, qui ſit virtualis deteſtatio eorum, pag.725.c.2.
Peccata venialia quoad culpam, non ſolũ in hac, ſed etiam in alia vita de lege ordinaria remitti poſſunt, p.729.c.1.
Peccata venialia cum quibus iuſtus decedit, neque per ſolam gratiam habitualem, neque per ſolius pœnæ ſolutionẽ in purgatorio, neque propter merita præcedentia, remituntur quoad culpã in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore, p.731.c.2.
Conuenientius eſt illa remitti in purgatorio per actum contritionis, vel charitatis ibi elicitum, & includentem eorum diſplicentiam, pag.732.col 1.
Quoties fit noua gratiæ infuſio in adulto, & peccatorum mortalium remiſsio, obtinetur etiam regulariter remiſsio pecca-

Digitized by Google

catorum venialium, p. 734. c. 1.
Peccata venialia remittuntur per omnia ſacramenta nouæ legis ex opere operato, ſuppoſita debita diſpoſitione ex parte ſuſcipientis, ſcilicet contritione, vel attritione de illis, p. 736. c. 1. & ſequenti.
Peccata præterita ſemel dimiſſa, non redeunt per ſubſequens peccatum mortale, pag. 746. col. 2.
Maior eſt ſimpliciter ingratitudo peccantis poſt pœnitentiam, quam peccantis poſt innocentiam, pag. 749. c. 1.
Peccata præterita dicuntur redire per ſubſequens peccatum ratione ingratitudinis quodammodo, & quantum ad aliquid, p. 747. c. 2.
Peccatum illud ratione cuius redeunt peccata prius dimiſſa, non ſemper eſt ſpecialis ingratitudo, niſi quādo ſit ex formali contemptu Dei benefactoris, ſiue beneficij recepti, p. 751. c. 1.
Pœnitentia eſt verum Eccleſiæ ſacramentum, p. 515. c. 1.
Eius materia non apponitur à miniſtro, ſicut in alijs ſacramentis, p. 507. c. 1.
Eſſentialiter componitur ex actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis, p. 521. c. 1.
In ſacramento penitentiæ dolor internus eſt res & ſacramentum ſimul, pag. 531. col. 2.
Actus pœnitentis eliciti ex viribus naturæ non ſunt materia ſufficiens ſacramenti pœnitentiæ, p. 537. c. 1.
Materia remota ſacramenti pœnitentiæ ſunt ſolum peccata actualia, pag. 540. col. 2.
Non tamen quęcunque, ſed cōmiſſa dumtaxat poſt baptiſmum p. 543. c. 1.
Etiam ſunt materia pœnitentiæ peccata, quæ ſimul exiſtunt in inſtanti terminatiuo baptiſmi, p. 544. c. 2.
Non ſunt materia ſufficiens ſacramēti pęnitentiæ peccata incerta ac dubia, pag. 547. c. 2.
Penitentia eſt verè virtus infuſſa, pagin. 613. col. 1.
Eſt quoque ſpecialis virtus à reliquis diſtincta, p. 626. c. 2
Eius proprius actus eſt deteſtari peccatū ſub motiuo compenſandi, p. 628. c. 2.
Deſtruitque peccatum effectiuè moraliter, p. 634. & ſeq.
Pœnitentia virtus non eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ, ſed tantum potentialis, pagina 641. & ſeq.
Diſtinguiturque à virtute religionis, pagin. 643. c. 2.
Subiectum pœnitentiæ virtutis eſt ſola voluntas prout eſt concupiſcibilis, pagina 651. c. 2.
Pœnitentia prout eſt paſsio recipitur in apatitu ſenſitiuo, pag. 654. c. 1.
Pœnitentia virtus nō fuit in Chriſto Domino, neq; in Angelis viatoribus, aut beatis, p. 658. & ſeq.
Fuit tamen in B. Virgine quoad habitum & in hominibus innocentibus ac beatis, pag. 660. & ſeq.
Pœnitentia eſt virtus ſupernaturalis, & per ſe infuſſa, p. 665. c. 2.
Ad actum pœnitentiæ, qui eſt contritio, alij motus liberi arbitrij præſupponuntur, pag. 671. c. 2.
Pœnitentia natura, & cauſalitate eſt poſterior omnibus virtutibus Theologicis, p. 674. c. 1.
Omnia peccata mortalia de ſe ſunt remiſſibilia per pœnitentiam, etiam extra ſacramentum, p. 676. c. 1.
Actus formalis pœnitentiæ, hoc eſt doloris & contritionis eſt neceſſarius in adultis neceſsitate medij, & præcepti ad obtinendam remiſsionem peccatorum mortalium extra ſacramentum, ſuppoſita eorum recordatione, pag. 686. colum. 1.
De huiuſmodi actu pœnitentiæ proprio, & formali datur ſpeciale præceptum, pag. 694. col. 1.
Quod obligat tantum in tempore neceſsitatis, vt in articulo, vel periculo mortis pag. 698. col. 2.
Vltra actum doloris requiritur regulariter loquendo ad obtinendam peccatorum remiſsionem alius actus pœnitentiæ, ſcilicet propoſitum vitandi peccata in futurum, p. 703. c. 2.
Non poteſt tolli vnum peccatum mortale ſine alio per actum pœnitentiæ, pagin. 706. col. 1.
Poſt remiſſam culpam per pęnitentiam, regulariter manet aliqua pœna temporalis luenda homini iuſtificato, p. 711. col. 2.
Cuius ratio & cauſa eſt inordinata cōuerſio peccati, p. 712. c. 2.
Pro huiuſmodi pœna temporali relicta poſſunt homines iuſti ſatisfacere per actus pœnitentiæ, & opera pœnalia, pagina 716. col. 1.

Quæ

Quæ ſatisfactio poteſt eſſe condigna, & adæqualitatem, p. 718. c 2.

Per pœnitentiam omnes virtutes amiſſæ per peccatum, ſimul cũ gratia reſtituũtur. p. 754. c. 2.

Per pœnitentiam homo aliquando reſurgit in æquali, aliquãdo in maiori, & aliquando in minori gratia, p. 755. c. 1.

Per pœnitentiam homo ſemper recuperat priſtinam dignitatem primariam quantum ad Deum, ſed non ſecundariam, aut Eccleſiaſticam, p. 755. c. 2.

Per pœnitentiam omnia merita hominis iuſti mortificata per peccatum, reuiuiſcunt, p. 758. c. 1.

Pœnitens reſurgens à peccato per actum minoris, aut æqualis intenſionis cum gratia deperdita, neque illam in totum, neque ſecundum partem recuperat, pagin. 771. c. 2.

Pœnitens reſurgens per actum ſeruentiorem, neque antiquam gratiam ſtatim recuperat, ſed totã in alia vita recipit per modum præmij, p. 772. c 1.

Per pœnitentiam nõ recuperat homo ſtatim gratiam, quam receperat extra ſacramentum, niſi in alia vita per modum præmij, p. 774 c. 1.

Per pœnitentiam homo reſurgens à peccato ſtatim recuperat totam gratiam, quam acceperat ex opere operato alicuius ſacramenti, ibi. c. 2.

Pollutio nocturna non peccaminoſa impedit communionem ex quadam decẽtia, p. 457. c. 1.

R.

Reuiuiſcentia meritorum eſt ita certa, vt ſine errore negari non poſsit, pa. 760. col. 1

Reuiuiſcentia meritorum eſt opus ſolius miſericordiæ, ſicut & ipſa prima hominis iuſtificatio, p 763. c. 1.

In reuiuiſcentia meritorum non fit recuperatio gratiæ deperditæ, niſi iuxta mẽſuram præſentis diſpoſitionis, pa. 767. col 1.

Recuperantur tamen omnia merita mortificata, cum toto valore, & iure ad præmium eſſentiale ipſis debitum, pa. 768 col. 2.

S.

Sacramentum eſt formaliter in genere ſigni, & non in genere cauſæ, pa. 9. col. 2. & ſequenti.

Sacramentum formaliter non eſt in genere ritus, aut ceremoniæ, p. 10. c. 1.

Sacramentum formaliter eſt in genere ſigni ad placitum, p. 11. c. 1.

Supponit pro ente reali, quamuis de formali ſit ens rationis, p. 13. c. 2.

Specifica ratio ſacramenti eſt ſignificare gratiam actu ſanctificantem, p. 15. c. 1.

Omnia ſacramenta nouæ legis ſignificant tria, ſcilicet, gratiam, gloriam, & Chriſti paſsionem, p. 20. c. 2.

Vniuoce conuenit omnibus ſacramentis ſignificare hæc tria, licet non ex æquo, ſed principalius gratiam, p. 21. c. 1.

De facto omne ſacramentum eſt inſtitutũ in aliqua re ſenſibili, p. 23. c. 2.

Idque eſt de intrinſeca ratione ſacramentorum, non abſolutè, ſed prout de facto inſtituta ſunt à Deo, p. 24. c. 1.

Omnia ſacramenta tam veteris quam nouæ legis conſtant ex rebus ſenſibilibus determinatis, p. 32. col. 1.

Omnia ſacramenta nouæ legis conſtant intrinſecè ex verbis determinatis, in quo à ſacramentis veteris legis diſcriminantur, pag. 34. c. 2. & ſeq.

Aliquando ſufficit aliquid ſupplens vicẽ verborum, vt in matrimonio & confeſſione, quæ fiunt per nutus, p. 35. c. 2.

Verba ſunt forma eſſentialis in ſacramentis nouæ legis, comparata ad res ſenſibiles: ſignificatio verò comparatur ad res, & ad verba, vt vltima forma ad ſuũ adæquatum materiale, p. 37. c. 1.

Peccatum eſt, formas ſacramentorum nouæ legis ſine vrgente neceſsitate, aut euidenti vtilitate, accidentaliter immutare, pag. 39. c. 2.

Si tamen corruptio non tollat ſenſum verborum validum erit ſacramentum, ſi tamen adſit debita intentio miniſtri, pag. 41. col. 1.

Licet peccatũ ſacrilegij ſit diminuere formam ſacramẽti, adimendo aliquam particulam ex communiter receptis ab Eccleſia, tamen ſacramentum non redditur inualidum, niſi in duobus caſibus, nimirum quando deeſt legitima intentio in miniſtro, vel quando tollitur legitimus ſenſus verborum, p. 41. c 2.

Smiliter

Similiter verum conficitur ſacramentum quando ad eius formā additur aliquod verbū nō tollēs legitimum ſenſum, nec deficit legitima intentio, p. 42. c. 1.

Neque obſtat valori ſacramenti, quod miniſter in tali additione intendat introducere nouum ritum nō toleratum ab Eccleſia, p. 43. c. 1.

Neutiquam fuiſſent ſacramenta in ſtatu innocentiæ, aut peccato non exiſtente pag. 52. c. 1.

Fuiſſet tamen ſacrificiorum, & oblationū vſus, ad cultum Dei ordinatus, p. 49. & ſequenti.

Fuerunt in lege naturæ aliqua ſacramenta pag. 56. c. 1.

Illa tamen erant voluntatis, ſiue ex voto hominum: ſacramenta vero legis ſcriptæ fuerunt neceſsitatis, & ex præcepto pag. 58. c. 1.

Non fuit verum ſacramentum matrimonium primorum parentum, p. 59 co. 1.

Verum ſacramentum fuit ſacrificiū Melchiſedech, quantum ad rem oblatā, ibidem col. 2.

Plura alia ſacramenta fuerunt in lege ſcripta in remiſsionem peccatorum actualium vltra circunciſsionem, quæ & verum ſacramentum fuit in remedium peccati originalis, pag. 60. col. 1. & ſequenti.

Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam iuſtificantem ex opere operato, p. 71. col. 1.

Non ſolum cauſant illam per accidens, & vt conditio ſine qua non, aut ex ſolo pacto Dei, p. 72. c. 1.

Cauſant gratiam per modum inſtrumenti moralis, & phiſici, p. 73. c. 1.

Sacramenta nouæ legis cauſant, & continent gratiam, quam ſignificant, in non ponentibus obicem, p. 74. c. 2.

Virtus inſtrumentaria conueniens ſacramentis nouæ legis habet influxum, nō ſolum moralem, ſed phiſicum in ipſam gratiam, & non tantum in preuiam diſpoſitionem, p 79. & ſeq.

Sacramenta nouæ legis indigent ad conferendam gratiam aliqua diſpoſitione in ſuſcipiente, p. 83.

Sacramenta mortuorum petunt in adulto motum deteſtatiuum peccati, qui ſit ſaltem attritio, p. 84 c. 1.

Eadem diſpoſitio ſufficit vt ſacramenta viuorum conferant primam gratiam, ibidem.

Vt verò conferant ſuum proprium effectum, ſcilicet augmentum gratiæ ſufficit habitualis diſpoſitio, ſcilicet, quod ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, ibidem columna 2.

Cum æquali diſpoſitione in ſubiecto vnū quodque ſacramentum ſemper cauſat æqualem effectum gratiæ: inæqualem vero quando inequalis eſt diſpoſitio, pag. 86. c. 1. & ſeq.

Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam ſolum in vltimo inſtanti terminatiuo, quod eſt primum non eſſe ipſius ſacramenti, p. 90. c. 2.

Qualiter verum ſit quod ſacramentū cauſat gratiam toto tempore quo durat, expenditur, p. 93. c. 1.

Sacramenta ficte ſuſcepta, poſtea recedente fictione conferunt ſuum effectum, p. 94. c. 2.

Et tunc conferunt illum, ſolum vt inſtrumenta moralia, p. 69.

Omnia ſacramenta nouæ legis habēt vim conferendi primam graciam, & faciendi de attrito contritum, p. 106. col. 1.

Sacramētis nouæ legis ineſt virtus inſtrumētalis, & ſupernaturalis effectiua gratiæ, p. 113. c. 2.

Sacramentalia ſunt nouem, per quæ peccata venialia remittuntur quoad culpā, pag. 738. c. 3.

Sacramentalia tantum ex opere operātis remittunt venialia, p. 739. c. 2.

T.

Theſaurus eſt depoſitio quædā pecuniæ, cuius non extat memoria, pa. 792. c. 1.

Datur in Eccleſia theſaurus conſtans ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti, ibidem.

Conſtat quoque iſte theſaurus ex ſuperabundantibus aliorum Sanctorum ſatisfactionibus, p 793. c. 1.

Semper de huiuſmodi theſauro diſpenſantur indulgentię in Eccleſia, pag. 794. col. 1.

V.

Venialium peccatorum remiſsio nunquā fit ſine remiſsione mortalium, niſi ſubiectum ſit in gratia, p. 721. c. 2.

Ad

Ad remiſsionem culpæ venialis ſufficit, & requiritur extra ſacramentum, vel actus contritionis, qui ſit formalis illius deteſtatio, vel actus charitatis, qui ſit virtualis eius deteſtatio. p. 725. c. 2.

Extra ſacramentum non ſufficit ſola attritio ad remiſsionem culpę venialis, pag. 727. c. 2.

Bene autem cum ſacramento in re ſuſcepto, ibidem.

Venialia peccata non ſolum quoad pęnā, ſed etiam quoad culpam in alia vita remituntur, p. 730. c. 1.

Huiuſmodi venialium remiſsio in alia vita fit ſolum in purgatorio per actum cōtritionis, vel charitatis ibi elicitum, includentem eorum diſplicentiam, pag. 73. c. 1.

De lege ordinaria poteſt obtineri venialium remiſsio extra ſacramentum ſine noua infuſsione gratiæ, aut præexiſtentis augmento, p. 734. c. 1.

Regulariter tamen quoties in adulto fit mortalium remiſsio, fit quoque & venialium culparum, ibidem.

Per omnia ſacramenta nouæ legis ex opere operato remituntur omnes culpæ veniales, ſuppoſita debita diſpoſitione, ſcilicet contritione, vel ſaltem attritione de illis, pag. 735. c. 1.

Venialium remiſsio per ſacramentalia nō fit ex opere operato, ſed ſolum ex opere operātis, p. 739. c. 1. & ſeq.

Veniale peccatum coniunctum cum mortali perſonali numquam poteſt remitti ſine illo, p. 742. c. 1.

Coniunctum vero cum ſolo originali dari non poteſt: neque homo poteſt decedere cum ſolo veniali, & originali peccato, pag. 743. col. 2.

FINIS.